Baldoni, O.

Guerre I [illegible]
Rare first edition

Digitized by the Internet Archive
in 2018 with funding from
Getty Research Institute

https://archive.org/details/epigraphicasiuee00bold


EPI
GRAPHICA
OCTAVII
BOLDONII
SERENISSIMO
COSMO
MEDICEO ETRVRIAE
PRINCIPI
PRINCIPVM
GLORIAE
M.Nic.In.

EPIGRAPHICA
SIVE
ELOGIA INSCRIPTIONESQVE
Quoduis genus pangendi ratio
VBI
DE INSCRIBENDIS
Tabulis, Symbolis, Clypeis, Trophaeis, Donarijs, Obeliſcis, Aris, Tumulis, Muſaeis, Hortis, Villis, Fontibus,

Et ſi qua ſunt alia huiuſmodi Monumenta, facili methodo diſſertatur

Subiectiſque Exemplis Antiquis, ac Recentibus

Nonnullis etiam ex vtriſque nondum vulgatis Praecepta dilucidantur.

Auctore

OCTAVIO BOLDONIO MEDIOLANENSI
ex Clericis Regularibus Barnabitis Ordinis S. Pauli,
Epiſcopo Theanenſi.

AD SERENISSIMVM
COSMVM MEDICEVM
ETRVRIAE PRINCIPEM.

AVGVSTAE PERVSIAE. MDCLX.

Ex Typographia Camerali, & Epiſcopali, Apud Bartolos, & Angelum Laurentium.

DE LICENTIA PRAESIDVM.

SERENISS.

COSMO MEDICEO ETRVRIAE PRINCIPI

Octauius Boldonius ex Clericis Reg. Barnabitis Ord. S. Pauli Epiſcopus Theanenſis F.

EXegi monumentum literarij Magiſterij, quod erudiendae pueritiae tuae, Princeps, vt ego potiſsimùm inirem, dedit benignitas Sereniſsimi Parentis Tui FERDINANDI: vt ſexennio obirem, dedit indoles iſta Regia, digna iuſtiùs magiſterio Stagiritae. Quidni monumentum hoc quoquè aere perennius mihi ſpondeam cum Va-

te Lyrico? Scilicet Artificium pangendi Elogij conſignatum his paginis dum quaerit lucem COSMO Principi nuncupatum, Elogio ſanè aeterno ſibi adornat frontem in iſto Nomine Mundi aemulo. Hereditariae quippe ſunt in Heroibus Mediceis, & quodammodo fiduciariae cum appellatione Coſmi virtutes Heroicae, vt idcirco ſalutare te Principem Etruria non poſsit, quin ſimul inclytae memoriae Abauum tuum, Magnum illum Patrem Patriae; quin cum Sceptro, & gloria heredem nominis Auum, lineamentis diſciplinae certis rediuiuum in Te, ac reſtitutum gratuletur. Quid enim, auguretur, dixerim? Ecce Tu (inquit) vt impuber feſtinata virilitate, & acerbis in annis maturus ſenſu, vota omnium

prae-

praeuertiſti, ne impar redderere, quando nomen aſſumpſeras, Mundo, cuius moles auguſta extitit dierum ſex ambitu numeris omnibus perfecta. Atque id decus, Princeps, qua es Sapientia, non dubitamus refundi abs te in Parentem optimum, non ſecus atque ex ſpecie concentuque huius Mundi deducimur Mortales ad gloriam Conditoris explorandam. Neque enim Parenti debes Regios duntaxat natales cum Regia iſta fortuna; verùm & multò aequiùs, quòd Inſtitutorem alterum, hoc eſt morum, tibi illum proſpexit, qui Magno in tantula aetate COSMO regendo, moderandoque ad omnem vitae Regiae harmoniam partes Intelligentiae Caeleſtis egregiè impleuit. Quae res quando teſtimonium diſertiſsimum non habe-

ret ab ipſo exitu, acciperet illud certè ab delectu Viri, quem ad tantum munus ex flore totius regni ſui habuit incomparabili, vt ſemper aliàs, prouidentia Sereniſsimus Magnus Dux; Acciperet ab iudicio caeleſti Sanctiſsimi Patris, & Regis Sacrorum ſapientiſsimi ALEXANDRI VII., quùm Virum vix iſto perfunctum officio Romam vocatum, inque Aulam Pontificiam acceptum multis continuò prouincijs admouit. Illum curae Libellorum Memorialium, illum praefecturae Cubiculi, illum Aulae vniuerſae; his porrò tantis honoribus, non ſingulis (vt mos eſt) aut per gradus ſibi ſuccedentibus, ſed aggeſtis ijs & cumulatis, cum auctario etiam Patriarchatus Conſtantinopolitani, donec compendio an-

norum

norum ad Eminentiſsimum, & ſummo proximum euexit apicem Cardinalitiae dignitatis, adiecta praetereà Legatione Flaminiae, prorſus illud tacitè praedicans, idoneum eſſe eum moderando Orbi Chriſtiano, qui ſe parem Etruſco probaſſet, Purpuram itaque tradidit Volumnio Bandinello tuo Summus Pontifex, Tu illum Purpurae: Is cognitam virtutem honeſtauit, Tu virtutem indicaſti, atque eius meriti Virum obtuliſti, à quo poſſent honores ipſi maximi honorem foenerari. Vide, Princeps, huius de Elogio Diſſertationis quàm bellè quadret in Te Dedicatio, qui progreſſu iſto magnanimo in moribus, in literis cùm Auorum tuorum immortalium exiſtis Elogium, tùm Magiſtris ipſis Elogij ampliſ-

ſimi

ſimi promerendi materiam ſubminiſtras. Sed & laudes Tuae, ſicut in breuitate Mappae Mundi immenſitas, anguſtijs Elogij lepidiùs, quàm ſpatijs hiſtoriarum clauduntur. Viue felix Princeps Sereniſſime. Dat. Romae Cal. Decembris MDCLX.

Theologorum

Theologorum Cenſura

è Congregatione Clericorum Regularium S. Pauli, quos vulgus Barnabitas vocat

R. P. D. Euſebij Burontij Delegati

MAndatis vt annuerem Adm. Reu. P. D. Ioannis Angeli Boſſij Praepoſiti Generalis Congregationis noſtrae, Volumen, cuius Titulus eſt [*Epigraphica ſiue Elogia, Inſcriptioneſque quoduis genus pangendi ratio*] à P. D. Octauio Boldonio Congregationis noſtrae Theologo ac Philologo ſumma arte & eruditione elaboratum mira cum animi mei voluptate, nec ſine pretio laboris legi, ac diligenter excuſſi dignumque praelo exiſtimaui, ne Reſpublica literatorum eximio eius lectionis fructu careat. Quantum enim ſit mortalium geſta ne dum illuſtrare, ſed immortalia efficere praeceptis Artis Epigraphicae, nemo eſt qui non aeſtimet. Hoc praeſtat Auctor methodo perſpicua, ſtylo eleganti, copia maxima: Nouatas poſt Latinos voces & phraſes plurimas examinat, & ab impuris puras ſecernit, inſtitutis ſuo Marte nouis quaeſtionibus, vbique proferens Inſcriptiones veteres & nouas, quibus mirifice etiam delectat Lectorem, & notitia omnium temporum ditat. Bene etiam de Re Chriſtiana meretur, non modò literaria; dum nonnullos irreligiosè de formulis Eccleſiae ſentientes redarguit, & eruditum neſcio quem erroribus infectum conuincit. Orthodoxae doctrinae productis argumentis, ſumma verò cum modeſtia, vt admoneat erroris, non exaſperet. Merito itaque, ne publicae vtilitati, & exemplo deſim, optimum duxi, vt typis hoc volumen detur. Iu quorum fidem has literas manu mea ſcripſi, & ſubſcripſi. Dat. Florentiae Calendis Aprilis MDCLVI.

D. Euſebius Burontius Cler. Reg. S. Pauli Barnabita.

R. P. D. Leopoldi Mariae Leonelli Delegati

ADm. Reu. P. D. Ioanne Angelo Boſſio Praepoſito Generali demandante, libros ſex in vnum corpus redactos de Elogio, & Inſcriptione cuiuſuis generis pangenda, Auctore P. D. Octauio Boldonio iam euulgandos perlegi, qui profectò, vel à Fidei Catholicae, vel à morum Cenſoribus malam notam merentur nullam: quinimò (niſi mea me fallit opinio) rem ad haec tempora minùs lege vinctam, atque ideo magis in errores procliuem, ità in ordinem optimus Auctor coegit: eiſque praeceptionibus perpoliuit, vt in hoc etiam ſcribendi genere verſari iam poſſimus ratione ac via. Verùm & ſi nouum Operis inſtitutum nequeo ſatis mirari, & ſi diligentiam propè infinitam in eruendis omnibus omnium temporum monumentis collaudo, & ſi latinum ſermonem nouis animaduerſionibus caſtigatum video; nihil tamen, aut ego magis ſuſpicio, aut iuuandis ingenijs magis vſui futurum cenſeo, quàm aequiſſimam illam recti iudicij lancem, qua ſingula rerum momenta expendens, à Latinis Barbara, à Grandibus immania, putida à pulchris, à facetis inurbana, à cultis denique, ac elaboratis ſcholam, & κακοζηλίαν redolentia ſecernit. Eapropter & poſſe hoc Opus, & omnino debere exiſtimo in lucem edi: Nam Attico ſale inſperſum ſitim legendi faciet; tùm ſiquis illud tamquam ſtyli praeceptorem adhibuerit, non modò in ſingulis dictis, ſed in toto etiam colore ad excultam quamdam, & venuſtam elegantiam efloreſcet. Ita cenſui. Datum Florentiae IV. Non. Apriles MDCLVI.

Ego D. Leopoldus Maria Leonellus Cler. Reg. S. Pauli Barnabita.

Facultas Summi Antiſtitis Ordinis

Admodum R. P. D. Ioannes Angelus Boſſius Praepoſitus Generalis Congregationis Clericorum Regularium S. Pauli

CVm Tractatum, cuius Titulus eſt [*Epigraphica, ſiue Elogia inſcriptioneſque quoduis genus pangendi ratio*] P. D. Octauij Boldonij noſtrae Congregationis Presbyteri, duo, quibus id commiſimus eiuſdem Congregationis eruditi Viri recognouerint, & probauerint, facultatem facimus, quantum ad nos ſpectat, vt typis mandetur. Datum Mediolani in Collegio noſtro SS. Apoſtolorum Pauli, & Barnabae die XII. Aprilis MDCLVI.

D. Io: Angelus Boſſius Praepoſitus Generalis.

Loco ✠ Sigilli.

Cenſurae

Cenſurae Praeſidum

Pro Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Epiſc. Peruſiae.

PRodeat in publicam lucem, Lucina Minerua, obſtetrice Pallade, auſpice Fama, fauentibus Muſis, plaudente Apolline Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. D. Octaui Boldoni Epiſcopi Theanenſis nobiliſſimà proles, cui inſcribitur nomen *Epigraphica ſiue Elogia Inſcriptioneſque quoduis genus pangendi ratio*; quid enim illi morum caudoris, quid Catholicae Fidei quid Gratiarum & Venuſtatum è Graeco, Latino, & Italico non inſtillauit Helicone Parens Religioſiſſimus, Praeſul eruditiſſimus? vt tàm benè excultam, tàm bellè edoctam, quis è Sapientibus non ambiat manibus geſtare, obſeruare oculis, oſculis certatim libare? ò Soboles ſuprà omnium conceptum & expectationem oblectandis & inſtruendis ingenijs è facundiſſimo enata ingenio! eat profectò in publicum eruditorum theatrum datura alijs cum delectatione Doctrinam ſibi plauſum cum Gloria, laudem cum immortalitate conciliatura; nunquam enim poteſt carere Elogijs quae omnium praefert Elogia.

Carolus Sabatinus Doctor Philoſ.

Pro Reuerendiſs. P. Inquiſitore

EGo infraſcriptus de mandato Reuerendiſs. Patris Fratris Franciſci Galaſini Ordinis Praedicatorum Sacrae Theologiae Magiſtri, Peruſiae, Vmbriae Annexarumque Ciuitatum Inquiſitoris Generalis à Sancta Sede ſpecialiter delegati, vidi, & approbo opus hoc Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Octauij Boldonij Clericorum Regularium Sancti Pauli Epiſcopi Theanenſis, in quo, dum debita veri Chriſtifidelis Pietate, Sacroſanctae Fidei dogmatibus conſentaneam, & bonis moribus conſonam rationem alijs pangendi Elogia admirabili Eruditione deſcribit, Immortale ſibi ipſi parat Elogium.

Ego Octauianus Erculanus I. V. D. & Sancti Officij Conſultor.

Imprimatur hac die 22. Nouembris 1657.
Fr. Franciſcus Galaſinus Inquiſitor Gen. Peruſiae &c.

INDEX

INDEX OECONOMICVS
Seu
OPERIS CONSPECTVS.

PROGRAPHICA, ſeu Operis Diſſertatio liminaris, In qua de titulo huic Arti decreto. Pagina 1.

ELOGII Natura, Liber Primus, Eius ſcilicet {
- Etymon, pag. 15.
- Definitio, pag. 30.
- Moles, pag. 38.

ELOGII Character, Liber Secundus. Proluſio, pag. 47.

PARS PRIOR

De Verborum vitijs generatim.

Verborum {
- Raritas, pag. 47.
- Humilitas, pag. 48.
- Sordes, pag. 51.
- Obſcenitas, pag. 52.
- Antiquitas, pag. 55.
- Peregrinitas, pag. 55.
- Barbaries, pag. 56. Vbi de eius principio, incremento decremento vſque ad pag. 74.

An ex Antiquis Inſcriptionibus, quas Ianus Gruterus collegit, Latinitatis munditiès, nitorque ad Elogia ſit petendus, pag. 74.

Quot modis contrahatur Inſcriptioni barbaries, pag. 78.

Obſoletarum Vocũ Syllabus {
- Quae totae obſoletae, pag. 82.
- Quae ſecundum vnam, aut alteram literam, pag. 91.

PARS ALTERA

Nouatas Voces excutit, in Claſſes VII. digeſta.

Claſſis Prima, complectens Nomina Hominum {
- Propria, pag. 96.
- Gentilitia, pag. 98.
- Quaeſititia, pag. 108.

Ad Claſſem Secundam, & conſequentes Paroeneſis, de Verbis nouandis, pag. 109.

Claſſis Secunda, Nouata Sacrorum Magiſtratuum Nomina colligit, in Mẽbra XXVII.

Quae probentur, pag. 114. Quae improbentur, pag. 128.

DIGRESSIONES Duae. Proluſio, pag. 138.

Digreſſio Prior: Latinam eſſe formulam, qua praefatur Eccleſia Romana Sacris Euangelijs inter Miſſae celebrationem [*In illo tempore*] Et qua ſimul praefatur Sacris Lectionibus [*In diebus illis*] pag. 139.

Digreſſio Poſterior: Patriarchae, & Epiſcopi ſacra magiſteria peruersè a Nouatoribus Religionis tradi, pag. 142. Vbi corripitur, & confutatur Matthias Martinius Auctor Lexici Philologici, à pag. 142. ad 155.

Claſſis Tertia, Noua Magiſtratuum Profanorum nomina percenſet, in Membra XIX. diſtributa. Ex his

Quae probentur, pag. 156.

Quae improbentur, pag. 178.

Claſſis Quarta, Chriſtiana vocabula Nouata percurrit, Membris XXVIII.

Quae Admittenda, pag. 183.

Quae Animaduertenda, pag. 201.

Claſſis Quinta, Eccleſiaſtica vocabula Nouata luſtrat Membris XXVI.

Quae tenenda, pag. 241.

Quae animaduertenda, pag. 254.

Claſſis Sexta, Hiſtorialia vocabula nouata cogit, & excernit Membris XXII. à pag. 273. ad 333.

Claſſis Septima, Didaſcalica vocabula, Antiqua, Nouata promiſcuè ad cenſuram vocat, & expedit Membris XXXIV. à pag. 334. ad 384.

✝ Materias harum Claſſium habes infrà, in Indice Lexico, digeſtas ordine Alphabeti.

ELOGII PERSPICVITAS, Liber Tertius, pag. 385.

Proluſio, ibidem.

Obſcuritatis ſcopulus multiplex in Elogio ex Theonis Sophiſtae praeceptis indicatur, Membris XVI. à pag. 387. ad 436.

Quas Notas, ſeu literas ſingulares ex Antiquitate hodiernus vſus probet, Membro XIV. pag. 432.

Vſitata Dictionum Compendia, & inuſitata,

ex

ex Antiquitate extantia, Membro XV. pag. 434.

✝ Compendium huius Libri habes infrà, in Indice Lexico, ad Vocem *Perſpicuitas*.

ELOGII BREVITAS, Liber Quartus, pag. 437.

Proluſio, Breuitatis contrahendae proponit capita, ibid.

Quae Membris XXVIII. abſoluuntur, à pag. 438. ad 532.

✝ Compendium huius Libri habes infrà, in Indice Lexico, ad Vocem *Breuitas*.

ELOGII VENVSTAS, Liber Quintus, pag. 533.

Proluſio cum diuiſione in Capita Quinque.

Caput Primum, Elegantia in Verbis ſingulis, diſtributum in Membra Sex, Membrum autem Sextum in Articulos Septem, à pag. 533. ad 558.

Caput Secundum, Concinnitas in Structura Verborum, pag. 559. Septem Membris diſtinctum, à pag. 559. ad 569.

Caput Tertium, Lepor in Sententijs, Membra continens tria, & viginti, à pag. 569. ad 599.

Caput Quartum, Dignitas in Scriptura, ad Membra XII. procurrens, à pag. 599. ad 637.

Caput Quintum, Decorum Elogiaſtae, quinque contentum Membris, à pag. 638. ad 652.

✝ Compendium huius Libri habes infrà, in Indice Lexico, ad Vocem *Venuſtas*.

ELOGII ARGVTIA, Liber Sextus, pag. 653.

Proluſio, ibi.

Caput Primum, De Vſu Argutiarum generatim, in Monita quinque digeſtum, à pag. 653. ad 662.

Caput Secundum, De Vſu Argutiarum generatim, Membris tribus conflatum, à pag. 662. ad 666.

Caput Tertium, De Argutiarum vſu ſpeciatim; Et primùm Quae ſunt Primae intellectionis, in Membra octo deductum, à pag. 666. ad 696.

Caput Quartum, De Vſu Argutiarum ſpeciatim, Quae ſunt ſecundae intellectionis, in Sex Membra diſtributum, à pag. 696. ad 705.

Caput Quintum, De Vſu Argutiarum ſpeciatim, Quae ſunt Tertiae intellectionis, Membra quinque percenſens, à pag. 705. ad 729.

Caput Sextum, De Vitioſis Argutijs, pag. 730.

Caput Septimum, Quae Quibus locis Argutiae congruant, pag. 732.

✝ Compendium huius Libri habes infrà, in Indice Lexico, ad Vocem *Argutiae*.

Alij praetereà Indices Quatuor praeſto aderunt in calce Voluminis, videlicet:

I. Index Elogiaſticus.
II. Index Typicus.
III. Index Lexicus.
IV. Index Memorialis.

EPIGRAPHICAE MEAE PROGRAPHICA SEV OPERIS DISSERTATIO LIMINARIS.

LIthographica vt inſcriberetur Opus, aut meliùs Lithoxoica, contendebat non illiteratus Cenſor, conſonante (aiens) illi, quam vulgus noſtratium obtinuiſſe iam videtur, *LAPIDARIAE* appellatione. Cui capiti etſi multum deferremus in caeteris; in hoc tamen haud licuit reluctantem conciliare genium. Quid enim? An in lapide coniuratum mortalibus eſt conſecrare memorias rerum, alia omni praeter hanc vnam profana materie? Namque aereis laminis conſignaſſe monumenta veteres, vetuſtas omnis fatetur. Liuius III. ab Vrbe cond. *Leges*, inquit, *in aes inciſas in publico propoſuerunt*. Et I. Bell. Pun. *Et tria ſigna cum titulo laminae aeneae inſcripto: Manitium pro militibus, qui Caſilini in praeſidio fuerint, votum vouiſſe*. Sueton. in Caeſ. *Ac mox lege in aes inciſa*. Idem in T. Fl. Veſpaſ. *Aerearumque tabularum tria millia, quae ſimul conflagrauerant* (in Capitolio) *reſtituenda ſuſcepit*. Id. lib. II. *De tribus voluminibus, vno mandata de funere ſuo complexus eſt, altero indicem rerum à ſe geſtarum, quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante Mauſoleum ſtatuerentur*. Plin. lib. VIII. Epiſt. VI. *Senatuſque conſulta de ijs rebus facta in aes inciderentur*. Obſeruat in Suetonij Neronem Claud. Caeſ. M. Antonius Sabellicus ad illa verba [*Tabularum aerearum*] Inquiens *Tributorum acta, & alia publica monumenta tabulis id materiae contineri ſolita*. Et Plutarchi teſtimonio, *Cicero cum magna hominum manu in Capitolium profectus Tabulas à Clodio fixas, in quibus res geſtae Tribunatus ſui ſcriptae erant, vi refixit, atque perfregit*. Qui etiam orat. pro Corn. Balbo dixerat: *Quod quidem nuper in columna aenea meminimus poſt roſtra inciſum, & perſcriptum fuiſſe*. Nihil autem ſacrorum Voluminum teſtimonio luculentius. Lib. I. Machab. cap. VIII. de Romanorum reſponſo ad legatum Iudaeorum Eupolemum: *Et placuit ſermo in conſpectu eorum: & hoc reſcriptum eſt, quod reſcripſerunt in tabulis aereis, & miſerunt in Hieruſalem, vt eſſet apud eos ibi memoriale pacis, & ſocietatis*. Et Cap. XIV. de Romanis ipſis ad Simonem ſucceſſorem Ionatae Ducis Iudaeorum defuncti: *Scripſerunt ad eum in tabulis aereis, vt renouarent amicitias, & ſocietatem*. (Et paulò poſt) *Et ſtatuerunt ei libertatem, & deſcripſerunt in tabulis aereis, & poſuerunt in titulis in monte Sion*. Hinc ille Ciceronianus lepor in Catil. *Aera legum in Capitolio fuiſſe tacta de Caelo, & liquefacta*. Nimirum (ait Plato in libello de legib.) *Leges aereae nominatae ſunt à tabulis aereis, quibus erant inſculptae*. Succedit teſtimonijs fides oculorum, in aere Numiſmatum antiquorum, eoquè ſiue communi, ſiue Corynthio, in queis cuſae literae lucem reparant caliginoſae vetuſtatis. Quare vt carminum quoquè ſuorum ſempiternam fore laudem ſignificaret Q. Horatius Flaccus, vèl ipſo diuturniorem aere auguratur, quod materiam omnem firmitate ſuperat, ita canens Oda XXX. lib. III.

Exegi monumentum aere perennius,
Regaliquè ſitu Pyramidum altius,
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Poſſit diruere, aut innumerabilis
Annorum ſeries, & fuga temporum.

Argento quoquè non modò Numiſmatum ex omni antiquitate innumerabilium id ipſum proditur: quorum vnum à nobis conſpectum exhibet Aram, Deae Fortunae Réduci dicatam pro felici reditu Octauiani Auguſti in Vrbem anno DCCXXXV. cuius inſcriptio

FORT. RED
CAES. AVG
S. P. Q. R

nobile id quidem aurei ſeculi in argento veſtigium: Sed & alijs in operibus adhuc extantibus. Cuiuſmodi Argentea Vrna, quae hodie Romae

 viſitur

viſitur (conditorium olim cinerum Aemilij Pauli Papiniani) hoc modo inſcripta, vt legere eſt apud Gruterum inter monum. Magiſtratuum maiorum, minorumque; pagina CCCXLVIII. numero 8.

AEMILIO. PAVLO. PAPINIANO
PRAE. PRAET. IVR. CONS
QVI. VIX. ANN. XXXVI. M. IIII. D. X
HOSTILIVS. PAPINIANVS
EVGENIA. GRACILIS ★
TVRBATO. ORDINE. IN. SENIO
HEV. PARENTES. INFELICISS
FILIO. OPTIMO. P. M
FECERVNT

* *Praefecto Praetorio Iuris conſulto*

* lege *Gracilij*, & ſubintellige *Vxor*

* Grut. huius inſcript. clauſulam vt credi poteſt, viciat, ſi cũ exemplo componatur, quod habet Auctor in Inſcript. Sacroſ. vetuſtatis. Vide inf. de Venuſt. Elogij Cap. III. Membr. XIX. de Excl.

Dion quoquè lib. XLIV. teſtis eſt, honores ab Senatu Caeſari Dictatori decretos, aureis inſcriptos literis in columnis argenteis, ſub Iouis Capitolini pedibus collocatos fuiſſe.

Nec auro negauit Epigraphas luxuries tẽporum. Mitto Ceruam illã in torque aureo praeſcripto *NOLI. ME. TANGERE. QVIA CAESARIS. SVM*. Certè refert Pauſanias Eliacor. lib. priore; Dicatam in Iouis Templo Phyalam auream, infra Victoriae ſignum, in qua Meduſa Gorgon caelata, inſcriptam Graeco tetraſticho

Ναὸς μὲν φιάλαν χρυσέαν ἔχει, ἐκ δὲ Τανάγρας
Τῆς Λακεδαιμονίοις συμμαχί δος γε τεθὲν.
Δῶρον ἀπ' Ἀργέιων, καὶ Ἀθηναίων, καὶ Ἰώνων
Τὰν δεκάταν νίκας ἕνεκα τῷ πολέμῳ.

Latinè ſi reddito

Ex auro phialam capta poſuere Tanagra
Iuuerat haec bello quod Lacedaemonios
Cecropidae, Argiuique Duces, & Ionica proles
Victores partis de ſpolijs decimam.

Et Zonaras, *Imperator* inquit *triumphali habitu ornatus, armillis ſumptis, laurea redimitus, & ramum dextra tenens, populum conuocabat, & militibus publicè, quibuſdam etiam ſeorſim laudatis pecuniam donabat, & ornamenta, armillas, haſtas ſine ferro,* καὶ ϛεφάνου τοῖς μὲν χρυσοῦς, τοῖς δ' ἀργυροῦς ἐδίδε, *& coronas alijs aureas, alijs argenteas donabat* τ' ὄνοματ' ἑκάςε, κὶ τῆς ἀριςείας φέροντας τὸ ἐκτύπωμα *expreſſo in ijs nomine & facinore viri.* Romae etiam Statua Equeſtris ex auro poſita fuit ante Roſtra Lucio Corn. Syllae cum hac inſcriptione

L. CORNELIO. SYLLAE
IMPERATORI
FORTVNATO

Hinc laſciuire fabula in Dial. Marinorum apud Lucianum: *ERIS, clam caeteris, qui ad conuiuiũ aderant in Theſſalia, proiecit in Conuiuium pomum quoddam admodum pulchrum, atque aureum totum; inſcriptum autem his verbis:* ἡ καλὴ λαβέτω, *formoſa accipiat: quod & ad tres Deas ex compoſito iactum peruenit.* Seriò autem perorant cauſam Numiſmata aurea, Romanarum rerum ſpecioſa monumenta, quibus hodie regali magnificentia gazas ſuas cumulauit Sereniſſimus Ferdinandus II. M. D. Etr. qui tamen nihil magis oſtentat, quàm Diadema aureum gemmis vnionibuſque ſuperbum à Pio V. Pont. Max. maioribus ſuis dono datum, inciſumque his literis

PIVS. V. PONT. MAX. OB. EXIMIAM. DILECTIONEM. AC
CATHOLICAE. RELIGIONIS. ZELVM. PRAECIPVVMQ.
IVSTITIAE. STVDIVM. DONAVIT

In Ebore praeterea luſum eſſe probat Pauſanias Eliacor. II. In Iunonis Templo recenſens inter donaria Cornu Amaltheae ex Ebore, Miltiadae Cimonis filij datum; quo in Cornu ita legebatur

Ζηνὶ μ' ἄγαλμ' ἀνέθηκαν ὀλυμπίῳ ἐκ Χερρονήσε
Τεῖχος ἕλοντες Ἀράτε ἐπῆρχε δὲ Μιλτιάδης σφίν.

Me Ioui Olympiaco poſuit donum Cheroneſus
Miltiadis ductu cùm moenia cepit Arati.

Tacemus viliores materias huic pariter deſtinatas vſui, Plumbum, Chartam, Linteum, Papyrum, Ceram, Arborum folia, earum libros, ſeu Cortices, quae quidem (vt ſyluam declinem Auctorum ad fidem ſingulis faciendam) vniuerſa comprehendit Polydorus Vergilius lib. II. cap. VIII. *Ante vſum,* aiens, *chartarum, quo maximè humanitas vitae conſtat & memoria, palmarum folijs, teſte Plinio in XIII. hiſt. natur.*

primò

primò ſcriptitatum eſt. Vergil. in VI.

------ folijs tantùm ne nomina manda.

deinde quarumdam arborum libris, poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, inde & priuata linteis conficere coeperunt: deinde ceris. Nam pugillarium vſum ante Troiana tempora fuiſſe teſtatur Homerus: Papyrum autem poſt Alexandri Magni victoriam, condita in Aegypto Alexandria, Marcus Varro Auctor eſt, ante chartarum vſum ab eo Rege inuentam eſſe, quae fiebat ex frutice, qui naſcitur in paludibus Aegypti. Haec Polydorus. Ita de libris arborum interpretandus videtur Beroſus lib. III. Antiquit. vbi de Noa ſic loquitur: *Et ob id ſolùm haec duo Regna, Armenum quidem, quia ibi coepit; Italicum verò, quia ibi finiuit, & docuit, & regnauit, Naturaliumque atque Diuinorum, quae eos erudiuit, libros pleniſſimè illis conſcriptos reliquit, illum venerantur &c.*

Ferreas in aere notas prodit in Octauio Suetonius, *Thurinum*, inquiens, *cognominatum ſatis certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam eius aeream veterem, ferreis ac penè iam exoleſcentibus literis, hoc nomine inſcriptam, quae dono à me Principi data inter cubiculares colitur.* Arma quoque militaria inſcripta liquet ex Clypeis votiuis, quos moris erat ad Aras Deorum ſuſpendi; cuiuſmodi ille Agamemnonius in Iouis Templo dicatus, inſcriptionem hanc continens:

Οὗτος μὲν φόβος ἐστι βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων

Hic pauor eſt hominum, manibus gerit hunc Agamemnon.

Niſi quis contendat, non ferreos illos, ſed ligneos, aut ſcorteos fuiſſe, quod nos vltrò admiſerimus; quippe ſecundùm cauſam noſtram. Vt vt fuerint, facit in rem Numiſma Octauio Auguſto cuſum, à tergo offerens Clypeum deſcriptum S. P. Q. R. CL. V. ideſt *Senatus Populuſque Romanus, Clypeus votiuus.* Verùm de Numiſmatum inſcriptionibus plura huius Diſſertationis Parte altera. In Clypeis quoquè praeferri à priſcis vſque temporibus expicta illa ſymbola (quae vulgo *Impreſe* Italis) epigrapham poſcentia: de quibus nos eadem in parte: Item Inſignia gentilitia (vulgus *Arme della famiglia* vocat) quae etſi marmore quoque, aliauè materie referantur, Clypei tamen formam conſtanter ſeruant. Sed nec marmore referri tùm poſſunt, cùm picturae exigunt miniſterium, vt ſaepe fit, quò figurarum corpora dignoſcantur: ligneae itaque tabulae campum amant.

In Arbore quoque fuiſſe inſcriptum, cùm illud Ouidianum ſatis indicat Epiſt. V.

----- fagi inciſae mea nomina ſeruant.

tùm mos antiquus erigendi (Bulengero obſeruatore) trophaea ex lapide, marmore, arboris trunco, aere. Ergo cum trunco arboris, in eodem incidi literas neceſſum erat; vt gloriae victoris foret index: Praeterquam cùm Trophaeum in buſtum deſciſcebat, ſcilicet non tam in gloriam victoris, quàm cultum Deorum. Nam Ioui Victori interdum arma cremata Auctor eſt Liuius lib. X. idemque lib. XXIII., Marcellum ſpolia hoſtium Vulcano cremaſſe. Et lib. XXX. arma omnia Scipionem Vulcano incendiſſe. Et lib. XLV. *omnis generis arma* (Paulus Perſeo victo) *cumulata in ingentem aceruum, precatus Martem, Mineruam, Lunamque Matrem, & caeteros Deos, quibus ſpolia dicare ius faſque eſt.*

Sectis ex arbore tabulis factitatam inſcriptionem multa probant. In primis teſtimonium Diui Hieronymi ep. ad Niciam: *Ante chartae & membranarum vſum in dedolatis è ligno codicillis, aut in corticibus arborum fuiſſe ſcriptum, vnde portitores codicillorum Tabellarios, & ſcriptores à libris arborum librarios vocitauere.* Deinde Arca illa cedrina (ex lib. I. Eliacor. Pauſan.) in Iunonis Templo donarium, in eaque Inſcriptiones variae Graecè, quibus imagines hominum ibidem inter emblemata varia ludentes animantur, ad quas lectorem curioſum reijcimus. Certe Equus Troianus (ſiue hiſtoria ſit, ſeu congruens veritati fabula) è ſecta abiete, aut robore, aut pino, tribuſuè ſimul, moles coloſſica, ſimulato à Graecis voto ob reditum in patriam, his literis fertur inſcriptus

ACHIVI
ILIADI. MINERVAE
DONO

Huc pertinet Horatianum illud in Arte Poët. de primis congreſſibus, & inſtitutis vitae ciuilis

--------- leges incidere ligno. Nec niſi in ligno probabile eſt fuiſſe titulum Caeſaris triumphalem, de quo Suetonius in Caeſ. cap. XXXVII. *Pontico ait triumpho inter pompae fercula trium verborum praetulit titulum* VENI. VIDI. VICI.

de quo nos paulò inferius.

In teſtis ſignari monumenta nemo refragabitur, tam multis extantibus Vrnis, Vrnarumque fragmentis, teſtaceis, quae cineres cadauerum à rogo ſeruandas antiquitùs excipiebant, vt hercle Mons ipſe teſtaceus Romae, ſi iuxtim acervuentur, deſediſſe videri poſſit. Non hoc ego, quaſi vbique omnino inſcribi ſolitum fuiſſe contendam, ſed quòd congruè poſſe; ſicut ex innumeris probat Vrna Venetijs, relata a Grutero pag. DCCCXCI. num. 4. Cuius haec eſt iuſta Inſcriptio

D . M
TITIAE . TER
TYLLINAE
FETVLENA
DORCAS
A M I C AE
B. M. F

Teſtaceum praeterea monumentum ſepulchri refert idem pag. DCCCLXXIII. num. 5. Narbone viſum. videlicet

Θ
HERENI
Θ
ASSELIAE
P. Q. X

His attexo argumentum ex Amphoris & Cadis, deſignatis nominibus Conſulum ad tempus, aetatemque Vini indicandam iam inde ab ipſius conditione inchoatam. Quod probat Horatius lib. III. Ode XXI.

O nata mecum Conſule Manlio *Teſta* &c.

Hinc cum L. Opimio Conſule bonitatem vini praecipuam commendet Plinius lib. XIV. cap. IV., rectè Cicero Opimianam, vt & Anitianam vini notam optimam appellat ex illorum hominum Conſulatu, factumque inde, vt Conſulare vinum pro vetuſtiſſimo & optimo fuerit vſurpatum, vti notat Adrianus Turnebus lib. XXV. aduerſ. Cap. XXIV. ex illo Martialis loco

Potaui modo Conſulare vinum.
Quaeris quàm vetus atque liberale?

Sed & notis ac titulis ſignaſſe priſcos amphoras, atque fictilia, quibus vina condebant, indicat Iuuenalis Sat. V.

------ cuius patriam titulumque enectus
Deleuit multa veteris fuligine teſtae.

Texta quoque inſigniri literis, praeter Polydori Vergilij ſuprà citatum teſtimonium de Linteis, probat vſus militarium vexillorum apud multos. Item ex Pauſaniae lib. II. Eliacor. Peplum à Laodice filia Agapenoris miſſum ad vrbem Tegeati, donum Aleae Mineruae, ita inſcriptum

Λαοδίκης, ὁ δὲ πέπλος ἑᾷ δ' ἀνέθηκεν Ἀθηνᾷ
Πατρίδ' ἐς εὐρύχορον Κύπρου ἀπὸ ζαθέας. ideſt
Laodices Peplū hoc ſacrū vt foret illa Mineruae
E Cypro celebrem tranſtulit in patriam.

In Membranis perſcribendi mos & eſt noſtratium, & fuit veterum, obſeruatus à Polydoro Verg. lib. II. cap. VIII. vbi habet: *Hebraei primi rerum geſtarum monimenta condiderunt: membranis autem vſos fuiſſe, teſtis eſt Ioſephus XII. Antiqu.* Cur, inquam ipſe, non & inſcribendum dicemus, vbi perſcribitur? Nam titulis vtique paratur docilitas Lectoris, non in prolixis tantùm, ſed breuibus etiam ſcripturis, ſolutis & metricis.

Suſcepit hic Cenſor ſubiratus, refractarium appellans, peneque lapſurus in conuitia: Et generoſis, inquit, capitibus altior, quàm tua tibi fingat, mens eſt: Fragili materia haud exſaturari ambitionem mortalium, qui laudes ſuas literis idcirco credunt, aeternae vt fiant. Artem igitur, qua id aſſequantur, quam niſi lapidaria fore dicendam? Scilicet quae robuſtius aliquantò, & grandius pollicetur aeuum in lapide, quàm in tuis iſtis teſta, aſſere, corio, quàmque magis multò in lino, membrana, cera? Nos ad haec prompti, nihilominus imperturbati ſanè, dicimus, cur exadagio *Scribit in marmore laeſus* (vt in praeſens liceret nobis aſperiùs, & inhumaniùs habitis, quàm fuit ab homine Academico, hoc eſt elegante ac vrbano) niſi vt iniuriae memoriam immortalem eſſe iubeat? Marmorariae tu igitur aptiùs, quàm lapidariae vocem probaueris: Et quod in alicuius Viri ſempiternam memoriam ponitur inſcriptum marmor, tu Marmoratam laudem iuſtiùs dices, quàm quae olim decernebantur in Heroum honorem, marmoreae ſtatuae. Faueret autem Tullianus locus inſignis Orat. pro Archia (ex lectione probata Auctori Theſauri lat. ling.) *Itaque etiam in ſepulchro Scipionum putatur is* (Ennius) *eſſe conſtitutus, & marmoratis laudibus certè non ſolum ipſi, qui laudantur, ſed etiam Populi Romani nomen ornatur.* PHILOMATHVS, parens ille

Maximus literariae primùm, tùm Chriſtianae Reip. ſeculo noſtro adoratus, ſtare à nobis videtur in ſuis Iuuenilibus Muſis inſcribens ſepulchrum Innominati ad ſolam Lectoris monitionem (habetur num. LXXIX.) videlicet

Hoſpes, te paſſim vocalia SAXA morantur:
Adſta, ſiſte gradum, paucula verba lege.
Non te ego ſic moror: hinc propera, nec inania quaeras:
Non eſt ſcire tuum, Quis, Quid, Vbi fuerim.
Tecum habita, Caelum penetra, ſat noſſe ſepulchrum:
Hinc fuge, mors inſtat: dum legis, illa venit.

Quod autem è Saxo frequentiſſimum aſtruit, quandoque concedit è Marmore. Ita num. XXV., vbi ſepulchralem Vrnam pro fonte in atrijs Romanorum Epigraphe hac animat lepidiſſima:

MARMOR quod quondam cineres, atque oſſa tegebat,
Nunc fons irriguo murmure fundit aquas.
Nempe breuis queritur trepidantia tempora vitae,
Et quae ſeruauit funera, fonte gemit.

Certè duritiem marmori potiùs, quàm lapidi tribuit Elog. de Diuo Antonio Ioannes Andreas Albertus è Soc. Ieſu, Elogiaſtarum Princeps, num. XXIII. *Paſſim tota cernebantur Aegypto ſuſpenſae Coenobijs Statuae, Non è cera, vel auro: Pallor macies & dura in malis Virtus, Suaſiſſet è marmore.* Et eius conterraneus, ac ſocius Ordine, & Principatu, Aloyſius Iuglaris, Inſcriptione Arcis Momilianenſis: *Aeternat* ait *hoc Marmor Fidem illibatam, Fortitudinem illaeſam Iafredi Bentij à Santena Pedemontani* &c. Hùc facit Andreas Marianus Elogiaſtes perelegans in Ruinis Romae, vbi de Barbaris vaſtatoribus ſic habet: *Auſi quidem immane nefas: duritiem marmorum tam peruicaci ferro tentarunt, vt* &c. Hinc I. Lipſius citans monumenta veterum literata, nunc Lapidem, nunc Marmor inciſum nominat, vt tanti Viri iudicio intelligatur, aut vtrique danda eſſe, aut neutri deneganda praerogatiua huiuſce appellationis.

Sed à Marmore, vt à nobiliore materia reperio vocitatum Artis magiſtrum apud Ianum Gruterum pag. *XXV.* num. 12.

HERMEROS
TI. CLAVDII. CAESARIS. AVG
GERMANICI. SER
THEAMIDIANVS. AB. MARMORIB
MAGISTER
FERONIAE. ARAS. QVINQVE
D. S. D. D

Hunc autem quis neget artis ſimul lapidariae, ſeu caedendi lapides peritum fuiſſe, cùm eiuſdem ſit artis diuerſa materia? à marmore tamen vt à nobiliore delegit nomen. Quod certè ad minimum probat Inſcriptio illa tametſi recens, magnifica tamen, & notae veteris, expoſita Mediolani biennio ante ſeculum praeſens: Videlicet

SERENISS. MARGARITAE
AVSTRIAE
Hiſpaniarum Maximae Reginae
Vt celeberrimus in Italiam
Eſſet aduentus
Cum omnibus nobilium effuſis ordinibus
Proceſſit obuius
Ioannes Fernandeus Velaſchius
Caſtellae Comeſtabilis
Quo abſente
Innicus eius filius Comes Haro
Prouinciam Mediol. gubernans
Veram & ſolidam Patris ſui gloriam
Factis ſimilibus propagando
Coeptum Theatrum abſoluit
Literiſque in Marmore inciſis
Virtutis ſempiternis teſtibus
Memoriam conſignauit
Vt immortalem redderet
Anno MDXCVIII.

Quamquam aduersùs temporis iniurias adhuc obſtinatius marmore probatur Aes, habetque argumentum non leue ab vſu Romanorum, quibus cùm eſſet marmorum ac lapidum omne genus copia, quò tamen facerent diuturniores publicas conſtitutiones & leges, foedera cum exteris nationibus percuſſa, acta tributorum & eiuſmodi multa, praeter priuatas cuiuſque ciuis res geſtas, aereis in tabulis malebant opus abſoluere, quemadmodum Scriptores omnes priſci teſtantur, & ipſorum Interpretes. Ex Aere pariter conflari mos erat priſcis Deorum ſimulacra, Sacrorum ſupellectilia. Vide, cùm de Numiſmatis inſignia Sacerdotij. Pauſanias

 Eliacor.

Eliacor. I. refert Tripodem aeneum in Herculis Templo dedicatum Thebis, cuius erat haec Inſcriptio. Ἐχέμβροτος Ἀρκὰς ἔθηκε Ἡρακλεῖ νικήσας τόδ' ἄγαλμ' Ἀμφικτυόνων ἐν ἄθλοις, Ἕλλησι δ' ἀείδων μέλεα, καὶ ἐλέγους. i. e. *Echembrotus Arcas dedicauit hoc ſimulacrum Herculi, cùm praemium ludis Amphyctyonum meruiſſet, decantatis inter Graecos modulis & Elegis.* Sed & ipſas Templorum fores, & trabes, & alia aerea antiquitùs fuiſſe innuit Maro Aeneid. I.

Hîc templum Iunoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & Numine Diuae,
Aerea cui gradibus ſurgebant limina, nexaeque
Aere trabes, foribus cardo ſtridebat ahenis.

Certè in Pantheo Romano aereae trabes memoria noſtra porticum fulcientes, ſuffectis in earum locum pineis ad ſanctiorem alium, ſpecioſioremque vſum conflatae, hoc ipſum confirmant. Scilicet id metalli habebatur maximè congruum Religioni, fortaſſe, quia aeuo incorruptum, referebat Diuinitatis ſymbolum. Hinc Pierius in Aere perpetuitatem interpretatur, propterea quòd rubigine non abſumitur: *ideoque* (ſubdit ille) *Vegetius probat aereos clauos configendis nauibus, quos ferreis anteponit, quòd eos tempore, & humore celeriter rubigo conſumat: illos etiam in fluctibus permanere incolumes manifeſtum ſit.* Denique aeterna, vt in mundanis, reddi ex Aere monumenta, conuinco ex iudicio Graeciae vniuerſae contra Thebanos, de quo Polydorus Verg. lib. II. cap. XVI. haec habet obſeruatu digniſſima: *Fuit item teſte Cicerone libro poſteriore de Inuentione, vſus Graecis, cum inter ſe bellum geſſiſſent, vt hi, qui viciſſent, trophaeum aliquod in finibus ſtatuerent, Victoriae modò in praeſentia declarandae cauſa, non vt in perpetuum belli memoria maneret. Quare cùm Thebani aliquando Lacaedemonios bello ſuperauiſſent, & aeneum trophaeum poſuiſſent, apud commune Graeciae concilium accuſati ſunt, quòd contra quàm ritus eſſet, aeternum inimicitiarum monumentum ſtatuiſſent: ſed conſuetudo vetus fuit, vt eo loci, vbi hoſtes deuicti fuiſſent, arborum ramos inciderent, & in truncis ſuſpenderent ſpolia hoſtibus detracta, aut in montibus idem facerent* &c. Perennitati igitur ſi ſtudent mortales (vt hic obijcitur) quoties publicè inſcribunt literas, quidni Aeri tantummodo inſcribant, cuius perennitas vſque eò inuicta eſt, vt hyperbolicas loquutus intelligatur Lyricus ſuprà citatus, ſcripta vocans ſua *Monimentum Aere perennius*?

Audio Cenſoris confugium: Aere eſſe parabiliorem lapidem: inopiaque aliàs cenſus, aliàs Artificis fieri vſum lapidis frequentiorem, ipſa conuincit experientia. Ita à conſuetudine magis accepta tanquam à potiore forma denominari ſcitè Lapidariam. Sanè ego parabilem ita concedo lapidem, vt illi hoc ipſo praetulerim Marmor, de quo vt vilis pretij materie, ad memoriam tamen ſeruandam nata, interpretor Epitaphium illud ſuperioris ſeculi, Neapoli poſitum in D. Mariae vulgo Annunciatae, videlicet

ANTONIVS AMABILIS
Protonotarius Apoſtol. Canonicus Neapolitan.
De ſuo nihil aliud, quàm tantulum marmoris
Sibi reliquit Anno MDLII.

Lapidi praetulerim etiam Saxum, & quod ingenio indomitum magis ad aeui iniurias, & quod molis granditate ad operum magnificentiam accommodatius, qualem columnam illam extitiſſe, ſuadet ratio, in Vrbe Alchayri (fides petatur ab hiſtoricis) perquàm eximiae proceritatis, Niloſcopium appellatam, in qua quantum excreſceret quotannis Nilus, exculptis literis ad ſumma cuiuſque eluuionis veſtigia inſcribebatur, addebaturque monumentum poſteritati, quae pro incrementis ſingulis ſubſecuta annonae copia eſſet, aut inopia. Neque verò mentionem Saxi deſideramus apud probatos ſcriptores: Quos inter, Ab vſu Inſcriptionum commendat Plinius in Panegyr. *Quod ego* (aiens) *titulis omnibus ſpecioſius reor, quando non trabibus aut SAXIS nomen tuum, ſed monumentis aeternae laudis inciditur.* Ouidius quoque II. Metamorph.

Corpora dant tumulo, ſignant quoque carmine SAXVM.

A vetuſtate etiam Virgilius III. Aeneid.

Templa Dei SAXO venerabar ſtructa vetuſto.

A religione, quam conciliat vetuſtas, affectat memoria rerum humanarum, Lucanus lib. I.

-------- *Tumuli SAXVM venerabile.*

Firmabit dictum noſtrum Aldus Manutius de Primopilo ad Hannibalem Cruceium, citans memoriam vetuſtam Senogalliae ab ſe lectam, Videlicet:

P. P. . . . . A. PRIMOPILO . SPECTATAE . VIRTVTIS
EQVESTRIS. ORDINIS V
PATRIBVS . ET . PLEBI . GRATO
OB . GRATAM ADOLESCENTIS INDOLEM
BENE . MERITAM SAXVM DEDIT

Haec autem etſi vera, aliunde tamen appellatio huiuſce artis petenda. Non enim Inſcriptio quaeque perennitati excogitatur, nec ſemper humanae ambitionis meta vltra temporis metam. Nam quorſum veteres Trophaea (quae ſcilicet definit Tullius in Piſon. *Monumenta, atque inſignia bellicae laudis ac victoriae*) cùm poſſent in ſtylobata firmiore, inſtituerunt ea tamen non niſi in truncis arborum ſiue Oleaginis, vt tradit Cael. Rodiginus lib. XII. cap. XIX., ſiue Quernis, vt Plutarchus de Romulo : ſiue Pineis, vt nos paulò infrà innuimus ex Arioſto, erigere, deciſis ramis, ſuſpenſiſque ſpolijs atque armis hoſti detractis? In ijs vtique deſcribebant ſtipitibus memoriam rei geſtae duraturam, quantum vel Caeli iniuriae, vel inuidorum hominum libido donaret. Tale illud fuit à Plutarcho deſcriptum de Romulo, qui ſcilicet victor opima ſpolia depoſuit ad Quercum in trophaei formam adornatam. Erat porrò trophaei forma (vt ſignificare videtur Rufinus in Symbolo Apoſtol.) ſimillima Cruci, quae quidem nobis à Chriſto Domino ſeruatis victoriae inſigne eſt, ac trophaeum. Hinc tradit in Suetonij C. Iulium Caeſ. Philippus Beroaldus, Trophaea appellari ſpolia hoſtium fugatorum in ſtipitibus fixa: Et ibid. in illud Suet. (*trophaeum cum veſte*) *lignum ait fabrefactum in formam trophaei ſuſtinens veſtem, qualia trophaea Deorum fixa de Gigantibus à Claudiano poëticè deſcribuntur*. Iiſdem inſtitere veſtigijs Virgilius Aeneid. II.

Ingentem quercum deciſis vndique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma
Mezenti Ducis exuuias tibi magne trophaeum
Bellipotens aptat, rorantes ſanguine criſtas
Telaque trunca viri.

Arioſt. *Nel Furioſo, Canto XXIV. ottaua LVII.*

Quiui Zerbin tutte raguna l'arme,
E ne fa come vn bel trofeo s' vn Pino,
E volendo vietar, che non ſe n'arme
Caualier paeſan, ne peregrino,
Scriue nel verde ceppo in breue carme
ARMATVRA d'Orlando Paladino.
Come voleſſe dir: Neſſun la moua,
Che ſtar non poſſa con Orlando à proua.

Denique Sigiſmundus Boldonius germanus meus in Poëmate recèns publicato (eſt Opus poſthumum, atque adeo abortiuum) cui titulus *La Caduta de Longobardi*, *Canto XVIII. ottaua X.* ſic habet:

Mà de l'honor de le fronzute chiome
Fà le quercie ſpogliare il Rè Franzeſe,
V' appende l'armi vinte in guerra, e dome
Al nome Longobardo eterne offeſe,
Aggiunge de gli eſtinti ancora il nome
A memoria de l'opre, e de l'impreſe,
CARLO al DIO de gli Eſſerciti, poi ſcriue;
Alza le Longobarde armi captiue.

Truncos autem non ſemper humi fixos, ſed mobiles eos & geſtatorios inſeruire ſolitos pro trophaeis, teſtatur illud Virgilianum Aen. XI. vbi de Pallantis pompa funebri canitur

Indutoſque iubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre Duces, inimicaque nomina figi.

En hic inſcripta nomina hoſtium, quos Pallas ceciderat, quae quidem *non* tam trophaea, quàm geſtamina triumphalia, & ipſa lignea dici debent.

Si verò etiam trophaeum pro armorum hoſtilium aceruo vſurpemus, vt obſeruat Bulengerus ex Silio lib. X.

At tibi, Bellipotens, ſacrum conſtructus aceruo
Ingenti mons armorum ſurgebat ad aſtra.

cui titulus, inquit, *addebatur, & nomen eius, cuius eſſent auſpicia, licet abſentis: Quale à Corn. Tacito lib. Annal. II. deſcribitur: Miles in loco praelij Tiberium Imperatorem ſalutauit, ſtruxitque aggerem, & in modum trophaeorum* (i. e. ſpoliorum) *arma ſubſcriptis victarum gentium nominibus impoſuit*. Ibidem: *Laudatis pro concione victoribus Caeſar congeriem armorum ſtruxit ſuperbo cum titulo: DEBELLATIS . INTER RHENVM . ALBIMQ. NATIONIBVS EXERCITVM . TIBERII . CAESARIS EA . MONIMENTA . MARTI . ET IOVI . ET . AVGVSTO . SACRAVISSE.* Quis cedo huius generis trophaea non ſuopte ingenio fluxa intelliget, atque de facili interitura? Nec enim ſi ſubſequutorum temporum libido contra omnes iniurias munire, ac obdu-

rare ſtuduit, initio tamen temporalia excogitata eſſe denegabimus. Nam vt Bulengerus in Suetonij C. Iulium obſeruat, *Marij trophaea Sylla deiecit, ſed deijcere iure non potuit, cùm ſemel dicata moueri nefas eſſet: neque Caeſar reſtituere: nam ne vetuſtate quidem conſumpta reſtituebantur.* Affertque Plutarchi teſtimonium in Quaeſtionibus Romanis Cap. XXXVII. Graecè, ὅτι τῷ χρόνῳ τὰ σημεῖα τῆς πρὸς τοὺς πολεμίους διαφορᾶς ἀμαυρούμενα, αὐτοὺς ἀναλαμβάνειν, καὶ καινοποιεῖν ἐπίφθονον ἐστὶν καὶ φιλαπεχθῆμον. οὐδὲ γὰρ παρ᾽ ἕλλησιν οἱ πρῶτοι χαλκοῦν στήσαντες τρόπαιον εὐδοκιμοῦσι. id eſt: *Quòd cum tempus ſigna contentionum cum hoſtibus habitarum obſcuret, odioſum eſt, & nimij diſcordiarum ſtudij ea reficere, atque innouare. Nam apud Graecos etiam parum laudis adepti ſunt, qui primi lapidea, aut aerea trophaea ſtatuerunt.* Id ipſum ex Dione colligere eſt lib. XLII. vbi de Pharnace iam deuicto ſic habet: *Quumquè trophaeum eo in loco Mithridates de Triario ſtatuiſſet, quia id conſecratum belli Deis euertere fas non erat, ipſe* (Caeſar) *de Pharnace ſuum oppoſuit, atque ita Mithridaticum obſcurauit, quodamque modo deiecit.*

Habemus iam, & quidem in Trophaeo, quo nihil adorat religioſius ambitioſa mortalitas, incurioſam negligentemque diuturnitatis Inſcriptionem. Luculentius quoque è Triumpho argumentum quis hauriat. Deferebantur hic ſigna aerea & marmorea direptis hoſtium regionibus ablata. Quintij prae alijs triumphum proponens Liuius lib. XXXIV. *Triduum* inquit *triumphauit. Die primo arma, tela, ſignaque aerea & marmorea tranſtulit* &c. Haec, inquam ego, qualia ſublata erant, ferebantur, aeſtimato non molis momento, ſed ſpolij. At verò titulum de ſuo vtique ipſe fecerat, qui vtrum in lignea tabula, an marmorea, aeneauè legeretur, nihil intererat. Ita ſigna illa ad diuturnitatem perfecta, è ſolida materie forent, oportuit, marmorea igitur, & aenea. Titulus verò ſoli triumpho deſtinatus, qualibet fragili, ac leuidenſi contentus fuit. Talem coniectare poſſumus titulum, qui (vt obſeruat Bulengerus) interdum captiuis, vti dignoſcerentur, adſcribebatur: & qui (vt Vopiſcus in Aureliano) mulieres de Amazonum genere indicabat: item (vt ex Suet. ſup. meminimus) qui à Caeſare inter fercula pompae praelatus eſt Trium verborum, *Veni, Vidi, Vici*: quos ſanè titulos vti breuiſſimo illi tantummodò tempori triumphandi fabricatos, marmorea aut aenea in tabula fuiſſe, non niſi ineptè quis dixerit. In lignea igitur, aut linea probabilius. Sic erit obuium interpretari illud Zonarae: οὗτο δὲ σταλέντες εἰσῄεσαν ἐς τὴν πόλιν ἔχοντες προπέμποντα σφῶν τὰ σκῦλά τε, καὶ τὰ τρόπαια, καὶ ἐν εἰκόσι τά τε αἰχμάλωτα φρούρια, ἠσκημένα, πόλεις τε, καὶ ὄρη, καὶ ποταμοὺς, λίμνας θαλάσσας, τά τε σύμπαντα ὅσα ἑαλώκεσαν. i. e. *amicti ornamentis triumphalibus inibant vrbem, ſpolijs & trophaeis antecedentibus, in quibus expreſſa erant caſtella expugnata, vrbes, montes, fluuij, paludes, maria, & omnia quae ceperant.* Atque haec geſtamina, quò foret vſus commodior, titulos ſuos, & fercula minùs vtique ponderoſa exigebant. Hùc ſpectant Tumuli honorarij, Graecis Cenotaphia, quòd reliquijs defuncti ſunt vacui; ſeu funera imaginaria, quia loco cadaueris ſtat imago defuncti. In illis enim exponuntur ad tempus epitaphia, perſoluto officio, remouenda. Sed & in veri funeris pompa mos eſt hodie celebrari inſcriptis tabulis laudes defuncti, nulli praeterea vſui futuris ſecundùm funus.

Atque vt Inſcriptionis naturam aliunde quoque temporalē eſſe arguamus, ſuccurrat Othryadae Lacedaemonij trophaeum à Valerio Max., Plutarcho, Herodoto, Strabone, & alijs memoratum. Is è trecentis hinc inde ſelectis militibus, quibus miſſo in compendium bello inter Lacedaemonios, & Athenienſes, ob agrum Thyreatum accenſo, vtriuſque partis fata commiſſa fuerant; ſuperſtes vnus, ac victor, caeſis vtrinque caeteris, nouamque anhelans triumphi gloriam, inter hoſtilia ſeſe cadauera enſe transfodit, tùm è vulnere tinctis digitis ſuo ſignans in ſcuto victoriam perſcripſit ἘΝΙΚΗΣΑ, i. e. *VICI*: vt cum è caſtris exiſſent vtrinque omnes inquiſituri, vtri parti victoria ceſſiſſet, Scutum Othryadae Trophaei loco ſuis poſitum componeret controuerſiam. Quo quidem facto cùm victoris extinctio pariter, & Inſcriptio Clypei vltronea extiterit, non is certè prolixum in tempus intendiſſe dici poteſt, ſed primam dumtaxat inſpectionem diſſidentium partium, quò illi ex condicto adiudicaretur ager controuerſus, cui fuiſſet à certamine miles ſuperſtes. Secundùm haec igitur Elogiaſtes, aut cuiuſcunque Inſcriptionis Auctor quādoque ſibi metam proponit

breuiſſimi

breuiſſimi temporis, quemadmodum in ſuperiore exemplo. Id quod aliter, & ad rem noſtram commodiùs refertur à Stobaeo tit. de Fortuna: *Othryades*, ait, *ſpolijs ex hoſte lectis trophaeum ſtatuit, & ſanguine, qui è vulneribus, pro atramento vſus, inſcripſit*:

LACEDAEMONII. VICTORES. DE. ARGIVIS

Ecquis (ſuſcipiam ipſe) defuiſſe dixerit inclyto victori, ſi libitum eſſet, modum cudendi in marmore, aut in ſtipite certè incidendi? Sed is gloriam cruentae inſcriptionis aeternam fore confiſus eſt, non ſuperſtitibus diutiſſimè notis, ſed indeſinenter per annales itura ad poſteros fama. Quid illud? Nonnè fugitiuam quamuìs, bonam tamen arguit Inſcriptionem, quam in acie trepidus Conſtantinus Magnus Caeſar Caeleſti ſpectro circum fulgidae Crucis vexillum appictam legit integrato mox animo ἘΝ. ΤΟΥΤΩ. ΝΙΚΑ. id eſt *IN. HOC. VINCE*?

Placet è ſeculo labente firmamentum petere noſtri placiti, producto artis Magiſtro conſummatiſſimo, & plurimis id genus publicatis argumentis percelebri Emanuele Theſauro. Eo nos Auctore celebratum vidimus Mediolani ortum Principis Hiſpaniarum, editis ingenio pari ac ſumptu popularibus ludis. Nec pigebit, ex Inſcriptionibus angularibus extructæ molis primā hic totam citare, inde namque prometur exemplum in rem noſtram quàm luculētum. Ea erat.

Hoſpes Quam Spectas Molem
Penſilibus Florentem Flammis
Noua Eſt Aetna
Clarandis Regum Natalibus Nata
Miraris Auſtriae Fortunae Nouos Naſci Montes
Cui Noui Naſcuntur Mundi?
Plus Eſt Optimum Regem Naſci Quàm Montem
Maius Quiddam Mirabere
Nam Suis Ignibus Interitura Naſcitur Aetna
Eadem Sibi Pyra Erit, Et Pyrauſta
Nec Tamen Dolet
Quippe Laetitiae Flammis Immori Non Eſt Mori
Frigida Ipſa Bruma
In Rogali Flamma Regalem Ardorem Sentit
Denique Orbis Vniuerſus
Dulces In Flammas Liqueſceret
Niſi Regnaturo Viuere Iuberetur
Apage Inuide
Hanc Ad Flammam Ni Cales
Adamas Es, Non Adamans.

Haec, vt videmus, Inſcriptio pariter cum Mole Operis nata erat incendio, non ergo diuturnitati; ſecus inſtituto deforet ludorum, quorum causâ fabricata: Tabulae quoque inciſa, non lapideae, quaſi duratura in poſteris, ſed ligneae, vt in oculis praeſentium interitura; neque id caſu praetento, vt vſuuenit aedificijs marmoreis, & ipſis interdum Montibus flammigantibus (quemadmodum memoria noſtra Veſeuo) verùm ex manifeſto Auctoris deſtinato, qui Aetnam ſymbolicam excitaſſe ſe interpretatur, vt incenſa illa exhibeat Infanti Regio obſequium honoris, ac plauſus ſimul & aſtantibus laetitiae ſpectaculum. Ita hunc Montem etiam Pyram vocat, ideſt lignorum ſtruem, & ſuis interituram ignibus. Aduentitium eſt autem, quòd huius mirandae molis memoria cum exemplis pulcherrimarum Inſcriptionum ad aeternam Auctoris celebritatem apud nos ſuperſit.

Tantumque abeſt, vt inſcribatur Tempori, quia quod inſcribitur, ne ſcriptum illud quidem exiſtere poſcat, ſed voce dumtaxat, ac enunciatione contineatur. Vt idcirco externa ſit Elogio Inſcriptio, illudque naturâ vocale, ſimul fluxum cum voce ipſa, quae vt primùm oritur, moritur. Non id inuentum quis putet ingenij noſtri: Suggerit enim hiſtoria Plutarchi de Marcello Δρύος γὰρ ἐκτέμνων πρέμνον ὄρειον, καὶ μέγα τέμιον, καὶ ἀσκήσας ὥσπερ τρόπαιον ἀνεδήσατο, i. e. *Quercus enim opulentae truncum montanum, & magnum abſcindens, & inſtruens, vt trophaeum, ex ipſo ſpolia commodè & aptè religauit. Sic procedente pompa* (ſubdit hic Iulius Caeſar Bulengerus) *trophaeum manu gerens in currum aſcendit, & ſimulacrum trophaeophorum ex ijs, quae ibi erant, pulcherrima per vrbem traducebat* (*intellige ferculum vnum aliquod è pompa triumphali*) *ſequebatur exercitus pulcherrimis armis inſtructus CANENS CARMINA & PAEANAS TRIVMPHALES IN DEVM FERETRIVM & IMPERATOREM. Sic procedens vbi venit in Templum Iouis Feretrij, ſtatuit illud & dicauit* &c. Nemo autem inficietur, carmina illa & Paeanas recitatos vicem geſturos Inſcriptionum, ſi literis, non voci demandari libuiſſet. Sed praeſens triumphus, cui ſeruiebatur, voces magis poſcebat, quàm notas. Quis verò negauiſſet Metio Curtio Sabino trophaeum, cùm effuſas egit Romuli copias toto

quantum

quantum foro (inquit Liuius lib. I.) ſpatium eſt, cui Trophaeo illud ipſum inſcriberet, quod clamitanti ſuggeſſerat impetus Martis victoris: VICIMVS PERFIDOS HOSPITES. IMBELLES HOSTES. IAM SCIVNT LONGE ALIVD ESSE. VIRGINES RAPERE. ALIVD PVGNARE CVM VIRIS. Hac enim quae nobilior alia, aut ſpecioſior Epigraphe? Caeterùm etſi fugax in ſola voce Elogium, verùm id tamen eſt atque perfectum ſuis numeris, nihil vt illi ad abſolutionem ex literis accedat. Similem alio genere habet ſpeciem, quòd de Coena Octauij Auguſti narratur à Suetonio: *Coena quoquè eius*, inquit, *ſecretior in fabulis fuit, quae vulgò* Δωδεκάθεος *vocabatur, in qua Deorum Dearumque habitu diſcubuiſſe conuiuas, & ipſum pro Apolline ornatum non Antonij modò Epiſtolae ſingulorum nomina amariſſimè annumerantis exprobrant, ſed & ſine Authore notiſſimi verſus*

Cum primùm iſtorum conduxit menſa choragum,
Sexquè Deos vidit Mallia, ſexquè Deas:
Impia dum Phoebi Caeſar mendacia ludit,
Dum noua Diuorum coenat adulteria:
Omnia ſe à terra tunc Numina declinarunt,
Fugit & auratos Iuppiter ipſe thronos.

En bina in vnam rem Elogia, non Inſcriptiones, quippe ore tenus edita, nihilò minùs conſummata (illud quidem ad leges Proſaici, hoc verò Metrici) quàm ſi marmori demandentur: Eadem inquam Coena, quae in fabulis fuit, fuiſſet in tabulis ipſo inciſo Elogio Δωδεκάθεος, quod vulgo inſonabat, & ipsà Satyrâ, quo plane decantabatur numero. Cui ſi mos attexatur Spartanarum foeminarum, quae filijs exituris ad praelium, praebentes clypeos, illud ſubijciebant AVT CVM HOC. AVT IN HOC, monentes, vt aut viui cum clypeo armiſque redirent victores in earum conſpectum, aut in clypeo extincti deportarentur: facile hic intelligere, nihil interfuturum, vtrum quod ſupra clypeum & arma expreſſerant voce, obtuliſſent inſcriptum. Tractum hinc bellè videtur argumentum recens ab Alexandro Burrio Etruſcorum armorum Tribuno Maximo (ſub Ferdinando II. Mediceo Sereniſs. Magno Duce) expictum domi ſuae Florentiae in ipſo aditus proſpectu: Scilicet Mediceorum ſtemmati gentilitio ſubiectus falcis militarium omne genus armorum ad feriendum: Genij hinc inde duo in volumine bifariam explicato ludentes, partemque eius alter armis deorſum aduoluens armis ipſis cum lemmate vulgari *CON QVESTE*, partem alter aduoluens ſtemmati ſurſum, cum Eoigrapha *PER QVESTE*. Quis autem hic vetuiſſet, ne penicilli officium lingua occuparet, abſolueretque?

Meritò Iulius Caeſ. Scaliger de cauſis linguae Lat. lib. I. cap. I. improbat Grammatices definitionem à nonnullis traditam, quòd illa *Rectè ſcribendi Ars* ſit, cùm potiùs *Rectè loquendi* definiri oporteat. *Neque* (ait) *neceſſe habet ſcribere: Accidit enim ſcriptura voci: Neque aliter ſcribere debemus*, quàm loquamur. Cui placito fidem firmabit locus Virgilij in Culice, vbi ſic finit Poëma

His tumulus ſuper inſcritur: tùm fronte locatur
Elogium, tacita quod firmat litera voce:
Parue Culex cuſtos pecudum nil tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

Elogium hoc loco Epitaphium vtique interpreteris: literam verò ſcripturam, quae ſcriptura idcirco voce tacita firmat Elogium, quia expreſſae vocis miniſterium ſupplet. Vox igitur per ſe intenditur in Elogio, Scriptura per accidens.

Neque tamen in animo eſt nobis Artem tollere Inſcriptionis, quam hic quidem tradendam ſuſcepimus: ſed à Cenſoris modò importunitate praefixum Operi noſtro titulum tueri. Verſamur enim circa ſermonem Elogiaſticè promendum in tabula; ſeu vſurpamus (vt loquitur Diuus Auguſtinus) ſermonem non vocalem, ſed ſcriptum. Itaque ad literarum etiam notas, ſignificatus, diſpoſitionemque accedimus, vt ſimul & res quaeque decorè exprimatur, & impleantur Lectoris oculi nulla temporis ſiue breuis, ſeu prolixi habita ratione. Accidat licet Scriptura ſermoni, quod aiebat Scaliger: dabitur hoc naturae rei, non noſtrae intelligentiae. Ac veluti ſcientijs ſuperioribus, ſeu primarijs (quas ἐπαλλήλας Graeci, ſubalternantes appellant noſtrates Philoſophi) ſubſunt inferiores, ſeu ſecundariae (ὑπαλλήλας illi, hi ſubalternatas, ſeu vt loquitur Ariſtotiles Analyt. poſt lib. I. cap. XIII. θάτεραν ὑπὸ θάτεραν) naturae rei ſuperaddito accidente, quod tamen accidens ipſi competit ſcientiae ſecũdum eſſentiam;

Haud

Haud ſecùs à ſcriptura perficitur Elogium ſecundùm Artis eſſentiam, cuius in recta appellatione vertitur vt in cardine praeſens diſſertatio. Non negamus conſignatas lapidi primas ab Orbe condito Inſcriptiones (ne ineptire Cenſorem noſtrum quis ſuſpicetur) ſiquidem ex Beroſo Babylonio (quiſquis eius nomen ſuppoſuit operi) lib. I. Antiquit. habemus è libris Chaldaeorum acceptum *Ante aquarum cladem famoſam, qua vniuerſus perijt Orbis, multi contra corruptelam eius temporis, libidinemque Gigantum praedicaſſe, & vaticinatos eſſe, & LAPIDIBVS EXCIDISSE de ea, quae ventura erat Orbi perditione*. Et ex eodem lib.III. *Egreſſum Noa cum familia ex Arca, & Monte Gordyeo delapſum in ſubiacentem planiciem plenam cadauerum, INSCRIPSISSE in LAPIDE in monumentum rem geſtam*. Ex quo dein manauit vſus Cipporum, ideſt monumentorum ex lapide (vt exponit Budaeus) quae in militaribus vijs extructa viſuntur literis interdum inſculptis ad memoriam alicuius facti prodendam: ſiue (vt Perſius Sat. I.) lapidis, qui in ſepulcro erigitur: ſiue (vt Ambroſ. Calepinus hoc loco) columnae (detur autem lapidea) quae cum Inſcriptione ad conſeruandam rerum memoriam ſoleat erigi: Praeterea mos ille apud veteres ſignandi lapidibus milliaria, queis vtique lapidibus inciſus legebatur numerus, vt docet Columna ex ruinis Appiae Viae in Capitolium translata, quae in ſummo cuſam, I, notam exhibens, lapidem primum ab Vrbe ſignificat extitiſſe, tribus praeterea inſcriptionibus exornata. Refertur haec graphicè à Grutero pag. CLIV. num. 4. &c. Damus & alia complura è lapide tam priſcis, quàm noſtris temporibus inſcribi ſolita: Quamquam & ſaepe lapis pro marmore vſurpatur, vt interprete Seruio Virgilius Aeneid. I.

——— *Pariuſuè lapis circundatur auro*.

& III. Georg.

Stabunt & Parij lapides, ſpirantia ſigna.

Idem expreſſiùs in Culice

------------- *iamque aggere multo*
Telluris tumulus formatum creuit in orbem,
Quem circum lapidem leui de marmore formans
Conſerit aſſiduae curae memor &c.

lapis, vt vides, pro ſarcophago ſumitur, de marmore leui ſeu polito, per metaphorae abuſionē.

Totum in eo negotium poſitum eſt, vt generalis vox aſſignetur argumentis omnibus ſcripturae capacibus accommodata. Quod quidem *Lithoxoicae*, ſeu *Lapidariae* minimè conuenire cùm ipſum per ſe, tùm ex hactenus diſputatis facilè conſtat. Adde, videri hanc potius appellationem mechanicam illius, quam Latomi exercent, Artis, caedendi ſcilicet, poliendique varias in formas lapides, non mente fingendi (quorum gratia lapides ipſi formantur) Elogia, Inſcriptioneſque. Nec altera quidem vox *Lithographica* tollit ſcrupulum, quippe cùm Lapicidae (quorum operâ inſcribuntur lapides) vt & reliqui eius notae fabri, indoctum plerumque hic hominum genus, & analphabetum, quibus tu praeconium de lapide ſpondere vltrò poſſis, ſi literas modò elementarias nouerint, ne dum ſperes, ſuo compoſituros Marte, quod cudant. Vtinam vel ex aetate florente Latini ſermonis non aliqua extarent huiuſce rei veſtigia: Sed aetate etiam noſtra vſque eò craſſitudinis ventum eſt, vt nobis teſtibus oculatis, praeſcripta quàm diligentiſſimè protographa à viris doctis dum ij quidem obſeruant, tùm in ipſa opera perſaepe turpiter peccent; quandoque etiam temeraria cenſura vitient, mendiſque corrumpant. His de cauſis haeſimus profectò aliquandiu, An Artem hanc Tabulariam meliùs diceremus. Quid enim eſt aliud, aiebamus, in quo pingitur, in quo ſcribitur, praeterquàm tabula? Penicillo efficta imago Tabula picta vtique denominatur Latinis, ſiue illa è ligno ſit, ſiue marmore, linteo, cortice, lapide, aere, aliauè quoduis genus materie, vt obſeruat ſuo loco Ambr. Calepinus.

Audimus oblatam ex vetuſtis memoriam apud Gruterum pag. DCXL. num. 5. vbi quis Lapidarius appellatur

V. S. D. M
CENTRIA . VXOR . ET
TERENTIVS . T. F
LAPIDARIVS
ET . TERENTIA . L. F
PRIMA . VXOR
ET . T. TERENTIVS . T. F
SEVERVS . FIE . IVSS

Quibus nos aliam offerimus eàdem pagina apud Gruter. num. 6. Vbi Marmorarius quis memoratur

D . M

D . M
C. SEMPRONIO . FELICI
MARMORARIO . ET
PROCILLAE . PRISCAE &c

Sed Tabularij ſimul,& Marmorum en tibi mentio ex antiquis apud Grut. pag. DXCIII. num. 5.

DIS . MANIBVS
T. FLAVI . FELICIS
SVCCESSVS . AVG. L
TABVLARIVS
MARMORVM
LVNENSIVM
LIBERTO . KARISSIMO &c.

Stylo pariter, aut celte, aut arũdine, aut calamo, alioue inſtrumento ductae literarum notae non niſi tabula excipiuntur,& ea ſiue cerata ſit,qualis à Plauto *Aſin.* nominatur,ſeu alia in materia pro tempore vſitata, qualis liber, quem ſibi quiſque priuatim parat: quales ſcripturae publicae ac teſtamenta , quorum propterea ſcriptor & obſignator Tabellio vocatur: quales ſyngraphae, Accepti & Expenſi, & huiuſmodi. Ad ſummam in Tabula ſaepiùs perſcribi dicebatur Latinis. Hinc Philippus Beroaldus in Suet. D. Claudium Caeſ. ibi (*compoſuit de vita ſua*) *Ex more*, inquit, *rituque maiorum hoc videtur factitaſſe, qui de vita ſua ſcriptitabant, ſicut Sylla & Auguſtus ſcripſiſſe memorantur: Praeterea apud priſcos fermè tabulas conficiebant de vita ſua. Cicero ait, Cluentium confeciſſe tabulas diligentiſſimè* &c. Et hi dubio procul ad notitiam poſteritatis ſcribebant, vt non in libris modò, aut ceris, ſed etiam in marmore, aut lapide tabulas confeciſſe credi poſſint. Nam quas Dei digito ſcriptas detulit Moſes ad populum, ſumma legis capita continentes , Tabulas appellat lapideas non ſemel Scriptor Diuinus in Deuteron. Ex quo infert Auguſtinus Calcagninus de Sacra imagine Edeſſana in Obſeruationibus hiſtoricis, Obſeru. XVIII. appellationem tabulae communem eſſe metallis, lapidibus, teſtis, argillae, ligno &c. Quippe nihil demum eſt aliud Tabula, quam quaedam ſolida, plana, patenſque materia. Atque adeò quae diuturniora ſunt monumenta in aere, nomen retinent Tabularum, vt produnt citati ſuperiùs Auctores : Plato *leges aereas eſſe nominatas à tabulis aereis, quibus erant inſculptae*; Plinius *publicas conſtitutiones incidi ſolitas in tabulis aereis*, & alij principio memorati.

Hoc ampliùs vel ſi aliam figuram , praeterquam Tabulae, aera praetulerint, quod certè obſeruationem poſtulat. Ita in illud Suetonij lib. II. de D. Oct. Aug. *De tribus voluminibus, vno mandata de funere ſuo complexus eſt, altero indicem rerum à ſe geſtarum , quem vellet incidi in aeneis tabulis, quae ante Mauſoleum ſtatuerentur* &c. Iſaacus Caſaubonus ſic fatur: *Appellat tabulas* κατὰ χρηστικώτερον, *quae potiùs pilae dicendae: ita enim in lapide Ancyrano. Dio quoque* στήλας *nominat: Nihil tamen mutandum cenſeo omnibus M. SS. mordicùs hanc lectionem retinentibus: nempè Tabulae appellantur quadratae pilae facies, quae praeſtant vſum tabularum, etſi propriè tabulae non ſunt. Graeci quoque* στήλας *appellant* λίθους κυβοειδεῖς. *Sic plurima dicuntur ex antiqua conſuetudine, vt notum eſt. Polybius lib. III. pilas aereas huiuſmodi, modò* στήλας *nominat, modò* χαλκώματα. *Mouet tamen nonnihil verbum (ſtatuerentur) quod videtur pilis potiùs conuenire.* Ex his liquidum eſt (arguo ipſe) dari nomen tabulae cuicumque ſpatio literis deſtinato,ſiue plano ad tabulae figuram , aut pilae quadratae (Adi Gruterum pag. CCXXX. vbi citat lapidis Ancyrani fragmentum) ſiue tereti ad figuram columnae, (addo) ſiue circulari , vti Numiſmata, in queis cuduntur literae , non ſecus , ac in alijs tabularum ſpatijs: Vnde & ſemicircularis Inſcriptio Peruſiae ad Portam antiquam AVGVSTA PERVSIA à nobis lecta, & cit. à Gruter. pag. CLXIV. num. 7. Et in marmoribus Orbes deſignati cũ inſcriptis circùm literis apud Grut. non raro ; & argumenti lepidi recens marmor Florentiae in Aede Maxima cũ circũſcripto magnificè Epitaphio. Ibidẽ in Aede omniũ Sãctorum marmora bina rudi quidẽ ſcalpro ſecũdi ab hinc ſeculi; memoria autem venerabili Veſpucciorũ,quae gens ab Americae inuẽtae gloria patriam nobilitatẽ vſquequaque propagauit. Hinc vetus nomenclatio Tabellionis pro eo, qui Teſtamẽta,publicaſque ſcripturas cõficit: Tabellarij quoque pro codicillorũ,ſeu epiſtolarũ Portitore.

Haec nobis impensè commendatam habebant appellationem Artis Tabulariae , ſediſſetquè ſententia , ni alia ſuccurriſſet melior , quae nos incunctanter pedarios fecit. Namque apud Plutarchum obſeruatum erat , Inſcriptionem Trophaei *Epigrapham* dici , apud Ariſtidem verò *Epigramma* , vbi quidem iuſta belli & victoriae aſcribitur cauſa , cuiuſmodi ab eo citatur

Ἐπίγραμμα

Ἐπίγραμμα Ἑλληνύων : Προμαχοῦντες Ἀθηναῖοι Μαραθῶνοι ἔκτειναν Μηδῶν ἐννέα μυριάδας. i. e. *Epigramma Graecorum : Propugnantes Athenienſes Marathonij ceciderunt Medorum nonaginta millia.* Quae perfecti in genere ſuo Elogij typum gerit. Inde ergo cum videremus Speciei attributum fuiſſe genus, nempe Trophaeo nomen latinè Inſcriptionem ſonans, quod vtique Statuis, Aris, Tumulis, Columnis, & quibuſcunque alijs, praeterquàm Trophaeo, conuenit, obtulit ſe ſe facilè Operi noſtro Titulus materiae vniuerſae adaequatus, promptumque fuit ex alterutra voce ἐπίγραμμα, aut ἐπιγραφη deducere nomen Artis quaſi Inſcriptoriae, *EPIGRAPHICA*, cuius tamen nominis duritiem, ſi qua ineſt, emolliuimus ſubdita interpretatione Latina: Quamquam ex vſu Latinis familiari iſtarum vocum noſtram quoquè ex his natam vti vernaculam Viris doctis acceptum iri confidimus; non ſecus atque illas in Graecia ortas *Grammatica*, *Rhetorica*, *Logica*, & huiuſmodi ſexcentas vulgaris conſuetudo Latinas effecit. Nam Graecè quemadmodum rectè auditur γραφική (ſubintelligendo τέχνη) ideſt *Ars Scriptoria*; ità & ἐπιγραφική *Ars Inſcriptoria*, ſeu *Inſcriptionis faciendae*. Ac ſicut γραφή *Scriptura*, aut *tabula ſcripta*, & ἐπιγραφή *Inſcriptio*: cur non & ἐπιγραφική *Inſcribendi Ars*? Haud inficior probari potuiſſe titulum *Epigraphia*, quemadmodum ſuo indidit Operi Ioannes Poſelius *Calligraphia Oratoria linguae Graecae* nimirum *Ratio cum elegantia ſcribendi Graecas orationes*: & ſuo Ioannes Franciſcus Quintianus Stoa *Epigraphia* de Syllabarum quantitate: Simili modo in alijs *Orthographia*, *Coſmographia*, *Chorographia*, *Geographia* &c. Sed nos regiam tenere viam maluimus, caeterarum Artium ac Scientiarùm trita iam vſu nomina (vt ſuperiùs attigimus) imitantes: ita verò tamen vt diſputandi gratia, non refragandi Cenſori occurſandum cenſuerimus; eius autem, & cuiuſuis candidi iudicium ſanius noſtro, ac maturius eſſe profitentes.

ELOGII NATVRA EX ETYMO, FINITIONE, ET MOLE

LIBER I.

Elogij Etymon, ſeu Vnde Dictum.

DEbet Frons Operis praelucere ſacrario, ac Vocis notatione, ipſius, de quo agitur argumenti, in conſpectu poſita, velut Elogium Elogio imponere. Nam (vt ſcitè Vincentius Gallus in ſuo Rhetore obſeruat ex Socrate) cognitio Nominum eruditionis eſt principium. Et (vt Nicolaus Cauſſinus de Eloq. ſacra & prof.) origo nominum, ac ſignificatio licet à Natura non ſit, in ijs tamen quae Sapientes habent auctores, iuxta Naturam eſt. Et quidem definitio rei plerumquè in abdito ſedet, penitiorque ab humana recedit indagine, quàm vt primo ſtatim veſtigio deprehendi poſſit. Ita ad eam vocis notatio compendium aperit viae. Quod cùm alijs in diſciplinis tradendis ſolemne eſt; tùm in oblata nobis Elogiorum, ac Inſcriptionum tractatione methodus ipſa, & ratio intelligentiae primùm exigit.

Iam Vocem ELOGII placet nobis (cum I. Caeſ. Scaligero Poëtices lib. III. & Io. Gher. Voſſio lib.III. Inſtit. Orat. P. P.) deberi Graeciae, cuius ex fonte quaſi per incile ad Latialem plagam traducta legitimè ſit, aliarum complurium vocum exemplo: id autem extrita vna litera, ſiue, λ, ab ἐλλόγιον (vt putat Caſaubonus in Suet.) quòd ſit titulus, atque teſtatio, virtutes cuiuſque aut vitia; rectè facta, vel flagitia, commemorans, ex quo ἐλλόγιμος *eloquens*, *eximius*: Seu, κ, quaſi ab ἐκλόγιον (quod cenſet Pulmannus in Suet. & Turnebus lib. VII.) *parua ecloga*, quemadmodum parua poëmata Graecis εἰδύλλια, Latinis ferè ſunt Eclogae. Sed & hodie apud Suidam reperitur ἐκλογεῖον, & nos infrà ad idaeam Elogij exigimus breuitatem: Seu, υ, ab εὐλογία, quae eſt *honeſtus ſermo*, *laus*, *praedicatio*, *fauſta acclamatio*. Sic in antiquis Lexicis legit Turnebus *Elogium*, & *Eulogium*; Nos etiam in codice peruetuſto Culicis Virgiliani verſu antepenult. pro *Elogium*, vt in recentibus, legimus

Eulogium tacita quod firmat litera voce.

Non enim deſunt exempla, vbi veteres conſonantem, vel vocalem interponebant; vt in *Exſigunt* pro *Exigunt*, *Iuus* pro *Ius*. Et fortè *Elogium* peperit appoſita, e, litera voci λογιόν (& hoc probatur Scaligero, & ſuadent exempla) quod eſt Latinè *Oraculum*, *Reſponſum Diuinum* propriè datum ſoluta oratione: item *Recordatio*, *Rumor*, *Conſilium*, *Iudicium*, *Supputatio*. Quo poſito non omnino Graeca vox foret *Elogium*, ſed Latinograeca, hybrida. idcirco ac ſpuria, quales aliae non paucae è Graecis oriundae vt *Biclinium* apud Quintilianum, *Poſtcenium* apud Lucretium, *Pultiphagus*, *Inanilogus*, *Antelogium* apud Plautum, *Prologium* apud Pacuuium, *Prologus* paſſim, praepoſitione *Pro* apud poetas more Latinorum producta contraquam Graeci. Horum tu quidquid admiſeris ſuper origine vocis Elogij, ſiue vnum, ſiue omnia (nullum eſt enim non probabile) agnoſces certè in his ſemina ſparſa omnium illarum Elogij ſpecierum atque formarum, quae progrediente in alteram partem Opère à nobis tradentur. Caeterùm damnandus haud dubiè videtur inſcitiae pinguioris, qui vocem Elogij in praeſenti putat eſſe damnandam peregrinitatis, atque ab Vrbe Quiritium propulſandam; quaſi infrequens illa occurrat apud Latinos, & eos melioris notae ſcriptores: neque, vt barbaros aut ignotos ſortita natales, in Romanum pòſt Caelum traducta, ipſo Auguſti labente ſeculo aureo miteſcere potuerit, & iura Latij,

vrbanumque nitorem acquirere.

Reſtat, vt huiuſce vocis vſum & ſignificatum perquiramus apud Scriptores, quò ſimul & cuius hi ſint auctoritatis, & illa cuius bonitatis in Latio perſpectum fiat. Ac vſus quidem pro varia ſignificatione varius comperitur.

I. Eſt enim Primùm aliquibus Elogium Teſtificatio ſimplex ſuae ſententiae, qualis illa Solonis apud Ciceronem de ſeneċt. dicentem: *Solonis ſapientis Elogium eſt, quo ſe negat velle ſuam mortem dolore amicorum lamentiſque vacare:* Ita locum exponit Valla lib. IV. Et quomodo vſurpat Diuus Auguſtinus ſerm. II. de Annunciat. *Praeciſum eſt in ea* (Maria Deipara) *illud Heuae infelicitatis Elogium quo dicitur: IN DOLORE. PARIES. FILIOS. TVOS.* In hunc ſenſum appellationem ſortitur Elogij vetus Inſcriptio Torcelli defoſſa, quam citat Auctor Inſcript. ſacroſ. vetuſt. edit. Ingolſtadij An. MDXXXIV. Videlicet

I.

LONGIVS. PATROCLVS. SECVTVS. PIE
TATEM. COL. CENT. HORTOS. CVM
AEDIFICIO. HVIC. SEPVLT. IVNCTO
VIVVS. DONAVIT. VT. EX. REDDI
TV. EORVM. ROSAE. ET. ESTAE
PATRONO. SVO. ET. QVANDOQ. SIBI
PONERENTVR

Illa quoque in Samnitibus, quam baſi inſcriptam memorat Ianus Gruterus in Inſcript. antiq. totius Orbis Rom. pag. CLXXIII. num. 4.

II.

Q. FILLIVS. L. F. RVFVS
Q. AGRIVS. C. F. CELER. PR *ideſt *Celerum Praefectus*
II. VIR
LANARIAS. ET. QVAE. IN. IEIS **ieis* pro *eis* antiquitùs
SVNT. SVA. PEQ. FECER **ſua pecunia fecerunt*
VT. EX. EO. VECTIGALE. QVOTANNIS
COLONIS. MVLSVM. ET. CRVSTVM
NATALI. CAESARIS. AVGVST
DARETVR

Nam hic non modo facta res eorum pecunia memoratur, ſed de annuo praeterea fructu decernitur. Et illa Romana in cippo, citata ibidem pag. CXCVIII. num. 4.

III.

EX AVCTORITATE
IMP. CAESARIS. DIVI
NERVAE. FIL. NERVAE
TRAIANI. AVG. GERM
PONTIFICIS. MAXIMI
TRIBVNIC. POTESTAT. V
COS. IIII. P. P * *Conſulis quartum, Patr. Patriae*
TI. IVLIVS. FEROX. CVRATOR
ALVEI. ET. RIPARVM. TIBERIS
ET. CLOACARVM. VRBIS. TER
MINAVIT. RIPAM. R. R. PROXIMO
CIPPO. P. CCCLXXXVI. S

Ex recentibus dabit primùm Ianus Nicius Erythraeus Eudemiae lib. III. inſcriptionem in fronte priuatarum aedium, grandibus notis, videlicet:

DOMINVS

I V.

DOMINVS . DOMVS . IIS
QVORVM . OPERAM . SIBI
CONDVCIT . PRAETER . MER
CEDEM . NEQ. BENEFICIVM
NEQ. GRATIAM . NEQ. PECV
NIAM . LARGITVR . HOC
ILLIS . ESSE . PRAEDICTVM
VVLT . NE . POSTEA . SE
FVISSE . DECEPTOS
QVERANTVR

Damus & nos binas Mediolani expoſitas, non indignas florente ſeculo, & noſtra Patria: quas quidem inter ſelectas Delicias Franciſci Suueertij meritò adnumeres: Altera legitur ſupra fòres (vulgò) Palatij Iuſtitiae, Vbi ſontium carceres: videlicet

V.

PHILIPPO . III. HISPAN. REG. POTENTISS. FIDEI . CATHOLICAE DEFENSORE . IMPERANTE . D. PETRVS . ENRIQVEZ AZEVEDIVS . FONTIVM . COMES . EXTERNI . BELLI . VICTOR ET . DOMESTICI . EXTINCTOR . INVICTVS . DEXTERA . AMABI LIS . SINISTRA . FORMIDABILIS . BENE . AGENTIBVS . DIS TRIBVTIS . PRAEMIIS . IMPROBIS . VERO . SVPPLICIIS . CAR CERVM . FORES . REGIAE . CVRIAE . OBIECIT . VT . PRINCIPIS ADVIGILANTIS . OCVLIS . FIDISSIMA . SIT . IVSTITIAE . CVSTODIA
. M. D. C. V.

Altera verò viſitur ad caput Viae nouae, in regione Orientali, his notis:

VI.

D. PETRVS . ENRIQVEZ . AZEVEDIVS . FONTIVM . COMES MEDIOLANENSIS, PROVINCIAE GVBERNATOR . VT . ADITVS ET . REDITVS . A . IVSTITIA . AD . CLEMENTIAM . FACILLIMI CERTISSIMIQ. PATERENT . VIAM . HANC . E . REGIA . AD PRAETORIVM . APERVIT . ET . AD . VTILITATEM : PVBLICAM
DIREXIT . MDCIII

Huc referuntur Decreta publica, cuiuſmodi è recentibus legitur In Capitolio, vt refert Franci-ſcus Suueertius in Se lectis Chriſtiani Orbis delicijs inter Romana:

VII.

SI . QVIS . SIVE . PRIVATVS
SIVE . MAGISTRATVM . GERENS
DE . COLLOCANDA . VIVO . PONTIFICI
STATVA
MENTIONEM . FACERE . AVSIT
LEGITIMO . S. P. Q. R. DECRETO
IN . PERPETVVM . INFAMIS
ET . PVBLICORVM . MVNERVM . EXPERS
ESTO
MDXC. MEN. AVG

Omnes ſimiliter leges, ſanctiones, ſcita, edicta, & hoc genus alia tabulis conſignata Elogij ſibi vendicant nomen. Inter quae curioſi cenſebunt, quod refertur ab Alex. Geraldino Patritio Amerino, Epiſcopo Ciuit. S. Dominici apud Indos Occidentales lib. II. ſui Itinerarij, editi Romae Anno MDCXXXI. quod is nimirum teſtatur legiſſe ſe in ingreſſu Patriae deſertae inter alia Imperatorum monumenta altiſſimis è vario marmore columnis inciſum, videlicet:

VIII.

IMP. NERO. CL. CAESAR. AVGVS. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT. V. IMP. IV. P. P.
PVBLICO . EDICTO . IN . EXITV . MAVRITANIAE . NVMIDIAE
PROVINCIAE . CARTHAGINENSIS . IN . AEGYPTVM . VSQVE
EMISSO . CADVCEATORE . ET . PRAECONE . MANDATVM . NO
STRVM . EXEQVENTE . IN . MARMOREIS . POSTEA . COLVM
NIS . VBIQVE . SCVLPTO . EDICTO . IMPERO . ET . VOLO . OM
NES . POPVLOS . REGIONIS . DESERTAE . VAGOS . ET . ERRA
BVNDOS . QVI . LATISSIMO . TERRARVM . CARDINE . A . MON
TE . ATHLANTE . IN . AETHIOPIAM . VSQVE . SE . PROTENDVNT
ET . LONGISSIMO . AB . OCEANO . PATRIAE . DESERTAE . AD
ERYTHRAEVM . MARE . SPATIO . SE . EFFVNDVNT . PAGOS . VI
COS . OPPIDA . ET . VRBES . RITV . AFRICAE . ET . LYBIAE . CONDERE
MORE . CIVIVM . AGERE . ALIOQVIN . EOS . CVM . CONIVGIBVS
LIBERIS. AC. OMNI. PATRIAE. FORTVNA. PRO. CAPTIVIS. VBIQVE
HABERI . VILIA . VELVTI . MANCIPIA . COMMVTARI . ET . DISTRA
HI. PER. TOTVM. LATE. ORBEM. ROMANVM . MANDO . ET . IVBEO

Teſtamenta quoque vulgata eiuſdem vocis appellationem ſortiuntur, vt apud Gruterum pag. CLXXIV. num. 4. Inſcriptio Hiſpanica, videlicet

IX.

L. AEMIL. M. F. M. NEP
QVIRINA
RECTVS
DOMO . ROMA
QVI . ET . NARN. ET
SICELLITANVS . ET
ASSOTANVS . ET
LACEDAEMONIVS . ET
BASLETANVS . ET
ARGIVVS . ET . SCRIBA
QVAESTORIVS
SCRIBA . AEDILICIVS
DONATVS . EQVO . PVB
AB . IMP. CAESARE
TRAIANO . HADRIANO
AVGVSTO
PATRONVS . REIP
ASSOTANAE
TESTAMENTO . SVO
REIP. ASSOTAN
HANC . FIERI . IVSSIT
EPVLO . ANNVO . ADIECTO

Et Legata, cuiuſmodi citat Gruterus pag. CLXXV. num. 5. eſt Bergomenſis

X.

M. CAECILIVS . M. F
FIRMVS
DENDROPHORIS
LEGAVIT

Expreſſior illa apud eundem, pag. CLXXX. num. 7.

IN

X I.

IN . HVIVS . BALINEI . LAVATION. H. S. CCCC
NOMIN. C. AVIASI. T. F. SENECAE. F. SVI. T. AVIASIVS. SERVANDVS
PATER. TESTAMENT. LEGAVIT. VT. EX. REDITV. EIVS. SVMMAE
IN. PERPETVVM. VIRI. ET. IMPVBERES. VTRIVSQ. SEXVS
GRATIS. LAVENTVR

II. Pleriſque Elogium eſt breuis commemoratio de aliquo cum honore. Sic enim loquitur non vno loco Tullius, I. Tuſcul. *Quid ipſa ſepulchrorum monumenta, quid Elogia ſignificant, niſi nos futura etiam cogitare?* Et orat. in Piſ. *Cedant arma togae. Quid tum? Haec res tibi fluctus illos excitauit. At hoc nuſquam, opinor, ſcriptum fuiſſe in illo Elogio, quod te Conſule in ſepulchro Reip. inciſum eſt: Velitis, Iubeatis.* Et II. de Fin. *Non Elogia monumentorum id ſignificant, velut hoc ad portum Vno ore, cui plurimae conſentiunt gentes, populi primarium fuiſſe virum.* Item pro Cluentio: *Vnum etiam eſt, quod me maximè conturbat, cui loco reſpondere poſſe vix videor, quod Elogium recitaſti de Teſtamento Cn. Egnatij Patris, hominis honeſtiſſimi videlicet & ſapientiſſimi.* Hinc Suetonius Elogium vocat breue dictum commendationis, quam Mecenas Auguſto facit de Horatio: *Horatij* (aiens) *Flacci, vt mei, memor eſto.* Budaeus quoquè literis vulgò *Teſtimonialibus* Clericorum attribuit Elogij nomen; vt quae de honeſta eorum vita, integriſque moribus teſtimonium ferunt. In quem ſenſum habetur (teſte Suueertio in monumentis Brabantinis) In Epitaphio Ioannis Moreti Antuerpienſis: *Omnium bonorum elogio bonus*: ideſt teſtificatione. Huiuſque ordinis cenſendae Inſcriptiones illae omnes, quae vel perſonam commendant, vel factum; cuius generis illa, quam refert Plinius lib. VIII. Epiſt. VI. *Annotaſſe me* (dicens) *monimentum Pallantis ſub hac Inſcriptione*:

HVIC. SENATVS. OB. FIDEM. PIETATEMQ. ERGA. PATRONOS. ORNAMENTA. PRAETORIA. DECREVIT. ET. SESTERTIVM. CENTIES. QVINQVAGIES
CVIVS. HONORE. CONTENTVS. FVIT

Huc ſpectant Triumphalis Epigraphae Sepulchrales, & id genus, in queis tamen varia eſt ratio, vt in altera Operis Parte tradetur, cùm de Elogio Demonſtratiuo.

Triumphale Elogium habetur in marmore Auguſtae Taurin.

X I I.

C. IVL. CAESAR. C. F
DE
GALLEIS
ET
ALLOBROGIBVS
TRIVMPHAVIT

Similiter titulus in Arcu Romae, vt apud Gruterum pag. CCLXV. num. I. cuius ſumma eſt:

X I I I.

IMPERATORIBVS. SEVERO. ET. FILIO. ANTONINO
OB. IMPERIVM. P. R. PROPAGATVM. INSIGNIBVS
VIRTVTIBVS. EORVM. DOMI. FORISQ. S. P. Q. R

& qui ſimplicior ibi legitur Arcui inciſus triumphali, Romae:

X I V.

SENATVS. POPVLVSQ. ROMANVS. D. TITO. DIVI. VESPASIANI. FILIO
VESPASIANO. AVGVSTO

E recentibus

E recentibus dignum fuit Elogium quadruplex in Triumphali Arcu pro tempore erecto Genuae, Ferdinando Cardinali Auſtrio, cum Mediolanum tendens, diuerteret hoſpitio; quod operae eſt pretium huic loco inſerere

X V.

FERDINANDO. AVSTRIO
REGIA. FRATRIS. POTESTATE
EXERCITVS. CLASSES. TERRAS. MARIA
BELLA. PACEM. REGENTI
EX. SEN. CONS

X V I.

QVORVM. RELIGIONI. PARVM
FVERAT. CATHOLICAM
FIDEM
IN. TOTA. HISPANIA. FIRMASSE
EANDEMQ. LATA
QVASI. MAIESTATIS. DIVINAE
LEGE. SANXISSE
NOVA. ORIATVR. MATERIES
NOVVS. ORBIS. EMERGAT

X V I I.

QVORVM. MAGNITVDINI. DI
MIDIATVS. SVFFECTVRVS
NON. ERAT. MVNDVS. INTE
GER. DETEGATVR

X V I I I.

FERDINANDO. AVSTRIO
SACRA. POTESTATE. AEQVE. AC
NATALIVM
PRAEROGATIVA. VIRTVTIS
PRAESTANTIA
MORVM. SVAVITATE. ANIMIS
IMPERITANTI
EX. SEN. CONS

Pernobilis eſt, & antiquis dignitate ſuppar, Epigrapha in Triumphali Arcu Mediolani, in ipſius Cardinalis aduentu, videlicet

X I X.

SERENISSIMO. INFANTI
FERDINANDO. AVSTRIACO
S. R. E. CARDINALI
ARCHIEPISCOPO. TOLETANO
HISPANIARVM. PRIMATI
QVOD. SVO. IN. INSVBRIAM
ADVENTV
POPVLOS. IN. SPEM. INTEGRAE
FELICITATIS. EREXERIT
CIVITAS. MEDIOLANENSIS
BONI. OMINIS. ET. OBSEQVII
MONVMENTVM

Sub Triumphalibus & quae Trophaeis inſculpuntur, repones. Qualis eſt tabula Hiſpanica Tarracone eruta.

X X.

BELLVM. CAESARIS
ET. PATRIAE. EX. MAGNA. PARTE
CONFECTVM. SEX. ET. CN. MAGNI
POMPEI. FILIIS. HIC. IN. AGRO
BATESTANIORVM. PROFLIGA
TIS

Eapropter Epitaphijs hìc locum dabis, vt quae laudationem inſpergunt. Quod indicare videtur Calpurnius Declam. XVIII. *Inferam*, dicens, *maiorum ſepulchris, & Elogio nomen inſcribam.* Quo ſenſu legitur in recentibus Epitaphium Latomi citatum à Suueertio inter monumenta Brabantina, videlicet

X X I.

IOANNES. LATOMVS
Quondam apud Thronianos iuxta Herendaliam Coenobiarcha
Hic ſepultus eſt
Qui carmine luſit ad Iouiana Elogia Hic ſepultus eſt
Iacetq; mutus abſque Elogio
Quod Pompeio Magno olim, Et Patrum memoria accidit
Paullo Manutio
Amici ſui funus hoc carmine proſecutus eſt Amicus
Noſter D. Nicolaus Oudartus I. C. Eccleſiae
Metrop. Mechl. Canonic. & Offic.

Etiam.

Etiam quae paucis abſoluuntur: Cuiuſmodi Epitaphium inter Sacroſanctae Vetuſtatis monum. Romae inſcriptum:

XXII.

STEDIAE. PAVLINAE. L. CANCINIVS. HER
MIPPVS. CONIVGI. INCOMPARABILI
AVE. ANIMA. INNOCENTISSIMA
STEDIA. PAVLINA

Quaeque breuiſſimi ſunt compendij, è quibus illud videtur nobis ampliſſimam in modico praedicationem mereri; multiſque effuſis ac ſplendidis anteferendum, quod legitur Comi apud Inſubres in Aede Diui Bartholomaei, videlicet

XXIII.

PRISCAE
PRIMAE
ANIMAE
INCOMP *ideſt *incomparabili*

Incomparabilis hoc planè elegantiae, ſi ex omni parte verſetur.

Ad Epitaphium reijcitur memoria Conſecrationis, hoc eſt relationis hominum in Diuos. Tale erit apud Gruterum pag. MXC. num. 14. quod Romae legitur

XXIV.

HIC. CONSECRATA. EST
SEX. AELI. TERTI. CONIVNX
SERGIA. SYNTYCHE. SERGI
PAVLI. QVONDAM. PRAEF
VRB. ALVMNI. CRYSIPPI
ALVMNA. FECERVNT. AELII
TERTIVS. ET. COMA. INCOM
PARABILI. FEMINAE

Ita non ſolùm quae hominibus, ſed & quae numinibus adſcribunt laudem, è quibus, ne codicem totum farciamus, vnam ſelectam volumus tabulam à Grutero citatam, & inde excerptam ſcitè à M. Zuerio Boxhornio in ſuis Politicis Emblematis: nimirum

XXV.

AVRIBVS
B. D. D
PETRVSIA
PROBA
MAGISTRA
GALGESTI
HERMEROT

* *Bonis Deabus Dicat*

Scilicet Auribus quaſi Deabus dedicationem facit, ac titulum tribuit bonitatis ſtolidà & aſinina ſuperſtitio. Minùs autem intolerandum hoc in foemina audiendi res alienas curioſa. Reliquis Ethnicorum DIS dedicata monumenta apud Gruterum affluentiſſimè haurias. Nos verò Deorum loco Diuorum Elogia ſubrogamus.

Huc ſimiliter reuocabis Inſcriptiones Theatrales, & Circenſes, è quibus ſpecimen dabunt Romanae binae, quas Iuſtus Lipſius exſcripſiſſe ſe profitetur. Prior eſt:

XXVI.

AQVILON. K. AQVI
LONIS. VICIT. CXXX
SECVNDO. TVLIT
LXXXVIII
TER
TVL
XXX
VII

* Hic medius Vir eſt conditor factionis Ruſſatae, dextera baculum, laeua pabulum tenens, atque vtrimſecus aſſilientes Equi duo

HIRCINVS. N. AQVI
LONIS. VICIT. CXIIII
SECVNDAS. TVLIT
LVI. TER. TVL
XXXVI

Hic porrò Aurigas Circi, nobiles multis coronis commendat Marmor. Illorum prior Auus poſterioris coronam primo loco retulit, currus omnium praeteruectus centiès, & triciès. Aliàs vnum modò currum, qui ſe praeiret habuit octogiès octiès: Duoſque ſolùm triciès ſeptiès. Nepos Auo glorioſior partes primas tulit centiès, & quaterdeciès; ſecundas quinquagiès ſexiès; tertias triciès ſexiès. Non laboramus de bonitate ſeculi, quo ſint editae eae Inſcriptiones, ne cieamus hoc loci controuerſiam, de vſu literae K apud Latinos, in priore marmore poſitae, de quo nos infrà lib. V. de Venuſt. Elog. Cap. IV. Memb. VI. quid inter varias eruditorum ſententias probabilius ex vetuſtate ſit, decernimus. Certè Elocutio hic ſimplex eſt, & incorrupta,

incorrupta, atque, in rem noſtram, non niſi bona inſcribendi forma.

Poſterior verò haec

XXVII.

L. SICINIVS. DENTATVS. TRIB. PL
CENTIES. VICIES. PRAELIATVS
OCTIES. EX. PROVOCATIONE. VI
CTOR. XLV. CICATRICIBVS. AD
VERSO. CORPORE. INSIGNIS. NVL
LA. IN. TERGO. IDEM. SPOLIA
COEPIT. XXXIIII. DONATVS. HA
STIS PVRIS. IIXX. PHALERIS. XXV
TORQVIBVS. III. ET. LXX. ARMIL
LIS. CLX. CORONIS. XXXV. CIVI
CIS. XIII. AVREIS. VIII. MVRAL
III. OBSIDIONAL. I. FISCO. AERIS
X. CAPTIVIS. XX. IMPERATORES
VIII. IPSIVS. MAXIME. OPERA
TRIVMPHANTES. SECVTVS

Nec premas in hac ſcrupulum, quòd legis *coepit* cum *oe* diphthongo pro *e* ſimplici; ſiquidem antiquitatis id veſtigium, vt pro *e* longo reponeretur *oe*. Adi infrà lib. II. de Charactere Elogij, num. VI. *Verborum Barbaries*, Claſſe II. Obſoletarum Vocum, littera *O*.

Euchariſtica in hac ſede repones. Cuiuſmodi prae antiquis dignum maximè eſt curioſorum oculis, quod Romae legitur in Arcu S. Viti, in Macello

XXVIII.

GALLIENO. CLEMENTISS
PRINCIPI. CVIVS. INVICTA
VIRTVS. SOLA. PIETATE
SVPERATA. EST
AVRELIVS
VICTOR. DEDICATISSIMVS
NVMINI. MAIESTATIQ. EIVS

Habuitque non immeritò imitatorem ſcitum, Auctorem nimirum recentis illius marmoris in Vrbe ipſa, quod citat Franc. Suueertius in ſelect. Chriſtiani Orbis Delicijs, inter Romana

XXIX.

CLEMENTIS. VII. PONTIF. MAX
CVIVS. INVICTA. VIRTVS. SOLA. CLEMENTIA. SVPERATA. EST
OBIIT. ANNO. DOMINI. M. D. XXXIV. VI. KAL. OCT.

non tamen totam hauſit, cum nec locus poſceret; quippe hic ampliùs argutè nominatur Victor tantae Virtutis Aurelius, qui ſcilicet pium in ſe expertus fuerat Principem. Sed illa Numinis appellatio ethniciſmum olet, vt fusè infrà lib. II. de Elogij Charactere, Claſſe IV. in Voce *Deuotus*. His etiam aſſerimus ſcita Magiſtratuum, Decretaque Collegiorum. Exemplum habes apud Gruterum in Antiq. Inſcript. pag. MCI. num. 1.

XXX.

IMP. CAES. M. AVRELIO
ANTONINO. AVG. PIO
FELICE. VI. M. PETRONIO. SEPTIMI
ANO COS
X. KAL. APRIL. IN. TEMPLO. COLLEGI. FARVM. ET
CENTONARIORVM. REGIENSIVM
QVOD. REFERENTIB. P. SAENIO. MARCELLINO. ET. C. AVFIDIO
DIALOGO. QVAESTORIB. V. F
IV. SILIVM. IVLIANVM. VIRVM. ET. VITA. ET. MODESTIA. ET
INGENITA. VERECVNDIA. ORNATVM. ET. LIBERALEM. O
PORTERE. COLLEGI. NOSTRI. PATRONVM. COOPTARI. VT
SIT. CETERIS. EXEMPLO. IVDICI. NOSTRI. TESTIMONIVM
Q. F. P. D. E. R. I. C
SALVBRI. CONSILIO. TAM. HONESTA. RELATIONE. A. QVAE
STORIBVS. ET. MAGISTRIS. COLLEGI. NOSTRI. FACTAM. ET
SINGVLI. ET. VNIVERSI. SENTIMVS. ET. IDEO. EXCVSANDAM
POTIVS. HONESTO. VIRO. IVLIANO. HVIVS. TARDAE. COGI
TATIONIS. NOSTRAE. NECESSITAT. PETENDVMQVE. AB. EO
LIBENTER. SVSCIPIAT. COLLEGI. N. PATRONAL. HONO
REM TABVLAMQVE. AEREAM. CVM. INSCIRPTIONE. HVIVS
DECRE. N. DOMO. EIVS. PONI. CENSVERVNT

Denique

Denique etſi inter Epiſtolas cenſeantur; decus tamen, ac titulum Elogiorum merentur Teſtimonia patentibus literis exarata, quale eſt Iuſti Lipſij Epiſt. Miſcell. Centur. III. titulo Teſtimonij praenotatum. Videlicet: *Ego ſi quidquam bona fide iam nunc teſtificor, hunc Io. VVouerium è contubernio, & domo mea adoleſcentem mihi carum, Modeſtiae, & Muſis fuiſſe, quas ſemper coluit, & vitam ad optimam praecepta, ingenium ad artes conformauit. Commendo ſeriò, bis ſeriò, quicumque illa amant. Addam & verecundè, ſi quis me amat, vt factum huic velit. Fuco verborum nemini imponam, nec ipſe morum. Candidus eſt, bonis bene natus eſt, & ſi quid ad rem, in re bona. Fauete, qui haec legitis, & breue, ſed fidum ELOGIVM cenſete: quod à vobis amplius auferet, ſi noſcetis. Louanij IV. Idus Sext.* ∞ DXCIX. Iudicium quoque Erycij Puteani, Alumni Lipſij, de Ingenio, & Carmine Petri Van Den Broëcke, mei neceſſarij, ſedem haud dubiè poſcit inter Elogia, quod lubentes recitamus,

Doctiſs. Viro Petro Van Den Broëcke

Iudicium expectas? Elogium promo, quo & ingenij tui dites dotes, & carminis dias diuitias complector. Ingenium dignum carmine erat, & ſic Muſis, ſed pijs. Carmen ingenio, & ſic Gratijs, ſed Latinis: prorſus vt inter vtraſque natus mihi & educatus videare. Hoc nunc age, & ſurge Nomine, vt eminere ingenio, & carmine potuiſti. Clarum te eruditio tua faciet, ſi priuatam non habebis: vtilis omnibus, ſi legi & laudari publicè incipies. Ede in lucem quae ſcripſiſti, & in lucem ipſe venies, Ego ſic verò meum gaudebo Elogium publico iudicio confirmari. Louanij, in Arce, poſtrid. Kal. Maias ∞DCXIV.

Imò Epiſtolae Dedicatoriae, quibus patronus laudatur, ſi intra metas ſe contineant, ideſt niſi prolixam in orationem procurrant, ſintque preſſae numeris, quidni Elogijs accenſeantur? Eiuſmodi ſanè eſt Dedicatoria Imaginis aerea tabella cuſae, Sereniſſimi Principis Etruriae, quo nos alumno meritò triumphamus; Cuius quidem epiſtolae Auctor fuit, rogatus ab Artifice, Volumnius Bandinellius Patritius Senenſis, & Principis ipſius Magiſter morum. Citari itaque ſe totam poſcit:

SERENISS. VICTORIAE
M. DVCI. ETRVRIAE

En Tibi COSMVM tuum, Princeps Sereniſſima, imò noſtrum. Tui enim ſimillimum filium Etruriae pijſſimum veneratur Principem, ominatur Patrem. Tua ipſius eſt imago Exemplar hocce virtutum abſolutiſſimum, quarum fulgoribus ſuus iam Orbis plenus illucet. Aureum dediſti, Aereum accipe, rudi caelatum ſcalpro, ſed pura elaboratum fide. Sic Caelo conſecrat humana Religio. Vale. ⋆ Alludit porrò ad Orbem quaſi Mundi globum, quod in ſummo Clypeo (vbi ſculpta Imago) repraeſentatur in ſymbolum; ſuperiecto lemmate: *IDEM VNDIQVE*. Conſonat autem ſymbolum ipſum cum Graeco Etymo Nominis proprij COSMVS.

III. Tertiò malam quandoque in partem accipitur vox Elogium: nam vti Genus Demonſtratiuum Rethoribus anceps eſt ad laudem, & vituperationem, quod laudatiuum quandoque à forma nobiliore nuncupatur: Ita Elogium (ait M. Ant. Sabellicus in Sueton.) medium eſt verbum, hoc eſt tam honoris, quàm probri teſtificatio. Quo ſenſu exponitur Suetonius in Caligul. Cap. XXVII. *Elogium addebatur cuſtodijs* (*Reis* intellige) Et Fulgentius Placiades de priſco ſermone: *Elogium*, inquit, *eſt hereditas in malo*: Citatque locum Taciti lib. Facetiarum: *Caeſi itaque, morum Elogio in filijs relicto*: ideſt (metonymicos) tranſmiſſa ad filios nequitia, quae vituperationem mortalium colligeret. Quintilianus propriè Declamat. II. *Non eſt Iudices, quod putetis ideo nullum adiectum ad exheredationem Iuuenis Elogium, quia de ſcelere conſtaret*. Ita interpretandus Modeſtinus in L. *Deſertorem ff. de re militari*: *Deſertorem auditum ad Suum Ducem cum Elogio Praeſes mittet*, ideſt cum probro. Spartianus: *Sub Elogio praeconis caedere fuſtibus aliquem*. Et Lampridius in Seuero: *Donauit Eunuchos amicis addito Elogio, vt, ſi non rediſſent ad bonos mores, liceret occidi*. Ex Elogiaſtis verò & quidem recentibus Emanuel Theſaurus in Sergio Sulpitio Galba Caeſ. ita inchoat: *Elogia qualia libebat, audiuit Viuus: Qualia licet, Mortuus audiat. Veritas poſthuma Patrem non timet* &c. Vbi vides, quàm bellè ancipitem in ſenſum vocabulo eodem vtatur. Exempla in marmoribus praeſtò ſunt: Antiquum leges apud Gruterum pag. DCXCI.

num.

num. 9. antiquum autem ad noſtra tempora : videlicet :

XXXI.

HIC . STIGMATA . AETERNA . ACTE . LIBERTAE . SCRIPTA . SVNT . VENE
NARIAE . ET . PERFIDAE . DOLOSAE . DVRI . PECTORIS . CLAVOM . ET . RESTEM
SPARTEAM . VT . SIBI . COLLVM . ALLIGET . ET . PICEM . CANDENTEM
PECTVS . MALVM . COMMVRAT . SVVM . MANVMIS . SACRATIS
SECVTA . ADVLTERVM . PATRONVM . CIRCVMSCRIPSIT . ET
MINISTROS . ANCILLAM . ET . PVERVM . LECTO . IACENTI
PATRONO . ABDVXIT . VT . ANIMQ . DESPONDERET . SOLVS
RELICTVS . SPOLIATVS . SENEX . EHYMNO . FFADESTIMTA
SECVTIS
ZOSIMVM

Recens illud apud Franciſcum Suueertium, ſi naeuum aliquem tollas, dignitatem habet, quod ſcilicet in Columna legitur ſub imagine ſecti ſontis à carnifice in quatuor partes.

XXXII.

SIC. PEREANT
QVI. HANC. REMPVBLICAM
ET. SEDEM. REGALEM
SPRETIS. S. CAES. MAIESTATIS
EDICTIS
EVERTERE. MOLIVNTVR
AD. DAMNANDAM. MEMORIAM
IOANNIS. KALCKBERNER
IN. VLTIMO. TVMVLTV. AN. CIↃ. IↃ. C. X
HIC. EXCITATO
INTER. PERDVELLES. ANTESIGNANI
COLVMNA. HAEC. EX. DECRETO
DD. SVBDELEGATORVM. S. CAES. MAIESTATIS
ERIGI. IVSSA
III. NON. DECEMBRIS
ANNO. M. D. C. XVI

Non ingratus accipies recentiorem aliquantò Inſcriptionem è Patria noſtra Mediolano, nondum, quod ſciamus, vulgatam exteris, in Columna pariter, quae vulgo Infamis.

XXXIII.

HIC. VBI. HAEC. AREA. PATENS. EST
SVRGEBAT. OLIM. TONSTRINA
IO. IACOBI. MORAE
QVI. FACTA. CVM
GVLIELMO. PLATEA
PVBLICO. SANITATIS. COMMISSARIO
ET. CVM. ALIIS. CONSPIRATIONE
DVM. PESTIS. ATROX. SAEVIRET
LETHIFERIS. VNGVENTIS. HVC. ET. ILLVC. ASPERSIS
PLVRES. AD. DIRAM. MORTEM. COMPVLIT
HOS. IGITVR. AMBOS. HOSTES. PATRIAE. IVDICATOS
EXCELSO. IN. PLAVSTRO
CANDENTI. PRIVS. VELLICATOS. FORCIPE
ET. DEXTERA. MVLCTATOS. MANV
ROTA. INFRINGI
ROTAEQ. INTEXTOS. POST. HORAS. SEX. IVGVLARI
COMBVRI. DEINDE
AC. NE. QVID. TAM. SCELESTORVM. HOMINVM
RELIQVI. SIT
PVBLICATIS. BONIS
CINERES. IN. FLVMEN. PROIICI
SENATVS. IVSSIT
CVIVS. REI. MEMORIA
AETERNA. VT. SIT
HANC. DOMVM. SCELERIS. OFFICINAM
SOLO. AEQVARI
AC. NVNQVAM. IN. POSTERVM. REFICI
ET. ERIGI. COLVMNAM
QVAE. VOCETVR. INFAMIS
IDEM. ORDO. MANDAVIT
PROCVL. HINC. PROCVL. ERGO
BONI. CIVES
NE. VOS. INFELIX. INFAME. SOLVM
COMMACVLET
M. D. C. XXX
KAL. AVGVSTI

Quo in marmore nonnihil nos ad limam vocamus infrà lib. II. Claſſe I. de Nominibus Gentilitijs, & Claſſe III. Memb. XIV. & lib. IV. Memb. VII.

IV. Alijs Elogium ſonat Reſponſum, ſeu Teſtificationem de aliquo in partem vtramque, ſubiecta ratione. Qui quidem à ſuperioribus haud diſſonant, niſi quod in ſubiectione ipſa rationis videntur Elogium collocare. In hunc ſenſum exponit Laeuinus Torrentius locum Suetonij lib. IV. cap. XXV. *Sed & tres gladios in nece ſua praeparatos Marti vltori addito Elogio conſecrauit*; ſic habens: *Elogium frequens etiam Ciceroni verbum nihil aliud quàm certa quaedam vel ad laudem, vel ad vituperationem teſtificatio eſt; atque adeo cauſa ipſa, quare quid fiat. Hoc ergo eſt quod Elogium additum à Caio narrat Suetonius, cauſam ſcilicet, ob quam ſorores damnaſſet. Id enim ſolemne erat Romae, & quidem vt vel Titulus damnatis praeferretur, vel Praeconis voce pronuntiaretur, quare plecterentur. Exempla ſanè obuia, vt hic in Calig. Cap. XXV. & Domit. Cap. X. & apud Spartianum in Seuero: Fuſtibus eum ſub Elogio Praeconis cecidit, legatum Populi Romani homo plebeius temerè amplecti noli. Et Lampridius in Alexandro: In foro tranſitorio ad ſtipitem illum ligari praecepit, & fumo appoſito, quem ex ſtipulis, & humi is lignis fieri iuſſerat, necauit, Praecone dicente: Fumo punitur, qui fumum vendidit.* Hactenus Torrentius, qui tamen in malam dumtaxat partem exempla congerit. In bonam verò citat Philippus Beroaldus (in ipſum locum Suet.) Senecam: *Deceſſit negotiator: teſtamento omnium bonorum ſuorum reliquit formoſam vxorem heredem, & adiecit Elogium, Quia pudicam comperi.* Artificio-

C ſum

ſum eſt Elogium, quod de ſe victo fecit Tigranes apud Velleium lib. II. *Non eſt turpe vinci ab eo, quem vincere eſſet nefas: neque ei inhoneſtè aliquem ſubmitti, quem fortuna ſuper omnes extuliſſet.*

Porrò antiquorum marmorum exprimentium cauſam poſitionis, quae idcirco nomen Elogij ſibi vendicant, haec habe paradigmata. Ex Grutero pag. CCXXVI. num. 7.

XXXIV.

IMP. CAESARI. DIVI. F. AVGVSTO
PONT. MAX. IMP. XIIII. TRIBVNIC. POTESTAT. XVII
S. P. Q. R
QVOD. EIVS. DVCTV. AVSPICISQVE
GENTES. ALPINAE. OMNES. QVAE. A. MARI
SVPERO. AD. INFERVM. PERTINEBANT
SVB. IMPERIVM. P. R. REDACTAE. SVNT

Ex eodem pag. XVII. num. 7.

XXXV.

DEO. MAG
NO. AETERN
L. STATIVS. DI
ODORVS. QVOT
SE. PRAECIBVS
COMPOTEM
FECISSET
V. S. L. M * *Votum Soluit Libens Merito.*

Aduerte obiter Archaiſmum in *Quot* pro *Quod*, & *Praecibus* pro *Precibus*. De quo pete lib. II. Obſoletarum vocum ſyllab. Claſs. II. Caeterùm forma Inſcribendi optima, cuiuſmodi apud Antiquarios occurrunt plurimae. Egregio quoquè exemplo eſt, vbi aliter exprimitur cauſa, apud Auctorem Inſcriptionum Sacroſanctae Vetuſtatis, videlicet

XXXVI.

IMP. CAES. L. SEPTIMIO. M. FIL. SEVERO. PIO. PER
TINACI. AVG. P. P. PARTH. ARABICO. ET. PARTH. ADIA
BENICO. PON. MAX. TRIB. POT. XI. IMP. XI. COS. III. PRO
COS. ET. IMP. CAES. M. AVRELIO. FIL. ANTONINO. AVG. P
F. TRIB. POT. VI. COS. PROCOS. P. P. OPTIMIS. FORTISSI
MISQ. PRINCIPIB. OB. REMP. RESTITVTAM. IMPERIVMQ
P. R. PROPAGATVM. INSIGNIBVS. VIRTVTIB
EORVM. DOMI. FORISQ. S. P. Q. R

Et vbi preſſiùs cauſa attexitur, vt ex Grut. pag. XXXI. num. 8.

XXXVII.

P. POPIL. AVITVS. P. F. INDVL
GENTIA. PONTIFI. ICEDITA
NOR. LOCVM. SEPVL
ACCEPI. ANTE. AED. DEAE
MAGNAE. CYBELES. QVAM
IRATAM. MORTE
SENSI

Adhuc preſſiùs ibid. CCXXVI. 8. In Euchariſticis id ſolemne.

SENATVS

XXXVIII.

SENATVS. POPVLVSQVE. ROMANVS
IMP. CAESARI. DIVI. IVLI. F. COS. QVINCT
COS DESIGN. SEX. IMP. SEPT
REPVBLICA. CONSERVATA

Quod in Votiuis ferè praeſtari probant plura marmora, in queis ratio ſeu cauſa explicatur. Vt apud Gruterum pag. XXVIII. num. 4.

XXXIX.

PRAESENTIAE
MATRIS. DEVM
P. SEPTIMIVS
FELIX
OB. CORONAM
MILLESIMI
VRBIS. ANNI

Nobiliùs dignitatem ſpirat apud eundem pag. XXIII. num. 3.

XL.

IOVI. STATORI
HERCVLI. VICTORI
M VLP. NERVA TRA
IANVS. CAESAR
VICTO. DECEBALO
DOMITA. DACIA
VOTVM. SOL
VIT
ASPICE. ROMV
LE. PATER
GAVDETE. QVI
RITES
VESTRA. ISTA
EST. GLORIA

Vides, quemadmodum Decebalus victus, & Dacia domita damnarunt voto Traianum. Et illud artificioſius cauſam allegat, ibidem pag. XVIII. num. 3.

XLI.

IOVI. CAPITOL
MARTI. ET. FORTVNAE
ALIISQ. DIS. CONSERVAT
DOMVS. AVG
IMP. CAESARIS. DIVI. F
AVGVSTI. PONT. MAX
VOTO. SVSCEPTO
L. DOMITIVS. MAXIMVS
S. P. P. * *Sua pecunia poſuit*

Quod itaque Conſeruator extiterit Iupiter Capitolinus & Dij reliqui; quòd per eum ſuſceperit Domitius Votum, ratio popoſcit, vt votiuam hanc tabulam, ſeu quid aliud, cuius ea index eſſet, dedicaret. Ratio autem & praemittitur ſaepè, vt apud Grut. pag. XVI. num. 12.

XLII.

EX. IVSSV. I. O. M. D
L. TETTIVS. HERMES
CVM. CONIVGE. SVA. ET. FILIS
CANTHARVM. CVM
VASE. SVA. POSVERVNT

Adde Epigraphas nuptiales, in queis felicitatis omen fit, & communis laetitiae teſtificatio, vt in recenti tabula Florentina in Arcu ad triumphalium morem erecto. Eam citat Franciſcus Suueertius in ſelectis Chriſt. Orbis Delicijs, videlicet

XLIII.

VRBEM. FELICISS. AVSPICIIS
AD. ETRVSCI. REGNI. PROLEM
AVGVSTO. SANGVINE
PROPAGANDAM INGREDIENTI
QVOD. FAVSTO. CONNVBIO
SVMMOS. EVROPAE. PRINCIPES
ARCTIORI. AMORIS. NEXV. DEVINCIAT
PROVINCIAE. SECVRITATEM
PRINCIPIBVS. FIDVCIAM
POPVLIS. HILARITATEM. AVGEAT
FLORENTIA. EXVLTANS. FESTIS
ACCLAMATIONIBVS
OBVIAM. EFFVSA
FORTVNATVM. ADVENTVM
LAETA. AC. FELICIA. OMNIA
APPRECATVR. MDXXXVI

Erectus fuit hic Arcus Margaritae Auſtriae Caroli V. Imp. Filiae, ab Alexandro Medice, Florentinorum Duce, Sponſo. Cui loco ſe ingerit meritò Aloyſius Iuglaris Auctor inſcripti Arcus Sereniſſimis Sponſis, vbi cauſam lepidè inſerit,

XLIV.

FECIALIBVS. PACIS. SVAE. SPONSIS
SERENISSIMIS. SABAVDIAE. PRINCIPIBVS
MAVRITIO. ET. ALOYSIAE. MARIAE
SENATVS. POPVLVSQVE. NICIENSIS
PRO. IANI. FORIBVS. CLAVSIS
HAS. TRIVMPHALES. APERVIT

V. Nonnumquam Elogij nomine donatum videas Epigramma ſtrictum numeris (ſicut

cut contrà ſolutum dictum paſſim Antiquis Epigramma, obſeruat Vincentius Gallus Opuſculo de Epigr. Cap. I.) Hoc liquet ex loco Suetonij in Claudio, Cap. I. *Nec contentus Elogium tumulo eius verſibus à ſe compoſitis inſculpſiſſe, etiam vitae memoriam proſa oratione compoſuit.* Vbi vides opponi verſibus proſam orationem, ijs autem metricis. Exinde manaſſe arbitramur inſtitutum carmine inſcribendi tumulos: Et à veterum quidem exemplis citandis ſuperſedemus, vno recentium contenti, Manibus magni Viri à magno Elogiaſte dicato Voſſij nimirum ab A. Thyſio:

XLV.

GER. IOANNIS. VOSSII
HOC. TVMVLO. PLORAT. PIETAS. ET. CANDIDA. VIRTVS
ET. LVCTV. PALLAS. SAXEA. DIRIGVIT
INVIDA. MORS. RIDET. RIDET. QVOQVE. VOSSIVS. ILLAM
DVM. CALAMO. MORTEM. VINCIT. ET. INGENIO

Cenotaphia his appone, nimirum tumulis honorarijs Elogia indita, cuius generis eminet in Carolum V. Caeſarem:

XLVI.

LIQVISTI. EXVVIAS. GELIDO. SVB. MARMORE. SED. NON
QVANTVS. ERAS. CAESAR. MARMOR. ET. VRNA. CAPIT
PRO. TVMVLO. PONAS. ORBEM. PRO. TEGMINE. CAELVM
PRO. FACIBVS. STELLAS. PRO. IMPERIO. EMPYREVM

Haud ſecus Epigrammata ſtricta quibuſcunque alijs operibus impoſita nomine Elogij cenſentur; huiuſmodi priſcis vſitatiſſima, Graecis, Latinis, Veluti Epigramma geminum Pontis Salarij ſuper Anienem ſtrati, à Totila Gotho reuulſi, à Narſete pro Iuſtiniano Caeſare reſtituti; alterum proſa, metro alterum. Vtrunque hoc loco referemus, ne diſtrahantur; ſed proſaici impuritates, quas ſeculi conditio tulit, minuſculis literis notabimus, vt caueantur, videlicet:

XLVII.

IMPERANTE.d.n PIISSIMO AC TRIVMPHALI.SEMPER.IVSTINIANO.PP AVG.ANN.XXXVIIII
NARSES. VIR GLORIOSISSIMVS. EX. PRAEPOSITO. SACRI. PALATII. EX. CONS
ATQ. PATRICIVS. POST. VICTORIAM. GOTHICAM. IPSIS. EORVM. REGIBVS
CELERITATE MIRABILI. CONFLICTV. PVBLICO. SVPERATIS. ATQVE. PROSTRATIS
LIBERTATE.VRBIs.ROMAE AC.TOTIus ITALIAE RESTITVTA PONTEM.VIAE.SALARIAE.VS
QVE AD. AQVAM. A NEFANDiſſimO. TOTILA. TYRANNO. DI-
STRVCTVM. PVRGATO. FLVMINIS. ALVEO. IN. MELIOREM. STATVM. QVAM
QVONDAM. FVERAT. RENOVAVIT

Metricum verò purius, & venuſtius ita legitur

XLVIII.

QVAM. BENE. * CVRBATI. DIRECTA. EST. SEMITA. PONTIS
ATQVE. INTERRVPTVM. CONTINVATVR. ITER
CALCAMVS. RAPIDAS. SVBIECTI. GVRGITIS. VNDAS
ET. LIBET. IRATAE. CERNERE. MVRMVR. AQVAE
ITE. IGITVR. FACILES. PER. GAVDIA. VESTRA. QVIRITES
ET. NARSIM RESONANS. PLAVSVS. VBIQVE. CANAT
QVI. POTVIT. RIGIDAS. GOTHORVM. SVBDERE. MENTES
HIC. DOCVIT. DVRVM. FLVMINA. FERRE. IVGVM

* pro *Curuati* antiq.

Citat Gruterus CLXI. num. 1. 2.

Signi

Hic ſi conferas cum Martiale Iuglarem, diſpicies omnino, & eſſe Epigrammatis Elogium cognatum,& modico negotio transferri in Elogium Epigramma, ſolutione numeri, & immutatione materiae; decoro tamen Elogij ſeruato, quod à Iuglare hoc loco praeſtitum putamus in tumulo honorario; ſiquidem in vero haud credimus luſiſſet poëticè. Vide infrà lib.V. de Venuſtate, vbi de decoro Elogij, Cap. ...... A membro .....

Alterum exemplum immutationem habet ſolius numeri, materia tota ac forma ſeruata. Nimirum in nuptijs Odoardi Farneſij,Parmenſis Reguli, cum Margarita Medicea Etruriae Principe. inter pompam multiplicem Regalis magnificentiae tollebat ſe ſuperbo faſtigio Regia Veneris, ac Hymenaei, opus temporarium, ſed omnibus abſolutum numeris ad oſtentationem artis, & luxus (cuius deſcriptionem, quia lucem publicato volumine aſpexit, aliunde petes) & qua parte exhibenda erat in patente campo ſpecies certaminis, ea frontem Regiae adornabat in ingenti tabula inſcriptum Bellicum, numeris quidem ſolutum,ſed ita amans adſtringi, vt, cùm ipſum priùs legeris ab excellenti Vate in carmen coniectum, pòſt liberum reuiſeris, non facile promptum fuerit iudicare,viuaciùs ne carmine canat, an proſâ. Accipe igitur verſum à Petro Adriano Van den BroecKe Flandro-Belgico in hunc Dithyrambum:

LVIII.

Clamat Carpatio totus ab Aequore
Cupido; clamat de Sicula procul
Molle ſubridens Erycina Valle:
Ad Arma Sponſi, Ad Arma Coniuges
Armata toto clamat ab Aethere
Iuno virginei pronuba lecti,
Eroſque pugnans nobilis
Cum nobili Anterote Ad Arma Nobiles
Heroas altè conuocat
Viroſque Pulchritudo, Hilaritas foeminas
Iuuenta Iuuenes, & Voluptas nubiles
Vocat Puellas.
Armigeri Infantes, ſtirps imperioſa Deorum
Vocant Ad Arma Milites
Ad Arma Reges incitant
Cedant Arma Fides, Pietas, Chariteſque reclamant
Parma reſpondet, Genialia ad Arma
Queis ira deſit vindicans
Queis caedis impiae furor
Pronaque rabies fundere ſanguinem.
Obſequia, haud mortem teneri mercantur Amores
Pan ſtratus à Cupidine
Praedicat: decora vis eſt
Succumbere & Procumbere
Tympana, Tubae, Tormenta, Tibiaeque
Sonitu, clangore, boatu
Rutilantibus vndique flammis
Vociferantur
Omnia moues, Omnia regis
Vincis Amor Omnia.

Hactenus Bellicum inflatum carmine, ipſoque commodiùs ad genium Dithyrambico: Nunc ipſum pedeſtri Elogio fuſum accipe, Auctore Marcello Buttilio

AD

LIX.

AD. ARMA. CONCLAMAT. AMOR
AD. ARMA. SPONSOS. ARMATA. VENVS
AD. ARMA. CONIVGES. ARMATA. IVNO
AD. ARMA. HEROAS
CVM. ANTEROTE. PVGNANS. EROS
AD. ARMA
VIROS. FOEMINAS. IVVENES. PVELLAS
PVLCHRITVDO. HILARITAS. IVVENTVS. VOLVPTAS
AD. ARMA. DVCES. MILITES. AD. ARMA
ARMIGERI. DEORVM. VOCANT. INFANTES
CEDANT. ARMA. FIDES. PIETAS. CHARITES
RECLAMANT
PARMA. RESPONDET. AD. ARMA
QVIBVS
NON. IRA. VINDICTAM. NON. RABIES. SANGVINEM
NON. FVROR. CAEDEM
REPOSCVNT
OBSEQVIVM. NON. MORTEM
CERTANTES. QVAERVNT. FRATRES
PROCVMBERE. DVLCE. DECORVM. SVCCVMBERE
PAN. A. CVPIDINE. PROSTRATVS. PRAEDICAT
TYMPANA. TVBAE. TORMENTA
SONITV. CLANGORE. BOATV
RVTILANTIBVS. VNDIQVE. FLAMMIS
EXCLAMANT
OMNIA. MOVES. OMNIA. REGIS. OMNIA. VINCIS
AMOR

In hac facie ambigua idem argumentum, ſi attentè contempleris, haud ambiges quin expreſſum belliſſimè ſit vtrobique Elogium; ſed vtrum pretio anteponas.

At eſt, inquies, Amor materies ambigua, aequè prona ad carmen, & proſae patiens: Accedimus & nos: ſed & motus bellicos, qui ſuperius Elogium animant, & Moerorem, & Vota, caeteroſque affectus, quos Poëta exequitur, non vtique erit cur deſideres in Elogiaſte ſoluto, ſi veterum memorias, & recentium opera huc vſque à nobis citata, & deinceps pro opportunitate citanda inſpexeris.

Reſtat, vt huius inter Elogium & Epigramma cognationis argumenta alia producamus. Ex his non obſcurum eſt, quod, veluti Emblema Academicum figura conſtat, & carmine interprete, quo carmine exponitur rei forma in figura exhibitae; ſimulque Auctoris argumento, ſeu intentae materiae accommodatur: Ita vice carminis natum eſt Elogium ſolutum cuiuis materiae dilucidandae in Emblemate. Extat in ſelectis Delicijs apud Suueertium in Vrbe Dreſda praeclarum exemplum: Erecta Herculis ſtatua Lernam necantis: inſcriptaque in ſtatuae baſi interpretatio eius ſymboli per facti collationem, ad modum planè Emblematis Academici; niſi quod ſeculi conditio vitium contraxit barbariae in voce *Irreptam* (quam ideo nos praenotauimus aſteriſco) ex verbo ſcilicet neutro in participium paſſiuum malè deducta, niſi canoni Grammaticorum intercedat hoc loco auctoritas veterum nobis adhuc incomperta: Eſt autem Inſcriptio

LX.

DIVO. MAXIMILIANO. II. IMPERATORI. MAX. CAES. AVGVSTO OB DESIDERATISS. ILLIVS ADVENTVM AVGVSTVS DVX SAXONIAE ELECTOR GRATVLATIONIS ET OBSERVANTIAE ERGO FIERI CVRAVIT. VT HEROS INCLYTVS SECTAM CALVINISTICAM IN HAS TERRAS * IRREPTAM ET DISSIMVLANTER NVTRITAM. DEO IVVANTE SVO ET OPPRIMERET ET VINCERET SICVTI LERNAM HERCVLES NVMEROSVM LICET MONSTRVM IGNE TANDEM VICIT, ET MORI DOCVIT

Cui

Cui meritò allegimus recens exemplum, ipſumque abſolutiſſimum, Iulij Perotti Mediolanenſis, Collegae noſtri, quo auctore in Academia Infoecundorum Florentiae, noſtris in Aedibus, à Ferdinando Alexandro Gondio, Patritio Florentino eius alumno, ſpeique magnae adoleſcente, ſymbolum eſt propoſitum, qua die is Princeps Academiae renuntiatus. Quod quidem ſymbolum placuit ſubiecto Elogio pedeſtri ad communem eruditionē illuſtrare. Prodijt autem depictus inter varias arbores medius Rhamnus, & is florens quaſi ſatellitio ſtipatus Rex, ſumpta è ſacris literis (lib. Iudic. cap. IX.) alluſione, impoſitoque lemmate *Vtroque imperat* ſpinis nimirum & floribus cum ſubſcripto Elogio, videlicet

LXI.

EN . CIVES
EXPRESSAM . REGIS . IMAGINEM
NOBILEM . IN . RADICE . STIRPIS
HVMOREM
IN . FLORE . GLORIAM . FORTVNAM
POTENTIAM
OBSIDENTIBVS . SPINIS . NE
INTVMESCAT
DISCITE
REGEM . QVI . ALITER . PINXERIT
REGIAM . PERSONAM . AVT
DEFORMABIT . AVT
EXVET

Ad haec non contemnendae fidei ſunt veſtigia illa Antiquitatis, quùm & Graecè, & Latinè proſam inſculperent marmoribus in morem Epigrammatum Elegiacorum, ideſt exceſſu ac receſſu verſuum mutuo, quaſi hexametrorum carminum & pentametrorum. Sic Vrnae antiquae Mediolani olim in foro (quamquam alia forma deſcribat Gruterus haud oculatus teſtis) ita inductos verſus refert Auctor Inſcriptionum ſacroſ. vetuſt.

LXII.

MOTARIAE . P. F. PIISS
MASCELLIO . F. FELIX . ET
TVTATIA . CRISTINA
FILIO . DVLCISSIMO
MEMORIAM . POSVERVNT
CONTRA . VOTVM

Alia huiuſmodi apud Antiquarios offendes paſſim. Antiquos imitati ſunt recentium eruditiſſimi, nec ab re putamus fuiſſe, vt his inter locum dederit Auctor Inſcriptionum ſacroſanctae vetuſtatis, inſerens tumulum Neapolitanum ſuperiore ſeculo à Io. Iouiano Pontano ſibimet inſcriptum, quem vti ab illo refertur, etiam nos referemus: videlicet

LXIII.

VIVVS . DOMVM . HANC . MIHI . PARAVI . IN . QVA
QVIESCEREM . MORTVVS . NOLI . OBSECRO . INIVRIAM
MORTVO . FACERE . VIVENS . QVAM . FECERIM . NEMINI
SVM . ETENIM . IOANNES . IOVIANVS . PONTANVS
QVEM . AMAVERVNT . VIRI . PROBI . HONESTAVE
RVNT REGES . DOMINI . SCIS . IAM . QVI . SIM . AVT . QVI
POTIVS . FVERIM . EGO . VERO . TE . HOSPES . NOSCERE . IN
TENEBRIS . NEQVEO . SED . TE . IPSVM . VT
NOSCAS . ROGO . VALE
MORTVVS . EST . ANNO . CHRISTI . M. D. V

Vbi profectò cauſa nulla abſoluendae ſententiae, vel membri, vel etiam dictionis principia illa verſuum alterna ſuggeſſit, ſed vna ſuaſit vetus forma elegiacè inſcribendi. Adijcimus alterum extremo eo ſeculo poſitum Mediolani in aede Diui Barnabae (eſt primaria noſtri Ordinis, vnde & nomen vulgare emanauit) praegrandi in marmore, & operoſo, ita, vt ibi legitur, adamuſſim exſcriptum

AVGVSTINVS

LXIV.

AVGVSTINVS . CVSANVS
DE . COLLEGIO . I. C. MEDIOL
EX . CLERICO. ET. AVDIT. CAM. AP
PRESB. CARDINALIS
A . CONC. TRID. INTERPRETANDO
A . CONSVLTATIONE . EPISCOP
AC . MIN. CONVEN. CORRECTOR
VIR . SVMMA . IN. DEVM. RELIGIONE
AC. IN. PAVPERES . PIETATE
ANNVM. AETATIS. SVAE. LVI. AGENS
RELICTO . SVI. DESIDERIO . IN
PATRIAE. SINV . XX. OCT. M. D. II. C
E. VITA. MIGRAVIT
PRAEFECTI. HOSP. M. HAERED
CARD. ET. CIVI . OPTIME. MERITO
GRATI. ANIMI. M. P

Atque vt in ſoluta Inſcriptione referebant Priſci formam adſtricti Epigrammatis ; ita in adſtricto ipſo perrumpebant interdum verſus, quos vnus diſtinguebat pedum numerus. Cernitur Romae Vrna, teſte Auctore Inſcript. ſacroſ. Vetuſt. hac diſpoſitione verſuum literata

LXV.

D . D . S * *ideſt Dijs, Deabus ſacrum*
VRNA . BREVIS . GEMINVM . QVAMVIS . TENET. ISTA
CADAVER . ATTAMEN . IN . CAELO . SPIRITVS
VNVS . ADEST. VIXIMVS. VNANIMES . LVCIVSQ
ET. FLAVIVS. IDEM . SENSVS . AMOR . STVDIVM
VITA . DVOBVS . ERAT

Baſi quoquè Romae, quam memorat Gruterus pag. XLIII. num. 7. In qua ita digeſti, vt liberae Inſcriptionis, Verſus

LXVI.

ALCIDE. SACRI. GENERIS
DECVS. HOC. TIBI
PRAETOR
ET. IOVIS. ANTISTES
DEDICO. PERPETVVS

Aliam deinde habes & quidem Romae, ſed tractu carminis hexametri pleno, & verſu pari, apud eundem Grut. pag. DCLVIII. num. 10.

LXVII.

D : M
MVSICA . CVM . CANTV . RESONARES . CARMI
NA . MIRE. ADTAS . PARVE . PVER . DVLCI
CELEBRATVS. AMORE . MORTE. GRAVI. RAPTVS
TAETRA. DEFVNGERIS. ORA. IMMERITVS. DE
CIMO . PRAEGRESSVS . NOBILIS . ANNO
SET. TE. NOSTER . AMOR. MEMORI. PIETATE
REFORMAT. AT. QVANVIS. TE. TERRA. TEGAT
MISERABILIS . IMA . SIC . DOLOR . IN. PARVO
CRESCIT . REFERENTE . SEPVLCRO
Q. BVCVSVS. CRESCENS. ET. MINDIA. FORTV
NATA . ALVMNO . BENEMERENTI . FECER
FILIO . MARTIALIS

Sunt

Sunt & marmora exarata Epigrammatis Elegiacis, id eſt hexametri, & pentametri carminis in morem ſoluti Elogij; perpetuo idcirco ductu, nec verſu extante, aut recedente. Vnum hic citamus ex multis, quod habes apud Gruterum pag. DCCCXLIII. num. 3.

LXVIII.

INGRATAE . VENERI
SPONDEBAM . MVNERA
SVPPLEX . EREPTA . CONIVX
VIRGINITATE . TIBI . PERSEPHO
NE. VOTIS. INVIDIT. PALLIDA. NOS
TRIS . ET . PRAEMATVRO . FVNE
RE . TE . RAPVIT . SVPPREMVM
VERSVS . MVNVS . DONAMVS
ET . ARAM . ET . GRATAM . CAE
PSIT . DOCTA . PEDANA
CHELYM . ME . NVNC . TORQVET
AMOR . TIBI . TRISTIS . CVRA
RECESSIT . LETHEOQVE
IACES . CONDITA . SARCOPHAGO

Per haec quaſi lecta veſtigia deprehenſam tandem habebimus naturam Elogij, quod ita libet definire, & quidem preſsè vſurpatum, nihil vt aliud ſit, quam INSCRIPTA REBVS AD POSTERORVM VTILITATEM ORATIO. In hac enim definitione diſtinguimus rectè ex Ariſtotelico praeſcripto duo illa membra Genus & Differentiam. Siquidem quod Elogium dicatur *Oratio*, commune habet cum Philoſophia, Oratoria, Hiſtoria, Poëſi, atque his ſubiectis formis. Itaque Generis locum obtinebit Oratio. Reliqua verò Differentiae. Nam ſi *Inſcripta*, ergo à Philoſophia, & Oratoria ſecernitur, quod illa ſuopte ingenio in mente ſedem habeat, haec autem vocalis ſit. Ab Hiſtoria quoquè, quae ſcribitur, non inſcribitur: Item prolixitatem non reſpuit, à qua abhorret Inſcriptio, quae quia cum titulo conuenit, breuitate continetur. Adde & ab oratione Epiſtolari, quae & ipſa ſcribitur, non inſcribitur; datur, non inditur, quà epiſtola eſt. *Inſcripta* autem *rebus*, quia Elogij materiam res omnes ſuggerunt, ergo & Homo, & Purae Mentes, & Deus. Atque in hanc partem venit Elogium metricum, propriâ voce Epigramma, quia propriè inſcribitur, quia breuitatem amat, quia de rebus omnibus eſt, nec reliqua deſiderat ex definitione mox explicanda. Denique *ad poſterorum vtilitatem*, quippe ad aeternitatem natum Elogium eſt, nec niſi caſu in cunis extinguitur: ſicut etiam ſcripto committitur, nec niſi fortuitò cum voce euaneſcit, niſi meliùs dixeris, tunc fieri ſpeciem Oratoriae, & quidem Laconici generis. Vtilitatem porro hanc refer ad eam, quae ex triplici genere Cauſarum in Rhetoricis manat, nimirum Demonſtratiuo, Deliberatiuo, Iudiciali; De quibus proportione infrà, initio alterius Partis, cùm de Elogij ſpeciebus. In vtilitate verò finis innuitur Elogiaſtae, hoc autem artium auctores ſemper intendunt, niſi arte contra inſtituti rectam rationem abutantur. Sed & conditiones inuoluuntur Elogij ad vtilitatem aſſequendam deſtinatae: hae ſunt Puritas, Perſpicuitas, & Venuſtas, ſub qua Argutia.

Obſignare placet hanc partem obſeruatione haud leui. Elogium ſolutum tametſi ~~in~~ Epigrammatis ſtrictè cognatum, perquam tamen alienum fieri, & (vel ſupra veterem vſum loquendi) hoſtem in eo, quod Scaliger in Poetica lib. III. Cap. CXXV. concedit Epigrammati, ſic habens: *Tot verbis, verborumque generibus, ſpeciebus, formis, figuris, modis componi, quot ſunt in quocunque linguae, nationis, populi, gentis ambitu genera, ſpecies, formae, figurae, modi verborum. Quin etiam non ſolùm noua licere fingere; verùm etiam Soloeciſmos aliquando, aut Barbariſmos admittere. Nouitas illa vel inoffenſa, vel interdum diſtorta excitat vel riſum, vel admirationem.* Ita quidem Scaliger de ſuo Epigrammate. Sed viderit ipſe. Nobis autem nihil in re noſtra tale videtur. Siquidem Epigramma ſtrictum, natum quoque Theatro, ac Scenae, huiuſmodi forte cultum laſciuiorem non reſpuit. Solutum verò Elogium in Foro, in Lyceo, in Templo, in Auguſtali, in Sepulchro ſedem inuenit, raroquè iocis ingeritur, tùm verò non vt minus, nec vt ſcurra. Itaque matronalem elegantiam, hoc eſt venuſtatem cum dignitate, & modeſtia ſibi aſciſcit. Quamquam & quod ibi ſubdit Scaliger (nec vindicem habuit, quem certè putabamus fore eruditum virum in paucis Thomam Corraeam, De Epigramm. Cap. V.) exemplum ſoloeciſmi in in illo Martialis

Non vitioſus homo es, Zoile, ſed vitium

ſcilicet vbi Abſtractum pro Concreto (vt dicunt in Scholis) contra Dialecticas leges praedicatur,

dicatur, iam non vnius mos eſt Epigrammatarij, ſed etiam Epici

Heu pietas, Heu priſca fides. Virg.

& Comici

Vbi eſt ille ſcelus, qui me perdidit? Terent.

atque adeo Oratoris: *Iſti immani, atque intolerandae barbariei reſiſtamus*, pro Barbaris, Cic. orat. pro Fonteio. Quin ipſe Cicero Philoſophi perſonam grauiorem ſumens, in Officijs ait: *Cedant Arma Togae*, pro Armati Togatis: *Concedat laurea linguae*, pro Laureati victores diſertis oratoribus. Atque hunc verſiculum à Cicerone ipſo, repreſſa Catilinaria coniuratione compoſitum, non verò citatum ex alio Auctore fuiſſe probatum fecere criminationes illae inuidorum, & inuectiones in ipſum Ciceronem, Lucij Beſtiae, Criſpi Salluſtij, & M. Antonij.

Alterum quoque Scaligeri exemplum, *Non es bonus, ſed optimus malorum*, ſi ſoloeciſmo damnetur, parem Antiphraſi notam inuſſerimus, cùm ea tamen tropis, & figuris Rhetoricis, hoc eſt luminibus orationis adnumeretur. Illa ergo Phraſis *Optimus malorum* abuſionem quidem habet vocis *Optimus* pro *Peſſimus*, ſed eſt ſale condita; deſiperet autem certè, ſi vocis propriae vſum reciperet.

Elogium Quantum ſit ſeu Moles.

HVc illa celebris quaeſtio vocanda de Epigrammate (quoniam ipſi affine Elogium fecimus) Quantumnam id futurum ſit, breue, an prolixum. Et quidem (vt alterum ex altero definiatur) Epigramma Monoſticho poſſe concludi, ratio ſatis probat, & exempla: Diſticho vno perfici, ſenſere nonnulli: Pluribus ad vſque Decaſtichon, vſus communis oſtendit Icoſiſtichon, ſeu viginti verſuum fecerunt Poëtae auctoritatis haud mediocris: Vltra trigeſimum protulere verſum Martialis & Catullus hoc in genere principes. Quamquam diſtinguunt aliqui: In carmine Elegiaco vltra Decaſtichon non probari, plus vltrà in alijs, Epodis videlicet, Hexametris, Scazontibus, Anacreonteis, Hendecaſyllabis, Placet omnino illa Martialis cenſura lib. II. Epigr. LXXVII. qua Coſconium perſtringit exactorem breuitatis adeo tetricum, vt epigrammata non ex ingenio, ſed ex menſura tantùm cenſeret. Confutat verò illum primum argumento à ſimili, ideſt Coloſſi altitudinis pedum centum & decem, quem tamen dici longum non patitur aut Dei maieſtas, cui poſitus fuit, aut Imperatoris magnificentia, à quo poſitus: Tùm auctoritate Marſi & Pedonis poëtarum inſignium, quorum vnum ipſum Epigramma paginas binas implebat. Nobis itaque Epigramma longum non eſt, cui pro conditione argumenti nihil detrahi poteſt, tametſi multos procurrat in verſus. Vt contrà Diſticho comprehenſum, aut Monoſticho exiſtere longum poſſe teſtimonio Martialis, ſi nimirùm quid in eo redundet.

Conſonat perbellè Elogij quantitas, quod vna quandoque dictione, ne dum verſu contineri poſſe, & ſuprà innuimus, & fuſiùs ſuo loco infrà trademus cùm de Elogio Atomo: Caeterùm ad eam procurrere metam, quam exigit argumentum ita vt neque ſuperfluat illi quidquam, neque quod, ſaluo ſententiae decoro, adimi poſſit. Itaque ex ſimplicibus, quae ſanè breuiora compoſitis amant eſſe, quaedam repereris ipſis longiora compoſitis: Contrà, ex compoſitis breuiora quaedam ſimplicibus.

Porrò inter ſimplicia cenſemus hiſtorica (de quibus ſuo loco) quæ in molem tractu quidem laxam excreſcere interdum contingit, rei autem complexu omninò ſuccinctam. Vnum pro multis paradigma ſit Epigraphe Villae Iuliae ad Romam, quam non idcirco poenitebit totam referre. Legitur ea inter Romanas, quas collegit Franciſcus Suueertius in *Selectis Chriſtiani Orbis delicijs* editione noua ad annum MDCXXV. Coloniae Agrippinae: Videlicet

IVLII

LXIX.

IVLII. III. Pontiſ. Max. auſpicio BALDVINVS eius frater hoc ſuburbanum propè Flaminiam, ab Antonio patruo Cardinale olim animi cauſa comparatum, ſyluis, hortis, vniuerſiſque contiguis, & quibuſuis plantarum generibus numero penè infinito à ſe auctum, nouoque ac politiore cultu nullo non loco directum, atque illuſtratum: aqua Virgine & fontibus ſaluberrimis è latebris terrae inaccesſis non minus ad commune omnium, quàm ad priuatum commodum eductis, vndique irriguum factum ſalientibus, piſcina, auiario, atque hoc quaſi theatro admirabili picturarum, ſtatuarum, emblematum ſplendore conſtructiſs. Temploque in primis DEO Opt. Max. ac D. ANDREAE ab ipſo IVLIO Pontiſ. erecto atque dicato: ſibi, Innocentio Cardinali, & Fabiano Comiti, filijs, & eorum poſteris in ampliorem & auctiorem formam redegit. Praedium autem hoc ipſum, ac quidquid vſpiam in eo ortum, cultum, ſtructum, ampliatum, ornatum vel in praeſenti eſt, vel erit in poſterum, ſiue totum, ſiue aliqua ex parte cuiuſque modi, & quantula ea cumque fuerit, praeter ipſos fructus, vti nullo prorſus pretio, nullo pacto, nullo iure, cuiquam vnquam alicui vendi, obligari, donari, alioue quouis modo alienari poſſit, teſtamento in perpetuum ab eodem BALDVINO omnibus eſt interdictum, ne de nomine exeat familiae ſuae.

In hac ſimplici Epigrapha, vel (vt maius) Elogio nihil prolixum occurrit, quippe nihil redundans, ſi mens attenditur inſcribentis. Exponendum enim fuit primùm Tempus per Pontificatum Iulij III. à quo etiam conſilium rei profectum, & appellatio Villae. Deinde Villae Dominus, & Iulij frater Balduinus: Tum locus deſignatus, hoc nempe ſuburbanum prope Flaminiam: Et à quo ad Balduinum tranſmiſſus, ideſt ab Antonio emptore: Et quorſum, i. e. animi gratia: Pòſt deſcribendum quid operis praeſtiterit ibi Balduinus ad amplificationem, ad ornatum, ad amoenitatem: Qua id mente, nimirum ad cõmune ſimul priuatumque commodum: Templum inibi, à quo erectum, cui dicatum: Cuius vſui ac poſſeſſioni deſtinata Villa vniuerſa, nempe ſibi, fratribus, ac ſucceſſoribus. Cautio denique, ne qua ex parte diſtrahatur, Teſtamento Domini facta, & hic religiosè fuerat recitanda ex Teſtatoris voluntate. Quibus ſingulatim inſpectis atque perpenſis commoda profectò breuitas ibi conſtabit in tanta rerum comprehenſione, neque prolixitatis extabit veſtigium. Quod ſi purè *Villa Iulia* inſcripta foret, ne ipſius quidem appellationis occaſio innoteſceret; tamque praeterea multiplicem cognitionem de Regia Villa deſideraſſent gentiles ipſi ſucceſſores, ne dum exteri, & peregrini.

Contrà verò proferatur ex Aloyſio Iuglare Inſcriptio illa, qua fūnus indicit Ioannis Toërāſij Galliae Mareſcalchi, videlicet

LXX.

Reuiſite Toëraſium Ciues
Pugnae Perijt Ille, Non Gloriae
Eius Nihil Miſerandum In Morte
Cuius In Vita Inuidenda Sunt Omnia
Flente Tamen Principe
Sine Lachrymis Priuatos Eſſe Non Decet
Quas Gratuitas Dedit Ipſa Serenitas
Vos Debetis.

Haec porrò compoſita, quia Oratoria, & tota ſales: ſtringitque compendio dictionis Panegyricum totum. Prolixiorem ergo iure dixeris ſuperiore illa, quae hiſtorica eſt, ex argumento, quod hic paucioribus licuiſſet abſoluere, non illic, decoro ſeruato.

Verùm vt planius adhuc fiat, quale ſit in rem praeſentem Decorum ſententiae, quoniam Elogij commendatio non mediocris in breuitate conſiſtit, audiendi ſunt Cicero, & Quintilianus

de breuitate Oratoriae narrationis vti diſſerant; id quod ad praeſcribendum Elogio modum conducet.

Ac Cicero quidem de Orat. lib. II. expendens narrationem Terentianam in Andriae Actu I. ſub initium, de cadauere Chryſidis in rogum iniecto, longam eam indicat in genere Narrationis, dum habet: *Nam is poſtquam exceſſit ex ephebis* &c. (ſic orditur Comicus) *Quàm longa* inquit *Tullius*, *narratio eſt? mores adoleſcentis ipſius, & ſeruilis percontatio, mors Chryſidis, vultus & forma, & lamentatio ſororis: reliqua peruariè iucundèque narrantur.* (Deinde in compendium contrahens ait) *Quòd ſi hanc breuitatem quaeſiſſet; Effertur, imus, ad ſepulchrum venimus, in ignem poſita eſt. In his ferè decem verſiculis totum conficere potuiſſet: quamquam hoc ipſum Effertur, Imus, conciſum eſt ita, vt non breuitati ſeruitum ſit, ſed magis venuſtati. Quod ſi nihil fuiſſet, niſi In ignem poſita eſt; tamen res tota cognoſci facilè potuiſſet.* Hactenus Cicero. Ex quo licet deducere, nihil Elogio, ne conciſè quidem inſeri poſſe, quod in ſententia ſtrictim promenda redundans fuerit.

Quintilianus verò Inſtitut. Orator. lib. IV. Cap. II. Narrationis breuitatem ad eundem fere modum praeſcribit. *Solet*, inquit, *eſſe quaedam partium breuitas, quae longam tamen efficit ſummam. In portum veni; nauim proſpexi; quanti veheret, interrogaui; de pretio conueni; conſcendi; ſublatae ſunt anchorae; ſoluimus ora; prouecti ſumus. Nihil horum dici celeriùs poteſt: ſed ſufficit dicere: E portu nauigaui. Et quoties exitus rei ſatis oſtendit priora, debemus hoc eſſe contenti, quo reliqua intelliguntur. Quare cùm dicere liceat: Eſt mihi filius iuuenis, omnia illa ſuperuacua: Cupidus ego liberorum vxorem duxi, natum ſuſtuli, filium educaui, in adoleſcentiam perduxi. Ideoque Graecorum aliqu alium circumciſam expoſitionem, id eſt* σύντομον, *aliud breuem putauerunt; quòd illa ſuperuacuis careret, haec poſſet aliquid ex neceſſarijs deſiderare* &c. Pauloque infrà ſubijcit Quintilianus: *Non minùs autem cauenda erit, quae nimium corripientes omnia ſequitur obſcuritas, ſatiùſque eſt aliquid narrationi ſupereſſe, quàm deeſſe: Nam ſuperuacua cum taedio dicuntur, neceſſaria cum periculo ſubtrahuntur.* Sed nos hac de re infra, cùm de Perſpicuitate Elogij.

Illud eſt maximè cauendum tyronibus, extare Hiſtorias, & Orationes titulo praefixas Elogij; Cuius generis ſunt Authore P. Iouio Elogia Virorum illuſtrium Armis & Literis: Euſebio Sarrino Nicolai Baccetij, ipſoque Baccetio Scriptorum decem, qui in Italia centum annorum ſpatio Latina eloquentia floruerunt (excipimus Apoſtropham ad eoſdem Decem Scriptores, quae numeris continetur Elogij Panegyrici rotundi) Rurſus Euſebio Sarrino Elogia viginti. Porrò Auctoris vtriuſque manuſcripta dumtaxat, nec dum publicae luci data, aſſeruantur in Bibliotheca Florentina Coenobij Ciſterciensis. Praeterea Iacobi Gauatij Elogia illuſtrium Anachoretarum: Quae tamen omnia meracae ſunt hiſtoriae, etſi florenti ſtylo, & ſublimi. Felicis autem Verduccioli Elogium funebre de Georgio Borea, & huius notae alia, dictionis Oratoriae legibus parent, nihilque habent commune nobiſcum. Alia quoquè identidem prodire ipſo titulo Elogij, quae tamen ex effuſa prolixitate, ac rerum multiplici congerie nomen potius Elegiae, aut heroici Poëmatis ſoluti numeris ſibi aſciſcunt, ad eum planè modum, quo nobis Elogium eſt Epigramma ſolutum. Hocce nos inuentum haud improbamus, ſpecioſum quippe, ac floreſcente ſeculo noſtro dignum. At non facit Elogium ſolus laconiſmus, verſuumque inciſio. Quemadmodum ergo poëma Elegiacum, atque Heroicum eſt aliud ab Epigrammate, tametſi carmine, metro, ac caeteris cum eo conueniens: non ſecus à natura Elogij prolixae illae lucubrationes, quae macrocolla inferciunt. Ex hoc genere numerantur compluria (aliqua quidem ex his digna cedro), vt Inſcriptio quam ſuomet ſepulchro appoſuit Thomas Morus, citata à Franc. Suueertio in Delicijs ſel. Chriſt. Orbis inter Anglica: Aethiopëia de Mantuano excidio, cuius initium: *Excipe ſinuoſis Caelorum tractibus Echo ferales eiulatus meos*: Queſtus de armis Gallicis Italiae infeſtis; *Quando inter arma trepidi muteſcunt Cycni, argutus aliquis inter Cycnos ginguat Anſer*: Laudatio Marchionis Leganenſis, prouinciae Mediolanen. Praefecti: *Gloriam lumenque ſeculi tui venerare Inſuber*: Elogium funebre Ludouici XIII. cognomento Iuſti Gall. & Nau. Regis Chriſtianiſs. *Quis & quantus ereptus ſit terris, Orbem docet attonitum luctus Franciae* (niſi hic meliùs dicendus ſit

Panegyricus

Panegyricus Oratorius Laconicè expreſſus ad miraculum ingenij Gallici) Antonio Chanut è Soc. I. Auctore: Eiuſdem Ludouici Vita, & Elogia; Petro Labbe è Soc. I. Auctore: *Hic qualis quantuſque hoc ſeculo futurus eſſet, praedixit ab altero ſeculo Clemens VIII.* (& hic quidem iuſtiùs videtur Panegyricus filo vitae deductus, totidem conflatus propoſitionibus illatiuis, quot ibi feruntur Elogia: eloquentiae tamen mirabilis, nec indignae titulo Elogij, ſi membratim ac caeſim legatur: cui proximè adhaeret recentiſſimus Auctor (eius, quod inſcripſit *Elogium Cardinalis Iulij Mazarini Apologeticum, ſeu Hiſtoriae Gallico-Mazarinae compendium*) Nicolaus Charpy A Sancta Cruce. Epitaphium Ioſephi Adiaceti à Baſilio Corradino inſcriptum Peruſiae: *Si pium olim*: Votum Staſicratis de Caeſare Montio Cardinale Auctore Alphonſo Rhaudenſe (vulgò Rhò) *Suſpice cum magno tuo domitore Macedone Auguſto ſpectator Orbis*. Elogium, ſeu Trophaeum Marchioni Carazenae pro excuſſa obſidione Papienſi, nuper editum ab Haymone Corio, cuius extant, & alia ſtylo eodem ac numero. Elogium, Parmenſis Ciuitatis nomine Dicatum Diuo Franciſco Xauerio Sancti Patris Ignatij Loyolae Socio, ac Filio, Societatis Ieſu culmini, ac lumini praeſtantiſſimo, Cuius eſt initium: *Nae tu Franciſce noſtro maior Elogio es* &c. Laus Bonauenturae Caballij, Concionatoris eximij ex ordine Franciſcano à Valerio Chimentello Florentino in Acad. Piſana literarum humaniorum profeſſore: *Huc Lector. Admirandum viſes Caballum.* Elogium Octauij Piccolominei ab Aragona in praelio Lutzenſi contra Suecos victoris Italico ſtylo, ſed elegantiſſimo per Claudium Achillinum: *Gli auuiſi della memoranda battaglia di Lutzen*. Eodem vulgari ſtylo Elogium *Prioris* Aldobrandini in Norlingenſi praelio extincti, Auctore N. Francuccio I. C.: *Nella paſſata notte delle Germaniche turbulenze altra luce non fù veduta, che quella delle ſtelle Aldobrandine*. Elogium Mauri Bagnoli in Franciſcum Bilium Epiſcopum Ticinenſem: Multa Chriſtophori Giardae, quamquam alia ipſe ediderit caſtigatiora, ac digna Elogio, ne dum Elogij titulo. Nam quae de Card. Richelieuo circumferuntur, partim Oratoriae ſunt Panegyres, nimium quippe effuſae, cuiuſmodi Teſtamentum Chriſtianum, Teſtamentum Politicum, & Vitae Synopſis inſcribenda tumulo: partim Elogia iuſto laxiora, vt Epitaphium Sorbonicum, & illud: *Pijs Manibus. Adſta Viator. Quò properas? Quod numquam videbis & audies hic tegitur.* Prudenter Antonius Maria Herba Mediolanen. titulo Allocutionis muniuit, quod alijs fuiſſet Elogium, laudationem Caroli Corij Philoſophiae candidati, cui initium: *Iure Capitolino tecum agitur*. Et Hannibal Adamius è Soc. I. Gratulationis titulo, quod luſit in aureum Diadema Lucenſis Crucifixi Regis. Ea ſiquidem Elogij modum excedunt. Quapropter orationibus XX. Ioannis Iacobi Palaemonij in laudem Virginis Deiparae non detrectauerim titulum facere Elogiorum, ſi modò propoſitiones illatiuae reſoluantur, quae ita in Elogia totidem euadent, adeò ſcitè ad laconiſmi leges, ac Veneres animantur. Ioannes Baptiſta Maſculus Encomia praenotauit, quibus nomen Elogiorum iure dandum fuerat; perſtricta duplici volumine, altero, quae ſunt Caelitum per ſingulos anni dies, altero illuſtrium virorum, ac foeminarum veteris hiſtoriae ſacrae. Nam etſi prolixitas obſtat vltra iuſtum de Diuo Bernardo, D. Franciſco Xauerio, ac Coelitibus omnibus Tomo priore; poſteriore autem de Adamo, Eua, Noẽmo, Abrahamo, Ioſepho, Iobo, Aarone, Ioſue, Dauide, Helia, Daniele, Ezechiele, Iuda Machabaeo; ſi nomen inquam Elogij attribuerim: in tanta nihilominus copia Encomiorum pauca haec facilè abſorberet, compenſaretque reliquorum moles iuſta, omniumque vniuerſim elegantia, & lepor ad omnes numeros.

Haec dum dictamus, en incidimus in Vitas, & Elogia duodecim Patrum, Auctore Ioanne Andrea Alberto Nicienſi è Soc. I. In queis haud ſatis miramur non tam perpetuum illum tractum amoenitatis quaeſitiſſimae, quàm ſtudium ipſius Auctoris, qui ſingulorum deinceps vitas Patrum aggreſſus ſuum quidem cuique aſcribit Tumulum, Vitas autem ipſas ſuppreſſo priore titulo Elogia inſcribit, non Vitas. Quid hoc autem? (ſic ipſi nobiſcum) An quòd Vitae titulus purior eſt, & impar ſtylo inito ad oſtentationem florentiſſimo? An quòd in ſubſequente Tumulo viueret defuncti Patris memoria meliùs, quàm in ſuamet vita? An quòd

mutatis nominibus Elogia Vitas referunt, Tumuli Elogia? At (rem expediamus) neque illud dici Elogium patitur prolixitas dictionis, neque melior vllus typus Elogij viſus eſt, quam his in Tumulis. Appellemus igitur potiùs Laconicum Panegyricum, illuſtriſſimum illum quidem, quam Elogium; & Tumulis viuaciſſimam Elogij formam non negemus. Ita Elogiaſtae famam colligit Auctor in Tumulis immortalem, & Panegyriſtae Laconici in Elogijs, nullo Elogio exaequandam. Eſt adhuc, quem tyronibus cauendum indicemus, ſcopulus multo, quam Ceraunia, infamior, naufragijs frequentibus noſtratium ingeniorum. Irrepſit quippe hodie in mentes plurimorum idea illa dicendi, veteribus ignorata, rationi abſurdiſſima, vt longum quemque ad molem magni voluminis ſermonem in genere quolibet vel diſputatiuo & contentioſo, non niſi ad cultum Laconicum componant, abruptè admodum, preſsè, minutim, conciſis numeris, repetitis ſpiritibus: Cuius artifices rectè tu cum Auguſtino Maſcatdo (in Arte Hiſt. tract. V. part. II.) Aſthmaticos dixeris, vt qui ſingultiunt, non diſſerunt: anhelant, non loquuntur, graui cum taedio audientium, aut ſcripta legentium. Praemoniti autem ſatis fuiſſent Quintiliano docente (Inſtit. Or. lib. II. Cap. III.) *Spiritus quoque nec crebro receptus concidat ſententiam, nec eò vſque trahatur, donec deficiat.* Superſedemus exemplis, ~~nec~~ ne cui infenſi ſimus: Satis enim oſtendunt moniti noſtri momentum, quae quotidie prodeunt monſtra huius generis.

Haec de quantitate Elogij ex ratione. Aliter autem ex caſu. Hic namque interdum ſeueriùs cogit in breuitatem, quàm lex praecipiat. Nimirum quùm anguſtius aequo ſpatium permittitur cudendae inſcriptioni. In quo ſanè quantum commendari par eſt felicitatem illius ingenij, cui ſucceſſerit perarcta in tabula plura concludere; tantumdem damnari illius hominis conſilium, qui, quàm de Inſcriptione cogitet, priùs molem ipſam inſcribendam ex arbitrio ſibi format, ſimulque operi manum adhibet poſtremam; tùm demum Elogiographum accerſens iubet Iliadem in nucleum cogere. Praepoſtera enimuerò deliberatio, & ineptientis peccatum inexpiabile. Ecquis hominum tam infrunitus, qui neſciat, ſi erigendus demandetur Arcus, Trophaeum, Tumulus, monumentum aliud marmoreum, aereum, aut id generis conſecrandae memoriae in poſteris alicuius ſummi Viri, aut egregij facinoris, aut mirandi ſucceſſus; ita molem iſtam totam inſeruire debere illi memoriae, vt ne elegantiae quidem, magnificentiaeuè maioris gratia violetur eiuſdem memoriae conſignandae iuſtus locus? At hoc, inquam, vel inuidentis eſt hominis alienae gloriae, vel ſuae nimium ambitioſi, vt Operis ſtructura Auctorem magis prodere debeat, quam cui iure eſt deſtinata.

Volo igitur Elogiaſten in primis prudentem. Ita Inſcriptionem rogatus, ſi tabula definita iam fuerit, eius ſiue amplitudini, ſiue anguſtijs accommodet ſeſe, neceſſum eſt. Malit autem ſpatioſiores margines, grandiores literas, ampliora interſtitia, quae vtique oculos implent, ſimul & ingerunt menti plus quiddam dignitatis, ac venerationis erga memoriam poſitam. In breui autem ſpatio colligendae totae vires ingenij, vt compendio multa ſtringantur, quae quidem ſummorum ingeniorum eſt palma. Qualem retuliſſet Auctor Epitaphij in Vuenceſlaum Borgardum, citati à Franciſco Suueertio in ſelectis Chriſtiani Orbis delicijs inter Bononienſia, quod hic referre pretium erit laboris, Videlicet:

LXXI.

Incomparabile, ò Viator, exemplum conſtantiae, atque continentiae ſancta integritate, & inclyta fide illuſtre, bonarum & artium, cippus en aſpice, vt paruus tegit. Quid hoc quaeris? VVenceſlaus Borgardus Olmonte ortus (Morauiae ea Vrbs eſt, Iulium Montem vocant Latini) Is vnicus patri, nuper Bononiae vnico vnicè ſalutem optans adferre amico, peſte mortuus occumbit. Plura iſte non capit lapis. Vale igitur, atque his pia oſſibus dic verba, ſi es pius. Vixit annos XXVIII. Menſes X. Obijt MDXVII.

Namque

Namque arte prudentibus haud occulta, quaſi defuerit in proceſſu locus laudibus defuncti, dixit: *Plura iſte non capit lapis*. Potuerat autem caſtigatiùs inſcribere, & ſententiam exprimere ſuam ſaluo decoro, in hunc fere modum. *Incomparabile, ò Viator, exemplum conſtantiae, continentiae, fidei, integritatis, bonarum artium en paruus vt tegit cippus. VVenceſlaus Borgardus hic eſt: Olmonte vrbe Morauiae, Iulio Monte Latinis, ortus Patri vnicus atque vnico amico peroptans ſalutem afferre. Heu Bononiae extinctus peſte. Plura non capit lapis, nec patitur quidem. Oſſibus tu bene precare & vale. Vixit ann.* &c. *Obijt* &c. Hoc ſiſtendi modo praetendes colorem plurium laudum afferendarum, etſi nullae ſuperſint: multò magis breuitati tabulae dabis compendium multarum rerum, quas lector ſubintelliget.

Omnino autem diſtantiam proſpectus aduertes ad deſignationem literarum. Nam quae cominus legenda offertur tabula, ea vtique minuſculas admittit literas, longioremque proinde Inſcriptionem: Quae verò eminùs & grandiores literas poſcit, & inſcriptionem breuiorem. Exemplo eſſe poſſunt bini tituli in fronte Panthei Romani, quorum ſuperior literis pedalibus conſtat, inferior digitalibus, nimirum ille remotior ab aſpectu, hic propior, vt habes apud Ianum Gruterum pag. I. num. 1. Id ipſum paſſim occurret in veterum recentiorumque monumentis. Ad ſummam iudicium magis, quàm ingenium huc afferendum, nec magis acumine eſt opus, quàm maturitate, vt & materiae inſcribendae fiat ſatis, & iuſtae ſcripturae: alteraque ſic alteri morigeretur.

Reliquum eſt, vt prolixitatis in compoſito quidem Elogio damnandae exemplum aliquod afferamus: nam iuſtae, & honeſtae dabunt ſua mole, quae toto operis huius corpore allegabuntur, & quaſi Herculeae metae praeſcriptum in ſeſe gerent *Non Plus Vltra*. Placetque ſeligere Chriſtophorum Giardam in ſacrum Florentinorum Principis natalitium: qui quidem Auctor nobis teſtibus (fuit enim & ex Ordine noſtro, & Collega in profitenda publicè Eloquentia in Academia Alexandrina Mediolani) acriter refellens, qui huic luſui titulum Elogij adiectum volebant, cenſuit inſcribere *Genethliacum*, quaſi ſolutam Elogiam, non Epigramma (quae eſt Elogij forma) excedente modum curſu teſtaretur, Videlicet:

IN

LXXII.

IN SACRVM
FLORENTINORVM PRINCIPIS
NATALITIVM
CHRISTOPHORI GIARDAE

Genethliacum

TERRARVM DOMINA, REGINA PROVINCIARVM ORBIS
EVROPA DICTVRA GENETHLIACVM
ETRVRIAE PRINCIPI
IN ETRVSCI LVCEM, ET SECVRITATEM IMPERII
FELICITER EDITO
AD NATALITIVM CARMEN
NON EXCIVIT MVSAS, NON GRATES ACCERSIVIT
SED EXCITAVIT FILIAS REGIONES INVITAVIT.
AGGREDERE ITALIA, GERMANIA EXCIPE
PROSEQVERE GALLIA, HISPANIA CLAVDE, ET PLAVDE
PRINCEPS INFANS
QVEM MEDICEI ORBES PER VICTRICEM QVERCVM
SVBMISERE
AVDENTE SOLO, SALO GAVDENTE, PLAVDENTE CAELO
VOLVPTATIS FONTI SIMILLIMVS ERVPIT
PARADISVM ITALIAE FLORENTIAM SVIS LAETITIAE
VNDIS ITA IRRIGAT
QVATVOR VT IN SVMMA DISCRETVS GAVDII FLVMINA
CHRISTIANI ORBIS PARTES QVATVOR PRAECIPVAS
ET FOECVNDET, ET BEET.
INCIPIT PRIMA
QVAE IN IVRE FOECVNDITATIS ET FELICITATIS
POTISSIMA EST
ITALIA
MAGNE PVER
CVIVS REGALI IN ORTV
FAVSTA OMINA, MAGNA OMNIA
MAGNORVM PROPAGO DVCVM
ITALICAE DOMINATIONIS BRACHIVM ALTERVM
FLORENTISSIMAE REGIONIS SPES PRIMA
MEDICEI FIRMAMENTVM IMPERII
THIRRENI ARBITER MARIS
MAGISTER EQVITVM
QVOS TREMIT ORIENS
QVOS OCCIDENS SVAE LIBERTATIS ASSERIT VINDICES
QVORVM PAVORE TVRCICAE LABORANT LVNAE
SI FERDINANDI PARENTIS
FERREVM NOMEN, MORES AVREI
SI MATERNI NOMINIS INVICTVM ET TRIVMPHALE OMEN
LOQVVNTVR VERA, MARS ERIS ITALVS.
SI PVLCHRO IN CORPORE
PVLCHRIOR ADHVC RESPICITVR ANIMI VIRTVS
APOLLO ERIS ETRVSCVS
SI FLEXANIMA DICENDI VIS
QVAM TIBI POLLICENTVR SIDERA EXPENDITVR
TIRRHENVS ERIS MERCVRIVS
SI GENIVS IVVANDIS MORTALIBVS TECVM SIMVL EXORTVS SPECTATVR
CHRISTIANAE REIP. NE DVM ETRVRIAE SPERARE LICET
NON FICTVM, SED VERVM IOVEM
E ROBORE DOLATVM, SED ITALO

NATVM

NATVM EX QVERCV, SED OPE MEDICA
INTER APVM EXAMINA
QVAE ROMANI CAELI DOMINAE
E VATICANIS HORTIS
ROSCIDA TIBI ELABORABVNT MELLA
SED ET
GERMANAE AQVILAE
REGIVM PVLLVM IMPERATORIOS SVBLATVM IN HVMEROS
CAESAREIS SOLIBVS OPPONVNT
ET QVIA IRRETORTIS SPECTAT LVMINIBVS
AVSTRIACVM PATERNA EX MATRE SANGVINEM
BAVARORVM DVCI. SARMATARVM REGI
ROMANORVM IMPERATORI AFFINEM
ET AGNOSCVNT ET PROBANT.
NEC ALIO DECVIT MENSE QVAM AVGVSTI
AVGVSTAM PROGENIEM NASCI
FERDINANDIS SECVNDO AC TERTIO AVGVSTIS
ET AVGVSTE ET ANGVSTE CONIVNCTAM
AT GALLIAE
CATHARINAM ET MARIAM
MEDICEA E DOMO REGINAS, ET REGVM SVORVM
PARENTES NACTAE
PLENIS MANIBVS AVREA SPARGVNT LILIA
NOVO PARTV FIRMATAM STIRPEM REGIAM
GRATVLANTES
NOVA OMINANTES CONNVBIA
QVIBVS ALIQVANDO AVT SORORES AVT FILIAS
ET DET ET ACCIPIAT IN VXORES REGIAS.
CLAVDVNT
HISPANIAE
DIVITES, ET PLAVDVNT
NASCENTI FOEDERATO PRINCIPI
PRO FLORIBVS MALA; PRO LILIIS AVREA VELLERA
PRO MVNERIBVS MAIORA OFFERVNT REGNA.
FLORENTIAE DOMINATIONEM
CAROLVS HVIVS NOMINIS QVINTVS MEDICEIS ASSERVIT
DITIONEM SENARVM PHILIPPVS II. ADIECIT
PHILIPPI TERTIVS AC QVARTVS
NECESSITVDINE ET MVNIMINE PRINCIPATVM
FIRMAVERE
QVINTVM ETRVRIA SVSTINET
SVA MVNIFICENTIA
ANTIQVVM ETRVSCORVM REGVM RENOVABIT
ET TITVLVM ET SCEPTRVM.
EVROPAEIS INTER SE COLLAETANTIBVS PROVINCIIS
SOLA MOERET ET INGEMISCIT GRAECIA
SVAE CLADIS PRAESCIA, SVI EXCIDII NON IGNARA
EX NOVI ORTV ET ASPECTV ITALICI SIDERIS
PRAESENTIENS, AC PRAEVIDENS
SVAE EVERSIONEM IMMANISSIMAE TYRANNIDIS
IN VNIVS ORE AC FACIE PARVVLI.
QVOD SIT INTVITA
MVLTOS INESSE MAGNOS COSMOS
PLVRES INESSE MAGNOS FERDINANDOS
QVID NI FVTVRVS SIT MAIOR MAXIMIS
MELIOR OPTIMIS?
QVEM NON TAM PARENS AC PRINCEPS MAGNA EDIDIT
QVAM PARENTVM VOTIS, POPVLORVM OPTATIS
ASSVMPTA IN CAELVM VIRGO

TRIVMPHALEM

TRIVMPHALEM ANTE DIEM SVBMISIT ?
ADMONITIONE SALVBERRIMA FINIT
EVROPA
DISCITE PRINCIPES FILIOS ET POTISSIMVM
IMPERIORVM HEREDES
NEC SANCTIVS A DEO POSTVLARI
NEC SECVRIVS OBTINERI
QVAM PER VIRGINEM DEI ET GENITRICEM ET FILIAM
RERVM OMNIVM CONSTITVTAM HEREDEM
ET DOMINAM.



ELOGII CHARACTER LIBER II.

PROLVSIO.

NOn vnus eſt, atque indiuiduus character Elogij, quemadmodum nec finis vnus. Aliud quippe Elogium Hiſtoricum, aliud Oratorium, aliud Poëticum. Hiſtoria docendo eſt nata, Oratoria laudando, Poëtica ludendo ſimul & monendo, ſeu (vt ille) miſcendo dulci vtile. Prima itaque characterem poſcit ſimplicem, & planum; altera grandem, & rotundum; tertia feſtiuum, & pictum. Porrò triplex hicce character Elogij tres illas dotes cum Epigrammate, cuius eſſe cognatum indicauimus, communes habet; videlicet Breuitatem, Argutiam, Venuſtatem, ſiue Suauitatem: adde quartam huiuſce conſectariam, Perſpicuitatem. Quae, quibus parentur, conſequentibus libris ſigillatim perſequemur. Et Breuitatem quidem Elogium, quale id cumque ſit, poſtulat; Argutiam Poëticum magis, quàm Oratorium; Venuſtatem prae caeteris Hiſtoricum, in quo & Argutiae ſupplet partes, vt ne huic quidem ſua idcirco deeſſe Argutia dici poſſit. Denique Perſpicuitas deſiderari nuſquam patitur.

Omnino nihil habeat Elogiaſtes antiquius, quàm vt elocutionem afferat bonae notae, monitum illud aureum Ciceronis in Bruto ad ſe transferens, qui de Oratore formando, *Solùm quidem*, inquit, *& quaſi fundamentum Oratoris vides locutionem emendatam & Latinam*. Ac Mendas quidem alias atque alias, quibus corrumpitur locutio, indicant Rhetores: Nos verò ab ijs potiſſimè cauere Elogiaſten iubemus, Videlicet A Verborum Raritate, Humilitate, Sordibus, Obſcenitate, Antiquitate, Peregrinitate, Barbarie.

PARS PRIOR

I. Verborum Raritas.

RAra verba raró quidem in vſu ſint, oportet. Hoc vel Poëtis,quibus licentia maior, ne dum Proſae orationis Scriptoribus obſeruatum: Adeo vt C.Caeſar de Analogia monuerit, *Infrequens atque inſolens verbum tamquam ſcopulum fugiendum eſſe*. Rara illa feruntur *Anguſtia* num. ſing. pro plur. *Anguſtiae*: *Ipſiſſimus*, *Geminiſſimus*, quae Comicis permittuntur. *Interatim* pro *Interim*: *Explicui* pro *Explicaui*: *Vagor* pro *Vagitus*: *Ens* & *Eſſentia*, quae teſte Quintiliano lib. VIII. Cap. III. dura principio fuere; nunc Philoſophis dumtaxat trita, Elogiaſtes praeter neceſſitatem excernet. *Summatus rerum*, *De ſua impendia*, *Delicia*, *ae* vſurpauit Elogiaſtes ex recentibus pro *Summum Imperium*, *ſummum regimen Reip.* *De ſua pecunia*, *ſuo aere*, & *Deliciae*, *arum*. Nomen *Phoenix* (vt obſeruat Vinc. Gallus in Rhetore) raró in genere foeminino, ſaepiùs maſculino. Quamquam verò quis auſit hinc improbare. Elogium quod iſta commodùm dictantibus nobis affertur ex Auguſta Taurinorum, vbi in recenti tranſitu Reginae Suecorum expoſitum fuit Auctore illo, quem Elogiaſtarum Phoenicem citra inuidiam meritò dixerimus, Emanuele Theſauro? Scilicet non ingenio ſolum, ſed iudicio magis opus eſſe monens foeminae, quae Phoenix inter Principes appellari poſſet, accommodauit nomen ad ſexum, facturus profectò aliter, ſi Auem ipſam propriè nominandam habuiſſet, aut translatè Virum, Heroemuè laudandum. Sed & raritas locutionis non eo ipſo

excludit

excludit penitùs, ſed rarum indicit vſum, & ex re nata dumtaxat, vt in Elogio, quod tibi exhibemus: Videlicet

I.

PHOENICEM
Viſere quiſquis auet, huc eat.
Hanc in Arabia nidulari Fabula eſt
In Suetia naſcitur.
Regnante Claudio Romae viſam ne credas
Alexandro VII. auſpicante primum appulit
Vnam eſſe tandem qui putat, male computat.
Bellicoſorum Phoenix, Sapientum Phoenix
Regum Phoenix, Virginum Phoenix
Quadruplex & Vnica eſt Phoenix
Chriſtiana Magni Guſtaui Filia

Minus ergo iudicij, plus autem inuidiae prodidiſſe ſe fateatur, oportet, qui nobis Elogium admiratione proſequentibus cenſuram ſuam è veſtigio intruſit huiuſmodi

II.

PHOENICEM
Viſere quiſquis auet Hic adſit
Nidulari in Arabia eſt in fabulis
In Suetia naſcitur
Regnante Romae Claudio non niſi in ſomnis viſa:
Auſpicante Alexandro VII. Vrbs primùm vidit oculis
Foeminino genere literatorum vulgus vſurpet
Eminentiores enim maſculino
Ipſe vſus rarior foeminini
Phoenicem arguit Virum in foemina.
Muliebrem hic ergo & vnam qui facit
Phoenicem inficiatur & ſingularem
Bellicoſorum, Sapientum, Regum, Virginum, Viraginum
PHOENIX
CHRISTIANA
Magni Guſtaui
Vnicum germen & Quincuplex

Inter haec verſantibus ſelectas Delicias Orbis Chriſtiani Franciſco Suueertio Auctore, incidimus forte ſub titulo Hafniae, in Epitaphium Iacobi Bordingi, vbi haec legimus; *Grati hoc animi memoraculum Patri optimo P.* quae quidem dictio *memoraculum* raritatis habet miraculum, ne dicam nouitatis. Cur non autem trita, ſed non inelegans eligi debuit *monumentum*?

II. Verborum Humilitas.

HVmilia Verba interpretantur Rhetores, quae aut perſonae inferiora dignitate ſunt, aut rei. Non immoramur in vulgatis exemplis, cuiuſmodi ex Cic. de Orat. Si tempeſtas exprimatur vocabulo Comeſſationis, vbi translatum minus valet proprio: Aut ex Vinc. Gallo in Rhet. Si Iouem Regulum quis dicat, aut Summum Pontificem Sacerdotem: Sed in rem noſtram adnotabimus

tabimus Elogiaſtem nouitium, qui dixit *candidam turbam* pro agmine Angelorum; Aptiùs pro agmine Anſerum: Et alium, qui *Superum vulgus*; cũ vulgi appellatio multitudini congruat ignobiliori. Humilitate pariter videtur laborare Inſcriptio apud Gruterum (non enim bono ſeculo natam quis credat) pag. DCLXXI. n. 13.

III.

AVR. CONSTANTINAE . SIVE . PALLADIAE INFANTI . INNOCENTISSIMAE QVAE . V. A. XII. M. XI

Puella namque tredecennis vno minor menſe qui poſſit infans dici, haud ſcio, vt quae infantiam ſexto iam anno exceſſit: ni fatuam ſibi voluit, vt natu tam grandis infantiſſima adhuc eſſet, &, qualis ponè praedicatur, innocentiſſima: Aut ni forte amoris teneritudo exceſſum illum Parenti ſuggeſſit, quod non eſt improbandum. Ab eiuſmodi humilitate quantum illud extollitur de Iuuene in Epitaphio Leonhardi Veronae, *Indolis, ac ſpei incomparabilis Iuuem*? Humile quoque viſum Cenſori haud gregario Epitheton apud Polam in Inſcriptione ad ponte Atheeſis in agro Veronen. quâ ad nuptias Philippi III. Regis Hiſpp. Sponſa tendebat:

IV.

MARGARITAE . AVSTRIACAE . CVIVS AVGVSTAE . NVPTIAE . TOTVM TERRARVM . ORBEM . IN . SE . CONVERTVNT . RESP . VENET . DEVOTA NVMINI . MAIESTATIQ . EIVS

Quandoquidem Deuotae appellatio demiſſam facit Reip. Ampliſſimae maieſtatem: Nec eam formulam Antiquis ſolemnem vſurpare fas fuit, niſi decoro ſeruato, ideſt ad Summum Principem nomine ſubiecti illius imperio ſiue priuati hominis, ſeu Ciuitatis, Ordiniſuè, vt apud Grut. eſt obſeruare titulo *Caeſarum, Imperatorumque*.

Illa enimuerò formula cenſoriam notam piorum prouocauit, qua videtur idem Pola Deum poſthabere Diuis Georgio, & Stephano in honore Templi dedicati, ac veluti minorem ſeruitijs ſuis Dominum conſtituere. Sic enim inſcripſit Venetijs in D. Georgij Maioris:

V.

Diuis. Praeſtitibus. iuuantibus. Georgio. Stephanoque Qui. eſt. Protomartyr. Cum. DEO. OPT. MAX. Dicatum. Dedicatum. eſto. hoc. Templum. Quod Sanctus. Monachorum. Ordo. de. ſua. impendia opere. cultuque. omni. ampliauit. Exequente. Dominico. Colonien. Archimandrita. M.D.C.X. Leonardo. Donato. Principe. Maximo. Felici. Perenni*

Quid enim aliud ſonat Praepoſitio *Cum*, niſi Deum accitum comitem, & (vt olim in Conuiuijs) Vmbram? Quid locus poſterior aſſignatus, niſi delatum gradũ honoris ſecundum Deo, primum Georgio, ac Stephano? Neque habet, vnde ſe tueatur Auctor, Antiquorum exemplo apud Grut. pag. II. n. 9. vbi legitur: DIIS. DEABVS . PENATIBVS . FAMILIARIBVS . ET IOVI . CETERISVE . DIIBVS: Neque vèl per formulam ipſam ibid. n. 10. DIIS . DEABVSQ . CVM . IOVE. Quem Iouem alleget licet appellatum antiquis Optimum Maximum. Nam longè alia ac ratio Ethnicis, eſt nobis. Illi gregem Deorum colentes praetulerint alium Deum alij, & Ioui Maximo vnum ex Minoribus, vbi certi cultus, & peculiaris ritus poſceret ratio. Adi infrà huius Libri Elog. LXXXII. Quare ſaniùs Pola, ſecutus vſum Chriſtianis tritum, inſcripſiſſet (neque hercle minus magnificè) *DEO. OPT. MAX. & Praeſtitibus iuuantibus Georgio* &c.

Ac nequis Polamaſtigas nos dicat, en ſtetimus nuper à Pola, tutatique ſumus contra ſciolum Inſcriptionem eius Veronenſem, videlicet:

VI.

*Pullati. Sodales. Crucifixi. Chriſti. * Pientiſſimi. Hoc. Sibi. Conditorium. Habento Ioſephus. Aurifex. Flaminius. Paduanus Magiſtri. Sodalitatis. Fecerunt. Et. Sibi M.D.C.V*

Nam Pientiſſimi (inquit) Epitheton, ſi homini tribuas, grãde omnino eſt, & vena felicitatis, non laudis ſolummodò diues: *Dij meliora pijs* auguratur Vates, Georg. III. ſcilicet pius eſt, qui colens Deum viuit ſecundum praecepta ipſius: Quod ſi Chriſto pietatem in homines tribuis, nonnè Maieſtatem imminueris Diuinam? Humile igitur omnino hic ſonat vox *Pientiſſimi*. Haec ille. Quem certè fugiſſe neceſſe eſt, Pietatem in Deum, etiam in homines translatam, & quidem ſeculo optimo, vt arguit Cic. pro Plan. *Pietas fundamentum eſt omnium virtutum; Parentem vt Deum vereri; atque non multò ſecus ac parentes, liberos amare debemus*. Neque ſolùm pij vocati Parentes in liberos, ſed alij in alios, quos idem Cicero innuit in Rhet. *Pietas eſt, per quam ſanguine iũctis, patriaeque beneuolis officium, & diligens tribuitur cultus*. Hinc deducat Cenſor, Pietatem non eſſe reuerẽtiae duntaxat obſe-

quium, ſed benignitatis quoque, & miſericordiae. Hoc ex vocis proprietate. Nam ex nitore, iam euicit ex aureo ſeculo Vates (Aeneid. IV.) *Numina pia* vocans. Quidni ergo vſurpet Pola, *Chriſti Pientiſſimi*? Dei videlicet Parentis noſtri, conſanguinei noſtri, & cauſa noſtra Crucifixi? Conſule Grut. pag. DXXXVIII. n. 11. vbi marmor Romanum ad Columnam Antonini habet & *Parenti pientiſſimo*; & *Filij piiſſimi*. Vtrum verò horum purius dictum nos commodiùs alibi.

Caeterùm humilitatem etiam olent translata à rebus domeſticis ignobilioribus. Ipſa adeo neceſſitas probat hoc genus Translata, vtputa in alluſionibus ad ſacra dicta inſigniora, cuiuſmodi Iuglaris Elogio XVI. de *Chriſto IESV*; *Ad annum vſque trigeſimum aetatis exercente lignariam*. Vbi habet: *Itanè igitur lux Mundi in Mundum veneris, vt lateres? Nobis natus tibi cur viuas? Theſaurus ignoratus neminem ditat, & LVCERNA SVB MODIO meretur orbari lumine, quod habet, quia nulli dat* &c. Lucerna autem ardens ſub modio, id eſt in abdito poſita modus eſt loquendi petitus à vaſe, quod modij menſuram habet, ac domeſtico inſeruit vſui, humilior, quàm ferat Elogij dignitas; ſed honeſtat alluſio ad dictum Matthaei cap. V. *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub MODIO, ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt*. Eſtque dictio ipſa Graecè ibi expreſſa καὶ τιθέασιν αὐτὸν ὑπὸ τὸν μόδιον.

Improprietas vocum poteſt ad humilitatem referri. Vt in Epitaphio Mediolanenſi

VII.

D. Iohannino, & Fatiolo Barlaſſinis Franciſcanae Religionis praecipuis Benefactoribus ob inſignia beneficia in eam collata Fratres huius Conuentus vt quolibet die Sacrum faciendum, & ſingulo quoque menſe Annuale celebrandum, & ad perpetuam huius rei memoriam lapidem hunc erigendum curarunt MDLXXXI. VIII. Cal. Iun.

Ineptia verò hic admittitur, appellando Annuale, quod ſingulis menſibus celebretur. Sed neque *Annuale* Latinè dixeris (obiter) neque *Benefactoribus*, neque *ſingulo quoque menſe*.

Praeterea Voces compoſitione poëticae humile quiddam ſonant in proſa Elogij, niſi ferat ratio ipſa argumenti, puta in re ludicra, atque humili. Quare non auſim inſcribere *Legirupa* cum Plauto in Pſe. Nec *Auripeta* cum Pona, Elog. de Domitiano vbi habet: *Parente genitus auripeta ſanguinem ipſe auro potiorem habuit*. Nec *Seruicola* cum eodem, de Claudio: *Imperanti nihil cum Imperio, Seruicola, Vxorius*. Nec *Honoripeta* cum Anonymo.

Humilibus adſcribunt nonnulli ſua contraria; Interpretare primo, quae perſonae ſunt conditione maiora. Cuiuſmodi obſeruatum fuit Epitheton Puero datum in Epitaphio Veneto

VIII.

IOANNI . MAGIO
Puero Incomparabili
Qui ob imperitiam obſtetricis
Ex vtero ſtatim tranſlatus
Eſt ad tumulum Die XXI. Decemb.
MDXXXII

Nam is dicitur puer incomparabilis; cui proceſſu vitae ſpecimen dare virtutis ſingularis fas eſt, non qui vix lucem aſpexit. Excipe, quos in ortu ipſo celebres effecerunt prodigioſi euentus, vt Ioannem Baptiſtam, & alios, quod de Ioanne Magio noſtro non memoratur. II. vocabula à rebus nimiùm grandibus petita, velut ſi Nauium Gubernator dicatur *Rex*: & belli *montes fabricare*, & ſimilia his, quas vitioſas metaphoras vocant. Hoc in genere offendit Auctor recentis Epitaphij de Viro Principe (tacemus cauſa honoris locum, & perſonam) cuius extulit virtutem bellicam in poſtrema expeditionũ ſuarum, conferens cum Iulio Caeſare à Pontica victoria triumphante, de eo vſurpans *Venit, Vidit, Vicit*: atque non modo exaggerate nimium contra hiſtoricum decorũ, quo de genere eſt Epitaphium illud principio initum; ſed, quod caput eſt, contra veritatem fama vulgatam, nobis teſtibus, atque ibi terrarum verſantibus, qua pro certo ferebatur Princeps in illam expeditionem repetitis à Rege (cuius armis praeerat) Imperijs inuitus, ac reluctabundus tandem eſſe profectus; fortaſſe fati praeſcius: Sed neque belli faciem vidiſſe, letho autem praereptus redijſſe conciſo in fruſta cadauere, quò clandeſtinum tutò aſportaretur. Caeterùm alijs antè, & alijs expeditionibus, ingenti vbique belli mole ad Arces, ad Oppida hoſtium iuit ſaepe, vidit rarò, vicit nũquam, vt hinc celebrari citra ironiam non poſſet. Non tamen ei deerat aliunde ſeges laudis, & quidem eximiae, quae hiſtoriae, non ſolùm Epitaphij impleret ſpatium; Ciuilis nimirum prudentia ex notitia ſcriptorum omnis aeui pleniſſima, ac diuturno vſu pluribus pro Rege egregiè adminiſtratis

Prouincijs, vnde paucos aetate ſua aemulos facilè habuit, admiratores plurimos.

Multò quoque craſſiùs peccatur, cum homini Diuina tribuuntur extra amplificationis propoſitum. Id quod exemplo docuit ſuo Pola in Inſcriptionibus funebribus de Valerio Card. Sic enim in ſiniſtro Pyrae latere

X.

TVTANE CARDINALIS VALERI
Delicium noſtrum
Reliquiſti Eheu Reliquiſti
Deliciam tuam
Philarmonicam Academiam
Gementem plorantem plangentem
Vae Heu Vae

Iterum de eodē inſcriptae Valuae maiores, videl.

X.

PARENTALIA. PHILARMONICA
AVGVSTINO. VALERIO. CARDINALI
TVTANO

Siquidem appellatio Tutani fuit Dei Ethnicis Romanis, cui Aram ſacrauerant, quod Vrbem ab Annibale defendiſſe noctu quadam putaretur. Quantò autem congruentiùs idem Pola de Valerio ipſo alibi vocem attulit propriam, Inſcriptione haud lugenda, qualis haec lugubris fuit, cum habuit.

XI.

AVGVSTINO. VALERIO. CARD.
NATO. AD. AETERNITATEM
ECCL. ROM. CLIENTES. PHILARM
TVTELARI. MAXIMO. AMPLISSIMO
IN. BENEFICII. MEMORIAM

quemque hic proprio vocabulo *Tutelarem* dixit, ſynonymo in Pyra *Patronum*, in Dedicatione rurſus Academiae Philarmonicae metonymico *Tutelam*: potuit ſimiliter *Patrocinium* vocitare, vt ſcias extra Amplificationem proprijs vti, cùm ſuppetunt.

III. *Verborum Sordes.*

VT in colloquijs publicis priuatiſque, ita in Epigraphis dedecent hominem vrbanum ſordida verba; hic autem inſigniùs, quòd illa vel priuatis concluduntur vmbraculis, vel certè cum ſono vocis fugaci euaneſcunt: haec in conſpectu conſtanter extant, vnde non minus in Elogiaſta, quam in Oratore damnantur. Ea verò ad res immundas ſunt relata, vti *Sputus*, *Vrina*, *Stercus*. Pro primo tamquam nitidius ſubſtituetur *Saliua*: Pro altero *Humor Veſicae*, aut *Lotium*: Pro tertio *Aluus*, ni cogat aliter argumentum: v. g. ad agricolas haud ſordide dicetur *Stercorare*. Vt nec *Sputus*, nec *ſpuo*, & quae inde manant, vbi de re ſpuendo contempta hiſtoricè ſcribitur. Quare haud ſordida habenda narratio de Diuis Abdone, & Sennene, quod cùm in Vrbe ad ſimulacra Deorum eſſent attracti, ea deteſtati conſpuerunt. Atque hinc commodè Iac. Albanus Gibbeſius Praefat. ad Carmen ſuum. Seculare, ipſa ſimulacra appellauit *Numina inanium truncorum Sputatilica*, imitatus, diuerſo ſignificatu, Siſennam, qui (ex Cic. de Clar. Orat.) defendens in cauſa capitali Chritilium aduerſus C. Roſcium, dixerat, *quaedam eius ſputatilica eſſe crimina*, vocabulo nouato, pro re leuiſſima, nec digna animaduerſione. Caeterùm ſi ad honeſtam rem ſiue actionem transferatur, inter ſordida numerabitur: Sic Horatius Serm. II. Satyr. V. illud expungit M. Furij Bibaculi

Iuppiter hibernas cana niue conſpuit Alpes.

atque illud Plauti in Pſeudolo, *Expuere lachrymam*; etſi hoc (obſeruatore Lambino) in perſona ſerui exiſtit facetum, & ſeruo dignum.

Haud aliter iudicabis de voce *Cloaca*; nam propriè ſumpta, & in hiſtoricis titulis, immunis eſt à ſordium ſuſpicione, quod indicat Gruterus plura cogens marmora, vbi eius vſus apertus: Praeſertim Romanum pag. CXCVII. n. 5.

XII.

EX. AVCTORITATE. IMP. CAESARIS
DIVI. TRAIANI. PARTHICI. F. DIVI
NERVAE. NEPOTIS. TRAIANI. HADRIANI
AVG. PONTIF. MAX. TRIB. POTEST. V
IMP. IIII. COS. III. L. MESSIVS. RVSTICVS
CVRATOR. ALVEI. ET. RIPARVM
TIBERIS. ET. CLOACARVM. VRBIS
R. R. RESTITVIT. SECVNDVM. PRAECEDENTEM. TERMINATIONEM. PROXIM. CIPP. PED. CXVS

Aſt eadem vox à propria ad metaphoricam ſignificationem translata ferè immundis accenſetur, nec ſine ſtomacho auditur, vt arguit locus Plauti in Curcul. vbi ſtomachum immundae vetulae, & aluum CLOACAM nominauit. Cuius ea videtur diſcriminis ratio, quòd, cùm Cloaca propriè ſit fiſtula, & via ſubterranea, per quam Aquae pluuiae dilabentes ſecum rapiunt Vrbis ſordes, vt propterea curatores cloacarum certi

in Vrbe creentur; fit, vt vbi mentionem audis ſimplicem Cloacae, non priùs offerantur menti ſordes raptae, quàm aquae rapientes, & ipſa via per quam aquae decurrunt. Adeo vt non indignum auribus Iudicum exiſtimauerit Cicero pro Planco proferre illud adagium; *Arcem facere ex cloaca*, hoc eſt Rem humilem extollere ſupra modum. At ſi cum Plauto nominaueris, quid niſi ſordes primò, atque impuritates repraeſentaueris? Quamobrem in id genus ſenſa, etiam vbi opus eſt, minimè ruĕdum (vt paſſim Dantes Poëta) recto tramite, ſed eſt vtĕdum circuitione; Quemadmodum monuit Cicero dicens *Detractionem confecti, conſumptique cibi*: Salluſtius *Proficiſci ad requiſita naturae*: Lucillius *Eluuiem per ventrem facere*: Seneca *Medicus reliquias, & effuſa aegrorum intueri non dedignatur*: *Corpora noſtra ad egeſtum venter exhaurit*. Quò minus in translatione aſſumendae voces obſcenae, cùm non deſint etiam in ridiculis argumentis nitidae? Ita quod dixit Catullus Epigr. XXXIV.

Annales Voluſi cacata charta.

modeſtiùs expreſſit Martial. Epigr. XLIX. lib. III.

Quod ſi non ſcombris ſcelerata poëmata dones.

Eidem verò Senecae habentur ſordida *Acetum*, *Spongia*, *Pulegium*; ſed immeritò, vt eruditi pòſt cenſuere, quos ſecutus Iuglaris de Chriſto IESV ſic inchoat Elogium LXIX. *Praeter fel, & acetum Quid propinet ſitientibus, Mundus non habet*: *Ingens tamen fortuna hominum, Quod expertus id Ieſus eſt*. Et infrà: *Amantiſſimus fellis noſtri Illud vel moriens ſpongia colligit*. Iure autem negat Cicero proferendum: *Morte Africani caſtratam eſſe Remp.* Et illud: *Glauciam curiae ſtercus*.

Quaedam ſubſordida admittit neceſſitas; cuiuſmodi eſt *Vacca*. Quae tamen adſeretur Inſcriptioni è genere illo, è quo fragmentum antiqui marmoris apud Gruterum pag. CVI. n. 5. vbi legitur: IOVI. BOVEM. MAREM. ET MINERVAE. VACCAM. Iterum: DIVO AVGVSTO. BOVEM. MAREM. ET. AVGVSTAE. VACCAM. Neceſſe autem fuerat in re grauiſſima, qualis eſt Religio, nomine proprio rem promere.

Praeterea bifariam fit ſordida locutio, Continuatis ſcilicet verbis, & interruptis. Priore modo, vt *Caeca caligine*: *Quid iſtic agatur*, etſi in hoc non admodum ſuperſtitioſos eſſe oportet, praeſertim quia legitur, non auditur Inſcriptio. Cautiores quidem poſteriore modo, ne id contingat nobis, quod ſciolo quondam. Is affectator laudis obtinuit enixè prouinciam inſcribendi Arcus Cardinali, è familia *Taberna*, cum primùm Epiſcopalem ſedem Vrbis cuiuſdam iniret. Itaque inſpecto nomine Praeſulis gentilitio, tùm conditione Sacri Ordinis, decerpendam eſſe cenſuit è ſacris literis Epigrapham hanc ſyntomam HABITABIT. IN. TABERNACVLO. TVO. (Pſal. XIV.) Praeſulem, an Vrbem alloquens, dubium. Sed ipſam numero pari ſyllabarum per interualla tria ſcite diſtributam in ipſius Arcus ſuperliminari, quod forte fortuna trigonale erat, ita diſpoſuit, vt ſpatium medium reliquis duobus editius inſigniret quaſi gemma Dictio illa mutila IN TABERNA. Vix cum demum admonetur legentium cachinnis, illatae pro encomio contumeliae; ſeque, quàm bellè alluſionem exquiſierat vocis, tam foedè in reliquam dictionem deſciuiſſe, pro Elogiaſta ſcurram factum.

IV. *Verborum Obſcenitas.*

OBſcena quadrifariam diuidas, omnifariam declines. Videlicet: Quae rei Venereae ſunt. Haec cùm à priuato colloquio, conſpectuuè, ne dum à publico arcenda ſint, nec in ſcenam producenda, vt etymon vocis monet ex Aldo Manutio: iubente neceſſitate quàm tectiſſimè efferes. Imitabere autem Senecam dicentem; *irritationem humoris obſceni*: Terentium *cum Amica ſe oblectare*, Et *conſueſcere cum aliqua*: Ciceronem *liberis operam dare* (de vſu Matrimonij) Valerium Maximum *proximus à libero patre intemperantiae gradus ad inconceſſam Venerem eſſe conſueuit* (de Adulterio) Innuit autem vſum vini foeminis Romanis interdictum: Tandem ſacros Codices *cognouit Adam vxorem ſuam*. Notatur hinc Pona Elog. de Caligula, vbi habet: *Tubas audiuit ex vtero, ſemini parem indolem nactus. Equus ad impetum, non factus ad diſciplinam*, quod vocem *ſemini*, vbi de vtero ſermo eſt, ſub obſcenam admiſerit. Quantò iuſtiùs eradenda illa vetus inſcriptio non ſolù cum Grut. (pag. XIII. n. 8. in Spur.) quia ſpuria

habetur

habetur, quàm quia obſcena cum honeſtiſſimo quoque Viro. Vbi pro *Vtero*, quae eſſet vox honeſta, vſurpatur *Vulua* & inhoneſta per ſe, & latinè impropria de muliere. Eſt autem huiuſmodi:

XIII.

AVL. MAEVIO. A. F. QVI. POST. DVODEC
SORORES. POSTHVMVS. E. VVLVA. P. AEL.
MATRIS. EXTINCTAE. RESECT. ET. IIII
AETAT. AN. PATRE. AVLO. ORBATVS
ET. SVCCEDENTE. PRAETEX. TEMPORE. ANI
MO. IN. SORORES. MATERNO. PATERNOQ.
FVIT. TOTA. HER. PRO. CONIVGIIS
EARVM. RELIC. ET. SIGNA. PO. ROM. VIC
TRIC. SVB. LVCVLLO. COS. IN. ASIAM. SEC
VTO. CVM. OPIB. PLENVS. ET. TRIB
MIL. POTEST. FVNCT. IN. PATRIAM
REVERTISS. MVLTIS. A. POPVLO. S. P. Q
PRIVILEGIIS. DONATVS. ET. NOBIL. IN
FORO. AVSETANO. PORTICVM. EXTRV
XISS. ET. PATRIAM. AERE. ALIENO. LI
BERASS. AVLA. MAEVIA. VLTIMA. SOROR QVAE
SVPER. CVM. MAG. NEPOTVM. MVLTITVD
PRAECED. ET. SENATV. AVSET.
CVM. POP. TOTO. FVNVS. SVBSEQVENT
HEIC. SEP. CVM. STATVA. POS. II. A
CIVIT. STAD. IN. LOCO. PATRIAE. PVB. QVO
OMNES. VRB. ADEVNTES. IN. LACETANQ
REDEVN. PERTANSIR

Aliae pariter inter ſpurias reiectae à Grutero Inſcriptiones, quae Venereas obſcenitates inſolentiſſimè obtrudunt, rem adeo deuelant, vt non tam Auctores earum damnandi videantur, quam productor earumdem Gruterus ipſe, qui quòd eas allegeret veris & legitimis, nihil habebat, ni praeter vtilitatem publicam aliud quid intendebat. Eſt autem cur miremur ſimul & imitemur prudentiam Bernardini Rotae in Epitaphio Coniugis ſuae ſic habens:

PORTIA. CAPITIA

Viua gaudia, mortua mariti gemitus &c. ſiquidem ſtructurae regula poſcebat vt diceret, *Viua mariti gaudium, mortua gemitus*, ſed ſtudioſe perturbauit ordinem, ne cohaerentia illa *Viua mariti gaudium* ingereret menti quidquam minus pudici, hoc eſt rem vxoriam. Quod non ſatis cauit Auctor Epitaphij Alexandrini in Inſubria, citati à Suueertio in ſelect. Delic. videlicet:

XIV.

Si quis me roget
Monica Pederana, Capriata
Fui
Decus familiae
Delicium Coniugis
Forma pudicitia, amore

Meliùs fortè, ſi praeuertiſſet *forma pudicitia, amore decus familiae, delicium coniugis*, ſic enim obſcenitatis ſpeciem omnem ablegaſſet.

Neque verò probari poteſt quorundam placitum, res obſcenas, ſi translatis vocibus enuncies, vacuam obſcenitate orationem reddere. Siquidem metaphora quandoque eſt proprio vocabulo inuerecundior; Cuiuſmodi eſt illud Horatij Serm. lib. I. Satyr. II.

-------- *Non alienas*
Permolere vxores

& apud Catullum *Deglubere viros*. Item illud *Deſpuit patruum*: Et *Patriciae immeiere vuluae*. Neque (quod eſt maius) verba per ſeſe honeſta honeſtatem ſemper olent, cùm detorqueri quandoque contingat in ſenſum obſcenum. Vt *dare fidem* quid ni honeſtè dicitur? At obſcenè ſonat, quod eſt in Priapeijs Verbo imperatiuo *Da* quid purius? ſed quàm impure vſitatum Martiali *Vis dare, nec dare vis?* Sed & quaedam translata, quae medium habent ſenſum, & in ſignificatu proprio inuerecundiam prae ſe ferunt, ad verecundum trahi poſſunt ſignificatum: Vt ſi dicas *Procum virtutis* pro Amatore virtutis: *Exoſculari*, aut *Diſſuauiari alicuius ingenium* pro vehementer illo oblectari: *Ductare exercitum* pro *deducere* alioquin obſcenum veteribus, *Vt meam ductes gratis*.

Quaedam pro perſonarum conditione turpitudinem praetendunt, aliàs honeſta. Quod cauit Auctor Inſcriptionis Bononienſis (citatur à Suueertio in Select. Delic.) ſupplicium hominis ingenui memorans citra notam infamiae, in hunc modum:

XV.

Hic Oſſa Auguſtini Cianzon Corſici Sardinienſis quieſcunt
Qui ob armorum tumultus in Foro Bononienſi excitatos, ex
Lege viuere deſijt. Tibi pax Viator. MDXVII.

Alterius ordinis verba turpia ſunt, quae non latinis quidem veteribus, ſed noſtratibus vel latinè enuntiata obſcenum quid ſonant. Idcirco exempli locum non obtinebit Epitaphium inter Brabantina monumenta à Suueertio relatum, Videlicet:

XVI.

DIONYSIVS . FEVTEN
Abbas huius Eccleſiae dum viueret meritiſs
Cui Grudij Athenae alterae patria
Virtutis Antiſtes eximiae
Candoris animi in Canonica ſua candidiſſima familia
*Candidus ipſe * ſotor & ſautor* &c

Nam dictio in poſtremo verſu aſteriſco praenotata vulgo Italorum noſtratium foeda eſt. Id quod in ſimilibus alibi gentium obſeruandum. Cauit hoc Theſaurus in *Mundi viril.* Elogio quod inſcripſit *Hiſtoria* pro *Achaz* Patriarcha dicens *Achas*, & pro *Ioachaz*, *Ioachas*.

Tertia ſede reponimus, quae ſexum vel primis deuelant oculis. Proinde cultor quidam obſeruantiſſimus Iuglariani characteris, magis autem Elogiaſtici pudoris non dubitauit particulam carpere Epigraphes in imaginem CHRISTIANAE Francicae ibi: *In Chriſtianae corpore totam Henrici Animam vides.* Nam vbi (inquit Cenſor) foeminae corpus audieris, ſpecies illico obſcena ingeritur menti, ni aliquid honeſtum quaſi velum praetenderis. Itaque diſpoſuit is ea verba hoc ordine: *Henrici Animam in Chriſtianae corpore totam vides*: Aut (ſi priùs enunciandum illius nomen, cui dicatur Epigraphe) *In Chriſtianae pectore totam Henrici Patris Animam vides.* Vtrùm hic ſuperſtitioſior? Ego verò pudore haud veter, quin commendem hoc loci pudicitiam Sygiſmundi fratris in ſuo Lario, vbi nuditatem virilem, muliebremque deſcribens ſic habet: *Vincunt tamen omnium pulchritudinem fictae in vna tabula Charites, Cereſque ſimul, & Venus, & huius comes liber pater, quibus Amores paruuli ad pedes ludunt, omnes Graeco more corporibus nuſquam velatis.* Illud vero nè cenſurae nimium tetricae det nobis, ſed magis pudicitiae ſtudio, lectorem precamur: quod in hunc numerum accenſemus Epitaphium Mediolanenſe in Diui Franciſci (citat Placidus Puccinellius in calce ſui Zodiaci) videlicet:

XVII.

Catharinae Calcaterrae Vxoris pudiciſſimae Franciſci Ferrarij coniugis dilectiſs. amplexus ſecundos poſt maturè truncata Parcae ſtamina hoc in tumulo ſepulti, expectant cineres. MDIX. Die XIII....

Non enim amplexus ſecundos memorare fas eſt, quin primorum recordatio ſubiens, obſcenis imaginibus pudicam mentem labefactet. Caeterum hac inſcriptione vix quidquam viuidius.

Quarto ac poſtremo accenſemus, ſecuti Rhetorum placita de Elocutione, voces inuersè prolatas, cuiuſmodi illae ſunt *Cum me*, *Cum te*, *Cum ſe*, *Cum nobis* &c., *Cum qui*: pro *Mecum*, *Tecum*, *Secum*, *Nobiſcum* &c., *Quicum* pro *Cum quo*, & *Cum qua*: Adeo praepoſteritas iſta orationem foedare creditur, vt nemo ita impurus exiſtat Elogiaſtarum, in quo vitium hocce deprehendamus: niſi ſimile iudicauerimus (vt certè iudicamus) cum caſus Relatiui Patrius, ſeu Genitiuus poſtponitur nomini, à quo regitur, nam ſuopte iure ſemper (in proſa certè) praecedit. In quo nequit effugere notam Franciſcus Pola Elog. de Michaele Cappuccino: *Sermo cuius*, inquiens, *perſanctus cum vita concordat perſancta.* Eundem fere ſcopulum offendit, cum per Anaſtropham incongruam inſcribit alibi: *Statuas Tyndaridarum fratrum, ignara quos antiquitas alterna immortales morte credebat.* Quid tandem negotij fuiſſet, aut quid inconcinnitatis, ſi ſuprà dixiſſet: *Cuius ſermo perſanctus* &c. Et quos ignara antiquitas &c. Item de Angelo Grillo: *Scies hunccine illum eſſe, Animi cuius, & carminis Diuinitas non opinione colligitur*

aut

aut mente, ſed praeſenti fide: Dixerit iuſtiùs: *Cuius animi Diuinitas, & carminis* &c. Permittitur Poëtis haec Anaſtrophe: nec rudem antiquitatem extra carmen rectè imitabimur cum Pona antiquario putido, quem ſcimus citare poſſe formulam Victoris triumphaturi, ita precantis: *Dÿ, nutu, & imperio quorum nata, & aucta eſt Res Romana, eandem placati, propitiatique ſeruate*.

V. Verborum Antiquitas

EA non tam antiqua intelligimus, quàm antiquata. Nam quae olim naſcente latinitate Auctores, vt illis rudibus ſeculis boni, vſurpabant, pòſt adulta illa, & florente exoleuiſſe, quae extant, aurei ſeculi monumenta, ſatis probant. Exemplum vnum inſtar omnium ſit in voce *Delicia*, *ae*, numero ſingulari; quam praeter Plautum nemo optimae notae ſcriptor vſurpauit. Itaque vetuſtiſſimi ſeculi cenſendum videtur, neque idcirco imitandum nobis marmor Romae effoſſum, citatum à Grutero pag. DCLXIII. num. 5. huiuſmodi

XVII.

V. SALVIDIENA. Q. L. HILARA. SIBI. ET. SVAE
LIBERTAE. SALVIDIENAE. FAVSTILLAE
DELICIAE. SVAE. ERVDITAE. OMNIBVS
ARTIBVS. RELIQVISTI. MAMMAM. TVAM
GEMENTEM. PLANGENTEM. PLORANTEM
VIXIT. ANNIS. XV. MENSIB. III. DIEB. XI. HOR. VII

VIRGINEM. ERIPVIT. FATVS. MALVS. DESTITVISTI
VITILLA. MEA. MISERAM. MAMMAM. TVAM

In quo non illud modo veſtigium exeſae vetuſtatis apparet, verùm & in vocibus *Mamma* pro mater, cuius exempla non niſi apud antiquos reperias, ac *Fatus* pro Fatum.

Obſoletum itaque cenſendum, quia exemplum non extat boni ſeculi, nomen *Fas* in reliquis caſibus praeter rectum, quartum, & quintum, cuius ſexto vitiatur nitida caeteroquin, & elegans Inſcriptio Mediolanenſis in Diui Nazarij, ad Aram D. Vlderici. Hanc à Placido Puccinello nobis tranſmiſſam ſic habe.

XVIII.

DIVO. VLDERICO. PONT. HVIVS. ARAE. PRAESIDI
HIERONYMVS. LATVADA. CANONICORVM. NATV
MAXIMVS. VT. TANTVM. NVMEN. ET. CINERES
HAC. ARA. CONDITI. RELIGIOSIVS. COLANTVR
VECTIGALIBVS. SACERDOTI. AD. REM. DIVINAM
QVOTIDIE. FACIVNDAM. ATTRIBVTIS. IVRE. FASQ.
LEGENDI. SACERDOTIS. QVAMDIV. VIXERIT. SIBI
RECEPTO. VBI. DECESSERIT. CANONICIS. RELICTO
ANNO. MDCXIII. VIVENS. P

Sed de Antiquis, & obſoletis vocibus mox fuſiùs dicetur.

VI. Verborum Peregrinitas

HAnc Idiotiſmum alij vocant. Eſt autem latinorum quidem verborum vſus ſed ad idiomata, ſeu aliarum linguarum propriam conſuetudinem aptatus. Porrò ſale hic opus eſſe monemus, vt, quae in antiquis boni ſeculi ſcriptoribus obſeruata eſt atque damnata per quoſdam quaſi peregrinitas, Graeca loquendi forma, eam ne continuò ipſi damnemus: potuit

tuit enim illorum auctoritate cultum ac nitorem latij contrahere, quòd planum fiet, ſi plures poſtmodum imitatores habuerit; Plures inquã, non ſingulares, neque ſeculi ſequioris. Qualis eſt Exempli gratia Tacitus in Hiſtor.lib. V.principio, vbi habet: *Titus vt ſuperior ſui iam crederetur, decorum ſe, promptumque in armis oſtendebat.* Nam quod Graecè *ſuperior ſui*, latinè eſt *ſuperior ſe.* Itaque ea peregrinitate offenſus Iuſtus Lipſius, à tanta nota ſtuduit ſcriptorem vindicare, refundenſque vitium in Exſcriptorem, repoſuit: *Titus vt ſuper fortunam crederetur.* Nec mirùm in Diui Pauli Epiſt.I. ad Corinth. Cap. XIII. interpretem latinum vertiſſe: *Nunc manent Fides, Spes, Charitas, tria haec, Maior autem horum eſt Charitas:* Scilicet religione vetitus Graecam formam protographi variare, vèl ſi idiotiſmo notari oportuiſſet. Hoc nos potiſſimùm proferendum putauimus in exemplum, vt moneremus Tyrones, caueant ab id genus peregrinitate, quam & ipſi offendent in Elogiaſta recente, ſummo caeteroqui ingenio, ac latinae proprietatis ſtudioſiſſimo, cui non ſemel excidit *Maior ſui.*

VII. Verborum Barbaries

SCopulus hic paucis inoffenſus longiorem à nobis, vt tutò vitetur, tractationem exigit. Eſt autem ordine procedendum, vt, Quid ſit barbara locutio, Quando coeperit, Vbi progreſſa fuerit, An & quando deſierit, tandem Quot illa modis in rem praecipue noſtram, contrahatur, iuſta cum breuitate, & quam maxima ſedulitate perſequamur.

Eſt igitur Verborum Barbaries vitium poſt Auguſti tempora illapſum in ſermonem Romanum. Vitium inquam, vt excludantur vocabula peregrina, quae poſt illud ſeculum donata ſunt Romana Ciuitate, & quidem legitimè, eò quòd deficeret ſermo latinus idoneis vocabulis.

Sed intereſt quaerere quando Barbaries ſermonis caeperit, ſimulque puritas & elegantia defloruerit. Quibus noſcendis, tenenda prius diſtinctio aetatum linguae Latinae: Porrò eas aliter alij. Totidem ſunt, inquit Obertus Giſanius, quot Vrbis aetates, nimirum quinque. Vt enim prima Vrbis aetas, quae Pueritiam retulit, fuit ſub Regibus: Secunda, quae Adoleſcentiam, ſub Conſulibus per annos CCCCLX. Tertia Aetati virili ſimilis ſub Caeſaribus & Imperatoribus legitimis à Iulio Caeſare ad Valentinianum III. per annos DIV. Quarta, ſenectus, ſub Tyrannis, & Barbaris ad vſque Carolum Magnum per ann. CCCLXXV. Quinta demum Decrepita ſub Pontiff. Rom. & Germanis Caeſarib. Ita Latinae linguae ortae ſub Regibus Infantiam ſuam & Pueritiam prodidit rudis ille Scriptorum grex Liuius Andronicus, Cato Cenſorius, Caecilius, Ennius, Pacuuius, Plautus. Aetas verò virilis de robuſta florem habuit optimorum Scriptorum: Terentium, qui tamen ex priore aetate aliquid retinuit: M.Varronem, Iulium Caeſarem, Criſpum Salluſtium, T.Liuium Patauinum, M.T.Ciceronem. Declinans & in ſenium vergens aetas illa viſa eſt, qua phraſis Scriptorum deflexit à proximo nitore Ciceroniani ſeculi. Tulit haec fab. Quintilianum, Senecam Philoſophum & Oratorem praecellentem, Q. Aſconium Pedianum, Valerium Max. hiſtor. Plinium Superiorem, Hiſtor. Natur. Suetonium Tranquillum, Corn. Tacitum, Corn. Celſum, Plinium Iuniorem, Trogum, Florum, Iuſtinum, Solinum, A. Gellium, Vlpianum I.C. Lactantium Firmianum, Q.Curtium, & alios. Senectutem atque adeo interitum attulerunt Latinae linguae Philoſophi, & Theologi Scholaſtici-barbarizantes ob irruptionem Barbarorum in Italiam. per annos DC. quibus exactis velut è tumulo excitata eſt latinitas; paulatimque vitae, non nitori priſtino, reſtituta annitentibus ſummis ingenijs prouidentia Numinis Orbi datis.

Quatuor diſtinguit aetates Gerardus Ioannes Voſſius, totidem Mundi, quae à Poëtis deſcribuntur aetatibus conferens. Hae ſunt Aurea, Argentea, Aenea, Ferrea (Vide Ouid. I. Metamorph.) Niſi quòd aetates latinitatis ordine procedunt contrario. Prima enim illuxit Ferrea, Infantiae ac Pueritiae ſuperius reſpondens: cuius ſtylum ferreum cùm ex enumeratis ibi Scriptoribus coniectare licet, tum ex hymnis Saliaribus vix Sacerdotibus ſuis perceptis: Item ex Legibus Duodecim Tabularum, & ex Co-

lumna

lumina Roſtrata, quae & hodie Romae viſitur. Ferreae ſucceſſit Aenea, qualem referunt minus paulò rudes, & inculti Liuius Andronicus, Enniur, Caecilius, Actius, Pacuuius: Sed hos protinus conſecuti Plautus, & Terentius Argenteam aduexere, ſtylo nitidiore etſi alter altero ſuperior, beneficio floreſcentis in dies aetatis. Tandem affulſit Aurea in Cicerone, Caeſare, Virgilio, Horatio, & aequalibus Auguſti Caeſaris. Pòſt ſermo Romanus retrò coepit fluere, & ex aureo in argenteum reuerti, Tiberio Auguſti ſucceſſore imperante; tenuitque ad vſque Seuerum, quo tempore adſuit aetas aenea, in ferream tandem ex variarum gentium irruptione deſinens.

Voſſio ſubſcribit Gaſpar Scioppius, qui in calce Operis, cui titulus *Paſchaſij Groſippi Paradoxa literaria* affert ſyllabum Auctorum linguae Latinae per aetates ſingulas. Vbi obiter obſeruamus non ſibi cõſtare in opere altero, inſcripto *Conſultationes de Scholarum & ſtudiorum ratione* (edito Patauij anno MDCXXXVI.) Nam hic (eſt autem editum Mediolani MDCXXVIII.) Ouidium aſcribit aetati argenteae: Ibi autem Aureae: Hic Petronium ſupprimit, quem ibi in Argentea repoſuerat: Hic hiſtorias Trogi à Iuſtino abbreuiatas aetati Ferreae attribuit, quas ibi Aureae. Gratium hic dat Ferreae, ibi Argenteae: Auctores finium regundorum hic Aeneae, ibi facit Incertae.

Tandem Hadrianus Cardinalis Epiſtola ad Carolum Principem Hiſpan. Nuncupatoria Operis ſui *De ſermone latino, & modis latinè loquendi* Tempora quatuor digerit Latinorum Scriptorum poſt Romam conditam, Antiquiſſimum, Antiquum, Perfectum, Imperfectum. Et antiquiſſimum quidem perducit ab Vrbe condita ad Liuium Andronicum per quingentos & quatuordecim annos. Antiquum verò ab ipſo Liuio ad aetatem Ciceronis per centum circiter annos. Perfectum autem in Caeſare inchoat, in Cicerone ſiſtit, & in pleriſque eius aequalibus (i. e. eiuſdem aetatis) Tandem Imperfectum ſubdit, quod poſt nodum etſi non vnus caſus tulit, nec vna aetas.

Animaduertat, oportet, prudens Lector, antequam flexum latinitatis inſpiciat, aetatem eandem vnam extitiſſe facilè in Vrbe auream, alibi terrarum deteriorem. Et quidem neque omnis fert omnia tellus, neque temporis vnum momentum vniuerſis adducit terris diem. Ac veluti ruſticanornm ſermo atque vrbanorum eſt alius; ita floruerit Romae latinitas, vbi florebant loquendi ſummi Principes & quaſi Dictatores: Atqui eorum cura non exceſſit fortè pomoerium, nec locorum vbique Romanae ditionis compreſſit barbariem, vetuſtatiſuè nidorem extinxit, etſi in parte caſtigauerit. Faciunt huic dicto fidem luculentiſſimam exempla duorum marmorum ſumma fide deſcripta, &, quoad fieri potuit, integritati reſtituta ab Equite Franciſco Maria Ceſinio Patritio Florentino, Iuris interprete in almo Gymnaſio Piſano, Commentario etiam doctiſſimo illuſtrata: Quae quidem marmora aetate Auguſti inciſa ſunt, aequali menſura tabulae, ideſt cubitorum trium altitudine, eodemque loco, ideſt Piſis expoſita, argumentoque ſimili, ſed anno altero; noſtro autem ſeculo duntaxat educta è tenebris, neque, quod ſciamus, adhuc vulgata; nondum quippe Ceſinij labor typis commiſſus. Sed hoc publicum beneficium vindicatae ab interitu antiquitatis in his pulcherrimis tabulis debet Reſpublica literatorum Paulo Troncio Ciui Piſano, Antiquario pernobili, qui alijs Piſanorum priuatis vſibus addictas, fabrorum etiam temeritate vitiatas ſubmouit, atque in Coemeterio, quod vocant Campum Sanctum, decenter quàm potuit, ſimul erexit, & ſubter inciſis argumentis nobilitauit. Nos argumenta ſingula praemittemus vt non tam lucem afferant, quàm ſtudium Lectoris excitent.

Subſequentis Prioris Tabulae Argumentum.

XIX.

COLONIA . IVLIA . PISANA . NVNCIATA . MORTE
L. CAESARIS . AVGVSTI . F. CENSVIT . QVOTANNIS
INFERIAS . ILLIVS . MANIBVS . CERTO . RITV
MITTENDAS . PER . MAGISTRATVS . EOSQVE
QVI . IBI . IVRI . DICVNDO . PRAEESSENT
POST . VRBEM . CONDITAM . ANNO . DCCLVI
CHRISTI . VERO . ANNO . III

XIII. K. OCTOBR. PISIS . IN . FORO . IN . AVGVSTEO . SCRIB. ADFVER....
Q. PETILLIVS . Q. F. P. RASINIVS . L. F. BASSVS . M. PVPIVS . M........
Q. SERTORIVS . Q. F. PICA . CN. OCTAVIVS . CN. F. RVFVS . A . ALB.......
A. F. GVTTA

QVOD . C. CANIVS . C. F. SATVRNINVS . II. VIR . V. F. DE . AVGENDIS . HONORIBVS....
L. CAESARIS . AVGVSTI . CAESARIS . PATRIS . PATRIAE . PONTIFICIS . MAXSIMI
TRIBVNICIAE.POTESTATIS.XXV. FILI.AVGVRIS . CONSVLIS.DESIGNATI. PRINCIP....
IVVENTVTIS . PATRONI . COLONIAE . NOSTRAE . Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C

CVM . SENATVS . POPVLI . ROMANI . INTER . CETEROS . PLVRIMOS . AC . MAXSIMOS
HONORES.L.CAESARIS.AVGVSTI.CAESARIS.PATRIS.PATRIAE.PONTIFICI.MAXSIMI.TRIBV
NICIAE . POTESTATIS . XXV. FILIO . AVGVRI . CONSVLI . DESIGNATO . PER
CONSENSVM . OMNIVM . ORDINVM . PLVRIBVS ....

Calce, & caemento expletum

TETVR . DATA . CVRA . C. CANIO . SATVRNINO . II. V. ET . DECEM . PRIMIS . ELIGendi
ASPICIENDIQVE . VTER . EORVM . MAGIS . IDONEVS . VIDEATVR . EMEND
PVBLICA. PECVNIA. A. PRIVATIS. EIVS. loci DD quem MAGIS.PROBAVERINT.VTIQVE
APVD . EAM . ARAM . QVOD . ANNIS . A. D. X K. IVLIAS . QVOD . PVBLICE . MANIBVS . EIVS.PER.MAGIS
TRATVS . EOSVE . QVI . IBI . IVRI . DICENDO . PREerunt . TOGIS . PVLLIS . AMICTOS
SIVS QVIBVS . EORVM. IVS. FASQVE. ERIT. EO. DIe, talis . VESTIS.HABENDAE. INFERIAE.MIT
TANTVR. BOSQVE. ET. OVIS. ATRI. INFVLIS. CAERVLIS. INFVLATI . pijs . MANIBVS . EIVS
MACTENTVR . EAEQVE . HOSTIAE . EO . LOCO . ADOLEANTVR . SVPERQVE . EAS
SINGVLAE. VRNAE. LACTIS. MELLIS. OLEI . FVNDANTVR . AC . TVM . DEMVM . FACTAM
cunctis poTESTATEM. S QVI. PRIVATIM. VELINT. MANIBVS.EIVS. INFERIAS. MITTERE
ne tamen AMPLIVS. VNO. CEREO. VNAVE. FACE. CORONAVE. MITTAT.DVM.II.QVI.IM
molarINT . CINCTI . CABINO . RITV . STRVEM . LIGNORVM . SVCCENDANT . ADQVE
ſua inDE . HABEANT .
LOCVS.ANTE . EAM. ARAM.QVO.EA.STRVES.CONGERANTVR.COMPONANTVRVE.PATeat
quoQVE. VERSVS . PEDES. XL. STIPITIBVSQVE . ROBVSTIS. SAEPIATVR.LIGNORVMQVE
ACERVOS.EIVS.REI.GRATIA.QVOD . ANNIS . IBI . CONSTITVATVR . CIPPOQVE . GRANDI
SECVNDVM.ARAM.DEFIXSO.HOC.DECRETVM.CVM.SVPERIORIBVS.DECRETIS . AD. EIVS
HONORES . PERTINENTIBVS . INCIDATVR . INSCVLPATVRVE . NAM . QVOD.AD.CETERA
SOLEMNIA . QVAE . EODEM . ILLO . DIE . VITARE. CAVERIVE.PLACVISSENT.PLACERENT
QVE .... ID . SEQVENDVM . QVOD.DE.IIS.SENATVS.P.R.CENSVISSET.VTIQVE.PRIMO
QVOque . TEMPORE . LEGATI . EX . NOSTRO . ORDINE . IMPER. CAESAREM . AVGVSTVM
PATREM . PATRIAE . PONTIFICEM . MAXSIMVM . TRIBVNICIAE . POTESTATIS . XXV
ADEANT . PETANTQVE . DE . EO . VTI . COLONIS.IVLIENSIBVS.COLONIAE.OBSEQVENTI
IVLIAE . PISANAE . EX . HOC . DECRETO . EA. OMNIA.FACERE.EXSEQVIQVE.PERMITTAT

Tabulae alterius Argumentum

COLONIA . IVLIA . PISANA . AVDITA . MORTE . C. CAESARIS
AVGVSTI . F. CENSVIT . VT . A . DIE . QVO . ILLIVS . OBITVS
NVNCIATVS . EST . VSQVE . AD . EVM . QVO . OSSA
RELATA . SVNT . AB . OMNI . LAETITIAE . GENERE
ABSTINERENT . VTQVE . ILLI . EODEM . MODO . QVO
L. FRATRI . PARENTATVM . FVERAT . PARENTARETVR
ARCVS . INSVPER . ET . STATVAE . PONERENTVR
POST . VRBEM . CONDITAM . DCCLVIII. . CHRISTI . VERO . V.

F..... Q. SERTORIVS . Q. PITILIVS . TACITVS . P. RASINVS . L. F. BASSVS . L. LAPPIVS
A . F.... ALLVS . Q. SERTORIVS . Q. F. ALPIVS . PICA. C. VETTIVS. L. F. VIRCVLA. M. HERIVS
M. F. prISCVS. A. ALBIVS . A. F. GVTTA. TI. PETRONIVS. TI. F. POLLIO. L. FABIVS. L. F. BASSVS
SEX ... ONIVS . SEX. F. CRETICVS . C. CANIVS . C. F. SATVRNINVS . L. OCTACILIVS . Q. F. PANTHERA

QVOD

QVOD . adSVNT . CVM . IN . COLONIA . NOSTRA . PROPTER . CONTENTIONES . CANDIDATO
RVm . mAGISTRATVS . NON . ESSENT . ET . EA . ACTA . ESSENT . QVAE . INFRA . SCRIPTA . SVNT
CVM.*A.D.III.*NONAS.APRILES.ALLATVS.ESSET.NVNCIVS.CAIVM.CAESAREM.AVGVSTI.PATRIS.PATRI
AE . *Po*NTIF. MAXSVMI . CVSTODIS . IMPERI . ROMANI . TOTIVSQVE . ORBIS . TERRARVM . PRAE
SIdis. fILIVM. DIVI . NEPOTEM . POST . CONSVLATVM . QVEM . VLTRA . FINIS . EXTREMAS . POPV
LI.*Rom*ANI. BELLVM. GERENS. FELICITER. PEREGERAT. BENE.GESTA. RE.PVBLICA. DEVICTEIS.AVT
IN.fidEM. RECEPTIS . BELLICOSISSIMIS . AC. MAXSIMIS . GENTIBVS . IPSVM . VOLNERIBVS . PRO. RE
PVbliCA. EXCEPTIS. EX. EO. CASV. CRVDELIBVS.FATIS.EREPTVM.POPVLO.ROMANO. IAM.DESIGNA
TVm. *I*VSTISSIMVM . AC. SIMILLVMVM. PARENTIS. SVI . VIRTVTIBVS . PRINCIPEM. COLONIAEQVE
NoſtRAE. VNICVM . PRAESIDIVM . EAQVE. RES . NON. DVM . QVIETO . LVCTV . QVEM . EX. DECES
SV . *L*. CAESARIS . FRATRIS . EIVS . CONSVLIS . DESIGNATI . AVGVRIS . PATRONI . NOSTRI . PRINCI
PIs . *Iu*VENTVTIS . COLONIA . VNIVERSA . SVSCEPERAT . RENOVASSET . MVLTIPLICASSETQVE
MoerOREM . OMNIVM . SINGVLORVM . VNIVERSORVMQVE . OB . EAS . RES . VNIVERSI . DECV
RIoneS . COLONIQVE . QVANDO . EO . CASV . IN . COLONIA . NEQVE . IIVIR . NEQVE . PRAEFECTI
ERariO . NEQVE . QVISQVAM . IVRE . DICVNDO . PRAERAT . INTER . SE . SE . CONSENSERVNT . PRO
MAgnITVDINE . TANTAE . AC . TAM . INPROVISAE . CALAMITATIS . OPORTERE . EX . EA . DIE
QVa . eIVS . DECESSVS . NVNCIATVS . ESSET . VSQVE . AD . EAM . DIEM . QVA . OSSA . RELATA . ATQVE
CondITA . IVSTAQVE . EIVS . MANIBVS . PERFECTA . ESSENT . CVNCTOS . VESTE . MVTATA . TEMPLIS
Que . DeORVM . IMMORTALIVM . BALNEISQVE . PVBLICIS . ET . TABERNIS . OMNIBVS . CLAVSIS
ConuenTIBVS . SE . SE . APSTINERE . MATRONAS . QVAE . IN . COLONIA . NOSTRA . SVNT . SVBLVGERE
DIemQVE . EVM . QVO . DIE . C . CAESAR . OBIT . QVI . DIES . EST . A . D . VIIII . K . MARTIAS . PRO . ALLIENSI
LugVBREM . MEMORIAE . PRODI . NOTARIQVE . IN . PRAESENTIA . OMNIVM . IVSSV . AC
VOluntATE . CAVERIQVE . NEQVOD . SACRIFICIVM . PVBLICVM . NEVE . QVAE . SVPPLI
CAtioNES . NIVE . SPONSALIA . NIVE . CONVIVIA . PVBLICA . POSTEA . IN . EVM . DIEM
EOue . diE . QVI . DIES . ERIT . A . D . VIIII . K . MARTIAS . FIANT . CONCIPIANTVR . INDICAN
TVrue . NIVE . QVI . LVDI . SCAENICI . CIRCIENSESVE . EO . DIE . FIANT . SPECTENTVRVE
Vtque . EO . DIE . QVOD . ANNIS . PVBLICE . MANIBVS . EIVS . PER . MAGISTRATVS . EOSVE
QVi . *P*iSIS . IVRE . DICVNDO . PRAERVNT . EODEM . LOCO . EODEMQVE . MODO . QVO
L . CaiſARI . PARENTARI . INSTITVTVM . EST . PARENTETVR
VTIQVE . *A*rcVS . CELEBERRIMO . COLONIAE . NOSTRAE . LOCO . CONSTITVATVR . ORNA
TVS . ſpOLEIS . DEVICTARVM . AVT . IN . FIDEM . RECEPTARVM . AB . EO . GENTIVM . SVPER
EVm . ſtATVA . PEDESTRIS . IPSIVS . TRIVMPHALI . ORNATV . CIRCAQVE . EAM . DVAE
EQueſtRES . INAVRATAE . GAI . ET . LVCI . CAESARVM . STATVAE . PONANTVR
VTIQVE . cum . PRIMVM . PER . LEGEM . COLONIAE . DVO . VIROS . CREARE . ET . HABERE . PO
TVeriMVS . II . DVO . VIRI . QVI . PRIMI . CREATI . ERVNT . HOC QVOD . DECVRIONIBVS
ET . uniVERSIS . COLONIS . PLACVIT . AD . DECVRIONES . REFERANT . EORVM . PV
BLica . AVCTORITATE . ADHIBITA . LEGITVME . ID . CAVEATVR . AVCTORIBVSQVE
IIS . in . tABVLAS . PVBLICAS . REFERATVR . INTEREA . T . STATVLENVS . IVNCVS
FLameN . AVGVSTALIS . PONTIF . MINOR . PVBLICORVM . P . R . SACRORVM . ROGARE
TVr . ut . CVM . LEGATIS . EXCVSATA . PRAESENTI . COLONIAE . NECESSITATE . HOC
OFficiuM . PVBLICVM . ET . VOLVNTATEM . VNIVERSORVM . LIBELLO . REDDITO
IMp . caESARI . AVGVSTO . PATRI . PATRIAE . PONTIF . MAXSIMO . TRIBVNICIAE
POteſt . XXVI . INDICET
IDQVe . t . ſtATVLENVS . IVNCVS . PRINCEPS . COLONIAE . NOSTRAE . FLAMEN . AVGVST
POnt . MINOR . PVBLICORVM . P . R . SACRORVM . LIBELLO . ITA . VTI . SVPRA . SCRIPTVM
ESt . impERATORI . CAESARI . AVGVSTO . PONTIFICI . MAXSIMO . TRIBVN . POTEST . XXVI
PAtriae . REDDITO . FECERIT . PLACERE . CONSCRIPTIS . QVAE . A . D . IIII . NONAS . APRILES
QVae . ſex . AELIO . CATO . C . SENTIO . SATVRNINO . COS . FVERVNT . FACTA . ACTA . CON
STituta . ſVNT . PER . CONSENSVM . OMNIVM . ORDINVM . EA . OMNIA . ITA . FIERI . AGI . HA
BEri . obſerVARIQVE . AB . L . TITIO . A . F . ET . T . ALLIO . T . F . RVFO . IIVIRIS . ET . AB . EIS . QVI . CVM
QVe . poſtEA . IN . COLONIA . NOSTRA . IIVIR . PRAEFECTI . SIVE . QVI . ALI . MAGISTRATVS
ERunt . OMNIA . IN . PERPETVOM . ITA . FIERI . AGI . HABERI . OBSERVARIQVE . VTIQVE . L . TITIVS
A . f . T . *Ae*LIVS . T . F . RVFVS . IIVIRI . EA . OMNIA . QVAE . SVPRA . SCRIPTA . SVNT . EX . DECRETO
NOſtro . CORAM . PRO . QVAESTORIBVS . PRIMO . QVOQVE . TEMPORE . PER . SCRIBAM . PV
BLicum . IN . TABVLAS . REFERENDA . CVRENT . CENSVERE

Quibus

Quibus in Tabulis aureo licet ſeculo natis, apparent nihilominus veſtigia nonnulla impurae Latinitatis, videlicet *Maxſimi* per xſ. Ita *Maxſimos*, & *Maxſimum*, quamquam infrà corrigantur in *Maximi* per x ſolum: Et *Ceteros* ſine diphthongo: Et *Quod annis* pro *Quotannis*: *Preerunt* ſine diphthongo: *Cabino ritu* pro *Gabino*: *Adque* pro Atque; *Defixſo* per xſ: *Cetera* ſine diphthongo: *Quod adſunt* pro Quot adſunt; *Maxſumi* pro Maximi: *Imperi Romani* pro Imperij Romani: *Vltra finis extremas* pro Vltra fines extremos: *Deuicteis* pro Deuictis: *Volneribus* pro Vulneribus: *Simillumum* pro Simillimum: *Praerat* pro Praeerat: *Obit* pro Obijt: *NIVE* pro Neue, vel Ne: *Caiſari* pro Caeſari: *Spoleis* pro Spolijs: *Gai* pro Cai: *Legitumè* pro Legitimè: *Ali Magiſtratus* pro Alij: *Perpetuom* pro Perpetuum.

Coepit ergo barbaries locutionis ſemina ſua iacere altero circiter ſeculo ab interitu Ciceronis: Egit autem paulatim radices, nec totum Romanum ſolum ſubitò vitiauit, renitentibus identidem alijs, atque alijs Scriptoribus, donec euincente inuidia temporum de Latinitate tandem eſt conclamatum. Cauſas tantae cladis allegant alij alias: Seneca naturae pronitatem ad malum: Diomedes Grammaticus iniquitatem ingeniorum faſtidientium cum vetere diſciplina ſimul ſermonem, & Poëtas quoſque corruptiſſimos euoluentium. A. Gellius inſcitiam temerè dicentium, nec ante diſcentium ſignificatus verborum proprios. Corn. Tacitus non inopiam hominum, ſed deſidiam iuuentutis, negligentiam parentum, inſcitiam praecipientium, obliuionem moris antiqui. Ex Apuleij exemplo Adrianus allegat temeritatem eorum, qui nullo Doctore aggrediuntur vel dicere, vel ſcribere, vel tractare ſermonem exoticum, & in quo neque nati ſint, neque eruditi. Addamus nos palatum nonnullorum corruptum, qui vèl in ſumma copia bonorum Scriptorum peſſimum quemque deligunt, coluntque. Quamquam barbaries de Latinitate tunc egit triumphum, cùm irrumpentes in Italiam Barbari (quod primum accidit anno quinquageſimo quinto ſupra trecenteſimum) Romanos ipſos barbaros planè effecerunt.

Progreſſus autem luctuoſus fuit, etſi omnino memoria Patrum noſtrorum remittere coeperit, ex parte ſqualore deterſo, & reſarto in hanc diem nitore. Quod vt planiùs noſcas, accipe diſtributas veteres Inſcriptiones per aetatum & ſeculorum gradus, quibus debacchata Barbaries eſt. (Res enim per ſe ipſa vèl me tacente praedicabit, ſimul & monebit quae boni ſint ſeculi marmora, quaeque mali; imitanda tibi, repudianda) è multis autem illas ſolùm, quae, quo anno cuſae ſint, citra controuerſiam conſtat, quaſque locorum celebritas inſigniores facit, ac teſtes rei luculentiores. Et quidem non ante annum ab Orbe ſeruato trecenteſimum inchoare fas eſt, ex quo primùm memoriae id genus nobis certae, occurrunt: Cùm in has, quae id tempus praeceſſerunt, inſinuari variè coeperit barbaries, vt per titulum priſcis inuſitatum D. N. ideſt *Dominus noſter*, de quo nos infrà, in Claſſe VI. Hiſtorial. Memb. II. Item per abuſum Vocis *Deuotus*, de qua in Claſſe IV. Chriſtian. Memb. XXVII. Et per adulatoria illa epitheta, caſtitati antiquae mirum quantùm inuiſa *Beatiſſimorum Caeſarum* (dum adhuc viuerent) *Victorioſiſſimi Principis*: *Nobiliſſimi Caeſaris* &c. Tametſi ante trecenteſimum veſtigia quaedam apparent corruptae latinitatis. In Tertulliano primùm, qui anno ipſo CCXVI. (vt accuratè colligit Caeſ. Baron. Annal. Eccl. to. II.) impiè inuehens in Edictum Zephyrini Pont. Rom. De recipiendis in Eccleſiam Moechis & Fornicarijs poenitentibus, labitur in barbariem, inquiens: *Inque cum hominis exitum quantis potes miſericordiae illecebris, bonus Paſtor, & benedictus Papa concionaris* &c. De voce *Benedictus* minimè Latina vide infrà, Claſſe VII. Didaſc. in *Benedicor* Memb. XXVII.

In breui autem Epitaphio (cuius Auctor Exercitus ipſe Romanus florentiſſimus) cernere eſt, vti maieſtas & nitor priſtinus decreſceret ſub annum CCXLVI. Sic enim legitur apud Caeſ. Baron. Annal. Eccleſ. to. II. ex teſtimonio Capitolini hiſt.

x x.

DIVO. GORDIANO. VICTORI. PERSARVM. VICTORI. GOTHORVM
VICTORI. SARMATVM. DEPVLSORI. ROMANARVM. SEDITIONVM
VICTORI. GERMANORVM. SED. NON. VICTORI. PHILIPPORVM

Vt

Vt mirum non ſit priuati alicuius è Chriſtianis triſtem foetum extitiſſe Epitaphium illud Romanum:

XXI.

IN. HOC. LOCO. REQVIESCVNT. CORPORA
SANCTORVM. MARTYRVM. PAPIAE. ET. MAVRI

Fuit autem inſcriptum anno CCLXX. Ac non multò pòſt (hoc eſt an. CCLXXXIII.) erectum Auctoritate Vniuerſi exercitus Elogium ſepulchro Probi Imp. tantundem à priſca magnificentia recedens, quantum ruens in deteriora ſecula: Videlicet

XXII.

HIC. PROBVS. IMP. ET. VERE. PROBVS. SITVS. EST
VICTOR. OMNIVM. GENTIVM. BARBARARVM. VICTOR. ETIAM
TYRANNORVM

Iam ſeculo tertio ineunte, paucis videlicet annis ſupra trecenteſimum in Vrbe Mediolano, Roma altera, probata fuit (vt illa aetate) Inſcriptio metrica in Imaginem Diui Anathalonis Archiep. Mediol. à Diuo Mirociete ſucceſſore cuſa: Videlicet

XXIII.

D. Anathaloni Attico Secundo Epiſcopo
Petri Hoſpes, Sancte Anathalon Domne probate
Atque idem ſocius Barnabae Apoſtoli
Qui Mediolani Verbi myſteria tradens
Te iubet agnatos viſere Caenomanos
Dum tua membra metu rigidis ſubducta tyrannis
Brixia vicino detinet in loculo
Hic titulum & picto venerando pariete vultus
Mirocle reddit praeſtitit alma fides.

Meminit huius Inſcriptionis Alciatus, & Ferrarius citati à Placido Puccinellio Piſcienſe, Monacho Caſſin.

Illud certè mirabile, quòd anno XXXVI. ſupra CCC. ipſum Damaſus Pont. Max. literaturae non minus quam ſanctitatis fama clarus multa luſit poeticè monumenta Sanctorum tumulis impoſita: inter quae licet aliàs elegantiùs, ibi tamen quae eſſet tunc facies Latinarum literarum, non ambiguum dedit, ſpecimen, teſte Caeſare Baronio in Appendice ad Annal. Eccleſ. ita ornans Sepulchrum S. Marci.

XXIV.

Vita fuit Marci, quam nouimus omnes
Ore Dei poſſet qui temnere Mundum
Orauit populus quod diſceret omnis
Honor vitae grandis contemptus habendi
Virtus tenuit penetralia cordis
Te cuſtos Chriſti perfectus amicus
Et Damaſus tumulum cum reddit honorem
Hic Marcus Marci vita, fide, nomine conſors
Et meritis.

Inſpecta hic metrum, quantitatem phraſim, tenorem praeter vnam clauſulae ſententiam, quae non ineptè ducta; ſed & ipſa quam procul à veterum dignitate? Quo ſeculo vt literas in peius ruiſſe cognoſcas, en tibi ſub annum ſecularem, ideſt CCCIIC. anno excuſum Romae Epitaphium Siricij Papae, quod à Baronio ibi citatur in Annal.

XXV.

Liberium Lector, mox & Leuita ſecutus
Poſt Damaſum clarus totos qui vixit in annos
Fonte ſacro magnus meruit ſedere Sacerdos
Cunctis vt populis pacem tunc ſolidam daret
Hic pius, hic iuſtus felicia tempora fecit
Defenſor magnus multos vt nobiles auſus
Regi ſubtraheret Eccleſiae aula defendens
Miſericors largus meruit per ſecula nomen
Ter quinos populum qui rexit in annos amore
Nunc requiem ſentit caeleſtia regna potitus

Lapſantia continentis veſtigia indicium facit Epigraphe illa Romana apud Baron. quam Hi-

larius Papa expoſuit ſubſequente ſeculo Getica inuaſione luctuoſo tam literis, quàm Vrbi, ideſt anno CCCCLXVII. Nititur enim orationem ſuſtinere ſtrictam & ſolutam : quo autem ſucceſſu, tu Lector iudica. Sic enim habet

XXVI.

Ad fontem vitae hoc aditu properate lauandi
Conſtantis fidei ianua Chriſtus erit

Hic locus olim ſordentis tumuli ſqualore congeſtus ſumptu & ſtudio Chriſti famuli Hilari Epiſcopi iuuante Domino tanta ruderum moles ſublata, quantum culminis nunc videtur ad offerendum Chriſto Deo munus ornatus atque dedicatus eſt.

Sed quid de tetraſticho dicam, & quidem Romae inciſo, hoc ipſo vertente ſeculo, i. e. an. CCCCLXXXIII. in loco, cui nomen Paradiſus, non procul à Baſilica S. Petri ? Citatur à Baron. in Append. Annal. Videlicet

XXVII.

Cum ſubitis peragi fallax inclementia veris
Et ſacer addendo feſta vetaret aquis:
Simplicius Praeſul ſacraria celſa petentem
Ponticibus iunctis texit ab imbre diem

Ita adamuſſim exſcripſimus nos ex Baronio, hic autem quàm fuerit accuratus ſcriptor, nemo neſcit : vt ſi vitiatum aliquid extat in autographo Baronij ex incuria Typographi, vnum fortè eſt illud *Ponticibus* pro *Porticibus*: ſed maluimus damnare ſcalprum antiqui Opificis, quam ſtudium recentis Typographi, cum ipſa Inſcriptionis totius forma informis facilè perſuadeat.

Nihilo felicius ſeculum ſubſequutum. Nam Anno DXXX. proſtitit Romae monumentum Auctore Felice Pont.M. in quo vix rudera veteris ſplendoris colligas: Eſt autem proſa intercepta carmine in hanc formam, vt ex Baron. in Append.

XXVIII.

Opus quod Baſilicae Beati Martyris Stephani
Defuit à Ioanne Epiſcopo marmoribus inchoatum
Iuuante Domino Felix Papa addito Muſiuo
Splendore ſanctae plebi Dei perfecit

Mox carmen

Aſpicis auratum Caeleſti culmine tectum
Aſtriferũque micans praeclarè lumine fultum

Iterum proſa

Domino iuuante Felix Epiſcopus Dei famulus
Forum Baſilicae Beati Martyris
Stephani Muſiuo & Marmoribus
Decorauit

Adnotandum autem hoc ipſo ſeculo, ideſt anno DLIII. reuixiſſe (vt putamus) verſuum Acroſtichiden; ſcilicet felicibus ingenijs in infelicitatem temporum adnitentibus creditum eſt, quod nitori ſermonis deperierat, reducto artificio perantiquo compoſitionis literarum fore compenſandum. Id enim inuentum deberi Ennio, & Sibyllis tradit Cicero II.Diuin. Fit autem Acroſtichis, quùm ex primis aliquot verſuum continuo ordine ſequentium literis oratio aliqua connectitur. Lege in rem noſtram apud Caeſ. Baron. in Append. Annal. ad annum cit. Satis elegans Epitaphium in S. Florentinum Abbatem S.Crucis Arelaten. Auctore S.Hilario Epiſc. Cuius elementa prima carminum ad ſeptem & triginta componunt id epigraphes: *FLORENTINVS ABBAS HIC IN PACE QVIESCIT AMEN.* Vt autem dignitas aurei ſeculi ab id genus antiquitate abhorret praeſertim in Elogijs ; ita reuiuiſcens hoc ſeculo Acroſtichis elegantiae barbaricae crepuſculum feciſſe dici poteſt.

Horridiora poſt haec multò ſuccedunt. Sexto quippe ſeculo in carmen rythmus irrepſit; neque in extremis verſibus tantum, ſed in medijs quoque, adeo vt tota in eo elegantia reponeretur. Cuius exempla quaedam ſubijcimus tunc temporis nata, ac deinceps, vt feret progreſſio temporum. Ac Romae quidem (vt citat Baronius in Annal. in an. DCXIV. Inſcriptum Sepulchrum legitur:

Gregorio

XXIX.

Gregorio Quartus iacet hic Bonifacius almus
Huius qui ſedis fuit aequus Rector & Aedis
Tempore qui Phocae cernens Templum fore Romae
Delubra cunctorum fuerant quae Daemoniorum
Hoc expurgauit Sanctis cunctiſque dicauit
Cuius natalis ſolemnia qui celebratis
Primis Septembris fert hoc lux quarta Kalendis

Obliteratam credas hoc ſeculo literaturam latinam ſi Romanum promam Epitaphium de Toma, quem Honorius Pont.Max. Miniſtrum adhibuit in Schiſmate euellendo. Habetur apud Baron. Videlicet ad ann. DCXXXIIX.

XXX.

Quis mihi tribuat, vt fletus ceſſent immenſi
Et luctus animae det locum vera dicenti
Licet in lachrymis ſingultus verba erumpant
De te certiſſime tuus diſcipulus loquor
Te generoſitas miniſter Chriſti parentum
Te munda actio Thomas monſtrabat honeſtum
Tecum virginitas ab incunabulis vixit
Tecumque veritas ad vitae metam permanſit
Tu caſto labio pudica verba promebas
Tu patiens iam parcendo pie docebas
Te ſemper ſobrium te recinebamus modeſtum
Tu tribulantum vera conſolatio verax
Errore veteri diu Aquilegia caeca
Diffuſam caelitus rectam dum renueret fidem
Aſpera viarum ninguidoſque montium calles
Calcans indefeſſus glutinaſti prudens ſciſſos.

Spectauit haec ipſa aetas Regum Longobardorum Agilulphi, & Theodolindae Vxoris pietatem in Diuum Ioannem Baptiſtam, cuius in Templo Modoëtienſi ab ſe magnificentiſſimè condito inter Cimelia planè Regia adſeruatur Diadema aureum ingentis pretij extrinſecùs ita inſcriptum

XXXI.

Agilulphus Dei gratia Vir glorioſius, totius
Italiae Rex offert Deo & S. Ioanni Baptiſtae
In Modoëtia.

Item libri Miſſalis theca ex aureis laminis, cum emblemate ex margaritis hiſce notis inciſa:

XXXII.

De donis Dei offerit (* ſic) *Theodolinda Regina*
glorioſeſſema (* ſic) *in Baſilica S. Ioannis Baptiſtae*
quam ipſa fundauit in Modicia (* ſic) *prope*
Palatium ſuum

Porrò vtrobique barbariem vel in paruo magnam obſeruare eſt, quod Glorioſi titulum vterque ſibi vindicet in ſacris donarijs, in queis faſtui locus non eſt. Deinde illius phraſeas *In Modoëtia* duritiem quis ferat? Alterius verò ſcriptura infelix, in vocibus *offerit* pro offert, *glorioſeſſema* pro glorioſiſſima, *Modicia* pro Modoëtia, non tam Opificis inſcitiam, quam conditionem temporum arguit multo infeliciſſimam, quod eius artis, & materiae opus regio iuſſu fabricatum ad commendandam poſteris tantae Principis religionem grammaticum in ſuo Regno conſultum latini ſermonis deſiderauerit, qui operi faciundo praeeſſet aut inter tot operis ſpectatores Cenſorem vnum corrigendo. At,inquies, Longobardicum ſceptrũ Romanam linguam ablegauit, mirum, ſi illa poſtliminio in Aulam Victoris barbari rediſſe dicatur. Quid de homine Romani iuris, Romanique Antiſtitis Procuratore, atque adeo in gremio doctae Parthenopes, & inter hoſpita Muſis otia degente?

Scilicet iniquitas temporum inducta fato peiora multo ſperare docuit, vt ſequens ſeculum commõſtrauit, Epitaphio Neapolitano in S. Andreae ad Nidum marmorea in tabula: Citatur à Baron.to.IX.Annal.ad an.DCCXXV. Videlicet

XXXIII.

Confugientis ad tuum ſuffragium laetus amplectere oſſa putrida
tabefacta Apoſtole Sc̄e qui ob tui meriti deſiderium aulae
tuae moenia mira fecit pulchritudine coruſcare
vt tuis adiutus auxilijs diſruptis vinculis Inferni hinc reſurgere caro miſera poſſit & in die examinationis calcatis
facinoroſis peccatis gaudia Diuina percipiat te interprecante
Martyr Andrea

Hic in pace membra ſunt poſita Theodimi * *Subd. Reg. &*
Rect Sc̄e Sed Apoſt. & Diſp. huius Diac. Beati Andreae
Si quis praeſumpſerit hunc tumulum violare erit Anathematis
vinculis innodatus.

* lege

lege *Subdiaconi regionarij & Rectoris Sanctae Sedis Apoſtolicae & Diſpenſatoris Diaconiae Beati Andreae*. Cuiuſmodi verò id munus eſſet, conſule Caeſ. Baronium ibi.

Quo melius nihilo eſt Epitaphium illud An. DCCVIIC. inciſum tabulae marmoreae in Gallaecia Prou. Hiſp. de quo meminit Baronius Annal.

XXXIV.

Quicunque cernis hoc Templum Dei honore dignum, noſcito hic
ante iſtum (ſic) *fuiſſe alterum hoc eodem ordine ſitum quod Princeps*
condidit Saluatori Domino ſupplex per omnia Froila duodecim
Apoſtolis dedicans biſſena Altaria. Pro quo ad Dominum ſit veſtra oratio cunctorum pia.
Preteritum hic antea edificium fuit partim à Gentilibus dirutum
ſordibuſq. contaminatum. Quod denuo à famulo Dei Adefonſo
cognoſcitur eſſe fundatum, & omne in melius renouatum
Sit merces illi pro tali Chriſti labore
Et laus hic iugis ſit ſine fine tibi.

Excipit deterior aetas, quae anno DCCCXVIII. Romae monumentum extulit Pontificis Maximi aut iuſſu, aut ingenio inciſum in Donario auro, gemmiſque pretioſiſſimo. Citatur à Baronio ad Ann. DCCCXLI.

XXXV.

Dona Deo & Sanctae Mariae quae vocatur Praeſepis Tranſty
berim Domnus Gregorius Papa Quartus puro corde obtulit

* *puro corde* inſipidè dictum: *Domnus* verò auſterè, barbarico dumtaxat palato ſapiens, de qua voce infrà in Claſſe VI. Membro II.

Inhorruit (quid mirum?) tetriùs, procul ab Vrbe locutio Romana, cuius ecce damus argumentum Epitaphij in Galliae Vrbe Metis inſcriptum Anno DCCCXLIV. ex Baronij teſtimonio: Videlicet

XXXVI.

Conditur hoc buſto Praeſul Drogo marmore ſculpto
Spiritus in requie laetus ouat Abrahae
Filius hic Magni Karoli fuit Imperatoris
Vir pius & prudens vel probitate cluens
Aulae regalis moderator, paſtor ouilis
Metis & Eccleſiae iure Pater Patriae
Hic Praeſul, Praeſes, Dominus, Primaſque cis Alpes
Eius iudicio paca fuit regio
Iſte Glodeſindis ſolemniter oſſa leuauit
Condigneque loco condidit eximio

Sequentia verò ſecula extinctam ſibi latinitatem luxerunt, cuius rei ſpecimen per gradus exhibebimus, ſed curſim, ne adſcititio quoque ſitu noſtrae ſqualeant paginae. Ad nonum igitur ſeculum ſpectat Inſcriptio relata à Baronio in Appendice Annal. ad An. MCCCCVI.

Hic

XXXVII.

Hic . Sancti . Primi . Martyris . Corpus . venerandum
In . Chriſto . humatum . quieſcit . quod . Deo . dignus
Sergius . Papa . Iunior . Eremberto . inluſtri
Viro . conceſſit . ab . Vrbe . Roma . cum . Hymnis . ac
Laudibus . ſpiritualibuſq. canticis . dum . eſſet
Tranſlatum . quem . inter . Sanctos . eius . ſpiritus
Teneat . primatum . in . multis . virtutibus
Et . ſignis . eſt . declaratum
Reconditum . eſt . corpus . Beati . Primi . Martyris
Cum . reliquijs . Sancti . Feliciani . anno
Incarnationis . Domini . noſtri . Ieſu . Chriſti . MCCCCVI
Kal. Aug. indict. VIIII. ordinante . Dom
Angilberto . Archiepiſcopo . anno . XXIII
Paſſio : Sanctorum . VI. Id. Iun

Ad idem Romanus tumulus ita inſcriptus . Citat Baron. ad annum DCCCCVIII.

XXXVIII.

Membra Benedicti hic Quarti ſacrata quieſcunt
Pontificis Magni , Praeſulis eximij
Qui merito dignus Benedictus nomine dictus
Cum fuerit largus omnibus , atque bonus
Huic generis decus & pietatis ſplendor opimus
Ornat opus cunctum iuſſa Dei meditans
Praetulit hic generale bonum lucro ſpeciali
Mercatus Caelum cuncta ſua tribuit
Deſpectas viduas necnon inopeſque pupillos
Vt natos proprios aſſidue refouens
Inſpector tumuli compuncto dicito corde
Cum Chriſto regnes , ò Benedicte , Deo

Ad idem ſoluta inſcriptio clariſſimi Principis Etruriae , Vgonis , in eius peruetuſtam imaginem , quam ſingulis annis exponunt Patres Benedictinae Familiae in almo Coenobio Florentino , memoriam anniuerſariam apparatu ſumptuoſo celebrantes . Ea eſt :

XXXIX

EGO VGO GLORIOSISSIMVS MARCHIO ETRVRIAE TOTIVS GVBERNATOR SCIENTE ME DEBITOREM ALTISSIMO DEO ESSE , QVAMQVAM IN DELICIIS MVLTIS ESSE , REVERSVS AD COR , OB HONOREM DEI GENITRICIS VIRGINIS MARIAE , AC DIVI BENEDICTI MONACHORVM PATRIS TEMPLI HVIVS ALTITVDO A ME FVNDATA EST CVM SEX ALIIS COENOBIIS . SED ET MVLTA BONA , CASTRA , ET LOCA EIS STABILIVI XII KAL. IVNII GREGORIO V. PONTIFICE MAXIMO , ET OTTONE III. IMPER DCCCCXCV

Videlicet comploranda deprauata grammatica , ſed aemulanda pietas ; illa barbariae vertenda temporum , haec antiquitatis vindicibus obiectanda . Ita iacturam diſciplinae , quàm Latinitatis , erit , cur magis execremur .

Annus porrò milleſimus à cultu Latini ſermonis totus ſylueſcere, fremente praeſertim Marte totâ Europâ. Vtriuſque rei certa ſunt indicia Inſcriptiones ſepulcrales binae in Hiſpania, de quibus Baron. Annal. Altera ad annum MXXVII.

XL.

Hic iacet Rex Adefonſus, qui populauit Legionem poſt deſtructionem Almanzor, & dedit eis bonos foros & fecit Eccleſiam hanc de luto & latere. Habuit praelia cum Sarracenis, & interfectus eſt ſagitta apud Veſeum in Portugal. Fuit filius Veremundi Ordonij. Obijt Era MXXVII. Nonis Maij

Altera verò ad annum MXXXVII. apud Baron.

XLI.

Hic eſt conditus Veremundus Iunior Rex Legionis, Filius Adefonſi Regis

Iſte habuit guerram cum cognato ſuo Rege Magno Fernando, & interfectus eſt ab illo in Tamara praeliando. Era M XXXVII

* Apud Baronium quidem in vtroque Epitaphio legitur variatus nobis annus: in priore MLXV. in poſteriore MLXXV. ſed nos typographo id vertimus culpae, dum ſeculi deflemus barbariem; hoc vno compenſantes, quòd tùm primùm coeptum reperimus lepidum vſum vocis *ERA* translatae à profano ad ſacrum; eſt enim *ERA*, ſeu mauis *AERA* initium temporis, à quo ſupputationes Aſtrologi incipiunt. quod ſcitè traduxit aetas illa ad initium ſalutis humanae per Chriſtum fundatae. Cui ſi epitheton dederis, vt dicas *ERA Chriſtiana*, tùm omnem, ſi qua ineſt translationi, duritiem ſuſtuleris.

His non niſi honorem praefatus adnumerabit quis Epitaphium, & ipſum Hiſpanicum, in celeberrima vrbium Toleto, de puella Principe Thereſia, quod ipſum nomen vna cum textu toto inſcriptionis foediſſimè corruptum, & vitiatum ita legitur:

XLII.

En quem cernis cauea ſaxa teget compago ſacra. Hic dilecta Deo recubans Taraſia Chriſto dicata proles Beremundi Regis, & Geloyrae Reginae genere orta claro parentatu clarior & merito. Vitam duxit praeclaram vt continet norma. Hanc imitare velis ſi bonus eſſe cupis. Vel ſi obijt ſub die VII. Kal. Magij Feria quarta Hora media noctis poſt peracta aetate ſaeculi porrecta per ordinem Mundi ſextam Da Chriſte quaeſo veniam Parce precor Amen

Hanc habes apud Baron. Annal. ad annum MX.

Vndecimum ſeculum ſimul, & duodecimum dabunt deuorandam barbariem, vſquè adeò auſterâ eſt, alibi tamen plus minus, & alibi. Siquidem Pariſijs quàm minimè incultam eſſe oportuit Inſcriptionem illam Templi S. Victoris, quod à Magnanimo Rege Gallorum Ludouico excitatum fuit, conquiſito (credimus) ex omnibus terris architecto, qui operi inſiſteret, quàm celebratiſſimo; & magiſtro quàm literatiſſimo, qui inſcriberet. Accipe nihilominus, qualis illa tandem extitit citata apud Baronium ad annum MCXIII.

Illuſtris

XLIII.

Illuſtris genitor Ludouici Rex Ludouicus
Vir clemens, Chriſti ſeruorum ſemper amicus
Inſtitui fecit Paſtorem Canonicorum
In cella veteri trans flumen Pariſiorum
Hanc vir magnanimis, almi Victoris amore
Auro, Relliquijs ornauit, rebus, honore
Sancte Dionyſi, qui ſeruas corpus humatum
Martyr & Antiſtes Ludouici ſolue reatum.
Chriſti centeno cum mille decem & tribus anno
Templum hoc Victoris ſtruxit Regalis honoris

Toleranda minùs vitia temporum in Italia, vbi ſedes quondam, & tam multa paſſim monumenta Latini Regni. Id quod magis damnatam reddit Sepulcralem Inſcriptionem illam in Apuliâ ad S.Sabini ad propagandam memoriam Magni Principis Antiocheni Boamundi, quae ſic legitur apud Baron. ad annum MCXI.

XLIV.

Magnanimus Syriae iacet hoc ſub tegmine Princeps
Quo nullus melior naſcetur in Orbe deinceps
Graecia victa quater, pars maxima Parthia Mundi
Ingenium & vires ſenſere diu Boamundi
Hic acie in dena vicit virtutis habena
Agmina millena, quod & vrbs ſapit Antiochena

Certè quae proxima Romae eſt, Vrbs Reate in Sabinis, Italiae adeo vmbilicus, quantopere vitiata fuerit, probat Epigrapha Aereae Campanae maximae Summi Templi, quae ibi adhuc has literas ſeruat:

XLV.

Virtutem largire Deus cum Virgine miram
Vrbem Reatinam Pater Andreas cathedrabat
Qui decus Eccleſiae ſimul & virtutis amabat

Quid? Romana adeo memoria eiuſdem temporis, de Rege maximo, in loco celeberrimo, & in luce Orbis, nihilo ſanè eſt longinquis, aut peregrinis melior: quam ſcilicet Paſchalis II. Pont. Max. inſcribendam curauit in ſuperliminari Portae maximae Aedis D. Bartholomaei Apoſt. quae in Inſula Tyberina viſitur, anno ſal. MCXIII. de qua Baron. in fine to. X. Ann. Videlicet:

XLVII.

Tertius iſtorum Rex tranſtulit Otto piorum
Corpora queis domus haec ſic redimita viget
Quae domus iſta gerit ſi pignora noſcere quaeris
Corpora Paulini ſint credas Bartholomaei

Legiſtin'? I nunc, & inceſſe Peregrinas gentes, quas apud (vt membris à corde remotioribus accidit, quae mortem inſtantem praeſentiunt) citiùs extinctam Latinitatem haud mirabile eſt. Ferent faciliùs aures ea, quae Franciſcus Suueertius in Brabantinis monumentis recitat Bruxellenſia Epitaphia, candidus nimirum ſcriptor, & obſeruator antiquitatis: quîcum vt complores tu quoque vicem, non tam regionis illius, quàm temporis; accipe duo Epitaphia in Abbatia Villarienſi: Alterum quidem Beati Arnulphi Cornibouti Bruxellenſis Monachi Villarienſis, qui diem obijt anno MCCXXVIII. prid. Kal. Iulij. Videlicet:

Pauſat

XLVII.

Pauſat in hac tumba Vir ſimplicitate columba
Qui Leo virtute, iubilis ſimulatur Alaudae
Qui Turtur gemitu, viſu ſimul atque volatu
Par Aquilae, Salamandra nouo qui vixit in igne
Vis breuius iuſti laudes in fine probare?
Nunc canit in de la ſol, qui quondam fleuit in Alle

Alterum verò ex pluribus vnum conflatur Epitaphijs, vndecimo promiſcuè, ac duodecimo excuſis ſeculo, vt ibidem adnotat Suueertius. Videlicet:

XLVIII.

Ecce latent fratris Arnulphi Cornibout oſſa Anno 1228
Hic iacet Abundus Hoyenſis crimine mundus 1220
Clauderis hac ciſta Godefride beate Sacriſta. 1170
Qui vitium neſcit Bonifacius hic requieſcit. 1170
Hic de Niuella Marquinna iacet Domicella.
Calcans mundana de Cornelion Iuliana. 1257
Sis Sancti Syri memor Heluuighen ſepeliri.
De Grauio iacet hic dulcis & honeſta Maria.
Rachel, non Lia propriè fuit iſta Maria.
Hic iacet Henricus Monachus de Gheeſt inimicus
Mundi, cui Clerus quondam fuerat ſed amicus.
De Dongelberto iacet iſtic nomine certo
VVilhelmus dictus Monachus vita benedictus.
Hi mundo corde vixerunt, & ſine ſorde
Vitae forma dati nobis, ſunt hic tumulati

Ne grauere, Lector, adhuc Epitaphium aliud ſimilis notae: pérbreue quippe, & inter caecos eius ſeculi horrores Indicem lucis nobiliſſimae familiae Senenſium BANDINELLIAE; Quam qui ignorat, Solem ipſum ignorat; vſque adeò luxit illa Orbi Chriſtiano in ALEXANDRO III. Pont. Max. Gentili. Legitur autem Epitaphium Senis in Diui Chriſtophori, infixum parieti. Videlicet:

XLIX.

NOBILIS. PVER. ATQVE. TENELLVS
IACET. HIC. BANDINELLVS
IVBENTE. DOMINO. IOANNE. AVO
ANNO. MILLESIMO. DVGENTESIMO. QVINQVAGESIMO. OCTAVO

Literas porrò Gothicas, quas inciſum marmor oſtentat, non habent, quibus repraeſentent, noſtrates Typographi.

Non minus carioſum reperias characterem proſae per id tempus, ſi legeris Epitaphium Mediolanenſe ad Diui Franciſci, citatum à Puccinello in calce ſui Zodiaci, eiuſmodi

L.

In iſto Sepulchro iacet R. P. D. Henricus Schachabarozius Archipresbyter maioris Eccleſiae Mediolani. Fuit magnus deuotus Ordinis Minorum, & iſtius Conuentus Benefactor. Nam modo ..... de MCCLXXXVII. Scholas nobilium conſtruxit, & multa alia facta tam ſpiritualia, quàm temporalia .... conceſſit

Adi

Adi infrà ſuis locis, vt ex Indice, Voces *Dominus*, *Deuotus*, *Benefactor*, *Spiritualis*. Expende etiam phraſim *Magnus deuotus Ordinis*, num aliud vſquam pinguius occurrat?

Ad metam perueniſſe barbaries ſermonis iam credi poſſit, nec vltra habere progreſſum. Veruntamen (vt M. Ant. Sabellicus obſeruauit) cùm mille annos & amplius obtinuerit luctus Gethicae cladis, conſequens eſt, vt ad quartumdecimum vſque ſeculum latinitas tumulata iacuerit. Intra id tempus cuſum eſt Epitaphium Louanij citatum inter Brabantina à Suueertio, ex quo aſperitatem temporis coniectare eſt ad rem noſtram. Sic autem habetur

L I.

Hic ſubtus iacet D. Henricus huius nominis tertius, Princeps illuſtris Lotharingiae Dux & Brabantiae ſextus, huius Clauſtri fundator, ac fundi totius dator. Hic fuit tam manſuetus, & tam compoſitus in moribus, quòd vix poſſit illud enarrari. Vix ſimilis ei reperiebatur, dum aduixit. Aſpectu autem dulcis erat, & morigeratus. Iſte XIII. annis principatus eſt, & poſtea mortuus eſt Anno Domini MCCLX. vltimo die Februarij.

Dynaſtae autem potentiſſimi, in Vrbe literarum altrice tam infelix Elogium manaſſe quis credat? Sed tempora illa ſic ferebant. Et ne carmen tunc certe viguiſſe putetur, proſa perdita, en tibi maior in illo calamitas, vt ſequentis ſeculi demonſtrat inſcriptus tumulus in Cartuſia Pontiniana ſe ipſo aperte commonſtrat

L I I.

Bindus Senenſis huius domus Cartuſienſis
Prudens fundator; Domini Papaeque Potator
Hanc Petro donauit. Hic iacet. ſuper aſtra volauit
Anno Milleno Tercentum Luſtroque deno
Addas Tres; Maij pleno die tunc ſeptem deno

Citatur à Bartholomaeo Senenſi Cartuſiae Florentinae Monacho in Vita B. Petri Petroni, in Adnotationibus.

Eam denique miſerante Numine Viri ſtudioſi conatibus maximis paulatim è tenebris eruere, ſitum excutere ſunt agggreſſi, quorum indicem cum encomio cuiuſque texit Sabellicus to. IV. in Dialogo cui titulus *Latinae linguae reparatio*. Itaque trecenteſimo & quadringenteſimo anno ſupra milleſimum eaedem extitere ſordes linguae, eaedem corruptelae, quas ne ignores, Lector en tibi, quae ex Vrbe Luca ſummorum ſemper ingeniorum parente nunc ipſum delatae ad me ſunt Inſcriptiones de Guiniſia gente illuſtriſſima. Videlicet

L I I I.

Ad Honorem Dei, & Beatae Mariae Virginis, & Beatae Luciae Eccleſiam iſtam fieri fecit Franciſcus quondam Bartolomaei Guinigi pro remedio Animae ſuae, & ſuorum maxime parentum Qui etiam ob Sanctae huius deuotionem vna cum fratre Guillielmo Gilio tunc Guardiano Lucenſi, caeteriſq. Fratribus Lucenſis Conuentus ad ſonum campanae proceſſionaliter aduenientibus, & cantantibus ſolemniter Deo laudes in huius Eccleſiae fundamento proprijs manibus lapidem poſuit primum A.D.MCCCLIIII.Indictione VII.Die XVII.Februarij.

Huic

Huic adiacet Sepulchrum Virorum ex familia

LIV.

Hoc eſt ſepulcrum Franciſci quondam Bartolomaei de Guinigijs de Lucha, & eius Nepotum de Guinigijs, & eorum deſcendentium, in quo primum ſepultus fuit Franciſcus ſupraſcriptus qui obijt AN. D. M°. CCC°. LVIII. Die XVII. menſis Auguſti Cuius Anima requieſcat in pace.

Ponè ſequitur Foeminarum

L V.

Hoc eſt ſepulcrum Dominarum de Guinigijs ſupraſcriptis In quo primum ſepulta fuit nobilis Domina Domina Fetta filia nobilis viri Comitis Guillielmi de Mudigliana, & Vxor Franciſci quondam Lazzarij de Guinigijs, quae obijt AN. D. M°. CCC°. LVIIII. Die XXIX. Menſis Decembris.

Exciderat ſuperioris ſeculi Epitaphium, eadem in Vrbe, in Diui Frigdiani ab Amico exſcriptum, & ad nos fideliter tranſmiſſum. Tu Lector, rideas an plores, neſcio. Nos quidem gentis Guidiccioniae claritatem in ipſa ſtyli fuligine venerari malumus. Eſt autem vernacula compoſitum lingua, ad rythmi barbari aemulationem, qui aetatis infelicissimae excitauerat cum plauſu contentionem ſtudioſorum. Videlicet

L V I.

Diſcendenti di Aldobrandino, e del ſuo fratello Paganino
Giaceno in queſto lauello per loro fatto sì bello,
L'vno per li maſchi è fatto, e per le femine l'altro
Detti fratelli Guidiccioni: Preghiamo Dio che lor perdoni
Il Mille Ducento nouanta. Aiutali Vergine Santa.

Iam ſtudia quorundam, vt ſumus praefati, tentauere, ſi poſſent, excutere latinis literis barbaricum iugum, quod etſi negotium huiuſmodi eſſet, vt votis magis, quam re appeti poſſet in tanta quam vidimus literarum clade; illorum tamen coepta non irrita omnino fuiſſe declarant ſatis, & quae identidem defodi atque è tenebris extrahi contigit monumenta Scriptorum boni ſeculi, & quae ex illorum iugi, ac impenſa lectione deſudantes noſtrates in lucem protulerunt ſeu volumina ſeu marmora. Cernere eſt autem, vt ſenſim euicit labor improbus obluctantem barbariam ex ijs, quae tertio ab hinc ſeculo ad vſque noſtrum cuſa ſunt. (Quiſquis demum hanc laudem primus tulerit, Dantheſnè Aldigerius Florentinus, ex Giſanio, an ex Sabellico Gaſparinus ex Barziza Bergomas) Siquidem in primis veſtigia quaſi priſcae dignitatis, & quaedam veluti vmbrae apparent. Vt in Epitaphio ad Florentiam in fano Diui Caij, cuius fundator ſimul, & contermini Coenobij ſacrarum Virginum indicatur ex familia clariſſima Corſiniorum.

LVII.

D. I. S. ✶i. e. Deo Ieſu ſacrum
D. Philippo D. Thomae
De Corſinis F.
Cl. Equiti. Iuris Ciuilis
Peritiſſimo
Deque Patria benemerito
Sibi
& Suis benemerentibus
Obijt XI. KL. Nouembrias
Anno
M. CCCC. XXII

Nam latinum haud eſſe praenotatum D. (i.e.Domini) titulum,tradimus infrà Claſſe VI.memb.II. Obſcurus deinde ſenſus in *D. Philippo D. Thomae &c.* clareſceret legendo *Philippo Thomae F. de Corſinis. Kalendas* demum *Nouembrias* non dixeris latinè, ſed *Nouembris* caſu genit. nominis ſubſt. Aut *Nouembres* nom. adiect. caſu accuſatiuo.

Lucenſis illa aequalis artificium oſtentat maius, & ingenium Auctoris amoenum, barbariem tamen in multis haud diſſimulat, vt legenti patet. Eſt autem

LVIII.

Catharina Lucenſis ingenua foemina, decora nomine Franciſci Sbarrae,& Clarae Liliae nobilium orta parentum Nominibus Cognominibuſque ipſorum ſatisfecit: renata inquam per ſpiritum D. Franciſcum, Beatamq. Claram iterum parentes habuit. Sbarras Diabolo, Mundo & Carni oppoſuit. Lilia candoris, puritatis, & pudicitiae ſemper proſequuta eſt. Duobus legitimis coniugijs ſeculo actis ſterilis, & infoecunda, Tertio coniugio per Religionem Ieſu Chriſto Deo Noſtro copulata in ſpiritu foecundiſſima fuit. Nonaginta minus vna Virgines ſacras Deo genuit. Aucta facultatibus ex Teſtamento Sp. Antonij Tegrimij eius poſtremi Viri Coenobium apud Aedem D. Archangeli Michaelis in Burgis Lucenſibus primum ſub titulo Tertij Ordinis Seraphici Franciſci: deinde ſub Regula De Obſeruantia D. Clarae ſuaſu Pauli Iouae Theologiae Doctoris Profeſſi de Obſeruantia D. Franciſci mirabiliter erexit. In quo ſeptem & viginti annis laudabiliter vixit, functiſq. perſaepe in eo Praelationibus inſtitutis Annum agens octauum & ſeptuageſimum agminibus Ciuium Caeleſtium ſociata vt piè credimus VII. Kal. Febr. ad ſuperos commigrauit Anno Noſtrae Sal. MCCCCLXXXVII.

Hic Auctor ſales adhibuit, nec antè, vt debuerat à putre repurgauit. Cuius cenſura vltrò ſuperſedemus, prudenti eam lectori permittentes. Exigit quidem ſtudium noſtrum in familiam hanc antiquiſſimam, vt ſaltem curſim innuamus, inter fumoſas eius imagines illam longè ſpectabilem, quae oſtentat Ioannem Franciſci filium (natum anno MCCCCXXX.) ſummae apud Ciues dignitatis, & meriti, vtrum ſcilicet ex his, quos Patria liberatores ſuos in faſtis deſcriptos habet,

quem

quem & pluribus ad exteros Principes legationibus honeſtauit: & in poſtrema ad Ferdinandum Aragoniae Regem, cum diem ſuum obijſſet (anno MCCCCLXIV.) Ipſe Rex conceptum moerorem luculentis literis, quamquam ſtylo vt aetas illa ferebat, ita deſcripſit Neapoli ad Lucenſem Remp. *Rex Siciliae* &c. *Magnifici Viri Amici noſtri Cariſſimi. Tulimus moleſtiſſimè obitum Magnifici Equitis Ioannis Sbarrae veſtri Conciuis, qui & veſtra, & ipſius cauſa nobis erat cariſſimus, cùm in dies magis noſtro iudicio, & expectationi reſponderet. Amiſimus, vos optimum & clariſſimum Ciuem, Nos Amicum dilectiſſimum* &c.

Non refragamur, eadem vna aetate meliores deterioreſque Scriptores extitiſſe; alios namque alia fert tellus fructus, & cultiora ingenia in Vrbibus, quam in pagis prouenire quis neſciat? Itaque illud marmor plumbeo ſeculo adiudicabitur, quod quartodecimo inſcriptum eſſe demonſtrat ratio temporum. Citatur à Placido Puccinellio inter Antiquitates Mediolanenſes, lectum à ſe tamen in agro Mediolanen. in Abbatia Morimundi, in hanc formam:

LIX.

Hoc Opus fecerunt fieri RR. DD. Dominicus Capranica Epiſcopus & Princeps Firmanus, & F. Ioannes de Ferrarijs Dei gratia Abbas Morimundi meritiſſimi Die XV. Febru. Tempore quo praefatus Dominus Epiſcopus fuit Ambaſciator S. D. N. Martini Papae V. ad Dominum noſtrum Ducem Mediolani. Henricus cognomento de Spededo hic depinxit.

Idem tamen ſeculum in Vrbe ipſa Mediolano melius aliquantò apparuit in Inſcriptionibus, vt probant quae & hodie leguntur binae ſupra Ianuas vetuſtas: Nimirum

LX.

Franciſcus Sfortia Dux IV. Opt. Max. P. P. & eius Vxor Blanca Maria Vicecomes, qui Situm Aedeſq. dederunt, vnà cum Mediolanenſi Populo Hoc Hoſpitale Poſuere.

Nam hic deſiderantur quidem nerui compoſitionis, barbaries autem in vocem vnam *Hoſpitale* irrepſit. quod quia curandis modò aegrotis eſt deſtinatum, Noſodochium fuerat appellandum. Sequens autem multò purior, & praeter ſitum vnius antiquae vocis *Ampliter* haud ingrata redditur. Haec nimirum:

LXI.

Franciſcus Sfortia Dux Mediolani IV. Qui Vrbis, & Gentis Imperium Soceri morte amiſſum recuperauit. Ad ſuſtentandos Chriſti pauperes diſperſa alimenta congeſſit Atq. ex vetere Arce Aedes ampliter excitauit AN. S. M CCCCLVI. Prid. Idus Aprilis.

Adhuc in illa, quae in Arcu Portae vulgò Ludouicae legitur reuiuiſcere cernitur priſtinus nitor, quam citat ibidem Puccinellius:

LXII.

L. Mediolani Duces B
Vt religioſum iter ad Mariae Dei Matris & Celſi Aedes Compendio Ciuibus ſuis commodius faceret. Ludouicus Dux Mediolani Portam nomine ſuo Ludouicam cum Beatrice coniuge aperuit. MCCCCLXXXXVI.

Nae

Nac illa Gratias accerſit felicis antiquitatis, quae in Coenobio ad Diuae Mariae vulgò Gratiarum expoſita fuit iubente Principe moeſtiſſimo, cuius luctum longe memorabilem, & pietatem nullis aequatam exemplis deſcribit Corius in Hiſt. Mediol. Eſt autem Inſcriptio huius modi:

LXIII.

Infelix partus. Amiſi antè vitam, quàm in lucem ederer
Infelicior, qui Matri moriens vitam ademi, & Parentem Conſor-
te ſua orbaui. In tam aduerſo fato hoc ſolum mihi poteſt
iucundum eſſe, quod Diui Parentes me Ludouicus & Beatrix
Mediolanenſes Duces genuere MCCCCXCVII. III. Nonas Ianuarij.

Porrò hanc laudem refloreſcentis latinitatis alia quoque locorum ſibi iure vendicant, Roma praeſertim, vbi inter rudera auita tentato ſolo multa paſſim in dies excitantur monumenta, ſuperſtites rapinarum Gethicarum reliquiae, & probra barbaricae immanitatis, ita vt proximum ſeculum, cui hoc noſtrum ſucceſſit, aeneum reſtitutum videatur; Quod dubio procul teſtantur Memoriae tres in Patria noſtra haud temnendae. Videlicet:

LXIV.

Antonij Leyuae Hiſpani Herois, Aſculi Principis, omnium ſuae
aetatis Ducum Belli vel in conſilio capiendo ſolertiſſimi, vel in exe-
quendo efficaciſſimi. Qui à Carolo eius nominis Quinto Exercitui
apud Inſubres Praefectus Italiae Principibus ac Gallorũ Rege in Cae-
ſarem conſpirantibus vel in maxima rerum anguſtia ingenij acu-
mine Hoſtium ſibi incumbentium ſaepe conatus infregit, Oppida ex-
pugnauit, ac multis victorijs partis Ducibuſq. etiam captis Mediola-
nenſem Prouinciam ab eorum faucibus ereptam Imperio reſtituit, &
ſeruauit, magniſq. mox alijs rebus pro Caeſare geſtis demum in tole-
randis miſerabilis morbi doloribus, omnibus artubus contractis &
perpetuo occupatis ſumma cum laude apud Aquas Sextias in fa-
ta conceſſit. Oſſa ex Teſtamento huc tranſlata ſunt. Obijt XVII.
Cal. Octobr. MDXXXVI.

Extat haec memoria Mediolani ad Diui Dionyſij in regione Orientali; iuxta quam altera legitur de eodem Leyua reſtitutore Aedis, in hunc modum

LXV.

Antonius Leyua
ſanctiſs. foederis in Italia
et Caeſarei exercitus Imper.
Rei Mediol. vice ſacra Gubernator
Princeps Aſculi
poſt innumeras pugnas & victorias.
pacatis hoſtibus
Hoc Diui Dionysij Templum
vetuſtate & bellis collapſum
pro Diuae Virginis Paradiſi Aede
iam ſublata
annuo cenſu ad hoc conſtituto
in meliorem formam reſtituens
ampliauit
An. à ſalute Mundi MDXXXV.

In Diui tandem Franciſci, vbi panditur Sacellum Diuae Sauinae (melius Sabinae) legentis oculos profecto implebit haec memoria, quam citat Puccinellius:

LXVI.

S. Sauinae Laudenſis matronae, quae SS. Naborem & Felicem huc à martyrio per mellifluum oſtentum Chriſti Apis operoſa tranſuexit, vbi orans in eorum gloriam conceſſit. Liuia Euphemia Cademuſta Tornella Matr. Lauden. in acerbo ſtomachi cruciatu opem nacta Votum ſoluit Anno MDXI.

Adijcimus coacti, non tamen inuiti quartam, adeo non dubiam lucem retulit aduentantis argentei ſeculi. Citatur ab eodem, in Diuae Mariae Scalenſis:

LXVII.

Per ſe etenim hic lucet, facibus nunc nil opus noſtris
D. O. M.
Franciſcum, cui Vrbs Roma origo, gens Vrſina genus, Patria Mediolanum, ampliſs. toto pene Terrarum Orbe commercijs incorrupta fides, ac per omnem vitam Fortunae fauor cum Virtutis gloria certans, Vita in LXXXX. vſq. annum, Catharinae Vx. & Filior. officioſa pietas hic condidit MDXV. XVIII. Kal. Dec.

Vel hinc quantopere ſublata barbaries ſit, liquet, quamquam noſtro ipſo ſeculo illa in multis adhuc regnet, inertia potiùs noſtratium ingeniorum, quam diſciplinae deſiderio, cui praeſto ſunt rediuiui tam multi ſcriptorum veterum & optimorum marmorum, vt quemadmodum feliciſſimè agi videmus cum pluribus non ſolum Italici, ſed peregrini quoque Caeli, qui ſe Latinis literis addixere; ita execranda aliorum deſidia eſt, qui veluti libertatem exoſi iugum barbari ſermonis pati non dubitant: neque cùm ad reuocandum ſeculum latinitatis ſin minus aureum, argenteum certè conſpirare & ipſi poſſent, amant miſeri ferreum, & ſtudijs accenſiſſimis bonorum neglectis reſpuunt, quas compendio parare poſſent laboris, inaeſtimandas opes gloriae. Quid enim glorioſius in re literaria, quàm vt literatum marmor ex vetere nota, & Romanam ſpirans maieſtatem proferre de ſuo quis poſſit? Nam ſi Iulio Caeſari Scaligero tanti ſunt ex Q. Horatij Odis nonnullae (vt obſeruat Vincentius Gallus in expoſitione Tertiae libri IIII. *Quem tu Melpomene ſemel*) vt ſimilem malit à ſe eſſe compoſitam, quàm totius Taraconenſis Regni potiri: Quanti Elogium fuerit, quod non pereunte cantu viuit, ſed literis ſempiternis: non in Choris concluditur, ſed ſpatiatur in Templis, in Foris, in compitis, in Theatris: Rem creditam non ſemel canit, ſed ſemper inculcat, praeſentibus obiectat, memorat poſteris: nec elegantiam tantũ à Muſis petit, ſed & dignitatem ab hiſtoria, & ab Oratoria magnificẽtiam?

An ex Antiquis Inſcriptionibus quas Ianus Gruterus collegit, latinitatis munditiez, nitorque ad Elogia ſit petendus

GRuterum Antiquariorum Principem, ac de re literaria tantopere meritum, in inſano illo volumine, quo extantem tunc quidem in marmoribus Romanum Orbem antiquum Herculeo labore complectens, ſuis quodammodo humeris ſuſtulit, eo potiſſimùm cõſtat intendiſſe, vt fugitiuam rerum memoriam quibuſdam quaſi compedibus tentam, poſteritati ſubinde omni ſiſtens, immortales illos pareret generi mortalium fructus, quos ex tot aetatũ ſeneſcentium hiſtorijs, per tot tãque conſentientes teſtes humanarum rerum ne ipſa quidem conſpirans Scriptorum vniuerſitas pollicetur. Itaque nemo iure Grutero ſuccenſeat, quod is apud Lectores

affectans

affectans fidei laudem, quae vna res Antiquarij implet vota, Inſcriptiones coëgit quales quales ex omnibus ſeculis ſuggerebantur, bonae, malae notae. Adeò non paucas bonae à ſtylo notae, à ſcalpro autem ſuſpectae ablegauit, ac titulo Spuriarum ſuppoſititiarumque notatas ad calcem voluminis deportauit. Egit ergo Hiſtoricum ille magis, quam Elogiographum, vt intelligas, ab eo non candorem in primis latini ſermonis, ſed marmorum literatorum fidelitatem, veritatemque exigi opportere: Et cum aureae aetati, & argenteae, aeream quoque miſcuerit, & ferream, reliquit alijs ſuas quoque partes agendas, ac ſtudij laboriſque commendatione ipſe contentus, prudentiae tibi, Lector, conceſſit, quò voces ac phraſes mundas ab immundis internoſceres. Quotus enim eſt è Grammaticis, qui non ſaepe apud Gruterum offenderit in barbariem maxime viſendam & craſſam? Nam vt ex multis tria marmora apud ipſum proferamus, ſoloeciſmo foedata, Pagina MCXLIV. numero 2. ita citat

LXVIII.

D. M.
P. MVNATI
AGRIPPAE
CONIVGI. IN
COMPARABILI
VOCONIA
INGENVA
CVM. QVO. VI
XIT. ANN. XXX

Nam cum in recto ſit *Munatius* (ex Grut. in Indice, qui tamen variat T. pro P. in praenomine) ſitque *Munati* pro *Munatij* in genitiuo: debet vtique ſubſtantiuum continuatum conuenire caſu; & tamen ſubditur in datiuo *Coniugi incomparabili*, qui ſoloeciſmus eſt apertus. Simile in MCXLIII. num. 2.

D. M.
LIVIAE. OLYM
PIAE. CONIVGI
SANCTISSIMAE. ET
Q. GEMINII. PAMPHILI
ET. GEMINIAE
SYMPHERVSAE
SEX. AFRANIVS
SERENVS. ITEM
LIB. LIB. POSTERISQ. SVIS
ET. GEMINIS. III
DORYPHORO. MYRTILO. CYPARAE
TORINAE

Hìc enim, cedo, caſus *Liuiae Olympiae* vel genitiuus ſtatuitur, vel datiuus. Si prior, quaſi regatur à D. M. (*Dijs Manibus*) quomodo continuabitur ſubſtantiuum in datiuo *Coniugi*? Si poſterior, cur copulatiua & adſciſcet genitiuum *Q. Geminij Pamphili*?

Illa impurior apud eundem Gruterum pag. CCCXXV. num. 7. Videlicet

LXIX.

ΠΑΤΗΡ. ΧΑΙΡΕ
D. M
AVREL. DIOGENETI
SACERDOTI. VENE
MERENTI. FECIT
AVRELIA. CAENIS
COIVX. CON. QVEM
VIXIT. ANNIS. *xxx*

Romae hanc legi refert Gruterus, Smetio teſte oculato, ne quis barbariem refundat in terras peregrinas, & ignaras Latij. quamquam haec Graeciam olet & Latium, vtroque modò deterrimè. Siquidem Graecè ΠΑΤΕΡ per E ſcribere debuit, caſu ſcilicet Vocandi, non per H, vt nominandi, quia alloquentem inducit. Ni forte Romanus Auctor Atticam elegantiam affectet, ignarus Latinae. Nam Latinè *Vene* pro *Bene*, quis neget eſſe rudiſſimae antiquitatis poſterioribus barbarorum ſeculis reuocatae? Vide Adamantium in lib. de, B, muta, &, V, vocali. At hoc inquies, dandum corruptelae hodie quoque vigenti in Hiſpania. Sane amplius nos *Coiux* dabimus inſcitiae lapicidarum. Sed illud *Con quem* pro *Cum quo* cui dabimus? Plumbeo vtique ſeculo, & ſi quod dici infelicius poteſt. At Latinè dictum fuit, inquies, *Cumalter* pro *Cum altero*, regimine praepoſitionis *Cum* variato, contra communes canones: Neque id breuitatis cauſa vt *ſis*, *ſodes* pro *ſiuis*, *ſi audis*, ſed vſu ita recepto: Nam & *Cumpartem* dicebant pro *Cum parte*, *m* litera ſuperaddita: Et *Impraeſentiarum* pro *In praeſentia*, *rum* ſyllaba abundante. Quidni ſimiliter *Con quem* pro *Cum quo*? nam veteribus o pro u frequens fuit. At primum non congruit, dicimus, exemplum, cùm illae formulae dictione vna conſtent ex duabus compacta: In compoſitione autem non neges corrumpi ſaepe vocem alteram ſiue detrahendo, vt in prima *Cumalter*, ſiue addendo, vt in

ſecunda *Cumpartem*: Interdum vtramque, vt in tertia *Impraeſentiarum*, mutatione *n* in *m*, & additione *rum*. Ita nihil eſt, quamobrem probes *Cum quem* diſiunctum, vt in allegatis marmoribus. Deinde locutionis bonitas ex vſu pendet, ex quo regulae grammaticae colliguntur. Cedo nunc è Scriptoribus boni ſeculi vſurpatas formulas *Cum quem*: Nam & illas *Cumalter*, *Cumpartem*, etſi compoſitione diuerſas, antiquis duntaxat vſitatas fuiſſe eruditi affirmant, antiquatas ergo, atque ſuppreſſas. Sed *Con* pro *Cum* iam ipſe vetuſtum fateris, & nos inferiùs adnotamus. Adde (quod lib.III. membr.VIII. exactiùs obſeruabitur) malè nubere Graecum cum Latino, vbi ratio potiſſima nulla interuenit, vt haec Inſcriptio videri poſſit illo nata ſeculo, quo barbari Vrbem aggreſſi omnia ſuſque deque habita miſcuerunt. Sed Patris appellatio qui competat coniugi, non intelligo, nec demum Romanae ſunt notae numerorum triginta, quae in calce, ductu calami potius, quàm ſcalpri vſu expreſsae cernuntur.

Barbariſmum autem apertum ex voce *Virtuoſe* prodit illa memoria Romana apud Gruter. DCCCVII. num. 3.

LXX.

BENE. VALEAS. QVIS-
QVIS. ES. C. MARTIAE. MEAE
CONIVGI. BENEMERITAE
QVAE. MVLTIS. CVM. SVDO-
RIBVS. MATVRA. AETATE
VIXIT. VIRTVOSE.

* vbi veteres repoſuiſſent *Honeſte*, aut *Fortiter*, *Egregie*, *Praeclare* &c.

Mittimus argumenta alia deprauatae antiquitatis obuia in Grutero, quae te cautum, Lector, expoſcunt, ne omnia promiſcuè imitanda putes. Et is fortè, vt aurei ſeculi lumina viuidiùs exereret, vmbras deteriorum admiſcuit. Omnino decurrendus eſt tibi, Lector, ni ſtomachus reſpuit, Index Gruterianus, eorum quae ad rem grammaticam pertinens (eſtque ordine Decimus nonus) V. Caſus mutatio & Genus pro genere, & numerus pro numero forte, vbi collecta eſt illuuies tam rudis antiquitatis, quam corruptae poſt bona ſecula latinitatis. Quam verò multam ibi barbariem, quam pingues ſoloecos deprehendes? quo mihi religioſius fuiſſet, antiquitatem ipſam reiectis ſordibus puram quidem poſteritati tranſmittere venerandam, ſtudioſorumque honeſtis conatibus aemulandam? Quamquam non omnia illa vitia ſunt, credo, ſeculi totius, atque hominum ingenuorum, ſed Quadratariorum duntaxat à plebe ineruditiore. Nam quod pertinet ad monumenta marmorea, errata alia inſcitiam Quadratariorum arguunt, alia modò imprudentiam. Inſcitiam quidem illa: Vbi legitur *Cum Coniugem* pro Cum Coniuge ſua; *Cum quem* pro Cum quo; *Per Fl. Alexandro Patre*, pro *Pro Fl.* &c. *Creſſeret* pro Creſceret; *Aſie* pro Aſiae; *Eprocupauerunt* pro Praeoccupauerunt; *Erga amicitia* pro Amicitiae ergo; *Et poſteriſque* pro Poſteriſque, aut Et poſteris; *Extarrum heredem* pro Extrarium &c. Ǝ pro E quam corruptelam cauſari non poteſt vſus inuertendarum literarum in Praenominibus mulierum, vt C. pro Caius, Ͻ pro Caia; L. pro Lucius, ⅂. pro Lucia; M. Marcus, W. Marca; T. Titus, ⊥. Tita &c. Nam apud Gruterum pag. CCCXXIII. num.6. cum nulla foeminae appellatione intruditur Ǝ. & pag. CCCXXIV. num.10. in foeminae non nomine, ſed communi epitheto ingeſtum Ǝ PIƎNTISSIMAE; adeoque pag. CCCXLV. num. 8. in epitheto Viri, eadem admiſſa ineptia AELII. MANSVƎTI. PATRIS. Haec vero in Typographis toleranda, fortuito typorum poſitu: Sed hoc in ſcalprum non cadunt, nec in meditatas ante, deſignataſque cum ſtudio notas, contrarias communi vſui, qualis eſſet Digamma Aeolicum Ⅎ, quod vt inſolens poſcit intentum maximè Cuſorem. Adde & illos vnius inſcitiae foetus, *Vellit* pro Velit; *Vxxori* pro Vxori; *Eſe* pro Eſſe; *Habenti Equo publico* pro Equum publicum; *Hunc monimentum* pro hoc, &c. Alibique paſſim diſcordantia genere nomina, & relatiua; *Neptumnus* pro Neptunus; *Quis erunt* pro Qui erunt, nec rarò numerus pro numero. Et quod O, OE pro Θ vſurpauerit, defunctum indicando; Et *Hyemps* pro hyems; *Apſens* pro Abſens; *Querella* pro Querela; *Redditus* pro Reditus; *Retere* pro Reddere; *Se viuus* pro Se viuo; *Sed fraude* pro Sine fraude; *Sicis* pro Siquis; *Terſpichore* pro Terpſichore; Et alijs modis innumeris (vt videre eſt apud Gruterum in Indice XIX. eorum quae ad Grammaticam pertinent) proditur Cuſorum inſcitia, quae lentum iubent eſſe

Lectorem

Lectorem ad imitandum antiquas memorias, ne demum deluſus illud vſurpet *Theſaurus carbones erant*.

Imprudentiae autem haud dubiae ſunt illa pag. DCCXL. num. 2. vbi monumentum poſitum dicit *Item libertis, libertatibus, poſteris, teriſque eorum*, pro poſteris eorum, illudque *teris* eſt expungendum. Alibi autem mutatio vocalis in *Amphorum* pro Amphoram; *Familia mei* pro Fam. mea; Omiſſio vocalis, in *Aede Bellona* pro Aede Bellonae; *Cenae* pro Coenae; *Ceſar* pro Caeſar; *Idem* pro Eidem; *Cubitlarius* pro Cubicularius; *Dae* pro Deae; *Dibus* pro Diebus: Conſonans omiſſa, in *Hau* pro Haud; *Incomparabili* pro Incomparabilis; *Cura agente* pro Curam agente; *Daus* pro Dauus; *Conubium* pro Connubium. Conſonans iniecta, in *Eandem* pro Eadem; *Libiens* pro Libens; *Pro ſalutem* pro Salute; Conſonans mutata, in *Feceruns* pro Fecerunt; *Fontunatus* pro Fortunatus; Syllaba adempta, in *Commilito* pro Commilitoni; *Excludum* pro Excludendum; *Reliqut* pro Reliquit; *Municibus* pro Municipibus; *Reſtutus* pro Reſtitutus; *Secus heres* pro Secundus heres. Namque Aſpiratio tranſpoſita ex inſcitia omnino eſt (niſi fuerit ſeculum ferreum; cum ſeculis bonis Aſpiratio in pronunciatione exprimeretur) in *Ehorte* pro Heorte. Similiter quaedam mutatio conſonantium, nulla confinium fallente ſimilitudine, imprudentiam praetendere haud poteſt, vt in *Fecerum* pro Fecerunt, pag. DCLXXXVI. num. 3. apud Grut. in illo marmore Romano.

LXXI.

DIIS. MANIBVS
HATERIAE. SVPERBAE. QVAE
VIXIT. ANNO. I. MENSIBVS. VI. DIEB. XXV
FECERVM. PARENTES. INFELICISSIMI
FILIAE. SVAE
Q. HATERIVS. EPHEBVS. ET. IVLIA. ZOSIMA. SIBI. ET. SVIS

Eſt autem, vt ibi Gruterus adnotat, inſignis haec memoria in grandi cippo literis formoſis, cum caelata infernè puellae ſtatua, multiplici ſymbolo adornata: quod certè eruditam magnificentiam commendat Auctoris, ſimul autem Artificis inſcitiam in re literaria. Quid illa ſtructurae perturbatio in cippo apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. pag. CCCCLXVIII. in quo eraſus apparet primus verſus cum initio ſequentis: deinde ita legas

LXXII.

IVLIO. AMATORI
FILIO. INFANTI. DVLCIS
SIMO. QVI. VIXIT. ANNVM
AETA. VIII. DIES. XIIII

Aut enim hic legendum *Annos*, ſicut legis *Dies*, aut numero VIII. praemittendum *Menſes*. Vtcunque vel ignorantiae arguendus Opifex, vel negligentiae.

Facit in hunc locum cenſura Thobiae Halleri Patritij Noribergenſis ad calcem libri X. Antiquitatum Romanarum, Auctore Ioanne Roſino: vbi decernens, *Non vbique credendum eſſe Antiquitati*, haec praeſertim loquitur: *Vt interea taceam de antiquis marmorum, epitaphiorumque Inſcriptionibus, quòd eae ſaepe ab idiotis Artificibus, & in ſuo etiam ſaeculo peregrinis temerè inſculptae ſunt*.

Quae cum ita conſtent, Lector, vide, an Gruteriano tibi eſſe liceat, vt hoc ipſo, quòd quidquam offendis in Volumine Inſcriptionum Antiquarum totius Orbis Romani compoſito per Virum illum infractum laboribus, inexhauſtum ſumptibus, idcirco de re literaria quamoptimè meritum, illud protinus nulla cenſura, nullo delectu in rem tuam conuertas, & tanquam aurei ſeculi florem auidè lectum tuis in delicijs habendum putes.

Quid ergo? An nè Ciceronianum eſſe oportebit? Optandum hoc verò eſſet, ſed minimè ſperandum: Quia non omnia fortè dixit Cicero; certè quidem nec omnia quae dixit, extant, vt ex Fab. Quintiliano coniectare eſt; & ex ipſomet Cicerone, à quo citata ſua opera deſiderantur. Quam enim multa illius interciderint, ad rem Oratoriam, ad Philoſophicam, Legalem, Politicam, Diuinam ſpectantia, ſi noſſe aues, conſule Dionyſium Lambinum, qui collecta à Roberto Stephano, Carolo Sigonio, Andrea

Patricio & alijs fragmenta M. T. Ciceronis auxit, & emendauit: vt ſi illa reuiuiſcerent, ſupellectilem credo plenam ſumminiſtrarent Noſtratibus reuocandi aureum Seculi Ciceroniani characterem. Neque tamen, ſit licet facultas, tentari id omnino potuerit citra iniuriam ſubſequentium ſeculorum Argentei, Aenei, quibus aliqua bona vocabula nouata eſſe, ac latinitatem nonnihil locupletatam nemo prudens negauerit: Et fortè id in Grutero deprehendet Lector attentus, & ſolers; ſi veterum cum exempla, tum placita recentibus eruditis obſeruata & ipſe obſeruet. De quo nos infrà. Reſtat, vt quod poſtremum initio propoſuimus, abſoluamus.

Quot modis contrahatur Inſcriptioni Barbaries.

IVlius Caeſar Scaliger de Cauſis Ling. Lat. Lib. I. Cap.X. *Multa* inquit *marmora barbariſſima fuerunt innouantibus poſteris in veterum contemptum.* Huiuſce notae, nae nos praedes eſſe volumus marmora nulla apud Gruterum reperiri, etſi is ſummi candoris homo nitidiſſima quaedam, ne dum pura, quia de ſuppoſitione ſuſpecta proſcripſit. Sed fuerint licet aurei ſeculi, & ſummorum Auctorum, adhuc tardo veſtigio eundum eſſe ad imitationem monet grauiter Quintilianus (lib.X. Inſt. Or.) *Neque id*, aiens, *ſtatim legenti perſuaſum ſit, omnia quae magni Authores dixerunt, vtique eſſe perfecta. Nam & labuntur aliquando & oneri cedunt, & indulgent ingeniorum ſuorum voluptati: nec ſemper intendunt animum, & nonnunquam fatigantur, cum Ciceroni dormitare interim Demoſthenes, Horatio verò etiam Homerus ipſe videatur. Summi enim ſunt, homines tamen* &c. Id quod propoſitum volumus Elogiaſtae futuro, cum illi in manus veniunt volumina Inſcriptionum, non Gruteriana ſolùm, ſed & Suueertiana vel illae ab hoc inſcriptae *Selectae Chriſtiani Orbis Deliciae.* Sunt enim inter haſce Delicias non paucae auſteritates Barbariſmi omnino vitandae, vt proceſſu huius libri patebit, plures autem multò in alio Volumine, quod idem edidit, monumentorum & Inſcriptionum Ducatus Brabantiae. Et quod admirabilius eſt Magiſtros ipſos nitoris latini, qui aduerſus Barbariem ſtylum ſuum acerrime perſtrinxere dormitantes quandoque videris, quo ex genere Gerardus Ioannes Voſſius volumen ingens de vitijs ſermonis & gloſſematis latino-barbaris cùm ediderit, & ibi lib. IV. perſpicuè ita docuerit: *Cauſſare non dicam, ſed efficere, cauſſam dare, gignere*: Vnde idem ipſe in Volumine alio de Arte Grammatica Caput XVIII. Libri II. ſic inſcripſit: *Accentus in compoſitis ſimplicis quantitatem non cauſſat, ſed ſignat?* Iam vero ad rem propoſitam accedamus.

Ergo Barbaries vel in ſingulis conſiſtit vocibus, vel in coniunctis.

In ſingulis bifariam; non latinis, ſcilicet vel ortu, vel vſu, Ortu non latinae ſunt peregrinae voces omnes, ſiue linguarum antiquariorum, qualis eſt Graeca, vt *Agonia*, pro conflictu ſpiritus in homine moribundo, ab ἀγὼν *certamen.* Siue recentiorum, vt *Drappus* pro *Pannus* à Gallico vulgari *Drap* pro eodem. Et *Gabellum* vel *Gabella* pro *Vectigal*, aut *Cenſus* ab Italico *Gabella*. Excipe peregrinas voces latinitate donatas à Patribus Latinae linguae, Roma ſcilicet florente cuiuſmodi ſunt *Acinaces* (genus gladij) à Perſis; *Phalanx* (acies militum quadrata) à Macedonibus, & alias huiuſmodi, quas è bonis Scriptoribus petes, aut è Theſauris Linguae Lat.

Vſu autem voces non latinae, ſunt, quae in Latio quidem natae ſunt, ſed obſoletae, vt *Betere* pro *Ire*, adde aliquas alio vſurpatas ſignificatu: vti *Squilla* (ſpecies piſciculi, item herbae apud veteres Latinos) corrupta latinitate pro *Tintinnabulum*. De vtriſque nos infra copioſiùs. Haec generatim ad omne ſcribendi genus.

In coniunctis itidem bifariam corrumpitur ſpeciatim in Inſcriptione latinitas, ſoloeciſmo nimirum, & barbariſmo. Soloeciſmus eſt oratio incongruè constructa, id quod in marmoribus committitur.

Primò contra Grammaticorum leges, vt inter Inſcriptiones ſacroſanctae vetuſtatis marmor Dalmaticum in Vrbe Pola

IVLIAE

LXXIII.

IVLIAE. CHRYSANTIDI. AN-
NORVM. XXXI. * MENSES. III
D. XXIX. T. LVSTIDIENVS
NESTOR. AVGVSTAL. POL. CON-
IVGI. INCOMPARABILI. CVM. QVA
VIX. ANN. XVIII. SINE. MACV-
LA. ET. QVERELA. B. M.

Atque hic non poſſumus conuenire cum Ioanne Choler Auguſtano, qui in Epiſtola nuncupatoria ad Inſcriptiones Inſubriae, & Galliae Ciſalpinae inter alias Sacroſanctae Vetuſtatis, dicit: *Habent ſanè vetuſtae eae Inſcriptiones proprium fere catalectum, notas peculiares,* & certum dicendi *genus. In quo nec Orthographia, nec aliae Grammaticorum ſeruantur leges.*

Non enim diſcreuit hic ſecula, & ſacroſanctae Vetuſtatis adorator, Barbariae ſacra fecit: Et fruſtra Aldus Manutius Orthographiam ex antiquis marmoribus expreſſiſſet. Deinde fit miſcendo incongruè peregrina latinis, vt in illo apud Caeſ. Baronium in Annal. citato, quod Romae legitur, in tumulo Epiſcopi Nepeſini de anno DCCLXX. barbarie nimium graſſante.

LXXIV.

Hoc humata iacent Iohannis membra ſepulchro
Qui Nepe fuerat Praeſul in vrbe quidem.
Ne Nepa ſaeua ſibi noceat, ſuccurre Redemptor
Et quae contraxit crimina . . . .
Nempe loco ſancto voluit ſepelirier iſto
Quo per hos Sanctos inueniat requiem.
Extenſum per Θ. P. Q. E. Δ. *conexa*
Chriſti annum monſtrat, quo transijt iſte Sacerdos
Obijt in pace II. KL. NOV.
E. Ψ O I

Nam Θ Graecis poſitum pro nota numeri IX. Latinis autem priſcis P. Q. E. notae erant numerorum VII. D. CCL. Et rurſus Graecis Δ nota τοῦ IV. quae ſi computes, numerum conficiunt DCCLXX. Anni Chriſtiani, quo Praeſul hic exceſſit. En multiplex pedor corruptae latinitatis praeter cinnum iſtum notarum & proſodiae peccantis, & phraſeos confragoſae. Illa incongruentiùs conſtructa tabella Romana, cuius meminit Gruterus pag. DCXLIII. num. 5. Videlicet

LXXV.

ΓΑΥΚωΝΙ. ΔΙΔΑCΚΑΛωΙ
C. BT. HEAETETVS. ET
C. B. AGAPHTVS. ET Φ
BEELLICA. GLYCONIS
PATRI. PIENTISSIMO
LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
P. SVIS. F

In qua vides à Graeco in latinum declinari, maiuſculis literis in primo verſu intrudi minuſculas, & in voce AGAPHTVS elementum Graecum H pro latino E ſuppoſitum. Eadem contagio infecit marmor apud Grut. pag. DCLXXI. num. 14.

LXXVI.

ΕΥCΤΑΘΙ. ΤΑΤΤΑ
ΑΥΡΗΛΙΩ. ΔΗΜΗΤΡΙΩ
Κ
ΦΗΛΙΚΙΤΑC. ΚΙΟΝΙC
ΥΙΩ
ΓΝΗCΙΩ
QVI. VIXIT. ANN. II
M. VIII. D. VIII

Quis autem id monſtri conſpiciat aequis oculis? An non hoc genus Inſcriptionis cenſeat ex illarum numero, quas Scaliger ſupra memorat innouatas à poſteris in veterum contemptum?

Barbariſmus (praeter tradita à Grammaticis) contrahitur in marmoribus varijs modis.

I. Rythmo, cùm eodem modo verſus deſinunt. Vt in Tarraconenſi memoria apud Grut. pag. CCCXXXIX. num. 4.

LXXVII.

FACTIONIS. VENETAE. FVSCO. SACRA
VIMVS. ARAM. DE. NOSTRO. CERTI
STVDIOSI. ET. BENE. AMANTES. VT
SCIRENT. CVNCTI. MONIMENTVM
ET. PIGNVS. AMORIS. INTEGRA
FAMA. TIBI. LAVDEM. CVRSVS
MERVISTI. CERTASTI
MVLTIS. NVLLVM. PAVPER. TIMV
ISTI. INVIDIAM. PASSVS. SEM
PER. FORTIS. TACVISTI. PVL
CHRE. VIXISTI. FATO. MORTA
LIS. OBISTI. QVISQVIS. HOMO
ES. QVAERES. TALEM. SVBSISTE
VIATOR. PERLEGE. SI. MEMOR
ES. SI. NOSTI. QVIS. FVERIT. VIR
FORTVNAM. METVANT. OMNES
DICES. TAMEN. VNVM. FVS
CVS. HABET. TITVLOS. MORTIS
HABET. TVMVLVM. CON
TEGIT. OSSA. LAPIS. BENE. HABET
FORTVNA. VALEBIS. FVDIMVS
INSONTI. LACRIMAS. NVNC. VI
NA. PRECAMVR. VT. IACEAS. PLA
CIDE. NEMO. TVI. SIMILIS

Expende

Expende hic praeter metrum corruptum, & phraſim incultam, rythmum in verſibus totis primùm, deinde in emiſtichijs, ibi *Meruiſti*, *Timuiſti*, *Tacuiſti*, *Vixiſti*, *Obiſti*. Rythmum autem inuenimus frequentatum infelicibus ſeculis in marmoribus vt ſuprà paulum retulimus, refodientibus Enniana illa rudera

Moerenteis, flenteis, lacrumanteis, commiſeranteis: & *Haud docteis, dicteis, certanteis, ſeu maledicteis*: & ad rem aptiùs: *Ego quom genui, tum moriturum ſciui, & ei rei ſuſtuli. Praeterea ad Troiam quom miſi* &c. Nam etſi Italica Muſa Bocaccio auſpice ὁμοιοτέλευτον in verſibus admiſerit plaudente choro, & erudita poſteritate omni approbante, non eadem tamen eſt ratio latinae Muſae, nec in Marmorum grauitatem id cadit. Quis enim ad horrorem nô riſum ſubdat, memoriam illam legens Romae in publica Hoſpitali domo:

LXXVIII.

Hic iacet Iudocus, qui fuit Romae coquus
Doctor in partibus, Magiſter in artibus
De gratia ſpeciali mortuus in Hoſpitali.

II. Tepoco, ſeu Acroſtichide, cum ex ſummitate verſuum, ſeu ex primis literis (vt inquit Cicero) ſequentium ordine verſuum componitur aliqua oratio. Hoc quia in Ennianis quibuſdam verſibus (vt idem Cicero teſtatur II. Diuinat.) legitur, & in Sibyllinis quoque, nec poſterioribus deinde ſeculis niſi ruente in barbariem ſermone expreſſum cernitur in marmoribus; merito huiuſmodi marmora ſitum obſoletae vetuſtatis cum rubigine ferreae poſteritatis prae ſe ferunt. Damus in exemplum marmor Etruſcum, de quo Caeſar Baronius Tomo XI. ad annum Chriſti 1002. ſcilicet ad Principis maximi memoriam honeſtandam inſcriptum fuiſſe arte quanta maxima ab exquiſitiſſimo eius ſeculi ingenio credendum eſt. Ita nec primis tantùm literis verſuum componendis contentum fuit, ſed extremis quoque luſit per ἀκροτελεύτιον & medijs; ingenioſiùs quidem, ſed non puriùs, quam impuriſſimum ſeculum illud patiebatur. Videlicet

LXXIX.

EPITAPHIVM HVGONIS DVCIS TVSCIAE MARCHIONIS

F	LVCTVAT IN TERRI	S	QVI SEMPER VIVERE QVAERI	T
L	VMINIS ET STABIL	I	NON MANET ILLE GRAD	V
E	N EGO DIVES VGO D	V	X FVLSI NOMINE CLARV	S
R	EXI IVRA PI	E	TEGMINE CARNIS IN HO	C
E	T DOCVI MITE	M	PRAVVM SVB FASCE COEG	I
M	E RAPTOR FVRT	A	PAVIT AMARE MAL	A
A	FRVM ME COLVIT RE	G	NVM ET QVI REXERA ILLV	D
R	OMA MIHI PARV	I	T VT PATER HANC DOMV	I
I	STE TAMEN TVMVLV	S	ME CLAVDIT MARMORE PARVV	S
T	VSCA MANVS PLORE	T	MORTIS HONORE SVB HO	C
V	T ME POENAE ARDO	R	NON VRAT LECTOR ADOR	A
M	VNDO CORDE DE	V	M QVI BONA CVNCTA REGI	T
		M	ORE BENIGNO.	

Non quod hoc genus inuenti damnemus inſaniae aut ineptiae cum à Cicerone ipſo artis ac diligentiae partus agnoſcatur; ſed vt illud concedimus Poetae, ita Elogiaſtae, quem decet cum venuſtate maieſtas, adimimus, maximè ſi proſa inſcripſerit.

III. Parhomio, quo multae voces ſtruuntur ab eodem incipientes elemento, vt apud Q. Ennium

O Tite tute Tati, tibi tanta Tyranne tuliſti.

haec figura, quoniam & ἀτρέπεια vulgò dicitur, id eſt indecens, & abſurda verborum ſtructura, quàm dedeceat Elogiaſten, quiſquis iudicet; nec verò honeſtat illam appellatio Cabaliſtica, vt in Vertunno ſuo tuetur Benedictus Mariottus Cap. XIII. de Analogia. Quò magis dedecens vbi in immenſum procurrit Inſcriptio, quale eſt Elogium in Sereniſs. Coſmum Mediceum Etruriae Magnum Ducem, cuius initium: *Coſmum Caelo conceſſum, Coſmi coronae conſortem, candidiſſimo Chriſtianae congeneratum coniugio, corporis claritate conſpicuum, Cordis concordia charum, Curarum candore celebrem Caeſarea cognouit Ciuitas* &c.: pergitque, quouſque numerum compleat vocum CCCXXII. ab eadem litera C inchoätium: quam ſanè metam quotus

quiſque

quiſque Lector infatigatus, infractus tenuerit? Huc ſpectat, cum vox poſteriore tantùm parte reſumitur, vt in illo Ciceronis

O fortunatam natam me Conſule Romam

quod apud Elogiaſten intemperantem in affectatam veluti barbariem degenerat, vt exemplo ſuo docuit Auctor ſuperioris Elogij in *Coſmum*, Elogium alterum texens in Sereniſs. Mariam Magdal. Archiducem Auſtriae, Magnam Etruriae Ducem: Cuius initium eſt: *Auſtro Flante ante vernanti ſimilis Florentia floruit. Germanus manus iterum matrimonij dare Arae Hymenaei Auſtriacam offerre Virginem non recuſauit* &c. Decurritque Elogium ad vſque LXII. modos eiuſdem figurae, praeter Agnominationes varias, & luſus iuueniles non ſine omnis decori dignitatiſque iactura. Nam ſemel quidem licuit Poetae vetuſtiſſimo Q. Ennio canere

Hiſque Helleſponto pontem contendit in alto

Tanta verò frequentia, vel in mellitis dapibus, cui non ſtomachum cieat?

IV. Latinae quoque linguae corruptelam arguit illa Inſcriptio Romana in Aedibus Cancellariae Apoſtolicae apud S. Laurentium in Damaſo. Citat Gruterus pag. CCCXXXVIII. num. 2. Videlicet

LXXX.

A
R M. AVRELIO . LIBERO G̨
A PATRI . ET . MAGISTRO E
M ET . SOCIO . DOMINO N
A ET . A G̨ITATORI . FACTIONIS T
N PRASINAE I
T N
I AVREL̨IVS. CAECILIVS.PL̨ANETA I
N ROTOGENES . OB. III. PAL̨ MAR C
I HOC. DONVM. VOVIT A
C NATIONE. AFRI
A

Quis non barbariem cernit in verbis illis vtrique lateri aſcriptis, mixtamque orationem conſtantibus ex Latino & Graeco? [*Aram. antinica. Genti. nica*, interpretare: Dedicauit Aram pro victoria Genti victrici] Accedit diſpoſitio illa literarum marmoribus Romanis inſolens, & duae caudatae literae L̨ pro L, & G̨ pro G; quae nec vſui Romano congruunt, nec cauſis figurarum, quas affert per ſingula elementa Iul. Caeſ. Scaliger de Cauſis Ling. Lat. lib. I. Cap. XXXIX. & XL. Nec ſuffragatur quod in ludis Circenſibus antiquitùs coeperit factio Praſina, & bono ſeculo floruerit, nam viguiſſe etiam ſequioribus ſeculis, illud probat, quod Iuſtiniani temporibus ex Praſinae & Venetae factionum contentione eſt tanta Bizantij exorta ſeditio, vt quadraginta fere hominum millia ſint trucidata, vt ex Zonara tranſcripſit Cuſpinianus, citatus à Io. Roſino Romanar. Antiqu. lib. V. Cap. V.

V. Nihil autem latinorum boni ſeculi maieſtatem aequè temerat & contaminat, atque ſolutae Inſcriptionis cum ſtricta confuſio (nam intercludens proſae carmen, ſeruato decoro, venuſtatem habet, vt in altera Parte huius Operis obſeruamus) vt quae à carmine inchoant, numeros mox infringunt, & abruptam deducunt orationem. Sed huiuſmodi marmora ſcalpro inauſpicato cauſa eſſe, & ſeculo infelici conſectanea plerumque vitia indicant, vt in illo Romano apud Gruterum pag. DCCXXVII. n. 9. quod vnum huc afferimus pro alijs ibi non paucis. Videlicet

LXXXI.

D M
TV . QVI . PRAETERIES . SPECTAS
MORTIS . MONVMENTVM . MEVM . ASPICE . QVAM . MISERE . SIT
DATA . VITA . MIHI . ANNORVM . OCTO . VIXI . DVLCISSIMA . PAREN
TIBVS . MEIS . IN . X . ASCENDENS . ANIMA . DEPOSVI . MEAM
HOC . TANTVM . TESTOR . TE . LAPIS . OSSA . REQVIE
SCAS . NE . TE . VELIS . ESSE . GRAVEM

Vbi obſeruandum obiter extritum N in *Praeteries*, ex veterum more. Caeterum en vt ab Hexametro inchoat, deinde interpoſito diſsyllabo ſubdit Pentametrum: tum proſa ſuſcepta tandem in emiſtichion pentametrum deſinens abſoluit ſententiam. Sed proſae intexta menda gemina barbariem reliquam obſignat. Videlicet, *Anima depoſui meam* pro *Animam*. Ne vero Exſcriptoris id peccatum putetur, idem Gruterus aduertit, notatiuncula praefixa dictioni

ANIMA

ANIMA Praeterea Verbum *Requieſcas* tranſitiuè ſumptum *oſſa requieſcas* pro requieſcere ſinas; aut facias.

Reliquum eſt, vt quod ſupra ſumus polliciti excutiamus voces ſingulas, quae barbariem afflare poſſunt Elogio: Obſoletas primam deinde Nouatas. Ac de Obſoletis quidem Claſſes duas ſtatuimus, alteram de Vocibus totis, alteram de ijs, quae ſecundum particulas, puta ſyllabam aut literam. Nec tamen in animo eſt Indicem plenum ſtruere, ſed voces duntaxat ingerere, quae ſunt frequentiores in marmoribus ac ſcriptis vel abſtruſiſſimae Vetuſtatis, vel male affectatae poſteris.

Obſoletarum Vocum Syllabus

INſcripſerat ſibi, Viuens, Q. Ennius Epitaphium, occupans fatum iam tùm maturum, ſeque tam imagine, quàm Elogio ſenem ita praetulit:

Adſpicite, ò Ceiueis, ſenis Ennij imagini formam:
Heic voſtrum panxit maxima facta patrum.
Nemo me lacrumis decoret, nec funera fletu
Facſit: Quur? Volito viuo per ora virum.

credo, tumulandum ſimul augurans incultum ſui ſeculi, & quaſi ſenio horrentem ſermonem; id quod ſubſequentes aetates feliciſſime impleuerunt. Quia verò vtriuſque temporis promiſcuè ſuperſunt monumenta; atque adeo ſeculis voluentibus oleuit rediuiuus ex parte ille ſitus, & paedor; vt, quae ſancta ſint marmora, quae corrupta, faciliùs dignoſcas, En tibi, Lector, teſſeram geminam nuper promiſſam.

Quae totae obſoletae Voces
Claſſis I.

TOtas quidem ſpondemus, non omnes, ſtudioſi breuitatis: illas autem frequentiores, & vſui magis expoſitas, tùm vt eas caueat Elogiaſtes memorias vetuſtas perlegens; tùm vt ſignificatum aſſequatur, & ſi quando repraeſentanda ſit illi vetuſtas argumento ita poſcente, non habeat, cur alibi emendicet ſegetem breuis certè Inſcriptionis componendae. Erit autem ſimul adeundus liber in hoc Opere Sextus de Perſpicuitate Elogij, vbi de Verbis priſcis.

A

ABeo, is pro Obeo & Morior
Abitio, onis Mors
Ab oloes pro Ab illis
Abſente nobis pro Abſentibus nobis
Ablatiuus pluralis localis in Accuſatiuum, vt *Piſas* pro Piſis
Ab Iſem Pelagiam pro Ab Iſi Pelagia
Abutero, ris pro Abutor, ris
Accenſus pro A Cenſibus
Adduit pro Addiderit
Adduo, Creduo, Venonduo pro Addo, Credo, Venundo
Adiuro pro Adiuuero
Adolabilis Sine dolore
Adorare pro Agere
Adrumare, Rumitare, Rumare, Ruminari, pro Rumorem facere, Commurmurare.
Aduerbia in *ter* deſinentia pro in *e*, vt *Longiter, Inimiciter* Saniter pro Longè, Inimicè, Sanè. Et contrà, in *è* pro *ter*, vt *Fidelè* pro Fideliter.
Aduorsùm pro Apud.
Aduoſes vel *Aduores* Aduerſarij
Adur, oris, & Adus, oris, & Edor, oris Ador, ſeu far, Epulis & Immolationibus pium, vnde *Adorare*.
Aedituauit Aedituus fuit
Aër haec pro hic
Aeſtimia, & Aeſtimium Aeſtimatio
Aeuitas Aetas, Aeuum.
Agnus haec, pro Agna: *Lupus haec* pro Lupa
Alid pro Aliud
Aliuta Aliter
Alt Iterum
Altellus pro eo, qui expoſitos inuenit, & alit: Alumnus
Am (in compoſitione) pro Circùm *Amcidere* Circumcidere

Amaſcus

Amaſcus, *ſci*, & *Amaſio*, *onis* pro Amator
Amaſſo pro Amauero
Ambactus Seruus mercede conductus
Anaxat Nominat
Andruare Currere: *Redandrua* curſum referre
Antidea, *Antidhac* Antehac
Antigeriò Valdè
Antioper Antehac
Apello, *Apellineris* Apollo, ollinis. Sic *Bos*, *Boueris*, *Sus*, *ſueris*, pro Bos, bouis, Sus, ſuis
Apertularius Ianitor
Apiſci Inuenire: *Aptus eſt* Adeptus eſt
A Pontifices pro A Pontificibus
Apòr Apud
Aptus Iunctus
Arſe Verſe Auerte ignem
Aſſer Sanguis
Atque Statim
Attulo Affero
Augificare Augere
Axare Nominare: *Axim* Egerim

B

B*Aſis*, *baſidis* pro *Baſis*, *baſis*
Betere vel *Bitere* Ire

C

C*Ael*, & *Caelus*, hic pro Caelum
Caelaſſis pro Caelaueris
Caldor pro Calor
Calim Clam
Caluitur Decipit, Fruſtratur
Camillus Puer ingenuus, Item Adminiſter rerum omnium ſacrarum
Campſo, *ſas* Permuto
Canes haec, pro hic Canis
Capital pro Capitalis
Capſit, *Capſo*, Ceperit, Cepero
Capulum Sepulcrum, *Capularis* Morti proximus: de ſene, de Reo, de Aegroto
Carinare Obiectare ſup. probra
Cariſſa Vafer, litigioſus, fallax
Carnis haec, pro Caro
Caſanti capite Deiecto in terram capite
Caſabundus In caſum propenſus
Caſcus Antiquus
Caſmen Carmen, *Caſmena* Carmina
Caſmenae Camoenae
Caſner Senex
Caſuum mutationem, ſiue Antiptoſin (quae turpiſſimè foedat marmora) pete ex Grutero in Indice XIX. de ijs, quae ad rem Grammaticam pertinent.
Centurionus pro Centurio, ſic *Decurionus*
Cereo, *res* pro Creo, as
Cerrones leues, Inepti
Cette Date, vel Dicite
Cinerarium Olla, ſeu Vrna ſepulcralis
Circa ſe pro Erga ſe
Clueo, *Clueor*, *Cluor* Dicor
Clupeus aureus, Imago aurea
Coepio Incipio
Conſit Conficitur
Confugela Confugium
Conruſpari Conquirere
Conſentes Dij Qui in Iouis conſilium vocabantur.
Conſentia Sacra conſenſu multorum ſtatuta
Conſponſi Fide mutua colligati
Conuentio Concio
Copis Copioſus
Corgo Profecto, quaſi Corde ago, corde loquor
Corporare Interficere
Creare Aram, *Fanum*, *Vrbem* pro Aedificare
Creduo, Credo
Crux hic (maſcul. gen.) pro haec
Culeſt Qualis eſt
Cumalter, *Cumpartem* pro Cum altero, Cum parte
Cupire pro Cupere

D

D*Anere*, *Danunt* pro Dare Dant
Datiuus ſing. Secundae in *Oi*, vt *Populoi Romanoi* pro Populo Romano
Debil homo & *Debilo homo* pro Debilis
Deblaterare Stulte obloqui
Defuat Deſit
Degrumari viam Dirigere viam in rectum
Degumare Deguſtare, Deuorare
Delegare pro Diſpeſcere
Delenificus Blandè decipiens
Delicare Explanare, Exponere
Delicia, *ae* pro Delicium

Deligere

Deligere Eijcere
Delinitus Mente abalienatus
Deliquare Declarare
Demagis pro Minus, Item Multo magis
De Natione Romanus hoc eſt Natione Romanus
Deo praeſtantiſſimi, & *praeſentiſſimi Numinis*, pro Dei Numini praeſtantiſſimo, & praeſentiſſimo
Deprandus Famelicus
Depuuire Verberare
Deſduò Diuturnè
Deſtinare Emere
Deuerſus Deorſum verſus
Deus hic, & haec pro Deus & Dea
Dextrabus manibus pro Dextris
Diadema, *emae*, haec pro hoc Diadema, atis. Sic *Schema*, *mae*, *Dogma*, *mae*, *Syrma*, *ae*. pro Schema, atis, Dogma, atis &c.
Dibus pro Dijs, & Diebus
Dice Dic
Die craſtini pro Die craſtino. Sic *Die quarti* &c.
Dierectus In Crucem ſublatus
Difficul pro Difficultas, Difficile
Dijbus pro Dijs
Dijs pro Diutinis, Iugibus
Diruncinare Depurgare
Diſpalèſco Diuulgor
Diuidia Taedium, Triſtitia
Dixis Dixeris
Do id eſt Domum, caſu Accuſatiuo
Doleor mortem & *Dolitus ſum* pro Doleo, &c.
Domo vt *Anitius domo Roma*, *Arretio*, &c. pro Patria Romanus, Arretinus
Domuitio Domum reuerſio
Donicum pro Donec
Doniquies Donec
Duellum Bellum: *Duellona* Bellona. *Duella Virgo* Bella,ſeu Pulcra Virgo: *Duellicus* Bellicus
Duonus Bonus, *Duonum* Bonum,Item Donum

E

E*Abus* pro Eis, gen. foemin.
Eampſe, *Eapſe* pro Eam Ipſam, Ea Ipſa
Edim, *Editis*, pro Edam, Edatis
Edolare, Ad vnguem abſoluere
Effexis pro Effeceris
Efflictim perire Vehementer amare
Ei pro Is
Eius genit. abundans, vt *Auonia Tyche Vxor eius Pituaniani* pro Vxor Pituaniani. Ita genit. Eorum
Elapſe pro Ea ipſa
Ellum En illum
Em Eum
Emem Eundem
Emere Sumere, Auferre

Endo In	
Endogredi	Ingredi
Endoitium	Initium
Endoperator	Imperator
Endoploratum	Imploratum
Endoſtrium	Induſtrium

Eques, *itis* pro Equus, i.
Eſcis, *Eſcit* Eris, Erit, hinc *Supereſcit* Supererit
Epitaphium pro Sepulcrum
Euenat pto Eueniat
Euitari pro Vitam eripi
Exanclare ſanguinem Effundere ſanguinem
Exflare Exuere
Exitium & *Exodium* pro } Exitus

F

F*Ace* pro Fac
Facul pro *Facultas* & *Facilè*
Famul Famulus
Fari pro Vaticinari
Februare Purgare
Fecit Annos, *Menſes*, *Dies* pro Vixit
Fello, *las* pro Mammas ſugo
Fi, *Fito*, *Fite*, *Fitum* à Fio, vt *Fi Vir* Eſto Vir, Euade Vir
Flauiſſa, *ſae* haec. pro Theſaurus
Fortis pro Diues
Fruniſcor, vnde *Frunitum* pro Fruor
Frus, *frundis* pro Frons, frondis
Fuam, *Fuas*, *Fuat* pro Sim, & Fiam

G

G*Allare* pro Bacchari
Gau pro Gaudium
Genitiuus quartae declinationis in *us* etiam in *uis* (diſſyllabum), & in *i*. Vt Victus, tus, tuis,

tuis, ti: Partus, ti, & tuis. Quaeſtus, tus, tuis, tui.
Geno, nis, nunt pro Gigno, gnis &c.
Genus pro Genu
Glutto, onis Guloſus
Gnarigauit, Gnaruiſſe pro Narrauit, Narrauiſſe
Gnitur, & *Gnixus* Cognoſcitur, Cognitus
Graxo Indico (accentu in Antepen.)

H

H*Abent Ius* pro Habenti ius
Haec, Iſtaec Nuptiae pro Hae Nuptiae
Halophanta Deceptor
Hauſcio pro Neſcio
Hebem pro Hebetem
Hemo, hemonis & *Hemoo, hemoonis*, & *homonis* pro Homo, hominis
Hibus pro His
Him pro Hinc: Vnde *Illim* pro Illinc
Hoc pro Huc, vt *Adhoc* pro Adhuc
Horctus, & *Forctus* Bonus
Horitor, Hortator
Horno pro Hoc anno
Horunc, & *Horuncce* Horum
Hoſtio, is pro Aequalia facio

I

I*Aneus* & *Ianetos* pro Ianitor
Ibus pro Ijs & Eos
Iet pro Ibit. Ita *Interiet*, *Pertranſiet*, pro Interibit, Pertranſibit
Ignoſcite pro Cognoſcite
Illic homo Ille homo
Illico pro Illic
Illim, *Iſtim*, pro Illinc, Iſtinc
Illunc, Illum
Im pro Sum, & Eum
Imbito, Introëo
Immoene facimus pro Sceleſtum
Impancrare pro Inuadere
Impetraſſere Impetraturum eſſe
In mundo eſt pro Praeſto eſt
Inalbat dies pro Albeſcit dies
Inauarities pro Auarities
Incalare Inuocare
Incendere pro Celebriorem reddere
Incerare genua Deorum pro Conſtituere ſe Voti reum
Incita Paupertas
Inde loci Eo loco, vel Eo tempore
Indepiſci, *Indeptus*, Adipiſci, Adeptus
Indigetes Dij pro ijs qui poſt mortem conſecrati in Deorum numerum
Indu pro In: *Indugredi*, Ingredi
Induforus, Senatus
Inebra omnia quae aliquem morantur
Infilare Amicire, Velare
Infit Incipit
Inhonores pro Honores
Inlexe Illexiſſe
Inlex idem qui Exlex: Qui legi non paret
Inlicium Concio. *Inlicium vocare* eſt Concionem vocare
Inſcribere corpus Dilacerare corpus
Inſeque Dic
Inſexit Dixit
Inſipare & *Inſipere* Inijcere
Inſuperhabuit Spreuit
Intemperiae Angores animi
Interbitere Interire
Interatim & *Interduatim* Interdum
Inuitari Inter fici
Ipſipſus Ille ipſe
Itum Aditum licet pro Ire, Adire licet
Iubar hic pro Hoc Iubar

L

L*Abos* Labor: *Laboſus* Laborioſus
Lacere & *Lactare* Decipere
Lacte, & *Lact* Lac, & *Lactem* Accuſat. pro Lac
Laeto Laetifico
Lamberare Scindere, Laniare
Lapis, huius *Lapis* pro Lapis, *Lapidis*, & *Lape* vel *Lapi* Ablat. pro Lapide. Et haec *Lapis* pro hic
Lapit pro Dolore afficit, & Obdurefacit.
Latro, *Latrocinari*, *Latrocinium*, pro Miles, Militare, Militia.
Lax Fraus, Vnde *Lacere* vt ſup.
Leo pro Deleo
Leſſus Eiulatio lugubris
Leuaſſo Leuauero
Licitari inter ſe pro Pugnare

Lixa Aqua
Loebeſum Liberum, vnde *Loebertas* Libertas
Longiſco Longus fio
Longurio Longus, Procerus

M

M*Acellus* pro Macilentus, Vnde
Macet Macilentus eſt
Mactus Magis auctus
Madulſa Ebrietas
Maeſius Maior: Item Maius menſis
Maeſtus Enectus fame
Magiſtrare Regere, Temperare
Magiſtras pro Magiſtratus
Magnificius, *Magnificiſſimum* pro Magnificentius, Magnificentiſſimum
Magnitas pro Magnitudo
Malacia Mollicies: *Malacus* Mollis *Malaciſſo* Mollem reddo
Malta gener. foem. Mollis
Manſtretor Cuſtos, Defenſor
Manſues, *ſuis*, & *ſuetis*, pro Manſuetus, ti.
Mantare Diu manere
Manus Bonus: hinc *Ceruſmanus* Creator bonus
Me, & *Mi* pro Mihi
Mediocriculus Mediocris
Medioxumus Medius
Meliom Meliorem
Memino Memini: *Meminens* Qui meminit
Memoria Sepulchrum
Mentis (caſu nomin.) pro Mens
Mentum Commentum
Meritiſſumò pro Meritiſſimò
Metus gen. foem. hic pro haec
Mi pro Mei & Mea (caſu nomin.) vt *Mi homines* Mei homines; *Mi coniux* Mea coniux
Milli Mille
Minent Eminent
Miniſcitur Reminiſcitur
Minerrimus Minimus
Miracula, *lae* Perſona deformis
Mirior Mirabilior
Mis Mei, & Meis
Miſeritudo Miſeria & Miſericordia
Miſſculo Crebrò mitto
Moene hoc, pro haec Moenia
Moeſileum & *Muſileum* Mauſoleum
Momen Motus
Mora Stulta, *Morari* Stultum eſſe
Moriri Mori
Mu facere Haeſitare, & vix audere loqui
Muginari Murmurare, Nugari, Tardè conari
Mulcare Verberare
Munico Communico
Muricidus Ignauus, Stultus
Muſſare Murmurare, & Mutorum more Mu facere, aut dicere, ſeu Tacere
Mutire Loqui: Vnde
Mutitio Locutio
Mutitàmus Mutamur

N

N*Ancio* pro Nanciſcor: Et *Nancitur* pro Nanciſcitur
Nare Natare, Item Volare
Natinari, *Natinatio*, *Natinator* pro Negotiari, Negotiatio, Negotiator
Nefans Nefandum
Nefrendis, & *Nefrendus* Puer, & Senex, qui frendere, ideſt frangere dentibus nequeunt
Negumate Vos, Negate vos
Nemut Niſi, Etiam, Nempe
Nenu Non
Ninguis Nix: *Ninguit* Ningit
Noluntas, & *Inuoluntas* contraria Voluntati
Nomina declinationis Secundae in quartam migrant. Vt *Cibus*, *bus*: *Lectus*, *tus* pro Cibus, bi, Lectus, ti
Et contrà Quartae in Secundam, vt *Luctus*, *lucti*; Ictus, icti; Gemitus, gemiti; ſic Fluctus; Fructus; Aduentus; Adſpectus; Aeſtus; Arcus, Saltus, Senatus
Nomina generis Maſculini per Neutrum, vt Hoc *Thorum* pro hic Thorus; Hoc *Capillum* pro Hic Capillus; Sarcophagum pro Sarcophagus.
Et contrà Neutri per Maſculinum, Vt hic *Munimentus*, *Lucrus*, *Forus*, *Fretus*, *Collus*, *Corius*, *Fatus*, pro hoc Munimentum, Lucrum, Forum, Fretum, Collum, Corium, Fatum, & alia compluria
Nox pro Nocte
Nullus pro Non
Numerò pro Nimium citò

O

O*B* pro Ad. Sic *Obibo* pro Adibo; *Obitus* pro Aditus
Obbruteſco Obſtupeſco
Obcenſus Accenſus
Obeſcet pro Oberit
Obinunt Obeunt. Sic *Redinunt*, *Prodinunt* Redeunt, Prodeunt
Obitus Mortuus; *Obita* Mortua; *Obitis* Mortuis; *Obitus eſt* Obijt
Obrendarium Maſſa lapidea, qua Vaſcula cineraria, ſeu vrnulae mortuorum obruebantur
Obſtinere Oſtendere
Obſtringillare, vel *Obſtrigillare* pro Reprehendere
Obuarare Peruertere, Deprauare
Ob vos ſacro Vos obſecro: Vt *Sub vos placo* Vobis ſupplico
Occaſus Occaſio
Occaſus Sol Cùm Sol occidit
Occentare Conuitium facere
Occurſaculum Spectrum occurrens
Ocquiniſcere Inclinare
Oculiſſimus Cariſſimus
Offerumenta Ea quae offeruntur
Offucia Fallacia
Olentica & *Olenticeta* Loca mali odoris. Hinc *Olor* Odor
Oletum Stercus humanum: Item locus olea conſitus
Ollus, *Ollic*, *Olla* Ille, Illic, Illa
Oppuuio Verbero
Ops Opem ferens
Ora Initium
Orbicum Sphaericum
Oſſum, *Oſſua* Os, Oſſa: Hinc *Olla oſſuaria* Vrna, in qua conduntur oſſa mortuorum
Oximè Ocyſſimè

P

P*A* pro Patre
Paementum Pauimentum
Pagunt Paciſcuntur
Palmare Blandiri
Panda Dea Pacis
Pane gen. neutr. pro Panis maſc.
Parcuit Pepercit
Parectati Qui iam pubeſcunt
Parta Puerpera
Particulones Coheredes
Partio, & *Partitudo* Partus
Parire Parere
Paruiſſimus Minimus
Paſcito linguam Coërce linguam
Pator, *patòris* Hiatus, Apertio
Pauciens Rarò
Pauperare Pauperem facere
Pauxilliſper Paulliſper
Peccatu pro Peccato: Sic *Mandatu* pro Mandato
Pecua, *Pecuda*, *Pecuaſcere*, *Pecuinus* pro Pecora, Paſcere, Belluinus
Pellare Blandiùs ſolicitare
Peniſſumè Planiſſime
Perbitere, & *Perbetere* Perire
Peremere Prohibere, Vitare
Perfacul Facillimè
Peroro, *Adoro*, *Oro* Ago. Hinc *Orator*, qui agit Reip. nomine
Perperi Indocti, Stulti
Perſolum Merum, Purum
Petiſſere, & *Petiturire* Frequenter petere
Petora Quatuor: Vnde *Petorritum* Vehiculum rotis quatuor inſtructum
Petrones Ruſtici
Pilare Premere, Cogere: Vnde
Pilatus Denſus, Spiſſus, Preſſus
Pilatim Strictim, Densè
Pis, *Piſpis*, *Pitpit* Quis, Quiſquis, Quidquid
Plagipatidae Plagas perferentes, Vilia mancipia
Plentur, & *Pletus* Implentur, Repletus.
Pleuitas Ignobilitas
Plus, *pludis* Palus, paludis
Poenibat Puniebat
Polcer, *cra*, *crum* Pulcher, chra chrum
Pollucere De mercibus primitias & libamenta Dijs offerre
Pollucibilis Magnificus, Sumptuoſus: *Pollucibiliter* Opiparè
Poluis & *Poluer* Puluis
Poplus Populus
Poplicus, *Poplicitùs* Publicus, Publicitus
Por Puer
Porcere Prohibere
Porgo, *Porgite*, Porrigo, Porrigite
Porricere Proijcere

Poſeiui, & *Poſiui* Poſui
Poſſetur pro Poſſet, *Poſsitur* & *Poteſtur* Poteſt
Poſtidea, & *Poſtilla* Poſtea
Poſtularia fulgura, Oſtenta & prodigia neglecta, nec procurata, idcirco cum aut mortem, aut exilium portenderent, expiationem poſtulantia
Poſtulio, *onis* Poſtulatio, tionis
Potiſſet, *Potiſſe* Potuiſſet, Potuiſſe
Potitius Stultus
Potiſſum & *Poteſſum* Poſſum: *Poteſſe* Poſſe
Praefiſcine, & *Praefiſcini*, id eſt: Sine Faſcino. Hac voce, qui alium laudabant, teſtabantur, ſine animo faſcinandi, ac ſine liuore, candidè autem & ſincerè ſe laudare
Praeientibus Praeeuntibus
Praemeſſae Spicae, quae ſtatim à Meſſe offerebantur Cereri
Praemetium Quod praelibationis cauſa praemetitur
Praemodum Praeter modum
Praeſente Nobis, *Vobis*, *Ambobus* &c. pro Praeſentibus
Praerepſit pro Praeripuit
Praeſtinare Emere, & Emendo tenere
Praeſtites Antiſtites
Praeſtus fui pro Paratus fui
Praeterbito, *tas* Praetereo
Pranſus Affluens, Cui nihil deeſt
Priorſum cui opponitur *Retrorſum*
Priuerae mulières ideſt Priuatae
Procalare Prouocare
Procitum pro Procatum (à Proco) Petitum
Proculinant Promittunt
Prodino, *Redino* Prodeo, Redeo: *Prodinere*, *Redinere* Prodire &c.
Prodius ideſt Prodeundo apparens
Pronatus Proſtratus, Pronus
Propagens, *aginis* Propago, ginis
Propudium contrarium Pudoris: Vnde *Propudioſus* Impudicus
Prosferari Impetrare
Proſita Propoſita
Proſum, *Ruſum*, *Suſum*, *Prorſum*, Rurſum, Surſum
Prothymè Hilariter: *Prothymiae* Promptae voluntates, Animi alacritates
Protinam, & *Protenis*, Protinus, Statim
Prouitus Probatus
Proximi die pro Die proximo. Ita *Die Craſtini*, *Priſtini*, *Praepriſtini*
Puer communis gen. hic & haec
Puera Puella: *Puerus* Puer
Pulo Populo
Purimè tetinero Puriſſimè tenuero

Q

QVaeſcere pro Quaerere, & Orare
Quamde pro Quam
Quandonè Quando
Quaſſei Quati
Queatur vt *Poſſitur* Queat paſs.
Ques Qui, (num. plur.) *Queſcunque*
Queſdam pro Quicunque, Quidam, num. plur.
Quianam pro Cur:
Quie Quiete
Quies, *etis* pro Quietus: Vnde *Inquies*, *Requies* pro Inquietus, Requietus
Quies pro Quieſcens
Quietorium Sepulchrum
Quintipor, & *Marcipor* nomen ſeruile, pro Puer Quinti, Puer Marci.
Quippini Quid ni? Cur non?
Quips, vt *Ips*, pro Quis, Is
Quirilla Querela
Quis gen. com. vt *Quis mulier* Quae mulier
Quis homines pro Qui &c.
Quoi, *Quoicam*, *Quoius*, pro Cui, Cuiquam, Cuius
Quom Cum
Quom ſoueis Cum ſuis
Quoscalendis, *Quotmenſibus* pro ſingulis calendis, ſingulis menſibus
Quotumus Quotus

R

RApicidae Fures
Rapo, *onis* Raptor
Rarenter Raró
Raſores Fidicines
Rates pro Remi
Ratitus Quadrans, quia in eo, vt in triente, Ratis erat effigies
Re pro Rei
Rebito Redeo
Recentari Nouari

Reciperare

Reciperare Reficere
Redandruare Redire
Redhoſtire Redire, Et Gratiam referre
Redino Redeo
Regleſcere Creſcere
Rellicuum Reliquum
Repedare Recedere
Reperitare Reparare
Reprocus Reciprocus
Requeapſe Re ipſa
Requietorium Sepulcrum
Reſapſa Res ipſa
Reſperſum dicebatur Vinum, quo ſepulcrum reſpergebatur
Reſono, nis pro Reſonas
Reſtat Diſtat, & Reſiſtit
Retere Reddere
Returare Aperire
Reuortit Reuertitur
Rex qui aliquem alit
Robeus Rufus, Ruber
Rodus, vel *Raudus* de re imperfecta, & impolita, vt ſaxum rodum, aes raudum &c.
Rumor loci Obſeruatio, Conſuetudo loci
Runcare, & *Runcinare* Purgare
Rupices, & *Rupicones* Ruſtici
Rupitias Damnum dederis
Rupſit Ruperit
Rurſumuorſum Retrò
Ruſpari Crebrò & Studioſè quaerere
Rutuba Perturbatio

S

S*Accatus humor corporis* Vrina
Sacrima Muſtum quod libero patri offerebatur pro vineis, & vaſis, & ipſo vino conſeruandis
Saeuiter Saeuè
Sagire Acutè ſentire
Salapitta Alapa
Sale Sal, & Mare
Sam Ipſam, Eam: *Sas* Ipſas, Eas
Sandapila Feretrum mortuorum
Sanguen hoc, pro hic Sanguis
Saperda Sapiens, Elegans
Sapſa res Res ipſa
Sardare Intelligere
Sarpere Putare: Inde *Sarpa* Vinea putata
Sas Suas: *Sos* Suos
Satias, atis: & *Saties* Satietas
Sciſcidi pro Scidi
Scitior Scientior, Magis Sciens
Scius Qui Scit, Sciens
Scripturarij Hiſtorici, & Annalium Scriptores
Secum Cum illa
Secus pro Sexus
Se dolo Sine dolo: *Se dolo malo* Sine dono malo
Se viui fecerunt pro Viui fecerunt
Se viuus inchoauit pro Viuus &c.
Senecio Senex: hic *Senica* Senex
Seruientia Seruitus
Si Siue
Sict Sit
Simare Deprimere
Simil Similis: *Simile* Similis
Simitu Simul
Sipàre Iàcere, Diſijcere
Siremps, *Sirempte* Similis re ipſa
Siris Siueris
Sis Suis, & Si vis
Snex Senex
Socera Socrus: Hic *Socrus* pro Socer
Socienus Socius
Sodalia benemerens pro Haec Sodalis benemerens
Solino, is Soleo, vt *Redino* Redeo
Solle Totum
Solui (triſyllabum) Solitus ſum
Somnorinum Quidquid in ſomnis videtur
Sono, nis, nit, nere pro Sono, nas, nat, nare
Sonticus Iuſtus
Sos Suos, & Eos
Specio Video: *Spectu* Aſpectu
Speres hae pro Spes, num. plur.
Sponſis, & *Voleris* Spoponderis, & Volueris
Stritauus Tritauus
Stup. Stipend. *Stuped.* Stipend.
Stuplae Stipulae
Sub cura pro Curante
Sub vos placo Supplico vobis
Suggrundiaria Infantium ſepulcra
Sum, & *Im* pro Cum
Summates Potentes, qui Principatum tenent: *Summatus* Principatus
Summuſſi Murmuratores
Superſtito Saluo
Sus, ſa, ſum Suus, Sua, Suum

Suſum, *Deoſum* Surſum, Deorſum
Sutela Aſtutia, Dolus
Suus pro Eius: *Sibi* pro Ipſi

T

TAcuitas Taciturnitas
Tagax Furunculus
Tago Tango
Tam pro Tamen
Tamde, & *Tame* pro Tam
Tamen pro Tandem. Et *Tandem* pro Tamen
Tamenetſi Tametſi
Tartarinus Horrendus, Terribilis
Tecum, *Mecum* pro Te, Me, vt *Quaeſo tecum* pro Quaeſo te
Temerus Temerarius
Temptauerit pro Tentauerit
Termo Terminus
Tertus, *ta*, *tum* pro Terſus, ſa, ſum
Tetini à Teneo, pro Tenui
Tetuli Tuli à Fero
Thiaſitas Sodalitas
Tituli quaſi Tutuli, Milites à tuendo Patriam
Tonit, *Tonere* Tonat, Tonare
Tongere Noſcere
Topper Citò, & Fortaſſe
Tores Torques
Tortum Tormentum
Torus Funis ex loris contortus
Totingus Tot, Tam varius
Trabes vt *Plebes* Trabs, Plebs
Trebax Peruicax
Treſuiri Triumuiri
Tricones Moroſi, Duri
Tryga Vinum
Tudiculare Commouere
Tuditare Propellere: Item Negotium agere attentiùs
Tuentio, *onis* pro Tuitio
Tulit annos pro Vixit: de Homine. Nam de Vino latinè dixit Quintilianus, quod eſt Proficere vetuſtate
Tulo, *lis* pro Fero
Tunduntur pro Tondentur
Tunicare Veſtire
Tùor, *tùeris* Cum deriuatis *Còntuor*, *Intuor* Video: *Tueor* Defendo
Turpilucri cupidus Turpis lucri cupidus
Tutulus Titulus: Item Pallium, quo tegebant caput ſacerdotes rem Diuinam aggreſſuri.

V

VAciuus, *Vaciuitas* Vacuus, Vacuitas
Vacuefacio, & *Vaceſio* Vacuum facio, & Vacuus fio
Vadatus Obſtrictus, ſub fideiuſſione ambulans
Vagor, *oris* Vagitus
Vagulatio Queſtus, ſeu Vox querula cum conuitio
Vanans Fallens
Vargus Expulſus, Exul
Vaſcellum pro Vaſculum
Vaſtitudo Vaſtatio, Deſertio
Vecticularia Vita furum
Veget (à Vegeo) Vegetat, Vegetum eſt, Erigit
Vegrande Male grande, id eſt Paruum
Vendax, & *Emax* Qui Vendit, & Emit
Venor Circumuenior
Verba Coniugationis Tertiae, & Quartae in Secundam migrantia. Tertiae, vt *Dicebo* pro Dicam; *Reddibo* pro Reddam; *Viuebo* pro Viuam, à verbis *Diceo*, *Reddeo*, *Viueo* pro Dico, Reddo, Viuo. Quartae, vt *Venibo*, *Inuenibo*, *Eſuribo*, *Impertibo*, *Largibor*, *Mentibor* &c. pro Veniam, Inueniam, Eſuriam, Impertiar, Largiar, Mentiar, à verbis *Venieo*, *Inuenieo*, *Eſurieo*, *Impertieor*, *Largieor*, *Mentieor*.
Verba Deponentia Actiuè inflexa, vt *Imito*, *tas* pro Imitor, aris: Sic *Loquo*, *Tuto*, *Contemplo*, *Cono* &c. pro Loquor, Tutor, Contemplor, Conor. Et ad Neutrorum normam, vt *Naſco*, *Vto*, *Lucto*, *Fabulo*, *Miro* pro Naſcor, Vtor, Luctor, Fabulor, Miror.
Verberabiliſſimus pro Plagis digniſſimus
Verberare pro Verbis impetere
Vereor alicuius pro aliquem vereor. Ita *Reuereor*
Veriuerbium Verus ſermo
Vermen, & *Vermens*, *minis* pro Vermis, mis
Vero, *veras* Vera dico
Veſperna Coena
Veter pro Vetus
Vetuſtiſcere, *Veteraſcere*, illud de ijs quae vetuſtate deteriora fiunt, hoc, quae meliora
Viare Proficiſci
Viciſſatim Viciſſim, Per vices

Viciſſitas

Viciſſitas Viciſſitudo
Viduertas Calamitas, Orbitas, Inopia
Vieo, vies, viere Alligare
Vietus Sine vi
Vindicere Vindicare
Virgindemia Virgarum apparatus ob verbera
Vis pro Vires. Item pro Vix
Vitulari Voce laetari
Vllo Vltus fuero
Vls Vltra
Vmbraticola, Vmbraticus homo Ignauus, In lucem prodire non audens
Vndulatus Purus
Vnosè ſimul, Comprehenſim
Vocales longas priſci geminabant, vt *Deoorum*, *Poonuntur*, *Faatum*, *Penaatium*, *Terraai* pro Deorum, Ponuntur, Fatum, Penatium, Terrai, ſeu Terrae
Vocitus pro Vocatus
Volentia Voluntas
Volim Velim
Volones Voluntarij (de militibus)
Voltum, ti, Volta, torum Vultus, tus
Volup Voluptas, Iucundum: *Volupè* Iucundè
Vomax Impurus
Vopte Vos ipſi
Votitum Religione prohibitum
Vruo, & *Vrbo* Circumdo
Vſio Vſus
Vter, & *Vterum* Vterus
Vtibilis Vtilis
Vtor & *Abutor hanc rem* pro hac re
Vulga Capacitas cum laxitate

Z

Z*Amia* Damnum, Calamitas
Zonatim In gyrum

Quae ſecundum literam vnam aut alteram Obſoletae Voces Claſſis II

A

Aa pro A longo, vt *Aa caeteris* pro A caeteris; *Thraacum* pro Thracum
Ae pro E longo, vt *Diaebus* Diebus, *Aeripio* Eripio: & pro E breui, vt *Aeorum* Eorum, *Diae* (vocat. à nomin. Dius) Die
Aes pro Ae, vt *Muſaes* pro Muſae
Ai pro Ae diphthongo tàm in fine, vt *Aulai*, *Muſai* pro Aulae, Muſae, quàm in primis, vt *Aimus* pro Haemus (Mons Thraciae) *Laiuus* pro Laeuus. Et in monoſyllabis *Haic* pro Haec
Ar pro Ad, vt *Nihil ar me* pro Nihil ad me. Et in compoſitione, vt *Aruenit*, *Arlabitur*, *Arfert*, *Arcedit* pro Aduenit, Adlabitur, & Allabitur, Adfert, & Affert, Accedit
As in fine genitiuorum primae declin. Nom. pro Ae, vt *Dux Vias* Dux viae, *Terras filij* Terrae filij, *Triſtitias* Triſtitiae
Au pro O, & viciſſim O pro Au, vt *Auſculari* pro Oſculari, *Saurex* pro Sorex. Item *Clodus* pro Claudus, *Copo* pro Caupo, *Plodo* pro Plaudo
At pro Ad, & reciprocè, vt *At me* pro Ad me: *Ad contra* pro At contrà

B

B & *V* commutata, vt *Vibus* pro Viuus, *Serbus* pro Seruus, *Abe* Aue, *Bixit* Vixit, *Sibe* Siue. Et contrà. *Placauile* pro Placabile, *Venemerenti* pro Benemerenti, *Danuuius* pro Danubius
B pro P, vt *Obtio* Optio, *Collabſus* Collapſus, *Stib.* pro Stipend. *Byrrhus* Pyrrhus
B pro F, vt *Bruges* pro Fruges

C

C pro G. Et contrà. *Acitare*, *Maciſtratus*, *Aucuſtalis*, *Lecio*, *Recio*, *Ceminus* pro Agitare, Magiſtratus, Auguſtalis, Legio, Regio, Geminus. Et contra, vt *Pegunia* pro Pecunia, *Lygurgus* Lycurgus
C pro Q, vt *Acua* Aqua, *Cuo* Quo
C pro Qu, vt *Cotidie* Quotidie, *Sicis* Siquis, *Cintus* Quintus, *Anticus* Antiquus
C pro T, vt *Marcius* Martius, *Tercius* Tertius
C redundans, vt *Vexor* Vxor, *Iuncxit* Iunxit, *Vicxit* Vixit, *Macximinus* Maximinus
Cs pro X, vt *Lucſerunt* Luxerunt

D finale

D

D finale ſuperuacaneum in caſibus deſinentibus in vocalem, vt *Aliod* pro Alio, *Dictatored* Dictatore, *Monimentid* Monimenti, *Terrad Marid* Terra Mari, *Med*, *Ted*, *Sed*, *Me*, *Te*, *Se*

D abiectum in fine, vt *Hau* pro Haud

D pro L, vt *Cadamitas* Calamitas, *Dingua* Lingua, *Dracumae* Lacrumae. Et contrà *L* pro D, vt *Praeſilium*, *Vdyſſes Medde*, *Lapes* pro Praeſidium, Vlyſſes melle, Dapes

D pro T, vt *Adque* pro Atque, *Ed* pro Et, *Quodannis* Quotannis, *Liquid* Liquit

D pro R, vt *Medidies* Meridies

E

E pro A, vt haec *Caſſane*, Caſſiana, Eſt Graecae terminationis

Ee pro E longo, vt *Seedes* pro Sedes, *Feeci* pro Feci

E pro I, vt *Aedetui* pro Aeditui, *Ques* pro Quis, *Menerua* Minerua, *Genetor* Genitor, *Ciues* Ciuis: Et Ablatiui in i pro e, vt *Parti* pro Parte

E pro O, vt *Helus* pro Holus, *Helcſa* Holera

E pro Ae, vt *Ceſar*, *Ceterum*, *Cure*, *Ere*, *Aſie*, *Tultie* pro Caeſar, Caeterum, Curae, Aere, Aſiae, Tulliae

E pro Oe, vt *Cenae* pro Coenae.

E extritum, vt *Dibus* pro Diebus, *Dae* pro Deae, *Iugrum* Iugerum: ſed hoc imprudentiae potius damus, quam ſtudio

Ei pro E, vt *Menteis* pro Mentes, *Eij* pro Ei, *Certanteis* Certantes

Ei pro I, vt *Veiſus*, *Occiſei*, *Velutei*, *Ollei*, *Dicteis*, *Meminei* pro Viſus, Occiſi, Veluti, Olli (vel Illi) Dictis, Memini. Adde *Deicundum*, *Eitur*, *Vbei*, *Ipſeius*, *Totei*, & alia innumera, pro Dicundum, Itur, Vbi, Ipſius &c.

Es terminatus Genitiuus ſecundae in latinis, vt *Prouincies* pro Prouinciae, *Aeternes gloriaes* Aeternae gloriae

Eo pro i, in genitiuis maſculinis ſecundae, vt *Metieo* pro Metij

Ǝ

Ǝ Digamma Aeolicum inuenies vſurpatum aliquando loco literae V conſonantis, vt SERƎOS *Seruos*, ideſt Seruus, OƎOM *Ouom*, Ouum, *Ǝulgos*, *Vulgos*, Vulgus, *Ǝixit* Vixit. Interdum pro H, vt *Ǝelena* Helena, *Ǝoſtia* Hoſtia, *Ǝemina* Hemina.

Interdum pro V Vocali, vt DIƎ AMARE, Diu amare

Etiam pro B, vt PHOEƎVS Phoebus

F

F pro Ph vſurpatum, vt *Amfion* pro Amphion *Fryx* pro Phryx, *Triumfator* Triumphator *Foebus* Phoebus

F quandoq. geminatum, vt *Affricanarum*

F pro H, vt *Fedus* pro Hedus

G

G ante G pro N, vt *Aggulus* Angulus, *Aggens* Angens, *Agguilla* Anguilla, More Graecorum

G ante N, vt *Gnoſco* Noſco

G & C commutantur, Repete ſup. in litera C

H

H aliquando abijciebatur, vt *Triumpus* pro Triumphus, *Aduc* Adhuc, *Pilippus* Philippus, *Bracium* Brachium, *Ic* Hic, *Ominis* Hominis, *Oras* Horas

Aliquando abundabat, vt *Habundant* Abundant, *Hijs* Ijs, *Harenae* Arenae, *Hac* Ac, *Phonteis* Ponteis, vel Pontes

H pro F, vt *Hana* Fana, *Hortes* Fortes, *Heriae* Feriae

I

I pro E, vt *Cauias* pro Caueas, *Infiſtae Parcae* Infeſtae Parcae, *Conſiptus* Conſeptus, *Sico* Seco, *Augiſco* Augeſco, *Diſtructus* Deſtructus, *Mircurius* Mercurius. Et in diphthongis, vt *Muſaius* Muſaeus

I pro V, vt *Contibernalis* Contubernalis, *Etriſcus* Etruſcus, *Manilijs* Manubijs, *Reciperatis* Recuperatis

I pro

I pro A, vt *Vocitus* Vocatus, *Prouitus* Probatus

I intruſum, vt *Carthaginienſis* Carthaginenſis, *Diruitam* Dirutam, *Mediolanienſes* Mediolanenſes

I extritum, vt *Arda* Arida, *Decmus* Decimus

I geminatum pro I longo, vt *Sanctiſſimijs* Sanctiſſimis: Et pro I breui, vt *Macxijmus* Maximus, *Bijnij Mijrijnti* Bene Merenti, *Iit* pro Et

Et pro I in ſecunda ſede diphthongi, quae vſurpatur pro Ae, vt *Aurijliaij Patronaij* Aureliai Patronai, hoc eſt Aureliae Patronae

In pro Im, vt *Inpendia* pro Impendia, *Inpetrabit* Impetrabit

In compoſitum immutatum, vt *Inluſtris* pro Illuſtris, *Inrita* Irrita

Is finale pro Es longo, vt *Ciuis* pro Ciues, *Conſulis agentis* pro Conſules agentes

K

K pro C in media dictione, vt DEDIKAVERVNT, ARKA, EVOKATVS. In principijs quoque nonnullarum, vt *Koſ.* pro Coſ. Conſul. *Kaput*, *Kandidatus*, *Karus*

L

L ſimplex pro gemino, vt *Polet*, *Colega*, *Caſtelum*, *Ilius* pro Pollet, Collega, Caſtellum, Illius

L geminatum pro ſimplici, vt *Ollim Querellae*, *Vellit* pto Olim, Querelae, Velit

L in ʞ mutatum, hoc eſt Latinum in Graecum, vt *ʞipara* pro Lipara, ʞEʞ. Ael. pro Aelius, vbi priore loco ʞ eſt pro A, poſteriore pro L.

Interdum in informem notam ʞ, vt V. S. ʞ. ʞ. M. Votum ſoluit libens, libens, Merito. Et in in T inuerſum ⊥, vt ⊥. PHI⊥EMO Lucius Philemo

M

M male inſertum, vt *Neptumnus* pro Neptunus

Male omiſſum in fine, vt *Cura agentibus* pro Curam, *Extra terra Italia* pro Terram &c. *Herede non ſequitur* pro Heredem, *Ante Ara poſitum eſt* pro Aram poſitum. *Rapuit iuuenile figuram* (in fine carminis hexametri) pro iuuenilem

M in fine loco N, *Forſitam* pro Forſitan, *Imperpetuum* pro In perpetuum

M in geminũ lambda ʞʞ conuerſum, vt B. ʞʞ. hoc eſt B. M. Bene Merenti DIS ʞʞAN. Dis Manibus

M in tergeminum I, vt PRIIIIILLAE Primillae

N

N ſaepe omiſſum, vt *Infas*, *Coiux*, *Praegnas*, *Clemes*, *Caſtreſis*, *Coſeruus*, *Impeſa*, *Libes*, *Lugduneſis*, *Negotias*, *Vctor*, *Meſes*, & alia innumera, pro Infans, Coniux, Praegnans, Clemens, Caſtrenſis, Conſeruues, Impenſa, Libens, Lugdunenſis, Negotians, Vnctor, Menſes

Saepe abundans, vt *Coniunx*, *Concenſſerat*, *Tricenſimus*, *Thenſaurus*, *Nonmina*, *Formonſus* &c. pro Coniux, Conceſſerat, Triceſimus, Theſaurus, Nomina, Formoſus &c.

N pro M, vt *Con* pro Cum, *Inpeſa* Impenſa; *Tan* Tam, *Parten* Partem, *Conparauerunt* Comparauerunt

N pro R, vt *Fontunatus*, *Pedendarum* Perdendarum

O

O pro V, vt *Con* pro Cum, *Ouom* Ouum, *Volgos* Vulgus, *Viuos* Viuus, *Mareitom* Maritum, *Latiom* Latium, *Moltus* Multus, *Conſol* Conſul, *Quom* Quum, *Souom* Suum, *Notrix* Nutrix, *Hecoba* Hecuba, *Sont* Sunt, *Tolit* Tulit, *Poblicus* Publicus, & alia ſexcenta

O pro Ve diſſyllabo, vt *Por* pro Puer

O pro I, vt *Olli* pro Illi

O pro E, vt *Vorto*, *Vorſus*, *Aduorto* pro Verto, Verſus, Aduerto

Oe pro E longo, vt *Foelix* Felix, *Ephoebus* Ephebus, *Proſcoenium* Proſcenium

Oe pro I, vt *Oloes* Ollis, ſeu Illis

Oe pro V vocali, vt *Poenio* Punio, *Moenera* Munera, *Oetor* Vtor, *Poeniceus* Puniceus, *Oeſus* Vſus

Oi pro Oe, vt *Coilum* Coelum, *Caſmoinai* Camoenae, *Coiperit* Coeperit

Oi pro I, vt *Quoi* Cui, *Quoius* Cuius

Oi

Oi pro V, vt *Coirauit* Curauit, *Oitile* Vtile

Ou pro V, vt *Indouco* Induco, *Souis* Suis, *Loudos* Ludos, *Quoum* Quum vel Cum

P

P abundans, vt *Hiemps* pro Hiems, *Temptauerit* Tentauerit. *Euphemerus* Euhemerus

P pro B, vt *Apſens* pro Abſens, *Apſolutum* pro Abſolutum, ſic *Pleps*, *Opſides*, *Supſiciuum*, Apſtulit, pro Plebs, Obſides, Subſiciuum, Abſtulit; *Poplicus* Publicus

Q

Q pro C, vt *Aquitur* pro Acuitur *Qui* pro Cui, *Mequm* Mecum, *Sequritatem* Securitatem, *Sequlum* Seculum, *Qurtius* Curtius

Qu pro C, vt *Liquebit* pro Licebit, *Huiuſque* pro huiuſce, *Arquus* pro Arcus, *Oquulus* pro Oculus, *Pequunia* Pecunia

R

R pro D, vt *Aruorſarius* Aduerſarius, *Aruectus* Aduectus, *Apur* Apud, *Aruenio* Aduenio

R pro H, vt *Arcreſilaus* Archeſilaus, *Incroandi* Inchoandi, *Ruius* Huius, *Prilologo* Philologo

R pro S, vt *Orculo* Oſculo

S

S pro R, vt *Caſmen* Carmen, *Melios* Melior, *Eſo* Ero, *Doloſi* Dolori, *Aſenam* Arenam, *Pluſima* Plurima, ſic *Oſnamentum*, *Laſes*, *Pignoſa*, *Feſiae*, *Maioſes*, *Aſa*, *Coſolla*, *Foedeſum*, *Ianitoſem*, *Papiſius* pro Ornamentum, Lares &c.

S praemiſſum, vt *Scena* pro Coena, *Stritauus* Tritauus, *Scelum* Coelum

S in fine detractum ſequente initio dictionis conſonante, idque in carmine, vt *Infantibu' paruis*: Aut ſaltem in metiendo eliſum, vt Lucill. *Tum lateralis dolor certiſſimus nuntius mortis*

S pro X, vt *Coius* pro Coiux, ſeu Coniux, *Seſtus* Sextus, *Praeteſtatus* Praetextatus

S omiſſum, vt *Iuſit* pro Iuſſit, *Nardu* Nardus

S grandiuſculum pro duplici, ſſ, vt *eSe* Eſſe.

S redundans, vt *Auxſilium* Auxilium, *Aſſtante* Aſtante, *Baſſim* Baſim, *Felixs* Felix, *Vxſor* Vxor, *Vixſit* Vixit, *Sozſomene* Sozomene

SS pro X, vt *Conſliſſiſſet* pro Conflixiſſet

St praemiſſum, vt *Stlitibus* pro Litibus, *Stlocus* Locus, *Stlatus* Latus

T

T pro D, vt *At aliquem* pro Ad àliquem, *Aliut* Aliud, *It* Id, *Itcirco* Idcirco, *Set* Sed, *Quit quot* Quid quod, *Aput* Apud &c.

T pro C, vt *Sartophagus* Sarcophagus, *Thratia* Thracia, *Fabritius* Fabricius

T abundans, vt *Itter* Iter, *Obitorunt* Obitorum, *Vitxit* Vixit

T in coniunctione Et coaleſcens cũ ſequenti, vt EFVLCINIAE pro Et Fulciniae, STRVIBVS EFFERTIS pro Struibus, & Fertis (vtrumque genus libi in veterum ſacrificijs frequens,

T pro S, vt *Tertus* pro Terſus, *Pultus* Pulſus, *Nautea* Nauſea, *Adgrettus* Aggreſſus

T in fine variat ſyllabae quantitatem in carmine apud veteres. Ennius lib. I. Annal. *Nec pol homo quiſquam faciet impunè animatus*

V

V pro B, vt *Aceruo* pro Acerbo, *Deuitum* Debitum, *Danuuius* Danubius, *Vaſe* Baſe, *Fauius* Fabius, *Incomparauile* Incomparabile, *Pleui* Plebi, *Venemerenti* Benemerenti, *Viuinum* Diuinum &c.

V pro I, vt *Maxſumus* Maximus, *Optumae* Optimae, *Stup.* Stipend. *Subi* Sibi, *Infumo* Infimo, *Polcerrumè* Pulcherrimè

V pro O, vt *Fruns Frundes* pro Frons Frondes, Ita *Humo Funs*, *Cumes*, *Agru*, *Domu*, *Epiſtula*, *Sacerdus*, *Subules* pro Homo, Fons, Comes, Agro, Domo, Epiſtola, Sacerdos, Soboles

V pro Y, vt *Vluſſes* pro Vlyſſes, *Cuclops* Cyclops, *Suria* Syria, *Muſia* Myſia, *Illuricum* Illyricum, *Sumperuſa* Sympheruſa, *Zacunthus* Zacynthus. Nam *Lacrumae* pro Lachrymae ne obſoletum dicatur, efficit auctoritas recens eruditorum

V abundans, vt *Auromatarius* pro Aromatarius, *Auurelius*

Auurelius Aurelius, *Lugudunum* Lugdunũ, *Suuo* Suo, *Tempuli* Templi, *Tignuarij* Tignarij

V omiſſum, vt *Fluium* pro Fluuium, *Flaum* Flauum, *Ingenus* Ingenuus, *Paimentum* Pauimentum, *Huis* Huius, *Perpetus* Perpetuus, *Se vio* Se viuo, *Daus* Dauus

VV pro V longo, vt *Arbitratuu* pro Arbitratu, ſic *Domuus*, *Suus*, *Vuti*, *Muucius*, Peculatuu. In carmine breues natura ſyllabas producit, vt *Fuuit* pro Fuit, *Fuuimus* Fuimus, *Exaruuit* Exaruit, *Genuuit* Genuit. Ennius Annal. lib. II.

Si quis me fuuit humanitus vt teneatis

X

X pro C, vt *Heraxlione* pro Heraclione

X pro S, vt *Molex* pro Moles, *Tigrix* Tigris

Y

Y pro I, vt *Bybliotheca* & *Biblyotheca*, pro Biblioteca, *Tyſander* Tiſander

Y pro V vocali, vt *Satyrni* Saturni, *Inlyſtria* Illuſtria, *Interamnatyum* Interamnatium, *Iyxta* Iuxta, *Ipsyus* Ipſius, *Tyſcia* Tuſcia, *Iylius* Iulius

Y pro V conſonante, vt C. Y. id eſt C. V. Clariſſimo Viro. *Yiro* Viro

Z

Z pro S, vt *Lezbia* pro Lesbia, *Philogenez* Philogenes.

Z pro I, vt *Zeſu* pro Ieſu

Corollarium faciat formula illa deuouendi apud Latinos veteres, quam citat Paullus Merula, Comment. in Q. Ennium: Videlicet

LXXXII.

IANE, IOVIS PATER, MARSPITER, QVIRINE, BELONA, LASES, DIVEI NOVEMSIDES, DIVEI INDIGETES, DIVEI QVORVM EST POTESTAS POPOLI ROMANI, QVIRITIOM, MEEIQVE DIVEI MANES: SVB VOS PLACO, VENERORQVE, VENIAM PETO; OBSECROQVE, VTEI POPOLO ROM., QVIRITIOM VIM VICTORIAMQVE PROSPERETIS; VTEI EGO AXIM PRAI ME FORMIDINEM, METOMQVE OMNEM COILESTIOM, INFEROMQVE OMNIOM DIRAS: SIC VTEI VERBEIS NONCOPASO, ITA PRO REPOPLICA POPOLI ROMANI QVIRITIOM VITAM, SALOVTEMQVE MEAM LEGIONES, AVXSILIAQVE HOSTIOM MECOM DIVEIS MANEBOVS, TELLOVRIQVE DEVOVEO

Hinc poſtea cùm alij multi, tùm Aloyſius Iuglaris argumentum ſumpſit, fingendae antiquitatis in funere Victoris Amedei Sabaudiae Ducis, vt in multitudine Inſcriptionum, imitatus ingentia Poëmata, pro ſingularibus verbis ſeu vocabulis ex antiquitate petitis, Inſcriptiunculas reponeret totas; quod quia parcè praeſtari debet, binas modo expoſuit immixtas alijs ad minores Templi, vbi funus celebratum, valuas. Ita ex varietate aucta dignitas literarij apparatus. Eas in ſtudioſorum gratiam citamus infrà Membro VII.

PARS ALTERA

De Verbis Nouatis

COnuerſione temporum tanta, quanta à Latinis ad nos, ita rerum humanarum facies eſt immutata, vt mirari iam deſinamus, ipſum Latinum ſermonem vel latinè profitentibus magnam partem nouatum ad hoc aetatis deueniſſe: Vtrùm verò nouatus ritè per omnia, quibus etiam modis adhuc nouandus, ediſſeremus infrà in Paroeneſi ad Secundam Claſſem. Quippe nouatarum vocum ſyluam in Claſſes ſeptem hic diſpeſcimus: Atque in prima propria Hominis & gentilitia nomina corrigimus: In ſecunda nomina Sacrorum Magiſtratuum ad cenſuram vocamus: In Tertia Profanorum Magiſtratuum: In Quarta vocabula Chriſtiana: In Quinta Eccleſiaſtica: In Sexta Hiſtorialia: In Septima demum Didaſcalica.

CLASSIS I.

Nomina Hominum Propria, Gentilitia, Quaeſititia

Membrum I. de Proprijs.

PRopria Hominum Nomina in latinis Inſcriptionibus, ſi peregrina ſint, latinè efferri debent, vt eluatur peregrinitatis barbaries. Cuiuſmodi ſunt Primum Hebraica [a] *Adam*, [b] *Iob*, [c] *Noë*, [d] *Iſaac*, [e] *Ioſeph*, [f] *Irad*, [g] *Loth*, [h] *Thohu*, [i] *Iudith*, [k] *Abigail*, [l] *Mathuſalem*, [m] *Phaleg*.

a Pro quibus tu dices *Adamus*, niſi aliter ſuadeat neceſſitas. Emanuel Theſaurus in Mundi Pueritia, Elogio inſcripto *OPPOSITA* vocem ſimiliter cadentem *CAINAM* ita tractat: *Cainamus, & Malaleel Ignotae Virtutis, non Ignoti Virtuti: Parem Pietatem in Nomine Diſpari Praeſeferunt.* Deinde luſurus in Ethymologia cogitur terminare barbare, ideſt ex genuina nominis conſuetudine: *Nam Cainam* (aiens) *lamentabilem gemitum: Malaleel laetum Numinis laudatorem ſonat.* Hic modus in alijs eiuſdem terminationis nominibus obſeruandus. Vt pro *Abraham Abrahamus*, pro *Cham Chamus*; Caeſar autem Alexius Elogio II. Peruſinorum dicit, *Chameſius*. Excipe nomen *Adam* proprium Vxoris Lamechi, quod more foemininorum *Adama* terminabis.

b *Iob* autem erit *Iobus*, vt *Iacobus* pro *Iacob*. Theſaurus in Mundi Adoleſcentia, Elog. inſcripto *MONITA*: *Habes*, inquit, *Viator Tot In Iacobo Documenta, Quot Geſta.* Sic *Aminadab*, & quaecunque in *b* terminata.

c *Noë* erit *Noës*, aut *Noëmus*. Theſaurus in Mundi Adoleſc. *Vnus in corrupto ſeculo integer eſſe auſus eſt Noës.* Caeſar Alexius Elogio I. *Eundem*, ait, *Peruſia agnoſcit Parentem, quem Genus Humanum fatetur Inſtauratorem Noëmum.* Et iterum: *Sic Noemus humanae felicitatis omen certiſſimum extruxit in Collibus Turrenam Auguſtalem.*

d *Iſaac* dic *Iſaacus*. Theſaurus ibi, inſcript. TRAGOEDIA: *Protaſin aget Numinis internuncius, Qui Iſaacum patria iubebit dextera immolari.*

e Pro *Ioſeph*, *Ioſephus*. Puriùs itaque dixiſſet Theſaurus in Mundi Iuuentute, ſi, vbi Inſcripſit *Ioſeph Iacobi filius*, & EVLOGIVM inchoauit: *Dulces Rachelis primitiae Ioſeph* &c. imitatus ſemetipſum fuiſſet in Noua Aetate, Elog. TITVLI. ſic fatus: *Nec nouum Ioſepho Dominae nolle miſceri.*

f Pro *Irad* dic *Iradus*. In voce ſimili *Iared* Theſaurus in Mundi Pueritia: Elog. EXPOSTVLATIO ait: *Tu Iaredi annos prodis, facta perdis.* Idem: in CENSVRA: *Henoci, Iradi, Vauiaclis, Mathuſaelis.*

g Sic *Loth*, *Lothus*. Idem in ſimili *Seth* ibidem: *En geminum cum Abele Sethum.* Et iterum: *Et Abelis nitorem irrumpens Sethi gentilitas diù retinebit.* Et in Mundi Adoleſc. TOPOGRAPHIA: *Laetior illa Inſula, Lothi ſedes, ac domus fuit.* Ita *Ruth* (nomen foeminae) haec *Ruthus*, *ti*, vt humus. Theſaurus in Mundi Iuuent. in MYSTERIVM: *Illam Raabam, hanc Ruthum meritò voces.*

h Sic *Thohu*, *Thohus*, quemadmodum *Reu* filius Phalegi dicitur *Reuus* Theſauro in Mundi Adoleſc.

Adoleſc. in CATALOGVS. Sic *Phallu Phallus*.

i,k *Iudith* autem *Iuditha, thae* per ſecundam declinat. At *Abigail* per tertiam, *ilis*. Et *Iubal*, & *Tubal*, quemadmodum *Annibal*: Sic *Tanaquil*, *ilis* apud Plinium lib. XXXVI. Cap. vlt. Apud Guilielmum verò Xylandrum Plutarchi interpretem (de Fortuna Romanorum) inflectitur *Tranquilis, ilidis*.

l *Mathuſalem* dic *Mathuſales, lae*, per primam declin. vt *Anchiſes, ae*. Theſauro eſt primae, ac tertiae In Mundi Pueritia, in EVCHARISTICON, vbi titulum Elogio ſic facit: *Lamech Mathuſalae filius*, & mox inchoat: *Vobis verò inclyti Mathuſales, & Lameche*: Iterum infrà: *Omnium tamen aetates euiciſti Mathuſales*: Eſt enim is vocatiuus Tertiae, nam Prima abijcit, ſ, *Anchiſes*, ò *Anchiſe*. Vel aliter *Mathuſalemus*, *mi*, vt in ſimili *Salem* Theſaurus in Mundi Adoleſc. CATALOGVS; *Haec illa* inquit *renouati Orbis innocentia in Arphaxado, Salemo, atque Hebero*.

m *Phaleg* dic *Phalegus*, vt *Sarag Saragus*. Viderit porrò Theſaurus, num praeter neceſſitatem (quae tamen praetendi poteſt in Elogiorum titulis, vt ſacrae hiſtoriae nomina propria conſonent ad captum Lectoris) vſurpare fas ſit in recto ſuperiora illa *Phaleg, Sarag* &c. peregrinitate retenta, vt egit ipſe paſſim in Corpore Elogij.

Hactenus Hebraica; deinceps Graeca, quae pallio exuenda ſunt, & toga donanda Romanae Ciuitatis, vt in latinis Inſcriptionibus latinè prodeant. Itaque nunquam in recto ſingulari eſſeres *Alexandros*, *Meneleos*, *Orpheys*, *Aineias*, *Thaumaturgos*, ſed Alexander, Menelaus, Orpheus, Aeneas, Thaumaturgus. Id ipſum de obliquis vtriuſque numeri praeceptum ſit. Excipe quas inflexiones è Graecia Latium vſu antiquo accepit cùm ad ſolutam, tùm ad ſtrictam orationem: Vt (in rem Elogiaſticam) Primae ſimplicium in, e, Auctor nobis incognitus Elogium Mortis hoc modo inchoat: *Ferales Vmbrae, Mutique Manes, Nigram LETHES vndam in atramentum, Libitinae falcem in calamum conuertite* &c. Quod debuit obſeruare Auctor cognitus nobis, qui Elogium inſcripſit *Gaſpari Pannio Auguſtiniano Eremitae Eccleſiaſti in primis magno* &c. Nam etſi Graeca quaedam ſimplicium primae declinat, migrant in tertiam Latinorum, vt *Oreſtes, Pylades*; quaedam tamen communis vſus continuit in prima: Huiuſmodi autem eſſe nomen *Eccleſiaſtes, tae*, non *tis*, conſtat ex ſacro illo Codice, cui eſt titulus ECCLESIASTES, & initium *Verba Eccleſiaſtae filij Dauid*; Item ex Praefatione Diui Hieronymi; demum ex vſu eccleſiaſtico in titulis Nocturnarum lectionum de menſe Auguſto, Hebdomade II. Neque obſtat titulus ille à typographo paginis ſacri libri inſcriptus *Liber, Eccleſiaſtes*, quae duae voces continuatiuè ponuntur, non coniunctiuè vt ſit *Liber* inſcriptus Eccleſiaſtes. Excipe item neutra in *on* Tertiae Graecis, Latinis ſecundae pro *um*. Sic Auctor ſuprà incertus, in Coenotaphio Familiae SOLDATAE Fanenſis ait: *Lubrico enim fertur Fortuna Cylindro, vt quieſceret vel extinctus: Teretem illius lapidem in hoc ſibi ſuiſque quadrauit POLYANDRION*. Et in *os* foeminina pro *us*. Sic Franciſcus Maria Delmonacus Elogio de Paulo IV. Pont. Max.: *Libauit ipſo die Britannus ſacrorum pedum oſcula, Quae impius eierauerat: Et cum Auſtrali Canopo Aquilonaris ARCTOS ingens nomen adorauit*. Cum quarto caſu in *on* pro *um*. Idem Elog. de Ant. Agellio: *Sub Sixto extulit Sacrarum Scripturarum PHARON*. Cum ſecundo Tertiae in *os* pro *is*. Theſaurus in Mundi Adoleſc. Elog. NARRATIO; inquit: *Ergo amoeniſſimam PENTAPOLEOS regionem Tyranni quatuor populantes Lothum abducunt*. Cum Quarto in *in* pro *im*. Idem ibidem in TRAGOEDIA: *PROTASIN aget Numinis internuntius*. Et infrà: *EPITASIN aget Iſaacus*. Et in *a* pro *em*: Delmonacus de Marcello & Paulo ita Elogium claudit: *Implebunt deuicta pectora, emollita corda Triumphos veſtros: Aeternum dabunt ſuſpenſa olim ad voces ora Non taciturum PAEANA*. Plura obſeruanda offeret lectio, quae optimorum eſſe debet, ne vitia propinentur.

Germanico autem ſermone nullus videtur in Romana Ciuitate peregrinior; quem iccirco in exemplum aliorum proponimus. Itaque Germanorum propria nomina ſic dabuntur latinè. V. g. *Erhart Erhartus*, vel (vt vulgò mitiùs) *Erardus*: *Wencl, Vuenclaus*, vel (vulgò) *Venceſlaus*: *Veit, Veitus* (vulgò) *Vitus*: *Fridrich, Fridricus* (vulgò) *Fridericus*: *Wolfſgang, Vuolffgangus* &c.

Scythica modo ſimili tractanda. V. g. *Baiazet*, *Baiazetus*, vel *Baiazetes*: *Amurath*, *athus*, vel *athes*: *Tamerlan*, *anus*, vel *anes*. Paulus Iouius in Elogijs lib. II. *Baiazetes eius nominis primus*. Ibidem infrà: *Orcani ſucceſſit Amurathes filius*. Ibid. *Tamerlanes Scytharum Imperator*: Cui fecerat titulum: *Sub effigie Tamerlani Scytharum Imperatoris*.

Membrum II. de Nominibus Gentilitijs

HActenus de Nominibus Hominum Proprijs: deinceps de Gentilitijs. De quibus damnatiſſimum illud vitium in vulgus Italorum latinè ſcribentium irrepſit, vt quaſi Genitiuo caſu per ſubſtantiuum recto enuntient *Petrus Medici*, *Antonius Altouiti*, *Iulius Monti*: eò quòd Itali ipſi vulgari conſuetudine vſurpent, *Pietro Medici*, *Antonio Altouiti*, *Giulio Monti*. Sed monendi ſunt genuinae phraſeos perque ellipſim dicere *Pietro Medici* pro *Pietro de' Medici*, ſeu *della famiglia de' Medici*. Ita latinè ſupplendus eſt ſenſus, quod commodè praeſtatur per nomen deriuatiuum: Verbi cauſa *Petrus Medices*: Sic P. Iouius Elogium lib. VI. Inchoat: *Hoc Hungarico militari cultu Hippolytus Medices Cardinalis* &c. Conſonat Inſcriptio Florentina in tabula marmorea in Porticu Mercatorum

LXXXIII.

COSMVS. MEDICES. FLORENTIAE. DVX
Publicae magnificentiae & ſalubritatis ergo
Porticum tranſuerſo columnarum ordine
vndique permeabilem aduerſus Caeli contumeliam negotiantibus in foro Ciuibus ſuis
extruxit Anno MDXLIII.

Idem nomen declinat Iouius lib. VI. Elog. vltimo, ſic inſcribens: *Sub effigie Coſmi MEDICIS Florentiae Principis*. Et lib. eodem Elog. I. *Pertaeſa coelibatus*, *& conſcia ſuae foecunditatis Ioanni MEDICI Gallicas ſequenti partes nupſit*. Et paulò ſuprà: *Paternum etenim genus directo ſtemmate ſuperiorem Laurentium MEDICEM*, *qui Magni Coſmi germanus frater fuit*, *reſpiciebat*. Quo itidem modo licebit dicere, *Antonius Altouites*, *Iulius Montes* &c. Vel ſecundò aliter *Petrus Mediceus*. Sic ſaepe Iouius in Elogijs *Mediceam familiam*, *Mediceam domum*: Sic *Altouiteus*, *Monteus*: vt de familia vulgò *Catani* Inſubriae clariſſima, extat Inciſa baſis ſub ſtatua Diui Simpliciani his notis (citat Puccinellius in ſuo Zodiaco)

LXXXIV.

S. SIMPLICIANVS. CATANEVS. MEDIOLANEN. ARCHIEP.
Religionis Doctrinae Summarumq. Virtutum claritate illuſtris. Multis Orbis partibus peragratis Romae Victorinum Rhetorem diſertiſſimum, apud Romanos gratia florentem A Fide Chriſtiana abhorrentem Eccleſiae Sanctae adiunxit: Alios aberrantes in viam reuocauit Aurelium Auguſtinum Manichaeae haereſis erroribus implicatum ad Veritatis lucem perduxit. Philoſophorum argutias Doctrinae Chriſtianae repugnantes conſtanti ſalutaris ſapientiae robore confregit. Chartaginenſium Decreta conſtituit. Gaudentium Nouariae Epiſcopum conſecrauit. Eccleſiam Mediolanenſem praeclarus morum Magiſter, egregius ſacrarum literarum Doctor Archiepiſcopuſq. cunctis ritibus & pietatis ornamentis Diuinè auxit

Seu

Seu mauis Tertio *Medicius*, *Altouitius*, *Montius*. Ita gentilitium Montiorum nomen tractauere Mediolani in triumphali ingreſſu Caeſaris Cardinalis Montij Archiepiſcopi inter alia ſumma ingenia Ludouicus A Puteo Societ. Ieſu, literaturae nitidioris Princeps. Et gentiles vulgò *Boni* Franciſcus Pola *Bonios* dixit Elog. ſequenti:

LXXXV.

HIERONYMVS BONIVS
BONIS MALIS
SEMPER BONVS

quod marmoreae tabulae inciſum legitur in Curia Vallis Pulicellae agri Veronenſis. Franciſcus Rondinellius Florentiae in Aede Diui Marci Epitaphium Angeli è familia, vulgò *Ganucci*, ita ſculpſit:

LXXXVI.

I. C. R.
ANGELVS GANVCCIVS SILVESTRI FIL.
Quod Hieroſolymae loca CHRISTI ſanguine, & Reſurgentis triumpho ditata felicibus auſpicijs aliquando luſtrauerit. Monumentum hoc ad beneficij memoriam ſempiternam, ſpemque Reſurrectionis, Redemptoris merito certiſſimam ex animo Poſuit Anno Salutis MDCXL. Aetatis ſuae LXXII

Quaeque Volaterris in Etruria floret clariſſima familia, vulgò *Falconcini*, haud aliter tractatum habet nomen in marmoribus. Eſt enim legere Liburni in Diuae Mariae Epitaphium. Videlicet:

LXXXVII.

BENEDICTO FALCONCINIO VOLATERRANO Auguſtini Fil. Diui Stephani Equiti In re Militari ſuſpiciendae ſpei Adoleſcenti Qui dum in Claſſe Etruriae Regis ad ſuorum Gentilium gloriam longa ſerie imagines ab Aulo Perſio Flacco numerantium, ingentes citat ſpiritus, vitam de ſua Religione deq. Principe benemerendi pretium Fecit Anno MDCXXIX. Mem. Aet. Mon.

* floruit A. Perſius Flaccus ſub Nerone Principe, teſte Raphaële Volaterrano. De quo extat vetuſtiſſimum marmor Volaterris ad Portam vulgò Sancti Angeli ita inſcriptum:

LXXXVIII.

A. PERSIVS. A. F
VIXIT. ANNOS. XIII. MEM. III. D. XIX

Quicum foeminino genere cõgruit alterũ marmor ibi in Diui Lini, Beatae Domitillae Falconciniae erectum. Nec ſupprimendum, quò non preſſius aliud Epitaphium Bononiae in Diui Pauli, Ordinis noſtri, vbi pendet hodie ſuggeſtum, antequam aedes conderetur, fuit natale cubiculum in patria domo illius, qui hodie legendam Tumuli Inſcriptionem exhibuit, de familia *Garzoni*. Videlicet:

LXXXIX.

MARCELLVS GARZONIVS
Hic Vbi Natus
Sibi
Sepulcrum Elegit
Anno MDCXI

Et ex familia *Martini* appellabo gentilem eius *Martinum Martinium* &c.

Quartò dic *Medicaeus* per dipthongum in penultima. Habes Epitaphium Piſanum in Diui Frigdiani, Ordinis noſtri, in hanc formam:

X C.

IVLIO. MEDICAEO. ALEX. PRIMI. FLOREN.
Ducis F. Cuius ingenita virtus à Praealto Heroum
Semine Magnificentiſsime enituit. Cum Sacrae Claſſi
Praefectus, alijſq. publicis muneribus vigorem animi
MEDICAEAE Genti certiſſimum Caelitus dari oſtendit
Coſmus Patri B. M. P. ANNO CIↃ. IↃC.

Ita ex nomine familiae vulgò *Clerici* inſcripſit Elogium Proſper Cribellius Mediolanenſis: *De acerba aetate Hieronymi CLERICAEI in eius Laurea Philoſophica apud Patres Alexandrinos*, ſcilicet Ordinis noſtri Mediolani.

Quintò dicerem & *Mediceius*, niſi ſuperiora inclinamenta ſuper eſſent. Hoc certe neceſſum in quibuſdam, vt de familia Romana vulgò *Matthaei*, *Cardinalis Matthaeius*; Tum maxime vbi Proprium nomen Italicè conuenit cum Gentili: *Matthaeus Matthaeius*: *Lucius Luceius*: (Venetae eſt originis) *Bartholomaeus Bartholomaeius* (Florentina) eſt enim opus diſtinguere alterum nomen ab altero. Neque Latina eſt, ſed Graeca formula illa *Alexander ab Alexandro*, pro quo ſubſtituendum *Alexander Alexandrius* vel alio ex ſuperioribus modis: Et *Bandinellus Bandinellius*: & *Thomas Thomaſius* vel *Thomaeius*, meliùs quã *Thomas Thomae* &c.

Quod vt diligenter aduertas, accipe Lucenſem memoriam bono ſcalpro mandatam, in Diui Frigdiani, in qua nomen proprium cum gentili concurrens quomodo hoc ab illo latinè tractatum, diſpicies. Videlicet:

X C I.

CHRISTO. RESVRGENTI
BONVISO. BONVISIO. PATRICIO. LVCENSI. VTRIVSQ. SIGNATVRAE
REFERENDARIO. CAMERAE APOSTOLICAE XII. VIRO PROVINCIALI
PATRIMONII PROLEGATO EXERCITVS PONTIFICII IN
PANNONIA QVAESTORI SVMMO. MOX S. R. E. CARDINALI, AC BARENSIVM
ARCHIEPISCOPO
VIRO RELIGIONE, INTEGRITATE, PRVDENTIA, LIBERALITATE
SINGVLARI. ILLIBATAE CASTIMONIAE FAMA
CONSPICVO
MARTINVS, STEPHANVS, ET ANTONIVS FRATRI OPT. AC BEN. M.
IN IPSO AETATIS FLORE, MEDIOQ. GLORIAE CVRSV
EREPTO
PERPETVIS CVM LACHRYMIS P. CCC.
VIXIT ANN. XLII. MEN. VNVM DIES XXIV.
OBIIT KAL. SEPT. AN. SAL. MDCIII.

Vt autem reuertamur ad terminationem in *eius*, legitur Mediolani in Diui Franciſci, teſte Placido Puccinellio in ſuo Zodiaco, ad hunc modum:

XCII.

CORNELIO. CRVCEO. ET. BLONDAE. CORNEAE
Parentib. Optimis ſibi Liberis & Poſteris Caeſar
CRVCEIVS F. C. Anno MDLXXVII.

* Vbi *Cornelio Cruceo* mendum fortè eſt Typographi pro *Cruceio*, nam ibidem ſecundo loco legitur *Caeſar Cruceius* (Etſi vtrumque probetur, non tamen eodem in marmore) Cui conſonat recentius Epitaphium Mediol. in Diui Barnabae, Ordinis noſtri. Videlicet:

XCIII.

CHRISTOPHORO. CRVCEIO
I. C. COLL
IN. ADMINISTR. MAGISTR.
PRVDEN. ET. INTEGRIT
PRAESTANT
ET
MARTAE. SANSONAE
PARENT. OPTIMIS
GALEATIVS
P.
OBIIT. KALEND. OCTO
M D C X V I I

Quidam minus propriè *A Cruce* enunciant, ex Crucis quippe vexillo, quod ſacro bello in expugnatione Hieroſolymorum, Gothfrido Bullionio Imperatore, primus ille ſuperatis moenibus victor defixit, qui ſatus familia Rhaudenſi apud Inſubres iam tum Diuo Ambroſio Mediolan. Antiſtite nobiliſſima (hodie Rhò, ab Oppido Rhaudo eiuſdem vulgò appellationis) nouam ipſe familiam auſpicauit, Italicè *Croci*, Latinè *Cruciam*, ſeu Cruceiam, nequaquam A Cruce: praeterquam ſi extaret, quae Italicae eſſet *Dalla Croce*. Ita verò efferenda latinè cognomina ex vulgari, vt vulgò dignoſcantur, vtque forenſibus controuerſijs locum ne faciant, ideſt terminationem dumtaxat latina. Quod forte cenſuram contrahit Inſcriptioni Columnae Infamis Mediolani (quam citauimus lib. I. in Elogij Etymo) vbi Gulielmi cognomen hodie *Piazza* redditur *Platea*: ſed male ad vulgi captum: rectiùs ergo *Gulielmi Piazzae*. Non enim defluxit ex latino, recentiſſimè natum cognomen; ex noſtrate igitur Italico, in quo *Platea* peregrina vox eſt. Patet etiam ex cognomine Confaloneriorum Italicouulgari, quod tamen non dixeris Vexilliferorum etſi Italicè ſit *Confalone*, quod latinè Vexillum, & *Confaloniere* Vexillifer. Extat in Sel. Del. apud Sueertium, Inſcriptio Regionis Lepidanae ſepulcralis *Alberto Canoſſio* poſita, cuius clauſula eſt *Lucretia Canoſſia Confaloneria moerens marito incomparabili poſ.*

Quae verò nomina componuntur vel ex duplici nomine, vel ex Articulo & nomine, haud aliter tractanda ſunt. Et quidem quod ex duplici nomine, vt familia vulgò *Santacroci*, latinè nec Sancta Crux, nec Sanctae Crucis, nec A Sancta Cruce, ſed cuniunctìm Sanctacrucia. Extat Romae Epitaphium ad S. Gregorij in Coelio, citatum à Sueertio in Select. Delic. Videlicet:

XCIV.

PORTIAE. DRAGHIAE. SANCTACRVCIAE. ROMANAE Matronae lectiſs. integerrimae piae. in pauperes liberaliſs. Cuius Prudentia ſpectata domi. probata Viro fides. nota propinquis alieniſq. affabilitas, iuſtas promerita lacrymas & monumentum eſt. Tarquinius SANCTACRVCIVS Coniux. Patricae Marchio qui cum ea annos VIII. Menſes ac Dies IV. concordiſſimè vixit lugens dolenſq. cum moeſtitudine poſ. Obijt VIII Kal. Martij Anno ſundatae ſal. MDCXIV. Aetatis ſuae circiter LIV.

Ad huius normam, quae vulgò *Baſcapè*, hoc eſt à Baſilica Petri deriuat appellationem, latinè erit gentilis *Baſilicapetrius* aut ad captum vulgi aptius *Baſcapetrius* (in Inſubria eſt genus pernobile) Et *Caſapieri* (Piſis vetuſtiſſimum, ac illuſtriſſimum) non De domo Petri, ſed *Domopetrius*, aut *Caſapetrius*, aut *Caſapierius*. Et *Campiſamperi* Patauij gens patritia, non *De Campo Sancti Petri*, ſed *Campiſamperius*. Et *Settala* (à ſeptem alis in ſtemmate gentilitio) non *A ſeptem Alis*, ſed *Septalius*, aut *Septala* (nec à latina terminatio ne abhorret, vt Panſa &c.) Vtrumque enim in duobus marmoribus legitur Mediolani citatis à Puccinellio in Vita Sancti Senatoris Archiep. Mediol. ex ea familia. Videlicet in altero:

XCV.

VRBANO. SEPTALAE. PATRI. BENEMER
Io. Petrus ſibi & Margaritae Vxori
Poſteriſq. ſuis Viuens P. MDLXXXX.

Cui cohaeret hoc alterum:

XCVI.

SEPVLCRO
IO. AMBROSII. SEPTALII
impoſitum lapidem
Laura Filia & Heres Aſandrius
è LX. Decurionibus Coniuges inſtaurarunt
Anno MDCXXVII

Et Lucenſis familia vulgò *Sandonini* à *Sancto Domninio*, latinè *Sandomninia*, & gentiles Sandoninij, vt in Epitaphio ſuperioris ſeculi.

XCVII.

DOMINICO SANDONNINIO Ingenij praeſtantia. I. C. ſcientia, morum probitate multorumq Virorum Principum gratia clariſſimo. Equeſtriq dignitate inſigni. Multis magniſq. Legationib: feliciter peractis. Redeunti è Norrico à Sarmatiae Regina accerſito. In itinere defuncto An. Sal. MDLVI Aetat. vero ſuae XLIII. Nicolaus SANDONNINIVS aileciſſimo Fratri Poſ.

Idem

Idem in altera non abſimilis cognominis familia, & ipſa Lucenſi, vt indicat Epitaphium in Diui Franciſci *Laurentio Saminiatio* poſitum ab Horatio *Saminiatio*, à Sancto nimirum Miniato voce deducta: Nec dicitur Laurentius Sanctus Miniatus, ſed Saminiatius: vt ſcias quomodo in ſimilibus compoſitis intelligentiae vulgi cum latinitatis decoro inſeruias.

Scilicet ſignificatum ſuum nomina componentia quodammodo perdunt, nec ethymologiam curant, ſed vnam indicare, ac diſtinguere familiam contenta ſunt, adeo vt non modo corrumpantur ſiue ambo, ſiue alterum, vt ſaepè in compoſitione fit, ſed etiam vocem peregrinam admittant cum latina, vt mox dicetur in compoſitis ex Articulo & nomine.

Denique Iacobus Gaddius Elogio *Caſtruccij* è gente vulgo *Caſtracani*, optime cenſuit, vt diceretur latine: *Caſtruccius*, non *Caſtrator canum*, aut *Sector canum*, ſed compoſitè *Caſtracanes*: potuit & *Caſtracanius*. Ioſephus autem Silos familiam à Sancto Seuerino nuncupatam innuens ſic habet: *Aloyſius Sanſeuerinus Biſiniani Princeps*.

Idem obſeruandum in compoſitis ex triplici vocabulo, quòd & ex duplici: Sic Qui *A Caſtro Sancti Petri* Italicè *Caſtelſanpietri*, latinè erit *Caſtroſanpetrius*, ſeu *Caſtelſanpetrius*. Ita de ſimilibus.

Iam quae ex Articulo conflantur & nomine, haud aliter tractanda. Ita enim eruditi Martinum vulgò *Del rio*, nobiliſſimum Scriptorem è Soc. Ieſu appellant *Delrium*, ſiue *Del-rium* interpoſita virgula, quae compoſitionem indicet, & ambiguitatem vocis intercipiat. Cuius exemplo non dubitet appellari *Flauius* vulgò *Del Torto*, *Deltortus*, vel *Del-tortus*, vel *Deltorteus* &c. Et quia Florentiae familiae ſunt duae quaſi cognomines, *Ricci*, & *Del riccio*, re tamen & ortu diſcrepantes: idcirco dicetur v. g. *Antonius Riccius*, & *Riccius Riccieius* de priore: de poſteriore autem *Antonius* vel *Riccius Delriccius*, ſeu *Del-riccius*. Exemplum bonae notae ſuppeditat Franciſcus Pola, Antiquarius quidem affectatiſſimus, latinus tamen in pleriſque: A quo familiae nomen vulgare *Del bene*, compoſitis vocibus ita effertur in Elogio Auguſtini. Videlicet:

XCVIII.

SERENISSIMO
PRINCIPI . SENATVIQ.
REIP. VENETAE
AVGVSTINVS DELBENIVS
QVALEMCVMQVE . HVNC . TRACTATVM
QVEM . VERITATI . CONSECRAVIT
DICAT . DEDICAT
D . N . M . Q . E

Miror verò Polam eundem, qui aſperiorem vocem latinè mitigauerat, in faciliore & planiore recrudeſcere, in illa nempe Inſcriptione

Bono

XCIX.

Bono Euentui, & Felici
S i.e. ſacrum
Pro Itu & Reditu
Auguſtini Delbenij, & Hieronymi * Veritatis
Magnificentiſs. Legatorum
Qui
A Re Veronenſium Publica
Venetias miſſi gratulatum
Sereniſſimo omnium Principi
LEONARDO DONATO
Se in Viam dedere
Quarto Nonas Maij MDCVI
Maxima Principum Ciuium caterua
Sumptuoſo Apparatu & Regio
Franciſcus Pola
Legatorum Patriae Principis
Amantiſſimus P.

Quod enim Italicè *Verità* de familia dicitur, hoc latinè, non *Veritas* ſubſtantiuè, ſed denominatiuè *Veritates*, vel *Veritaus*, vel *Veritatus*, vel aliter ad veterum analogiam.

Vt ergo iam occurramus corruptelae noſtratium Italorum, ſuprà damnatae animaduertere oportet, peregrinam eſſe Latinis formulam illam, ideſt Hebraicam, ſeu potius Syriacam: vt dicatur *Simon Ioannis* (Euang. S. Io. Cap. XXI.) & illud: *Ioſeph qui fuit Heli, qui fuit Mathan, qui fuit Leui* &c. vſque ad: *qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit Dei* (Euang. S. Luc. Cap. III.) Graecorum item phraſim eſſe, vt Ἀλέξανδρος τοῦ Φιλίππου, *Alexander Philippi*: Ἠλέκτρα τοῦ Ἀγαμέμνονος *Electra filia Agamemnonis*. Imo & Arabum eſſe adnotat Iul. Caeſar Scaliger de Cauſ. ling. Lat. lib. IV. Cap. XCII. Obſeruandus eſt autem Quintilianus praecipiens (Inſtit. Orat. lib. I. Cap. V.) *Mihi autem placet Latinam rationem ſequi, quouſque patitur decor*. Patitur autem decor, vt quae nomina familiarum Etruſcis in I deſinunt nos latino more terminemus in *ius*, aut *eius*, aut alio ex allatis modis quemadmodum Romani propagatos ab Iulo, non *Iuli*, ſed *Iulios* appellabant ſic à luce non *luci*, ſed *lucios*, & *luceios* &c.

Dices, ellipſim fieri, dum dicimus latinè *Antonius Altouiti*, ſcilicet ſubintellecto *Filius* aut *Nepos*. ſubijcieſque auctoritatem Oberti Giſanij (in Appendice Obſeruat. in ling. Lat.) vbi haec habet: *Vxor, Filia, Filius, Libertus, Seruus, Pellex, vel ſimile omiſſum*. At ibi Obitius nihil probat amplius, quàm de Vxore: ex Horatio lib. II. Satyra I.

Canidia Albuti, quibus eſt inimica venenum Albuti (ſubintellige) Vxor. Et ex Plinio lib. XXVIII. Cap. XII. *Poppaea hoc Neronis Principis inſtituit*. (ſubaudi *Vxor*) Nam locus Ciceronianus pro Domo. ibi feriatur: *Non tam inſolens, quam, qui Mineruam foues, eſſe ſororem exiſtimem*. Legitur autem incorruptè ad rem noſtram apud Manutium ita: *Non tam inſolens ſum, qui Iouem eſſe me dicam: non tam ineruditus, qui Mineruam Iouis ſororem, meam eſſe ſororem exiſtimem. Sed tamen* &c. Nam ſi forte legendum eſſe contendat: *Qui Mineruam Iouis, meam eſſe ſororem exiſtimem*, non obtrectabo: Verumtamen praeter exempla de vocibus Vxoris, & Sororis ſubintellectis, deſideramus de caeteris quoque in titulo propoſitis, praeſertim de Filij, apud Latinos ſcriptores. Ac Vxoris quidem exempla in antiquis Inſcriptionibus occurrunt, vt apud Gruterum pag. DCVII. num. 2.

C.

DIS . MAN
ARTEMISIA
CAESARIS
VIXIT . ANN. XXX
HOREA . FILIA
MATRI
BENEMERENTI
FEC

Ad cuius normam cuſa fuere antiquitùs Numiſmata vt apud Sebaſtianum Erizzum, cuius facies auerſa exhibet caput foeminae cum literis circumſcriptis: SABINA . AVGVSTA . HADRIANI . AVG. P. P. id eſt *Vxor Hadriani Auguſti Patris Patriae*. Oberti autem locum obiectum eludimus de facili; Nam omittantur licet voces illae omnes ibidem enumeratae, & cùm in ſanguine filios comprehendant, nulla tamen inter eas de Nepotibus eſt, & à Principe gentis per gradus deinceps ſanguinis deductis poſteris: Neque ſi tu dixeris Antonium Altouiti, ſciam, vtrùm Filium ſubaudias, an vnum ex genere longe ſatum. Aliam igitur intelligi oportet Etruſcam dialectum, aliam Latinam, nec aberit ab vſu latino, ſi multa etiam Etruſcè in *I*, terminentur in *us*, vt *Altouitus*, *Ricaſolus*,

Albizus

Albizus, Montus, Bardus, & quaecque in *us* impurum deflecti poſſunt. Nam *Medici, Ricci* & ſimilia non vertam in *Medicus, Riccus* &c. cùm ex variante pronunciatione literae, c, ante vocales i, & u, communis intelligentia hebetetur.

Nunc ab Etruſcis tranſgrediamur ad alios: Ad Germanos primùm; quorum etſi nomina Gentilia, aequè atque Propria auſterè deſinant, mitigatio tamen ad latinitatem eſt prompta. Vt ſi *Nicolaum*, pro *Micault* dixeris *Micaultum*, correxeris Epitaphium Bruxellenſe in Templo Maximo, quod citat inter Brabantinas Inſcriptiones Franciſcus Suueertius: Et pro *Martino Cools*, legas *Coolſo*; ibid. citat. Et pro *Henrico SterckKe*, legas *SterckKeo*, vel *SterckKaeo*, ibid. Et pro *Iacoba Gauris*, legas *Gauriſa*, ibi. Et pro *Helena De l'Eſpinee*, legas *Eſpinea*, ibi in Diuae Mariae. Et ad Franciſcanos, pro *Cornelia Verheylevveghe*, legas *Verheyleuueghea*. Et ad Carmelitas, pro *Maria A Naſſau*, legas *Naſſaua*. Ita alibi pro *Stermberg, Kolobrath, Cernin, Traudis, KinsKi* &c. dicas *Stermbergyus*, vel *Stemberges*; *Kolobrathius*, vel *thes*; *Ceruinius*, vel *nines*; *Traudiſius*, vel *diſes*; *KinsKius*; *Maria Coppins*, *Coppinſia*; *Catharina Breugel Breugelia* &c.

De Hiſpanicis eadem cenſura, vt pro *Coronado*, *Coronatus*, vel *tes*, vel *des*, vel *tius*, vel *dius*: *Vaſquez*, *Vaſquezius*, vel *zes*: *Suarez*, *zius*, vel *zes*; *Caſtaneda*, *nedius*: *Iuagnes* autem vti Medices terminationem ſeruat latinam, ſed variandum more tertiae declinationis. Vt in Auguſtano marmore apud Suueert. in Select. Del. *Alphonſo Gonzali de Meneſes*: hoc autem de Meneſes originis eſt: meliùs tamen *Meneſeſius*, vel *Meneſenus*: *D'Aragona*, *Aragonius*, vel *nes*: *A Caſtro*; *Caſtrius* &c. Duae in hanc rem citantur Inſcriptiones à Suueertio inter Brabantinas, quarum altera alteram caſtigat. Prior eſt ſepulcralis, Videlicet:

CI.

*FERDINANDVS * XIMENEZ PERETA LVSITANVS*
Sacrae & illuſtriſſimae Militiae S. Stephani Eques Commendatarius Sibi, Annae * Lopez Coniugi. Roderico Nonio * Ximenez Fratri eiuſq. Coniugi Graciae * Rodrigez Ac Liberis, totiq. in poſterum familiae * Ximeniorum * Pereta. Hoc ſepulturae perpetuae monumentum Viuens P. C. Anno MDXCIII.

Adeo ſe ipſa caſtigat, ne dum alteram ſequentem. Nam cum poſtremò dicat *familiae Ximeniorum*, quid ni etiam ſuprà, Ferdinandus Ximenius pro *Ximenez*, & pro *Lopez*, & *Rodrigez* ſimiliter. Sed & *Pereta* cur non inflectatur per primam declin. *Ximeniorum Peretarum?*

Altera eſt in baſi ſub ſtatua Ferdinandi (vulgò: *Aluarez*:

CII.

*FERDINANDO * ALVARESIO A. TOLEDO. ALBAE. DVCI*
Philipi II. Hiſpaniarum apud Belgas Praefecto. Quod extincta ſeditione, Rebellibus pulſis, Religione procurata Iuſtitia culta Prouinciae pacem firmauit, Regis Optimi Miniſtro fideliſſimo Poſitum.

en vt alteri modum praeſcribit alterum, quo peregrinitas tollatur. Hic offert ſeſe emendanda Epigraphe recens in fronte Arcis quae eſt ad fauces Volturrenae Vallis in finibus agri Mediolanenſis. Videlicet:

CIII.

SVB. PHILIPPO. III. HISPANIARVM. REGE
D. PETRVS. HENRIQVEZ. AZEVEDIVS. COMES
DE. FVENTES. HVIVS. STATVS. GVBERNATOR
PROPVGNACVLVM. HOC. A. FVNDAMENTIS
EREXIT. AN. MDCVI.

Cuius

Cuius tamen barbariem emendatam facile reddit Sigiſmundus Boldonius frater in ſuo Lario, de hac Arce ſic habens. *Illum vnum* (tumulum) *arduum prae caeteris, ac difficilem, qui mediam Vallem* (Volturrenam) *obſidet, Petrus ENRIQVEZIVS Mediolanenſis PROVINCIAE Regius Adminiſtrator impoſita munitiſſima Arce, quam ex ſuo nomine FONTEIAM appellauit, & late obſtructo molibus aditu aduerſus irrumpentes in Italiam barbaros firmiſſimum propugnaculum eſſe voluit.*

Non abſimilem operam collocabis in Gallicis moderandis. V. g. *Philippus Kerleau*, dicetur *Kerleauus*, emendatumque fiet Epitaphium Pariſienſe citatum à Franc. Suueertio in Select. Orbis Delic. Ita *Robertus Daube*, dicetur *Daubeus*, caſtigato alio Epitaphio ibid. cit. Et *Ludouicus Gaytant*, quidni latinè *Gaytantus*, vel *tes*? In alio ibid. Epitaphio metrico. Et illa celebria, *Valois*, dic *Valeſius*, aut *Valoiſius*; De Sales, dic *Saleſius*; *Cardon*, *Cardonius*; *Henault*, *Henaultus*; *Retz*, *Retzius*. Non eſt ſilendum exemplum de nomine familiae vulgò *Volant*, in Epitaphio Pariſienſi, quod refert in Select. Delicijs Suueertius. Videlicet:

CIV.

Pijs dormientium Animis
Nobili Viro Ioanni Volantio quondam Neuſtriae Quaeſtori
diligentiſſimo Regiaeq. Aulae A Secretis fidelissimo Coniugi
ſuo chariſſimo Izabella Bruna in certam Reſurrectionis
ſpem fieri curauit M D L V I.

Idem de Anglicis ſtatues: quorum exemplum vnum ſit inſtar omnium, quod legitur de clariſſima familia *Douuglas* apud Suueertium in Delic.

CV.

Memoriae ſacrum
MARGARETAE. DOVVGLASIAE. MATTHAEI. STVARTI
Leuenoſiae Comitis Vxori. Henrici VII. Angliae Regis ex
filia Nepti. Potentiſſimis Regibus cognatione coniunctiſſimae
Iacobi VI. Scotorum Regis Auiae, Matronae ſanctiſſimae
Moribus & inuicta animi patientia incomparabili P.

Hominis nominibus peregrinis, & locorum idem cauetur. Hoc tenuit Hadrianus VandenbroccKeus, Elogio de D. Hieronymo Dalmata, vbi vocem Hebraicam Bethleem inflectit latinè *Bethleemium*, *mij*. Idem in reliquis.

Interdum tamen peregrinam terminationem neceſſitas retinet, vbi fit alluſio ad locum Scriptoris minus purae latinitatis; praeſertim ſi locum totum interſertari ſententia ipſa ſuadeat. Quod non infrequens eſt in Sacris, atque Poetis. Cuius rei Elogiaſtes politiſſimus noſtri temporis Aloyſius Iuglaris paradigma exhibet Elogio II. de Chriſto IESV; inquiens; *Virga IESSE vel in miraculis naturam obſeruans, datura fructum in hyeme, florem concepit in Vere*. Alludit autem ad illud Iſaiae Cap. XI. *Egredietur Virga de Radice Ieſſe*: quod ſi latina inflexione dixiſſet *Virga Ieſſis*, ſubobſcurum reddidiſſet argumentum.

Non erit ab re indicare controuerſiam inter eruditos ortam Mediolani, quo tempore exceptus ibi fuit apparatu magnificentiſſimo, & planè Regio Ferdinandus Infans Hiſpaniarum, Philippi Regis germanus, & S. R. E. Cardinalis: Vtrùm is Auſtrius appellandus, an ne Auſtriacus? Nam legebatur vtrumque inſcriptum Arcubus excitatis cùm Mediolani, tùm Ticini, quae Vrbs Muſaeum Inſubriae eſt, ac ſummorum ingeniorum patria. Porrò meliorem partem audiuimus praeferre *Auſtrium*: Vt enim (aientes) ab Italia Italus nuncupatur tam incola priuatus, quàm Princeps regnans: Res verò

ad

ad Italiam ſpectans, Italica: *Italicus ſermo*, *Italica conſuetudo*, *Italicum regnum*: Non ſecus à Vento Auſtro (vt putat Lazius in Comment. rerum Viennen.) Auſtria Regio dicta Hominem Auſtrium (non Auſtrum, vt à Vento diſtinguat) denominat incolam, atque Principem: Auſtriacum autem Imperium, morem, ſanguinem. Ergo (inſerebant hi) dicendus eſt *Ferdinandus Princeps Auſtrius*, Et *ſanguine cretus Auſtriaco*, *ſeu Auſtriorum Principum*. Quorum quidem ſententia pedarios cum pleriſque nos habuit: Quamquam tutiùs viam aliam inire placeret, vt *ab Auſtria* nuncupatio fieret, vnde & origo: ſic *Ferdinandus ab Auſtria*, ſeu *de Auſtria*, ſubintellige *oriundus*, vel *ortus*, vel *natus*, ſic enim loquitur Liuius Dec.I. lib.I. *Turnus Herdonius ab Aricia ferociter in abſentem Tarquinium erat inuectus*: hunc autem quem *Ab Aricia*, paulò poſt Aricinum dixit *Haec Aricinus in Regem Romanum increpans ex concilio abijt*: Virgilius quoque initio lib.III. Georg.

Te quoque magna Pales & te memorãde canemus
Paſtor ab Amphryſo.

ab Amphryſo fluuio Theſſaliae, à quo accola eſt Amphryſius dicitur. Hyginus apud Scioppium: *Theſeus ab Athenis*: *Amphidamus de Arcadia*, pro Athenienſis, & Arcas. Ita pro *Auſtrius* & *Auſtriacus* reddetur latinè *Ab*, vel *De Auſtria*: Ita *A Monte*, vel *De Monte* pro *Montius*. Cuius quidem extat Mediolani exemplum in marmore ſepulcrali, in D. Michaelis (vulgò) ad Gallum, teſte Puccinellio. Videlicet:

CVI.

HIC . IACET . D. IACOBVS
DE . MONTE . QVI . OBIIT
DIE . XV . APRILIS . MDL.
XXXV.

Vbi ſubmoto Domiui titulo, qui nobilitatem indicat gentis, purgata erit Inſcriptio, cognomine gentilitio latinè tractato. Nec perdes operam ſimili obſeruando Epitaphio ex agro Mantuano per Puccinellium exſcripto in Diui Benedicti; his literis:

CVII.

LVCRETIA . PICA . ARRAGONA
DE . APPIANO . MONTISAGA . CO-
MITISSA . SARCOPHAGVM . HOC
LOCO . SIBI . ET . GERARDO . FELI-
CI . ARRAG . DE . APPIANO .
MONTISAGA . COMITI . CONIV-
GI . CARISS. F. C.

Vbi obiter exponendum videtur, cognomen huiuſce gentis, dominatumque eodem referri, ideſt ad Appianum Montiſagam: conſtructionem verò praepoſitionis *De* cum caſu ſuo pendere à praecedente nomine proprio, cui ſcilicet adiungitur gentilitium ad formam latinam ſuprà indicatam: ſupprimi autem repetitionem eiuſdem loci, poſt voces *Comitiſſa*, & *Comiti*, quae fuiſſet *Appiani Montiſagae*, non *de Appiano* &c. quod velut barbarum notamus infra Claſs. III. Memb. IV. in voce *Dominus*.

Nonnunquam ambiguitatis tollendae cauſa Praepoſitio *De* cognominibus adhibetur, vt in Epitaphio ſuperioris ſeculi ad Sublacum in Diuae Scolaſticae.

CVIII.

LVDOVICAE . CAPVTAE . DE . COMESTABILIBVS
VITA ATQVE MORIBVS ORNATISSIMAE. QVAE DVM
PVLCRIORI AETATE FLORERET, CELERI MORTE CVM OMNIVM
DOLORE SVRRIPITVR. DIE XXIX. MAII MDXLIV.
IOANNES BAPT. VXORI OPTIMAE POS.

Si lachrymis decoranda nouis generoſa puella,
Haec vna eſt lachrymis condecoranda nouis.
Sin deflere nefas tam rarae funera vitae
Haec eadem ſiccis vna adeunda genis.

Siquidem Comeſtabilis vna eſt ex profanis dignitatibus: ne ergo videretur indicari Dignitas, ſed cognomen gentis dumtaxat, *Ludouicae Caputae* non *Comeſtabili* ſed *De Comeſtabilibus* debuit inſcribi. Conſimili forma vtendum in Cognomine Gentis vulgò *Redahello* apud Inſubres nobiliſſimae, vt dicamus *Iacobum De Regibus Helli*, vel *Regem de Hello*, quod huiuſmodi alijs normam dabit: ſic gentilem non *Siccum* ſed *De Siccis*, niſi magis *Siccium* appellabis: non *Longum* ſed *De Longis* aut *Longium* &c. Occaſionem hic locus dabit expendendae formae illius

illius monumenti, quod apud Petrum Iacobum Baccium in Vita S. Philippi Nerij citatur, inditum laminae plumbeae ſundamenris Sacelli Romae aedificati immiſſae; ſic enim habet:

CIX.

SACELLVM HOC IN HONOREM B. PHILIPPI NERII FLORENTINI
CONGREGATIONIS ORATORII FVNDATORIS
* NERVS DE NIGRIS NOBILIS FLORENTINVS
OB SINGVLAREM IN BEATVM VIRVM PIETATEM
A FVNDAMENTIS SVIS SVMPTIBVS MAGNIFICENTISSIME EXTRVENDAM CVRAVIT
ANNO IVBILEI MILLESIMO SEXCENTESIMO MENSE IVLIO
DIE OCTAVA FESTI SS. APPOSTOLORVM PETRI ET PAVLI CLEMENTE VIII. PONT.
PONTIFICATVS ANNO NONO

Cur autem *Nerus de Nigris*, quem Scriptor Vitae nominat *Nero del Nero*? Aut enim Niger de Nigris, aut Nerus de Neris, aut Nerus Nerius, aut Niger Nigrius: vt & Grammaticorum declines, cenſuram, & heredum ac poſterorum lites.

Membrum III. de Nominibus Quaeſititijs

QVaeſititia pro Cognomentis interpretamur, extrinſecùs adquiſitis euentu, vel habitu corporis, vel huiuſmodi. Quae quomodo latinè tractanda, vtendum diſtinctione videtur; Aut enim apud Latinos veteres illa quandoque vſurpata ſunt; vt quia Domitius à barba flaui ſeu aenei coloris cognominatus vulgò fuit Aenobarbus; ita Fridericus I. Imperator vulgò noſtratium *Barbaroſſa* Aenobarbus latinè erit, non *Barbaruſſa*. Aut apud recentes dumtaxat auditum eſt cognomentum, illud omninò eſt tenendum, inclinatione tamen latina; praeſertim ſi latina voce minùs expreſſeris; vt qui à corporis breuitate apud Inſubres nuncupatus fuit *Pizzinino*, nequaquam par erit reſpondens latinè vocabulum *Paruulus*, aut *Puſillus*, ſed *Pizzininum* cum addito vulgaris appellationis efferri poſtulabit notitia huius hominis: vt ſcite legimus in marmore Templi ſummi Vrbis Mediolani, cuius exemplum à Puccinellio accepimus, videlicet:

CX.

QVI . AD . HANC . DEI . GENITRICIS . ARAM
EFFVNDENDA . PRECE . ACCESSISTI
NICOLAVS . OB . CORPORIS . BREVITATEM . COGNOMENTO . PIZZININVS
TE . ORAT
PHILIPPVS MARIA LIGVR IMPERATOR QVI ME TOTIVS EXERCITVS
PRAEFECTVM CONSTITVERAT
VT IMMENSIS LABORIBVS AC FIDEI ILLIBATAE SIBI PER ME PRAESTITAE
GRATIAM REDDERET
HOC IN LOCO DONEC SOLEMNI PYRAMIDE CONSTRVCTA IN ALTVM PROFERRET
CORPVS MEVM HVMARI MANDAVIT
PYRAMIDE APVD * ARBORIS ARAM INCHOATAM IMPERATORE AD SVPEROS ELATO
DEMVM DESTRVCTA
VNA CVM FRANCISCO FILIO EXERCITVS MEDIOLANI VNICO DVCE
IVXTA ME POSITO
OBLIVIONI TRADITI SVMVS
MISERERE NOSTRI
MCCCCXL. IV. OCTOBRIS PATER
MCCCCXLIX. XVI. OCTOBRIS FILIVS OBIIT

* Arboris Aram intellige, cui Arbor aenea in ramos ſuſtentanda multiplici lampade ſeſe expandens dedicata eſt, opus cum materia tum arte in primis viſendum.

Ad

Ad Claſſem II. & conſequentes Paroeneſis

ANtequam vocum nouatarum excuſſionem adeamus, erit induſtriae pretium, ſolemnem apud Rhetores quaeſtionem de Verbis nouandis attingere, per quam dehinc ad poſitiones noſtras facilior patefiat acceſſus. Sic ergo ſtatuimus: Etſi bono adhuc ſeculo florens Quintilianus illud praeceperit, lib. I. Cap. V. *Vſitatis* (verbis) *tutiùs vtimur, noua non ſine quodam periculo fingimus*; cum hoc tamen conuenit Ciceronis placitum, De Fin. lib. III. ſub initium; qui cum Bruto diſſerens de Stoicis haec habet: *Stoicorum autem non ignoras, quàm ſit ſubtile, vel ſpinoſum potiùs diſſerendo genus, idque cùm Graecis, tùm magis nobis, quibus etiam verba parienda ſunt, IMPONENDAQ. NOVA NOVIS REBVS NOMINA*: tùm dictum expoliens ſuum, *Quod quidem* inquit *nemo mediocriter doctus mirabitur cogitans, in omni arte, cuius vſus vulgaris, communiſque non ſit, multam nouitatem nominum eſſe, cùm conſtituantur earum rerum vocabula, quae in quaque arte verſentur*. Quo ex loco firmum illud habemus conſequens; Vbi ex antiquis boni ſeculi Scriptoribus vocabulum nullum ſuppetit, quo rem nouam, ſequioribus videlicet natam ſeculis commode ſignificemus, nouum haud dubiè audendum eſſe vocabulum. Quo quidem in numero cenſenda ſunt (vt tradit Folieta II. de Vſu ſerm. Lat.) nomina Montium, Fluuiorum, Vrbium, ac Regionum poſt linguae latinae interitum nouata. Siquidem ita obſeruauere optimi veterum Scriptorum, Liuius in primis Tarracinam, & Narniam Vrbes nouis appellans nominibus, cùm antè Romanis fuiſſent Anxur, & Nequinum. Connexum hinc eſt, cùm Politiae forma noua in re ſacra, in profana, viuendi item, & agendi inter mortales ratio inuecta fuerit, vt multa ſimul nouarentur vocabula, ſiue è Graecis accita in Latium, ſiue de integro facta ad normam tamen per Artis magiſtros traditam: Aliarum quoque rerum vſitata Romanis nomina ſi fuerint nobis incognita, cogunt equidem noua imponere; vt factum eſſe intelligimus exempli cauſa de Lupo piſce, de quo Paulus Iouius in Larij Lacus deſcriptione vſui vulgari ſeſe accommodans ſic habet: *In Larium effunditur Bleſia flumen, & lapideo ponte oblongo, & frumentarijs molis, & in oſtio TROCTAE piſcis captura inſignis. Eum piſcem antiquitùs LVPVM fuiſſe, in libro de Romanis piſcibus abundè monſtrauimus*.

Iam quatuor nouandi modos praefiniunt Rhetores, Imitationem, Inflexionem, Adiunctionem, Tranſlationem. De quibus Vincentius Gallus fusè, ac diſertè in ſuo RHETORE, lib. III. Cap. IV. Nos quatenus inſtituti ratio poſtulabit.

Prima Imitatio, quae & ſimilitudo & Analogia in verbis nouandis fit, vt, quia à *Sapio* fit *Sapientia*, ita à *perſpicio* dixit Cicero *Perſpicientia*: & vt à *Paueo Pauor*, ita à *Faueo Fauor*. Vt *Feruesco*, ita Virgilius *Iuueneſco*, *Igneſco*, *Seneſco*: Vt *Graecari* (i. e. Graecorum more vacare conuiuijs & libidinibus) ita Ennius *Poëtari*, & Diuus Hieronymus *Rhetoricari*, & Cicero *Philoſophari*, Horatius *Iuuenari*, Plautus *Vulpinari*: Vt *Laureatus*, ita optimi Scriptores *Nummatus*, *Scutatus*, *Pileatus*, *Perſonatus*, *Laruatus*. Nec ſine neceſſitate, cum Imitatione autem dici recens videtur *Vniuiratus*, vt *Duumuiratus* ac *Triumuiratus*, in Epitaphio apud Franc. Sueertium in monumentis Brabantinis

CXI.

FELICI . MEMORIAE
CATHARINAE . * BOOT
QVAM VIRGINEM VITTA VINXIT
INTEGRITAS
PVDICITIA MATRONARVM INFVLA
GVLIELMO BERDINX *
CONIVGEM CONIVGI PROBAVIT
VIDVAM AB AN. AETAT. XVIII. AD VSQVE XLVIII
VNIVIRATVS GLORIA
RARVM IVVENILIS SANGVINIS DECVS
POSTERIS COMMENDAVIT
DEVIXIT XI. APRIL. A. S. MDCIX

* lege meliùs *Bootae*

* *Berdinxio*

Vniuiratus enim quamquam hoc loco Vnius viri coniugium ac nuptias ſignificet : *Duumuiratus* autem Magiſtratum duorum virorum ; par tamen videtur Viri in Vxorem, atque Magiſtratus in Ciues poteſtas ad regimen : Neque ſpernendae eſt auctoritatis Tullianus de Monogamia ſic loquens : *Fortunae muliebri coronam non imponit, niſi vniuira*, hoc eſt ignara ſecundarum nuptiarum. Rectè quoque Muretus Orat. I. de Theol. *Duodecemuiros* poſuit pro Apoſtolis duodecim, eorumque ordinem alter Orator *Duodecimuiratum*, & *Duodemuiratum*.

Cauendum autem illud in primis, nec abutamur Analogia, in quod facile offendunt, qui latinitatem copioſiorem, locupletioremque ſynonymis prodere affectant, quàm ipſius florentis, atque vel affectae ſecula poſteris reliquerint. Audiendus omnino Quintilianus lib. I. Cap. VI. cuius haec ſunt: *Sed meminerimus non per omnia duci analogiae poſſe rationem*: Et: *Non enim cùm primùm fingerentur homines, Analogia demiſſa Caelo formam loquendi dedit; ſed inuenta eſt poſt quàm loquebantur, & notatum in ſermone quid quo modo caderet: itaque non ratione nititur, ſed exemplo; nec lex eſt loquendi, ſed obſeruatio; vt ipſam analogiam nulla res alia fecerit, quàm conſuetudo.* Ex hoc praecepto ſummi Rhetoris monemur, neceſſitate dumtaxat interueniente, aut nouis in rebus fas eſſe voces ex analogia nouas cudere; Quare quòd à *Sanctus* fit *ſanctitudo* & *ſanctitas*, non licebit mihi deducere à *Gratus Gratitudo*, & ab *Ingratus Ingratitudo*, cùm neque noua ſit, noſtroue ſeculo nata res, quam huiuſmodi voce ſignificandam habemus, & alia ſignificatam veteribus conſtet, qui gratum, ingratumque animum dicebant. Veteres autem intelligimus non illos modò aetatis aureae, ſed ſubſequentium quoque argenteae atque aeneae adeo vt ſynonyma probari poſſe vltrò concedamus, quae boni Scriptores quàm ante latinae linguae ſenium, tàm proximè poſt interitum veſtigijs priorum inſiſtentes vſurpauerint. Verùm ſuper his vocibus *Gratitudo* & *Ingratitudo* fuſiùs diſſeremus Claſſe VII. de Didaſcalicis Membro XXII.

Ad imitationem reuocatur Onomatopeia, qua nomen ex imitatione formatur ſoni alicuius rei, vt apud Ennium *Taratantara* pro tubae ſono.

Secunda Inflexio, qua voces aliter, atque aliter gignuntur. Quaedam enim poſſeſſionem ſignificant, ita à *locutione* inflectitur *locutuleius* pro homine linguace, ſeu lingua prodigo, & infraeni : A *Menio* autem *Menianum* opus pergulis extra aedificium productis, inuentum à Menio. Quaedam diminutionem, ita à *Cor Corculum*, à *Bellus Bellulus*, à *Puer Puellus* & *Puellulus*; à *Suauium Suauiolum*. Conſule Voſſium in ſuis Inſtit. Orat. Hinc tuebimur vocabulum nouum *Carrocium*, imperio barbarorum in Italia excogitatum, quo nimirum exprimebatur nouae cuiuſdam formae carrus caſtrenſis, in quo defixum vehebant Imperatorium ſignum; ſeu vt Voſſius inquit (legit autem cum aſpiratione *Carrochium*) Currus caſtrenſis, in quo ſuper pertica, vt procul cerni poſſet, figebatur Praetorianum vexillum : ſeu, vt exactiùs deſcribit Ioſephus Laurentius in ſua Amalthea onomaſtica, is erat carrus editior, coccineo obuelatus panno, in cuius medio vexillum pendens è pertica, rubra Cruce interſectum, ternis bobus concoloribus tractus. Haec Laurentius. Auctorem verò Carrocij primum tradit fuiſſe Aribertum Archiepiſcopum Mediolanenſem, Placidus Puccinellus Parte II. Zodiaci Eccleſiae Mediol. in Vita S. Dionyſij ſub finem : A quo non diſcrepans Io. Petrus Gluſſianus in Vita Diui Caroli lib. VII. Cap. XIV. *Carrus* ait *praegrandis celſum attollebat iugum, vndiqueuerſum ſeſſile, cultuque fulgens barbarico. In eo vectari Ciuitatum foederatarum ſigna, ac veluti è communi tribunali, ex eo ius dici per Tribunos, & Principes vniuerſo exercitui. Ipſum porrò tuebantur quanta maxima cura, firmiſſimoque praeſidio : quippe vbi in hoſtium ceſſiſſet manus, actum de totis putabant foederatorum copijs. Hoc inuentum Mediolanenſibus debetur, quo illi & Socijs armorum ſuorum fidem inconcuſſam teſtabantur; &, ne proni ad fugam eſſent, admonebant, quam mox iactura conſequeretur Carri, quippe difficilis tractu, etſi iugo boum multiplici iuncto.* Quemadmodum autem *Negocium*, ita *Carrocium*. Eſt praeter Iacobum Gaddium, qui hac voce vſus eſt in Elogio Oratorio de Caſtruccio, vbi triumphum deſcribit Caſtracanis, etiam alter Elogiaſtes noſtra memoria, ſin minus nitidus, eruditus certè, Marcellus Buttilius in nuptiali pompa Ducis Parmenſis hanc pangens Epigrapham

PARMENSES

CXII.

PARMENSES
SECVNDO A FEDERICO
DVRAM PER BIENNIVM OBSIDIONEM PASSI
EXTEMPORALI ERVPTIONE
CAESAREIS CASTRIS INCENSIS, AC EXCISIS
IMPERATORIS
CARROCIO, CORONA, SCEPTRO, PALVDAMENTO
POTIVNTVR.

Scilicet res noua militiae nouo fuerat donanda vocabulo; quamquam inflexione dumtaxat nouo, quod à *Carro* latinè dicto deducitur.

Tertia Adiunctio, quae bifariam ſumitur, ideſt pro Compoſitione, vel pro Epitheto. Compoſitio fit primùm è duabus in vnam vocibus, ijs ſiue integris, vt *Senatuſconſultum*, *Reſpublica*, *Iusiurandum*; ſiue ambabus corruptis, vt *Mellifluus*; ſiue priore integra, poſteriore corrupta, vt *Paterfamilias*, *Extorris*, *Signifer*; ſiue corrupta vna, altera integra, vt *Graecolatinus*, *Pellucidus*. In antiquis marmoribus frequens eſt *Seuir* à *Sex*, & *Vir*: fuitque titulus illorum, qui praeerant vni ex Decurijs Equitum Romanorum, quae ſex numerabantur. Apud recentes Elogiaſtas vox *Trinunus*, nomen Dei immortalis nobis Chriſtianis cogniti, ex *Trinus*, & *Vnus*. Adi Brabantina monumenta per Franciſcum Suueertium collecta, in queis non ſemel occurrit titulus TRINVNO SACRVM, cui conſonat Graecè ΜΟΝΟΤΡΙΘΕΟΣ, quod latinè foret *Vnitrinodeus*, vox adhuc inuſitata, ac minime neceſſaria, vt vbi iam illa ſuppetit approbata eruditis.

Vitanda porrò Adiunctio ex pluribus, quam duobus, nimirum ex Graeca ſolùm licentia, nam Latinis obſoletam ſapit antiquitatem, ſermoniſque venuſtatem corrumpit: Quo ex genere ſunt *Cuiuſcunquemodi*, & de Neſtore *Dulcioriloquus*, *Triſeclinex*, pro *Dulci ore loquens*, *Trium ſeculorum ſenex*: Et *Solitaurilia*, ideſt ex Sue, Soloce, Tauro (Solox pecus lana contectum, ſeu intonſum veteribus) Illud etiam ad monſtri quadricorporis Graeciam feſtiuè ludens, *Incuruiceruicumpecus*, quae vnica eſt, inquit Scaliger, Dictio: Et in Antologias lib. I. Epigram. quod ex Graeco θηροζυγοκαμψιμέτωπος, latinè redditur *Feriflectifrontijugus*: quippe nouandis compoſitione vocibus tam felix Graecia, quàm audax fuit. Cuius quidem ſi quis auet conſpicere exemplum exemplo omni carens, id apud Ariſtophanem Comicum (citat Voſſius in Inſtit. orat. lib.VI. Cap.IV. num.I.) nimirum vocem vnam ex vndeuiginti conflatam vocibus, ſyllabis autem conſtantem) Briareum dices locutionis) ſeptem & ſeptuaginta, adeo vt ſex ipſis carminibus fabricandis par ſit.

Verùm ne ſemper quidem latinis Scriptoribus permiſſa ex duabus vocibus adiunctio, quia poëtis dumtaxat libera. Nam *cerua ſyluicultrix*, *aper nemoriuagus* dictum Catullo fuit; *mare veliuolum* Virgilio; *Memnon nocticolor* Naeuio. Repete initium huiuſce libri de Verborum Humilitate.

Hybridae quoque voces excluduntur, hoc eſt ex diuerſis linguis formatae, v. g. ex Graeca & Latina, vel contrà, niſi fuerint priſcis latinorum vſitatae, aut recèns ad illarum exemplum compoſitae, quod tum quidem licuit, cum aliae non ſuppetunt rei ſignificandae meliores. Quare patronum ſibi quaerant illae *Archipraeſul*, *Protomiles*, *Protopontifex*, *Pſeudopontifex*, quas ſuis intrudunt ſcriptis boni caeterà Elogiaſtae, honoris ergo haud hic nominandi. Primùm enim *Archipraeſul* inuenitur nouata ferreo ſeculo, ideſt Anno Salutis DCCCLI. in Epitaphio (apud Caeſarem Baronium in Annal. Eccleſ.) Barij in Apul. *Angelarius Archipraeſul Canuſij attulit huc corpus S. Sabini* &c. Meliùs verò ſeculum quaerendum nobis, vnde locutionem petamus. *Protomiles* autem dici aliter poterat latinè, & bellè *Dux* aut *Anteſignanus* eo quidem ſenſu, quem Auctor intendebat: *Protopontifex* ſimiliter *Pontificum Maximus* (nec eſt religio, vt vna proferatur voce) vel *Summus*: Et *Archipraeſul*, *Praeſul maximus*, ſeu (ad mentem Auctoris) *Archiepiſcopus*, quod totum Graecè: *Pſeudopontifex* totum Graecè *Pſeudopapa*, niſi quod vox Papa aegrè obtinet Romanam dignitatem, vt infrà Membr.XIX. huiuſce

Claſsis II. Meliùs idcirco audiet latinè *Pontifex falſus*, ſeu *Suppoſititius*, ſeu *Adulterinus*. Nam quod Hiſtorico ſuperioris memoriae celeberrimo excidit *Archiſacerdos*, nos tueri ſalua religione latinitatis non poſſumus. Sic enim habet: *Templum Archiſacerdote, & reditu celebre*: Et licuit *Archipresbyterum* appellare, aut *Archiereum* voce omnino Graeca. Eſto idem iudicium de *Archidapifer* è Graeco & Latino conflata, quam legimus apud Suuertium in Select. Delic. Extat *Archiflamen* nobis controuerſa: quam quidem legimus apud Io. Freigium Oratione de Antiquitate, habita An. MDLXXIIX. vbi cenſentur ſpecies Sacerdotij Romani in haec verba: *Hinc Flamen Dialis, Martialis, Quirinalis, Vulcanalis, & inter hos vnus praecipuus Archiflamen*: Citaturque haec Oratio apud Io. Roſſinum de Rom. antiq. in calce operis. Occurrit quoque id vocis apud Diuum Clementem Epiſt. I. ad Iacobum fratrem Domini, vbi habetur: *In illis verò Ciuitatibus, in quibus olim apud Ethnicos Archiflamines eorum, atque primi legis Doctores erant, Epiſcoporum primates poni, vel Patriarchas ordinauit* (Diuus, inquit, Petrus Apoſtolus) & paulò inferiùs: *In illis autem Ciuitatibus, in quibus dudum apud praedictos erant Archiflamines* &c. Verum obijcimus primùm, Clementis Epiſtolam è Graeco verſam fuiſſe per Rufinum Toranum Aquileienſem; fidem itaque latinitatis non facere: Neque ſatisfacit auctoritas Freigij, vbi deeſt exemplum veterum boni ſeculi. Imò pro Archiflamine habemus in vetuſto lapide apud Gruterum pag. XXIX. num. 12. *Primum flaminem*, & eſt non boni ſeculi, quod quidem arguit magis vocis *Archiflaminis peregrinitatem* penitùs incognitam latio, ac inauditam. Et haec quidem ex Graeco, & Latino: Contrà verò ex Latino, & Graeco exemplum vnum damus breuitatis ergo, vocèm *Coëpiſcopum* qua vſus eſt D. Auguſtinus Epiſt. LIX. ad Paulinum. cuius loco Graecam totam ſubſtituerimus *Synepiſcopum* eo pacto, quo Voſſius pro *Concanonico* reponit *Syncanonicum*, nam *σὺν* eſt Cum. Idipſum de *Compresbytero*, *Condiacono*, & huiuſmodi *Sympresbyter*, *Syndiaconus*.

Excipe, quae hodie ex noſtra vulgari ſimul & peregrina compoſitae habent propriorum nominum ſignificatum, poſcuntque in latino etiam ſermone locum. Nam ſi Vaticanos hortos Pontificis vocabulo vno ſignificare latinè habeas, non alio equidem praeſtabis, quàm Italico & Latino *Beluedere* neutri generis, tertiae inflexionis. In Aſylo Ferrariae Vrbis legitur: *Memoriae D. Herculis Eſtenſis* &c. *Belliguardi palatium auxit atque exornauit. Belflorem incendio conſumptum reſtituit* &c. En hic duo nomina ex peregrino, ſcilicet Italico vulgari, latinè autem non inſcitè vſurpata, quia propria: quamquam alterum *Belflorem* in altera parte latinè inclinatum.

Altero ſenſu propoſito Adiunctionem interpretamur Epithetum, ſiue Adiunctum, quod veteri vocabulo aſſumptum ſignificatio habetur nouae rei. Hoc autem fieri docent eruditi, vbi res aliqua ſecundum formam dumtaxat noua eſt, cùm alioqui res ipſa priſcis Latinis florente adhuc ſermone exiſteret, ac nominaretur. Quarè quòd priſcis nominabatur Gladius, & Enſis, nunc vt qui Turcis vulgò dicitur *Scimitarra*, latinè nominetur, res nimirum noua, ac Turcis inuentoribus, neceſſum erit Adiuncto nouitatem formae exprimere, vt dicatur *Gladius*, vel *Enſis falcatus* ab eo, quod formam falcis imitatur. Item malè *Parlamentum* dices, quod Pariſijs vulgò eſt *Parlament*, nihil enim id habet noui praeter formam Curiae. *Curiam* ergo cum Adiuncto *Supremam Pariſiorum* commodè vſurpabis, quippe & Romanis erat Curia, quamquam illa ſingularis, non vt Pariſijs multiplex. Verùm vbi quid Romanis fuerit omnino ſimile noſtris, ſuperuacuum Adiunctum fuerit, vt ex ſequentibus per totam huius libri ſeriem planum fiet.

Quarta, ac poſtrema Translatio cudit per Tropos nouis rebus vocabula, vbi propria deſiderantur. Vt *Oculus* & *Gemma* de Vite germinante, *Sitis* de agro arente, *Laetitia* de ſegete vbere, *Luxuries* de herba conferta, & maximè copioſa, *Pes* de montis ima parte, *Duritie*s & *Aſperitas* de homine inhumano & immiti. In quo cauenda Catachreſis, nec enim eadem Elogiaſtae licentia, & Poëtae. Translatum legitur cum dignitate *Corpus Collegij* puta Equitum, Fabrorum, Mercatorum, quibus ſcilicet coire fas eſt, & leges priuatas condere. Horum exempla complura apud Gruterum, vnum autem pro cunctis pag. CCCXCI. num. 1. Romanum, videlicet:

TI.

CXIII.

TI. CLAVDIO. ESQVIL. SEVERO
DECVRIALI. LECTORI. PATRONO
CORPORIS. PISCATORVM. ET
VRINATOR. Q.Q. III. EIVSDEM. CORPORIS
OB. MERITA. EIVS
QVOD. HIC. PRIMVS. STATVAS. DVAS. VNAM
ANTONINI. AVG. DOMINI. N. ALIAM. IVL
AVGVSTAE. DOMINAE. NOSTR. S. P. P
VNA. CVM. CLAVDIO. PONTIANO. FILIO
SVO. EQ. ROM. ET. HOC. AMPLIVS. EIDEM
CORPORI. DONAVERIT. HS. X. MILLIA. N
VT. EX. VSVRIS. EORVM. QVODANNIS
NATALI. SVO. XVII. KAL. FEBR
SPORTVLAE. VIRITIM. DIVIDANTVR
PRAESERTIM. CVM. NAVIGATIO. SCA
PHARVM. DILIGENTIA. EIVS. ADQVISITA
ET. CONFIRMATA. SIT. EX. DECRETO
ORDINIS. CORPORIS. PISCATORVM
ET. VRINATORVM. TOTIVS. ALV. TIBER
QVIBVS. EX. SC. COIRE. LICET. S. P. P

Cui recens accenſeri merito dignitatis antiquae poſtulat, Veronae poſita **Auctore Franciſco Pola I. C.** videlicet:

CXIV.

CORPVS. LANARIORVM
COLVMNAM. HANC. ELEGANTEM
QVAE
CERTOS. SVI. SOLI. FINES. HVCVSQVE
PROPAGARI. AETERNVM. TESTARETVR
EX. SVA. PECVNIA
ERIGENDAM. CENSVIT
MEMORIAE. HONORISQVE. CAVSA
DED. KAL. QVINCT. M. D. IIC

Non eſt praetereunda Giſanij obſeruatio, quod ipſa vox *Corpus*, & de familia vſurpetur: Ita enim legi in Liuio Dec.I. lib. IV. *Virginem plebeij generis maximè forma notam petiere iuuenes, alter virgini genere par, tutoribus fretus, qui & ipſi eiuſdem corporis erant, nobilis alter nulla re, praeterquam forma captus.* Nobis tamen haec interpretatio nonnihil eſt ſuſpecta: neque enim minus probabile intelligi de corpore eiuſdem Artis, ſeu Operae, quam exercerent hi de plebe homines. Siquidem Patritiorum corpus de publico munere & magiſtratu ſumitur, vt apud ipſum Liuium lib. XXXVI. *Vt corpus vnum, & conſilium totius Peloponneſi eſſet.* Niſi ipſum quoque nomen familiae pro ſecta voluerit, & vt apud Cic. pro Sylla; *Familia Gladiatorum*, quod quidem cum noſtra congrueret ſententia.

Translate quoque eſt dictum *Rem*, ſeu *Res gerere*, de re bellica, vt adnotat in ling. Lat. Giſanius, citans Varronem V. de L. L. *Contra Imperator, qui dicitur res gerere, in eo neque facit, neque agit, ſed gerit*, hoc eſt *ſuſtinet*, ab ijs tranſlatum, qui gerunt & ſuſtinent. Quae loquendi forma fidem accipit cum à pleriſque hiſtoricis, tum ab illo fragmento Ancyrano, apud Gruterum pag. CCXXX. tit. Imperator. & Caeſar. cuius principium eſt

CXV.

RERVM. GESTARVM. DIVI. AVGVSTI. QVIBVS. ORBEM
TERRARVM. IMPERIO. POPVLI. ROMANI. SVBIECIT
ET. IMPENSARVM. QVAS. IN. REMPVBLICAM. PO
PVLVMQVE. ROMANVM. FECIT. INCISARVM. IN
DVABVS. AHAENEIS. PILIS. QVAE. SVNT. ROMAE
POSITAE. EXEMPLAR. SVBIECTVM. &c.

Aliud quoque Translationis exemplum Elogiaſtarum vſui futurum ſuggerit celeberrimus ſcriptorum recentium P. Iouius, cùm in ſuo Lario Lacu Comacinam Inſulam rebellem ita deſcribit : *Contra id Saliani littoris ſpatium porrigitur Inſula protenſo in longitudinem dorſo, Cadauer antiquae vrbis decreto Comenſium nauigantibus oſtentans, vt eius poenae exemplo Lariani populi parentem ſuam Comum vrbem fideliùs colere moneantur.* Hanc ex Hiſtorica Elogiaſticam quis facturus, his literis marmor incidere poterit, in conſpectu praeternauigantium erigendum, videlicet :

CXVI.

CADAVER
ANTIQVAE . VRBIS
DECRETO . COMENSIVM
VT
EIVS . POENAE . EXEMPLO
PARENTEM . SVAM . VRBEM
C O M V M
LARIANI . POPVLI
FIDELIVS . COLERE
MONEANTVR

Scitè admodum euerſæ Vrbis veſtigium translata cadaueris appellatione indicatur. Breuiùs, nec minus eleganter ex Lario Sigiſm. Boldoni, vbi de Inſula eadem :

CXVII.

CADAVER
ANTIQVAE . VRBIS
IRREDIVIVA . SVBVERSIONE
IACENTIS
DECRETO . COMENSIVM
IN
PERFIDOS . SOCIOS

Hactenus de quatuor modis nouandi verba dictum ſit.

Iam Sacrorum Magiſtratuum vocabula bifariam diuidimus ; alia quippe legitimè nouata probantur, alia illegitimè reiectantur. Quamquam illis quoque parcendum, quoties latinè circumſcribi poterit, vt puta niſi ſumma exigatur breuitas, quae à circumſcriptione abhorret; aut ſumma rei expreſſio, quae proprio nititur vocabulo, aut alia huiuſmodi neceſſitas interueniat.

CLASSIS II.
Nouata Sacrorum Magiſtratuum nomina Quae probentur

Membrum I.

CARDINALIS Sanctae Romanae Eccleſiae nouus, & ſummae dignitati proximus in Rep. Chriſtiana magiſtratus ; ſcilicet aetatem circiter Diui Gregorij Magni inſtitutus ; ex Epiſcopis autem, Presbyteris, Diaconis, Hypodiaconis lectus, vti Pontifici Maximo aſſiſtat, conſilio promptus & opera in rei ſacrae adminiſtratione : Rubro pòſt inſignitus galero per Innocentium IV. dein amictu purpureo per Paulum II. habituſque eo loco poſt Põtificem ipſum, quo Reges in politijs poſt Imperatorem. Ergo vox *Cardinalis* etſi inflexione nouata, origine tamen latina vetus. Nam vt cardo rei pro praecipuo ponitur, ita Ordini huic ampliſſimo Chriſtianae Rei praecipua committuntur negotia. Atque ſicut à *Principe Principalis*, ita *Cardinalis* à *Cardine* ; intellige autem *Antiſtes* ſubſtantiuum, cùm ſit *Cardinalis* adiectiuum, vt *Principalis*. Magnifice hanc vocem tractauit ſimul & partes optimi Cardinalis perſtrinxit Franciſcus Pola Elogiaſtes, in dedicatione Eccleſiaſtae ſui. Videlicet :

CXVIII.

AVGVSTINO : VALERIO
CARDINALI . AMPLISSIMO
QVEM.NASCI.DEVS.IMMORTALIS.VOLVIT
VT . ESSET
IN . QVO . S . R . E . MAIESTAS
VERA . IN . CAELVM . PIETAS
OMNES. OMNIVM. VIRTVTVM . IMAGINES
HVMANO . GENERI
SE SE
PER . OMNES . NVMEROS . EFFICACITER
OSTENTARENT
FRANC. POLA · AMPLITVDINI
EIVS . DICATISSIMVS
L . D. * *Lubens Donat*

A Cardiniali

A *Cardinali* manat nomen Dignitatis *Cardinalatus*, pro quo, niſi ſumma obſtet breuitas, nitidiùs reponetur *Purpura ſacra*, ſeu *Vaticana*, ſeu *Cardinea*; *Infula Cardinea*; *Trabea Cardinea*. Belliſſimè Io. Ciampolus Orat. de Pontifice Max. eligendo, An. MDCXXIII. nuncupat *Regale Sacerdotium*, alludens ad locum Diui Petri Epiſt. I. Cap. II.

Membrum II.

EPISCOPVS appellatio Graeca Magiſtratus olim apud Athenienſes, quibus erat Praetor miſſus ad ius dicendum in terris eorum imperio, ac ditioni ſubiectis: Latinè eſt *Speculator*, *Explorator*, quae quidem omnia Magiſtratui eiuſdem nominis Chriſtiano à temporibus Apoſtolicis inſtituto (vt ex Actor. Cap. XX. num. XXVIII.) perbellè congruunt, vt non immerito apud nos latij iura obtinuerit, praeterquamquòd vt monet Corradus de Copia lat. ſer. nouo iuri Pontificio, noſtraeq. religioni ſeruiendum eſt in vſurpandis vocibus, non minus profectò, quàm praeſtarent ſuo veteres latini, ac falſae religioni: Epiſcopis noſtratibus hoc verè competit, vt à Pontifice Romano, ſummo Sacrorum Principe deſtinentur ad ſacrum ius dicendum, ſua quiſque in Dioeceſi (quidquid obtrectet in ſuo Lexico Philologico Matthias Martinius, vt nos infrà euincemus inſtituta Digreſſione poſt Sacrorum Magiſtratuum obſeruata nomina) ſimul ij ſpeculatores agant, & vigiles ad ouilis Chriſtiani cuſtodiam ſibi demandatam. Fuit & apud noſtrates Epiſcopus, genus quondam Magiſtratus profani, vt colligitur ex verbis Arcadij ff. de Mun. & Hon. Cuius officium erat, panis ac caeterarum rerum, quae ad cibum pertinent, curam habere. Hac etiam in parte Epiſcopi noſtri nomen tuemur, quod eius ſit gregem Dominicum caeleſtibus recreare paſcuis. Hanc vocem vſurpauit Ioglaris Elogio de Diuo Blaſio: *Epiſcopum agens antequam fieret: qualis eſſet futurus, edocuit antè quàm eſſet*. Idem de Diuo Athanaſio: *Aequè infenſus Arrio, ac Arrius Chriſto: In omnibus ab eodem diſſentiens, in hoc vno conſenſit, Quòd vterque Athanaſium nollet Epiſcopum*. Huius tamen nominis loco, ni repugnet neceſſitas, nomen commune cum Adiuncto Ciuitatis, ſeu Prouinciae, cui Epiſcopus praeſit, vt egit Franciſcus M. Delmonacus Elogio de Thoma Goduello Epiſcopo, vocans *Aſaphenſem Antiſtitem*: Alibi Antonium Agellium *Acernenſem Antiſtitem*. En tibi quoque Epitaphium Romanum tertio iam ſecundo poſitum vt habes apud Sueertium in ſelect. Chriſt. Orb. Delic.

CXIX.

SEDENTE · PAVLO · II
DOMINICO CAPRANICENSI T. T. SANCTAE CRVCIS IN HIERVSALEM
PRESB. CARD. ANTISTITI FIRMANO MAIORI POENITENTIARIO
XII. APOSTOLICIS LEGATIONIBVS CLARO. PACIS ITALICAE IN ANN. XXV
CONSTITVTORI. DOCTRINA RELIGIONE ET SANCTIS SEMPER OPERIBVS
ADMIRABILI. ANGELVS EIVSDEM TT. CARD. VNANIMI FRATRI
AC SIBI COMMVNE MONVMENTVM HOC FECIT. VIXIT ANN. LVIII

Antiſtitem autem Firmanum interpretare hoc loco Epiſcopum, nam multis pòſt annis à Sixto V. Archiepiſcopi titulo auctus fuit.

Non abſimilis eſt locutio Ioſephi Siloſi Theatini in Elogio *Nicolai Caraccioli Cardinalis*, & *Mamertini Hierarchae*, ideſt Epiſcopi, vox Graeca, vti ſuperior, & communis ſignificationis ad omnes Eccleſiae Praeſules. Eſt porrò *Hierarcha* latinè Princeps ſacrorum, cui congruit Alexandri Guidiccioni Epitaphium Lucenſe in Summo Templo, vbi Epiſcopus vocatur *Pater Sacerdotum*. Caeſar Alexius *ſacris Praefectum Vrbis* appellat, Elogio de B. Alex. Vincioſo: *Quem Ioannes XXII. ſacris Nuceriae Vrbis praefecit*: Idem in Elog. Diuum Conſtantium Barzium Peruſinum Epiſcopum *Patrem ſacrorum*, & Vincentium Herculanum *Eccleſiae Praefectum*. Vox quoque *Pontifex* generica eſt, complectens Pontificem Maximum, Pontifices Maiores, Minoreſque, vti Romanis quondam Ethnicis, ità pòſt Chriſtianis, qui Pontificem Romanum Maximum habent, ſub eoque Patriarchas, Primates, Archiepiſcopos maiores, Epiſcopos & alios quoſdam minores.

Nomen

Nomen itaque Ciuitatis appoſitum Pontifici ſatis indicabit Epiſcopum, vt in marmore Parmenſi (apud Suueert. in Sel. Del.) in B. Mariae ;

C X X.

BERTRANDO . RVBEO
SVMMAE . NOBILITATIS . AC
OPTIMAE . SPEI . ADOLESCENTI
IO. HIERONIMVS . TICINI . PONTIF
FRATRI . B. M. P.

Quod & obſeruauit Franciſcus Pola in fundamentis Fani PP. Theatinorum, Mantuae, videlicet:

C X X I.

ANNO . M. D. C. IX. IDIB. QVINCT
PAVLO . V. P. M. RVDVLPHO . IMP
VINCENTIO . DVCE
LAPIS . HIC . PROBE . AVSPICATVS
A . FRANCISCO . GONZAGA . PONTIFICE . MANTVANO
SOLEMNI . CVM . PRECATIONE . CONIECTVS . FVIT
IN . FVNDAMENTO . HVIVSCE . TEMPLI
QVOD . EST . SACRVM
MAVRITIO . SANCTO . MARGARITAE . SANCTAE
PROVIDENTIA . ADMINISTRAVIT . DIVINA
MARGARITA . GONZAGA
FERRARIAE . DVX . MAXVME . FAVIT

Similiter *Epiſcopatus* pro Epiſcopi dignitate, inflexione latina vox nouata probari debet, quia primaria donata Latio. Quamquam pro ea reponi poterit generica cum adiuncto, ſicut habet Ioſephus Siloſus Elog. de Paulo Tholoſa Neapolitano, ex ordine ſuo, Epiſcopo, & Cardinale: *Inclytum Eccleſiaſten Bouinenſi infula cohoneſtauit Clemens Maximus Pontifex Octauus*, *Qui auream eloquentiam adaequare purpura cogitauit*. Haud diſſonus Frãciſcus M. Delmonacus Elog. de Bernardino Scotto Epiſcopo Tranenſi, tum Placentino, ac S. R. E. Cardinali: *Rapior ad Tranenſes infulas, & Placentinas mox ad Purpuram*. Item ſicut Pontifex pro Epiſcopo; ita pro *Epiſcopatu Pontificatus*. Citat in hanc rem Suueertius in Sel. Del. Inſcriptionem Romanam huius modi:

C X X I I.

DIDACVS . DE . VALDEZ
ASTVR . PATRIA . PONTIFICATV . ZAMORENSI . ORNATVS
CVM . SE . MORITVRVM . ASSIDVE . MEDITARETVR
VIVENS . HOC . SVO . CADAVERI . STATVIT . MONVMENTVM
VIXIT . ANN. PROPE . LX. OBIIT . XXVII. DECEMB. MDVI
ALEXANDRI . VI. PONTIF. MAX. ANNO . VI
CVM . MAGISTRATVM . DOMVS . EIVS . EXERCERET

Aliter etiam pro Epiſcopatu *ſacrorum curam* vſurpabis; ita Caeſar Alexius Elog. de Diuo Herculano I. Peruſino Epiſcopo: *Illi à S. Petro Peruſinae Vrbis ſacrorum curam decretam fuiſſe*. Seu *ſacras habenas*, vt Natalinus de Graſſis Elog. de Federico Cornelio ab Epiſcopatu vario ad Patriarchatum in patria migrante: *Poſt alias vrbes ſacris habenis frenatas ad regendam patriam* &c. Item *Epiſcopiam*, niſi duriuſcula vox videatur. Nam *Pontificium* (vt adnotat eruditè Giſanius) recentiorum eſt; praeterquam quod non Epiſcopalem exprimit poteſtatem, ſed genericam ad profanam aequè, & ſacram.

Membrum

Membrum III.

PATRIARCHA vocabulum è Graecia in Latium legitimè accerſitum à priſcis Chriſti cultoribus iure nouae dignitatis in Eccleſia, nihilo minus, quàm à Romanis priſcis *Agoniſtarcha* coeptum fuit vſurpari. Circumſcribi quidem fas erit, vbi dederit Elogij ratio, quemadmodum egit Natalinus de Graſſis Elogio de Federico, videlicet:

CXXIII.

FEDERICO . CARDINALI
CORNELIO
QVEM . SINCERA . FIDES . CORDISQ. LENITAS
VIRTVTES
NOMINIBVS . IAM . ABDITAE
REBVS . DIV . SPECTATAE
EX . OMNIBVS . ELECTVM . CIVIBVS
VT . PRAEESSET . OMNIBVS
SANCTVM . PATRIIS . ARIS . REGEM
INAVGVRARVNT
CLERVS . POPVLVSQ. VENETVS
PARENTI . OPTIMO
ANTISTITI . VIGILANTISSIMO
VENERABVNDVS
POSVIT

Quamquam niſi Venetijs ipſis inſcriberetur *Sanctus patrijs Aris Rex*, communis foret titulus ad alios vel inferiores Antiſtites; qua tamen in Vrbe Patriarcham intelligat neceſſe eſt, quiſquis eum illic ſedere non ignorat. Idem Natalinus alio Elogio Cornelium vocat *Sacris Aris Praeſidem*: Vtrùm verò latinè? Dubitat Obertus Giſanius ſiquidem *Praeſes* inquit propriè eſt Cuſtos, quaſi in praeſidio poſitus: & Praeſidere eſt tueri ac defendere, ſeu cuſtodiam ac tutelam gerere: Vt proinde Cicero fere iungat nomina Praeſidis,& Cuſtodis: *Libertatis praeſes & cuſtos Tribunus plebis* 2. de L. Agrar. *Cuſtos & praeſes iuuentutis Mercurius* 7. Verr. *Senatus Reipublicae cuſtos, praeſes, & propugnator*. Pro Seſtio. Hinc Giſanio barbarum ſonat, quod vulgò dicitur *Praeſes Ordinis, Conſilij, Curiae, Senatus*, quod veteribus erat *Princeps Ordinis* &c. Itaque locum Degraſſij ſic legeret ille *Sacris aris Praefectum*, vel *Sacrorum Principem*, vel (ſi contendas) *Sacrorum Praeſidem*, vt Patriarchae cuſtodia ſacrorum, non ſolum adminiſtratio commiſſa intelligatur. Nos autem in parte à Giſanio diſſentimus, vt infrà, Claſſe III. Membro III.

Dignitas verò ipſa inflexione latina enunciatur optimè *Patriarchatus*, inflexione Graeca meliùs fortè *Patriarchia*. Sic enim decentiùs apud Degraſſium Elogio altero de Cornelio: *Ad ſacram Patriae Patriarchiam per Patres conſcriptos ſummi Patris interpretes euecto*.

Membrum IV.

ARCHIEPISCOPVS, *Archimandrita*, *Archipresbyter*, *Archidiaconus* Graece voces compoſitae, nouarum indices dignitatum, approbandae latinè ſcribentibus, ni extra hiſtorialem inſcriptionem malis vti dictione communi, quae Praeſulem Eccleſiaſticum ſignificet; ſequutus Alexium Ledeſmam noſtrum Elogio de Ant. Maria Brambilla Archipresbytero Modoëtienſi, cuius dignitatē nuncupat Hierarchiam [eſt enim ſumma eius loci, qui quod ſedes Regia olim Longobardorum, vrbeſque inſignes non paucas amplitudine magnificentia, opibus exaequet, Vrbis Imperialis nomen obtinet.] Ipſum vero ea dignitate fulgentem *Sacrum Dynaſtam*: adde ex ſuperiore appellatione *Hierarcham*: ſeu (communiter de reliquis, praeter Archidiaconum) Graecè Protomyſtam, ſeu latinè (qui primus erat inter Salios Martis ſacerdotes) *Praeſulem* ab Ethnica ad noſtram Religionem tranſlato per analogiam vocabulo. Porrò Archiepiſcopum ſcitè reddit Ioſephus Siloſus Elog. de Philamarino Cardinale *Sacrorum Regem*, *Sacrorum*

crorum Principem, *Auguſtum Flaminem* : Dignitatem verò *Ampliſſimam Inſulam*. Reſtat vt Hiſtorialem Inſcriptionem cum neceſſario vſu vocis *Archiepiſcopus* (cuius ad exemplum intellige caeteras) ex probatiſſimo huiuſce aeui Elogiaſtas ſubdamus. Iac. Gaddius in ſuis Adlocut. & Elog. Sepulchrale hoc honorarium dicat Diuo Antonino Ciui ſuo, videlicet:

CXXIV.

HAC . IN . VRNA . CONDITVR . VAS . CORRVPTIBILE
DIVI . ANTONINI
EX . AMPLISS. D. DOMINICI . FAMILIA . HISTORICI
INTEGERRIMI . ARCHIEPISC. FLORENTINI . THEOLOGI
DOCTRINA . ET . SANCTITATE . ILLVSTRIS . QVI . MINIME
CONTENTVS . DIVINAM . SAPIENTIAM . IN . RIVVLIS
DELIBASSE . FONTEM . VIVVM . ET . INEXHAVSTVM
PETENS . IN . MONTES . AETERNITATIS . ASCENDIT
ANNO . REPARATAE . SALVTIS . M. CCCCLIX
MENSE . MAII

Membrum V.

PRIMAS vocabulum appellatiuè ſumptum pro eo, qui primus eſt dignitate, latinum videtur, tùm quòd vſurpatum non ſemel ab Apuleio lib.2. *Frequens ibi numerus Epulonum, & , vtpote apud primatem foeminam, flos ipſe ciuitatis*. Ibid. *Primatis huius ciuitatis filij*. Tùm quod ab eo deriuatum *Primatus* (i. e. ipſa primatum auctoritas) occurrit non ſemel in Plinio. De quo conſule Theſaur. l. L. Etſi Ciceroniano ſeculo pro *Primas* eſſet *Princeps*, pro *Primatus*, *Principatus*. Peculiariter verò nomen eſt Dignitatis Eccleſiaſticae, eſt enim, vt Papias ait, *Primas inter reliquos maioris dignitatis, & poteſtatis, vt Patriarcha, aliquando Archiepiſcopus*. A Primate eſt *Primatialis Eccleſia*, cui ille praeeſt, vt Piſana apud Etruſcos, cuius Archiepiſcopus ſimul eſt Primas, & Legatus natus Inſularum Sardiniae & Corſicae. Itaque nihil eſt, quamobrem eiuſmodi non ad Magiſtratum hunc ſacrum referendum reiectetur in hiſtoriali praecipuè mentione, vt probat Sepulchralis Inſcriptio Romae apud Suueertium in Sel. Del.

CXXV.

BARTHOLOMAEO . CARRANZAE
NAVARRO . DOMINICANO
ARCHIEPISCOPO TOLETANO
HISPANIARVM PRIMATI
VIRO GENERE . VITA . DOCTRINA . CONCIONE
ATQ. * ELEEMOSYNIS CLARO
MAGNIS MVNERIBVS A CAROLO V· ET
PHILIPPO REGE CATHOLICO
SIBI COMMISSIS EGREGIE FVNCTO
ANIMO IN PROSPERIS MODESTO
IN ADVERSIS AEQVO
OBIIT ANNO CIↃ.IↃ.LXXVI. DIE II. MAII
ATHANASIO ET ANTONINO SACR
AETATIS SVAE LXXII

* digna obelo vox, vt infrà in Claſſe Vocũ Eccleſiaſticarum

Membrum VI.

REFERENDARIVS referenda fuerat in voces reprobatas, niſi neceſſitas indicandi id munus in Romana Curia admitti cogeret. At vbi liberum fuerit, ſubſtitue omnino *Magiſter libellorum ſupplicum apud Pontif. Max.* Quod & in *Referendario* profano, id eſt *apud Regem*, ſeu *Principem* intellige. Ita ferè vſurpatur in Romana Inſcriptione apud Suueertium (in Select.Chriſt.Orb.delicijs) *VVilhelmo EnKefortio S.R.E. Presb. Card. pluribus Romanae*

manae Reip. Magiſtratibus, & Germaniae procuratione integerrimè functo, Ab Hadriano VI. Pont. Max. Cuius item res ADMINISTRAVERAT LIBELLIS. DANDIS &c. Aliter etiam circumſcribi poteſt, niſi Laconiſmus vetet, vt in illo Romano Epitaphio apud eundem Suueertium ibi: *Paulo Antiſtiti Foroſempronienſi* &c. vbi illius qui poſuit, nomen & gradus preſsè ita refertur: *Petrus Vorſtius Epiſcopus Aquenſis, REFERENDARIVS, & Sanctae Rotae* &c. Alibi quoque: *Lucio Saxo Neapolitano* &c. *cum ſe iuuenis Romam contuliſſet, Ob doctrinam, atque prudentiam inter IVSTITIAE. REFERENDARIOS a Iulio III. Pont. Max. GRATIAE à Pio IV. adſcriptus* &c. Eſt enim duplex huiuſce Magiſtratus Ordo, Gratiae ac Iuſtitiae. Commodùm haec dictauimus, quùm forte in manus venit Epitaphium Romanum apud Suueertium, quod hoc loco referri dignum putamus. Eſt autem

CXXVI.

D. O. M.

NICOLAO. ARDINGHELLO. FLORENTINO, PRIMARIAE NOBILITATIS VIRO QVEM IVRIS VTRIVSQ. CONSVLTISSIMVM, OMNISQ. VIRTVTIS AC SAPIENTIAE LAVDE PRAESTANTEM AD EPISCOPATVM FOROSEMPRON. PROVECTVM CVM PAVLVS III. PONT. MAX. PICENO PRIMVM CVM HONORE VICARIAE LEGATIONIS IMPONERET, DEINDE SVPPLICVM LIBELLIS. PRAEFICERET. DEMVM IN SACRVM CARDINALIVM COLLEGIVM ADOPTARET. TITVLOQ. S. APOLLINARIS INSIGNIRET. NON TAM HOMINEM. QVAM HONOREM COHONESTARE VISVS EST. ANN. NATVS IV. ET XL. IN MEDIO VIRTVTVM ET HONORVM CVRRICVLO EREPTVS ACERBVM SVI DESIDERIVM RELIQVIT OMNIBVS X. KAL. SEPT. MD.XLVII. ALEXANDER RVSPOLVS BARTHOLOMAEI ET MARIAE ARDINGHELLAE F. OB MEMOREM ERGA CONSANGVINEVM OPT. VOLVNTATEM POSS. ANNO POST CONDITAM SALVTEM MDCI.

Vbi liquet, in hiſtorica Epigraphe, numeroſa praeſertim, locum eſſe circumſcriptioni vocabuli ad latini ſermonis ſeruandam puritatem.

Membrum VII.

PROTONOTARIVS vox quidem hybrida, è Graeco nimirum, & Latino non niſi neceſſitate cogente appellandi hiſtoricè eius muneris admittenda. Latinè rectiùs circumſcribatur *Primicerius Notariorum*, quamquam haud ſcio, ſitne boni ſeculi *Primicerius*, vt pòſt paulò adnotabitur. Tuetur neceſſitas Epitaphium Romanum à Suueertio in Select. Delic. cuius initium: *Laelio Cantalicienſi Ciui Romano Protonotario Apoſtolico. Qui maiorum ſuorum virtutem veterum ſcilicet Regum teſtificatione commendatam, & munificentia adauctam, Probitatis, Prudentiae, & Comitatis acceſſione cumulauit* &c. Et illud ibidem

CXXVII.

ALEXANDER. VI. PONT. MAX
Petro Carranzae Protonot.
Apoſtolico. Archidiac. ex Calatraua
Ab Arcano Cubiculo ſuo B. M. P
Aura vitali functo aetat. ann. LXXVII. M. V. D. XIV
Eodem defuncto idib. Nouemb. M. D. I

Membrum VIII.

PRIMICERIVS nouata vox ſuſpicor poſt linguae interitum; quaſi primus in ceram, & tabulas relatus (ſiquidem veteres in ceratis ſcribebant tabulis) ideoque primas in ordine ſuo tenens.

tenens. Hinc Diuum Stephanum Leuitam vocat Beatus Auguſtinus Primicerium Martyrum (ſerm.21.) Et Badrigus Dolenſis Archiepiſc. in hiſt. Hieruſalem (citatus à Matthia Martinio in Lexico Philologico Diuum Petrum Primicerium Apoſtolorum (quod non de nomine in cenſum relato interpretare cum liqueat Diuum Andraeam fratrem minorem natu, prius Petro eſſe vocatum. De poteſtate igitur, qualem accepit vt Chriſti Vicarius & Summus Pontifex) qua ratione dicebatur etiam *Secundicerius*, *Tertijcerius*. Speciatim verò dictus hoc nomine eſt Notarius Principis, hoc titulo caeteris praelatus Notarijs: In re ſacra, cui modò concedimus ex neceſſitate huiuſmodi appellationem, Primicerius eſt ſacer magiſtratus, qui locum primum obtinet inter Diaconos, aut alios Eccleſiaſticos Ordines: Ipſa verò Primicerij dignitas Caſſiodoro in Epiſt. lib. 6. eſt *Primiceriatus*. Epitaphium Romanum apud Suueertium ſine iniuria ſeculi noſtri praeterire non licet, adeo cum veterum maieſtate atque elegantia certat.

CXXVIII.

Siſte gradum Viator : ſi probus es, morere
Victurus. Si improbus es, Viue moriturus

LVCRETIAE . TVLLII . TVSCVLANI . ET
MARIAE . SALOMONIAE . F. ANIMI . CANDO
RE . LIBERALI . FORMA . PRISCAQ. MATRO
NARVM . VIRTVTE . ORNATISSIMAE . OBIIT
ANNO. SAL. MDL. XI. KAL. MAII. AETATIS. XXIX

Non tibi promittas decus ò iuuenile ſenectam
Saepe ſuum candens flos cadit ante diem.

CAESAR . VALENTINIVS . I. C
PRIMICERIVS . SABINVS . PA-
RENTIB. OPT. P.C. ANNO. SAL
MDCXV

Membrum IX.

CAMERARIVS à *Camera* pro *Cubiculo* barbara vox, pro qua latinè *A Cubiculo*, *Praefectuſque* non *Camerae*; ſed Cubiculi, ſeu (vnica dictione) *Admiſſionalis*. Aliter verò *Camerarius* à *Camera* pro *Aerario* ſumpta latinè *Quaeſtor* vrbanus, *Ab aerario*, *Aerarij Praefectus*. Hoc quidem in omni politia. In Aula autem Romana appellatur *Camera Apoſtolica* Collegium quoddam Antiſtitum, quibus Aerarij Pontificij in primis cura eſt; eius verò Praefectus latinè *Ab aerario Pontificio*, ſeu *Aerarij Pontificij Praefectus*, voceque nouata *Camerarius Sanctae Romanae Eccleſiae*, cui Magiſtratui in alia quoque Pontificiae ditionis negotia poteſtas incumbit, vt proinde noua dignitas nouo hoc vocabulo indicari opus haberet ſalua puritate latini ſermonis. Ita probant Romanae Inſcriptiones plures, & ipſae bonae notae apud Suueertium in Delicijs Selectis, illa in primis, hoc loco citanda, videlicet in Diuae Mariae ſupra Mineruam:

CXXIX.

PETRO . SABINENSI . EPISCOPO . CARD. ALDOBRANDINO . S. R. E. CAMERARIO ARCHIEPISCOPO . RAVENNATI . MAGNA . APVD . PRINCIPES . GRATIA . ET . AVCTORITATE . PERPETVA . ANIMI . AEQVITATE . ET . CONSTANTIA . DOMI . FORISQ. CLARISS. QVARTVM . LEGATO . SEMPER . PIO . LIBERALI . MAGNIFICO . PRINCIPI . OPT. ALDOBRANDINA . FAMILIA . SOLEMNE . FVNERIS . PVBLICVM . AMORIS . DOLORISQ. ARGVMENTVM . SOLVIT . IV. KAL. IVNII . M. D. C. XXI.

Membrum X.

DATARIVS ſacer Magiſtratus Romae, cuius eſt in primis Pontificias literas pro Sacerdotijs demandandis, Reſcriptaque libellorum ſupplicum ſubſignare ſolemni illa formula *Datum Romae* &c. Itaque à *Datum* fit *Datarius* analogicè, quemadmodum ab *Aurum Aurarius*, Ab *Argentum Argentarius*. Probanda itaque vox tum ſuperius iacto fundamento Tullij, tum Epitaphio mox citando, quod ex oppido Piſcia pernobili in Etruria conquiſiuimus ſimplici illo quidem, ſed purae omnino locutionis. Videlicet:

CXXX.

BALDASSARI . TVRINO
LEONIS X. PONT. MAX. A SVPPLICVM LIBELLIS
DATARIO
CLEMENTIS VII. OBEVNDIS REB. GRAVISS
NVNTIO
PAVLI III. CAM. APOST
SEPTEMVIRO
ANIMI INTEGRITATE, MORVM ELEGANTIA, AC LIBERALITATE SPLENDIDISS
IVLIVS TVRINVS FRATRIS FILIVS PATRVO PIENTISS
M. P
VIX. ANN. LVIII. OBIIT AN. M.D.XLIII
V. ID. OCTOB

Membrum XI.

POENITENTIARIVS Magiſtratus Romae ſacer, à Poenitentiae Sacramento, cui ſumma poteſtas commiſſa à Pontifice Maximo, vt grauioribus criminibus Apoſtolicae ſedis iudicio reſeruatis poenitentes reos abſoluat: poenitentes inquam admiſſorum criminum, & vitae perditae propterea quod ad promerendam priſtinam Dei gratiam animum ita affectum eſſe oportet, vt Sacramenti beneficium percipiatur. Sed vt hac ſignificatione latina appellatio eſt Poenitentia, ita latinè dicendus foret, qui eius Myſterij adminiſter eſt, *A Poenitentia*, adde *ſacra*, vt à profano eximatur, vel *Sacrae Poenitentiae Praefectus*: poteſtate autem ſumma praeditus, *Summus Poenitentiae ſacrae Praefectus*, vel *Praefectus ſacrae Poenitentiae cum poteſtate maxima*, vel *Poenitentiae Pontificius Praefectus*, aut quid huiuſmodi. Nec Latio peregrina habenda vox *Poenitentiarius* (adde Maximus vel Summus, ſi Romanum tibi velis, & in ſacro argumento deſiderabis epitheton *ſacer*) quippe analogicòs, vt à *Conſilio Conſiliarius*, Ciceroni frequèns; ita à *Poenitentia Poenitentiarius*. Extant Romae plures Inſcriptiones (citat Suueertius in Select. Chriſt. Orb. Delicijs) vbi non maximus, ſed maior Poenitentiarius vocatur, forte quia Pontifici Max. is titulus proprius, alterum verò delegata poteſtas maiorem caeteris in Eccleſia Poenitentiarijs facit. Ita legimus ibi

CXXXI.

Iulio . Antonio . Sanctorio . Caſertano
S. R. E. Cardinali . celeberrimo
Epiſcopo . Praeneſtino
MAIORI . POENITENTIARIO &c

Subtexo Romanae Lucenſem è Templo Maximò lectam, ac luce Orbis literarij digniſſimam. Videlicet:

CXXXII.

D . O . M
BARTHOLOMAEO CARD. GVIDICCIONO LVC. EPISC
DIVINI HVMANIQ. IVRIS SCIENTISS.
QVI POST PROBATAM CIVILIB. NEGOTIIS FIDEM
MITI INGENIO AD SACRA OTIA TRADVCTVS
A PAVLO III. PONT. MAX. AD PVRPVRAM EVOCATVS
DATARIVS
SIGNATVRAE PRAEFECTVS
MAIOR POENITENTIARIVS
VRBIS VICARIVS
EO NON SVBLECTVS PONTIFEX , QVOD NEC SVPERSTES
RELICTIS DOCTRINAE INSIGNIB. MONVMENTIS
TAMQVAM MORTE SVO PRINCIPI PRAEGVSTATA
OBIIT PAVLO ANTE IPSVM
AN. AET. LXXX. SAL. MDIL

Eiuſmodi paſſim. Aliter verò ibid. *LVCIO. SAXO. Neapolitano* (& poſt pauca) *SACRAE inde POENITENTIARIAE à Gregorio XIII. PRAEPOSITVS* &c. Caeſar Alexius Elogio de B. Alexandro Vinciolo: *Quem Ioannes XXII. Summum POENITENTIARIVM creat.*

Membrum XII.

I*NQVISITOREM Generalem* latinè dixero cum adiecto *haereticae prauitatis*, aut quid ſimile, niſi ipſa argumenti ratio interpretetur. Nam & *Inquiſitor* optimi eſt ſeculi pro eo qui inueſtigat in cauſa criminis, & *Generalis* quoque pro eo qui omnia complectitur. Ad hunc autem Magiſtratum pertinet cognitio omnium cauſarum de ſacroſancta fide toto Orbe Chriſtiano. *Commiſſarium verò Sanctae Inquiſitionis* non dixerim citra neceſſitatem exprimendi noui muneris in Aula Romana. Quippe latinum non eſt, pro quo belle ſubſtituitur *Iudex*, ſeu *Inquiſitor*, vt & Giſanius obſeruat. Itaque prudenti viro permittitur cenſura illius Inſcriptionis, quam citat vt ſupra Suueertius inter Romanas. Videlicet: *PIVS V. Gente Ghiſlleria. Boſchi In Liguria natus. Theologus eximius. A Paulo III. In Inſubria HAERETICAE PRAVITATIS INQVISITOR. A Iulio III. Sanctae Inquiſitionis Officij COMMISSARIVS Generalis.* Illud hoc in argumento purū, in Epitaphio ibid. cit. quod & nos lubentes afferimus. Videlicet:

CXXXIII.

RVDOLPHO . PIO . CARD. CARPENSI
Principi Senatus Ampliſs
Eccleſiae Dei muneribus ſingulari . prudentia
Perſuncto
Iuris Eccleſiaſtici Defenſori
A Gratia, Terrore, Voluptatum . Illecebris
Et Aduerſis Aequè Inuicto
Ad Beneficentiam Nato
In Summa Grauitate Iucundiſſimo
PIVS. V. Pont. Max
SALVTARIS . OFFICII
IN . CVSTODIA . CATHOL. VERITATIS . CONSORTI
Perpetuis De Chriſtiana Repub. Senſibus
Studijſq. Coniunctiſs
Hoc Amoris Et Iudicij Sui Monumentum Poſ
Anno Sal. M. D. LXIV
Pontificatus Sui III. VI. Non. Maias
Vixit Ann. LXIII. M. II. D. VIII
Qui dormiunt in terrae puluere euigilabunt

Membrum XIII.

CIMELIARCHA (quod certo ſcimus) Mediolani in patria noſtra honeſtiſſimi gradus Praefectus theſauris Metropolitani Templi, eiuſque Sacrarij. Graecè enim κειμήλιον ſonat latinè *munus*, *monimentumue* magni pretij: ἀρχὴ verò Magiſtratum, Imperium. Eſt ergo Cimeliarcha qui Cimelijs praeeſt. Et *Cimeliarchion* locus, in quo res pretioſae conduntur. Et *Cimeliarchatus* ipſa Dignitas: Quae quidem antiquitùs inter ſacras ordinata nomen Graecè vſurpatum iure retinet. Quod enim Latinè vertunt aliqui Theſaurarium, haud exprimunt hoc ſenſu, qui eiuſmodi praefecturam gerat, ſed qui circa theſaurum dumtaxat aliquid agat. Sic Plauto dicuntur fures Theſaurarij. Veteribus ergo Latinis pro Cimeliarcha eſſet *Praefectus theſaurarorum*, ſeu *A theſauris*: verùmtamen adiuncto opus eſt, vt vim vocabuli Graeci adaeques, quod recepto vſu Theſaurorum, non quorumuis, ſed ſacrorum Magiſtratum adſignificat. Sed illud obiter ingeram obſeruatum à Voſſio, quem vulgus hodie Theſaurarium vocat, non eum in res pretioſas, quae adſeruantur, ſed in aes, quod nomine publico recipitur, & expenditur, curam exercere; Quo fit, vt latinè propriè ſit *Aerarij Cuſtos*, ſeu *Praefectus*, vel preſſiùs *Ab Aerario*. Dicitur autem Cimeliarcha A ſacris theſauris, quemadmodum *A ſacris ſcrinijs*. *A ſacris Auguſti*, *A municipibus ſacris* &c. Gruterum conſule, apud quem etiam citatur pag. CCCVI. num. 6. Inſcriptio vetus Romana, videlicet:

CXXXIV.

TI. CLAVDIVS
NATALIS
A. LIBRIS
PONTIFICAL * i. e. *Pontificalibus*

Extat Mediolani in Diuae Mariae Scalenſis Epitaphium in rem praeſentem; tranſmiſſumque ad nos exemplum à Placido Puccinello ſic habet:

CXXXV.

BENEDICTVS. SORMANNVS. HVIVS. TEMPLI. ARCHIPRESBYTER
CATHEDRALIS. CIMILIARCVS. AC. ORDINARIVS. SIBI. MATRIQ.
SVAE. VIVENS. H. M. P. VIXIT. ANNOS. LV. OBIIT. IV. NOVEMB. M.DXXXIX.

Membrum XIV.

PRAEPOSITVS latina vox tùm appellatiuè, vt apud Cic. pro Mil. *Iſti praepoſitus quaeſtioni* &c. tùm propriè de Templo, & Sacris, vt apud Ouid. lib. III. Triſt. Eleg. I.

Quaerentem fruſtra cuſtos e ſedibus illis
Praepoſitus ſancto iuſſit abire loco.

Eſtque poſterioribus ſaeculis tam politici, quam ſacri muneris appellatio. Politicae (ni nos fallit) ex Inſcriptione Brabantina marmorea, quam citat Suueertius, videlicet:

CXXXVI.

EMANVELI . HENRICO
PRAEPOSITO . LVSITANO . PORTVENSI
VIRO . CLARISS
ANIMI INTEGRITATE AC PRVDENTIA
CONSPICVO
PIETATE ERGA PAVPERES NVLLI SECVNDO
MONVMENTVM HOC
IOANNES . MENDEZ . HENRICVS
PATRVO
MOESTISS. HERES . P. C
OBIIT IV. KAL. MARTII MDXCVI
CVM VIXISSET
ANN. LXX. M. V. D. V.

Sacrae paſſim in Brabantinis. Inter domeſticas imagines Ordinis noſtri eſt Auguſtini Tornielli Scriptoris illius celeberrimi Sacrorum Annalium ab Orbe condito, cum hac Epigrapha, Auctore Philiberto Marchino Collega noſtro, ipſoque Scriptore Theologo pereruditо. Videlicet:

CXXXVII.

AVGVSTINVS . TORNIELLVS . PATRITIVS . NOVARIENSIS
CONGREGATIONIS . QVARTVM . PRAEPOSITVS
ORDINE . NONVS
ERVDITIONE . SANCTITATE . DIGNITATISQ. EPISCOPALIS
FVGA . PRAECLARVS
OBIIT . IV. NON. IVNII . MDCXX

Adijcimus Tumulum in Oppido Bellano ad Lacum Larium, agri Mediolani in Diui Georgij, quem cum Sacello Diui Ioannis Bapt. ſibi condidit Aurelius Boldonius Germanus meus, Caeli illius clementia, & paternae Villae amoenitate allectus. Ita verò literatum fecit, translatis Mediolano reliquijs quorundam ſuorum:

CXXXVIII.

D. O. M
OCTAVII . BOLDONII . I. C. EQV. ET . COM. PALAT
PATRIS
FLAVII . FILII . I. C. EQV. ET . COM. PALAT
AVRELIAE . SORORIS . PAVLI . RHOI . VXORIS
RELIQVIAS . MORTALITATIS . HEV . CARISSIMOR. CAPITVM
TRANSTVLIT
IN . HOC . QVIETIS . DOMICILIVM
ET . SIBI . CONDITVM
AVRELIVS . BOLDONIVS . S. T. D. PROTON. APOST
PRAEPOSITVS . DIVI . STEPHANI . MEDIOLANI
FILIVS
FRATER
FRATRIS . FILIVS
ANNO . AB . ORBE . REDEMPTO . M. D. C. XXVII

Vt autem à *Praefectus* deducitur *Praefectura*, & à *Tribunus Tribunatus*, ideſt dignitas Praefecti, ac Tribuni; ita analogicos à *Praepoſitus Praepoſitura*, & *Praepoſitatus* ipſa Praepoſiti dignitas, neceſſitate quippe ſuadente voces admiſſae: ſecus autem *Eccleſiae Praefectura* rectiùs, ſicut *Eccleſiae Praefectus* pro *Praepoſitus*.

Membrum XV.

ABBAS Graeca vox, Latinè, ſi de Monaſterijs praefecto, *Pater Monaſtarum*, ſeu *Pater maximus*, *Aſceta maximus*, & ad imitationem Collegij Augurum apud veteres, *Magiſter Monaſterij*: ſin de dignitate hodie ſingulari, atque honoraria, *Pater ſacrorum*. Nec indecore vteris altera Graeca voce *Archimandrita* eruditis accepta, quae Praefectum Coenobij ſignificat, vt & pro Virgine Abbatiſſa *Archimandritis* Praefecta Coenobij. Caeterum Graeca vox Abbas cum ſimilibus multis Latio ingeſtis iam cicur, tùm vetere conſuetudine, tùm ſacri Magiſtratus nouae ſpeciei ſignificandae neceſſitate. Proinde damnanda haud eſt, etſi aliunde purganda, inſcriptio Sarcophagi, cuius meminit in monumentis Brabantinis Suuertius, videlicet:

D. O. M.

CXXXIX.

D . O . M
Et Aeternitati
Reuerend. P. ac D. DIONYSII . FEYTENS * lege Reuerendi P. Dionyſij Feytenſij
Huius Eccleſiae
ABBATIS
Qui cum vixiſſet ann. LXXV. M. V. D. VI
Et anno MDCXII. Idib. Septemb
Diem Clauſiſſet Extremum
Pij . Parentis . Manibus
F. CHRISTIANVS . MICHAELIS * * adde F. ideſt Filius
ABBAS
Eiuſque In Eadem Eccleſia Succeſſor
H. M. P. C

Ipſa verò Dignitas non abſurdè *Abbatia* fuerit, vt ibidem legere eſt:

CXL.

S. NORBERTVS . *Archiepiſcopus. Magdeburg. Ord. Praemonſtrat. Ac. Huius. ABBATIAE. Fundator. Antuerpiam. Verbi. Diuini. Praedicatione . Ab . Haereſi . Tanchelina . Liberauit . An. Dom. M. C. XX*

Caeſar Alexius Elog. de S. Herculano II. Peruſino Epiſc. *Abbatiatum* dicit: *Qui vitae ſanctimonia ad eius Monaſterij praefecturam, & Abbatiatum vt vocant, euectus* &c. Sed barbaram plane eam vocem indicat adiectione illa *vt vocant.*

Nam quae ſacris Virginibus tribuitur vulgò *Abbatiſſae* appellatio, qua id neceſſitate fiat, non video. Vnus enim, & ſingularis in vniuerſo Sanctimonialium magiſterio gradus eſt Praefecturae, vno propterea contentus titulo ſiue eo Latino, ſiue Graeco latinis probato: V. g. *Virgo Maxima*, *Mater Sanctimonialium*, ſeu *ſacrarum Virginum*, *Mater Maxima*, *ſacrarum Virginum Maxima*, *Antiſtita*, *Praefecta aſceterijs Virginum Deo Dicatarum*, *Praefecta Aſcetriarum*, aut huiuſmodi. Nec eſt cur haeſitet Voſſius de vitijs ſerm. Cap. VI. Etſi enim harum appellationum aliqua, v. g. *Virgo Maxima*, olim Praefectae Veſtalibus daretur, nunc quidem de dicatis Chriſto vero Deo continuatio ipſa Inſcriptionis indigitat. Nec eadem noſtri ſeculi ratio & veteribus Chriſtianorum, quo tempore, vigente nimirum adhuc impia Veſtalium inſtitutione, abſtinebant ij ab hac voce *Virgo Maxima*, vt à profanis ſacra ſecernerent, ſicut *Exorciſtam* dicere malebant, vocabulo Graeco, quam Latino *Adiuratorem*. Ea verò iam extincta profanus alioqui titulus, non ſecus ac Templa DIS ethnicorum addicta, ritu nouo inuecto conſecratur.

Excipe, vbi vulgarem titulum exprimere oporteat Abbatiſſae potiùs, quàm vulgò Prioriſſae, quam tamen barbariam lenies per figuram licentiam, v. g. *Quam vocant Abbatiſſam* &c. Ita auctoritatis nullius eſſe Inſcriptionem Brabantinam apud Suueertium, liquet ex vſurpato etiam vulgari titulo *Dominae* ſeculi nimirum plumbei, vt infrà ſuo loco: Eſt autem

CXLI.

R. & Nob. Domina BARBARA. TASSE. H. S. E. Quae huic Monaſterio Sextùm reformato cum ſumma laude ABBATISSA. XXXII. Praefuit Annos. Piè tranquilleq. obijt Prid. Id. Aug. MDXCIIX. Optime Max DEVS miſerere

Nullo autem pacto tueri licet vocem *Supprioriſſae*, quam offert marmor Leodicenſe apud Suuertium in Sel. Del. in Abbatia S. Bernardi HercKemodiae. Nihil enim amplius eſt quàm Vicaria Antiſtitae, *Proantiſtita*, *Propraefecta*, *Promater*, & huiuſmodi. Sed huius vocis horrorem compenſatum videmus nitore alterius ibidem, Nam quae vulgò Celleraria, hic *Domeſticae annonae Praefecta* dicitur.

Membrum XVI.

PRIOR certae dignitatis vocabulum, nec niſi neceſſaria illius expreſſione admittendum. Nam ſi ad Monachos referas *Coenobiarcham* dixeris Graeca quidem voce, ſed recepta: Sin ad Clericos *Praeſulem*, *Antiſtitem* aliaue communi ſacrae Praefecturae. Prioratum verò dignitatem *Prioris* melius *ſacros faſces*, *Praefecturamue*. Neceſſitas tueri videtur recentem illam in Dioeceſi Piſtorienſi prope Florentiam Etruriae Metropolim, in Vico, cui nomen Sanctae Chriſtinae. Videlicet:

CXLII.

ALEXANDER DOMINICI F. S. T. D.
EX BERTIIS CHRESTINIS HVIVSCE ECCL. PATRONIS
CLEMENTIS BONSII EPISC. BITERREN. IN GALLIA OLIM VICARIVS GENER.
CVIVS MVNIFICENTIA PRIORATVM INIBI SS. PETRI AC CELSI
DE SALVIANETO NECNON IN CATHEDRALI CONDVCERIATVM OBTINVIT
A MVLTIS TANDEM LONGISQ. ITINERIBVS PATRIAM REPETENS
RECTOR HVIVS ECCLESIAE
ALTARE HOCCE LAPIDEVM
IN HONOREM S. CHRISTINAE V. ET M
SVO AERE FVNDITVS INSTAVRAVIT MDCLI. AETATIS SVAE XLIX

Obſerua nomen aliud nouae dignitatis, *Conduceriatus*, nobis Italis (vt puto) ignotae, latinè neceſſitatis gratia probandum.

Caſtigatam eapropter putaremus Brabantinam illam Inſcriptionem apud Suuertium, quà huiuſmodi vocibus parcit, ni praefixus titulus F. ideſt Fratris ea ſignificatione, quae à nobis infrà damnatur, puritatem reliquam temeraret. Ea eſt

CXLIII.

F. MARTINVS . LIPSIVS . BRVXELLENSIS
VIR . EGREGIE . DOCTVS . ET . QVI . PERPETVO . STVDIIS . QVIBVS
ET . IMMORTVVS . EST . INCVBVIT . IN . CASTIGANDIS . VETERIBVS
AVCTORIBVS . VSQVE . AD . SVPREMVM . SPIRITVM . INSVDANS
TESTANTVR . ID. OPERA . AVGVSTINI . HILARII . ET . ALIORVM
MVLTORVM . EX . IPSIVS . RECOGNITIONE . EDITA . TESTIS . EST
ET . IPSE . MACROBIVS . CVM . SYMACHO . AB . ILLO . CASTIGATVS
PRAEFVIT . MONASTERIO . CRVCELENSICO . NON . SINE . MVLTO
IPSIVS . COENOBII . FRVCTV . MORITVR . ANNO . MDLV. &c

Itaque impuram tum hac, tum alijs de cauſis, illam cenſemus Brabantinam, apud Suuertium, quae ſic habet: *Pietate. Prudentia. Eruditione. & Genere CL.* * *D. D. Ioanni De Samillan. Ord. Ciſter. prius in Baudeloo, demum huius Conuentus PRIORI opt. mer. Qui cum hanc ſacram domum ab Haereticis dirutam reſtauraſſet, annoſque XXV. prudentiſſimè gubernaſſet. Teneramundae deuixit. Hic ſepelitur. Anno MDCX. Menſe Septemb. Die II. Aetatis LXIV. Soror MARIA de Samillan moeſta poſ. apud chariſs. fratrem ſepeliri deſiderans.* * quam multa hic impuritas? *D. D.* i. e. *Domino Domino*. Habes infrà in cenſura vocis *Dominus*. Tum *Prius*, *Demùm* pro *Prius Dein*. Et *Conuentus* non eſt de Contubernalibus, quales ſunt Monachi, dic ergo *Coenobium*. Et *Priori* haud aegrè ſuffeciſſet *Antiſtiti*. Et *Septemb. Die II.* Romano more *IV. Non. Sept.*

Et

Et *Soror Maria* praepoſterè: Iterum *de Samillan* &c. Sacra quoque dignitas in militia melitenſi ſingulis Prouincijs conſtituta, qua Priores nuncupantur, cogit cum vulgo conſentire. Ita ab cenſura immunis eſt Octauius Ferrarius, qui Elogium Scipionis Papafauae ita claudit: *Tandem Meſſanae Prior honorum fulgores mereri maluit, quam optare, & virente aetate, quum praemia laudis ferret, adhuc poterat.*

Membrum XVII.

DECANVS vox nouata pro eo qui decimus eſt in ſacro coetu Canonicorum, in quos etiam poteſtatem exercet. Niſi per ſyncopam dictum velis, quaſi *Decimanus* aut *Decumanus*. Quia tamen ſic quoque inuſitata vox latinis, ſubſtitues tutius communem, v. g. *Canonicorum Maximus* (quando & *Decumanus* pro magno accipiebatur veteribus) ſeu Praeſul &c. Tametſi hiſtorialis notitia liberum illius vſum faciat: vt apud Aloyſium Iuglarem obſeruare eſt Elog. ſepulchrali de Franciſco Gillio Patritio Lucenſi, cuius frater germanus in inſigni Templo Diui Michaelis Archang. dignitatem Decani obtinebat Epiſcopali ſupparem: Ita verò habet Iuglaris

CXLIV.

Heb Quantula Vrna Capere Potuit
Sebaſtiani Gillij, Et Agnetis Bernardiniae
Totam Domum!
Tota In Filio Franciſco Iam Erat
Qui Anno Aetatis Trigeſimo
Sexagenariam Prudentiam Exhibens
Nullius Iniuria Omnium Lucratus Amores
Quo Die Ingredi Trabeatus Palatium Debuit
Suo Purpuratus In Sanguine
Ingreſſus Eſt Caelum
Suppleuit Triplicem Parcam Inuidia
Quae Suum Ipſamet Scelus Horreſcens
Illud Ne Cerneret Caeca Texit In Nocte
Quae Viuentem Virtutes Ornauerant
Ita Sunt Omnes In Moriente Spectatae
Vt Etiam Tunc Inuidendus Maximè Fuerit
Cum Magis Miſerandus Videri Poſſet
Luxit LVCA In Vnius Damno
Omnium Legum Iniuriam
IGNATIVS Vero DECANVS
Solus E Sex Fratribus Iam Superſtes
Vna Cum Natu Minimo Sibi Cariſſimo
Spes Et Gaudia Sua Omnia
Hoc Saxo Sepelijt
Anno Dom. MDCXLV

Non horret ergo illa Inſcriptio Antuerpienſis in Conuentu Bogardorum Tertij Ord. D. Franciſci (apud Suueertium) de Roggerio Taſſio: *Qui I. V. Doct. ac Protonotarius Apoſtolicus Praepoſitum & Cancellarium Louarienſem annis amplius quinquaginta: DECANVM Cathedralis Eccleſiae D. Virginis*

D. Virginis quadragintaquinque egit, fortis eiuſdem, & catholicae Religionis propugnator &c. Quamquam horreat alia ſignificatione, cùm v. g. dicitur *Sacri Collegij Decanus* pro *Antiquior inauguratione*, ſeu *Cardinalium antiquiſſimus*. Item *Epiſcoporum Decanus* pro *natu maximus*, vt in Epitaphio Lucenſi, in Templo D. Martini, de Alex. Guidicciono.

Dignitas verò ipſa erit ſiue propria appellatione *Decanatus*, ſeu communi, vt *Praefectura ſacra*, ſeu alia huiuſmodi, quae habetur infrà in cenſura vocis *Praelatus*.

Membrum XVIII.

PROMOVERI AD SACROS MAGISTRATVS haud impurè nunc dicitur contra quorundam cenſuram. Inde *Promotio* non noua, at veteribus vſitata vox: quamquam Ciceroni ab exemplis quae extant (non enim Ciceroniana extant omnia) verbum *Promouere* ſit Producere, Augere. Latinum eſt enim Participium inde ductum *Promotus* in ſuperiori ſignificatione, vt probat locus Plinianus in Epiſt. apud Auctorem Theſauri ling. Lat. *Poſtea*, inquit, *promotus ad ampliſſimas procurationes nulla occaſione corruptus ab inſito abſtinentiae amore deflexit*. Apud Suetonium autem in M. Saluio Othone ſub initium habemus: *Quamuis ob id ipſum promotos in ampliorem gradum à Claudio ſciret*. Nec ipſa vox *Promotio* exemplo caret apud Aſcon. Paedian. III. in Verr. *Aſcenſus nomen eſt ordinis, & promotionis in militia*. Nihilominus vt nitidè inſcribas, ne dum purè, accipe ſynonymum huiuſce dictionis ex Epitaphio recente Lucij Saxi Neapolit. Card. (citatur à Suueertio in Select. Delic. de quo ſic legimus: *Tandem à CLEMENTE VIII. ſola aſſiduorum pro Apoſtolica Sede laborum inſpectione, Prima LECTIONE vnà cum illuſtriſſimis * Nepotibus nominationis praerogatiua in ampliſſimum ordinem adſcitus, non plus ex eo accepit, quàm eidem contulit ornamenti*. De voce *Nepos* adi infrà Membrum XII. Claſſis VI. Hiſtorial. Latinè igitur dices ſicut *Promoueri* ad Conſulatum, & creari Conſulem; ita promoueri ad Epiſcopatum, ad ſacram purpuram, & creari Epiſcopum, Cardinalem. Deſignari autem non dices, niſi de illo, qui priùs aliquanto eligitur, quàm ſuſcipiat honoris gradum; quod Epiſcopis forte competit ante ſolemnem initiationem: Cardinalibus verò aut ante quàm ſacro ornentur Galero, aut forte cùm ex nouiſſimo inſtituto ſeruari dicuntur in pectore Summi Pontificis.

Quae verò improbentur Sacrorum Magiſtratuum vocabula

Membrum XIX.

PAPA Graeca vox, plena venerationis ad Patrem, vt Scriptorum auctoritas, & Syracuſanorum mos vetus teſtatur; digna iccirco, qua ſumma dignitas Chriſtiani Orbis ſignificetur, niſi Latina per quam grauiſſima ſuppetat, *Pontificis Maximi*. Nam vt Epiſcopos omnes Pontifices rite appellari ſuprà tradidimus; ita Romanum Epiſcopum à Chriſto praepoſitum omnibus, *Pontificem Maximum*, vel *Summum*. Iacobus Gaddius in Elog. Orator. VRBANVM VIII. Papam magnificè appellat *Chriſtianae Reip. Dictatorem; Arbitrum vnicum Religionis; Sacrorum Imperatorem; Religionis Dictatorem; Supremum Chriſtianae Reip. Moderatorem*. Sigiſmundus Boldonius Epiſt. ad ipſum Vrbanum, *Patrem Sanctiſſimum humani generis*. Adde *Principem Epiſcoporum*; *Monarcham Eccleſiaſticum*; *Epiſcoporum Maximum, Summum Sacrorum Antiſtitem*. Hinc pro Papatu dices *Pontificatum Maximum* vel *Summum*; *Supremam infulam*; *Apoſtolici faſtigij gloriam*; *Sacrum* & *auguſtum Principatum*; *Diuinum Pontificatum*; *Eccleſiaſticam Monarchiam*; haec autem & ſimilia ibi ratio Elogij poſtulabit. Pernobile eſt Elogium Arcui triumphali inſcriptum Romae, citatum in Del. Sel. Chriſt. Orb. apud Suuert. Videlicet:

VRBANO

CXLV.
VRBANO . VIII. PONT. MAX
CONSPIRATIONE . VIRTVTVM
OMNIVM
PRAEROGATIVA . SVFFRAGIORVM
CAELITVM . HOMINVMQVE . CONSENSV
AD . CHRISTI . REGNVM . EVOCATO
FLORENTINI
PRINCIPI . SANCTISS. EX . VATICANO
DOMINAM . VRBEM . INTRANTI
TRIVMPHALE . VESTIBVLVM
OFFERVNT
OBSEQVII . SVI
ET
PATRIAE . GRATVLANTIS
ARGVMENTVM

Membrum X X.

P*RAELATVS* ſubſtantiuè barbarum eſt: adiectiuè latinum, vt apud Ouid.

Nec mea praelatum cupio tibi ferre poëtam
Ingenio ſi te ſubſequor, hoc ſatis eſt.

Et Sueton.in Othone: *Sed poſtquam Piſone praelato ſpe decidit, ad vim conuerſus eſt.* Verùm in appellatione ſacrae dignitatis ſubſtantiuè vulgus vſurpat, vti è participio nomen factum, quod nemo bonorum ſcriptorum probauerit. Itaque non eſt ſolitariè dicendus *Praelatus*, ſed cum adiuncto, v. g. *Sacris Praelatus*, vt & *Sacrorum Antiſtes*, *Sacrorum Praeſes*, *Sacer Dynaſta*, aut *Magiſtratus*; *Princeps ſacrorum*; *Antiſtes ceremoniarum*; *Infulatus Myſta*, & vnica voce *Praeſul.* Eleganter quoque Natalinus Graſſius in Gratulatione ad Sereniſs. Ducem, ac Senatum Venetum de Cornelio Patriarcha inaugurato (eſt autem norma laudationis Laconicae ad Elogij fermè numeros) vbi ſic habet: *Quae mox in ſupremo Reip. Principe Ioanne Cornelio parentem obtulit: nunc SACRO PRAEFICIENDVM IVRI filium offert in Federico Cardinale.* Nec minus nitidè Inſcriptio Bibliothecae Collegij maioris Theologorum in Ruardum Tapperum Fundatorem; citatur apud Franc. Suueertium inter Brabantina monumenta: *Huic repurgandae ab haereſibus Patriae prouincia demandata, in qua quàm ſtrenuè ſe geſſerit, teſtari poſſunt ſuperſtites ECCLESIAE PROCERES: Teſtabuntur, dum ſteterit Chriſtiana religio, Expoſitiones* &c. Obſeruandus omninò P. Iouius quemadmodum ordines duos diſtinguat eorum, qui vulgò *Praelati*. Nam qui *Plebani*, *Priores*, *Archipresbyteri*, & ſimilis gradus, eos vocat Antiſtes, Principeſque minorum Sacerdotum: Qui verò altiori in gradu poſiti, vt *Epiſcopi*, *Archiepiſcopi*, *Primates*, *Patriarchae*, hos ille Reges ſacrorum. Vide eius libellum de legatione Moſchouitarum.

Praelaturae item voci barbarae, dignitatem ipſam ſacram ſignificāti ſubſtituetur *Praeſulatus* à Praeſule, vt à Conſule Conſulatus: nec deſideratur exemplum in bono, etſi recenti marmore, Lucae in Vrbe Etruriae, in ſummo Templo.

CXLVI.
ALEXANDER . GVIDICCIONVS
ANTONII . F
TERTIVS . VTRIVSQVE . SVCCESSOR
ANNO . SVI . PRAESVLATVS . XXXIV
INSIGNIS . MEMORIAE . PATRVO
ET . PATRVELI
VTI . CHARITATE . CONIVNCTVS
ITA . IVNGENDVS . CINERIBVS
ET . SEPVLCRVM . POSVIT
ET . SIBI . DELEGIT . VIVENS
NASCIMVR . IMPARES
PARES . MORIMVR
CINIS . AEQVAT . OMNES

Tertius autem indicat praecedentia Epitaphia duo, alterum Bartholomaei Cardinalis patrui, alterum Alexandri patruelis, amborum in Epiſcopatu praeceſſorum.

Membrum XXI.

GRADVATVS Latinis inauditus. Pro quo circumſcribitur *In gradu dignitatis conſtitutus* ſi ad ſacros honores refertur: ſin ad literarios *Suprema laurea in Iure* verbi gratia, idem de alia Scientia *ornatus*. Hinc quoque notatur barbarie Inſcriptio Brabantina apud Suuertium: D. O. M. Et D. CAECILIAE. *Balthaſar Bontius huius Eccleſiae Canonicus Graduatus, Et quondam Caeſaris Caroli V. Muſicus, hanc tabulam zelo pietatis poſ. An. A Natiuitate IESV CHRISTI MDC.*

Membrum XXII.

MITRATVS gratis nouata vox, impura idcirco, etſi à *Mitra* è Graeco accepta, & Latinis probata. Cum autem ad rem ſacram vulgò referatur, pro ea reponetur *Inſulatus*, ſubintellecto Sacerdos, ſeu Antiſtes, ſeu Pontifex. Sed & *Mitra* cùm interdum pro capitis adoleſcentularum corona vſurpetur, quò ambiguitas tollatur, rectiùs dicetur *Inſula*, quae ferè Sacerdotum eſt: *Mitratus* verò deſcribetur, *Gaudens vſu inſulae*, aut ſi malis, *vſu mitrae*; Item *Inſula* aut *Mitra inſignitus*. Praeſulem mitra fulgentem deſcribens Alexius Ledeſma Elogio de Ant. Maria Brambilla Archipresbytero Modoëtienſe: *Ad Modoëtienſem*, inquit, *Eccleſiam ornatu Pontificio ſingularibus priuilegijs amploque cenſu inſignem* &c.

Membrum XXIII.

VICECANCELLARIVS *S. R. E.* compoſitio vulgaris eſt, ac barbara, nec ſatis videmus, cur non etiam notae vulgò ſignificationis fuerit *Procancellarius*. Sed eſt, inquies, aequè barbara vox ſimplex *Cancellarius*: ſit licet; vſus tamen acceptus in nouo Magiſtratu appellando vti neceſſariam approbauit. Cum hoc autem eius compoſitio analogiam ſequi debet aliarum vocum ſimilium. Ita enim latinè dicimus *Prorex*, non *Vicerex*; ita *Proprinceps*, *Prolegatus*, *Proconſul*, *Propraetor*, *Prorectorem* dixit Octauius Ferrarius, quem vulgò *Vicerector*, Elogio de Henrico Lindeſaio Patauini Gymnaſij moderatore.

CXLVII.

HENRICO . LINDESAIO
PRORECTORI
CVM . PAVCIS . COMPARANDO
CVIVS . INDVSTRIAE . AC . DEXTERITATI
VENETA . MAIESTAS . PRIMVM
INDVLSIT
VT . PRORECTORES . DEINCEPS
EODEM . RITV . QVO . PROCERES . ET
NOBILIA . CAPITA
LAVREA . INSIGNIRENTVR
IVRIS . STVDIOSI . PP

Nam vox *Vicecomes* ex Appellatiua barbara in propriam nouae dignitatis primùm, tùm in familiae inde nuncupatae non illegitimè migrauit. Caeterùm qui vicem exhibet Comitis, eſt *Procomes*; qui Marchionis, *Promarchio*, ita *Produx*, *Prodominus* &c. Hinc doleat neceſſe eſt, quiſquis ea tactam carie viderit auream alioqui Epigrapham Neapolitanam apud Suuertium in Sel. Del. quam hic iubemur proferre. Ea Portae Palatij Marchionis de Vico impoſita ita legitur:

NICOLAVS

CXLVIII.

NICOLAVS ANTONIVS CARACCIOLVS * VICE MARCHIO, ET CAESARIS A LATERE CONSILIARIVS HAS GENIO AEDEIS, GRATIIS HORTOS, NYMPHIS FONTES, NEMORA FAVNIS, ET TOTIVS LOCI VENVSTATEM SEBETHO, ET SIRENIBVS DEDICAVIT AD VITAE OBLECTAMENTVM, ATQVE SECESSVM, ET PERPETVAM AMICORVM IVCVNDITATEM ANNO MDXLIII

Pro *Vicelegato* igitur deſcribunt quidam *Vicaria legatione fungentem*. Hoc ipſum ergo de reliquis. Vicarium autem Epiſcopi *Propraeſulem*, *Propontificem*. Nam quod vſurpat Iacobus Gaddius in ſuis Elogijs Sepulcralibus num. X. *Hic quieſcit Camillus Pandulphinus Proepiſcopus Faeſulanus, in Aede Maxima Florent. Canonicus, in hac Antiſtes* &c. ſcrupulum mihi non contemnendum ingerit, ne hybridum ſapiat, vox quippe Graeca *Epiſcopus* cum praeuerbio latino *Pro* compoſita: Eſt enim Graecè ἀντὶ, non πρὸ: At *Proantiſtes* ex vtraque compoſitionis parte latina non eſt, cur quaſi hybridam aliqui expungant. Vtitur illa Franciſcus Pola in Veronenſi Inſcriptione, Videlicet:

CXLIX.

ANNO . MDCV
DIE . SABBATI . XXIII. APRILIS
ACADEMICI . PHILARMONICI
AEDIFICIVM . HOC . INCHOARVNT
LEONE . XI
PONTIFICE . MAX. COMMODVM . CREATO
ALBERTVS . VALERIVS . PROANTISTES . VERONENSIS
MANV . SACRA
PRIORES . FVNDAMENTORVM . LAPIDES . IECIT
PRAEFECTIS . ACADEMIAE
ALEXANDRO . VIMERCATO . IO. PAVLO . BECELLO
GASPARE . ROMANO . FRANCISCO . MANVELLO
HORIO . MONTENARIO . COMITE . BARTHOL. MAPPHAEO . IVRISC

Aliter quoque, & quidem latinè dicetur *Procancellario* vna voce, & per caſus omnes ac numeros, eadem plane analogia, qua Latinis veteribus *Proconſule*, & Salluſtio *Promilite*, & Ciceroni *Proquaeſtore*. Conſulas Theſaurum ling. Lat. in Voce *Proconſule*: Ita loqui poſſumus *Ille fuit Proantiſtite*, *Procancellario*, *Prorege* &c. Ad normam veterum ſequioribus ſaeculis vſurpatum eſt, & quidem commodè *Exquaeſtore*, *Exconſule*, per omnes ſimiliter caſus & numeros. Iuſtinianus in II. Epiſt. Pandectis praefixa: *Per Tribonianum* ait *Virum magnificum*, *Magiſtrum*, *& Exquaeſtore ſacri Palatij*, *& Exconſule*. pro Exquaeſtorem & Exconſulem, ideſt Viro Quaeſtorio, & Conſulari, ſeu Qui quaeſturam, & Conſulatum geſſerat.

Dignitas autem ipſa Procancellarij rectè *Procancellariatus*, vt *Proconſulatus* Plinio, & Gellio: & ad eum modum *Propraeſulatus*, *Propontificatus*, *Proprincipatus*, *Propraetura*.

Membrum XXIV.

G*ENERALIS*, & *PROVINCIALIS*, Magiſtratus ſacrarum familiarum (niſi cum Appoſito, v. g. *Generalis Praeſul*, aut *Praefectus*, aut quid huiuſmodi) barbariem redolent: neque ea ſubintelligere eſt ſatis, nullo extante exemplo latinorum, niſi proximè vox praeceſſerit. Rectiùs *Ordinis vniuerſi*, aut *Prouinciae moderator*: Seu *Generalibus*, aut *Prouincialibus munijs fungens*: *Praefectus Ordinis*, aut *Ordini Praefectus Prouinciae*. *Ordini vniuerſo praefuit*, pro (vulgò) fuit Generalis. In ſelectis Orb. Chriſt. Delicijs, Epitaph. Patauinum: *ANTONIO . TVBETAE . QVI* &c. *Diui Antonij Prouinciae Annos ſuper XX. praefuit* &c. Ibid. Epitaph. Bononien. *Qui Prouincialia*, *& Generalia munia tamdiù exercuit* &c. Scitè etiam

Carolus

Carolus Raynoldus Elogio in laurea Sfortiae Brippij vocatur *GALEATIVS. BRIPPIVS. ORDINIS. HVMILIATORVM* (ſacri & ampli in Italia) *GENERALIS. MAGISTER.*

Legitur Mediolani in Diui Marci

CL.

HIC SITA SVNT OSSA BEATI LANFRANCI SEPTALAE MEDIOLANEN QVI OB MAGNVM VIRTVTVM SPLENDOREM TOTI AVGVSTINIANO ORDINI PRAEFECTVS PRIMVS ITA SE GESSIT, VT OMNIA PENITVS COLLASA IN PRISTINVM STATVM REDEGERIT. OBIIT AN. DOM MCCXXIV

Pola imaginem Cottij hac ornauit Inſcriptione

CLI.

BARTHOLOMAEVS HIC EST COTTIVS
SVPREMVS LATERANENSIVM CANONICORVM PRAEFECTVS
RELIGIOSAE QVIETIS SANCTIQ. PROPOSITI
VSQVE ADEO TENAX
VT MEDIOLANEN. ARCHIEPISCOPATV, QVO A NICOLAO V,
FVERAT AVCTVS SESE ABDICAVERINT MCCCCLIV

Hinc prompta erit cenſura Romani Epitaphij in Diui Auguſtini, apud Suuertium in Select. Delic. videlicet:

CLII.

ALEXANDRO. OLIVAE. SAXOFERRATENSI. THEOL. CLARISS. EREMIT S. AVGVSTINI. AB. INFANTIA. SPEI MAXIMAE. ALVMNO. QVI. CVM. ESSET SVI. ORDINIS. * GENERALIS. OB. SINGVLAREM. DOCTRINAM. ET. VITAE SANCTIMONIAM. CARDINALIS. A. PIO. II. IGNORANS. CREATVS. EST VIXIT. ANN. LV. OBIIT. ANNO. SAL. M.CCCC.LXXII

Aſteriſci loco ſi reponas ANTISTES, aut ſimile Epitheton, purgatum habebis Epitaphium.

Simonis autem Stochi ſacroſancta memoria purgari latinitate poſtulat. Refert poſitam apud Carmelitas Suueertius in Brabantinis, videlicet:

CLIII.

Huius Conuentus fundatio incepit Anno Dom. MCCXLIX. tempore Innocentij Papae IV. ſub Generalatu Magiſtri SIMONIS. STOCH. iam miraculis clareſcentis, Regnante Duce Brabantiae Henrico III

Tu verò ſic lege:

Huius Conuentus fundatio coepit anno Dom. MCCXLIX. Innocentio IV. Pont. Max. Simone Stocho Generali Magiſtro iam miraculis clareſcente, ac Duce Brabantiae Henrico III

Licebit etiam dicere *Magiſtrum* abſque epitheto, vt in Epitaphio Tridentino apud Suueertium in Select. Del. videlicet:

CLIV.

HIERONYMO. SERIPANDO. CARD
CONCIL. TRID. LEGATO
CHRISTOPHORVS. PATAVINVS
SODALITII. EREMIT
MAGISTER. POS

Quomodo autem *PROVINCIALIS* reddi eleganter poſſit, docet inelegans aliunde Inſcriptio Brabantina apud Suueertium, videlicet:

Anno

CLV.

Anno Domini MDLXXVIII. V. Septemb. contagioſa lue ex ergaſtulo carnis ereptus eſt Venerandus PROVINCIAE PATER Et Definitor Frater ARNOLDVS ALOSTANVS. Qui cùm Prouinciam in varijs Ordinis officijs praeclarè ornaſſet, Eccleſiamq. Chriſti multis editis pijs voluminibus illuſtraſſet, diem hic clauſit extremum. Cuius Anima R. I. P

Ad veterum bonas leges ea quoque eſt formula recens in Epitaphio Clariſſimi V. doctrina, & ſanctitudine, PETRI CANISII è Societ. Ieſu (citat Suueertius in Select. Delic. inter Ingolſtadiana) vbi habetur. *Eidem Societati in Germania Primus PROVINCIALIS PRAEPOSITVS ab ipſo B. Ignatio datus* &c. Caeterùm *Prouincialis* eſt homo ex Prouincia, vt indicat Inſcriptio apud Auctorem Inſcripp. Sacroſ. Vetuſt. Romae apud Diui Baſilij:

CLVI.

BETITIO . PERPETVO . ARZYCIO
V. C. CONSVLARI . TVSCIAE
ET . VMBR. OB . SINGVLARIA
EIVS . ERGA . PROVINCIALES
BENEFICIA . ET . OB . MODERATI
ONEM . PRO . DOCVMENTO
ETIAM . POSTERIS . RELIN
QVENDAM . AETERNVM . STA
TVAE . MONVMENTVM
TVSCI . ET . VMBRI . PATRONO
PRAESTANTISSIMO
COLLOCARVNT

Membrum XXV.

PLEBANVS, & CVRATVS hi ſunt, qui in Aede Cathedrali, aliaue inſigni, Myſteria, ſeu Sacramenta adminiſtrant. Has ergo voces fruſtrà finxere, cùm reddi latinè perbellè poſſint *Paſtor Paroeciae*, *Dominus Plebis*, *Curio Plebis*. Quemadmodum autem neceſſitas approbat rerum nouarum noua nomina; ita vbi nomina extant vetera, ſignificandis rebus nouis, noua tunc nomina barbarie notabuntur. Eius generis habetur *Plebanus*. Ergo purgari poſtulat Inſcriptio Brabantina in D. Iacobi Syluaeducen. apud Suueertium, videlicet:

CLVII.

MEMORIAE . AVITAE . EXIMII . VIRI . * DOMINI . ET . MAG. IOANNIS . * HAVENS
PRIMVM . PASTORIS . HVIVS . ECCLESIAE . DEINDE . CATHEDRALIS. S. IOANNIS
EVANGELISTAE . CANONICI . ET . * PLEBANI . VIGILANTISS. CVIVS . ERVDITI
ONEM . ACADEMIAE . FACVNDIAM . TEMPLA . INTEGRITATEM. VITAE . OMNIS
ORDO . VENERATVS . EST . VIXIT . ANNO . MDCIII. V. KAL. NOVEMB

indicat autem Aſteriſcus praefixum barbarè titulum Domini, & peruersè Magiſtri: nomen quoque gentilitium terminandum latinè *Auenſij*: *Plebani* autem ſubmoto vocabulo aut repetendum fuiſſe *Paſtoris*, aut elegantiùs variandum v. g. *Domini Plebis*, aut ſimiliter. Nam etſi Paſtori Cathedralis potiſſimè vulgus tribuit Plebani appellationem, iam tamen Cathedralis mentione praemiſſa id ſatis, ac ſuper conſtitiſſet.

Horreſcit nihilò minùs compoſita inde vox *Subplebanus* pro Plebani Vicario; non ideo quod analogiae aduerſetur, vt quidam nobiſcum, nec ineruditus, contendebat, cui nos opportunè occurrimus cum voce Liuiana *Subcenturio*, pro eo, qui Centurionis gerit vices; Verùm quod

ruat compoſitionis fundamentum in voce ſimplici. Id quod cauere debuit Franciſcus Suueertius Magni filius in Brabantinis Auctor tumuli illius honorarij, caeteroqui puri, & nitidi; quem duximus è re citandum:

CLVIII.

EXTREMVM . MONVMENTVM
HENRICI . TERBEKEI . A . COESVELTO
ANTE . TRAGICOS . ISTOS . TVMVLTVS
VLTRAIECTINI . CANONICI
OB . FIDEM . CATHOLICAM . RO. IN . EXILIVM . PVLSI
DIVINI . VERBI . IN . VBIIS . PRIMO
AC . DEIN . ANTVERPIAE . DISERTI . PRAECONIS . ET
SVBPLEBANI
VIGILANTISSIMI . ET . OMNIBVS . CARISSIMI
QVEM . PRAEPROPERA . SVBLATVM . MORTE
VRBS . VNIVERSA . ELVXIT
VT . NVNC . SINE . LVCTV . SIT . ET . AETERNVM . GAVDEAT
TE . MAGNE . DEVS . ROGAMVS
NON . INGENI . AMOENITAS . NON . INSITVS . HOMINI . LEPOS
NON . COMITAS . ORISVE . DELICIAE
FERREIS . POTVERE . OBNITI . FATIS . AVT . LETHI . DVRAS
CONVELLERE. LEGES
FRANCISCVS . SVVEERTIVS . F
AMICO . TANQVAM . FRATRI . POS

Pro *Plebano* inter alia ſuggeſſimus *Curionem plebis*, vt *Curati* excluderetur vocabulum, quod vulgus indidit Paſtori animarum: hae ſiquidem potiùs Curatae, ille autem Curator, ſi vocis latinae vim pendimus. Caeterùm quando fuit priſcis Romanis Curia, in qua ſacrorum cura publica erat, & feriae obſeruabantur, indeque dicti Curiones, quibus id curae incumbebat; ita pro appellatione *Curati* vulgari, ac barbara ſubſtituemus latinam *Curionis*, aut etiam *Curialis Flaminis*, vt tradit Q. Marius Corradus lib.V. de Copia ſerm.lat. Et Curionis quidem non rarum occurrit exemplum praeſertim apud Suueertium in Brabantinis: vt illud Mechlinienſe:

CLIX.

D. O. M. ET
MEMORIAE. MATTHIAE. VANDENHOVEI. THEOLOGI
HVIVS. SACRAE. AEDIS. CVRIONIS. QVI. DVM. OVIBVS
SVIS. GRASSANTE. PESTIFERA. LVE. VT. BONVS. PASTOR. SEDVLO
ADEST. EADEM. CORRVPTVS. SVMMO. CVM. BONORVM. DOLORE
IN. FLORE. AETATIS. OCCIDIT. PRID. ID. OCT. AN. DOM. MDCIII

Quam etiam vocem anno antè vigeſimo tertio inſertam conſtat Epitaphio Mediolanenſi ad Diuae Euphemiae, citato apud Placidum Puccinellium, videlicet:

CLX.

DOMINICO. CAMERLO. A. FONTE. VALLIS. AVGVSTAE
HVIVS. ECCLESIAE. CVRIONI. VIGILANTISSIMO
ET. ALIIS. HVIVS. TEMPLI. SACERDOTIBVS
SODALITAS. CORPORIS. DOMINI. NOSTRI. IESV. CHRISTI
HERES. EX. EIVS. TESTAMENTO. FIERI. IVSSIT. ANNO. MDLXXX

Et vt à Conſule Conſulatus, ita à Curione Curionatus munus ipſum Curionis, non autem vt vulgò *Cura*: Neque inſolens in marmoribus bonis vox, vt ſubiectum probat exemplum indidem exſcriptum per Puccinellium:

D. O. M.

CLXI.

D. O. M. ET
MEMORIAE. HENRICI. HECTORIS. LEODICENS. QVI. MAGNO
LABORE. OB. TEMPORVM. DIFFICVLTATES. FIDELITER. ADMINISTRATO
PER. XXXI. ANNOS. HVIVS. SACRAE. AEDIS. CVRIONATV. MA
GNO. SVI. DESIDERIO. RELICTO. PLACIDE. IN. DOMINO. QVIEVIT. AN
REPARATAE. SALVTIS. MDCII. MENS. OCT. DIE. IX. IOAN. MAL
DONADO. EX. TESTAM. HERES. P. CVM. VIXISSET. ANN. LXXIII
PRECAMINI. PACEM. DEFVNCTI. MANIBVS

* lege latinè *Maldonadus*, vel *Maldonatus*

Hinc *Curioniũ*, aes quod dabatur Curioni ob Sacerdotium Curionatus, Vt docet Feſtus. Hodie aptè dicentur reditus annui, quibus aluntur vulgò dicti *Curati*. Et *Curionia*, Sacra, quae in Curijs fiebant. Feſt. hodie vulgò functiones *Curatorum*, ſeu *Parochiales*. Alicubi pluribus in eadem curia praefectis, qui caeteris eminet, *Curio Maximus* rectè nuncupabitur, quemadmodum qui omnibus Pontificibus, Pontifex maximus.

Membrum XXVI.

GVARDIANVS Italis vulgaris appellatio Antiſtitis ſacri Ordinis Franciſcanorum ab vſu paſtoritio, vt is ex oraculo Euangelico deuotis hominibus quaſi ouibus regendis paſcendiſque paſtor exprimatur. Nulla verò latinè locuturis abſurdior vox, ac ſeculo plumbeo dignior. Cur enim non commodè hunc honoris gradum indicent communes illae appellationes ſacrae Praefecturae *Moderator*, *Rector*, *Praeſul*, *Antiſtes*? Sin autem ſenſum illius mordicùs teneri oporteat, quidni latinè pro *Guardiano* barbaro *Cuſtodem* reponas? Namque ita ſacrum ius Ordinis tuetur Antiſtes, quemadmodum ius Ciuitatis profanum Praetor, de quo quidem Cicero III. de Legib. *Iuris diſceptator, qui priuata iudicet, Praetor eſto: Is iuris Ciuilis cuſtos eſto*. Ruſticas ergo in hac parte habebis Inſcriptiones Brabantinas, quae dictionem iſtam inſertant, etſi aliunde quoque odorari ſitum fas eſt. Cuius notae illa videbitur

CLXII.

Venerabili D. & * Fratri ARNOLDO ab Aggere aliàs* Folcarts Olim Campenſium & VVeertenſium * Guardiano pòſt huius Conuentus Vicario An. MDLXXII. piè hic mortuo ex * Vxore patruo. Guilielmus de Reis huius Ciuitatis Conſiliarius & Syndicus Poſ. & Anno MDCVII. renouari curauit*

Vbi quiſque Aſteriſcus index eſt mendoſae locutionis, expurgandae autem tùm ex praecedentibus, tùm ex ſubſequentibus noſtris obſeruationibus.

Typum verò optimum habes in marmore recenti Mediolani ante Sacrarium Diui Franciſci, in quo memoratur electus in generali conuentu ordinis Praeſul Maximus. Citatur à Placido Puccinellio in hanc formam:

CLXIII.

AMPLISSIMI. FRANCISCANAE. FAMILIAE. CONVENTVS
QVI. AN. DOM. MDLXII. KAL. IVN. HIS. AEDIBVS. HABITVS
EST. VBI. NOBILISSIMA. MEDIOLANENSIVM. CIVITAS. TOT
PATRVM. INSIGNEM. ERVDITIONEM. ET. PIETATEM. MIRATA
VNA.CVM. IPSO.REGE.CATHOLICO. EORVM. INOPIAM. LIBERALITER
SVBLEVAVIT. ATQ. ANTONIVM. SAPIENTEM. AVGVSTENSEM. IN
EIVSDEM.FAMILIAE.PRAEFECTVM.IBIDEM. ELECTVM. NVLLIS. NON
OFFICIORVM. GENERIBVS. PROSECVTA. EST. VT. MEMORIA. TRANSIRET. AD. POSTEROS. NON. IMMERITO. LAPIS. HIC. APPOSITVS. EST
SVB. AVSPICIO. PII. IV. MEDICES. MEDIOLAN. PONT. OPT. MAX

Caeterùm non ſolâ legum ſacrarum cuſtodiâ continetur Praeſul, qui Patris vices obit, nec tantùm Iudicis. Ita aliud illi nomen *Pater Monachorum*, *Pater Maximus*. Repete quae ſuprà in Voce *Abbas*, Membro XV.

Membrum XXVII.

PRAESIDENS,*entis* (praeter delibata nobis ſuperiùs in Voce *Praeſes*, Membro III. hoc ampliùs adnotandum occurrit) etſi peculiarem vſum obtineat vulgò, in ſacro Ciſtercienſium Ordine, quo ſummus Moderator ſignificatur, ineptè tamen nouatum videtur, vbi latinum ſuppetit vocabulum vetus, & quidem ſignificantiſſimum. Quare ſit licet vox iſta *Preſidente* Italis noſtratibus non approbata ſolum, ſed elegans, nunquam tamen admiſcere fas erit latino ſermoni.

At, inquies, Verbum *Praeſideo* pro Praeeſſe cum auctoritate, eſt planè boni ſaeculi, quidni deductum quoque ab eo legitimè *Praeſidens*? Rectè tu quidem, ſi Participium vſu venit, vt apud Suetonium in Vitellio Cap. IV. *Sed aliquanto Neroni acceptior, cùm propter eadem haec, tùm peculiari merito, quòd PRAESIDENS certamini Neroneo cupientem inter Citharoedos contendere, nec quamuis flagitantibus cunctis promittere audentem, ideoque egreſſum theatro reuocauerat, quaſi perſeuerantis populi legatione ſuſcepta exorandumque praebuerat*. Participium illud, inquam, rectè: At verò ex Participio nomen, in quod migrauerit neceſſe eſt, vt munus, non actio cum tempore ſignificetur, nondum apparet Latinis florentibus vſitatum. Eius quidem loco fuit *Praeſes*. Quò fit, vt ad nouum è profanis magiſtratibus, qui vulgò eſt Italis *Preſidente*, vox *Praeſes* perbellè accommodetur; vt in Claſſe ſequenti. Illo autem in marmore, quod Spurijs Gruterus accenſet pag. II. vti de fide ſuſpectum (nobis quidem à charactere non impurum) liquet pro Participio eam vocem ſumi, ac tempus adnotari, Videlicet:

CLXIV.

MARTI . GRADIVO . PATRI . QVIRINI
COLONI . ROMANI . NOVI . NVMANTINI . TEMPLVM
EO . LOCO . EREXERE . QVO . P. SCIPIO . CASTRA . ANTEA
ROMANA . HABVERAT . SALIOSQ . CONSTITVERE
KL. MARTIIS . ORDINE . DECVRIONVM . ET . REGE
SACRAMENTORVM . OPERI
PRAESIDENTE

non ſecus atque, cùm ſcribitur *opus curante*, *operi inſiſtente*, aut huiuſmodi. Quem ſcopulum prudenter cauit recens Auctor monumenti Rauennatis, apud Suueertium in Select. Delic. Videlicet:

CLXV.

PAVLO . IIII . PONT . MAX . SEDENTE
F. DONATVS . CAESIVS . EPISC . NARN . VTRIVSQ . SIGNATVRAE
REFERENDARIVS . DVM . AEMILIAE . PRAESIDERET . LOCVMQ.
HVNC . CONFLICTVS . RAVENNATIS . CELEBRITATE . CLARVM
DILIGENTER . EXPLORASSET . NE . TANTAE . REI . MEMORIAM
VETVSTAS . TEMPORVM . ABOLERET . HOC . ERECTO . MARMORE
CONSERVANDAM . CVRAVIT

Eſt ergo vox *Praeſidens* ex Participio nomen, ſequioris ſeculi, vt poſſet quis coniectare ex Inſcriptione, Adriani Caeſaris iuſſu, excelſae columnae indita, in ingreſſu Patriae deſertae, quam cum alijs multis è vario marmore adhuc viſi teſtatur libro II. Itinerarij ſui Alexander Geraldinus Amerinus, Epiſcopus Ciuitatis Sancti Dominici apud Indos Occidentales (editum eſt Romae Anno Dom. MDCXXXI.) *Altera*, inquit, *Columna Adriani Aug. è regione erat* &c. Edictumque eius refert in haec ipſa verba:

IMP.

CLXVI.

IMP· CAESAR

DIVI . TRAIANI . PARTHICI . FILIVS . DIVI . NERVAE . NEPOS . TRAIANVS
ADR. AVG. PONT. MAX. TRIB. POT. COS. III
QVONIAM . MVLTI . NOLENTES . AB. ANTIQVO. MAIORVM. RITV. SE. RETRAHERE
SED. INTESTATO. PATRVM. ERRORE. VIVERE. ANIMO. EORVM. OMNINO. INSIDET
ADEO. QVOD. PER. LOCA. AETHIOPIAE. FINITIMA. CVM. CAMELIS. EQVIS. BOBVS
PLAVSTRIS . ET. RELIQVIS. FAMILIAE . ANIMANTIBVS . ASSIDVE. OBERRANT . SVB
DIVO. VIVVNT. OMNIA. CIVITATVM. COMMERCIA. OMNIA. PER. OPPIDA. INCO-
LATVM. EVITANT. ET. MVLTOS. AD. ID. AGENDVM. INDVCVNT. ET. SI. ALIQVEM
CVM. PVBLICO. MAGISTRATVVM. EDICTO. CVM. APERTO. CONSVLVM. IMPERIO
AD . SE . ITVRVM . AVTVMANT . E. VESTIGIO . IN . AETHIOPIAM . DEFERVNTVR
PROPTEREA . IPSIS . PROVINCIARVM . CONS. PROCONS. PRAETOR . PROPRAETOR
ET. QVIBVSCVNQVE. * POPVLORVM. PRAESIDENTIBVS. PVBLICO. EDICTO. MAN-
DAMVS . VT. CVM. ELECTO . MILITVM. ORDINE . CONTRA. ILLOS . ACCELERENT
EX . AETHIOPIA . SI . FIERI . POTERIT . ERVANT. PER. VICINA. VRBIVM. FORA. PER
LOCA. OPPIDORVM. PVBLICA. CVM. CRVDO. ET. TRVCVLENTO. LETHI. GENERE
CONFICIANT . NVLLO . ENIM . MODO . EAM. GENTEM. AD. ANTIQVVM. VIVENDI
MOREM. RELABI. SINERE. TOLERANDVM. EST

quam certè Inſcriptionem haud integrae latinitatis eſſe probat praeter rationem ipſam temporum modus quoque corruptus in literis CONS. PROCONS. quas priſci COSS. PROCOSS. numero multitudinis: Et *Adeo quod*, pro Adeo vt. Verùm quòd intruſum ſit *Praeſidentibus* pro *Praeſidibus*, Exſcriptori potius, aut Typographo dandum, quam ſaeculo facile eſt coniectare cùm ex pluribus mendis, iiſque pinguibus in alias eodem libro citatas Inſcriptiones illapſis. Nam & *Praeco* ibi legimus pro *Praecone*, & *Proſeuiam* pro *Proſeuchiam*: Tùm ex altero huiuſmodi edicto tempore poſteriori, pauloque pòſt ibidem citato: Vbi genuina vox, dum reſtituitur, ſimul illius barbariae ſuſpicione ſaeculum purgat. Eſt verò edictum hoc grandi pariter columnae Romanis literis ita inciſum:

CLXVII.

IMP· CAES

M. ANTONINVS . VERVS . INVICTVS . AVG. PONT. MAX. TRIB
POT. VIIII. P. P. COS. II. PROCOS
NVLLI . CONSVLES . NVLLI . PROCOSS. NVLLI . PRAETORES
NVLLI . PROPRAETOR . NVLLI . PROVINCIARVM . PRAESIDES . HOS
LIMITES . COLVMNARVM . IN . INTROITV . AETHIOPIAE . POSITOS
QVI . VERVM . CARDINI . EXVSTO . TERMINVM . DESIGNANT . CVM
EXERCITV . PERTRANSIRE . AVDEANT

Fortaſſis locum dedit vſurpādae voci *Praeſidens* cum genitiuo vſus aliorum participiorum, quae ab Actiuis manātia caſum ſecundum pro quarto eleganter aſſumunt: Ita quemadmodum dicitur *Amans virtutis*, ita *Praeſidens populi*. Nam *Praeſideo* etiam cum quarto reperimus iunctum, apud Tacitum lib. III. *Quae vbi cognita P. Velleio (is proximum exercitum praeſidebat) alarios equites, ac leueis cohortiùm mittit in eos*. & lib. IV. *Et haud ſpernenda illic ciuium ſociorumque manus littora Oceani praeſidebat*. Vndelibet pullulauerit vitium, quod omnino pro tali habendum, auctoritate veterum ſcriptorum, quos citat frequentes Auctor Theſauri lat. ling., ſatis vindicatur. Sed iam in appellatione ſummi Praeſulis Ciſtercienſium, in cuius gratiam haec inſtituta diſſertatio, luculentam dabit in ſimili exemplo cenſuram Franciſcus Pola Elogio hic afferendo, videlicet:

CLXVIII.

IN . ALOYSIO . ZVPHIO
GENERALI . CASSINENSIS . CONGREGATIONIS
PRAESIDE
RARVM HVNC MODERATIONIS EFFECTVM
RECOGNOSCITO
QVVM
GRANDE BENEDICTINAE FAMILIAE IMPERIVM
QVOD ANNALE ERAT
BIMVM ESSE FACTVM
PROROGATVMQ. IDEO SIBI IN PROXIMVM ANNVM
NONNVLLO MONACHORVM SVASV
PONTIFICALIQ. ETIAM ORACVLO
COGNOVISSET
QVAM POTVIT CONSTANTER, QVAM POTVIT SANCTE
CVM MONACHIS EGIT, CVM PONTIFICE
NE TANTA ISTHAEC POTESTAS
CVIVS TEMPVS
PRISCI OLIM PATRES
COARCTAVERANT
QVIA NIMIS MAGNA ERAT
VLTRA ANNVM NE PRODVCERETVR
FASCES SCILICET SACROS
SIBI DETRAXIT
VTI CONDITIO RELIGIONIS LIBERIOR ESSET

Ex his liqueſcit error Typographi (neque enim in Scriptorem ipſum florentiſſimum cadere videtur potuiſſe) in Elogijs Oratorijs Iacobi Gaddij patritij Florentini, vbi de Angelo Grillo ita legitur: *Horum maximè celebris Abbas Angelus Grillus Ciuitatis Seuerianae Dynaſtae frater, tertium Generalis Praeſidens Congregationis Caſſinenſis, multiplicis eruditionis opibus florens* &c. ſed eſſe reponendum *Praeſes*, nulla ratio prohibet, omnes perſuadent. Quod autem vellicat Voſſius (de Vitijs ſerm. Cap. XXXIII.) *Praeſidens pro praeſide* aiens *etiam legas apud Pſeudoproſperum in Antiquitatibus Hetruſcis*; ſi pro participio ibi ſumatur adſignificato tempore, immerita profectò nota eſt: vt ſuprà obſeruatum.

A NOVATIS MAGISTRATVVM SACRORVM VOCIBVS
Digreſsiones duae

Proluſio

SOlemne eſt Nouatoribus Religionis, noſtrorum præſertim temporum ritus Catholicorum Romanos perſtringere, vt, ſi minus infringendis ſacroſanctis dogmatibus Fidei detur aditus, ad cauillandam certè elocutionem, atque vt inelegantem arguendam ſe conferant. Quaſi verò ſub caprinis olim tentorijs non aequè ſanctè, ac ſub auratis tectis Salomonici Templi Arca Dei immortalis haberetur: Aut niſi diſertos Numen non audiat, cuius aures vel tacitis & mutis pulſatas legimus Exodi Cap. XIV. Et quidem ſacras literas, quas vulgò terimus, latinè verſas, quiſquis improbare auſit, is & Plautum, & eo melioris characteris Scriptores alios improbet neceſſe eſt: nam vtrobique ſenium ferè par agnouerit exoleti ſermonis. Et quamquam propior aureo ſeculo extiterit illorum in latinum verſio; at Caelo longè remotior, & quò Romana quidem ſigna peruaſerint, non ſimul cultus Romanae linguae. In Hymnis autem, in Supplicationibus, Votiuiſque precibus ritè per Patres inſtitutis, qui Romanae Rei tenet caſus, habet facilè, vnde ex ijs pietatem ſpirantem hauriat, barbariem cauſetur; ſatiùſque putet factum, quòd ſaeculis multò corruptiſſimis integritati morum vacatum ſit potiùs, quàm ſermonis: atque ex dicto Sanctiſſimi illius Pontificis, *ligneis calicibus vt Sacerdotes aurei vterentur, quàm vt aureis lignei*. Atque hi noui ſemper Mundo Catones, exciti Tartaro, non Caelo

lapſi, phraſium tantiſper ſuarum poſthabitis floſculis, ad id, poſcimus, vbi maius aliquantò momentum ad ſalutem poſitum eſt, ad dogmata nimirum Chriſtianae fidei veſtiganda ſupercilium cenſorium, non ex ſuo ipſorum arbitrio, quod hoc ipſo ſuſpectum habetur, verùm ex Sanctorum Patrum atque adeo communi ſenſu Eccleſiae, quod nemo prudens detrectabit, intendant. Quamquam hic nos primùm in examen verbale vltrò ferimur, fracturi parte aliqua improbitatem quorumdam refractariorum ſubidam, qui phraſim in ritu Catholico ex vſu Latinorum bonam apud imperitum vulgus calumniantes ſacroſanctum noſtratis Eccleſiae Myſterium connituntur tranſuerſum agere. Subinde autem quia Matthias Martinius ſcriptor recens, ac multae, vt profanus, eruditionis in ſuo Lexico Philologico (quod obiter apud Amicum guſtauimus) ab inſtituto ſuo digrediens, repentè ex Grammatico Theologum agit (ſi modo Theologum, qui rectam de Diuinis doctrinam non tenet) ita nos poſita parumper Elogiaſtae perſona aſſumamus licebit (quam aiunt) Controuerſiſtae, non ab re ſperantes fore, ſi & Inſcriptionibus, profanis praeſertim, puritatem latinitatis ſartam tectam, priore inſtituta Digreſſione, & Sacris ſanctitudinem dogmatum poſteriore ſubminiſtrauerimus.

Digreſſio Prior

Latinam eſſe formulam, qua praefatur Eccleſia Romana ſacris Euangelijs inter Miſſae celebrationem *In illo Tempore*: & qua ſimul praefatur ſacris Lectionibus *In Diebus illis*.

Conflata è Graecis, Latiniſque capitibus Eccleſia quamquam ſatis habet inſtitutos Sacrorum ritus pro ſua quemque origine tueri; propoſitis tamen in formulis ad Euangelia, ad Epiſtolas ex Graeco ſimul & Latino praeſidium habet elegantiae. Et è ſacroſancto quidem Euangelio ipſas deſumpſit. Vbi admonitos volumus ſciolos (à quibus audimus iactari ſaepe contumelias in Sacros Codices, quaſi barbarae, & corruptae locutionis) quoties occurrunt illa; *In illo tempore, In diebus illis*, non ſemper temporis momenta deſignari certa, ſed magis ſpatia, & fines, intra quos quandocunque geſta, dictauè ſunt, quae enarrantur. Siquidem Euangeliſtarum inſtitutum nequaquam fuit, vt Annales, aut Diaria perſcriberent, & quo res quaeque ordine facta ſit, referrent: Sed ſacram quidem Hiſtoriam congeſta magis (vt ita loquamur) quàm digeſta materie, ſeruata in ijs duntaxat, vbi neceſſum fuit, ſerie temporum. Ita tu cùm legeris in ipſo tractu Euangelij particulam *In illo tempore*, interpretare *Intra id tempus* antè, vel pòſt illa dicta, aut geſta: quod verò illorum potius antè, quod autem pòſt, nihil intereſt. Argumentum huius habes, vſurpari ibidem aliter, cùm temporis adnotatur ratio, verbi cauſa: *Cum natus eſſet Ieſus in Bethleem Iuda, ecce Magi ab Oriente* &c. Et: *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, vt circumcideretur puer* &c. Item: *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*. Iam ad cenſuram de bonitate huiuſce locutionis accedamus.

Tempus Graecè cum Praepoſitione in Datiuo caſu (qui foret latinè Ablatiuus) eleganter efferri probant Graecorum elegantiſſimi. Demoſthenes ad Demonicum, ἀλλὰ τὸ μὲν ἀκριβὲς αὐτῶν ἐν ἑτέροις καιροῖς δηλώσομεν, ideſt, *ſed diligenter ipſas in alio tempore declarabimus*. Idem ἐν τρισὶν ἡμέραις, καὶ τοσαύταις νυξὶ διακόσια, καὶ χίλια ςάδια διελθεῖν, *in tribus diebus, ac totidem noctibus ducenta & mille ſtadia tranſire*: Et: οὐκ ἔγωγε ὁρῶ καιρὸν ἐν τινι ἂν μᾶλλον βοηθήσειέ τις αὐτῷ, *nullum ego tempus video, in quo quis ei commodiùs opituletur*. Philo: ἐν τοῖς κατὰ γέννησιν χρόνοις ὑςερίζειν, *in temporibus ſecundùm natale poſteriorem eſſe* (preſſiùs) *minorem eſſe natu*. Xenophon: ἐν νυκτὶ, *in nocte*: Heſiodus: ἐπὶ νυκτὶ, *in nocte*. Aeſchines: ἐν τινι ἡμέρᾳ, *in quadam die*.

In Genitiuo etiam, Lucianus: τεθνᾶσιν ἐπὶ μιᾶς ἡμέρας, *mortui ſunt in vno die*. Plato: διὰ νυκτὸς, καὶ ἡμέρας, *in nocte, & die* (elegantiùs latinè) *per noctem & diem*, ſeu *de nocte & die*.

In Accuſatiuo, Demoſthenes in Ariſtocr. μετὰ τὸν καιρὸν πολλάκις λέγομεν, καὶ πράττομεν, *elapſo tempore ſaepenumerò dicimus, & facimus*. Thucidides: ἐπὶ δύο ἡμέρας, *per duos dies*. Pauſanias: ἀνὰ πᾶσαν νύκτα, *per totam noctem*.

In Accuſatiuo ſimul, & Genitiuo, Plato: καὶ μεθ' ἡμέραν, καὶ διὰ νυκτὸς, *de die, ac de nocte*.

In Accuſ. ſimul & Dat. Demoſthenes: οὗτος εἴπερ τὶς ἄλλος τῶν εἰληφότων δικαίως ἠξιώθη ταύτης τῆς τιμῆς. οὐ τῷ μεγάλα ἢ θαυμάσια ἡλίκα δοῦναι, ἀλλὰ τῷ παρὰ τοῦτον καιρὸν, ἐν ᾧ καὶ τῶν εὐπεπονθότων ἔργον ἦν εὑρεῖν ἐθέλοντά τινα ὧν εὐηργέτητο μεμνῆσθαι, *iſte, ſi quiſquam alius iure ac merito iſtum honorem eſt conſecutus, non quòd magna quaedam, aut admiranda praeſtiterit, ſed quòd tali tempore veſtro benefacere vobis ſtuduit, in quo difficile erat eorum aliquem inuenire, qui magnis beneficijs affectus memor, & gratus eſſe vellet*.

Latinè autem, idque à primae notae ſcriptoribus enũtiari Tempus cum Praepoſitione haud nouum occurrerit vèl mediocriter eruditis, Et primùm

Accuſatiuo, Cicero lib. VII. Epiſt. V. *Serò reſiſtimus ei, quem per annos decem aluimus contra nos.* Idem de Clar. Orat. *Et quidem duo fuerunt per idem tempus diſſimiles inter ſe.* Virgilius Aeneid. I.

At pius Aeneas per noctem plurima voluens

Tacitus lib. XIV. *Per medium diei nudus repertus eſt exercitando corpori.* Caeſar I. de Bell. Gall. *Intra annos quatuordecim tectum non ſubierunt.* Et II. Bell. Ciuil. *Nulla fuit ciuitas, quin ad diem conueniret*, id eſt ad conſtitutam diem. Cuius Ciceroni lib. VII. Epiſt. XXX. *Teque ad ver lubenter viderem.* Cicero rurſus pro Roſc. Amer. *Opinor eſſe in lege, quam ad diem proſcriptiones, venditionesque fiant, nimirum ad Calendas Iunias.* Apud quem eſt & alius locus obſeruandus ad Attic. lib III. Epiſt. LVIII. *De Quinto fratre nuntij nobis triſtes, nec varij venerant ex ante diem Nonarum Iuniarum vſque ad Prid. Cal. Sept.* Quo loco *Ex ante diem* Accuſatiuus exprimitur, ſupprimitur Ablatiuus, ac ſuam vterque habet Praepoſitionem

Ablatiuo autem ſimpliciter, Cicero ad Caſſium lib. XV. Epiſt. XVI. *Ego ſi ſemper haberem, cui darem, vel ternas in hora darem.* Et Orat. pro Quinctio: *Quae res in ciuitate duae plurimùm poſſunt, eae contra nos ambae faciunt in hoc tempore.* Idem in Verr. IV. *Non puto, id ages, vt iſta pecunia in quinquennio conſumatur in ſtatuis.* Liu. lib. IV. Ab Vrbe C. *Aut in tempore pugnam iniſſe.* Salluſtius Catil. *In tali tempore tanta vis hominis (M. Craſſi) magis leniunda, quàm exagitanda videbatur.* Cornelius Nepos in Miltiade: *Hoc in tempore nulla ciuitas Athenienſibus auxilio fuit, praeter Plataeenſis.* Plinius lib. XI. Cap. XXV. *In noſtro verò aeuo.* Et lib. IX. Cap. LI. *Caeterae foeminae in triduo excludunt, ſi mas attigit* Terentius Eun. III. 3. *Poſtremò & qua in die parua periiſſet ſoror.* Plautus Capt. IV. 65. *Nam illum confido domum in his diebus me reconciliaſſere.* Et Trucul. XII. 9. *Dicat me in diebus pauculis crudum virum eſſe.* Et Ciſtell. IX. 18. *Quaſi dedita opera in tempore ipſo ſpes mihi ſancta ſubuenit.* Terentiùs rurſùm Andr. III. 2. 51. *Atque adeo in ipſo tempore eccum ipſum obuiam Chremetem.* A Gellius lib. IX. Cap. *Plinius Secundus vir in temporibus aetatis ſuae ingenij, dignitatiſque gratia authoritate magna praeditus.* Et lib. XI. Cap. X. *Quo in tempore tragoedus gloriae ſibi ducebat, talentum magnum ob vnam fabulam datum eſſe.* Et lib. VI. Cap. IX. *Iſque in eo tempore Aedili curuli apparebat.* Et Cap. XI. *Nam ſi in eo tempore huiuſcemodi homunculum nomines)* ſunt verba Q. Metelli Numidici aduerſum Cn. Manlium Trib. pl.)

Cum alijs Præpoſitionibus, Cioero pro Mur. & Ad Q. Fratrem: *De nocte vigilare.* Horatius II. ſerm. Satyra VIII. *de medio potare die.* Terentius Adelph. V. 3. *Cum prima luce ibo hinc. M. Imò de nocte cenſeo.* Vide Ant. Mucini Latinam Syntaxim Cap. IX. Praecepto V.

Ampliùs obſeruat eruditiſſimus noſtri ſeculi Gerardus Ioannes Voſſius de Arte Gram. lib. de Conſtruct. Cap. XLIX. Caſum temporis ſiue Ablatiuum, ſiue Accuſatiuum; ſiue *Quando* ſignificet, ſeu *Quandiù*, à Præpoſitionibus ſemper regi, & ijs vel expreſſis, vel tacitis: Accuſatiuum quidem à *Per*, *Intra*, *Ante*, vt ſuperiora monſtrant exempla. ſic Ablatiuum ab *In*, *De*, *Cum*. Iti vbi reticetur Præpoſitio, eam tamen ſemper ſubintelligi: Hoc autem commune eſſe Graecis, atque latinis planum facit, de Accuſatiuo quidem ex Demoſthene, ibi, καθῆντο ἐν μακεδονίᾳ τρεῖς ὅλους μῆνας, *ſedebat in Macedonia tres totos menſes*; ſubintellige κατὰ, ἐπὶ, ἀνὰ: Et ex Arriano: ἀλέξανδρος ἐβίω δύο, καὶ τριάκοντα ἔτη, ἐβασίλευσε δὲ δώδεκα ἔτη, καὶ ὀκτω μῆνας, *Alexander vixit annos duos, & triginta, regnauit autem annos duodecim, & octo menſes.* Quibus adde Platonianum illud, ἔτη οὔπω γεγονὼς ἄκοσι, *nondum viginti annos natus.* Et Demoſth. ad Demonic. τά δὲ, πάντα τὸν χρόνον παραμένει, *haec autem omne tempus permanent.*

Porrò hoc à Graecis Latinos accepiſſe, compertiſſimum ait eſſe; ac de Datiuo, loco Ablatiui producit Platonem: χρόνῳ οὐ πολλῷ πᾶσα μετέπεσε, *non longo tempore tota concidit* (ſubintellige σὺν) & Thucididem: τῇ αὔτῇ ἡμέρᾳ αὐτοῖς συνέβη, *eadem die illis accidit* (ſubaudi ἐν) Quibus nos adijcimus locutiones illas Platonis, τῇ μετὰ ταῦτα ἡμέρᾳ, & τῇ ὑστεραίᾳ (ſupple ἡμέρᾳ) *poſtera die.* Conſule Dies Atticos noſtros lib. II. Theorem. X. Comm. II. de Tempore, & ſuprà Theorem. VII. in Gloſſis & Protheſib. Praepoſitionum Ἐν, Ἐις, Κατα, Ἐπὶ, Ἀνὰ, Διὰ.

Adde Ablatiui loco & Genitiuum, vt apud Gregorium, τῆς ἡμέρας ἐπιλαβούσης, *die ſequenti:* Et Lucianum: ἡμέρας ὑποφαινούσης, *die illuceſcente* (pro quo Diodorus διαφωσκούσης ἡπέρας) & Herodotum, ἑσπέρας ἤδη προσιούσης, *veſpere iam accedente.* Id ipſum penes Latinos *Illo die*, *anno*, *ſeculo*, *tempore*, *mane*, *veſpere luce*, poſſumus integrè ſic efferre, *Venire in mane*, *in veſpere*, *in luce*; Et *Venire de mane*, *de veſpere*, *de luce*; Et *Venire cum mane*, *cum veſpere*, *cum luce*.

Ergo ſiue per *Quando* interrogatio fiat, ſiue per *Quandiu*, licebit reſpondere congruo caſu cum tacita praepoſitione, cum expreſſa, vt magis libebit ex adductis ſuprà exemplis.

Iam ſatis proluſum, & de propoſita quaeſtione praeiudicatum. Nam ſi vſurpatum fuit optimis latinorum *In triduo*, *In quinquennio*, *In aeuo*, *In hora*, *In tempore*, *In tempore ipſo*, *In hoc tempore*: quid eſt, cur Eccleſiae miniſtris dicere nefas ſit *In illo tempore?* Eadem plane de cauſa ſi illi probatur *In die parua*, *In diebus pauculis*, *In his diebus*, quamobrem improbetur Romanis

noſtratibus

noſtratibus *In diebus illis?*

At enim non elocutio hîc carpitur magis, quàm ſolemnitas atque frequentia, dicit in effugium malè auſpicatus Cenſor. Vt enim, inquit, Euangelij ſacroſanctae tabulae ſi quid adimatur, aut ad gloſſam immutetur, non ſecus atque ſiquid vel paululum adiungatur, religioſum facitis, piaculum ducitis vobis, Romani: Quid porrò illud, quoties in Myſterio veſtro recitandum Euangelij fragmentum, toties praefari vos, *In illo tempore*, quam ſanè formam verborum vix tertiùm toto tractu Euangelicae hiſtoriae apud Diuum Matthaeum offenderitis, apud reliquos tres Euangeliſtas planè nunquam. Nonnè hoc ipſo vos rem ſacram corruptam vultis, hiſtoriam vitiatam, tempus ſubuerſum, ordinem turbatum? Non abſimile eſt de Praefatione *In diebus illis*, ad veteris Teſtamenti lectiones. Haec ferè Cenſor. Quem nos, vtinam, ſicut modò haud aegrè latinitati, ita Religioni pariter reconciliemus. Eſt profectò ſenſus pietatis paulò acrior ad affectum, quàm puritas dictionis. Eximit nos brutis ſermo, Religio ampliùs Caelitibus infert. Quod ſi de Vocabulis obſoletis inter ſacra vſurpatis praecipit Oratori Quintilianus (Inſtit. lib. I. Cap. VI.) *illa*, dicens, *mutari vetat Religio, & conſecratis vtendum eſt:* idem ipſum de formulis è ſacra Miſſa diſputatis.

Eſt tamen repetendum ê doctrina Catholica, hoc eſt ſincera, ac germana, duo illa in ſacro Myſterio diſtingui, Sacrificium, & Officium. Illud quidem inſtitutum à Chriſto Deo in tribus conſiſtere, Oblatione, Conſecratione, Conſummatione; hoc verò poſtremum in Adiunctis, quae ipſum praecedunt Sacrificium, quae comitantur, quae ſubſequuntur, per Apoſtolos, & eorum ſucceſſores, caeleſti id quidem monitu ſancitum ad eiuſdem Sacrificij decorum ſimul ac noſtrum excitamentum. Ita hocce Sacrificium cùm ſit illiuſmet iteratio, quod Chriſtus Ieſus in Ara Crucis peregit piaculum Mundi, omnem idcirco aetatem complectens, praeterlapſam, praeſentem, poſteram, fuit ſanè perquàm congruum repraeſentari per ſacrum ritum aetati noſtrae nouiſſimae, tùm priſcam veteris Teſtamenti; id quod praeſtatur recitando Lectionem, tùm nouam aduentus Dominici, ac Praedicationis, Euangelium ſubinde recitando. Atque vt aetas ab aetate diſtinguatur apertiùs, illae efficiunt ſolemnes formulae; Aetatis quidem priſtinae, *In diebus illis;* recentis autem, *In illo tempore*.

Suſcipit hoc loco, atque vrgens Aduerſarius; Ecquid eſt ergo, inquit, cur eae formulae nequaquam perpetuae ſint? Cur abruptè interdum audimus, *Anno quintodecimo Imperij Tiberij Caeſaris:* Et: *Cum eſſet deſponſata Mater Ieſu* &c. Item: *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim*. Item: *Ante ſex dies Paſchae*. Et: *Veſpere autem Sabbati*. Illud etiam: *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi:* Et: *Liber generationis Ieſu Chriſti:* Et: *In principio erat Verbum:* In his, inquit, cur id formulae ſuppreſſum? Bellè, nos dicimus, ſuppreſſum: quippe tempus in his certum deſignatur rei geſtae per ſacrum Scriptorem narrandae: Videlicet, Ioannis in ſolitudine concionantis, quod coeptum eſt anno Tiberij quintodecimo: Almae Virginis Deo foetae, vbi fuiſſet deſponſata, nondum traducta: Pueri Ieſu diſputantis in Templo annos nati duodecim: Ita deinceps in reliquis. Nam Genealogia Chriſtiana ſecundum Hominem tantò altiùs deducta nimiùm quantùm diſſonat ab *Illo tempore*; idcirco primùm inchoatur *Liber generationis*. Sed & ipſius Chriſti ſecundum Deum natales aeterni haud patiuntur temporis mentionem. Ita principium ipſorum narrandorum par erat, ſubſiſteret in principio, quo Verbum Diuinum fuit, nimirum in aeternitate, ſeu (meliùs) in Deo Patre, principio Filij ſempiterno. At verò aliter longè in alijs membris Euangelij, quibus incerti temporis res exponuntur, vt proinde congruat Praefatio *In illo tempore*, hoc eſt ad ſenſum Iul. Caeſaris, loco ſuprà citato lib. I. Bell. Gall. *Intra id tẽpus*, quo Deus in humanis verſatus fuit: ad formulam omnino Suetonij in Nerone Claudio, Cap. V. *Tranſijt*, inquit, *ad Auguſtum, & in diebus paucis obijt*. Meritòque praecurrit titulus ille: *Sequentia Sancti Euangelij*, quae ſcilicet poſt initium Euangelij, ſeu totius corporis Euangelicae hiſtoriae, cuius illa ſunt membra, deinceps ſe offerunt legenda, nec ea alligata certo tempori, aut rerum ordini. In hoc enim ab Annalibus recedit Hiſtoria; quòd vbi illi differentias, & gradus obſeruant temporum, haec ſaepe libera currit narratione: nec habet penſi, priùs geſta, aut poſteriùs, confuſo ſaepe, ac praepoſtero ordine memorare. Quamobrem quae excerpit identidem Eccleſia è ſacris Euangelijs opportunè ad celebrationem feſtorum recitanda ſiue monita à Seruatore tradita, ſeu miracula per eum perpetrata, vtraque certè ad noſtrum poſterorum documentum deſtinata, pérbenè in illo contenta tempore referuntur, quod ſaluti miſerorum mortalium; quo illud cunque ordine, totum certè à Deo impenſum eſt. Quamquam in hiſce nos formulis *In diebus illis, In illo tempore* neſcio quid aliud latentis energiae deprehenſum volumus ad affectum pietatis, & animi excitamentum. Namque vbi praecinente lectionis titulo illius quondam aetatis admonemur, qua aetate ob fatalem noxam Principum noſtri generis Caeleſtem ad patriam aditus intercluſus nobis erat, quis non continuò punctus interpretetur acceptas voces *In diebus illis* miſeris nimirum, luctuoſis, funeſtis, vnius autem Dei miſereſcentis deſcenſu ſerenandis? Eundem ipſum in modum praelecto titulo Sancti Euangelij vix illud aures piorum ferit *In illo tempore*, cum

cum veluti ad ſuſpiratum nuntium exhilaratae mentes inexplicanda quaedam laetitiae ſenſa conceptant, *In illo* (Proh) *tempore* relegentes auſpicatiſſimo, iucundiſſimo, beatiſſimo, in quo tempore & Caelum videre tandem datum eſt mortalibus reſeratum, & indidem ipſum Deum ac Regem aeternum delapſum, intueri praeſentem, audire praedicantem, ſequi praeeuntem, inuitantemque ad Regna Caelorum capeſſenda.

Quibus ita perſpectis, planè contumelioſus quiſque in has Romani ritus formulas aut ſeſe imperitum latinitatis, aut ſenſus Religionis exortem, aut meliùs vtrumque prodit.

DIGRESSIO POSTERIOR

Patriarchae & Epiſcopi ſacra Magiſteria peruersè à Nouatoribus tradi

Proluſio

PAtefecit hunc campum nobis, & hanc velitationem indixit oblatus (vti diximus) apud Amicum Matthias Martinius, vulgato illo Volumine, cuius hìc titulum deſcribere pretium ſuadet operae: Sic autem inſcribitur

LEXICON PHILOLOGICVM

Praecipuè Etymologicum & Sacrum. In quo Latinae, & à Latinis Auctoribus vſurpatae tùm purae, tùm barbarae voces ex originibus declarantur, comparatione linguarum, quarum & inter ipſas cõſonantia aperitur, ſubinde illuſtrantur. Multaeq; in Diuinis & Humanis literis difficultates è fontibus, Hiſtoria, veterumque & recentium Scriptorum auctoritate enodantur. Bene multa etiam in vulgatis Dictionarijs admiſſa haud leuia errata modeſtè emaculantur. Auctore Matthia Martinio Seruo Ieſu Chriſti in Schola Bremenſi Editio altera &c. Francofurti ad Moenum &c. Anno Sal. MDCLV

Quo in Opere diſpoſitas ſuis locis voces duas, *Patriarcha*, & *Epiſcopus* ita Auctor aggreditur, ita perſequitur; vt, vèl ſi Patriã in Titulo ſiluiſſet, planè indicet, quo ipſe infans in gremio, & quo lacte ſit educatus. Quam verò hauſit is (Heu nefas, in ingenio tanto) vnà cum lacte luem falſorum dogmatum, hic tandem eructans in vulgum, de facili ſanum quemque lectorem infecerit, ni cautus fiat. Hocce nos cautionis officium vt in commune praeſtaremus, imperauit, ne dum ſuaſit iuuandorum ſtudium animorum noſtro altum in pectore, & (ita Deus annuat, vt vouemus) Martinij ipſius ad frugem meliorem trahendi: qui quòd ſe profitetur Philologum, ſermonis videlicet amatorem, quidni ſperare nos iuſſerit, ſi, quantum ipſe à recto, à ſano ſermone in hac parte potiſſimè aberret, animum aduerterit; ex noſtri maximè officij ſinceritate, & ex ponderibus rationum penſatis, fore, vt conſilio in melius mutato (quod herclè Sapientis eſt) inuadat vltrò regiam viam, Romanae, ideſt Catholicae veritatis: atque vno tempore (quod eſt Philologi) refricatâ ex patrijs Annalibus iucundâ memoriâ Religionis auitae, protinus haec nouiſſima deliramenta parentum, & recèns offuſam per liuorem turbidiſſimorum capitum caliginem, ceu monſtrum furiale impietatis, & ſchiſmatis execretur. Quamobrem neque de te ambigere fas eſt, Matthia Martinie, quem iſta moles ſudatiſſimi Voluminis probat anhelum ad ſolidae eruditionis faſtigium: Neque de te, lector, quiſquis in has paginas noſtras incideris, quin aequis oculis, candido animo, intentâ mente inquiſiturus ſis de veritate noſtrae ſententiae, &, vbi ea peruicerit rationibus, adhaeſurus. Iam quid primùm Martinius de Patriarcha diſſerat, attendamus: ſic enim habet in corpore

Quae de Primatu contentio fuit inter Romanum Pontificem, & Patriarcham Conſtantinopolitanum, eam decidit Iuſtinianus, & Romae Conſtantinopolin ſubiecit, Nouell. 121.

Quod autem de Epiſcopo, dabimus hìc totum, interpoſitis tamen notis, vt pòſt diſtinctiùs per membra doctrinam Martinij expendamus. Videlicet

(a) Epiſcopus ἐπίσκοπος *generali notione eſt inſpector; ab* ἐπισκέπτομαι, *inſpicio. Qui ab Athenienſibus in vrbes imperio ſuo ſubiectas mittebantur, vt ſpectarent, quae apud ſingulos agerentur*

agerentur, ἐπίσκοποι, & φύλακες vocabantur, quos Lacones vocabant ἁρμοστὰς. [b] *In Eccleſia Epiſcopus dicebatur, qui auctoritate Presbyteris anteponebatur.* [c] *Sedulius Scotus in Cap. I. Epiſt. ad Tit. Antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in Religione fierent, & dicerent in populis: Ego ſum Pauli, Ego autem Apollo, Ego autem Cephae, communi Presbyterorum conſilio Eccleſiae gubernabantur. Poſtquam verò vnuſquiſque eos, quos baptizauerat, ſuos putabat eſſe, non Chriſti; in toto orbe decretum eſt, vt vnus de Presbyteris electus ſuperponeretur caeteris, ad quem omnis cura Eccleſiae pertineret, & ſchiſmatum ſemina tollerentur.* [d] *Ea quidem cauſa fuit confirmandi inſpectionis neceſſitatem, alioqui ab initio ordo fuit.* [e] *Paulus mandans Tito, vt oppidatim conſtituat Presbyteros, ei verè ἐπισκοπὴν delegat.* [f] *Iſaacus Caſaubonus exerc. 15. ad Annal. Baron. anno 33. Epiſcopi in ſingulis Eccleſijs conſtituti cum ſuis Presbyterijs* † (legendũ fortaſsè nos putamus Presbyteris) *& propriam ſibi quiſque peculiari cura, & vniuerſam omnes in commune curantes, admirabilis cuiuſdam Ariſtocratiae ſpeciem referebant.* [g] *Nam ſingulos Epiſcopos cum ſuis Cleris Eccleſias, quibus erant Praepoſiti, in ſolidum curaſſe,* [h] *neque vllum aliud ſupra ſe in terris caput agnouiſſe, tam certum eſt, quàm quod certiſſimum, vèl ex vnius B. Cypriani* [i] *teſtimonio, vt alia nunc taceam.* [k] *Hinc adeo eſt, quòd Epiſcopi aliquando reperiuntur Monarchae appellati* [l] *& Monarchiam etiam legas pro Epiſcopatu poſitam* [m] *Hilarus Papa Romanus ad Leontium Epiſcopum: Dilectiſſimo fratri Leontio Hilarus. Miramur fraternitatem tuam ita legis Catholicae immemorem eſſe, vt quaeque iniqua, & contra Patrum noſtrorum ſtatuta, in prouincia, quae ad Monarchiam tuam pertinet, ſi ipſe aut non vis, aut non potes, etiam nec nos ſilentij tui taciturnitate permittas corrigere* [* pergit continuare ſermonem Martinius, ſed alia typorum forma] [n] *Erant & populo ſuae partes, ſub cuius aſſiſtentis conſcientia, vt loquitur B. Cyprianus, ordinationes fiebant, in quo ſpecimen aliquod fuit democraticae πολιτείας.* [o] *Porrò inter Epiſcopos primis illis & beatis temporibus ordinem fuiſſe, cùm ſcripta illorum ſeculorum legimus, facilè animaduertimus* [p] *Dominationem fuiſſe, aut regium imperium in omnes, nuſquam deprehendimus* [q] *& omnino nullum fuiſſe certum eſt, aetate ſanctiſſimi Martyris Cypriani* [r] *qui in epiſtolis ad Romanos Papas (fratres ipſe appellat ſemper) Cornelium, & Stephanum, toties illam inculcat ſententiam* [* hic reſumit Martinius priſtinos typos] [s] *habere in Eccleſiae adminiſtratione voluntatis ſuae arbitrium liberum vnumquemque Praepoſitum, ſiue Epiſcopum* [* ſequentia verba grandiuſculis exerit literis] [t] RATIONEM ACTVS SVI DOMINO REDDITVRVM: *& ſimilia his multa in eius Diuini viri monumentis.* [u] *Quin etiam adminiſtratio Eccleſiarum temporibus illis vſurpata hoc ipſum euincit planiſſimè.*

Hactenus Martinius de Voce *Epiſcopus*. Deinceps noſtrae reſtant partes, vt qua decet nos modeſtia erga modeſtum cenſorem, quem ſe ille in fronte Operis profitetur, excutiamus eius dicta, & quantum ea Catholicae repugnent veritati, membratim, & (inſtituti noſtri memores) preſsè moneamus.

Membrum I.

Primatum ſuum Patriarcha Romanus Deciſioni Iuſtiniani acceptum neutiquam refert

TEſtem poſitionis noſtrae ipſum citamus Iuſtinianum; non quidem in ea, quam allegat mendosè Typographus loco Martinij ſupra recitato, Nouella 121. quae eſt Tit. IV. *Vt particulares vſurarum ſolutiones in duplum computentur*; ſed quae emendatione affinis 131. centeſima trigeſima prima, Tit. XVI. de *Eccleſiaſticis titulis, & priuilegijs, alijſque Capitulis*. Cuius prima duo Capita in rem noſtram afferri poſtulant, videlicet

Caput I. de Quatuor Sanctis Eccleſijs

Sancimus igitur vicem legum obtinere ſanctas Eccleſiaſticas regulas, quae à ſanctis quatuor Concilijs expoſitae ſunt, aut firmatae, hoc eſt in Nicaena trecentorum decem & octo, & in Conſtantinopolitana Sanctorum centum quinquaginta Patrum, & in Epheſina prima, in qua Neſtorius eſt damnatus, & in Chalcedonia, in qua Eutyches cum Neſtorio anathematizatus eſt. Praedictarum enim quatuor Synodorum dogmata ſicut ſanctas Scripturas accipimus, & regulas ſicut leges obſeruamus.

Caput

Ideoque ſancimus ſecundum earum definitiones, Sanctiſſimum ſenioris Romae Papam primum eſſe omnium Sacerdotum: Beatiſſimum autem Archiepiſcopum Conſtantinopoleos nouae Romae ſecundum habere locum poſt Sanctam Apoſtolicam ſenioris Romae ſedem, alijs autem omnibus ſedibus praeponatur.

Atque haec quidem Iuſtinianus. Vbi nec ita in meridie lucet Sol, vt perſpicuè docet, deferre ſe per praeſentem legem Papae Romano Primatum, non ex placito ſuo, aut arbitratu, ſed ex Canonum definitione, quae illis continetur Concilijs, κατὰ τοὺς, inquit, αὐτῶν ὅρους (eo nimirum ſenſu, quem praefert Philoſophus I. Topic. ὅρος δέ ἐστι λόγος, ὁ τὸ τί ἦν εἶναι σημαίνων) ac ſe ratam illam habere non tantùm, ſed & poteſtate Imperatoria protectam aduerſus contumaces, maieſtate Principali munitam, & ſanctam.

Haec porrò Conciliorum definitio qualis ſit, vtrùm arbitrio perfecta Conciliorum ipſorum, an conſilio altiore, perquiramus in praeſenti neceſſe eſt.

Principio igitur Nicaena Synodus quid (cedo) edicit de hoc Primatu? Adeundus eſt ipſe Codex (caueto autem, ne corruptum ſupponi aut feras, aut etiam cures: non hoc fuerit amantis rectum & ſanum ſermonem, ſed amentis ac furentis) non erit, cur porrò ire pergas. Praeſto habes, quod quaeris, in ipſo limine, ideſt in Praefatione eiuſdem Synodi. Sic enim leges.

Prima ergo ſedes caeleſti beneficio Romanae Eccleſiae, quam Beatiſſimi Petrus, atque Paulus ſuo martyrio dedicarunt. Secunda autem ſedes apud Alexandriam Beati Petri nomine à Marco eius diſcipulo atque Euangeliſta conſecrata eſt, quia & ipſe in Aegypto primus verbum veritatis directus à Petro praedicauit, & glorioſum ſuſcepit martyrium &c. Tertia verò ſedes apud Antiochiam eiuſdem Beati Petri Apoſtoli habetur honorabilis, quia illic priùs, quàm Romam veniret, habitauit &c. Nam & Hieroſolymitanus Epiſcopus pro tanti loci reuerentia ab omnibus habetur venerabilis, maximè quia illic primus Beatiſſimus Iacobus, qui dicebatur Iuſtus, qui etiam ſecundum carnem frater Domini nuncupatus eſt, à Petro, Iacobo, Ioanne Apoſtolis Epiſcopus ordinatus eſt.

Audin' tu verò illud, CAELESTI BENEFICIO? Audin' hoc beneficio ſedem Eccleſiae Romanae Primam? Quid hoc apertius, ac luculentius? Nihil itaque interceſſiſſe ſuſpicandum eſt humani conſilij, aut operae cuiuſquam mortalium; nihil terreni ſtudij aut ambitus; quandoquidem volente Deo, atque deſignante Sedes Romana extitit Princeps. An aliter, crederes, auſa fuiſſet Dominatio terrena, quàm quod ſtetiſſet caeleſti Imperio? Planè tantò ſapientior Iuſtinianus, ac prudentior, quanto religioſiùs exiſtimauit, ſanctiones Diuinas ſuarum acceſſione legum eſſe tuendas. Nec aliquē putamus ita deſipientem fore, vt hoc CAELESTE BENEFICIVM interpretari malit dignitatem loco contractā ex Apoſtolorum martyrio ibi allegato, quaſi beneficij illius cauſa haec praetendatur: ſiquidem nec vim Cauſalis habet particula *quam* relatiua inibi Eccleſiae Romanae: Sed ſi morte Sanctorum colligendus primatus Eccleſiae, nonne hoc ipſo occupatū dicemus ab Hieroſolymitano Epiſcopo, eius nimirum loci Praeſule, quem locum ipſius Domini Ieſu mors conſecrauerat? Quid? Relege è Codice Praefationem à principio, & rem acu (vt aiunt) tanges: Ita enim habet: *Beatiſſimo Syluano in Vrbe Roma Apoſtolicae ſedis Antiſtite, Conſtantino Auguſto, & Licinio Caeſare* [deinde poſt pauca] *ſciendum eſt ſanè ab omnibus Catholicis, quoniam Sancta Eccleſia Romana nullis Synodicis Decretis praelata eſt, ſed Euangelica voce Domini, & Saluatoris noſtri Primatum obtinuit, Vbi dixit Beato Petro Apoſtolo: Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram aedificabo Eccleſiam meam* &c. I nunc, Nouator, & protrude Nouellas, vbi Euangelij ipſius conditor legem ſancit.

At quorſum (dicet aliquis) iſta tu diſputas? Quorſum (ſuſcipimus ipſi) vrgentur iſta tanto molimine à Nouatoribus? Niſi vt reuocent vetus illud ſeculum, de quo in ſacris literis, Iudicum lib. Cap. XVII. & XXI. *In diebus illis non erat Rex in Iſraël, ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Regem ſacrorum ſummum à Deo conſtitutum hi ſcilicet negant, vt agant quod ſibi (ò vtinam) rectum, certè bonum, atque iucundum videtur: Dicamus planius: Permittunt hi quidem Romano Pontifici Primatum, ſed non niſi ab homine, nec niſi dignitate loci, Imperatoriae nimirum ſedis: Quorſum? niſi vt ſoluant religione animos Chriſtianorum parendi illius dictis, atque ad voces, tāquam intruſi in ouile vniuerſum Paſtoris, obſurdeſcendi: niſi vt liberum faciant denegare ipſi Pontifici obſequium caeleſti decreto debitum, eiuſdem leges infringere, iuſſa negligere, cenſuram ridere, Maieſtatem peſſundare: quo tandem ſubmoto cenſore quiſque ex genio in omnes morum corruptelas, vitaeque turpitudines impunè laxetur. Hunccinè verò ſtatum Eccleſiae coëmerit ſuo ſanguine Chriſtus Ieſus? Sed haec in conſequentibus planiora fient.

Ex illo autem Synodi Canone VI. qui de Primatibus eſt Epiſcoporum Metropolitanorum, ne quis ſcrupulum fortè colligat; quaſi videantur pares fieri alij Metropolitani Romano ex forma loquendi ibi adhibita, videlicet: *Mos antiquus perdurat in Aegypto, vel Libya, & Pentapoli, vt Alexandrinus Epiſcopus horum omnium habeat poteſtatem, quoniam quidem & Epiſcopo Romano parilis mos eſt;* præcauere huic errori ſtuduit Bartholomaeus Carranza ex ordine ſacro Dominicanorum, proferens editionem aliam Latinam, & eam antiquiſſimam, ſibi traditam à Marcello Cardinali S. Crucis, vno ex tribus Vicarijs Apoſtolicae ſedis in Tridentino Concilio; in qua non *Et Epiſcopo Romano* legitur; ſed *Metropolitano Epiſcopo*. Verùm prae illa editione nobis eſt protographon Graecum, vbi habetur: καὶ τῷ ἐν τῇ Ρώμῃ ἐπισκόπῳ τοῦτο σύνηθές ἐςι. Expreſſior itaque eſt mentio Romani Epiſcopi in ipſo exemplari, quamquam quod in Graeco ſubſequitur, id minùs commodè verteris *parilis mos eſt*: ſed (ſi bene legis in lexicis) *hoc conſuetum eſt*, ſeu *familiare*, ſeu *in more poſitum*: neque ſignificatus vocis illius *parilis* vſquam auditur in hoc membro. Quid? Refragabitur, credes, ipſa ſibi Synodus hoc Canone, quae paulò antè praefando tam luculenter pronuntiauerat, Primatum Romano, caeleſti beneficio eſſe conceſſum?

Haec de Prima ex quatuor Synodis, Nicaena. Nunc de altera, hoc eſt Conſtantinopolitana, cuius duo canones afferri poſtulant, videlicet Canon I. ſic decernens: *Statuerunt qui Conſtantinopoli conuenerunt Sancti Patres CCCXVIII. Patrum, qui Nicaeae conuenerunt, fidem non abrogari, ſed firmam ac ſtabilem manere oportere*. Et Canon III. in haec verba: *Conſtantinopolitanus Epiſcopus habet priores honoris partes poſt Romanum Epiſcopum, Eò quòd ſit ipſa noua Roma*. Hoc etiam ex Capite infirmare auſit vindicatam à nobis ſententiam? Nam is nodum in ſcyrpo quaerit liuidus magis, quàm ex Adagio, timidus, qui in illo III. Canone Praepoſitionem *Poſt* expendens, non ad ſummiſſionem honoris refert, ſed ad temporis differentiam. vt inde non dicatur ſubijci Conſtantinopolitanus Romano tanquam praerogatiua, & poteſtate inferior, ſed ordine duntaxat fundationis, ac titulo antiquitatis: ſatis namque habemus, & quia ſtudemus breuitati, & quia cauſa noſtra iam valuit, obiectare Aduerſarijs vnum Theodorum Balſamonem Antiochenum Patriarcham in eo volumine, quod edidit Lutetiae Pariſiorum typis Regijs anno ſal. MDCXX. cui titulus eſt *Canones SS. Apoſtolorum, Conciliorum Generalium, & Prouincialium, SS. Patrum Epiſtolae Canonicae* &c. Vbi ad eum Canonem ſubijciens Scholium de more eruditiſſimum Aduerſarios egregiè conficit. Ad eum te remittimus, Lector, pag. 306. & ſeq.

Tertia Synodus Epheſina rem non expreſsè quidem decernit, ſed eò ipsò longè amplius auctoritatis attribuit, quod vniuerſa Nicaenae dicta vno rata habet Canone III. *His lectis* inquiens *decreuit Sancta Synodus, non licere cuiquam aliam fidem afferre, vel ſcribere, vel componere, quàm eam, quae à Sanctis Patribus, qui Nicaeae congregati ſunt in Spiritu Sancto, definita eſt*.

Quarta denique Synodus Chalcedonenſis Canone Primum condit in haec verba: *CANON I. Qui à Sanctis Patribus in vnaquaque Synodo huc vſque expoſiti ſunt, obſeruari Canones aequum cenſuimus*. Itaque ex hactenus diſputatis hunc licet ſyllogiſmum contrahere: Nihil iure Diuino deciſum pendet à deciſione iuris Caeſarei: Atqui Primatus Papae Romani eſt iure deciſum Diuino: Ergo Primatus Papae Romani non pendet à deciſione iuris Caeſarei: Non ergo à deciſione Iuſtiniani in Nouella, ſicut decernit Martinius. Porrò huius ſyllogiſmi Maior propoſitio probatione nulla eget, niſi ſi quis Homini Deum veſania furiali ſubdiderit. Minor autem hoc fulcitur enthymemate. Primatum Papae Romani à iure eſſe Diuino deciſum denunciat Sancta Nicaena Synodus in Praefatione: Iterat Sancta Conſtantinopolitana Synodus Canone I. & III. Repetit Sancta Epheſina Synodus Canone III. Similem in modum Chalcedonenſis Canone I. Ergo de ea re non reſtat ambiguitati locus. Antecedens illud probant adducti nuper loci Synodorum: Conſequens autem omiſſis ſacris Auctoritatibus, niti in praeſens volumus fundamento ipſius Martinij, ideſt allegata ab ipſo Nouella Iuſtiniani Cap. I. *de quatuor Sanctis Eccleſijs*, per nos principio huius Membri exſcripta.

Reſtat tollenda dubitatio, quae candido Lectori facile oborietur; Quamobrem ſcilicet Nicaena Synodus in Praefat. poſt Sedem Romanam cenſuerit proximè Alexandrinam: At verò Conſtantinopolitana Can. III. proximum ſibi locum praeripuerit, reiecta in tertium Alexandrina? Verùm, ſi rem attendes, non eſt cum loco Romanae ſedis ratio eadem, ac reliquarum. Quae enim humano ſtant iure, & humano moueri poſſunt, ac debent, quoties noua cauſa ſuccedat: id quod in Diuinum ius cadere haud poteſt. Itaque Romanae ſedis primatum, Diuinum quippe, violare non licuit vèl Generalibus Synodis: caeterarum ſedium licuit, quia Humanum. Proinde vbi aliter ſubſecuta Conſtantinopolitana Synodus generalis decreuit, in eo non placuit ratam habere praecedentem Nicaenam, rato ſemper ac ſaluo iure Romanae ſedis, quod & Nicaena Diuinum eſſe tradidit, & Conſtantinopolitana firmauit

Membrum II.

In Voce *Epiſcopi*, ac Perſona exponenda non ſibi conſtare Martinium.

DEſiderauimus hoc loco Martinium aliquãto magis dilucidum, & planum, qualem decet eſſe Scriptorem Dogmaticum, in aſſignanda nimirum Auctori cuique allegato ſententia propria, Tum quid ipſe Martinius praecipiat, ab adſcititijs doctrinis diſtinguendo. Deinde, neque minùs, in vſu ac tenore typorum, quem (vt adnotatum eſt ſuprà in eius ſermone per literam, n) temerè variat, niſi vitium fuit Typographi. Sed & ſuſpectam nobis reddit auctoritatem Sedulij Scoti (vt ibidem per literam c) quandoquidem locum illum, quantus quantus eſt, offendimus priùs apud Diuum Hieronymũ in Caput ipſum primum Epiſtolae Diui Pauli ad Titum: qui quidem Hieronymus ſeculum Sedulij anteceſſit, vt ex Annalibus nemo non colligit. Ita ſcripſerit licet in Diuum Paulum Sedulius Commentaria, quae noſtras in manus venire nondum contigit; non debuit certè Martinius ignorare Hieronymum Scriptorem in Orbe Chriſtiano celebriorem Sedulio, atque ex eius nomine locum citare, nimirum ex fonte magis, quàm riuulo, & Auctorem proferre, non Exſcriptorem, ad fidei maius praeſidium: Hoc magis quia citatum eius loci Auctorem Hieronymum procul dubio legit Martinius apud Ioannem Caluinum in ſua Inſtitut. Relig. Chriſt. Cap. VIII. num. 52. quae etiam in Italicum ſermonem verſa prodijt Geneuae anno MDLVII. Praeterea quam variat ipſe breui tractu ſermonis formam Epiſcopalis regiminis? Nunc eam ſtatuit Monarchicam (per literas K, l, m) Nunc Ariſtocraticam (per f) Nunc tandem Democraticam (per n) variaturus, credimus, adhuc, ſi plures offerrentur formae: quae tamen, vt ſpecie omnes differunt, ita vna alteram excludit, neque patiens ſocij, quà talis, eſt Monarcha; proinde non Optimates admittit, hoc eſt in re noſtra Presbyteros, neque minùs Populum. Item quaerimus ab Auctore, quomodo conſtet auctoritas loci, quem allegat (ad literam m) Vbi Papa Romanus arguit Epiſcopum negligentem ſuarum partium, cum loco altero (ad literam t) vbi rationem actus ſui redditurum Deo Epiſcopum monet, quaſi Superiorem habeat neminem, praeter Deum, cui rationem reddat, à quo poſſit argui? Poſtremò infert ex dictis haud rectè (ad literam e) ſi tamen Presbyteros ibi vſurpet pro Sacerdotibus è Clero, quos ipſe Optimates eſſe contendit in Eccleſiae regimine, quaſi illis praeponat Titum Paulus Epiſcopum. Nam & continuatio verborum Pauli (ſi Lector ſit candidus) planè vult Presbyteros pro Epiſcopis vſurpatos: ideoque nigellos interpretes obiurgat Diuus Hieronymus in eum locum ſic deducens ex praecedentibus: *Idem eſt ergo Presbyter, qui & Epiſcopus: Et antequam Diaboli inſtinctu ſtudia in religione fierent* &c. (decurritque in locum illum adſcriptum Sedulio, de quo ſuperiùs) ibi ergo ἐπισκοπὴν delegat Tito, non in ſenſum Martinij (ſup. litera e) ſed in hunc, vt is è Presbyteris eligat Epiſcopos, in queis commendari intellexerit virtutes eo capite praeſcriptas. Et rectè quidem ait Diuus Hieronymus, eundem eſſe Presbyterum & Epiſcopum, ſcilicet non omninò, ſed eo loci vſurpatum à Paulo; eundem nimirum hominem, qui antè eſſet Presbyter, mox creandus Epiſcopus, vel (vt Philoſophi loquuntur) ſubiectum idem numero ab vna forma mutandum in aliam.

Membrum III.

Falsò allegari a Martinio Epiſcopum cum ſuo Clero Eccleſiam ſuam in ſolidum curare.

CEnſorem alium hic nolumus, praeter ipſum Martinium, qui cùm hoc dogma tradiderit (ad literam g) ſubinde affirmat (K) Epiſcopos aliquando Monarchas appellatos: & (l) Monarchiam poſitam pro Epiſcopatu: Sed Monarcha (fas eſt hic ſuſcipere) eſt Princeps vnus, & Monarchia Principatus vnius; Ergo non cum ſuo Clero in ſolidum, ſed ex ſuo vnius arbitrio Epiſcopus commiſſam ſibi curat Eccleſiam.

Ne verò ſe putet Auctor, hoc certè punctum à nobis tuliſſe, vt Epiſcopum in Monarchia poſitum hoc ipſo velimus exemptum à ſupremo regimine, ac poteſtate Romani Pontificis: namque ſuamet arte ipſe luditur, dum auctoritate Hilari Papae Romani (apud nos certè inconcuſſa, & argumento, vt aiunt, ad hominem) probaturus in Leontio Epiſcopo hanc Monarchiae praerogatiuam, ſimul repraeſentat Epiſcopum ab eodem Papa tanquam ſubditum à ſupremo capite correptum. Quo loco penſitanda eſt vox illa *Miramur,* ſcilicet plena auctoritatis cum admixta ſeueritate.

Et quoniam huius doctrinae nouatores velut à monſtro abhorrent à nomine vnius Capitis,

itemque Principis, & Principatus in Eccleſia, audiri poſtulat Sanctus Leo Papa ſerm. III. de Anniuerſario Aſſumptionis ſuae. *Propter quod aiens dicit beatiſſimo Petro: Tibi dabo claues Regni Caelorum, & quaecunque ligaueris ſuper terram, erunt ligata & in Caelis, & quaecunque ſolueris ſuper terram, erunt ſoluta & in Caelis. Tranſiuit quidem etiam in alios Apoſtolos vis poteſtatis iſtius, & ad omnes Eccleſiae PRINCIPES decreti huius conſtitutio commeauit; ſed non fruſtra vni commendatur, quod omnibus intimatur. Petro enim ideo hoc ſingulariter creditur, quia cunctis Eccleſiae Rectoribus Petri forma proponitur.* Viſne vſum huiuſce vocis adhuc antiquiorem in Eccleſia? Audi Diuum Hieronymum, cui vel Caluinus multum defert; quem quidem Hieronymum Leonis aetatem vno ipſo ſeculo praeceſſiſſe conſtat. Is Commentario in verſiculum Pſalmi XLIV. *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram*, ſic habet: *Conſtituit Chriſtus Sanctos ſuos ſuper omnes Populos. In nomine enim Dei dilatatum eſt Euangelium in omnibus finibus Mundi, in quibus PRINCIPES Eccleſiae, ideſt Epiſcopi conſtituti ſunt.* Haec Hieronymus, ſi bene legimus. Nec dedecet nomen Imperij, ſi poteſtatem ſpectes. Diuus Paulus Epiſt. ad Philemonem videtur hoc monere dicens: *Propter quod multam fiduciam habens in Chriſto Ieſu IMPERANDI tibi quod ad rem pertinet: propter charitatem magis obſecro* &c. Ita habet vulgata editio. Ac ne vim ſermonis enerues committendo illa: *In Chriſto Ieſu imperandi*, quaſi metaphoricòs intelligi debeat hocce imperium, occurrit lectio è Graeco διὸ πολλὴν ἐν χριστῷ παῤῥησίαν ἔχων ἐπιτάσσειν σοι τὸ ἀνῆκον, *Propter quod multam in Chriſto fiduciam habens imperare tibi id quod eſt offic'j tui:* Ita fiduciam ad Chriſtum refert, Imperium reddit abſolutum. Expreſſiùs ad Titum Cap.II. *Haec loquere, & exhortare, & argue cum omni IMPERIO: Nemo te contemnat.* Vbi expendendum Graecè μετὰ πάσης ἐπιταγῆς.

In has duas appellationes quadrare fortè dices, Philologe, nec inſcitè, illud C. Cornelij Taciti, principio Annalium de Auguſto: *Qui cuncta diſcordijs ciuilibus feſſa nomine Principis ſub Imperium accepit.* Sed videor audire te cum vnâ ſimul alteram eleuare appellationem, quà ea datur Eccleſiae. Nam, inquies, nomine Principis nihil amplius vſurpare intendit Auguſtus, causâ minuendae inuidiae, quàm quod vulgò obtinebat Princeps Senatus, ideſt Primus in Senatu, cuius poteſtas in eo erat omnis, vt res decernendas proponeret Senatoribus, ſententias ſingulorum rogaret, conſilijs ac monitis Senatum dirigeret, tumultuum ſemina auctoritate tolleret ſua; denique ſancita communiter à Patribus, vti maturè praeſtarentur, curaret; aliud nihil praeterea, nihil imperij, nihil iuris, quia nec vlli ſubditi, ſed ſui quiſque Patrum arbitrij. Haec & Matthiae Martinio, & ante ipſum Ioãni Caluino definitur perſona Epiſcopi; nimirum connitentibus Eccleſiae regimen ſancire Ariſtocraticum è Collegio Presbyterorum, quibus praeſit Epiſcopus. Sed animaduertat, oportet, Cenſor noſter, vocem Principis abſolutè poſitam florente Diuo Leone Papa, cuius allata in medium auctoritas eſt, imperium retuliſſe; ſcilicet vſu vetere loquendi paulatim immutato. Neque hoc ſolum, ſed duobus ipſis ſeculis ſuperioribus id ipſum obtinuiſſe, teſtis eſt Tertullianus aduerſus Hermogenem, qui Graeco ſimilem in modum vocabulo ἀρχὴ tribuit non modò ordinatiuum, ſed etiam poteſtatiuum (vt ipſe loquitur) Principatum. Quin & Graecae gloſſae diſtinctè *ἀρχὴ proemium, exordium*, & *ἀρχὴ imperium, magiſterium* exponunt; Et Iuſtus Lipſius in Tacitum (omninò adeundus) *Principium* pro *Principatu*, vtrumque pro *Imperio* vſurpari commonſtrat ex lectione ambigua Suetonij, ſibi probata, in C. Caligulae Cap. XXXI. *Auguſti Principium* (* vulgata lectio habet *Principatum*) *clade Variana, Tiberij ruina ſpectaculorum memorabile factum* (* vulgata *memorabilem*) Quò fit, vt paulùm ab aetate Auguſti vox *Princeps* Imperium adſignificaret; atque adeo ab ipſo coeperit Auguſto, ſi Tacitum aſſequimur, loco ſuperiùs obiecto, atque ex hoc altero paulò inferiùs: *Igitur verſo ciuitatis ſtatu nihil vſquam priſci, & integri moris: omnes exuta aequalitate IVSSA PRINCIPIS ASPECTARE.* Itaque ne vereamur Principatum, & Imperium ab Eccleſia excludere, efficit Beati Leonis auctoritas diſiectis tenebris obliquae interpretationis luculenta.

Exigeret quis forte, vt proderemus mendacium Ioannis Caluini Auctoris illius dogmatis, in Inſtitut. lib. IV. Cap. VII. Vbi nomen Capitis, & Primatus fuiſſe dicit inauditum prorſus in Eccleſia. Atqui non patitur Digreſſionis ratio, longiùs nos abſcedere. Adeatur Diuus Cyprianus Epiſtola ad Cornelium, cuius initium eſt *Quod ſeruis Dei*, quae in editione Pariſienſi MDCXVI. eſt Epiſtola XLII. In qua vox Capitis vſurpatur; & ex eadem editione, lib. de Vnitate Eccleſiae, in quo haec de Primatu: *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.* Deinde ſi non Epiſcopus ſolus, ſed (vt volunt hi) vnà cum Epiſcopo Clerus curat Eccleſiam ad formam Ariſtocraticam, cur ex B. Cypriano lib. I. Epiſt. III. *Legi literas tuas, frater cariſſime, quas per Saturum* &c. Epiſcopus ſolus, non autem coniunctus Clero ſententiam fert Anathematis? Statim enim ibi ſub initium: *Et non tantùm mea, ſed plurimorum Coepiſcoporum ſententia condemnatum.* Non enim ait *Non tantùm mea, Clerique mei ſententia.* Intelligit autem de Feliciſſimo haeretico, & ſceleſto.

Membrum IV.

Teſtimonio Beati Cypriani ruere illud dogma, nimirum ſingulos Epiſcopos cum ſuis Cleris Eccleſias, quibus erant Praepoſiti, in ſolidum cura ſſe.

PRopoſitionem hanc Martinius ad literam g; ſiue ex ſuo ſenſu, ſiue aliena aſſerat auctoritate. Et miramur, quemadmodum is (ad literam i) audeat hanc refundere doctrinam in B.Cyprianum, qui lib.I. Epiſt.III. ad Cornelium, Cuius initium: *Legi literas tuas, frater cariſſime*, regimen Eccleſiae, nec non fidei definitiones in vno conſtituit capite, ita ſcribens: *Neque enim aliunde haereſes obortae ſunt, aut nata ſunt ſchiſmata, quàm inde quod Sacerdoti Dei non obtemperatur, Nec vnus in Eccleſia ad tempus Sacerdos, & ad tempus Iudex vice Chriſti cogitatur, cui ſi ſecundùm magiſteria Diuina obtemperaret Fraternitas vniuerſa, nemo aduerſus Sacerdotum Collegium quidquam moueret*. Ecce Collegium Sacerdotum memoratum; vni tamen Sacerdoti, ideſt Epiſcopo tributam poteſtatem, & Iudicium in ſuam Eccleſiam. Et ne prauo ſtudio abrumpi à nobis hunc locum putes, pergit mox B. Cyprianus, continuatque periodum: *Nemo poſt Diuinum iudicium, poſt Populi ſuffragium, poſt Coepiſcoporum conſenſum Iudicem ſe non iam Epiſcopi, ſed Dei faceret*. Neuè hinc arguat, licebit, quidquam pro ſua ſententia, cùm hic de Epiſcopi electione dumtaxat ille loquatur, quae ſane electio per ſuffragium populi, conſenſumque Coepiſcoporum fiebat, ac primùm omnium per Dei iudicium; minimè verò de adminiſtratione Epiſcopatus poſt electionem legitimam: Quod ita intelligi oportere, probant ſequentia: *Nemo diſsidio vnitatis Chriſti Eccleſiam ſcinderet: nemo ſibi placens, ac tumens ſeorſum foris nouam haereſim conderet, niſi ſi ita eſt aliquis ſacrilegae temeritatis, ac perditae mentis, vt putet, SINE DEI IVDICIO FIERI SACERDOTEM:* & poſt aliquammulta ex Diuinis literis collata ad id probandũ, ſubdit: *Caeterùm dico, dico enim prouocatus, dico dolens, dico compulſus, quando Epiſcopus in locum defuncti ſubſtituitur, quando POPVLI VNIVERSI SVFFRAGIO in pace DELIGITVR, quando Dei auxilio in perſecutione protegitur* &c. Et quod à Populo ſit mera electio Epiſcopi, à Deo autem conſtitutio, perſpicuum facit, cùm poſt pauca ſubijcit: *Apparet, quis impugnet: non ſcilicet Chriſtus, qui Sacerdotes aut conſtituit, aut protegit; ſed ille qui Chriſti aduerſarius, & Eccleſiae eius inimicus* &c. Neque ſuſpicère in diſiunctiuis illis particulis *aut, aut* ineſſe perſonarum diſtinctionem, ſed temporum, quaſi hunc, non illum Sacerdotem Chriſtus conſtituat, qui omnes conſtituit; ſed quia hoc tempore hunc conſtituit, cùm fit per Populum electio; illo tempore eundem protegit, cùm mouetur perſecutio.

Idem B. Cyprianus ſententiam ipſam inculcat lib.IV. Epiſt.IX. ad Florentium Pupianum, cuius initium: *Ego te, frater, credideram:* & quem ibi Sacerdotis, hic Epiſcopi impertit nomine, Videlicet: *Nec hoc iacto, ſed dolens profero, cùm te iudicem Dei conſtituas, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Praepoſitos, qui Apoſtolis vicaria ordinatione ſuccedunt; Qui audit vos, me audit; Et qui me audit, audit eum qui me miſit: & qui reijcit vos, me reijcit, & eum qui me miſit. Vnde enim ſchiſmata, & haereſes obortae ſunt, & oriuntur, niſi dum EPISCOPVS, QVI VNVS EST, & Eccleſiae praeeſt, ſuperba quorundam praeſumptione contemnitur, & homo dignatione Dei honoratus ab indignis hominibus iudicatur*. Quid, quod lib. III Epiſt.XIV. cuius initium: *Diu patientiam meam tenui*, inuehitur Cyprianus in Presbyteros quoſdam, qui inſcio ipſo pacem lapſis dederant, notam ijs imprimens praeſumptionis, temeritatis, turbae: conquerens, quod ij praepoſitum ſibi Epiſcopum non cogitent, quod cum contumelia, & contemptu Praepoſiti totum ſibi vendicent, re ſane noua, & nunquam ſub anteceſſoribus facta? Tu Epiſtolam perlege, tùm, an cura Eccleſiae ſit Cleri in ſolidum cum Epiſcopo, dijudicabis.

Iam vides, quae ſit B. Cypriani ſententia, quamque peruersè apud Philologum allegata.

Membrum V.

Epiſcopos ſupra ſe aliud in terris Caput ſemper agnouiſſe probatur vèl teſtimonio B. Cypriani.

COntrarium admittit Martinius (ad literam h, & i) tamque eſſe certum aſſeuerat, quàm quod certiſſimum. Sed ſi rei veritas inquiratur, patebit dogma Martinij tam falſum eſſe, quàm quod falſiſſimum. Ecquod autem eſt (ſcitamur) id teſtimonium B. Cypriani? Cur tandem non promit? cur ſilet? Scilicet neque dictum vllum reperire eſt in eius B. Viri ſcriptis, niſi

niſi abſurdè interpretatum pro Martinio: & ipſa tandem facta mentem illius produnt, clarèque praedicant, Pontifici Romano tanquam capiti Eccleſiae, & ſummo Principi, reuerentiam omnem, atque obſequium exhibuiſſe. Vis tu factum memorandum? Concilium, quod tanquã Primas Africae Cyprianus ipſe celebrauerat, collectis Epiſcopis ſuae prouinciae ſubiectis, miſiſſe ad Stephanum Papam Romanum, vt ab eo confirmaretur (quippe ea deſiderata confirmatione irritum erat futurum) teſtatur diſertiſſimè Diuus Hieronymus Dialogo aduerſus Luciferianos ſub finem, ita quidem fatus: *Conatus eſt & Beatus Cyprianus contritos lacus fugere, nec bibere de aqua aliena, & idcirco Haereticorum Baptiſma reprobans, ad Stephanum tunc Romanae Vrbis Epiſcopum, qui à B. Petro vigeſimus ſextus fuit, ſuper hac re Africanam Synodum direxit: ſed conatus eius fruſtra fuit.* Innuit autem obſtitiſſe Cypriano, & Epiſcopis eius ſectatoribus Stephanum; proindeque illos mutaſſe ſententiam teſtatur ipſe Hieronymus ibidem dicens: *Denique illi ipſi Epiſcopi, qui rebaptizandos haereticos cum eo ſtatuerant, nouum emiſere Decretum.* Quod certe Hieronymi dictũ comprehenderit haud dubiè ipſum Primatem Cyprianum etſi expreſſum ita non ſignet, vt Nouatorum peruicacia fortè exegerit: ſed hoc quidem autumat Diuus Auguſtinus ad Vincentium ita diſſerens: *Correxiſſe autem* (Cyprianum intelligit) *iſtam ſententiam non inuenitur: non incongruenter tamen de tali Viro exiſtimandum eſt, quòd correxerit, & fortaſſe ſuppreſſum ſit ab eis, qui hoc errore nimiùm delectati ſunt, & tanto velut patrocinio carere noluerunt.* &c.

Occurret hic Nouator, putans hoc inſigne factum altero inſigniore ſe poſſe infringere. Cur autem (dicet) ipſi Stephano Papae tam infenſum poſthac prae ſe tulit Cyprianus? Cur Summo Pontifici ſententiam Synodi Carthaginienſis contrario decreto improbanti non eſt continuò obſecutus? Cur magis obſiſtenti reſtitit? Cur tam acriter ſtylum obſtrinxit? vt fecit & in Epiſtola ad Pompeium, & in Praefatione ad ſententias Epiſcoporum rogandas de Baptizandis haereticis? Ad hoc licuerit nobis vſurpare in hoſce obtrectatores illam ipſam obiurgationem, quam & Diuus Auguſtinus in Donatiſtas lib. II. de Baptiſmo: ſiquidem & hi noſtri ab vnitate Eccleſiae, hoc eſt à doctrinis, vniuerſae Eccleſiae conſenſione receptis, nouas atque inauditas commentantes, praeciſione ſacrilega receſſerunt. Quid autem ſi nobis auctoritatem obijciunt Cypriani, non ſimul exemplum Cypriani tenent de vnitatis in Eccleſia conſeruatione? Atqui errauiſſe Cyprianum ſiquis dubitet, legat Auguſtinum in libris de Baptiſmo contra Donatiſtas, à quo Cypriani error, vt humanus quidem, eleuatur conſideratione piae, ac religioſae mentis ipſius, conſtantiſſimique ſtudij vnitatis Eccleſiae: Verumtamen vt error refellitur, neque Cypriani modò, ſed & Epiſcoporum ſingillatim, qui in Concilio ſubſcripſerant, ſententiae confutantur. Quid, quod illius tenor Praefationis, eruditis Auguſtini oculis aliter quàm plebeijs apparet? Nam illa verba, quae acerbitatẽ maximè praeſeferebant in Stephanum Papam, videlicet: *Supereſt, vt de hac ipſa re quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes: Neque enim quiſquam noſtrum EPISCOPVM SE ESSE EPISCOPORVM conſtituit, aut TYRANNICO TERRORE ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit, quando habet omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuae arbitrium proprium tanquam iudicari ab alio non poſſit, quomodo nec ipſe poteſt alterum iudicare, ſed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus eſt, ſolus habens poteſtatem & praeponendi nos in Eccleſiae ſuae gubernatione, & de actu noſtro iudicandi:* His enim verbis citatis lib. II de Baptiſmo ita ſubdit Diuus Auguſtinus: *Nunc ſi ſe audent ſuperbae, & tumidae ceruices haereticorum aduerſus ſanctam humilitatem huius ſermonis extollant inſani Donatiſtae* &c Et lib. III. de Baptiſmo iiſdem iteratò citatis ita vrget: *Quid manſuetius? quid humilius?* Nam ſi tu, Nouator, perſtringi hic mauis Stephanum, quaſi alluſerit Cyprianus ad vſitatum titulum Romanorum Pontificum, qui ſe Epiſcopos Epiſcoporum inſcribebant, ex hac certè falſa interpretatione veram elicies hiſtoriam de illo titulo iam ante Cypriani aetatem inuecto; id quod innuit Tertullianus lib. de Pudicitia, vbi ſe ab Eccleſiae gremio miſerè ſubmouens inuehitur in Zephirinum Romanum Pontificem, à quo Decretum manauerat de recipiendis in Eccleſiam poenitentibus, licet fornicarij fuiſſent, & moechi: ita verò Tertullianus: *Audio etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium: PONTIFEX SCILICET MAXIMVS, quod eſt EPISCOPVS EPISCOPORVM, edicit. Ego & Moechiae, & Fornicationis delicta, poenitentia functis dimitto. O edictum, cui adſcribi non poterit Bonum factum* &c. Quo ex titulo euincitur ſumma poteſtas Romani Pontificis in omnes Eccleſiae Epiſcopos, teſtimonio Beati Cypriani abs te, ò Nouator, interpretati. Nam Tertulliani mentem infrà indagabimus.

Facto inſigni Cypriani ſubſtituimus dictum eius, & vnà complurium Epiſcoporum, quorum omnium nomine ad Cornelium Papam Romanum directa eſt Epiſtola primo libro Secunda, Cuius initium: *Statueramus quidem iam pridem:* In ea igitur ſub extremum ita diſſeritur: *Placuit nobis ſancto Spiritu ſuggerente, & Domino per viſiones multas, & manifeſtas admonente (quia hoſtis nobis imminere praenuntiatur, & oſtenditur) colligere intra caſtra milites Chriſti, & examinatis ſingulorum cauſis, pacem lapſis dare; imo pu-*

gnaturis arma ſuggerere. *Quod credimus VOBIS PATERNAE miſericordiae contemplatione placiturum* &c. Ecce vt Patrem Eccleſiae Romanum Pontificem Epiſcopi omnes Concilij cum ſuo Primate B. Cypriano & profitentur, & conſulunt: eò certè honorabiliùs, quia plures vnum alloquentes, pluratiuo numero *vobis* vti malunt nondum recepto vſu, vulgò certè latinè ſcribentibus, & Cypriano in primis, amoenitatem latini ſermonis publicè ſumma cum gloria profeſſo:

Alter locus Cypriani citra vllas ambages declarat Romanum Pontificem caput extitiſſe, cui Epiſcopi vti membra ſubeſſent, cùm is lib. III. Epiſt. XIII. ſuadet Stephano Pontifici Romano, vt pellat ſede ſua Martianum Epiſcopum Arelatenſem Haereſiarcham, atque alium ſufficiat, in haec verba: *Dirigantur in prouinciam, & ad Plebem Arelate conſiſtentem à te literae, quibus abſtento Martiano alius in locum eius ſubſtituatur, & grex Chriſti, qui in hodiernum ab illo diſſipatus, & vulneratus contemnitur, colligatur. Sufficiat multos illic ex fratribus noſtris, annis iſtis ſuperioribus exceſſiſſe ſine pace, vèl caeteris ſubueniatur, qui ſuperſunt, & diebus, ac noctibus ingemiſcunt, & Diuinam, ac paternam miſericordiam deprecantes, ſolatium noſtrae opitulationis expoſcunt.* Et poſt plura vrget exemplo ſuperiorum Romanorum Pontificum dicens; *ſeruandus eſt enim anteceſſorum noſtrorum Beatorum Martyrum Cornelij, & Lucij honor glorioſus, quorum memoriam, cùm nos honoremus, multò magis tu, frater cariſſime, honorificare, & ſeruare grauitate, & authoritate tua debes, qui Vicarius, & Succeſſor eorum factus es.* Nunc, Martinie, quaero abs te, quamobrem B. Cyprianus hortetur Stephanũ ad exuendum Epiſcopatu Arelatenſi Martianum; niſi quia Romani Pontificis ſummam ſciebat eſſe poteſtatem in Eccleſia, & Primatum inter Epiſcopos, quibus vt caput membris praeeſſe iuſſit Diuina ordinatio? Ad eum autem modum eiecere ex Eccleſia Romani Pontifices Haereſiarchas alios pro tempore, vti Neſtorium Epiſcopum Conſtantinopolitanum Caeleſtinus; Timotheum Alexandrinum Simplicius; Theophilum Alexandrinum vèl vita defunctum Innocentius; Dioſcorum Alexandrinum, & Petrum Antiochenum Felix: Vt contra pulſos ab Orientalibus Athanaſium, & Paulum confugienteſque ad Sedem Romanam reſtituit Iulius, citatis ac damnatis haereticis auctoribus. Hoc porrò adiecimus, vt praecluderemus effugium aduerſarijs, ſi fortè Primatum Romanum ex B. Cypriano conuictum, Italiâ ſolum, & Galliâ, aut toto etiam Occidente concludendum putarent.

Accipe adhuc inſigne Romani Primatus in omnes omnino Epiſcopos ex ipſo B. Cypriano, quod niſi caecutientes diſſimulent. lib. II. Epiſt I. ſcribens ad Stephanum de Concilio habito Carthagine ſuper his, qui apud Haereticos baptizabantur, ita inchoat: *Ad quaedam diſponenda, ac communis Concilij examinatione limanda, neceſſe habuimus, frater chariſſime, conuenientibus in vnum pluribus Sacerdotibus cogere, & celebrare Concilium, in quo quidem multa prolata, atque tranſlata ſunt. Sed de eo VEL MAXIME TIBI ſcribendum, & CVM TVA GRAVITATE, ac SAPIENTIA conferendum fuit, quod magis pertineat ad Sacerdotalẽ authoritatem* &c. Excute tu diligenter hunc locum, candidè contemplare, rectè penſita. Ecquid aliud, niſi obſequium diſpicies, & penè contrectabis à B. Cypriano exhibitum Romanae ſedi? etiam, quod aduertas, nomine vniuerſi Concilij, hoc eſt plurium Epiſcoporum, vt indicat titulus, videlicet: *Cyprianus & caeteri Stephano Fratri Salutem.*

Satis igitur liquet, futilem reddi propoſitionem Martinij ad literam q. Sed deinceps adhuc pluribus.

Membrum VI.

Ex Diuo Cypriano Primatum Romani Pontificis in omnes Epiſcopos tam certum reddi, quàm quod certiſſimum.

Libet arctiùs conſerere pugnam, hoc eſt Logicè diſceptare, nedum Philologicè. Quod autem effugium reſtabit, ſi argumentis ex Diuo Cypriano petitis poſitionem noſtram neceſſaria conſecutione firmabimus? Ita nos verò congredimur:

Petrus Apoſtolus Primatum habuit in omnes Epiſcopos

Pontifex Romanus eſt ſucceſſor Diui Petri

Ergo Pontifex Romanus Primatum habet in omnes Epiſcopos.

Huius Syllogiſmi Maior Propoſitio hoc altero nititur Syllogiſmo: Omnes Apoſtoli erant Epiſcopi: Diuus Petrus Primatum habuit in omnes Apoſtolos: Ergo D. Petrus Primatum habuit in omnes Epiſcopos. Huiuſce alterius Maior in confeſſo eſt apud omnes Aduerſarios, quoniam arguitur ex B. Cypriano (ex editione Veneta) lib. II. Epiſt. X. ad Cornelium, cuius initium *Quod ſeruis Dei*. Vbi habetur: *Hoc enim vèl maximè frater & laboramus, & laborare debemus, vt vnitatem à Domino, & per Apoſtolos nobis ſucceſſoribus traditam, quantum poſſumus, obtinere curemus.* Et lib. IV. Epiſt. IX. ad Florentium: *Nec hoc iacto, ſed dolens profero, cùm te*

iudicem Dei conſtituas, & Chriſti, qui dicit ad Apoſtolos, ac per hoc ad omnes Praepoſitos, qui Apoſtolis Vicaria ordinatione ſuccedunt: Qui audit vos &c. Et lib. I. Epiſt. III. ad Felicem Presbyterum, Paulum Diaconum, & Plebem ipſis commiſſam: *Quod poſtea ſecundum Diuina Magiſteria obſeruatur in Actis Apoſtolorum, quando de ordinando in locum Iudae Epiſcopo Petrus ad Plebem loquitur.* Alterius huius minorem duo in primis loci eiuſdem B. Cypriani tuentur. Prior ex editione Pariſienſi ſuprà Membro III. allegatus, Epiſtola ibi XLII. ſcilicet: *Primatus Petro datur, vt vna Chriſti Eccleſia, & Cathedra vna monſtretur.* Poſterior locus ex editione Veneta (in qua extant Deſiderij Eraſmi Roterodani Adnotatiunculae) Epiſtola ad Quirinum, quae praecedit ſententias Epiſcoporum de haereticis baptizandis, eſt in haec verba: *Nam nec Petrus, quem primum Dominus elegit, & ſuper quem aedificauit Eccleſiam ſuam, cùm Paulus de Circumciſione poſtmodum diſceptaret, ſe vindicauit; ſeu aliquid inſolenter, aut arroganter aſſumpſit, vt diceret, ſe PRIMATVM tenere, & obtemperari à nouellis, & poſteris ſibi potiùs oportere: Nec deſpexit Paulum, quòd Eccleſiae priùs perſecutor fuiſſet, ſed conſilium veritatis adminiſtrationi legitimae, quam Paulus vindicabat, facilè conſenſit; documentum ſcilicet nobis & concordiae, & patientiae tribuens, vt non pertinaciter noſtra amemus; ſed quae aliquando à fratribus, & collegis noſtris vtiliter, ac ſalubriter ſuggeruntur, ſi ſint vera, & legitima, ipſa potiùs amplectamur.* Quem locum ſiquis aliò detorquere auſit, quàm vt planè ſignificet, Petro fuiſſe verum Primatum à Chriſto datum in Apoſtolos, occurremus nos cum Diuo Auguſtino de Baptiſmo contra Donatiſtas lib II. non procul à principio, vbi hunc ipſum Cypriani locum recitans, ita ſubiungit: *Ecce vbi commemorat Cyprianus, quod etiam nos in ſcripturis ſanctis didicimus, Apoſtolum Petrum, in quo PRIMATVS Apoſtolorum tam excellenti gratia praeeminet, aliter, quàm veritas poſtulabat, de Circumciſione agere ſolitum, à Poſteriore Apoſtolo Paulo eſſe correctum.* Vbi ſimul Diuus Auguſtinus remouet admirationis materiem, quomodo Vir multò ſanctiſſimus Cyprianus ita feruidè altercaretur, atque obſiſteret definitioni de non baptizandis haereticis, quam edixerat Stephanus Pontifex Maximus, ac Primas Eccleſiae vniuerſae. Sic enim diſſerit: *Si potuit Petrus contra veritatis regulam, quam poſtea Eccleſia tenuit, cogere gentes iudaizare: cur non potuit Cyprianus contra regulam veritatis, quam poſtea tota Eccleſia tenuit, cogere haereticos, vel ſchiſmaticos denuò baptizari?* Iam probatam ex B. Cypriano plus quàm ſatis habemus etiam Minorem ſecundi ſyllogiſmi Propoſitionem de Petri Primatu. Itaque ſyllogiſmus hic ad victoriam currat, oportet, Propoſitione Maiore ita firmata Principis ſyllogiſmi.

Iam & Minorem, nempe Romanum Pontificem (eum quidem pro tempore) eſſe Petri ſucceſſorem vèl ex aetate Diui Cypriani tam facilè cognoſcimus, quàm quod facillimè. Lege, obſecro, eius Epiſtolam LV. ex editione Pariſienſi, ſeu mauis ex Veneta, quam probauit Eraſmus, Epiſtolam III. libri I. Cuius initium: *Legi literas tuas, frater cariſſime, quas per Saturum fratrem* &c. Eſt autem ſcripta ad Cornelium Papam Romanum hortatoria contra Haereſiarchas ſui temporis, praeſertim Feliciſſimum, & eius ſtudioſos, quorum praeſentibus terroribus, ac minis commotus fuerat Cornelius. Ibi ergò num. 90. ita fatur: *Poſt iſta adhuc inſuper Pſeudoepiſcopo ſibi ab haereticis conſtituto nauigare audent, & ad PETRI CATHEDRAM, atque ECCLESIAM PRINCIPALEM, vnde vnitas Sacerdotalis exorta eſt, à Schiſmaticis, & profanis literas ferre, nec cogitare, eos eſſe Romanos, quorum fides Apoſtolo praedicante laudata eſt, ad quos perfidia habere non poſſit acceſſum.* Innuit Epiſt. ad Rom. Cap. I. Ecce verò Romam, Ecce Petri Cathedram, Ecce Eccleſiam Principalem (in qua ſcilicet Principatus eſt Chriſtianus, & ſedet Epiſcoporum Princeps) Ecce fundamentum huiuſce Principatus; quippe alludit ad Chriſti verba toties à B. Cypriano obſeruata: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram aedificabo Eccleſiam meam* &c. An porrò caecutiet in tanta luce Nouator, vt Cypriani tempore nullum dicat fuiſſe caput, nullum Primatem, aut Principem in omnes Epiſcopos?

Adhuc accipe locum alium, ex editione Pariſienſi Epiſt. LII., ex Veneta lib. IV. Epiſt. II. ad Antonianum, cuius initium: *Accepi primas literas tuas, frater Cariſſime, concordiam* &c. vbi ſub initium ita alloquitur: *Scripſiſti etiam, vt exemplum earundem literarum ad Cornelium Collegam noſtrum tranſmitterem, vt depoſita omni ſollicitudine iam ſciret, te ſecum, hoc eſt cum Catholica Eccleſia communicare.* Ecquis non hinc inferat, Cornelium Pontificem Romanum monſtrari digito Patrem Maximum, & Summum Principem Eccleſiae Catholicae? Nihil dicimus de illa non leui coniectura veritatis noſtrae ſententiae, cùm eadem Epiſtola LII. ad Antonianum narrat B. Cyprianus de reſponſo Cleri Romani, ſede vacante ſibi facto ſuper quaeſitis de pace lapſis danda; Et ipſas Cleri literas per totum Mundum miſſas eſſe, & in notitiam Eccleſijs omnibus ac vniuerſis fratribus perlatas, quaſi eamdem venerationem haberet Clerus, in ſacro interregno, quam & ipſe Pontifex, vt indicat Epiſtola Cleri Romani ad Clerum Carthaginienſem de ſeceſſu B. Cypriani (eſt in edit. Pariſ. ordine Tertia) vbi habet num 6 *Et cum incumbat nobis, qui videmur praepoſiti eſſe, & vice Paſtoris cuſtodire gregem, ſi negligentes inueniamur, dicetur nobis* &c. Omnino viſendus eſt Index libri in voce *Romanus Clerus*. Congerimus alium

locum

locum, qui nobis exciderat, ex Epiſtola LII. nuper allegata, vbi num. 29. de Cornelio ad Pontificatum Maximum Romae euecto ita B. Cyprianus perſcribit : *Factus eſt autem Cornelius Epiſcopus de Dei, & Chriſti eius iudicio, de Clericorum pene omnium teſtimonio, de Plebis, quae tunc affuit, ſuffragio, & de Sacerdotum antiquorum, & bonorum virorum Collegio, cùm nemo ante ſe factus eſſet, cùm FABIANI LOCVS, ideſt cùm LOCVS PETRI, & gradus CATHEDRAE SACERDOTALIS vacaret* &c. Vide, an grandioribus ſenſis Cyprianus expreſſiſſet ſucceſſionem Pontificis Romani, pro tempore, in Cathedra Petri Apoſtoli.

Igitur ambabus ſyllogiſmi principis Propoſitionibus, quas Logici Praemiſſas vocant, à loco Topico teſtimonij & auctoritatis B. Cypriani (is enim Diſputationis fuit cardo) ita probatis, ac demonſtratis, erit ſuper, quod Philologus noſter deſideret ad veritatis aſſecutionem? Erit, cur conſecutionem ſyllogiſmi ad ſeueritatem Logicarum praeceptionum conformati non ipſis cernat oculis? non manibus tractet? I nunc, & ſtatue (ad literam q) nullam omnino fuiſſe in omnes Dominationem, aut Regium Imperium (haec autem citra inuidiam nomina volumus admiſſa, neque hinc modeſtiam abeſſe à Chriſto Domino commendatam Diſcipulis, Lucae Cap. IX. Matthaei Cap. XVIII. quae modeſtia poteſtati minimè aduerſatur, interprete ibidem Diuo Hieronymo) ſiue omnes intelligas Epiſcopos, ſeu etiam Chriſtianos per plebes his ſubditos: *id* autem dicito tu *certum eſſe aetate Sanctiſſimi Martyris Cypriani*.

Membrum VII.

Excutitur ſimul & impugnatur Dictum Martinij ad literas o, & p

PRimùm ergo particulam illam *Nuſquam deprehendimus*, quaſi minitabundam Arcem impetamus, neceſſe eſt; dolentes etiam atque etiam cōpelli nos aut inſcitiam hic obiectare, aut malitiam: quamquam in eos malumus vitium refundere, à quibus bona, vt credimus, fide Martinius hauſerit in tanta praeſertim eruditionis mole, ac farragine, vnde Lexicon ſuum inſtruxit. Philologo nos igitur putamus non ingratum fore, ſi monuerimus, non obſeruati ab ipſo Diui Hieronymi, qui primis illis & beatis temporibus floruit, quae inquirebat Martinius, quae nimirum Eccleſiam tot pijs, doctiſque Patribus florentem viderunt. Is autem quid niſi Praelatum vult Epiſcopis Romanum Pontificem, cùm SVMMVM SACERDOTEM vocat (Tomo III. ſuorum operum, Praefatione CXXIII. quae eſt in quatuor Euangelia) ita alloquens Damaſum: *Aduerſus quam inuidiã duplex cauſa me conſolatur, quod & tu, qui ſummus Sacerdos es, fieri iubes* &c. Et cùm *SVCCESSOREM PETRI* vocaliter nominat Epiſtola LVII. ad Damaſum, videlicet: *Quoniam vetuſto Oriens inter ſe populorum furore colliſus, indiſciſſam Domini tunicam, & deſuper textam minutatim per fruſta diſcerpit, & Chriſti vineam exterminant vulpes, vt inter lacus contritos, qui aquam non habent, difficile vbi fons ſignatus, & hortus ille concluſus ſit, poſſit intelligi; ideo mihi Cathedram Petri, & fidem Apoſtolico ore laudatam cenſui conſulendam; inde nunc meae animae poſtulans cibum, vnde olim Chriſti veſtimenta ſuſcepi. Neque verò tanta vaſtitas elementi liquentis, & interiacens longitudo terrarum me à pretioſae margaritae potuit inquiſitione prohibere*. Et poſt paulò. *Quamquàm igitur tui me terreat magnitudo, inuitat tamen humanitas, à Sacerdote victimam ſalutis, à Paſtore praeſidium ouis flagito. Faceſſat inuidia, Romani culminis recedat ambitio. Cum SVCCESSORE PISCATORIS, & diſcipulo Crucis loquor. Ego nullum primũ, niſi Chriſtum ſequens Beatitudini tuae, ideſt Cathedrae Petri communione conſocior. Super illã Petram aedificatã Eccleſiam ſcio. Quicunque extra hanc domum Agnum comederit, profanus eſt. Siquis in Arca Noë non fuerit, peribit regnante Diluuio: Et quia pro meis facinoribus ad eam ſolitudinem commigraui, quae Syriam iuncto Barbariae fine diſterminat, nec poſſum Sanctum Domini tot interiacentibus ſpatijs à Sanctimonia tua ſemper expetere, ideo hic Collegas tuos Aegyptios Confeſſores ſequor, & ſub onerarijs nauibus parua nauicula deliteſco. Non noui Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicunque tecum non colligit, ſpargit; hoc eſt qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt.* Et cùm idem Hieronymus à Concilijs, quae in Oriente, & Occidente haberentur, conſuli Pontificem Romanum teſtatur Epiſt. XI. de Monogamia ad Ageruchiam Viduam ita fatus: *Ante annos plurimos cùm in chartis Eccleſiaſticis iuuarem Damaſum Romanae Vrbis Epiſcopum; & Orientis, atque Occidentis Synodicis conſultationibus reſponderem* &c. Et cùm Romanum ipſum Pontificem iniunxiſſe ſibi affirmat (Praefatione ſuprà allegata in quatuor Euangelia ad Damaſum) vt quatuor Euangelia toto Orbe diſperſa ipſe emendet, quò vniuerſae conſulat Eccleſiae.

At enim aequalis non fuit Cypriano Hieronymus, ſed vno poſterior ſeculo. Certè quidem & Ioannes Caluinus veſter in ſua Inſtitut. proferre nititur in ſui praeſidium teſtimonia B. Hieronymi,

ronymi, & ſentit antiquae Eccleſiae faciem ad Hieronymi aetatem durauiſſe. Anne igitur intra ſeculum vnum tanta rerum conuerſio creditur facta, vt Romano Pontifici, qui per vos vnus eſſet è numero caeterorum Epiſcoporum, ita repente erigi, ita eminere ſupra omnes omnino Chriſtiani Orbis contigerit, ac dignum eum agnoſci, quem Oriens, quem Occidens Primatem veneraretur, cuius definitiones, & placita tanquam oracula Caelo miſſa literis vndique expeterentur? An verò homo inter Sanctos doctiſſimus, interque doctos Sanctiſſimus Hieronymus in re tanta, quantam Sacrae literae continere poſſunt maximam, Concilia vniuerſalia grauiſſimam, Scholae & Cathedrae Theologantium iactatiſſimam, Eccleſiae denique honorificentiſſimam; ita luculenter ipſe, ita vocaliter, ita grauiter fuiſſet locutus, ni ſua aetate eiuſce dogmatis ſacroſancti veritas & perſpecta bonis omnibus foret, & confeſſa ac trita Catholicis, & formidata Haereticis, Schiſmaticiſque?

Sed quando in meridie lucernam poſcitis, damus libenter, vt ipſi errantes vos inueniatis. Antiquioris Tertulliani B. Hieronymo, annis XL plus minus, vnum illum producimus locum luſtrandum, quem ſuprà Membro V. indicauimus. Quid, cedo, ſibi volunt verba illa; *Pontifex ſcilicet Maximus, quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum edicit: Ego & Moechiae, & Fornicationis delicta poenitentia functis dimitto*: quid haec inquam verba ſibi volunt? E veſtris vnus fatetur Mornaeus de Romano Pontifice eſſe dicta, hoc eſt de Zephyrino, à quo Edictum illud emanauerat. Iam per vos habèmus à Tertulliano, Romanum Epiſcopum appellatum Pontificem Maximum, & Epiſcopum Epiſcoporum. At inquies appellabat inſultabundus, deridiculo igitur titulo, non autem ſerio, non vero. Ac nos quidem inſultabundum dederimus, titulo autem illo plane ſerio vſum fuiſſe, ita conuincimus: Cùm dixit Zephyrinum Tertullianus Pontificem Maximum, impugnaturus illius edictum, vel id ſerio ex ſenſu ſuo dixit, vel recitando ſolum verba Edicti. Neque tertium huic Dilemmati membrum adieceris, vt totum referas ad contemptum, atque irriſionem. Nam illa particula *ſcilicet* interpretatiua eſt praecedentis dicti, quod nemo niſi inſulſus negabit. Ita enim erat praefatus: *Audio etiam edictum eſſe propoſitum, & quidem peremptorium*: mox explicat ſubdens: *Pontifex ſcilicet Maximus*; Haec enimuerò recitantur hiſtoricè, & pòſt expoliuntur Synonymo ad amplificandam tituli dignitatem, videlicet: *quod eſt Epiſcopus Epiſcoporum*. Hìc itaque indignabundus potiùs, quàm irriſor inuehitur. Liceat hinc nobis ita congredi. Vel is ex ſuo ſenſu Pontificem Maximum pronuntiat, vel recitat modò Edicti titulum: Si prius, iam vicimus: Si poſterius, etiam vicimus, quia ſi titulum eum ſibi iniuſtè Zephyrinus aſciuiſſet, ipſum vtique impugnare, atque conuellere adoriretur Tertullianus illi infenſiſſimus Edicto, vt proceſſus ſermonis oſtentat: Quid igitur conſequens inde eſt, niſi vt ſupra aetatem B. Cypriani Romanus Pontifex & Maximi titulum, & Epiſcopi Epiſcoporum obtinuerit? Adde; vèl ſi ille impugnare titulum tentauiſſet, adhuc liqueret, Pontifices Romanos illum praeferre ſolitos, falſumque hoc placitum iactari à Nouatoribus (ad literas o, & p) primis illis temporibus Dominationem in omnes nuſquam deprehendi.

Membrum VIII.

Conuelluntur Argumenta Martinij

EXtremum eſt, vt ſententia Martinij, quàm in lubrico ſit, monſtretur.

Primum quidem fundamentum ille ponit ad literam r, quòd B. Cyprianus in Epiſtolis Papas Romanos ſemper appellet *Fratres*. Volebas tu autem *Patres Sanctos*, *Patres Beatiſſimos*? omnino autem requirebas tu in Eccleſiae veluti adoleſcentia ſenectutis dignitatem? Alia alijs temporibus conditio: nec in humanis quidquam naſcitur ex omni parte perfectum. Deus ipſe humanis in membris rudimenta exhibuit vitae, nec quia in mente beatus & plenus maieſtate Numinis, in artubus idcirco granditatem Viri tùm primùm naſcens praetulit. Ita Eccleſiae ſuae curſum progreſſumque ordinauit. Sed argumento veſtro, Nouatores, qui à vobis ſtat, ſatisfecerit Deſiderius Eraſmus Roterodanus in ſuis Adnotatiunculis ad Diuum Cyprianum ex editione Veneta An. MDXLVII. In libri IV. Epiſtolam II. ad Antonianum, cuius initium: *Accepi primas literas tuas. Excutiendum* (inquit Eraſmus) *cur in hac Cornelium Pontificem Romanum Collegam ſuum appellet; neque enim id ſemel facit, vt caſus videri poſſit; ſed iterum atque iterum. Sic & Innocentium Auguſtinus Fratrem vocat. Reſederant in illa etiam nùm aetate veſtigia ſimplicitatis Apoſtolicae, nec requirebatur iſta titulorum ambitio. Sic Paulus Apoſtolorum Principem Cepham & Petrum. Par erat authoritas, ſed maior charitas, & arrogantia nulla: Et tamen Cyprianus alicubi plurimùm defert Sedi Romanae, deque dignitate Petri magnificè ſentit. Proinde ſuſpicor hic Fratris cognomen non arguere dignitatis aequalitatem, ſed ſocietatem communionis*. Haec Eraſmus. Verùm ſatisfecerit ſibi ipſi Martinius ex ſuomet Lexico in voce *Frater*, vbi tradit quatuor modis in Scripturis Sacris Fratres dici, Natura ſcilicet, Cognatione, Gente, Affectu; hoc quidem tùm

communi, tùm (ait) ſpirituali. Cyprianum verò vnitatis Eccleſiae, & charitatis tantoperè ſitientem, vt eius praedicant ſcripta, vtque obſeruat S. Auguſtinus (de Baptiſmo contra Donatiſtas, in exordium Concilij Chartaginienſis) titulum Fratris prae alijs honorificis plerumque vſurpauiſſe mirum non eſt. Decoro itaque Chriſtiani hominis congruentius putauit in aetate ſua Pontificem Romanum Fratrem appellare potiùs, quam Patrem, aut inuecta ſeu poſt, ſeu paulo antè Graeca voce Papam. Quin etiam ſubſequenti ſeculo eandem viguiſſe ex charitatis ſenſu ſimplicitatem appellationis, etſi iam recepta dignitate ac magnificentia titulorum, indicat Epiſtola S. Athanaſij, & Aegyptiorum Epiſcoporum ad Liberium Romanum Pontificem de oppreſſione Arrianorum. Nam illa ſic inſcribitur. *Domino Beatiſs. & Honorabili Sancto Patri Liberio Papae Athanaſius, & vniuerſi Aegyptiorum Epiſcopi in vnum Synodicè apud Alexandriam congregati.* Similem in modum exorditur Epiſtolam: *Veſtrae Beatiſſimae Paternitatis iura penes Deū ſunt manifeſta* &c. Veruntamen haud multò poſt ſubdit: *Quorum Sanctorum Apoſtolorū VESTRA FRATERNITAS honoranda ſequens merita, & perfectiùs implens exempla* &c. Et inferiùs, dignitatem renouat Pontificiam dicens: *Pro qua re multa veſtrae ſacrae doctrinae tam apud Deum, quàm apud cunctos fideles merces, & laus repoſita eſt, SI VESTRA HAEC RECENSEATVR AVTHORITATE.* Concinit eiuſdem Liberij ad Athanaſium, & Aegyptios Epiſcopos illius Synodi inſcribens: *Dilectiſſimo FILIO Athanaſio, & omnibus in vnum congregatis, & de Trinitatis fide rectè ſentientibus Aegyptiorum Epiſcopis Liberius Papa:* Et infrà *Super quibus & NOS vnà vobiſcum condolemus, & laborare pro vobis VT PATER PRO FILIIS parati ſumus.*

Alterum fundamentum Martinij eſt, ad literas ſ, & t, Repetita ſaepe per B. Cyprianum illa ſententia: *Habere in Eccleſiae adminiſtratione voluntatis ſuae arbitrium liberum vnumquemque Praepoſitum ſiue Epiſcopum.* Quid porro inde? Ergo quia vnicuique mortalium arbitrium voluntatis ſuae liberum dedit Deus, ſolutus ille propterea exiſtit legibus à Deo latis? Nam & de Chriſto Domino à Diſcipulis ſuis derelicto, ſciſcitanteque Apoſtolos, num & ij abire vellent, inquit S. Cyprianus (lib. I. Epiſt. III. ad Cornelium) *Seruat legem, qua homo libertati ſuae relictus, & in arbitrio proprio conſtitutus ſibimet ipſi vel mortem appetit, vel ſalutem.* Quid? Populum & Plebem ſubiectam Clero, & Epiſcopo faciunt Nouatores, hoc igitur ipſo liberum arbitrium à Deo conceſſum adimunt Populo? Voluntatem itaque liberam cùm habeant Epiſcopi, nec praeceptis Chriſti eximuntur, nec edictis ac iuſſis Vicarij eiuſdem Chriſti, hoc eſt Romani Pontificis Maximi. At dimidiata audiri non debet ſententia, quam fundit totam B. Cyprianus lib. II. Epiſt. I. ad Stephanum; neque par eſt, vt à corpore abrupta proferatur, ſenſu fallente. Siquidem perlegenti totam Epiſtolam liquet agi ibi de varietate opinionum, quarum vnuſquiſque Epiſcopus tenax erat, nondum definita, & eliquata veritate quaeſtionis per Generale Concilium. Ita quoſdam intelligens B. Cyprianus opinioni ſuae eſſe aduerſos, integra tamen concordia, & pace, ſic concludit Epiſtolam: *Qua in re nec nos vim cuiquam facimus, aut legem damus, cùm habeat in Eccleſiae adminiſtratione voluntatis ſuae arbitrium liberum vnuſquiſque Praepoſitus, rationem actus ſui Domino redditurus.* Quippe vbi nondum Canones Conciliorum interuenerint, liberum eſſe aiebat Cyprianus, cuique Epiſcopo, quod placet exequi, dum recta feratur mente; neque puniri poſſe ab Eccleſia, quod ſententiae huic potiùs adhaereat quàm illi. Simile eſt, quod praefatur in Concilio Carthagine coacto ad ſententias ferendas de baptizandis haereticis; ſic enim habet: *Supereſt, vt de hac ipſa re, quid ſinguli ſentiamus, proferamus, neminem iudicantes, aut à iure communionis aliquem, ſi diuerſum ſenſerit, amouentes. Neque enim quiſquam noſtrum Epiſcopum ſe eſſe Epiſcoporum conſtituit, aut tyrannico terrore ad obſequendi neceſſitatem collegas ſuos adegit; quando habeat omnis Epiſcopus pro licentia libertatis, & poteſtatis ſuae arbitrium proprium, tanquam iudicari ab alio non poſſit, cùm nec ipſe poſſit alterum iudicare. Sed expectemus vniuerſi iudicium Domini noſtri Ieſu Chriſti, qui vnus, & ſolus habet poteſtatem & praeponendi nos in Eccleſiae ſuae gubernatione, & de actu noſtro iudicandi.* Hanc ergo ſententiam ita quidem inculcat repetitque, non vt mutilam repraeſentant Aduerſarij.

Denique quod ad literam u allegat Martinius, temporibus illis (ideſt B. Cypriano florente) adminiſtratio Eccleſiarum vſurpata euincit, inquit, planiſſime, quod non ſubſint Epiſcopi omnes Romano Pontifici: nihil nos minus inferri hinc dicimus, quam talem clauſulam. Ergo quia Acham, exempli gratia (Ioſue Cap. VII.) vſurpauit de anathemate, legitimam eam effecit vſurpationem? Senſit ille profectò, ſenſit cum illo Populus iram Numinis, vnius hominis ſcelere oppreſſa multitudine. Audiat autem Martinius, tam ſtudioſus cultor B. Cypriani, quid ſentiat tantus Doctor de ijs, qui ſe vltrò in Epiſcopatum intrudebant, non vocati, non ordinati legitime. Ita enim is tract. III. de ſimplicitate Praelatorum: *Sic & ante Iudicij diem hic quoque iam iuſtorum atque iniuſtorum animae diuiduntur, & à frumento paleae ſeparantur. Hi ſunt qui ſe vltrò apud temerarios conuenas ſine Diuina diſpoſitione praeficiunt, qui ſe praepoſitos ſine vlla ordinationis lege conſtituunt: qui nemine Epiſcopatum dante, Epiſcopi ſibi nomen aſſumunt: quos deſignat in Pſalmis Spiritus ſanctus ſedentes in peſtilentiae cathedra, peſtes, & lues fidei, ſerpentis ore fallentes,*

lentes, & corrumpendae veritatis artifices, venena lethalia linguis peſtiferis euomentes, Et in hunc ſenſum longiùs effundens ſe ſe B. Cyprianus, quid tandem ſibi ſuffragetur, Martinius videat. Cui ſciſcitanti fortè, quae dicatur legitima Epiſcopi ordinatio, contraria vſurpationi, breuibus illam dicimus eſſe, quae fit auctoritate vicaria Romani Pontificis à Primatibus Prouinciarum, à Patriarchis, Archiepiſcopis, Epiſcopis. Haec autem ſiquis auet cognoſcere pleniùs, adeat Acta Leonis Papae.

Quae vt ita eſſe docearis, Matthia Martinie, obſecramus te pet Ieſu viſcera, cuius te ſeruum in fronte ſpecioſa tui Lexici profiteris, vt allegatos à nobis codices conferre ne graueris, & inquirere, vtrùm nos quidquam diſtortum, truncum, corruptum ad ſincerae veritatis obtegendam lucem, ad mentes piorum fallendas hac noſtra Digreſſionis pagina attulerimus. Tùm candore noſtro perſpecto, Philologus cùm ſis, debes per haec indicata veſtigia odorari veritatem Catholicae fidei (*ſine qua impoſſibile eſt placere Deo*) quam, quia non multis antè ſeculis delitéſcit (eheu) iſti Caelo, breui fiet negotio, vt deprehendas; viamque ad Caelum certam ineas vetere ab errore reuocatus. Faxit, O vtinam, Ieſus hunc noſtro labori fructum, tuo ſtudio gloriam. Certè quidem neque fructum hunc impiger tu negligere potes, neque hanc gloriam generoſus non amare.

CLASSIS

CLASSIS IIII.
Nouata Magiſtratuum Profanorum Nomina ex his quae probanda

DIGNITAS, HONOR

Membrum I.

DIGNITAS de Magiſtratu omni dicitur Scriptorum boni ſeculi teſtimonio. Hanc autem vocem eo ſenſu antiquam ideo nos praelegimus nouis profanorum Magiſtratuum, quò ſcrupulum tolleremus in re ſacra aequè ac profana permoleſtum nonnullis, rectène pro ipſius adminiſtratione Magiſtratus vſurpetur. Quam quidem quaeſtionem praeuertere ſtuduit in ſuo Theſauro Marius Nizolius citato Ciceronis loco ex lib.XIII.Epiſt.LIV. qui tamen locus falſus eſt, & corruptus, vt liquet exemplar conferenti. Alium nos promimus locum ex libro ipſo IX.,Manutij commentarijs illuſtrato, videlicet: *Primùm tibi, vt debeo gratulor, laetorque tùm praeſenti, tùm etiam ſperata tua dignitate*. Sermo eſt de Aedilitate curuli praeſente, deque Praetura ſperata. Item Philipp. XIII. *Neminem Pompeianum, qui viuat, tenere lege Hirtia dignitates*. Adeundus omninò Manutius in ſuperiorem locum, vbi etiam diſputat contra quoſdam, & locum profert ex Philipp. Addet auctarium Plinius Panegyriſtes in haec verba: *At nunc ſi bene aliquis prouinciam rexerit, huic quaeſita virtute Dignitas offertur*; intelligit autem Conſulatum; in quem ſenſum etiam Seneca in Praefat. lib. I. Natur. quaeſt. *Nec eſt tibi ambitio, quae te ad Dignitatem, niſi per indigna non ducet*. Ob id à nota barbariae hac quidē in parte purgatur illa ſequioris ſeculi Inſcriptio apud Grut.pag.CCCCVI.num.1.

CLXIX.

FL. EVGENIO. V. C. EX. PRAEFECTO. PRAETORIO
CONSVLI. ORDINARIO. DESIGNATO. MAGISTRO
OFFICIORVM. OMNIVM. COMITI. DOMESTICO
ORDINIS. PRIMI. OMNIBVSQVE. PALATINIS
DIGNITATIBVS. FVNCTO. OB. EGREGIA. EIVS &c

Cui recentem atteximus, in qua priſcus decor, Romae expoſita, vt refert Suueertius in Select. Delic. Videlicet:

CLXX.

GREGORIO. XIII. P. M. OPT. PRINCIPI
HVGONI. BONCOMPAGNO. BONONIENSI
QVI. PER. ROM. MAGISTRATVS
ET. ECCLESIASTICAS. DIGNITATES
IVSTITIAM. ET. PIETATEM. COLENS
AD. PONTIF. SEDEM. EVECTVS
VNIVERSAM. REMP. CHRISTIANAM
SVMMA. PRVDENTIA. ET. CHARITATE
MODERATVR
S. P. Q. R
HIERONYMO BVBALO. CAMILLO MANCINO. BERNARDINO CAVALERIO
COSSS

Similem habes apud eundem Suueertium Silueſtro Aldobrandino ibi poſitam.

Eadem ſignificatione accepere Latini vocem *Honor*, vt patet ex Suetonio in Domitiano, initio cap. I.: *Domitianus natus eſt Patre Conſule deſignato, inituroque menſe inſequenti honorem*, ideſt Conſulatum. Et ex Cicerone pluribus locis (quos vide in Theſ. ling. Lat. in Voce *Honor*) praecipuè Ad Lentulum lib. I. Epiſt. VIII. *Cum & honoribus ampliſſimis, & laboribus maximis*

tmis perfuncti eſſemus, i. e. *Magiſtratibus & Reip.* muneribus laborioſiſſimis: Vnde *ad honores obrepere* dixit Pro Plancio; & *vti honore* Philipp. VIII. *Quamquam* inquit *hoc honore vſi togati eſſe ſolent, cùm eſt in ſagis ciuitas*, id eſt qui hunc magiſtratum geſſerunt. Extant apud Gruterum eiuſmodi locutiones, praeſertim pag. MXIIII. num. 2. eſt marmor Romanum.

CLXXI.

CVRATORES . OPER . PVBLIC
Q . PETRONIVS . C . F . PAETVS
MENS . ITER . HONOR . IN . CVR * *iterum honore in curia functus*
FVNCTVS . ET . NOMINE
M . ANTONI . L . F . POLLIONIS &c
IMMVN . PERPET
ARAM . D . S . P . P

& alibi itidem. Pagina quoque CCCLIII. num. 6.

CLXXII.

ANNEIAE
FIRMILLAE
PREMEDIAE . C . F
SVLPICILLAE
PLEBS . VRB . ET
HONORE . VSI
LOCVS . PLEBI . DAT . DEC . DEC

eadem forma non ſemel aliàs. Hinc *Honor Aedilitatis* pag. CCCXLIX. num. 1. & *Honor Aedilitius* ibidem num. 2. & *Honorum omnium candidato* CCCCLXV. 2. Non pudet recentiſſimam accenſere, quia noſtri eſt & ſeculi, & Ciuis, amoenique Elogiaſtae, Franciſci Caſati in laurea Philoſophica Sfortiae Brippij, qui in vtramque vocem Dignitatis & Honoris ſcitè admodum ludit. Videlicet:

CLXXIII.

IACOBVS . STEPHANVS . BRIPPIVS
ATAVVS
A . IOANNE . GALEATIO . DVCE
MAGISTRATVS . ORDINARII . QVAESTVRA . INSIGNITVS
MIRVM
IN . QVAESTVRA . QVAESTVRAM . NON . HABVIT
IN . ROMANO . HONORE
ROMANA . ILLI . NON . DEFVIT . VIRTVS . SED . CVRIA
HONOREM . HONORI . CONTVLIT
VENALES . REDDIDIT . VIRTVTIBVS
DIGNITATES
ET . MERITO . SANE
AD . SVMMOS . HONORES . ASCENDEBAT . TVNC
NOBILISSIMA . FAMILIA
QVAE . IN . SFORTIA . DEBEBAT . EXTOLLI
AD . APICES . REGVM . LAVREAS . ET
CORONAS

GVBERNATOR

Membrum II.

GVBERNATORIS vocem intrepidi admittimus de Rectore, & Moderatore locorum, nec ſolùm Nauium. Quippe ea ad rem politicam à nautica translata fuit ipsâ florente Latinitate, vt probat Ciceronis locus pro C. Rabirio: *Cuſtodes, Gubernatoreſque Reipublicae*: Atque adeo ab Hominum Rectore ad Brutorum, vt obſeruat Quintilianus lib. VIII. cap. VI. illud pro exemplo citans Metaphorae

. . *Gubernator magna contorſit equum vi.*

ideſt *Agitator*. Iniuriâ itaque ſciolus quidam recentior, vindexque antiquitatis ſuperſtitioſus hocce nomen carpit tributum noſtra aetate ſummis moderatoribus Prouinciarum, aut Ciuitatum. Nam eſto, peculiaris Magiſtratus titulus haud eſſet veteribus *Gubernator*, cùm alio, atque alio donarentur; tamen immutatâ poſtea Politiâ, & nouâ adminiſtrandi formâ inuectâ nequaquam refugerent Romani, vèl quibus aureum affulſit ſeculum, quod erat commune generis vocabulum, metaphoricòs ſpeciei concedere: ſicut ijdem contrà Praetoris nomine appellantes illum ſpeciatim, qui exercitui modò praeerat, pòſt paulatim ad quemcumque generaliter traduxere, qui Magiſtratum gereret in Vrbe, in Prouincijs; de Ciuilibus, de Capitalibus controuerſijs. Habemus de vſu huiuſce vocis recentia, nec malae notae exempla Inſcriptionum: praeſertim apud celeberrimum aetatis noſtrae Elogiaſten Aloyſium Iuglarem in Epitaphio de Iafredo Bentio à Santena, quod cum alijs eius Auctoris iuſto volumine circumfertur, alijs poſt alios typis edito. Nam quod edidit Comes Gibertus Borromaeus Elogium cum Oda ſubiecta in Dionyſium Brippium Sfortiae proauum, quia non latè publicatum eſt, omnino referri hoc loco poſtulat. Videlicet:

CLXXIV.

DIONYSIVS . BRIPPIVS . PROAVVS
CASALIS . MAIORIS . ET . MARCHIONATVS . SALVTII
GVBERNATOR
A . CAROLO . V. SENATOR . CREATVS
MORTALEM . SE . PROBARE . NON . POTERAT . NISI . PERIRET
AEQVE . CARVS . AC . VTILIS . PATRIAE
HOC . VNVM . INTVLIT . DAMNVM
VT . ILLO . TIMERET . VIVO . DOLERET . MORTVO
INFELIX . CIVITAS
NISI . AMISSVM . CIVEM . RECVPERASSET . IN . POSTERIS

Inter haec venit in manus exemplum Inſcriptionis nunc quidem primùm expoſitae Mediolani in Aede Diui Stephani, cui vt locum hunc demus, ſuadet benemerendi ſtudium de re literaria: Eſt autem huiuſmodi

CLXXV.

THEODORVS . I. TRIVVLTIVS
PICELEONIS . MARCHIO . COMES . &c
PRIVS . IMPERATOR . QVAM . MILES
NON . MILITARIBVS . STIPENDIIS
SED . IMPERIIS . GLORIAM . AVSPICATVS
IN . PRIMO . AETATIS . FLORE . GALLORVM . ATQVE . ARAGONVM . REGVM
MAGNIS . PRAEFVIT . EXERCITIBVS . MEDIOLANI . GVBERNATOR
MOX . AEVO . MATVRIOR . VENETAE . REIP. IMPERATOR
BELLICAM . VIRTVTEM . TRIVMPHIS
TRIVMPHOS . RELIGIONE . CONSECRAVIT
SACELLO . HOC . A . FVNDAMENTIS . ERECTO
AC . MAGNIFICE . DITATO
SVB . FELICI . NOMINIS . SVI . OMINE
SANCTI . THEODORI . MARTYRIS
M D X X I X

Pro Gubernatore eleganter etiam, & ad vſum veterum quàm proximè dicetur *Praefectus*. Adi (infrà, lib. V. de Venuſt. Elog. in verbis ſingulis, Memb. VI. de Tranſlatis Art. I.) Inſcriptionē Mediolanenſem: MARGARITAE. AVSTRIACAE. CVIVS. PER. AVGVSTA IMPERIA &c. vbi Velaſchius Mediolani, vulgò, Gubernator, vocatur *Mediolanenſi prouinciae Praefectus* (Dices autem tam Mediolanenſi, quàm Mediolanenſis, vti priſcis Praefectus Praetorij, & Praetorio) de quo etiam habes, quod imitere perelegans Epitaphium ab Octauio Ferrario poſitum

CLXXVI.

ANTONIO. LANDO
PETRI. PRINCIPIS. PRONEPOTI. QVI. NAVALI. ADVERSVS. TVRCAS
PRAELIO. SANGVINEM. IMPENDIT. PATRIAE
MOX. PACIS. ARTIBVS. CLARISSIMVS. BRIXIAE. PRAEFECTVS. PATAVII. PRAETOR
TOTIVSQ. CONTINENTIS. CVM. SVMMO. IMPERIO. ITERVM. LEGATVS
VENETI. NOMINIS. MAIESTATEM. AD. EXTERAS. QVOQVE. GENTES. PORREXIT
TANDEM. DIVI. MARCI. PROCVRATOR
PROAVI. DECORA. PRAETER. SVMMVM. FASTIGIVM. AEQVAVIT
HIERONYMVS. LANDVS. EQVES. PARENTI. POS

Hinc eius munus & adminiſtratio *Gubernatio* (nam *Gubernum* pro ipſo Gubernatore, ſed praelicenter nouatum à Laberio notat Gellius lib. XVI. cap. VII.) item *Praefectura*, & aptiùs, ſiquidem Gubernatione non tam munus & officium, quàm gubernandi actum ſignificari indicant Ciceroniani loci, quos citat Theſaurus ling. Lat. De voce *Praefectura*. Pernobile eſt Polae exemplum in Elogio Delphini Veronenſis Gubernatoris, videlicet:

CLXXVII.

DANIELI. DELPHINO
IN. CVIVS
INCRVENTA. PRAEFECTVRA. VERONEN
SIMPLEX. ILLA. ET. HILARIS
PRISCORVM. ROMANORVM
BONITAS. INTEGRITAS. IVSTITIA. CLEMENTIA
EFFVLSIT
TEMPERAMENTO. MIRABILI
FRANCISCVS. POLA. IVRISCONS. VERONEN. &c

P R A E S E S

Membrum III.

P*RAESIDIS* appellatio immeritò ad cuſtodiam dumtaxat ſignificandam arctatur à Giſanio, vt adnotatum eſt ſuperiore Claſſe, Membro III. & XXVII. Neque enim quia Cicero fere coniungit voces Praeſidis & Cuſtodis, ſynonymae idcirco putandae ſunt; quin ſignificationis diuerſae credere cogitur, qui loquacitatis notâ Principem eloquentiae abſoluendum putat. Namque non cuſtodem modò Imperij, ſed & ſummum moderatorem Titum Caeſarem ſibi voluit M. Valerius Martialis Epigr. II. vbi cecinit:

Reddita Roma ſibi eſt, & ſunt te Preſide, Caeſar
Deliciae populi, quae fuerant Domini.

te, inquit, Praeſide, hoc eſt te Imperatore, interpretatur Th. Farnabius: maius ergo erat aliquid Cuſtode Praeſes veteribus. Luculentiùs adhuc Ouidius Metamorph. XV. rerum praeſidem Caeſarem vocat

. . . . *quo praeſide rerum*
Humano generi Superi fauiſtis abundè.

Ponit rerum praeſidem pro Rectore, Moderatoreque ſummo Imperij. Ac ne vſum hunc vocis conceſſum poëtis tantummodò putemus, facit L. Florus Epitomes rerum Roman. lib. IV. cap. III. vbi de Caeſare Auguſto haec habet: *Gratulandum tamen in tanta perturbatione eſt, quòd potiſſimùm ad Octauium Caeſarem Auguſtum*

ſtum ſumma rerum rediјt, qui ſapientia ſua, atque ſolertia perculſum vndique, & perturbatum ordinauit Imperij corpus. Quod ita haud dubiè nunquam coire, & conſentire potuiſſet, niſi vnius PRAESIDIS nutu quaſi anima, & mente regeretur. En pro Reip. Rectore, Moderatoreque ſummo acceptus Praeſes. Cur autem nõ etiam partis, hoc eſt Prouinciae, aut Vrbis, ſi quidem de toto? Cur item de Rege magis, quàm de illius Vicario, qui nomine Regio partem Regni prouinciam moderatur? Haud aliter de Dijs vſurpabant priſci Ethnicorum: ſic Ciceroni Mercurius eſt dictus *Praeſes iuuentutis*, non caeterarum aetatum: ſic Senecae (Hippol.II.) Ceres *Praeſes Terrae*: ſic alijs alij Dij praeſides Mundi partium. Itaque emendato ſatis Giſanio proferendae reſtant memoriae veteres, etſi aetate aurea poſteriores: nam pro ipſa adductae ſtabunt auctoritates. Apud Auctorem Inſcripp. ſacroſ. vetuſt. pag. CCCLXXVIII. legitur illa Germanica

CLXXVIII.

D. N. FL. CONSTANTINO . CLE
MENTISSIMO . ATQ. VICTORI
AVG. MARTINIANVS . V. P
PRAES. PROVINCIAE . NORICI

Ne verò contractio ſyllabarum in *Praeſ.* ſuſpectam reddat integritatem vocis, efficit altera apud eũdem Auctorem pag. CCCLXXXVIII. in Grecio (vulgò Gratz) ciuitate Stiriae principe, in hunc modum

CLXXIX.

T. VARIO . CLEMENTI
AB . EPISTVLIS . AVGVSTOR
PROC. PROVINCIAR
BELGICAE . ET . VTRIVSQ. GERM
RAETIAE . MAVRET. CAESARENS
LVSITANIAE . CILICIAE
PRAEF. EQVIT. AL. BRITTANNICAE
MILIAR. PRAEF. AVXILIORVM
IN . MAVRET. TINGITAN
EX . HISPANIA . MISSORVM
PRAEF. EQVIT. AL. II
PANNONIORVM . TRIB
LEG. XXXV. V. PRAEF
PRAEF. COH. II. GALLO
RVM . MACEDONICAE
CIVITAS . TREVERORVM
PRAESIDI . OPTIMO

Luculenter in marmore Hiſpanico apud Auctorem eundem

CLXXX.

Q. ATRIO . CLONIO . LEG. AVG. PR. PR
PROVINCIARVM . TRACIAE . CAPADO
CIAE . SIRIAE . MAIORIS . HISPANIAE . CI
TERIORIS . CLAVDIVS . IVSTVS . LEG. III
GEMIN. P. F. SEVERIANAE . ALEXANDRI
NAE . PRAESIDI . ABSTINENTISSIMO

Hic enim laus abſtinentiae hominem arguit in Iure dicundo quàm ſeruantem iuſtitiae, tàm incorruptum muneribus reiectis, auaritiaeque ſordes exoſum.

His veteribus accenſe recentiſſimum, ad antiquorum typum accedens, Elogium Octauij Ferrarij in Hieronymum Bragadenum, videlicet:

HIERONYMI

CLXXXI.

HIERONYMI . BRAGADENI
SACROS . VVLTVS
VENETAE . MAIESTATIS . SIMVLACHRVM
QVOD . INTRA . IVVENTAM
INTEGRE . AC . STRENVE . ADMINISTRATA . PROVINCIA
COMPRESSO . GRASSATORVM . FVRORE
RERVM . BEATO . PROVENTV
CVNCTOS . DITAVERIT
DECVRIONES . DICARVNT
VT . AD . EIVS . EXEMPLVM
FVTVRI . PRAESIDES . EXIGANTVR

Non negem, tutelae atque cuſtodiae ſignificatum Praeſidis appellatione quandoque eſſe noſtratibus, vt cùm vocant *Publicae Sanitatis Praeſidem*, qui creatur in rumore Epidimiae, vt ciuitas ſeruetur. De quo prodijt Mediolani Inſcriptio in ingreſſu Caeſaris Montij Card. & Archiepiſcopi, Auctore Ioanne Paſta

CLXXXII.

O . NOS . INTER . INFELICIA . FELICES
GRASSANTE . NON . ITA . PRIDEM . CORPORVM
EHEV . LVE
CAESAR . MONTI . CARDINALIS
PRAESTO . FVIT . EX . ORDINE . SENATORIO
FRATER . TVVS
PVBLICAE . PRAESES . SANITATIS
AREAQ. TESTIS . IN . PROXIMO . PATET
VTINAM . VERO . NVNC . LVES
NON . GRASSARETVR . ANIMORVM
QVAM . OPTIME . TAMEN . NOBIS . IAM . EST
QVOD . HIC . TE . TANDEM . HABEMVS
ARCHIPRAESVLEM

Si tamen eâ vulgari voce ſignificatum velis, qui in Magiſtratu, quaſi corpore caput eſt, is forte rectiùs more veterum Princeps dicetur, vt Princeps Senatus, Princeps Curiae, Princeps ordinis. Cic. I. de Orat. *Conſilij publici princeps plurimos annos fuit Pericles*. idem III. de Orat. *Author conſilij publici, Dux regendae ciuitatis, ſententiae, atque eloquentiae princeps in Senatu*. Val. Max. lib. IV. cap. IV. M. Scaurum vocat *Senatus Principem*. Legitur Mediolani in Aede Diuae Mariae, vulgò De Pace, recens Epitaphium non ſpernendum, cuius exemplum ad nos tranſmiſit Placidus Puccinellus, videlicet:

CLXXXIII.

BRANDAE . CASTILIONEO . SENATORI . ET
LVDOVICI . SFORTIAE . MEDIOL. DVCIS . APVD . MAXIMOS . REGES . LEGATO
HIERONYMO . MEDIOLANENSIS . SENATVS . CAROLO . V. IMPERANTE . PRINCIPI
PHILIPPO . DIVI . ABVNDII . COMI . COMMENDATARIO . SENATORI
SENATVS . PRINCIPI
FRANCISCVS . ABVNDIVS . BOBII . EPISCOPVS . ET . CARDINALIS
ET . DIVI . ABVNDII . COMI . COMMENDATARIVS
AVO . PATRI . PATRVO
SIBI . POSTERISQ. SVIS . V. F. C
ANNO . SAL. MDLXI. MENSE . AVG

Ita efferetur, quem vulgò Praeſidem publicae ſanitatis, v. g. *Septemuirorum* (ſi fuerint ſeptem in Magiſtratu) *A publica ſanitate tuenda Princeps.* Ita quem Praeſidem ordinarij, ſeu Extraordinarij Magiſtratus, dic Principem. Quod certè caſtigationem poſcit in Epitaphio illo Brabantino (apud Franc. Suueertium) de Carolo Richardoto, quod ab elegantia,& maieſtate opus Apelleum quis iure dixerit, ſed crepidā diſtortā, emendandū in illo: *Praeſes ſanctioris Concilij.* De pergula tibi propono; eſt autem poſitum in Sacello Regis Franciae, videlicet:

CLXXXIV.

MEMORIAE
ET
CAROLO . RICHARDOTO
MAGNI . ILLIVS . RICHARDOTI
PRINCIPP. P. Q. VOTO ** Principum Populiq. voto*
CVM . POTESTATE . FIDE . FAMA . MAXVMA
* SANCTIORIS . CONCILII . PRAESIDIS
FILIO
MAGNAE . SPEI . ADVLESCENTI
PATERNARVM . VIRTVTVM . HEREDI
QVI
OB . RARAM . INDOLEM
AD . MERCATVM . BONARVM . ARTIVM
TRAIECTVM . MISSVS
SPERATAE . VIRTVTIS . DOCVMENTA
COTTIDIE . EXHIBEBAT
SED
O . INFORTVNIVM
LEX . FATI . INTEMPESTIVA . ET . INEVITABILIS
INTER . ADVLESCENTIAE . PRIMORDIA
CONTINVIS . CALCVLI . DOLORIBVS
GRAVITER . AFFLICTVM
ET
IAM . TERTIO . SED . FRVSTRA . INCISVM
TER . QVINTVM . AETATIS . ANNVM
NEC . DVM . INGRESSVM . ABSVMPSIT
ANNO . MDC. NOVEMB. III

Dignitas verò Praeſidis ritè nouabitur ex neceſſitate *Praeſidatus*; ad analogiam quidem caeterarum fere Dignitatum, vt à Pontifice, à Conſule Pontificatus, Conſulatus. Conſulatur Q. Marius Corradus de Copia lat. Ser. lib. II. num. XXXV. Non ergo barbarè locutus Petrus de Vineis lib. V. epiſt. I. *Adijcimus officium Praeſidatus, concedentes tibi merum & purum imperium.* Neque Vopiſcus in Carino: *Tunc autem Praeſidatum Dalmatiae adminiſtrabas.* Neque Spartianus in Tetric. *Praeſidatum in Gallia regentem.* Et ſicut dicit Cicero II. de Leg. *Ius Pontificale*, quidni nos etiam *Ius Praeſidale*? Ita Spartianus ibidem: *Qui iure Praeſidali omnes Gallias rexerat.* *Praeſidentiam* verò haud dixerimus, nam pro ea ſtat *Praeſidatus*; Quodque affertur ex Selectis Delicijs apud Suueertium, ſingulare exemplum eſt,& quaerit exemplum: Louanienſe ſcilicet Epitaphium in Sacello Collegij Pontificij poſitum, vbi habetur Michael de Bay Athenſis Collegij Pontificij Praeſes deceſſiſſe XVI. Septemb. MDLXXXIX., Decanatus ſui anno XIV. Profeſſionis XL. *Praeſidentiae* XXXIX. Aetatis annum agens LXXVII.

FEVDVM

Membrum IV.

FEVDVM nouum eſſe vocabulum, imò verò barbarum, eſt certo certius, à Gothis quippe traditum primis auctoribus: Deductumque à fidelitate, quae cùm in alijs omnibus pactionibus, tùm in hac maximè exigitur. Conſentiunt nobiſcum vtriuſque Iuris Conſulti

in

in duos libros Feudorum in Corp. Iuris Ciu. quos Obertus I. C. ex vſu Mediolanen. aliarumque Ciuitatum ſatis confusè collegit: Itemque Iuris Canon. interpretes de Feudis Cap. I. & II.

Huius praeterea vocis rem aequè nouam eſſe pro compertiſſimo habemus. Ea namque Azorio Inſtit. Mor. par. III. lib. X. de Feudis, Cap. I. ex Longobardorum in Italiam irruptione ortum duxit, quae ex Platina (de Vit. Pontiff. ad Hadrianum I.) in annum humanae reparationis DLXXII. incidit; quaequè Longobardico imperio poſt annum quartum & ducenteſimum deleto Carolus Magnus immortalis memoriae victor inuentum Feudi approbans continuauit, ſuoſque ad poſteros exemplo commendatum tranſmiſit. Noua itaque res quidni ex placito Ciceroniano nomen nouum in Latio admiſerit? Nec I. Caeſaris auctoritas quidquam obſiſtit (Bell. Gall. lib. III.) cuius haec ſunt verba: *Eos, qui opibus valerent, multos habuiſſe deuotos, quos ſecum in bellum ducerent, SOLDVRIOS vocatos ea lingua; quorum haec erat conditio, vt omnibus in vita commodis vnà cum his fruerentur, quorum ſe amicitiae dediſſent. Quod ſi quid his per vim accidiſſet, aut eundem caſum ferrent ipſi, aut mortem ſibi conſciſcerent.* Hîc enim etſi quaedam apparet quaſi vmbra feudi eo genere arctiſſimae amicitiae, eſt tamen ratio alia Feudi Longobardici, noſtratiſque, vt ex ſubiecta liquebit definitione. Atque fuerit illud (licet) verum Feudum, Solduriorum tamen vox Gallis vſitata Latij ius deſiderauit quouſque ad Longobardica ventum eſt ſecula, nouo plane inſtituto, nec Gallis quidem ipſis, ne dum Romanis cognito.

Iam Quid ſit Feudum, ita definit Iulius Clarus Vol. V. Prax. criminal. L. IX. III. *Eſt inquit beneuola, libera, & perpetua conceſſio rei immobilis, vel aequipollentis cum tranſlatione vtilis Dominij, proprietate retenta, ſub fidelitate, & exhibitione ſeruitiorum.* Non abſonat Martinus Bonacinna To. II. de Contract. Diſput. III. VIII. IX. Punct. I. Propoſit. II. *Eſt* aiens *Contractus, quo Infeudator tradit Feudatario, ſeu Vaſſallo rem ſuam immobilem quo ad vtile dominium, cum onere obſequij vel ſeruitij perſonalis.* Caſtiùs ad nitorem ſermonis, ſatiſque ad noſtram intelligentiam Vbertus Folieta in II. de vſu ſermonis Lat. *Nec Gothicam Feudi vocem abhorream. Ea ſignificatur genus clientelae, quo vel praedium, vel dignitas, vel vectigal cuiquam datur, vt & ipſi & poſteri, beneficij auctorem agnoſcāt pro patrono, eiuſque caput, honorem, ac fortunas defendant.* Confer nunc iſta cum Solduriorum inſtituto: & ſimul diuiſiones illas Feudi vulgò acceptas, I. Proprij, Improprij: II. Regalis, non Regalis: III. Antiqui, Paterni: IV. Nobilis, Ignobilis: V. Eccleſiaſtici, Secularis: VI. Maſculini, Foeminini: VII. Hereditarij, non Hereditarij: VIII. Regalis, Perſonalis: IX. Diuidui, Indiuidui: X. Ligij, non Ligij: XI. Franci, non Franci & caeteràs. Haec autem omnia, & alia apud Scriptores ex barbarie inſperſa originem quidem Feudi barbaris ſeculis extitiſſe probant, nomen verò ipſum nouitate rei haud barbarum eſſe cenſendum. Eo non inſcitè vſus eſt Auctor Epitaphij Mediolanenſis in Diui Franciſci, quod citat in calce Zodiaci ſui Placidus Puccinellus, videlicet:

CLXXXV.

FRANCISCO . FABAGROSSAE . AVO
CREMONA. ORIVNDO. IOANNIS. GALEATII. MARIAE. DVCIS. MEDIOL. INTIMO
AB . EODEM . OB . MERITA . VENATIONVM . PRAEFECVRA . ORNATO
ET . PLEBE . LEZEDVNI . IVRE . FEVDI . DONATO
ET . OCTAVIANO . FABAGROSSAE . PATRI . HVMANISS. ET . CARISS
AC . LVDOVICAE . BELLABVCCAE . CONIVGI
SANCTITATE . PIETATE . FIDE . INCOMPARABILI . CVM . QVA . VIXIT
ANN. XX. IVCVNDE . SINE . QVERELA . HAEC . DECESSIT
XXI. IANVARII . AN. MDLXXI. AETATIS . ANN. XLII
FRANCISCVS . FABAGROSSA . B. M. P. ET . SIBI . ET . SVIS

Feudatarij verò, hoc eſt cui Feudum conceſſum, appellatione abſtinuerim, eius namque loco reponi poſſunt voces aut peculiares, aut genericae. Peculiares illae intelliguntur, *Comes, Vicecomes, Marchio, Dux, Archidux, Dominus, Vicedominus, Baro*, & ſi quae ſunt aliae Imperij ſummo

ſubditi

ſubditi, quas ſingillatim hic ducimus breuiter excutiendas ad vſum Latinae Inſcriptionis, antequam ad genericas commigremus.

Comes alia ab Latina vetere appellatione eſt dictus primùm quilibet Praefectus, velut equorum Regiorum, Militum, Patrimonij Principis, Horreorum, Arcium, Scholarum, & huiuſmodi; Pòſt cui etiam eſt Feudum certum cum poteſtate in aliquas terras, earumque incolas: Italicè *Conte*. In hac porrò noua ſignificatione, vtpote nouae rei, vox *Comes* haud eſt improbanda. Vt neque *Vicecomes*, nomen aliud dominantis per Feudum: Etſi Latinè meliùs *Procomes* ſonaret, ni illud iam vſus leniſſet. Prioris exemplum habes citatum à Ciacconio in Romano Epitaphio ad D. Ioann. Lateranen. Videlicet:

CLXXXVI.

PIVS . V. PONT. MAX
SIGNA . DE . CAROLI . IX. CHRISTIANISS. GALLIAE . REGIS
PERDVELLIBVS . IISDEMQVE . ECCLESIAE . HOSTIBVS
A . SFORTIA . COMITE . SANCTAE . FLORAE
PONTIFICII . AVXILIARII
EXERCITVS . DVCE . CAPTA . RELATAQVE
IN . PRINCIPE . ECCLESIARVM . BASILICA . SVSPENDIT
ET . OMNIPOTENTI . DEO
TANTAE . VICTORIAE . AVCTORI . DICAVIT
ANNO . MDLXX

Marchio, qui & *Marchiſus* primùm dictus, vt apud Oliuarium Vredium I. C. Brugenſem in Sigillis Comitum Flandriae (prodijt liber Brugis an. MDCXXXIX.) vbi refertur Diploma anni MCCCCXLI. cum huiuſmodi Inſcriptione: *ARNVLPHVS . ADMINICVLANTE . SVPERNI . REGIS . CLEMENTIA . MARCHISVS* &c. In extremo autem: *SIGNVM . ARNVLPHI CLEMENTISSIMI . COMITIS . ATQVE MARCHISI*. Ita alibi paſſim. At ibidem Diploma alterum citatur an. DCCCCLXI. cuius in ſigillo hae literae: *EGO . ARNVLPHVS . DICTVS . MAGNVS . BALDVINI . CALVI . GENITVS . PER . DEI MISERICORDIAM . FLANDRIAE MARCHIO*. Manant autem voces ambae à Germanica *Marcha*, in praeſens vſitata Italis, quae terminum, aut finem ſignificat. Nam finibus Romani Imperij tuendis qui praeerant, primùm Marchiones ſunt vocitati: temporis autem proceſſu ipſa Dignitas, Marchionatus, gradum Feudi abſoluti nobiliorem obtinuit ſupra Comites.

Dux extra militiam, noua quidem ſignificatione Imperium gerit titulo Feudi, primus à Rege: nouata verò legitimè appellatio, vt prae multis probat Epitaphium Romanum in Diui Iacobi citatum à Ciacconio, videlicet:

CLXXXVII.

BARTHOLOMAEVS . CVEVA
AB . ILLVSTRISSIMIS . DVCIBVS . DE . ALBVQVERQVE . ORTVS
S . CRVCIS . IN HIERVSALEM . PRESB . CARD .
HVNC . LOCVM . SIBI . AD . IPSA . TEMPLI . LIMINA . OPTAVIT
DEVS . PROPITIVS . ESTO . MIHI . PECCATORI
VIXIT . ANN. LXII. M. X. D. VI. OBIIT . AN. SAL. MDLXII.

Porrò ipſa Dignitas, atque adminiſtratio bellè appellabitur ex vetere latinitate *Ducatus*; vſitata vox Suetonio in Nerone cap. XXXV. *Ducatus & Imperia ludere*: & in Tiberio XIX. *In omni Ducatu*. Eandem admittunt eruditiſſimi recentiorum: legitur in Epitaphio Veneto apud Suueertium in Select. Delic. cuius clauſula eſt: *Obijt non ſine ſummo populi gemitu, Ducatus ſui Anno Primo*.

Archidux inter Duces excellens, ſed vox hybrida, ſcilicet è Graeca, Latinaque conflata; vicit tamen vſus rationem, vt in primis probat Inſcriptio Arcus Mediolanenſis in tráſitu Margaritae Hiſpaniarum Regi deſponſae:

SERENISSIMO

CLXXXVIII.

SERENISSIMO . ALBERTO . ARCHIDVCI . AVSTRIAE
FORTISSIMO . FELICISSIMOQVE . PRINCIPI
PER . IMPERIA . VICTORIAS . AC . TRIVMPHOS
AD . COLVMEN . GLORIAE . ET
REGIAE . AFFINITATIS . EVECTO
MEDIOLANENSES
TANTAE . VIRTVTIS . HEROI
EREXERVNT

Dominus quoque, & *Vicedominus*, & *Condominus* imperium iure Feudi tenentes certam ſignificationem veteribus ignotam Latinis praeſeferunt: pòſt tamen legitimè admiſſam Latio: Etſi *Vicedominus* caeteroqui non vacat barbarie, ſi originem dumtaxat penſemus, non etiam vulgarem hodie interpretationem: ſiquidem aliàs Latinè ſtabit *Domini Vicarius*, vel (vt Brutus ad Ciceronem) *Alienae dominationis Vicarius*, vel vnica voce *Prodominus*. *Condomini* verò titulum offert Tumulus Piſis honorarius in Diui Frigdiani apud Patres Ordinis noſtri, quem haud poeniteat ad verbum referre.

CLXXXIX.

IO. FRANCISCVM . COSTAEVM . LAVDENSEM
ALTESANI . ET . CASALBVRGONII . CONDOMINVM
EQV. AVR. PHILOS. MED. AC . I. V. D. LL. EX . ORDINE
INTERPRETEM . ETIAM . PRIMARIVM . IN . PLVRIB. ITALIAE . GYMN
VIRVM . SAPIENTIA . ATQ. INNOCENTIA . CVNCTIS . MEMORABILEM
BARBARA . CONIVX . MOESTISS
QVEM . VIVVM . VNICE . DILEXIT
EXTINCTVM . HOC . LAPIDE . VENERATVR
XIV. CAL. DEC. M. D. C. VII

Hanc autem, & ſuperiorum quaſdam voces vna ſtringit Inſcriptio recens (citat Suueertius inter Brabantinas) in ſaxo ſubſtrato fundamentis domus Tereſanarum Virginum, Bruxellis; videlicet

CXC.

ALBERTVS . ET . ELISABETA-CLARA-EVGENIA
HISP. INFANS
DVCES . BVRGVNDIAE . LOTHARINGIAE
BRABANTIAE . LIMBVRGI . LVXEMBVRGI
ET . GELDRIAE
COMITES . HABSBVRGI . FLANDRIAE . ARTESIAE
BVRGVNDIAE. TIROLIS. PALATINI
HANNONIAE. HOLLANDIAE. ZELANDIAE
NAMVRCI. ET. ZVTPHANIAE
MARCHIONES. SACRI. IMPERII. ROMANI
DOMINI. FRISIAE. SALINARVM. TRANSISVLANIAE
OPPIDORVM. ET. TERRITORII. MACHLINIAE
TRAIECTI. ET. GRONINGAE
DEDICARVNT. ANNO. MDCVII
DEO. OPT. MAX. ET
B. MARIAE. VIRGINI
DIVAE. ANNAE
ATQVE. DIVO. IOSEPHO

Nequaquam tamen probabitur, Latinè vt quis dicatur *Dominus de Caeſtre*, ant *de Gotthen*, vt nonnullibi in Select. Delic. apud Suueertium, ſed *Dominus* ſeu *oppidi Caeſtris*, aut *in Caeſtre* &c. nec enim hoc quidquam facit cum nominibus gentilitijs, quùm (vt Claſſe I. Membro II. eſt adnotatum

adnotatum) praepoſitio *De* adhibetur origini indicandae, aut ambiguitati tollendae: hic autem quidem Dominatus exprimitur, & poſſeſſio. Exemplum dabit Inſcriptio Ticinenſis apud Suueertium in Sel. Del. cuius initium: *Martis & Cereris hi campi ſunt* &c. hic enim memoratur cum decoro latinitatis *Comes Fontanus* pro eo, quem vulgò Itali quidem *de Fontes*, Hiſpani verò *de Fuentes*: Latinè, ſed barbarè *de Fontibus*.

Ipſa porrò dignitas Domini rectè *Dominium* efferetur, vſitatum aureo ſeculo vocabulum, ſignificatione licet non planè eādem, vt apud Varronem II. de Re Ruſtica Cap. VI. Suetonius tamen eandem omnino vſurpat in Tiberio Cap. LIX. *Quae* (i. e. probra in Tiberium) *primò ab impatientibus Romae dominij, ac non tam ex animi ſententia, quàm bile & ſtomaco fingerentur, volebat accipi*: neque verò hanc ex abſtruſioribus vnam eſſe vocem, quae in Suetonio offenduntur, liquet ex Indice nouo, vbi illae collectae leguntur. Aliter etiam *Dominatus*, vt apud Ciceronem ſaepe, in Theſauro ling. lat. Et *Dominatio* apud Cic. in V. Verr. De Voce *Dominium* accipe elegantem Inſcriptionem in Sfortiam Brippium, auctore Carolo Caſtano Mediolanenſi, videlicet:

CXCI.

PAVLINVS . BRIPPIVS . PISARVM . PRAETOR
ET . A . PHILIPPO . MARIA . DVCE
DOMINII . TITVLO . INSIGNITVS
ADMIRARE . LOCVPLETEM . HVNC . SOLEM
NON . VNAM . PATRIAM
CELEBERRIMARVM . VRBIVM . IMMENSITATEM
PRVDENTIAE . ET . DOCTRINAE . LVCE
COMPLEVIT
HVNC . IPSVM . MIRARE . LVCIFERVM
PRAEIVIT . PLENIORI . LVMINI
PRAEIVIT . SFORTIAE

Baro, Latina vox, nec infrequens Ciceroni, pro muliere tamen philoſophante, ac metaphoricôs pro Philoſopho effoeminato, & molli; interdum pro bardo, ac fatuo: Nonnunquam, ait Marius Nizzolius, pro Principe Viro, quamquam locum libri V. ad Attic. Epiſt. XI. Paulus Manutius eodem ipſo, quo ſuperiùs, ſenſu exponit. Vtcumque ſibi voluerint veteres, hodie certè *Baro* Virum Principem ſignificat in Imperio conſtitutum à Rege per Feudum ob res fortiter geſtas. Nam quod citat antiquum marmor Andreas Alciatus (Parergon Iuris lib. V.) Brebiae ad Verbanum lacum, Baronem memorat Cognomen Viri, videlicet:

CXCII.

D. M. L. COELI . L. F. OVF. BA-
RONIS . VI . VIR
PONTIFICI . IIIIVIR . AP . CVRA-
TORI . SALT . TIBRONANI
ITEM . TEMPLI . MINERVAE
ET . ALBVCIAE
VIRILLIONIS . F . VXORI . EIVS
COELII . IVVENAL
ET . SEVERVS . PARENTIB . OPTIM

In noſtram verò ſententiam laudatur à Iacobo Gaddio gens Recaſola (Elogio inter Oratoria, quod incipit *Raynerius Recaſolus*) *Quis autem aequus nobilitatis aeſtimator Recaſolos Barones familiam Florentiae nobiliſſimam inter illuſtres Italiae non enumerabit*? &c. Praeterimus Inſcriptiones non paucas apud Suueertium in Brabantinis monumentis, contenti illa recente, cuius Auctor eſt è Societate Ieſu, incompertus nobis; Videlicet:

INCLYTA

CXCIII.

INCLYTA . STIRPE . PARENTVM
PAVLI . SFONDRATI . BARONIS . ASSINAE . VALLIS
ET . SIGISMVNDAE . ESTENSIS
HERCVLES . EDITVS
FELICI . FILIORVM . PROPAGINE
AD . OMNE . GENVS . LAVDIS . EXCVLTA
ASSVRREXIT . MIRE . FOECVNDVS
PATRIAE . VIRTVTIS . SECVTVS . EXEMPLA
ET . IPSE . MERVIT . ESSE . EXEMPLAR
ET . SEQVACES . HABERE

Atque hae Voces obtinentium Feuda communi genere tractari debent: Et ſicut *Comes*, *Vicecomes*, *Dux*, *Princeps*, de foemina pariter dicuntur, ita & *Archidux*, *Marchio*, *Baro*. Nec Latinè efferes *Comitiſſa*, *Duciſſa*, *Archiduciſſa*, *Principiſſa*, *Marchioniſſa* (bene autem *Marchiſa* à *Marchiſus* maſc.) neque *Baroniſſa*: ſed per appoſitionem aliquam v. g. *Margarita Medicea Dux Parmae*, *Anna Medicea Archidux Auſtriae*. A marmore Veronenſi exemplum eſto apud Grut. pag. DCCCXXII.

CXCIV.

V. F
L. RHODIVS . FESTVS
CASSIAE . MAXIMAE
COMITI . OPTIMAE
ET . P. PAPIRIO . EV
TYCHO . ET . SIBI

quocum *Comes* dignitatis nomen cõſentit. Neque ſimile eſt vocis *Sacerdotiſſa* prolatae ſemel ab A. Gellio lib. X. cap. XV. cùm tamen extet *Sacerdos* communis generis: nam placuit parentibus Latinae linguae inclinare ex *Sacerdotis* caſu *Sacerdotiſſa*, quod non placuit ex *Comitis*, *Ducis*, *Principis* &c. Tota igitur ratio probandae dictionis in auctoritate ſita eſt: nec ibi analogia locum habet, vbi non adeſt neceſſitas. Vbi verò tacetur nomen proprium, cui fiat appoſitio, ſubſtituendum eſſe commune, v. g. *Domina Dux*, *Domina Comes*, *Domina Marchio*, tradit Voſſius de Vitijs ſerm. lib. III. cap. X. ſed nobis exoſis praenominationem Domini, ac Dominae, placet dici, *Illuſtriſſima Comes*, *Celſiſſima Dux*, *Excellentiſſima Princeps* &c. Neque antiquis nouum fuerit, vt communi genere *Dux* efferatur. Sic Tullius in Laelio *Naturam rectè viuendi Ducem optimam*: & in Arateis: *Qua fidunt Duce nocturna Phoenices in alto*: Et in Caton. maior. *Naturam optimam Ducem tamquam Deum ſequimur*. Nihil ergo mirum, quòd Mauſolaeum Triuultianum Mediolani ad Diui Nazarij, magnificentia molis aequante opes familiae vitium ſui ſeculi contraxerit: Cuius idcirco par videtur Epitaphia octo pendentium Vrnarum hoc loco referre ad familiae illius gloriam, ad ſeculi autem cenſuram. Videlicet:

CXCV.

I. ANTONIVS . MAGNI . TRIVVLTII . PATER . ET . IOANNIS . FILIVS
II. IOANNES . IACOBVS . MAGNVS . TRIVVLTIVS . ANTONII . F
QVI . NVNQVAM . QVIEVIT . QVIESCIT . TACE
III. MARGARITA . COLLIONEA . MAGNI . TRIVVLTII . VXOR . PRIMA
IV. BEATRIX . DEAVALOS . DE . AQVINO . MARCHIONISSA . VIGLEVANI
ET . MAGNI . TRIVVLTII . VXOR . SECVNDA
V. IOANNES . NICOLAVS . MAGNI . TRIVVLTII . FILIVS . VNICVS
ET . COMES . MVSOCHI
VI. PAVLA . GONZAGA . COMITISSA . MVSOCHI
IO. NICOLAI . MAGNI . TRIVVLTII . FILII . VXOR
VII. IO. FRANCISCVS . IO. NICOLAI . F. MAGNI . TRIVVLTII . N
MARCHIO . VIGLEVANI . ET . COMES . MVSOCHI
QVI
AB . ADVERSA . FORTVNA . FRANGI . SE . NVNQVAM . PASSVS . EST
POST . ERECTA . SEPVLCRA . PARENTVM
HOC . SIBI . VIVENS . POSVIT
VIII. ALOYSIVS . FR. NEC . NON . HIPPOLITA . ET . MARGARITA . SORORES
INFANTES . IO. FRANCISCI . TRIVVLTII . IO. NICOLAI . FILII

Non erit propterea damnandus Auctor recentis epitaphij Romae in Vaticano Templo adparaſtaten non procul à Sacello SS. Sacramenti: vt qui memoriam dedicaturus Matildis celebratiſſimae illius ab vſque maioribus noſtris foeminae, ſequendas putauit aures poſteritatis iam vocibus vetuſtatis impletas, quae paſſim dictitat *Magnam Comitiſſam Matildem*; eius quidem aetatis à Latinitate barbarae, impuriſſimaeque, ſed à geſtis huius heroinae nihilo aetate aurea minus florentis. Itaque cenſurae obſecutus Principum Latini ſermonis, & Graeci apud Gellium lib. XIII. cap. XIX. maluit *Comitiſſam* vſurpare, quàm *Comitem*, ita inſcribens:

CXCVI.

URBANVS . VIII. PONT. MAX.
COMITISSAE . MATILDI
VIRILIS . ANIMI . FOEMINAE
SEDIS . APOSTOLICAE . PROPVGNATRICI
PIETATE . INSIGNI . LIBERALITATE . CELEBERRIMAE
HVC . EX . MANTVANO . S. BENEDICTI
COENOBIO . TRANSLATIS . OSSIBVS
GRATVS . AETERNAE . LAVDIS . PROMERITVM
MON. POS. AN. DOM. MDCXXXVI.

Tu igitur praeiudicatum ne putes eſſe, niſi ſimili argumento: neque in re ſingulari generaliter definitum.

Alia porrò eſt ratio vocis *Domina* (& quae recèns inde compoſita *Vicedomina*) vt videmus apud Scriptores boni ſeculi. Relege in Claſſe Sacror. Magiſtratuum, in Voce Epiſcopus, Inſcriptionem illam Polae: ANNO. MDCIX. IDIB. &c.

Citra neceſſitatem verò aliter appellabis id genus dominantium, quod vulgus à Feudo Feudatarios. Nec ineleganter ex Latinitate dixeris *Regulos*. Ita Iac. Gaddius Elog. de Caſtruccio: *Caſtruccius Lucenſis Regulus, qui Florentinae* &c. Et de M. Ant. Columna: *Affinitates cum Vrſinis, alijſque Regulis clariſſimae* &c. Item *Principes* metonymicòs, hoc eſt generica appellatione. Adde periphraſticòs *Inſignes feudo*. Hinc habes limam poliendae Mediolanenſi Inſcriptioni in Aede Diui Angeli ad Aram Diui Ioannis, quae ita legitur:

CXCVII.

DIVO . IOANNI . EVANGELISTAE
CAELESTIS . CONSILII . * CANCELLARIO
TVTELARI . PRAECIPVO
SACELLVM
COLLEGII . CAVSIDICORVM . ET . NOTARIORVM . PIETATE
OLIM
EXTRVCTVM . DICATVM . DOTATVM
NE . PERPETVAE . IN . PATRONVM . CLIENTELAE
PIGNVS . AC . STIMVLVS
VNQVAM . INTEREAT
OCTAVIANVS . BELINGERIVS
FEVDATARIVS
ET . IO. BAPTISTA . COLNAGVS . I. C. ET . ABBATES
INSTAVRARI . CVRARVNT
AN. XXXXVI. SVPRA . MDC

Aſteriſcum praefiximus voci *Cancellario* de qua conſule inf. Membrum IX.

Graecae quoque cicures Latinis illae voces vſui erunt, *Dynaſta*, *Toparcha* ſeu *Toparchus*, *Demarchus*, ſeu *Demarcha*, *Archon*. Eſt, cur legas è Brabantinis apud Suueertium ſequens Epithaphium

CXCVIII.

DEO . SACRVM
VIR . NOBILIS . IACOBVS . ANGIANVS . EQVES . TOPARCHA . KESTERGATI
VVOVVVENBROKE . ETC. HOC . SACELLVM . REBELLIVM . ET . HAERETI
CORVM . INIVRIA . DISTVRBATVM . SVO . IMPENDIO . INSTAVRAVIT
ORNAVITQVE
PIETATIS . GRATIA
ET
MEMORIAE . MAIORVM
QVOS . HIC . COMMVNE . SEPVLCHRVM . HABVIT
VT . PATREM . EIVS . AVVMQ. IN . HAC . VRBE . CONSVLES
PROAVVM . LVDOVICVM . IN . EA . IPSA . PRAETOREM
ET . PRAECIPVE . HONORI . IOANNIS . ANGIANI . EQVITIS
KESTERGATII . TOPARCHAE . ET . VVANNOBROKAE
VICECOMITIS . GRIMBERGANI . DVCI . BVRGVNDIAE
A . CVBICVLIS . EIVSDEMQVE . POSTEA . OECONOMI . VIRI
VARIA . VIRTVTE . AC . PRVDENTIA . CLARI . ET . QVI . RES
BELGICAS . STYLO . COMPLEXVS . FVIT

Viſitur etiam in Coenobio Carthuſianorum ad Florentiam Imago Nicolai Acciaioli fundatoris, cum ſubſcripto Elogio, in quo haec habentur: *Melphis Demarchum egit*, *Summum Athenarum Archontem ſplendidiſſimè geſſit*. Sed & à Cicerone de Fato vocem *Archontis* vſurpatam habemus.

Neceſſitas, vſuſquè probat nomina illa Imperij, ac dominationis apud Germanos, *Landgrauius*, *Marchgrauius*, *Pſaltzgrauius*, *Burggrauius*, *Centgrauius* &c.

Caeterùm haec noua Imperiorum vocabula dignitatem antiquam referent, ſi more ſubſtantiuorum continuatorum poſtponantur. Cuius extat exemplum in Mediolanenſi Inſcriptione apud Puccinellum in ſuo Zodiaco ex his, quae exſcripſit in Diui Franciſci, videlicet:

CXCIX

ANTONIO . PROAVO
VGVLOTTO . AVO . ANTONIO . PATRI
COMITIBVS
ALEXANDER . CRIBELLIVS . DVRNI . LVMELLINAEQVE . COMES
ET . SENATOR . SIBI . AC . POSTERIS
PRID. ID. APRIL. MDLVII

Alius è vulgo ita praemiſiſſet *Comitibus Antonio Proauo* &c. *Comes Alexander* &c.

COMESTABILIS

Membrum V.

COMESTABILIS, diſiunctim primùm *Comes ſtabuli*, hoc eſt Regiorum equorum Praefectus, deinde appellatus Magiſter Equitum: hodie dignitatem, poteſtatemque aliam alibi nationum adſignificat. Idcirco tuenda videtur *Comeſtabilis* vox, vti noui muneris. Fauet auctoritas grauiſſima Collegij Mediolanenſis Iuriſconſultorum, Elogio ſtatuae ſui Regis inſcripto, quod hic ponimus.

CC.

IVSTITIAE . SIMVLACRVM
QVOD . EX . ANTIQVO . PII . IV. INSTITVTO
COLLOCANDVM . HIC . DIXERANT
I. C. MEDIOLANEN
IN . PHILIPPO . II. REGE . CATHOLICO
EXPRESSERVNT
MAGNO . COMESTABILI . IOANNE . VELASCO
FELICITER . ITERVM
GVBERNANTE
MDCXI

Indicatur autem PIVS . IV . Pont. Max. Mediolanenſis, è gente Medicea, eius Collegij Inſtitutor.

GONTFANONARIVS

Membrum VI.

GONTFANONARIVS (Italis *Confaloniere*) ſi ad militiam referas, barbari ſeculi foetus eſt: ſiquidem Latinis *Signifer*, *Vexillifer*, *Vexillarius* (Vide Elogium funebre de Carolo Barberino, editum Bononiae, ac exſcriptum à Iac. Gaddio in ſuo Corollario poëtico) ſin ad ciuilem adminiſtrationem, cùm alicubi vſurpetur pro ſummo in Republica Principatu, non eſt, cur elimines; noui quippe generis Magiſtratus noua eſt, opus appellatione: tametſi tutiùs dixeris (citra neceſſitatem, & vbi maximè adiunctio aliqua notitiam ſupplet) *Principem*; eiuſquè porrò dignitatem *Principatum*, ſeu *Principales faſces*, ſeu alia generica voce. Vbi verò principatus maximus ſingularis non eſt, ſeu penes eſt plura capita, is *Maximus Duumuiratus*, vel *Triumuiratus*, vel aliter in hanc formam Latini moris efferetur; ipſaque capita *Maximi Duumuiri*, *Triumuiri* &c. Maximi, inquam, vt à minoribus diſtinguantur, cuius generis erant Romae Triumuiri Capitales, Monetarij, Nocturni &c. ipſi verò mutuò *Collegae in Triumuiratu*.

CONSILIARIVS

Membrum VII.

CONSILIARIVS pro Conſilium dante, non improbatur Ciceroni: Conſule Theſauros Lat. Ling. Tametſi etiam *A Conſilijs* Latinum peraeque ſit. Ita *A conſilijs politicis*, ſiue *ciuilibus*, Italicè *Conſigliere di ſtato*: *A conſilijs bellicis*, *Conſigliere di guerra*. In monumentis Brabantinis apud Suueertium extat de Nicolao Micaulto Epitaphium, cuius accipe in rem noſtram fragmentum: *Ipſe Nicolaus indole & ſtudijs ad virtutem, prudentiamquè factus, CAROLO. V. CAESARI. & PHILIPPO. II. REGI Catholico in ſanctiore Concilio A conſilijs ab Anno MDLIV. fuit. Mox & MARIAE laudatiſſimae Reginae Hungariae, Caroli ſorori*

priuatus

priuatus & domeſticus Conſiliarius. Vbi vtrumque modum adhibitum vides: Priuati autem ac domeſtici Conſiliarij appellatione cenſeri poteſt, qui vulgò eſt Auditor Principis (& quòd Principis, etiam Magiſtratus) cum eiuſce munus praecipuè ſit in cognoſcendis Cauſarum meritis, & ſua, vbi conſulitur, referenda ſententia, quam quidem Princeps liberum habet probare. Itaque ſicut is pro arbitrio ſuo decernit, ita Auditor ſuffragium dumtaxat fert conſultorium. In Epitaphio Florentino Panlotij (infr. Claſs. VI. Hiſtor. Memb. VII.) pro Auditore Principis dicitur *Cauſis audiendis praepoſitus*. Obiter hic etiam obſerua, barbarè dici *conſilium Status* pro *conſilio politico*, ſeu *ciuili*. Adi infrà Claſſem VI. Hiſtorial. Membro XVI. Si quaeras, vtrum in propoſito fragmento legendum ſit *In ſanctiore concilio*, an verò *conſilio*? *Concilio* autem legendum, ne ſubſequenti dictione *A Conſilijs* inſulſa exiſtat repetitio. Eſt enim *Conſiliū ſanctius*, quod Italicè *conſilium ſecretum*. Liuius lib. XXX. *Id erat ſanctius apud illos conſilium*: Sed ſi cum Conſilio Conſiliarius ſimul exprimi velit, variatione vtendum erit, vt coetum, ſeu conuentum capitum ſynonymo reddas, vt in ſuperiore fragmento. Pro ſanctiore conſilio etiam intimum vſurpabis, vt in Epitaphio Horatij Curionis apud Suueert. in Select. Delic. inter Baſilienſia: *Ferdinando eiuſq. F. Maximil. Auguſtis cognitus ad intima conſilia adhibitus eſt*. Pro *intimo* etiam *interius*.

COMMISSARIVS

Membrum VIII.

COMMISSARIVS vulgò, interdum cum eo conuenit, cui commiſſa iudicandi cura, aut rei inquirendae: quo ſenſu latinè foret *Iudex*, vel *Rei inquiſitor*. Quem verò in maioribus Vrbibus Etruſcae ditionis vocant Commiſſarium, vt ab ſimili poteſtate, quae in inferioribus eſt Vrbibus, atque Oppidis, diſtinguatur, veteribus eſſet *Praetor vrbanus*, quos imitatur Carolus Caſtanus Elogio de Paulino Brippio *PISARVM PRAETORE*, qua in Vrbe appellationem habet Commiſſarij. Repete ſuprà, Membro IV. de Feudo, in Vocibus *Dominus*, & *Vicedominus*. Interdum etiam *Commiſſarius* eſt, cui cura mandatur conſulendi, proſpiciendique publicae rei ſiue ciuili, ſiue bellicae, verbi gratiâ regendae prouinciae, diſtribuendarum in hybernis legionum. Ac priore quidem ſenſu habet ſuas voces latinitas vetus, *Praefecti*, *Praeſidis*, *Gubernatoris*, *Praetoris*, & huiuſmodi, vt nullam hic nouandi vocabuli neceſſitatem praetendere fas ſit. Poſteriore autem ſenſu ne emendicandum quidem apud poſteriora ſecula: quando apud Ciceronem legitur *Caſtrorum metator* (Philipp. II.) pro eo, qui praecedens locum eligit caſtris, ac ea diſponit; quam vocem adhibet etiam Vegetius lib. II. cap. VII. Eſt enim *Metator* propriè, qui arbores ordine diſponit in ſeminario, vel arbuſto: translatum autem à Cicerone ad caſtra, quidni bellè etiam ad hyberna? Ita *hybernorum metator* ſtabit pro Commiſſario rei militaris, aut generatim ad omne tempus, *Diuerſoriorum metator*, Etruſcis *Quartier Maſtro*; cui ſi Epitheton *Generalis* accedat, erit his *Quartier Maſtro generale*, & nobis Inſubribus *Commeſſario generale*, nimirum cui ſumma praefectura diſponendi exercitibus diuerſoria. Itaque neoteriſmi ſuſpicione non vacat Elogium caeterà elegans, Renati Borromaei Comitis, in Sfortiam Brippium, quod non tam vt vindicetur, quàm vt ſuſpiciatur, nimirum proludentis iam tùm ad Muſas adoleſcentuli ſpecimen, haud poenitebit huc afferre. Indicat autem Sfortias duos, Auum & Nepotem, videlicet:

CCI.

SFORTIA . BRIPPIVS . AVVS
Ex LX. Decurionibus
Pro Patria
Apud Pontiſ. Max. Concilium Trident. Hiſpaniarum Regem
ORATOR
Ad omnes fere Principes Italiae functus Legationibus
Pro Excellentiſs. Gubernatoribus
Vtriuſque Quaeſtor Magiſtratus
** Commiſſarius Generalis exercituum in Gallia Ciſalpina*
Ex Excelſis Conſiliarijs ſecretioris Conſilij
Admirare Heroëm
In quem vt beatiſſimum facerent
Virtutes omnes & Honores confluxerunt
Multis Triumphis dignum, Coronis innumeris
In Quo
Prodiga fuit, & auara fortuna
Nam omnibus effuſis donis non ſatis fuit ad merita
Cohoneſtanda
Inuideat ſeculum noſtrum ſuperiori
Admiretur Aeternitas
Vel hoc vno mortalium felicißimum
Quòd & DIVI CAROLI Borromaei neceſſitudine
Sit vſus
Et SFORTIA SFORTIAM
Habiturus ſit heredem nominis
Et gloriae ſuae
Immortalem

Eandem *Commiſſarij* vocem vſurpat Philippus Corius Elog. de eodem Sfortia, *In ſupremi* (ait) *Commiſſarij munere*, ſcilicet Renati aequalis, & Condiſcipulus, Collactaneus credo in literis. Nec video, cur ad antiquorum vſum generica vox reſpui poſſit, *Praefectus hybernorum*, (ſeu addas, *Supremus* aut *Summus*) ſic enim habet Suetonius in T. Flauio Veſpaſ. cap. I. *Patrem habuit Veſpaſium Pollionem, ter Tribunum militum, Praefectumque caſtrorum.*

CANCELLARIVS

Membrum IX.

CANCELLARIVS, ſi pro illo ſumitur qui acta publica ſcribit, Latinis veteribus erat *Scriba*: ſiue qui literas nomine Principis, *Ab epiſtolis*, *A ſecretis*, quo item nomine cenſebatur, qui Iudicum literas, reſponſa, edicta. Memoratu dignus eſt, cui Epitaphium inſcriptum Mediolani (citat Placidus Puccinellus in calce Zodiaci) in Aede DD. Petri & Pauli; videlicet:

CCII.

D . O . M
IVLIVS . CATANEVS
A . SECRETIS . VNA . SERIE . SEPTEM . MEDIOLAN. DVCVM
RARISSIMVM . FIDEI . ET . PROBITATIS . EXEMPLAR
ANN. LXXXV. NATVS . OBIIT . NONIS . APRIL
MDXXXI
IAC. PHIL. SACCO . SENATVS . PRAESIDE

Vox

Vox autem *Cancellarij* quamquam degenerante Latinitate dici coepta, quum tamen hodie nouum dignitatis politicae genus habeatur, vnde & ſunt Magni Cancellarij in Regnis Germaniae, alijſque magna praediti poteſtate; proinde minime ableganda Latinis Inſcriptionibus. Extat ſuperioris ſeculi memoria Mediolani, in S. Ambroſij, teſte Puccinello, quam meritò hic citemus:

CCIII.

VBI . POST . MVLTAS . AERVMNAS . TEMPORVM . VARIETATEM
ET . VITAE . TAEDIA
BALTHASSAR . TACHO . MVSARVM . CVLTOR . POST . DEVM
AC . PRINCIPEM
MEDIOLANEN . CANCELL . CONQVIESCAT . V. F *idest, *viuens fecit*
NE . SE . POSTERITATI . CREDERET
M D X X

Antiquitatem facilè aequat auctoritas Octauij Ferrarij, quo Scriptore prodijt Epitaphium ſubſequens, videlicet:

CCIV.

CLAVDIAE . NORES
GENERE . ATQ. OPIBVS . INSIGNI
PARSIMONIA . AC . MORVM . SANCTITATE
RARISSIMI . EXEMPLI . MATRONAE
A N T O N I V S . A N T E L M V S
BONIFACII. MAGNI. VENETORVM. CANCELLARII. FIL
CONIVGI . DVLCISSIMAE
MVLTARVM . MAGNARVMQ. PRO . VENETA . REP
EXPEDITIONVM . COMITI
LAETORVM . AC . TRISTIVM . SOCIAE
HAC . IN . VRBE . IN . QVA . IPSE . PARENSQ. AC . FRATER
VENETO . SENATVI
NON . SEMEL . FIDELEM . OPERAM . NAVARVNT
INGENTI . LVCTV . EXTINCTAE
H. M. P

Magni verò Cancellarij nomen legitimè vtitur Auctori Epitaphij Mediolanenſis in Diui Pauli apud Sanctimoniales Ordinis noſtri, videlicet:

CCV.

DANESIO . FILIODONO
PATRI . PLACENTINO . SENATVS . PRAESIDI
CONSILIARIO . REGENTI
MAGNO . CANCELLARIO . PROV. MEDIOL
OBIIT . AN. MDXCI. AETAT. SVAE . LXXXI
DIONYSIVS . FILIODONVS . H. P

Suadet hic locus, quando pro *Cancellario* ſubſtituimus *A ſecretis*, vt *Secretarij* vocem perpendamus, quandoque obuiam in Marmoribus poſteriorum temporum. cuius extat illud exemplum apud Suueertium in Select. Delic. inter Roman.

CCVI.

FRANCISCI : PVCCII : FLORENTINI
CARD. ARRAGON. SECRETARII
CVI . IMPORTVNA . MORS . HONORES
MAIORESQ. TITVLOS . PRAERIPVIT
INVENI . PORTVM . SPES . ET . FORTVNA . VALETE
NIL . MIHI . VOBISCVM . LVDITE . NVNC . ALIOS

Minùs tamen latinè dici obſeruat Auctor Theſauri Lat. Ling. ſi ſpectemus vſum veterum; in Synodis Eccleſiaſticis tamen vſurpatam pro Scriba. Itaque idipſum de Secretario, atque de Cancellario decernendum videtur; vt, niſi peculiaris quaedam dignitas Latinis veteribus incognita ſignificetur, ſubſtituatur *A ſecretis*, *Ab epiſtolis*, pro eo, qui nomine Principis ſcribit literas; pro eo autem qui publica excipit acta, *Scriba*.

COLLATERALIS

Membrum X.

COLLATERALIS pro eo, qui ſoluendis militi ſtipendijs praeeſt, noua vox, gratis, credimus, inuecta: cùm ex vſu veterum liceat vſurpari *A ſtipendijs militaribus*, ſeu breuiùs *A ſtipendijs*: Ipſumque munus, *Praefectura*, aut *Cura ſtipendiorum*. Niſi (quod nos quidem latet) noua poteſtas huic muneri inſit, quae vocabulum nouum legitimè aſciſcat. Ità interpretamur Iacobum Gaddium Elogio oratorio de Hieronymo Sauorgnano, vbi habet: *Ab hac ſanè liberali Collateralis honorificentiſſima dignitate, atque Comitatu Belgradi, & Oſopij, quibus in oppidis liberam vitae omnium, neciſque habuit poteſtatem, ac merum mixtumque Imperium* &c. Superiora quoque Gaddio marmora Romana duo idipſum vſurpant, quae citat Suueertius in Select. Delic. Alterum Epitaphium eſt poſitum anno ſal. MDXCI. Hieronymo Albano Bergomati Cardinali: *REIP. VENETAE. COLLATERALI. GENERALI*. Alterum ſimiliter poſuit anno MDLII. Guidoni Magalotto Florentino *GVIDO. EXERCITVS. ECCLESIASTICI. COLLATERALIS. GENERAL*

CAPITANEVS

Membrum XI.

CAPITANEVS aegrè in hanc ſedem probandarum vocum admittitur, quia vix creditur neceſſaria; nec niſi de ijs, quos Iuſtitiae in maleficos adminiſtrandae appellatio ſignat. Ita non ab eo, quòd quaſi caput praeeſt quis corpori Ciuitatis aut Regni (ſi latinè velis) ſic enim peculiare quiſque nomen praefert Comitis, Marchionis, Ducis, & huiuſmodi; aut commune Praefecti, Moderatoris, Gubernatoris: Sed meliùs fortè, quòd Capitalibus cauſis praeeſt, atque in capitalia crimina ius exercet, *Capitaneus* ritè vocatur. Ac inde quidem impuritatis abſoluimus Epitaphium Mediolanenſe ſuperioris ſeculi, quod hic omninò reddimus:

CCVII.

HIC . IACET . ILLE . THEODORVS
EX . INCLYTA . GENTE . TRIVVLTIA
MARCH. PICELLEONIS
QVI
PRIVS . DVX . QVAM . MILES
PRIVS . IMPERATOR . QVAM . DVX
GALLIAE . ARRAGONIAE . AC . VENETOR. EXERC
SVMMVS . IMPERATOR
CVM . FIDE . INCREMENTO . AC . GLORIA
INSERVIVIT
PROREX . DEINDE . LEONIS . AC
CAPITANEVS . GENERALIS
DESIDERATISSIME . OBIIT
M D X X X

Vbi

Vbi liquet diſtinctio inter ſummum Imperatorem, & Capitaneum Generalem; hoc verò aliud ab illo munus intelligi, nec militare quidem, ſed vrbanum, vt innuit praetextum Proregis: Ergo Proregis fortè in ciuilibus cauſis, Capitanei in capitalibus. Impurè tamen legi, mendoſè quidem certe culpa quadratarij, aut exſcriptoris, *Deſideratiſſimè obijt*, pro *Deſideratiſſimus*. Iudicium haud abſimile de Elogio in Lancellottum Brippium, aetate noſtra edito, in laurea Sfortiae gentilis, caeterà non aſpernando, videlicet:

CCVIII.

LANCELLOTTVS . BRIPPIV
MORTVO . DVCE . PHILIPPO-MARIA
EX . DVODECIM . MEDIOLANENSIS . REIP
CAPITANEIS
IN . BRIPPIORVM . FAMILIAE . CAELO
SIDVS NE . AN . SOL . ALTER . EXTITERIT
IGNORATVR
DVM . SFORTIAM . SVVM
VECTIGALI . HONORVM . SVORVM . LVMINE
TANQVAM . SOLEM . AGNOSCIT

Potuiſſe enim hic commodè pro *Capitaneis* ſubſtitui *Proceribus*, cùm illa poteſtas in maleficia potiſſimùm haud eſſet: Aut etiam dici: Ex XII. VIRIS . MEDIOLANENSIS . REIPVB aut E ſupremo Duodecemuiratu Reip. ſi magiſtratus hic ſupremus ſit ſecundùm Principem: aut *ex XII. Viris Principibus Reip. Mediol.* Eſt autem obſeruandus in hanc ſententiam Franciſcus Pola: cuius eſt hoc Elogium:

CCIX.

LEONARDO . DONATO
QVEM
SENATVS . VENETVS
INTER . PRIMVM . PRINCIPEM
REIP. ELIGENDVM
DVM . INTVETVR
NEMINEM . IN . CIVITATE . HABET
QVEM
SI . VOCETVR . IN . SVFFRAGIVM
EI . VELIT . PRAELATVM
FRANCISCVS . POLA . RERVM . SVMMATVM
VIRTVTIS . CAVSA
OPTAT . AVGVRATVR . PRAEDICIT
NOMINI . AMPLITVDINIQ. EIVS
D.

Enimuerò quem vocant vulgò Mediolani *Capitaneum Iuſtitiae*, commodiſſimè cum Latinis veteribus dicemus *Praefectum rerum Capitalium*, vt quidem vſurpauit Sigiſmundus Boldonius germanus noſter in Panegyrico de Io. Baptiſta Trotto Principe Senatus Mediolanenſis: & ante ipſum Sepulcralis Inſcriptio recens, ad ſimpliciſſimae antiquitatis normam cuſa, in Diui Franciſci:

D. O. M.

CCX.

D . O . M
GASPARI . CATTANEO . VALIANO
VIRO . FIDE . ET . PROBITATE . PRAESTANTISS
ET . THOMMASIAE . BVRRAE . LECTISS . FOEMINAE
PARENTIB. OPT
GINEPRIAE . CACIAE . VXORI . DVLCISS. ET
IVLIAE . ET . HORTENSIAE-CAMILLAE . FILIOLIS . CARISS
ET . SIBI . CAMILLVS . I. C. MEDIOL
RERVM . CAPIT . PRAEFECTVS . III . ET . SENATOR
CREMONAE . PRAETOR
T . F . P
FABRITIVS . IO. BAPTISTA . ET . IACOBVS-PHILIPPVS
FRATRES . FECERVNT
ET . SIBI . LIBERIS . POSTERISQ. SVIS
AN. MDLXXX

Aliter etiam *Iuſtitiae Praefectus* nuncupatur in Marmore ſuperioris ſeculi in Caſtello Meda Agri Mediolanenſis, videlicet:

CCXI.

PAROECIALEM
HANC . ECCLESIAM
AB . HYPPOLITO . CARD. ESTENSE
SACRIS . VIRGINIBVS
S. VICTORIS
AD . PRECES . NICOLAI . SICCI
IVSTITIAE . PRAEFECTI
CONCESSAM
IVLIVS . III. PONT. MAX
TEMPLO . COENOBII
PERPETVO . VNIVIT
ANNO . MDLIIII

Eſt id Coenobium celeberrimum origine, religione, opibus, à Corijs patritijs antè octingentos & octoginta circiter annos excitatum, vt videre eſt apud Haymonem Corium gentilem, ex Ordine noſtro Auctorem eius hiſtoriae editae Mediolani anno ſal. MDCXXXXIX.

Conſtat ergo de barbariſmo in Mediolanenſi marmore, quod teſte Puccinello, extat in atrio S. Satyri, ſiue de militia, ſiue imperio politico vſurpetur vox *Capitaneus*, eſt autem huiuſmodi

CCXII

HIC . IACET . D. PAGANVS . PETRASANTA
MILES . ET . CAPITANEVS . FLORENTINOR
QVI . OBIIT . ANNO . DOMINI . DCCC . AD. CVIVS
FVNVS . INTERFVERVNT . IV. CARDINALES

Cum ſuppleri vocibus antiquis Latinorũ commodè poſſit: Ex quo cenſoriam virgulam promeretur Memoria ſuperiore ſeculo poſita Mediolani in Aede Euſtorgiana, videlicet:

CCXIII

MAPHEOLVS . VICECOMES . VIR . NOBILISSIMVS . OLDI . F
OBERTI . OLIM . MATTHAEI . MAGNI . FRATRIS . PRONEPOS
SEPVLCRVM . HOC . ANTE . TRIVM . MAGORVM . ALTARE
SIBI . POSTERISQVE . XII. LVSTRIS . ET . SECVLO . IAM . DECVRSIS
POSVERAT . QVANDO . EIVS . ABNEPOS . *ALIVS . MAPHEOLVS   *Lege *alter*
VICECOMES . G. FILIVS . COM. BOBII . PRAETVRA . MOGVNTIAE
ET . BINASCHI . CAPITANEATV . BIS . OPTIME . POTITVS . SARCOPHAGO
HOC . CVM . ATAVITO . CADAVERIBVS . PLENO . CONTINERI . NON
POSSET . HVMATVS . EST . AETATIS . ANNO . LXV. MEN. X. D. XII
LIBERIS . OCTO . SVPERSTITIBVS . OBIIT . AVTEM . DIVAE . AGNETIS
FESTO MDX
IO. PETRVS . VICECOMES . MEDIOLANEN. PRAEPOSITVS . ET . FRATRES
MAPHEOLO . GENITORI . BENEMERENTI . POSS. ANNO . SAL. MDXV
DIE . XI. OCT.

Obſerua

Obſerua illud *Praetura Maguntiae*, & *Binaſchi Capitaneatu*, cùm de ciuili adminiſtratione vtrumque ſit dictum, nihilque differant, niſi dignitate loci, quae variat titulum, vt excellentior emineat (pro Moguntia repone Modoetiam, Imperialem ciuitatem, decimo lapide ab Vrbe Mediolano, ſedem olim Longobardici Regni) proinde ambiguam non relinquit illius ſeculi corruptelam: cùm alio ſynonymo, nimirum *Praefecturae* ſalua munditie Latinitatis diſtingui minor à maiori gradu potuiſſet.

Atque haec dicta volumus, vbi *Capitaneus* certam aliquam praefecturam vocabulo communi non exprimendam indicet; quippè quae noua ſit, & peculiaris alicuius loci, ac temporis: Tunc enim hanc vocem admiſerimus exemplo Liuiano permoti, Decade III. lib. VI. vbi vſurpatur vox peregrina *Mediaſtuticus* pro ſummo Magiſtratu: *Mediaſtuticus* (inquit Liuius) *qui ſummus Magiſtratus apud Campanos eſt, eo anno Seppius Leſius erat* &c. Ergo & Capitaneus cum interpretatione muneris & loci à Latinitate non abhorrebit.

Non tacebimus hoc loco familiam *Capitaneam* apud Inſubres, imprimiſque Mediolani nobiliſſimam; appellationis, putamus, ortae ex militaribus Imperijs, & ijs maximis, vt obſeruat Voſſius de Vitijs Serm. lib. I. Cap. XVII. & lib. III. Cap. III. In Vocibus *Capitaneus* & *Cattaneus* (nam putat deriuatum à Capitaneo Captaneum, ab hoc autem Cattaneum, vnde familia antiquae claritudinis Cattanea) vt propterea Capitaneum de gentili neceſſariò dixerimus, de Magiſtratu autem minimè, niſi de maleficiorum iudice ac Dictatore, vt ſuprà monuimus. Hoc quidem, niſi noui generis veteribus incogniti ſit Magiſtratus, nouatam hanc appellationem legitimè poſcens: quod certe nondum compertum eſt nobis.

MARESCALCVS

Membrum XII.

MARESCALCVS, ſiue (interpoſita aſpiratione) *Mareſchalcus* ex origine ſua eſſet idem, quod Latinis Praefectus Equitum: ſeu Magiſter Equitum, pro quo eleganter vſurpatur à quibuſdam Graeca vox *Polemarchus*, Latinè Magiſter, ſeu Princeps militiae: ſed poſt aggeſta cum honoribus militari poteſtate, videtur admittenda vox noua *Mareſchalcus* in Latinis inſcriptionibus neceſſitate intelligentiae; cùm praeſertim alia in iura tranſierit haec dignitas, teſte Vrbe vrbium Roma, cuius quidem Mareſcalcus auita ſucceſſione durat in Gente Sabellia, vnde & vulgò Cohors Sabellia: habet enim ea Praefecturam cuiuſdam Cuſtodiae, & ius in ſontes citra ſanguinem, leuioribuſque in maleficijs, & Pontificio praeeſt Conclaui. Hac Dignitas appellatione in Gallijs habet inuidiam, nec niſi Proceribus de Rege optimè merentibus defertur. Mediolani verò monumentum extat Magni Triuultij ad Diui Nazarij in inſigni Gentilium mauſolaeo, quod pronai vicem ſupplet in percelebrem Baſilicam; videlicet:

CCXIII

IO . IACOBVS . MAGNVS . TRIVVLTIVS . MARCHIO . VIGLEVANI
MARESCAL . FRANCIAE . INTER . MILITARES . LABORES . RELIGIONIS
OBSERVANTISS . SACELLVM . HOC . ASSVMPTAE . VIRGINI . EREXIT
ET . DOTAVIT . MDCXVIII . NONIS . AVG .

SENESCALLVS

Membrum XIII.

SENESCALLVS ſiue cum aſpiratione *Seneſchallus*, & *Seneſchalchus* origine vox barbara, primùm pro villi miniſterio, ideſt Armentorum cuſtode: inde pro ſplendido, ideſt Regiae Menſae praefecto, citra neceſſitatem perſpicuae inſcriptionis admittenda non videtur: Neceſſitas quidem tunc intercedit, cùm ipſa muneris Dignitas exprimi poſtulat: vt in Romano Epitaphio apud Suueertium in Select. Delic. videlicet:

FRANCISCO

CCXIV.

FRANCISCO . GVEVARAE . PROVINCIAE . PATRIMONII
PROLEGATO . SVMMAM . INDOLEM . CVLTV . INGENII . ATQ. ANIMI
PRAETERVECTO . PATEFACTO . AD . HONORES . BONIS . ARTIBVS
ADITV . MODOQ. IMPERII . SPE . SATA . MAGNI . NOMINIS
INTER . PLAVSVM . STVDIAQ. BENE . OMINANTIVM . IN . TRAIECTV
PROFLVENTIS . NONA . TRIETERIDE . EXTINCTO . IOANNES . DVX
BOVINENS . III. MAGNVS . REGNI . SENESCALLVS . FRATRI
SVAVISS. INSEPVLTI . MONVMENTVM . DOLORIS . P. A. S. MDCXXI

Nempe adiuncta muneri poteſtate, & honore nouus Magiſtratus nouum nomen vſurpare cogit.

Cautiùs tractatur, & ad exemplum ſeruandae Latinitatis emendatiùs in Florentino Elogio penes Cartuſianos Patres de Nicolao Acciaiolo: *Quippè bellica gloria virtuteque inclytus Magnum Siciliae Regni Seneſcallum (vt dicunt) exercuit*. Ita ferè leniendam eſſe in huiuſmodi vocibus nouatis aſperitatem. Caeterùm vbi liberum fuerit, Latinè commodiùs legetur *Dapifer*; *Structor Menſae*, *Epularum*, &, non ingrata Latio Graeca appellatione, *Architriclinus*, vel *Trapezocomus*, vel *Tricliniarcha*: cuius quidem vocis praebebit ſpecimē Inſcriptio è Graecia in Corynthia apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. vetuſt. pag. D. I. videlicet:

CCXV.

THEOPRAEPEN . AVG
LIB. PROC. DOMINI
NOSTRI . M. AVR. SEVE
RI . ALEXANDRI . PII . FEL
AVG. PROVINCIAE
ACHAIAE . ET . EPIRI . ET
THESSALIAE . RAT. PVR
PVRARVM . PROC. AB
EMPHEMERIDE . PROC
A . MANDATIS . PROC. ET
AD . PRAEDIA . GALLICA
NA . PROC. SALTVS . DO
MITIANI . TRICLINIAR
CHAM . PRAEPOSITVM
A . FIBLIS . PRAEPOSITVM
A . CRISTALLINIS
HOMINEM . INCOM
PARABILEM
TYSANDER
AVG. LIB
OFFICIALIS

Haec autem è Profanorum Magiſtratuum vocabulis improbantur

PLENIPOTENTIARIVS

Membrum XIV.

PLENIPOTENTIARIVS, è barbariae cineribus nuperrimè rediuiuus Phoenix, ſi tamen Latinè contendimus: nam vulgari Italorum vſui an ea vox permittenda, viderint Etruſci Magiſtri. Pro illa igitur vſurpabitur, *Legatus plena poteſtate inſtructus*, vel *Legatus cum plena poteſtate*: Et quemadmodum dicimus *Legatum cum extraordinaria poteſtate* pro *Legato extraordinario*: vt in recenti Epitaphio Romae, videlicet:

INNOCENTIO

CCXVI.

INNOCENTIO . BVBALO . DE . CANCELLARIIS . ROMANAE . NOBILITATIS ET . VIRTVTIS . VIRO . POST . VRBIVM . PRAETVRAS . AD . MELITENSEM . INSVLAM A . CLEMENTE . VIII . CVM . EXTRAORDINARIA . POTESTATE . MISSO . MOX AB . EO . PONTIFICE . EPISCOPO . CAMERTINO . DENIQVE . PRO . EODEM . APVD GALL . REGEM . NVNCIVM . AGENTI . S. R. E. CARDINALI . CREATO . QVAM DIGNITATEM . DVM . ACERRIMO . IVDICIO . INCENSO . ECCLESIASTICAE AMPLITVDINIS . STVDIO . INTIMA . DOCTRINA . MORVM . SVAVITATE . SINGVLARI . VITAE . INNOCENTIA . SVSTINET . ROMAE . MORITVR . ANNO . DOM MDCX. IV. CAL. APRIL. AETATIS . SVAE . XLIV. MVTIVS . FRATER. ET . HERES . P

Haud ſecus *Cum plena poteſtate* audiet pro *Plenipotentiario*. Item *Fecialis maximus*: niſi mauis imitari formulam, quam praebet Nuncupatoria Epiſtola libelli precum ad Virginem Deiparam, ex Officina Plantiniana, Quadripartiti, recèns editi, videlicet:

CCXVII.

EXCELLENTISSIMO
ET . ILLVSTRISSIMO
COMITI
DE . PENERANDA
PRO . REGE
CATHOLICO
BELLIS . VBIQVE
EXTINGVENDIS
LEGATO . PACIFICO
PACIFICATRICIS
DEIPARAE . VIRGINIS
OFFICIVM
NOVA . HAC . FORMA
IPSO . MANDANTE
EXCVSVM
BALTHASAR . MORETVS
L. M. D. C. Q. * *libens merito dicat, conſecratque*

ADMIRALIVS, ANTIANVS

Membrum XV.

NVllam in vſu vocis *Admiralij* neceſſitatē ſinit praetexi, quae Latinis prompta eſt vel ex Latio ipſo, *Maris Praefectus*, vel ex Graecia iure quaeſito *Thalaſſiarcha*: ſic enim placet Vberto Folietae in II. de Vſu ſerm. Lat. *Vt voces Latinae* inquit, *vel ſaltem origine ſint Latinae, vel Graecae: Sed ſi Latinae nimis durae ſint futurae, potiùs Graecae*. Latinè appellauit Elogiaſta nitidiſſimus Octauius Ferrarius Elog. de Scipione Papafaua; *Donec* inquit *abſens ſupremam Maris Praefecturam adipiſceretur* &c.

Antianus autem, ſi ad aetatem, vt ferè ſolet, referatur, eſt Latinis Senior; Nec, niſi ea appellatio ad dignitatem, magiſtratumque transferatur, barbarie immunis erit, quamquàm, vt id etiam fiat, non facilè videmus; cùm eo ſenſu pro Antianis ſint Latinè Primates, Optimates, Principes, aut huiuſmodi. Tueatur itaque, cuius intereſt, Inſcriptionem Lucenſem; quam nos non ab re allegamus; ſed honoris ergo expuncto nomine Gentis, in cuius probrum poſita illa memoria degenerum à maioribus honeſtiſſimis in Patria ſua nepotum: Eſt autem huiuſmodi

Perlege

CCXVIII.

*Perlege . quiſquis . ades . libertatis . fautor . Et . ſcias . qualis . fuerit In . Rep. noſtra . NN. Familia . Horum . opera . Petrus . Cenarius Vnus . ex . * Antianis . Anno . MCCCXXXVI . interemptus . eſt . Eius Socij . deinde . anno . MDXXII . libertatis . opprimendae . animo Hieronymum . Vellutellum . Vexilliferum . Iuſtitiae . foediſſimè trucidarunt . Tota . vero . ciuitate . arma . contra . eos . capiente parricidae . auſugerunt . Rebelles . facti . conſcij . capite . ſunt . mulctati In . alios . eiuſdem . domus . multa . extant . Decreta Deo . agantur . gratiae . & . haec . obliuioni . non . tradantur*

VASALLVS

Membrum XVI.

VASALLVS, vel geminato *ſſ Vaſſallus* (quod à *Vaſſus* quidam deriuent, voce ſeculis nouata barbaris, à Latina *Vas , vadis*) ſignificat Beneficiarium, ideſt clientem ſiue certa fide obſtrictum, ſiue qui beneficio accepto ſe benefacienti obligaſſet : vnde *Vaſſaticum* pro conditione Vaſſi. Sunt, qui à *Vaſel* ducant, voce Germanica, quae latinis Proles: quia ſic Vaſallus Domino ſuo obſtringuitur, vt parenti filius. Vndecunque autem haec vox manet, Inſcriptioni Latinae prohibenda eſt, pro ea quippe ſubſtitui poteſt *Cliens fiduciarius* , vel forte *Vas beneficiarius*. Nam quia Vas in cauſa capitali veteribus Latinis erat : non abſimiliter quiſquis feudum, vel aliud id generis beneficium à Rege accepit, ſe vtique obſtrinxit, vt eius caput, Regnumque in armis tueatur, pro laude fidelitatis ſuam pactus vitam. Quare caſtigationem poſcit Capacius Neapolit. in funere Magni Henrici (citatur à Laur. Nomio Senat. & Com. in orat. funebri de Victore Amedeo Duce Sabaudiae) ſic habens de Maria Francorum Regina; *Sicut enim Vaſſallorum ſincerae fidei, & ſubditorum candido amori innixum ſemper Allobrogum ſtetit Imperium , non ſolemni tantum ipſorum Sacramento, ſed ſanguine ipſo firmatum* &c. Vox verò *Beneficiarius* etſi adhuc exemplum veterum apud me quaerit, probatur tamen Laurentio Vallae Lib. I. Cap. VI.

CASTELLANVS

Membrum XVII.

CASTELLANVS dicitur propriè de homine, qui Caſtellum , ſeu paruum caſtrum , oppidumuè habitat ; ſed vulgus hodie pro illo vſurpat, qui Arci cum imperio praeeſt: quo quidem ſenſu Latinè eſt Arcis , vel Arci Praefectus. Ita expreſſit Franciſcus Pola in militari Inſigni his literis dedicato

CCXIX.

HIERONYMO . VENERIO
FELICIANAE . ARCI
P. F
IOANNES . MONOPOLVS . MVTIVS
PRAESIDIARII . CENTVRIONES
VICTORIOSVM . HOC . INSIGNE
MANV . VNANIMI
DANT . DONANT . DICANT
PATRONO . BENEMERENTI
MDCVIII

* id eſt *Praefecto*

Obſeruandus

Obſeruandus eſt etiam P. Iouius in deſcriptione Larij lacus de Arce Muſſiana ſic habens: *Eam paucis antè annis extruxerat Triuultius bello clarus, & demum Iacobus Medices Inſuber per occaſionem bellorum Cuſtodiae impoſitus occuparat* &c. cuſtodiae inquit arcis impoſitus, ideſt praepoſitus. Et quando Triuultij incidit mentio, offertur commodum cenſura barbarae inſcriptionis ſepulcralis, quam de Miniſtro ipſius Triuultij à gentili ſuo, atque adeo nepote Hercule Triuultio Principe magnis titulis clariſſimo apud Inſubres, & Mecoenate literatorum è domeſticis memorijs lectam nuper accepimus. Ea extat in Aede Summa Oppidi Clauennae, Dioeceſis Comenſis in finibus prouinciae Mediolanenſis, ac Rethicae; (nam Clauennates Ioanni Iacobo, & Filio Triuultijs parebant, tam Oppidi, quàm Vallis illius Dominis) Videlicet:

CCXX.

*Sub . umbra . huius . Matris . ac . Virginis . Mariae iacet . ſtrenuus . miles . Dominus . Flachara . de . Ginno Princeps . de . Garzatac . * Caſtellanus . Fortitudinis iſtius . Oppidi . Illuſtriſſimi . Mareſcalchi . Magni Regis Francorum . Io . Iacobi Triuultij . qui plenus . fidelitate animam . reddidit . XXIIII. Iulij . MCCCCCXI*

Nec *Caſtellanum* verò, nec *Fortitudinem*, niſi cum vecorde vulgo barbarizante vſurpabis, ſed magis Praefectum Arcis, Cuſtodemuè, aut Praeſidem

Cui congruet de ipſius muneris appellatione ſubſtantiua recens Epitaphium Lucenſe à Maximiliano Dezza ſtudioſiſſimo patriae ſuae, & Elogiaſta elegantiſſimo ad nos tranſmiſſum:

CCXXI.

SEBASTIANO . BARSOTTIO
CIVI . LVCENSI . ET . ROMANO
VIRO . FACILITATE . INGENII . MORVMQ. SVAVITATE
AC . MVLTIPLICI . VIRTVTE . CONSPICVO
QVI . PONTIFICIAE . MILITIAE . DVCTOR . PRAECLARVS
ET . PERVSINAE . ARCIS . PRAEFECTVRA . INSIGNITVS
PRO . ROMANA . SANCTA . SEDE . PLVRA . OBIIT MVNERA
ANGELA . PINA . CONIVX . SEMPER . LACRVMATVRA
CONIVGI . VNICE . CARO
POSVIT
AMORIS . PIGNVS . HONORIS . MONVMENTVM
ANNO . SAL. MDCXXVII

Opportunè hic ſe ingerit Mediolanenſis memoria alterius ab inde ſeculi, neque minus ſuperiore nitida, quam tradidit nobis Placidus Puccinellus ex Diui Franciſci exſcripta, videlicet:

CCXXII.

EVSEBIO . CRIBELLIO . AVO . EQVITI . EQVITVMQ. PRAEF. QVI . LEVCVM DIV . A . VENETIS . MOENIBVS . DIRVTIS . OBSESSVM . PHILIPPO . DVCI . MIRA SERVAVIT . CONSTANTIA . MCCCCXLI
ANTONIO . PATRI . QVI . POST EQVITVM . ARCIS . CREMONAE . SAVONAE . COMI . PLACENTIAE TRANSPADANAEQVE . PROV. PRAEFECTVRAS . SENATOR . FATO . CONCESSIT NATVS . ANN. LXVIII.
IO . IACOBVS . FIL . PIENTISS . ET . SIBI . AN . SAL . MCCCCXCVII . DIE . IX NOVEMB

RESIDENS

Membrum XVIII.

RESIDENS de Principis Oratore ordinario, qui ſupremum haud gerit Legati titulum, quemadmodum hodie in vulgo tritum, ita veteribus Latinis, quod ſciam, inauditum: & quamuis nouo fortaſſe muneri appellatio impoſita; lenienda tamen eius aſperitas eſt, quod fiet reſoluendo participium in verbum ſuum *Reſideo*, vt ſcitè Franciſcus Pola ſub perſona P. Pellegrinij Senatus Veneti A Secretis, videlicet:

CCXXIII.

ANNO . MDXC
APVD . DVOS . HEROAS . MAXVMOS
QVI . MEDIOLANENSI . PRAEERANT . DITIONI
CAROLVM . ARAGONIVM . DVCEM . TERRINOVANVM
IO . FERD . VELASCHIVM . COMESTABILEM . CASTELLAE
R E S E D I
PRO . SERENISS . REP . VENETA

VICARIVS PROVISIONIS

Membrum XIX.

VICARIVS PROVISIONIS vulgò Mediolani dictus, in Etruria *Proueditore della Graſcia*, Latinè Annonae Praefectus. Non enim vulgaris appellatio attendenda, ſed natura muneris, ac eius Magiſtratus officium. Conſule Iani Gruteri Indicem, Cap. V. de Magiſtratibus, Dignitatib., Honorib., Officijs, vbi citantur monumenta compluria de Praefectis Annonae ſimpliciter, & cum Iure gladij, vt ſcias, quomodo nominibus veterum officia recentia, & Magiſtratus noui iuris Latinè exprimas cum additamento nouae poteſtatis. Damus hic intereà exemplum recentis memoriae ad normam antiquam perfectum: Mediolani, teſte Puccinello, in Diui Franciſci, ad Sacellum Diuae Mariae Conceptae:

CCXXIV.

IACOBO . ALIFERO . HIERONYMI . ET . CLARAE . F. PATRICIO . AC . I. C.
COLL . MEDIOL . CAVSARVM . PATRONO . CLARISS . IVDICI . AEQVISS
DIFFICILLIMIS . REIP . TEMPORIBVS . ANNONAE . ITERVM . PRAEFECTO
PROVIDENTISS . REGIO . SVMMAE . INTEGRITATIS . SENATORI . QVI
CVNCTIS . HIS . HONORIBVS . CVM . OMNIVM . LAVDE . PERFVNCTVS
IN . PRAETVRA . TICINENSI . MORTALITATEM . OMNIB . MOERENTIB . EXVIT
VIXIT . ANN . LXIX . OBIIT . PRID . KAL . IVNII . MDXV .
IO . ANDREAS . ET . MARTINVS . I. C. EX . EOD . COLLEGIO . PARENTI . OPT.
MOESTISS . POSS

CLASSIS

CLASSIS IV.

Chriſtiana Vocabula nouata

HAec etiam duas in claſſes diſpeſcimus, vt quaedam Latinè loquentibus admittere liceat, quaedam excludi ſtatuamus. Ne tamen tetrici nimium ſimus, & quidquid vſum apud veteres Latinos deſiderat, velut profanum habendum putemus, audiendus primùm eſt Quintilianus lib. I. Inſtitut. orat. cap. VI. de Saliorum carminibus diſſerens, qui cùm Latinitate priſca horreſcerent; *tamen illa*, inquit, *mutari vetat Religio, & conſecratis vtendum eſt.* Simile quid rectiùs vſurpabimus nos Chriſti veri Dei cultores: quibus permultae voces conſecratae ſunt in exordio religionis noſtrae; Latinitate videlicet adhuc florente, vt ex Annalibus conſtat. Itaque eas retineri Latinè ſcribentibus ipſa iubebit religio:

QVAE ADMITTENDA

TRINITAS

Membrum I.

TRINITAS Vox quidem Latinis priſcis incognita, vt & ipſius myſterium: tenenda tamen, quippe legitimè nouata vel ex Ciceronis placito: ſic enim ille ſtatuit, *rebus nouis noua eſſe imponenda nomina*: Porrò hocce myſteriorum auguſtiſſimum, tametſi aeternum, cognitioni tamen mortalium ſeſe nouum obtulit longè à Tullianis temporibus, quidni igitur nomine nouo conſecraretur? Et eo quidem Latino cùm origine, tùm analogia, ne deſideret princeps linguarum, vnde Maieſtatem Conditoris rerum propria indicet appellatione: nam vt à *Diuinus* eſt *Diuinitas*, ita à *Trinus* (vox eſt vſitata Suetonio, Caeſari, Ciceroni) rectè erit *Trinitas*. Nec enim *Triadis* vox ideo poſthaberi poteſt, quia Graeca ſit, vt inuehit immeritò Q. Marius Conradus (de Copia Lat. Ser. lib. II. num. XXXIV.) eſt enim ius Latij adepta ſuffragio eruditorum Poëtarum, Oratorumque; ſed quia tam ipſa, quàm quae Latinae reſpondet, *Ternio*, amuſſitata ex vſu communi non eſt tantae rei Myſterio exprimendo. Debuit ergò Corradus rationem attexere, cur decernat nomen aliud, quàm ipſum Trinitatis, excogitari non poſſe, neque quod ipſe excipit, *Trias* Graecum origine, aut illi certe Latinè conſonans *Ternio* impar eſſe, cùm tamen nos citra contentioſas quaeſtiones, & in ſermonibus liberis, atque Inſcriptionibus vſurpari poſſe concedamus, exemplo, & auctoritate fulti ſapientum. Ea itaque ratio è Theologiae ſacrario prompta eſt: quòd *Trias*, ſeu mauis *Ternio* coniunctionem propriè ſonat inter tria; ſeu (meliùs) trinum quiddam, treſque vnitates ſimpliciter, in queis habet ſuam quaeque ab reliquis duabus diſtinctam naturam. Trinitatis verò quod colimus arcanum, naturam dumtaxat vnam in tribus ſuggerit; tribus ijs hypoſtaſibus, ſeu perſonis; neque Naturam eam ſpecificam (vt aiunt) ſed ſingularem prorſum, atque indiuiduam. Ita trinum eſſe in creatis tùm dicimus, cùm ter Naturae numeratur vnitas, nomenque nueralem in illam cadit, vti complementum. Haud ita in Diuinis: Ibi namque ipſius vnitas naturae communicabilis eſt tribus; non proinde numerabilis: neque Deus dicendus ter vnitas, ſed vnus ter, vti loquitur Diuus Bonauentura Diſt. XXIV. Art. III. Quaeſt. II. Recole iam Diui Auguſtini Elogium lib. I. de Trinit. *Vbi quaeritur*, inquit, *Vnitas Trinitatis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, nec periculoſiùs alicubi erratur, nec laborioſiùs aliquid quaeritur, nec fructuoſiùs aliquid inuenitur.* Et illud Diui Bernardi in ſeparat. ſerm. I. *Inquirere de Trinitate peruerſa curioſitas eſt: credere ac tenere, ſicut ſancta Eccleſia tenet, fides, & ſecuritas eſt. Videre autem eam, ſicut eſt, perfecta & ſumma felicitas eſt.* Accedit auctoritati tantorum Patrum conſenſio Oratorum recentium, quibus munditites Latinitatis antiqua in primis eſt. Ex his Chriſtianus Cicero, ideſt P. Ioannes Perpinianus de Deo Trino, & Vno ſic habet: *Quis*

enim in hac mortalitate noſtra, infirmitateque naturae, & in hiſce tam caecis humanae vitae nubibus & procellis illam ſupremam Diuinamque naturam: Quis hypoſtaſis cuiuſque proprietatem, & omnium inter ſe coniunctionem tantam & ſocietatem: Quis illius, vel hypoſtaſi triplicis vnitatis, vel natura ſimplicis Trinitatis imaginem in populo Chriſtiano Diuina vi mirabiliter expreſſam vel oratione conſequatur, vel cogitatione comprehendat? Et paulò poſt: *hac luce trium vnius naturae Diuinae perſonarum ferijs conſecrata*, ideſt in hoc feſto SS. Trinitatis. Adijce Elogiaſtas duos, alterum Marcellum Carmelitam ex ordine Diſcalceatorum de B. Tereſia: *A ſponſo euecto corpore ſurſum attrahitur, & inter caetera miranda Trinitatis arcanum ſaepenumerò contemplatur, atque animo diù geſtat impreſſum*: Alterum verò & ipſum mundiſſimum ſtylo Iacobum Cauatium Elog. de Diuo Hieronymo Dalmata: *Omouſion ſanctiſſimam appellans Trinitatem, quantò acriùs eorum falla iam reiecit, tantò atrocius odium ſibi conflauit*. Haec autem teſtimonia cum alijs ſexcentis libentiùs ſuppreſſis eò tendunt, vt nomen Trinitatis ritè nouatum tueamur; non tamen mera ex neceſſitate, vt cenſet Conradus, ſed ne Latio vernaculum deeſſet, cùm tamen adeſſet è Graecia adſcitum, vt innuimus, *Trias*, ex ipſa proinde peregrinitate lepidius, & panegyricis praeſertim Epigraphicis elegantius. Neque verò facit negotium vſus loquēdi proprius, vbi translatus ſatis ſuffragatur. Nam & multa Conradus ex Graecis Latinè dici praecipit poſſe ratione alia, & occultiore vi ſignificandi. Ex horum genere nemo non cenſebit vocem *Triadis*, quae A. Gellio cognita pro Ternione, potuit pro Trinitate vſurpari ex ſenſu Chriſtiano: vt probat illa Hymni Eccleſiaſtici clauſula aeuo florente compoſiti:

Sanctae ſit Triadi laus pia iugiter
Cuius perpetuo numine machina
Triplex haec regitur, cuius in omnia
Regnat gloria ſecula.

Ac ne deſideres auctoritatem Oratorum, accipe, quod fundit Oratoria vena Nicolaus Cauſſinus de Maieſtate Sacrae Eloquentiae lib. X. Cap. I. *Iam* inquiens *cùm ad illam lucidiſſimam Sanctiſſimae TRIADIS caliginem deuenies, vnum in trinis perſonis, ſi liceat, intuebere, Patrem rerum omnium Optimum Maximum* &c.

CHRISTVS

Membrum II.

TVemur ius Latij in voce *Chriſtus* (& quae inde manant *Chriſtianus*, & *Chriſtianitas*) vſurpata pro Deo homine. Quae quamuis Graecè nata, & adiectiuè (ſiquidem Latinè eſt *Vnctus*) non tamen quaſi appellatiua vtimur, ſed vt propria; ad eum ferè modum, quo Romanis erant Cincinnatus, Criſpus, Quintus, Sextus, Spurius, & huiuſmodi; quae illa cumque eſſent Praenomina, Nomina, Cognomina, Agnomina. Ergo Seruatori congruit Chriſti appellatio, primùm vt Praenomen (eſt autem IESVS nomen) quod Romanis quidem ab honore, ac dignitate quandoque petebatur, vt *Titus*; vnctio autem propria Regum eſt, ac omnes propterea Reges Iſraëlitae Chriſti praeferebant appellationem, vnde eſt in illud Ioan. Cap. I. *Non ſum ego Chriſtus*, metaphraſis concinna Nonni Panopolitani χριστὸς ἄναξ οὐκ εἰμί, ideſt *Chriſtus Rex non ſum*. Ita rectè efferetur *Chriſtus Ieſus*. Deinde vti Cognomen, quod quemadmodum Romanis perpetuum erat in Gente; ita in ſerie maiorum Seruatoris, quae ex Chriſtis fuit, hoc eſt Regium ad ſceptrum iure ſucceſſionis inunctis. Hùc facit Herodis Tetrarchae percontatio ad Hebraeorum ſapientes (Matth.II.) *Vbi Chriſtus naſceretur*: Huc caeleſtis Nuntius ad Paſtores ἐτέχθη ὑμῖν σήμερον σωτὴρ, ὅς ἐστι Χριστὸς κύριος, *natus eſt hodie Seruator qui eſt Chriſtus Dominus* (Luc. II.) Fuerit igitur *Chriſtus* nomen, *Dominus* cognomen à dignitate, ac Vniuerſi imperio, multò equidem iuſtiùs, quàm Auguſtis tribuerit antiquitas, Traiano in primis Plinius in Epiſtolis. Vt autem *Chriſtus Dominus*, ita *Chriſtus Deus*, quippe à Diuinitate habet dominationem Vniuerſi. Neque ea recens appellatio: Vſurpata antiquitùs Romae, vt citat Gruterus pag. MCLIII. num. 11. vbi ad fontem S. Ioannis in Later. ita inſcriptum legebatur:

HIC

CCXXV.

HIC . LOCVS . OLIM . SORDENTIS . TVMVLI . SQVALORE . CONGE
SVMPTV . ET . STVDIO . CHRISTI . FAMVLI . HILARI . EPISCOPI
IVVANTE . DOMINO . TANTA . RVDERVM . MOLE . SVBLATA
QVANTVM . CVLMINIS . NVNC . VIDETVR . AD . OFFERENDVM
CHRISTO . DEO . MVNVS . ORNATVS . ATQVE . DEDICATVS . EST .

repertum eſt (ait Gruterus) hoc Epigramma in veteri libro membranaceo Bibliothecae Palatinae Sereniſs. Friderici IV. Electoris Septemuiri, qui deſcriptus videbatur centum aliquot retrò annis è Templis Vrbis Romae. Non minus magnifica Crucis epigrapha ſuperpoſitae malo aureo in manu dextera Statuae ſuper columna porphyretica, quam teſte Zonara Conſtantinus Caeſar in foro Conſtantinopolitano erexerat; videlicet: TIBI . CHRISTE . DEVS . VRBEM . HANC . COMMENDO . Meminit huius rei Caeſ.Baronius Ann.Eccleſ. To.III. Tertiùm vt Cognomen, quemadmodum apud Romanos Numae à ceremonijs cognomen acceſſit *Pompilij*, Metio à celeritate *Curtij*, Turno à ſtrenuitate *Herdonij*, Iulio ab euentu natalium *Proculi*; non abſimiliter Seruatori mortalium cognomen Chriſti, quòd praeter Regiam proſapiam *vnxit eum Deus Spiritu ſancto, & virtute, qui pertransijt benefaciendo & ſanando omnes* (Actor. cap. X. num. XXXIIX.) vt loquitur Petrus Apoſtolus. Ibidem ſancti illi diſcipuli *conuenerunt*, inquiunt, *verè in ciuitate iſta aduerſus ſanctum puerum tuum Ieſum, quem vnxiſti, Herodes & Pontius* &c. (Actor. cap. IV. num. XXIV.) Concinit Diuus Matthaeus (Euang. cap. I.) *virum Mariae, de qua natus eſt Ieſus, qui vocatur Chriſtus*: vocatur, inquam ipſe, iuſto cognomine ad eum omninò modum, quo Ioui commentitio Deo indidere Romani cognomen *Feretrij* ex eo, quod Romulus hoſtium deuictorum ſpolia feretro ad id fabricato in Capitolium deuexit, ſuſpenſaque è quercu conſecrauit Ioui, ac Templum condidit Ioui Feretrio dedicatum. Nam etſi Imperij Iſraelitici Reges ſingulos vnctione inauguratos iuſſerit Deus, Chriſtoſque ea re nuncupatos; Seruatori tamen aeterno Regi antonomaſticè id cognomen debitum ipſimet Reges non tam tempore praeuij, quàm typo praemonſtrauere. Itaque Latino more dicetur & *Chriſtus Ieſus*, quaſi praenomine ad nomen, quomodo Aloyſius Iuglaris priorem partem Elogiorum ſcitiſſimè inſcribit; & *Ieſus Chriſtus*, quaſi cognomine poſt nomen, vt fert communis vſus; & *Chriſtus Dominus*, quaſi nomini honoris gratia adiecto agnomine, ad exemplum Romanorum veterum (vt Africani agnomen datum Scipioni ab Africa domita) quòd ipſi ſponte abiecto ad ludibrium humani generis, ſaeuitiamque inimicorum, promeritum Orbis imperium Pater attribuit.

Neque verò obſtabit Graeciſmus, quin *Chriſti* magis, quàm *Vncti* admittamus vocem, cùm ea, vt monuimus, migrauerit ex appellatiua in propriam: neque piorum modò vſus antiquiſſimus obtinuerit, religione per Apoſtolos fundata Romae, Nerone Caeſare, quo nimirum ſeculo nondum Latinitas defloruerat; verùm Latinis quoque Scriptoribus, & *Chriſti* vox, & *Chriſtianorum* vſitatiſſima fuit. Prodeat ex multis Tacitus Annal.lib.XV.vellicans Chriſtianos ex genio Ethnico: *Ergo abolendo rumore* (loquitur de incendio Vrbis, cuius vel Auctor, vel conſcius Nero) *Nero ſubdidit eos, & quaeſitiſſimis poenis affecit, quos per flagitia inuiſos vulgus Chriſtianos appellat. Auctor nominis eius CHRISTVS, qui Tiberio imperitante per Procuratorem Pontium Pilatum ſupplicio affectus erat.* Deinde C. Plinius Secundus moderatiùs agens, cuius omnino legenda tota libri X. Epiſtola CIII. Suetonius verò ambiguè in Tib. Claudio Druſo Caeſ. *Iudaeos impulſore Chriſto aſſiduè tumultuantes Roma expulit*: Neque enim Chriſtus per ſe, ſed neque per cultores ſuos, niſi quod inuiſos habebant Chriſtianos Iudaei, ac tumultum proinde in eos conciebant.

Ad haec Inſcriptiones binas refert Gruterus extantes Cluniae in Hiſpania, ferociam Ethnicorum eructantes; alteram

CCXXVI.

DIOCLETIANVS . IOVIVS . ET
MAXIMIAN . HERCVLEVS
CAESS. AVGG
AMPLIFICATO . PER . ORIEN
TEM . ET . OCCIDENTEM
IMP. ROM
ET
NOMINE . CHRISTIANORVM
DELETO . QVI . REMP . EVER
TEBANT

Alteram

CCXXVII.

DIOCLETIAN . CAES
AVG. GALERIO . IN . ORI
ENTE . ADOPT. SVPERS
TITIONE . CHRIST
VBIQ. DELETA . ET. CVL
TV . DEOR. PROPAGATO

Caeterùm vox *Chriſtianus* non patitur gradum comparationis, neque ſuperlationis, quia ex poſſeſſiuis nominibus eſt. Ita quemadmodum non dicitur *Miles Pompeianior*, ita nec homo *Chriſtianior*, aut *Chriſtianiſſimus*: Vt meritò notata ſit barbarie Inſcriptio Romana, quam citat Ciacconius, videlicet:

CXXVIII.

IESV . CHRISTO . SPEI . VITAE . FVTVRAE
IOANNES. SVAVIVS. REVMANVS. GALLVS. TT. S. PRISCAE. PRESB. CARD
OB. ANIMI. CANDOREM. ET. EXIMIAM. IVRIS. PRVDENTIAM. DVODECIMVIRATVS. LITIBVS. IVDICANDIS. ASCITVS. AC. PROPTER. HVMANITATEM. ET
INNOCENTIAM. PAVLI. IV. BENEFICIO. IN. PATRVM. SENATVM. MERITO
COOPTATVS . LXIII. AGENS. ANNVM . SANCTISSIME . VT. VIXERAT. ITA
* CHRISTIANISSIME . DECESSIT . DIE . XXIX. SEPT . MDLXVI. SCIPIO
REBIBA. TT. S. ANGELI. CARD. DE. PISIS. TESTAMENTI. EXECVTOR. ABSOLVI
CVRAVIT

Vbi pro *chriſtianiſſimè* ſubſtitue *religioſiſſimè*, vel preſſiùs lege: *ſanctiſſimè vt vixerat, ita deceſſit*. Hanc autem Inſcriptionem Romana altera emendabit apud Suueertium, quam haud operae impendium erit referre

CCXXIX

IOAN. FRANC. POGGIO . FLORENTINO
CVM. VIRTVTE. AC. CONSTANTIA. MORVM. GRAVITATE. VITA. INTEGERRIME
ACTA . PATERNA . SVAQ. LAVDE . ELOQVENTIAE . AC . LITERARVM . IVRIS
QVOQVE . CIVILIS . ET . PONTIFICII . DIVINAEQ. SCRIPTVRAE . CVMVLATA
DOCTRINA . RELIGIOSE . VIVENTI . RELIGIOSIVS . SVPREMO . DIE. FVNCTO
VINCENT. LVCA . MARTINVS . FRATRIS . EIVS . GENER . PARENTIS . APVD
SE . LOCVM . SEMPER . ADSECVTO . OPT. MER. POS. OB. AN. DOM
MCCCCXXII

Neque ſuffragatur hoc loco auctoritas Q. Marij Corradi de Copia Lat. ſerm. lib. II. num. XXXIV. qui & *Latiniùs* dixit, & *Latiniſſimè*, quod quidem licuit homini acriter, ac feruidè diſputanti contra ſui placiti impugnatores, ad illius modum licentiae, qua Poetae cum Plauto à pronomine *Ipſe* inclinant *Ipſior*, *Ipſiſſimus*, ad energiam ſermonis ſimul, & ex feſtiuitate Comica: quae duo haud reperiunt locum in Epitaphio hiſtorico, quo de genere eſt nuper allatum. Caeterùm intentio in poſſeſſiuis, ſiue comparationis, ſiue ſuperlationis per epitheta explicabitur, v. g. *De meliore nota Chriſtianus*, *Chriſtianam laudem magis meritus*, *nominis Chriſtiani ſtudioſior*, *Religioſior Chriſti cultor*, & huiuſmodi. Regem verò Galliae Pipinum cum poſteris *Chriſtianiſſimum* rectè dici, propterea quòd vulgare nomen in cognomentum migrauit; propriumquè effectum etiam Latinè efferendum, ſicut gentilitia ex Italicis. v. g. Ex familia *Peccori* Florentiae honeſtiſſima non appellabitur gentilis *Nicolaus Ouis*, vel *Oueius*, ſed *Peccorus*, vel *Peccorius*, cùm nihil minus, quàm ouis adſignificetur. Quare haud erit damnanda impuritatis Inſcriptio ſepulcralis in Carolum Pipino genitum, quam citat Io. Bapt. Egnatius Venetus Romanorum Principum lib. III. in Carolo Magno, videlicet:

CAROLI

CCXXX.
CAROLI . MAGNI . CHRISTIANISSIMI
ROMANORVM . IMPERATORIS . CORPVS
HOC . CONDITVM . EST . SEPVLCRO

Reſtat vox *Chriſtianitas*, quam eo tantùm probemus ſenſu, quo Ciceroni deflexa eſt ex Appio *Appietas*, ex Lentulo *Lentulitas*, & Aſinio Pollioni ex Patauino *Patauinitas*: Ita nimirum nobis ex Chriſtiano (quam vocem Latinam vidimus) *Chriſtianitas* pro hominum Chriſtianorum more, vſu, nobilitate, celebritate: atque ſicut Latinitatem dixit Cicero pro iure Latij, ita nos Chriſtianitatem; & ſicut alij pro Latina loquendi forma, ita nos pro Chriſtiana viuendi, agendique. At illo vulgi ſenſu pro Chriſtiana Re, ditione, potentia, opibus, terris, in queis degunt Chriſtiani, ac dominantur, hoc minime nobis probabitur, quouſque ex Latinorum antiquis conſimile proferatur exemplum. Nec mirere, occurrere eo ſenſu vocem in Viennenſi Epitaphio ad D.Stephani(citat Suueertius in ſel. Delic.) cuius impuritas etiam aliunde ſcatet. Nos ideo fragmenta dabimus quae ad rem noſtram, ne tota mole graueris: Videlicet: *Imperator Caeſar D. Fridericus Tertius Pius, Proſper, Auguſtus Chriſtianitatis ſupremus Princeps, Hungariae, Dalm. Croat. Rex* &c. Et *Fridericus celeberrimis famoſiſſimiſque exequijs deuotè celebratis* &c. quàm verò inelegans illa geminatio *celeberrimis celebratis*? quàm abſonum ab vſu antiquitatis illud *deuotè*? & illa quàm frigida ſynonyma *celeberrimis*, *famoſiſſimiſque*? E re autem praeſenti pro *Chriſtianitatis* repone Chriſtianorum Capitum, ſeu Procerum: aut Chriſtiani Orbis, Chriſtianae reip. & huiuſmodi aliud ex Latinitatis decoro.

Extremum eſſet illud inde ductum vulgò vocabulum *Chriſtifidelis* pro Chriſtiano inquirere, vtrùm Latinè vſurpetur. Sed aliò controuerſiam trahimus, hoc eſt in huiuſce Claſſis Membrum XXX.

ANGELVS

Membrum III.

ANGELVS Graeca vox, Latinis *Miſſus*, quam non pro quouis miſſo vſus accepit, ſed pro Caeleſti dumtaxat, iura idcircò Latij obtinuit; nimirum ignotam Latinis ethnicis perſonam ſignificans, transferri potuit per primos cognitores, hoc eſt Chriſti cultores à genere ad ſpeciem metonymicòs: Quamquam vix in ſacris literis offenditur vox iſta ſingularis, ſed cum definiente adiuncto, *Angelus Dei*, *Angelus Domini*; nec alibi fere, niſi ex contextu ſermonis ſubintellecto, à quo mittitur, caeleſti Numine. Non negemus autem Latinè eleganter verti, vbi nulla vetet decòri lex, vel per reſpondentem vocem, vel per circumſcriptionem, idque cùm in panegyricis Inſcriptionibus, tùm in hiſtoricis. Ita Aloyſius Iuglaris Elogio II. de Chriſto IESV: *A caeli* inquit *caduceatore, eius nuntiatur aduentus*, pro *Ab Angelo*. Idem ibid. *Praeuenerat Legatum ſuum Deus*, pro *Angelum ſuum*: Idem Elog. IX. de Modeſtia Alexandri Bertij pueri Florentini, appellatione duplici reddit. nec ideo poenitebit Inſcriptionē totā afferre:

CCXXXI.
STVDVISSE . CAELITES . CREDAS
A . TANTA . MODESTIA . DISCERE
QVALES . DEBERENT . MORES . EXPRIMERE
SIQVANDO . LARVAM . HOMINIS . INDVISSENT
STETERE . CIRCA . ILLVM . ASSIDVI
STIPATORES . LATERIS
EXCVBITORES . CVBILIS
TAM . SOLLICITA . PRODENTES . CVSTODIA
QVALES . DEVS . THESAVROS
ABDIDISSET . IN . PVERO
CIRCA . QVEM
TAM . MVLTI . CAELI . PROCERES . VIGILARENT

En

En tibi *Caelites*, en *Caeli proceres* pro Angelis. Hoc in panegyrica: in Hiſtorica etiam Vrbanus VIII. Pont. Max. Auctor ipſe Lectionum Breuiarij Romani de Diua Martina Virgine & Martyre; *Interdum* inquit *ſublimis*, *Regia in ſede Diuinis laudibus vnà cum CAELITIBVS intereſſe viſa eſt*, intellige *vnà cum Angelis*. Franciſcus Poia in Imaginem Angeli Grilli, Generalis Caſſinenſium Magiſtri, cùm poſſet ad nomen alludere, maluit puritati ſermonis Latini ſeruire, quàm venuſtati, *Homo* inquiens *maior Homine*, *CAELICOLIS propior*, pro Angelis. Aptè quoque appellabitur *Caeleſtis Genius*, ſeu *Nuntius*, ſeu *Internuntius*, *Interpres*, *Miniſter*: *Caeleſtis Mens*, ſeu *Intelligentia*: *Caeleſtis Legionarius*: *Apparitor aeterni Regis*: *Beata Mens*, *Beatus Spiritus*: Nam quod ex veterum Latinorum vſu Q. Marius Conradus lib.I. num.IX. Angelos dicit *Maiorum gentium Deos*, ſicuti Homines Sanctos, ac Caelo receptos, *Minorum gentium Diuos*, hoc ſpecioſum quidem eſt, ſed breuiter inſcribenti quomodo poſſit vſui eſſe, non ſatis videmus. Angelos verò Cuſtodes rectè nos Animorum cuſtodes.

Verumtamen exigente perſpicuitate, aut decoro ſententiae non dubitabimus *Angelos* vſurpare, & *Angelos Cuſtodes*. Perſpicuitatis primùm eſt, cùm alluditur ad locum ſacri codicis: vt apud Iuglarem Inſcript. II. ad Valuas S. Michaelis, vrbis Lucae: *Iam in manu Angeli calculus*: alludit autem ad Iſaiae cap. VI. num. VI. Et Elogio de D. Ioanne prodromo: *Ne quid ſiniſtrum metuat*, *Angelus dedocet ſtans à dextris*: alluſio fit ad Lucae cap. I. num. XI. Praeterea cùm ex diuerſorum oppoſitione breuitas premit: Ita apud Buttilium Inſcript. imaginis S. Michaelis Archangeli, in nuptijs Regalibus Margaritae Mediceae cum Duce Parmenſi; Eſt autem tota hic exſcribenda, videlicet:

CCXXXII.

PROFANAE . PER . CASTRA . MILITIAE
SACRARVM . AD . TENTORIA . COHORTIVM
PERVENISTI
ARMIGERA . SPONSA
AVDEAS . BELLATRIX . ANGELI
GAVDEAS . VICTRIX . SACERDOTES
PLAVDAS . TRIVMPHATRIX . POPVLI
CONCLAMANT

Aloyſius Nouarinus Elogium II. ita inchoat de Beato Caietano Thienaeo; *Neſcio, an Hominem dixerim*, *vel dixerim Angelum* &c. Adde hiſtoricam narrationem, vt apud Vrbanum VIII. Pont. Max. in Hymno de Diua Martina

Hinc lapſi è Superum ſedibus Angeli
Caeleſti dape recreant.

Decorum verò ſententiae maximè interuenit Diſſertationibus ſolutis, vt apud Lactantium Firmianum Artis Rhetoricae Magiſtrum (qui circa annum Chriſti CCC. floruit) lib. VII. Diuin. Inſtit. de Diuino Praemio: & Horatium Turſellinum Epitomes lib. VI. tit. *Mauritius*, & antè lib. I. tit. *Moſes*. Conſule & Iacobum Pontanum Annotat. poſt Indicem, P. II. Vol. III. Et cùm vulgò exponenda Inſcriptio, quae certè vulgarem amat appellationem: vt Mediolani (teſte Placido Puccinello in calce Zodiaci ſui) in Aede Euſtorgiana, videlicet:

CCXXXIII.

SACELLVM . HOC . DEO . OPT . MAX
SANCTISQ. ANGELIS
HOMINVM . CVSTODIBVS . GLORIAEQ. SOCIIS
DICATVM
PETRVS . ANDREAS . CAESARAVGVSTAN.
VETERANVS . MILES . ANNVA . PRO . RE . DIVINA
QVOTIDIE . FACIENDA . DOTE . CONSTITVTA
POSITOQ. SIBI . POSTERISQ. SVIS . SEPVL . VIVENS
INSTAVRANDVM . CVRAVIT . AN . MDXCIII

Probatio

Probatò Angeli vocabulo conſequens eſt, vt probetur Archangeli, compoſitum ex Graecis. Alia quoque nomina Angelicorum ordinum ratione alia tuebimur, nam Cherubim, & Seraphim, quia ex Hebraeo petita, & à Patribus verae religionis, doctiſſimis viris in vſum vulgarem inuecta: Thronos autem ex Graeco iiſdem vſurpata: Dominationes verò, Principatus, Poteſtates, Virtutes translatione ab humanis, ſeu à terreſtribus ad caeleſtia, vt eruditè obſeruat Q. Marius Conradus lib. III. de Copia Lat. Ser.

ECCLESIA

Membrum IV.

ECCLESIA Graecae originis vocabulum non ignotum Latio, quod demonſtrat ille Plinij locus lib. X. Epiſt. in codice noſtro CXVII. in alijs CXI. *Denariorum XL. millia donata ei publicè ante annos XX. & bule, & Eccleſia conſentiente*, id eſt (vt interpretantur eruditi) Senatu, & populi coetu. Iam ergo vocem iſtam, quamquam extrariam (erat enim Amiſenorum) legitimè in Latium receptā eſſe conſtat vèl ſola Plinij auctoritate, cui licuit domeſtico vti ſermone cum copia. Neque id ſolùm: ſed marmor vetuſtum fauet, quod Romae his inciſum Literis exhibetur:

CCXXXIV.

QVARTVA . HIC . VIDVA
VIX . AN . LXXX . MARCEL
LINVS . CARISSIMAE . SORORI
ET . PIITISSIMAE
MERITAE . FECIT
QVAM . OMNIS . ECCLESIA
DILIGEBAT

Citatur id apud Auctorem Inſcript. Sacroſanctae vetuſtatis. Praeterea, quemadmodum *Concio* nomen à *Concio* verbo manans, propriè ſignificat populi multitudinem conuocatam; translatè verò & orationem ad populum, & ſuggeſtum, vnde ipſa habetur oratio: Non abſimiliter vox *Eccleſia* propriè quidem eſt euocatio populi, coetus, ſeu concio ciuium, recepto Athenienſibus more, inquit Ammonius: translatè autem vſurpari de loco, quò populus euocatur, indicat Demoſthenes orat. pro coron., Οἱ μὲν, inquiens, πρυτάνεις τὴν βουλὴν ἐκάλουν εἰς τὸ βουλευτήριον: ὑμεῖς δ' εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἐπορεύεσθε. Cur enim altera ſolùm ſignificatione adhibeamus vocem è Graecia accerſitam, quae ibi vtramque obtinet? Conſentit Lucianus in Dial. Mercurij, & Maiae: & paſſim Sacrae literae, & modus loquendi à Valeriano Imp. retentus qui (vt Flauius Vopiſcus teſtis eſt) ad Senatum in haec verba reſcripſit: *Miror vos, Patres Sancti, tamdiu de aperiendis libris Sibyllinis dubitaſſe, perinde quaſi in Chriſtianorum Eccleſia, & non in Templo omnium Deorum tractaretis*. Vbi ſanè Eccleſia cum Templo confertur, tanquam locus cum loco. Ex his refellitur Valla lib. IV. Cap. XLVII. vbi habet: *Multique Eccleſiam, neſcio quo iure, Aedes ſacras appellant, cùm coetum hominum ſignificet, non loca*. Proinde non abhorrebit ab Latino Elogio vocabulum compoſitum *Eccleſiarcha* pro Praefecto Eccleſiae, niſi aliàs obſtet neceſſitas exprimendi propria appellatione genus ipſius Praefecturae. Porrò vſum eiuſce vocis in Sacris Inſcriptionibus inueteratum, pro coetu primùm Chriſtianorum probant exempla compluria. Et quidem ab Anno humanae reparationis DCXXXVIII. hoc eſt ab hinc milleſimo, & ampliùs extat Romanum Epigramma (citat Gruterus pag. MCLXIII. num. 5.) cuius initium: *LVX ARCANA*. Nonum autem Diſtichon eſt huiuſmodi:

SED . BONVS . ANTISTES . DVM . PLEBIS . HONORIVS . ARMIS
REDDIDIT . ECCLESIIS . MEMBRA . REVVLSA . PIIS .

Nec officit pinguedo Muſae illud ſeculum tenentis, quae in voce *Eccleſijs* antepenultimam ſyllabam contra natiuam quantitatem corripuerit: pòſt autem produxerit, foediùs peccans correptâ, primâ quae longa eſt poſitione duplicis c, in Epigrammate Vercellenſi ibidem citato pag. MCLXIX. num. 9. Cuius initium *PONTIFICIS . SANCTI*. Quartum verò & quintum Hexametrum eſt.

HVIC

HVIC . VENERANDA . TIBI . SVSCEPIT . ECCLESIA . PATREM
PERPETVO . CHRISTI . REFERENTEM . FLORE . CORONAM.

Sed & in vltima diphthongata offendit ſcopulum, ni Graecos induat clypeos Troianus miles in Romana epigrapha (citat Gruter. pag. MCLXXI. num. 16. cuius initium *LIBERIVM* . LECTOR.

MVLTOS . VT . NOBILES . AVSVS
REGI . SVBTRAHERET . ECCLESIAE . AVLA . DEFENDENS.

nam praeterquam quòd id totum hexametri monſtrum eſt, vltima in *Eccleſiae* non niſi Graeco more ob ſuſequentem diphthongum admittit correptionem.

Accedunt exempla rediuiuae Latinitatis hoc eſt labentis ſeculi Inſcriptiones duae fortè nobis oblatae ex patria. Ea erecto ad tempus Arcu in fronte Summi Templi Mediolani quondam ita legebantur: Altera quidem ad Reginam Hiſpaniarum in eius tranſitu, videlicet:

CCXXXV.

MARGARITAE . AVSTRIACAE
MAXIMAE . ET . RELIGIOSISS. REGINAE
AD . SPONSVM . PHILIPPVM . III . HISPANIARVM
REGEM . POTENTISSIMVM
PROFICISCENTI
FELIX . ITER . FAVSTASQ. NVPTIAS
SANCTA . MEDIOL . ECCLESIA
A . DEO . OPT . MAX . ENIXE . DEPRECANS
GRATVLABVNDA . EREXIT

Alteram ad Principem Card. Margaritae Filium, cùm ad regendam Prouinciam aduenisset.

CCXXXVI.

INGREDERE . MAGNE . PRINCEPS
CAESARVM . REGVMQ. SANGVIS
GLORIA . PVRPVRATORVM
INGREDERE . PER . VESTIGIA . ET
PAVIMENTA
QVAE . CAROLVS . ABAVVS . ET
PHILIPPVS . AVVS
CALCAVERE . CVM . HANC . EANDEM
IN . IVVENTA . ADIRENT
ILLI . IVVENEM . SVVM . SPEM
DOMVS . ALTERAM
MEMORIA . CONSILIORVM
OPERVMQ.
SIBI . PROXIMVM . ATTOLLENT.
ECCLESIA . MEDIOLANENSIS
VTI . PAREM . IAM
GRATVLABVNDA . VENERA
BVNDA . ACCIPIT
SIBIQ. PATRONVM
OPTAT

Iam altera *Eccleſiae* ſignificatione, nimirum pro loco, quò populus vocatus confluit, adeſt exemplum recentis Inſcriptionis Romanae, dignae erudito hoc ſeculo, dignae luce Orbis, cui nuper expoſita, videlicet:

INNOCENTIO

CCXXXVII.

INNOCENTIO . X . PONT . MAX
SPONSO . OPTATISSIMO . HAEC . SVA
SACROSANCTA . LATER . ECCLESIA
EX . HIS . PENE . SOLVTIS . MEMBRIS . COR . EXHIBET
RESTITVTOREM . SVVM . ACCEPTO
A . NOMINE . A . PATRIA . AB . INSIGNIBVS
OMINE . GRATVLATVR

Permotumquè inde putamus Innocentium ad huius Templi inſtaurationem tanto ſumptu, ac magnificentia, quanta hodie cernitur. Neque contemnendum anterius exemplum & quidem Romanum (citat Suueertius in Select. Delic.) Ex Templo Societatis Ieſu petitum, ante Aram Maximam, in has literas:

CCXXXVIII.

ALEXANDRI . FARNESII . CARDINALIS
S . R . E . VICECANCELL
EPISCOPI . OSTIENSIS
HVIVS . ECCLESIAE
FVNDATORIS

Vbi vox *Eccleſia* in vtrumque eſt ſenſum vſurpata; nimirum pro coetu, vbi collecta notis S. R. E.: & pro loco, vbi literis explicata. Porrò huius Inſcriptionis auctoritas tanta eſt (quippequae è ſacrario producta cultiſſimae eruditionis) vt facilè Cenſorem quemque ſuperſtitioſiſſimum euicerit, cui illa dumtaxat è Latio ſapiunt, Templum, Fanum, Delubrum: At vbi Baſilicam premit ſilentio, Graecam vocem Latinis probatam, & quae Farneſiani illius aedificij magnificentiae referendae magis congruit? Tametſi nec illas voces *Fanum*, ac *Delubrum* ad ſacroſancta Chriſtianorum loca tutò accommodauerit, ſi cenſuram animaduertet Caeſaris Baronij multò grauiſſimam, cuius in Annalib. to. II. ad Annum Chriſti LVII. haec ipſa ſunt verba: *Templum quoque ſaepius idem locus dictus: nequaquam verò à Maioribus Delubrum, vel Fanum, licet his vocibus recentiores nonnulli certè quidem impropriè, ne dicam improbè vſi ſint; quippequae magis Gentilium Templis conueniant: Nam & Patres noſtros ab ijs abſtinuiſſe certiſſimum eſt.* Cuius rei cauſam haud dubiè illam aſſequimur, quòd eae originem traxerint, aut traxiſſe vehementer ſuſpectae ſint ab ethnica impietate, Dijſque commentitijs; quae autem ſunt noſtrae religionis, ab omni labis ſuſpicione vèl leui abeſſe oportet. Conſule Grammaticos veteres de Vocibus *Delubri & Fani*.

DIVVS

Membrum V.

D*IVVS* de Sanctis hominibus Caelo receptis vtrùm dici poſſit, altercantes audimus Eruditos, eius vocabuli genuinam ſignificationem è Latinis veteribus exquirentes. Nobis quidem negotium nullum eſt de Graeca origine, quaecunque illa ſit, θᾶος, θιὸς, δῖος. Eſt enim vſus Latinorum attendendus, in quo nec Principes Grammaticorum conueniunt; Quippe ſunt, qui Diuos inter, & Deos hoc ponunt diſcrimen, vt illos perpetuos antiqui voluerint, hos poſt conſecrationem dumtaxat. Sunt contrà, qui hos perpetuos, illos ex hominibus factos. Fauet poſteriori placito Seruius (qui quidem Scholam tenet) praetereà conſuetudo vetus, & ipſa ab aureo Auguſti ſeculo, appellandi Diuos Caeſares defunctos, poſtquam tamen quibuſdam ſacris ritibus (quam dixere Apotheoſin) in numerum Deorum relati eſſent: Caeſares autem, vt dicebamus, defunctos, non omnes illos, ſed bonos tantùm, quos fama probitatis, & cumulus meritorũ in Rempublicam ſedibus Deorum illatos canebat, Diuino

uino

uino proinde in terris honore, ac cultu dignos. Ex his cenſi ſunt C. Iulius, Octauius Aug., Flau. Veſpaſianus, in quos bellè luſit Emanuel Theſaurus, Elogium tertij ſic orſus: *Flauius Veſpaſianus Caeſar, Tertius Diuus, Secundus Auguſtus, Primus Pius.* Quod ſi Auguſtus ab Horatio lib. III. Ode V. audit Diuus adhuc mortalis, hoc dicimus cum illa congruere licentia, qua ipſi Auguſto aſſentatrix impietas corruptiſſimi populi ſuperſtiti dicauerat Templa, Aras erexerat, Flamines conſtituerat. Caeterùm tam hominibus Caelo receptis, quàm Dijs ſuis Caeli indigenis attribui Diuorum nomen ab Ethnicis haud mirum eſt, cùm illos putarent horum iura ſimul cum ſedibus, ac domicilijs adijſſe. Nos itaque Seruij auctoritate, & veteris huiuſce conſuetudinis nixi non ambigimus titulum Diuorum Sanctis noſtris hominibus in caeleſte domicilium ritè translatis ex Latinitatis genuina ſignificatione deberi. Neque Voſſium (lib. I. de Vitijs ſerm. Cap. XXXII.) audimus qui primùm in Bellarmini Retractationibus ponit obtrectationis ſuae praeſidium: ſed Retractationes Bellarmini nuſquam vidimus, nec virum paris religionis atque doctrinae credimus refragatum exemplis luculentiſſimis (mox citandis) praeſertim Inſcripti marmoris in ipſa Vrbe Vrbium Roma, ipſius Pontificis Maximi nomine, in ipſa Principe Aedium Diui Petri Vaticana: alterius item marmoris Neapoli, Pontano literatiſſimo illo, religioſiſſimoque Auctore. Deinde quem Voſſius allegat, Ioannes Fileſacus Theologus Pariſienſis non plus ſapit, quàm vnus ex familia Grammaticorum, quos inter non immeritò primas dat Seruio conſenſus meliorum: noſque eidem Seruio non poſſumus non adhaerere. Iam placet ſummos ſcriptores in medium afferre, qui Latinitatis fontes propiùs hauſerunt, Primumquè Paulum Iouium Elogio de S. Thoma ſic loquentem: *Diui Thomae Aquinatis haec erat facies*: & ſub illius extremum: *Ioannes Romanus Pontifex ex Senatus conſulto non dubitauit, quin eum ſolemni cerimonia inter Diuos referret.* Idem in deſcript. Larij lacus: *In medio ſinu duo Templa, quae inter ſe paucis ſtadijs diſtant, faſtigiatis eleganter ſacris turribus conſpicua, Vito, & Martino DIVIS dicata.* Ita loquitur diligentiſſimus Latini ſermonis inueſtigator Marius Conradus de Cop. Lat. Serm. lib. V. *Quibus tamen nos vel vnum Deum fabricatorem Vniuerſi, vel noſtros Heroas, noſtros Diuos &c. nominare poſſumus.* Tacemus Inſcriptiones multas optimi ſcalpri, complures apud Suueertium in Select. Delic. E quibus ſeligimus Romanam, quam ſuprà polliciti fuimus: cum hoc titulo: *Aedium ſacrarum Inſcriptiones In S. Petro in Vaticano.*

CCXXXIX

IVLIVS . II . PONT . MAX . AEDEM . DIVO . PETRO . DICATAM
VETVSTATE . COLLABENTEM . IN . DIGNIOREM . AMPLIOREMQ.
FORMAM . VT . ERIGAT . FVNDAMENTA . IECIT . ANNO . CHRISTI
M. D. VIII. VETEREM . CONSTANTINVS . IMP. AEDIFICAVIT

Illam quoque aliquot antè annis expoſitam Neapoli in S. Mariae Maioris ante Sacellum à Pontano extructum, videlicet

CCXL.

DIVAE . MARIAE . DEI . MATRI . AC . DIVO . IOANNI . EVANGELISTAE
SACR. IOANNES . IOVIANVS . PONTANVS . DEDIC. MCCCCXCII.

Quantus autem Scriptor hic habendus, & quo loco inter recentes Latinorum, conſule Gerardũ Io. Voſſium de Hiſtor. Lat. lib. III. qui illud citat Elogiũ Sebaſtiani Foxij lib. I. de Imitatione, ſiue ratione ſtyli, dicentis: *Lactantium, & Iouianum Pontanum ego maximè Ciceronianos puto.*

Ita verò tuemur vocem Diui, vt alias quoque vſitatas velut optimas, nec à Latinitate alienas, & vt temerè apud Longolium audit, barbaras, admittamus: dicamuſque D. S. B. Ignatium Loyolam, hoc eſt *Diuum, Sanctum, Beatum.* Idipſum de foeminis Chriſtiano ritu conſecratis D. S. B. Tereſiam Virginem; iuſtiùs ſanè, quàm Romani ethnici inſcripſerint Templum in foro Boario Romae (hodie Diuo Laurentio conciliatum) videlicet

DIVO

CCLXI.

DIVO . ANTONINO . ET
DIVAE . FAVSTINAE . EX . S . C

Numiſmataque ſua cuderint de Iulia (è quibus profertur aeneum à Sebaſtiano Erizzio) atque in aduerſa parte caput ipſius Liuiae velatum cum inditis circùm literis DIVA . IVLIA . AVGVST. Velum autem in capite foeminae ex veterum inſtituto index erat , relatam illam in coetum Dearum . Concinebatque in auerſa parte titulus CONSECRATIO , & effigies pauonis caudam in orbem pandentis : quippe vox *Conſecratio* eadem eſt cum Graeca *Apotheoſis* ; & Pauo Deae Iunoni ſacer , vt Aquila Ioui , communicatam cum Liuia defuncta Diuinitatem declarat .

Nec ſolùm Diuos appellare Latinè homines licet, ſed (niſi arrogantes , ac nouatores notari formidaremus) etiam Dios dicere, linguae proprietate ſeruata : quamquam vſu ipſo minimè audendum ſit,niſi Regis ſacrorum decretum,aut conſenſus accedat . Quid enim eſt *Dius*,praeterquàm *Diuus* interpoſito Digamma Aeolico ? Ita in alijs eſſe factum ſuadet cum multis illud praeſertim Virgilij Aeneid. XI.

Italides , quas ipſa decus ſibi DIA Camilla
Delegit .

interpretante quidem Seruio *Camilla Dia* pro generoſa ἀπὸ τοῦ Διὸς , i. e. nata Ioue Optimo Maximo ; Donato autem aliter, ſcilicet *Camilla Dea habita* apud ſocias ſuas , quod proximè ad Dianae animum accedebat: Fauente verò interprete vtroque Chriſtiano ſenſui. Quādoquidem canitur in Sacris Odis, & Chriſtus Dominus locum citat : *Ego dixi Dij eſtis,& filij excelſi omnes.* Pſal.LXXXI. En vtrumque datum Sanctis hominibus, & Genus Diuinum, & communicatio Diuinitatis eo planè ſenſu , quo Diuus Petrus *Vt efficiamini* dixit *Diuinae conſortes naturae* : & D. Ioannes in Epiſt. *Nunc filij Dei ſumus , & nondum apparuit, quid erimus: ſcimus , quod, cùm apparuerit , ſimiles ei erimus .* Verumtamen ne Deorum appellatio ſimpliciter vſurpetur , efficere debet non ea tantùm ratio, quòd in re tanti momenti , inconſulto oraculo Romanae Sedis audendum non ſit ; neque tentanda nouitas , quae ſemper in Chriſtiana Republica turbas exciuit , diſſidia miſcuit : ſed quod in illo Pſalmi, ſimilibuſque locis id loquendi genus (ſi bene aduertamus) haud citra exaggerationem eſt ; figuratum proinde , neque niſi in affectibus vſurpandum . In communi autem locutione ſi quis homines in Caelo Beatos vèl Chriſtiano ſenſu , nominet ſimpliciter Deos , nonnè cum Ethnicis conſentire videbitur ? Obſeruandus maximè eſt Q. Marius Conradus , in eiuſque ſententiam pedibus ire oportet hominem Chriſtianum, qui lib. V. de Copia Lat. Serm. ſic habet : *Nec illa ratione vtor , qua olim Sadoletus è Collegio ſummorum Antiſtitum* (Cardinalem innuit) *vir pietate, & doctrina ſingulari . Is in eo libro certè aureolo , quem de liberis educandis fecit , conſuetudinem ſe, & proprias Romanae linguae figuras ſequi ſcripſit , vt non valde reprehendendum putaret , alia quaedam ; & Deos etiam immortales , quoties accidiſſet , nominare . Sequebar* (ſubdit Conradus) *& ipſe quodam tempore ſummi viri auctoritatem , & iudicium . Nunc verò nihil poſtulo, vt mihi concedatur , & Romanae linguae formas , quae profectò flecti , quò volumus , vix poſſunt , cedere tamen cupio hìc ſummae tantùm religioni .* Sadoletum ſectatos nonnullos Scriptores exquiſitae Latinitatis hoc loco notare in animo fuit nobis , vt illi Conradum refugam praeferamus ; hoc eſt characteris nitori ſanctitudinem religionis . Arguunt intereà nonnulli de Voce *Dius*,quod iam in vſum inuectā à Franciſco Pola I. C. & Elogiaſte , nos tutò admittere poſſimus . Sic enim ille inſcripſit Cremonae , praeſertim in Viridario Clericorum Reg. Teatin.

CCXLII.

DIAE . MARIAE
QVAE . MATER . QVAE . VIRGO
SACRATI . NVNC . HI . SVNT
LAPIDES
IN . HOC . ALTARI . SVB . DIO
EXTRVCTO
QVI . OLIM . FVERANT
SEPVLCRALIB . PROFANATI
MOLIBVS
M D C X I I I

Caeterùm audacior videtur nobis Pola , & cum periculo Religionis antiquitati ſtudere . Imò nec Dios audemus , & Deos ita refugimus appellare homines Beatos , vt hac de cauſa neque honores illis debitos dici Diuinos patiamur : quidquid aliter à Voce *Diuus* deriuatio ſuadeat . quippe Deo quoque debiti, non ampliùs quàm

Diui ni ſeruntur. Itaque ne rem ſuo carere vocabul o patiamur, à Spartiano diſcemus honores *Diuales*, hoc eſt debitos hominibus Diuorum coetui adſcriptis. Sic enim is in Caracalla: *Qui Fauſtinae Templum, & Diuale nomen eripuit*: Meminerimus autem ſuperioris Templi Inſcriptionis *Diuae Fauſtinae*. Erit ergo honor Diuinus vni Deo delatus, Diualis omnibus Diuis. Neque eſt, cur nos male mereri quiſquam putet de Latinitate, quaſi è ſeculo ferreo auctoritatem, exemplaque petamus. Quid enim? Ad exitũ ferè Hadriani productã aetatem aeneam; ideſt ad annum Orbis ſeruati CXL.cõcedamus: Caracallam verò obijſſe anno CCXIX. Ferream igitur in Spartiano eiuſce temporis ſcriptore Latinitatem fatendam eſſe. Fateamur. An verò nulla non vox in totis illius ſcriptis barbara? Latina, & ex bono ſeculo ſeruata omnino nulla? veſtigium Romani ſermonis nullum? Hoc quis adeò demens affirmet? Dictio ſit licet corrupta, vocabula ſint multa ex barbarie intruſa, expunctis patrijs; Annè expuncta vniuerſa? Id ſi quidem, iam non illè Latinus ſermo vitiatus ferretur; ſed ex marcido,& iam cadauere nouus enatus. Latinum itaque dices illo ſeculo extitiſſe, quia ex Latino plura adhuc retineret: atque inter ea fortaſſe vocabulum *Diualis* agnoſces. Quid? quaſi in illis, quae reliquae ſunt ex veterum boni ſeculi ſcriptis, voces omnino omnes in vſu communi tunc poſitas reperiri ſit ſuperſtites, cum liqueat bonam partem deſiderari, ne meliorem dicamus: facile vt potuerint Scriptores poſteriorum temporum, tametſi dominante barbarie, ſtudio tamen ſuo, & lectione meliorum, quorum aurea monumenta nondum deleto Romanorum imperio integra ſeruabantur, emendata vulgari locutione florem antiquae in multis colligere. Quae nobis opinio eò videtur ſimilior vero in propoſita ex Spartiano voce, quòd tùm origine, tùm inclinamento Latinam nemo inficiabitur. Praeſertim quia inter Deum, ac Diuum è quorundam eruditorum, quos ſuprà audiuimus, ſenſu non parum interſit: ex quo neceſſe fuit, ſicut à Deo Diuinus dicitur, ita à Diuo non niſi Diualis, quemadmodum ab Aruo Arualis, à Riuo Riualis, ab Aequo Aequalis. Quae cùm ita ſint, Hominem in Diuos ritu Chriſtiano relatum dicam ſynonymicòs Diuales honores ritè adeptum, Caeleſtes honores meritum, nunquam verò Diuinos.

Accipe interim ab Antiſtite literarum noſtri temporis Octauio Ferrario Elogium in hominem recèns conſecratum:

CCXLIII.

Terris commodata, Caelo recepta
ANDREAE . CORSINI . MENS
Humanum emendat genus. Diuorum numerum auget
Fortunae faſtum abdicat, opeſq. & genus
Quae prima Mortales putant.
Mox in ſe recedens ſe ipſe vincit & domat
Iamque ſui maior vno minor eſt Deo:
Peſtes inde malaque fugans & lucem functis reddens
Proximè accedit ad Deum
Velatus infulis
Populis exemplum & ſalus praeſens
Diuus habetur.
Tandem maturè Deo redditus
Locum mutat non animum
Vota quotidie fiunt. Beneficio ſtat fides.
O diu Imperium hoc fortunet, ſoſpitet domum
Diuque Mortales votis
Alliget.

De

De Voce *Sanctus*, & vſu citat Panuinius vetere memoriam, quam legi Bergomi, teſtatur Gruterus pag. XIX. num. 3. cuius initium: IOVI. CONSERVATORI. ET. IVNONI SANCTAE. SACRVM. Idem Gruterus pag. LXX. num. 4. Romanam

CCXLIV.

AESCVLAPIO. SANCTO
L. IVNIVS. AGATHOPVS. ET. TERENTIA. RVFI
NA. GRATIAS. AGENTES. NVMINI. TVO. D. D

Nec ſemper appoſitam putes hanc vocem, quia & praeponi probat Gruterus pag. LXV. num. 8. in marmore Romano, videlicet:

CCXLV.

SANCTO. SILVANO
NINNIVS. PHILETVS
IN. PRAEDIO. SVO
DONVM. POSVIT

Numero quoque 9. idem exhibet. Cauendum verò eſt, ne *Sanctus* appoſitiuum nomen cum proprio *Sanctes* miſceatur, aut pro Sanctes vſurpetur Sanctus: quod eſt mendum Inſcriptionis Mediolanenſis in Diuae Euphemiae, citatae in Zodiaco Puccinelli

CCXLVI.

V. ✠ F

Magnificus Eques Aureatus, & Regius Quaeſtor D. ⋆ Sanctus Braſcha, Sacrum hoc ſub omnium Sanctorum titulo ſibi, & poſteris ſuis condidit Anno Sal. MDII

Altera de Voce *Beatus* Diuis tributa, ſin minus exempla marmorum, librorum certè veterum boni ſeculi extant argumenta, quibus tantò iuſtiùs de illis prae hominibus mortalibus praedicari beatitas comprobatur, quantò ſolidiora ſunt, quibus illi beante Deo cumulantur, vndique congeſta bona. Sanè Mecoenatem compellans Lyricus vates (Epodo IX.) *Beate Mecoenas* inquit: Et èadem formula erga Diuos minùs Latina habebitur? Sed quis ignoret, primae antiquitatis mortales nomen mortis horreſcentes monumentis nunquam ſuis inſcribere ſolitos fuiſſe *Obijt*, aut *Mortuus eſt*, ſed ſemper *Vixit*, aut *Beatus eſt*, aut *Fuit*, vt indicat ex parte Formula euocans ad funus: *L. Titius Vixit. L. Titio exſequias. Ire quoi commodum eſt, tempus eſt. Olus iam ecfertur.* Itaque Beati praefixus titulus à vetere conſuetudine non abhorret.

MARTYR

Membrum VI.

MARTYR Graecè, Latinis eſt Teſtis. Chriſti autem Martyr non incongruè dictus, qui ſuo ſanguine teſtimonium Diuinitatis fecerit Chriſto Domino. Cuius vocis peregrinitatem Orbis Romanus libenter excepit, ab exordio nimirum Chriſtianae rei, vt indicat locus Apocalypſeos Diui Ioannis Cap. XVII. num. 6. *Et vidi mulierem ebriam de ſanguine Sanctorum, & ſanguine Martyrum Ieſu.* Et quidem ex Graeco placuit rem nominare, ſiue quia Apoſtolorum, quos Eccleſia Patres & Magiſtros ſortita eſt, vèl ipſas loquendi formulas religioſiſſimè tenuit: ſiue vt periculum diuinae virtutis in homine inſtar myſterij caeleſtis illo quaſi velo exotici vocabuli obtegeret ad venerationem: ſiue denique quia res noua nomen nouum in Latio requirebat: quid enim ibi nouum magis, & inauditum, quàm vt teſtandae in Chriſto maieſtati Diuinitatis, cui rumor ſupplicij Crucis fidem intercipiebat omnem, tam multi mortalium cuiuſque conditionis, ac ſexus res ſuas omnes, fortunas, libertatem, capita certatim deuouerent, non propoſiti dedecoris, non ſeruitutis, non cruciatuum exquiſitiſſimorum habita ratione? Non negamus circumſcribi Latinè poſſe ſignificatum *Martyris* (neque enim ſimpliciter *Teſtis* ſuffecerit, quia ſanguinis non indicat interuentum) ſed primùm

vbi breuitas exigitur, circumſcriptioni locus non eſt, vt euenit in Elogijs hiſtoricis,& preſſis: Deinde vt monet Iacobus Pontanus (Annot. poſt Indicem Partis II. Volum. III.) familiariùs ſonat piorum auribus hocce Graecum vocabulum, ſicut multa alia Graeca, quibus pro Latinis vtimur; Et quidem Princeps ipſe Latinae eloquentiae in Orat. praecipit, *Voluptati aurium morigerari debere orationem*. Porrò vſum huius vocis peruetuſtum in marmoribus prodit Epitaphium Romanum ad Diui Martini in Carinis: eius Auctor Diuus Damaſus Summus Pont. qui ad annum Chriſti CCCLX. floruit: Videlicet

CCXLVII.

MARTYRIS . HIC . TVMVLVS . MAGNO . SVB . VERTICE . MONTIS
GORGONIVM . RETINET . SERVAT . QVI . ALTARIA . CHRISTI
HIC . QVICVNQVE . VENIS . SANCTORVM . LIMINA . QVAERENS
INVENIES . VICINA . IN . SEDE . HABITARE . BEATOS
AD . CAELVM . PARITER . PIETAS . QVOS . VEXIT . OVANTES
DAMASI . EPISCOPI

Elegantiam quoque eiuſdem vocis ratam habes ex Inſcriptione Placentina, nec ea inelegante, quam citat Suueertius in Select. Chriſt. Orb. Delicijs:

CCXLVIII.

DIVI . SIXTI . II . PONTIF . ET . MARTYRIS . QVOD
MORTALE . FVIT . OB . CHRISTI FIDEM . GLADIO
DECIVS . CAES . EXTINXIT . LVDOVICVS . II . IMP
ROMANOR . HVC . TRANSTVLIT . PAVLVS . DE . ARETIO
CARD . EPISCOP . PLACENTINVS . ET . CAESARIVS . ABBAS
NOVISSIME . AMPLIATO . TEMPLO . HIC . REPOSVERVNT
OCTAVIO . FARNESIO . ET . ALEXANDRO . F . DVCIBVS
MAXIMA . POPVLI . FREQVENTIA . AC . PIETATE
MDLXXVI . VI . ID . APRIL

Aloyſius Nouarinus Panegyricum quoque Elogium de Beato Caietano ſuo ita claudit: *Tandem Amoris victima factus litatur Amori. Iure audit Inſignis Charitatis Martyr inſignis.* Hanc etiam vſurpat vocem Io. Bapt. Egnatius Venetus de Caeſaribus ſub titulo Decij; quem quidem Scriptorem vocat Voſſius (lib. III. de Hiſtor. Lat.) *bonarum literarum profeſſorem*. Item Turſellinus Epito. lib. IV. tit. *Diocletianus*. Ex qua manauit è Graeco tota compoſita vox *Protomartyr*, non minùs Latinè probanda ijſdem, quibus ſimplex, de cauſis, quod praeſtat Emanuel Theſaurus in Patriarchis, Elogio de Eleazaro, cui titulum praefigit *ELEAZAR PROTOMARTYR. Ex Leui*.

MISSA

Membrum VII.

M*ISSA* de Chriſtianorum ſacrificio, vox Latinis boni ſeculi inaudita, ſed non minus res ſignificata: quippe à Chriſto Deo auctore cùm primum ediceretur (Io. Cap. VI. num. 61. & ſeq.) dura auditu viſa vèl auditoribus eius domeſticis, & alumnis. Praeceptis tamen Ciceronianis firmatur legitimus vocis eiuſce vſus pro Re Diuina apud Chriſtianos; quae quidem ab ſacrificijs Ethnicorum tam multis partibus diſcrepat, neque ſanctitate ſolùm, ſed modo quoque, & re (id quod apud Theologos ediſcere eſt) vt proinde Latinorum illa appellatio generica non ſatis explicet, nimirum *Hoſtia*, *Sacrum*, *Sacrificium*, *Res ſacra*, *Res Diuina*, & recepta Latinis Graeca *Myſterium*, niſi Epitheton aliquod, aut continuatio verborum expreſſerit Chriſtianorum eſſe: quod in Epigraphis breuitate preſſis perquàm aegrè praeſtatur

præſtatur. Neque Graeca illa nomina tametſi propria ſupplenerint *Liturgia*; *Hierurgia*; *Thuſia*, Latio quippe inſolentia. Verùm nouata cùm ſit vox *Miſſa*, idque legitimè, quia & rei nouae; aliunde quoque defenditur iuris Latini, ſi nimirum metonymicè vſurpetur; ex eo, quòd vbi hoc tēpore ſemel dumtaxat fit Miſſus (ideſt dimittitur) coetus piorum peracto iam ſacro, & Euchariſtiae celebratione, cùm Diaconi voce pronuntiatur *Ite, Miſſa eſt*: temporibus quidem naſcentis Eccleſiae altera fiebat Miſſio, & ipſa per Diaconum, abſolutis lectionibus ſacris, per quam excedere iubebantur Catechumeni, Energumeni, alijque minimè initiati. Quod aliàs & Graecis fuiſſe in more teſtatur Plutarchus, vt finita concione clamaret praeco λαῶν ἄφεσις, hoc eſt *Populorum dimiſſio*; & Romanorum in iudicijs dimittebantur iudices praecone nuntiante *Ilicet*, quaſi *Ire licet*. His ergo nixus argumentis non dubitabit Elogiaſtes vocem Miſſae vſurpare, Alciatum ſecutus (tom. II. Lucubrat. in ius Ciuile) qui initio orationis Ticini habitae ſic fatur: *Quod pridie initiorum in ipſis Sacrae Miſſae auſpicijs copioſè hoc praeſtari ſoleat* &c.

Appoſitio autem permittet vti Latinis vocibus genericis: Appoſitio quidem, ſiue praecedentis alterius vocis, quae rem definiat; ſiue loci, vbi expoſita Inſcriptio, ſiue aliàs. Prioris modi extat exemplum Veronae in Diuae Caeciliae, Franciſco Pola Auctore, videlicet:

CCXLIX.

PAVLI . BELLII . FLAMINEI
VOTIS
ANNVANT . FELICITER
DIVVS . PAVLLVS . DIVVS . FRANCISCVS
QVORVM . NVMINIBVS
HANC . ILLE . ARAM . HODIE . DAT . DEDICATQVE
VTI . SINT . VOLENTES . PROPITII
SIBI . VIVO . MORTVO
ET . SVIS
ET
HVIC . ARAE . HAECE . LEGES . PALAM . DICTAE
SACRA . HOSTIA
SINGVLIS . HEBDOMADIS . IMMOLATOR
AD . MANES . BELLII . SVORVMQVE . EXPIANDOS
ICCIRCO
QVISQVIS . TEMPLO . HVIC . RITE . PRAEFVERIT
QVOTANNIS . DVODENOS . DVCATOS . HABETO
HAC . PRAESTATIONE . PERPETVA
AEDES . EIVS . ONERATAE . SVNTO
DED. QVINCT. KAL. IVN. MDIC

En vt praefando Diuos Paulum & Franciſcum, ſacram Hoſtiam Chriſtianorum conſequenter ſibi vult. Eundem in modum alibi marmor inchoans *Maria Virgo*, *Franciſce Seraphice*: ſubiungit *Rem ſacram patrent*: Alibi: *Tibi Altare hoc lectiſſime Paule*: mox: *Hoſtia ſacrum faxito verenda*.

Loci quoque conditione contrahitur nomen generis ad ſpeciem: vt in dedicatoria epigrapha Statuae Vgonis in medio atrio Coenobij Benedictinorum Florentiae, Seraphino Caſolanio ex eadem ſacra familia Auctore, videlicet:

CCL

VGONI
ETRVRIAE . CAMERTVM
SPOLETANORVMQVE
DVCI . ET . MARCHIONI
ALBERTI . MARCH . FIL
VGONIS . ITAL . REGIS
NEPOTI
ABBATIA . FLORENT
MAGNIFICENTISS
PIENTISSIMOQVE . FVND
D.C.XVI. A . MORTE . ANNO
STAT. EREX
POST . HONORARIVM . MONVMENTVM
POST . SOLEMNIA . ANNIVERSARIAE
LAVDATIONIS . PARENTATIONISQ
POST . QVOTIDIANAS . INFERIAS
GRATI . ANIMI
EPIDOSIS
A . D . M . D . C . XVII

Scilicet hic locus, vbi intraueris, Chriſtianae religionis ſpirantiſſimus, vbi ſurgentis ſtatuae marmoreae baſim legeris, haud obſcurè tibi illa interpretatur *quotidianas inferias* pro Miſſis, quas Monachi ibi celebrant pro Vgone defuncto: vt etiam *ſolemnia anniuerſariae laudationis, parentationiſque* pro officio (vt vulgò) anniuerſario cum Miſſa de Requiem, cui ſubditur Panegyrica oratio per ſelectos è flore patriciorum Academicos. Placet hic proferre, quod Piſis in Diui Frigdiani Ordinis noſtri legitur in praegrandi marmore. Extat poſt Aram maximam in Odeo (quod barbarè Chorum dicunt) vbi Pſalmodia fit: Auctore Io. Ambroſio Mazenta eiuſdem ordinis principe.

CCLI.

CLERICI . REG . S . PAVLI
SIBI . ET . CANDIDIORIB . AMICIS
HIC . IN . XPO . CONSEPVLTIS
VT . PSALLENTIVM . ET
SACRA . FACIENTIVM
MEMORIA . TENEANTVR
ANNO . CIↃ . IↃ . C

Hic profectò & Ordinis ſacri in Chriſtiana Eccleſia, & ipſius nominis Chriſti praecurrens mentio, quae iſta ſint Sacra, planum facit. Eſt item obſeruatu non indigna memoria Mediolanenſis in Baſilica Diui Nazarij, videlicet:

CCLII.

H . S . E * hic ſitus eſt
IO . IACOBVS . GARZINIVS
P . PAVLI . F . QVI . LEGATA . PAR
TE . FORTVNARVM . PLVRIBVS
TEMPLIS . COENOBIIS . CONIVNCTIS
AMICIS . ET . DOMESTICIS . HOSPITA * Pro *Hoſpitale* repono
LE . MAXIMVM . ET . PIVM . L . S . CO Noſodochium
RONAE . HEREDES . FECIT . EA . LEGE * *locum ſanctae*.
VT . AD . HANC . ARAM . SODALIVM . S . COR
PORIS . CHRISTI . SACRVM . MISSAE
QVOTIDIE . PERAGENDVM . PERPETVO
CVRENT . ANNVA . STIPE . IN . EAM
REM . ADSIGNATA . HEREDES . ARBI
TRATV . SODALIVM . SS . EX . TESTAM
MEM . POSS . PRID . ID . DECEMB
M D C X X X V I I

Cui attexe Mediolanenſe Epitaphium in D. Franciſci, citatum à Puccinello in ſuo Zodiaco

CCLIII.

IO . ANTONIVS . FERRARIVS . VIVENS . CELLAM . CVM . ARA
CHRISTO . AEDIFICAVIT . VTQ. HIC . RES . DIVINA . QVOTIDIE
FIERET . ANNVAM . MERCEDEM . CONSTITVIT . MAIORVM
SEPVLCRVM . AMPLIAVIT . SIBI . ET . IVLIAE . FLORENTIAE
VXORI . CASTISS . POSTERISQ. SVIS . ET . GENTI . FERRARIORVM
VNIVERSAE . QVAESTVRAM . VRBANAM . ABSTINENTISSIME
GESSIT . FRANCISCO . II . DVCE . ET . CAROLO . V . IMP
VIXIT . ANN . LVIII . AN . MDIII . LIBERI . SEX . PATRI . OPT . P

Erit in rem noſtram inſpectio recentis marmoris, in Vico Caſorato, agri Mediolanenſis, vt quae purè, quaequè impurè dictata, obſeruentur. Eſt autem huiuſmodi

D. O. M

CCLIV.

D . O . M
BERNARDVS . BELLONVS . PROTONOT. APOSTOLICVS
MVLTOS . PER . ANNOS . ANIMARVM . RECTOR
MVLTOS . AMBROSIANAE . MEDIOLANI . BASILICAE . CANONICVS
DE . HAC . SVA . CASORATI . PATRIA . IN . SPEM . CAELESTIS
QVAM . OPTIME . MERITVS
HIC . QVIESCIT
PRAE . MVLTIS . ALIIS . MAGNI . MOMENTI . LEGATIS
AERE . SVO . CONSTRVXIT . ORNAVITQ. HOC . SACELLVM
BINA . SACERDOTIA
PRO . BINIS . QVOTIDIE . SACRIS . HIC . CELEBRANDIS
INSTITVIT . SPLENDIDAQ. STIPE . AC . SVPELLECTILE . DECORAVIT
TRES . CVM . SVIS . PRAEBENDIS . ADIECIT . CANONICATVS
GENTIQ. SVAE . IVS . EORVM . ADDIXIT
PRAEPOSITO . TOTIQ. COLLEGIO . HEREDI . SVO
PRO . DIVINIS . QVOTIDIE . OFFICIIS . RITE . CONCELEBRANDIS
MISSAQ. CAPITVLARI . SIBI . APPLICANDA
CIRCITER . LIBRAS . IMPERIALES . TER . MILLE
PAVPERIBVS . MILLE
QVOTANNIS . E . SVARVM . FACVLTATVM . REDDITIBVS
DISTRIBVENDAS . LEGAVIT . TESTAMENTO
PER . ANTONIVM . BESTETVM . PVB. MEDIOL. NOT. RECEPTO
AN. SAL. MDCL. VI. ID. AVG
ANNO . POSTERO . AETATIS . SVAE . LXXIX. OBIIT
XVI. KAL. SEPTEMB
TESTAMENTI . CVRATORES . AD . PERPETVAM . MEMORIAM
P. P. P

Hic enim Latinè quaedam, quaedam barbarè ſcripta. Latinè prae alijs haec: *Bina Sacerdotia* pro *Cappellanias*: *Binis Sacris* pro *Miſſis*: *ſtipe* pro *eleemoſyna*: *Praebendis* non vti vulgò declinatum *praebenda, dae*, ſed numero pluratiuo *praebenda, orum*: *Collegio* pro *Capitulo*, vt loquitur vulgus; quam vulgi barbariem colligat ſequens locutio *Miſſaque Capitulari ſibi applicanda*; nam vt *Capitulum* barbarè pro Collegio, ita quae inde eiuſdem ſignificationis deriuatur *Capitularis*, pro qua non improbanda vox noua *Conuentualis*, vulgò etiam vſurpata, ſed per analogiam ducta à Conuentu, ſicut à *Cenſu* *Cenſualis* apud veteres Iuriſconſultos: aut certè cur damnetur *Miſſa Collegij*, & *Miſſi Conuentus*? ſiquidem ea eſt, ad quam celebrandam Canonici vniuerſi, ſeu Collegium totum conuenit; tandem durius dicitur *Miſſa ſibi applicanda*, propriè enim *pro ſe facienda*, vel *offerenda*; caeterum fas erit dicere *Sacrum quotidianum*, *hebdomadarium*, *menſtruum*, *anniuerſarium*, *perpetuum* pro Miſſa quotidiana &c. Et *ſacrum funebre quotidianum*, *hebdomadarium*, *anniuerſarium* pro Miſſa de Requiem quotidiana &c. Et *anniuerſarias inferias* pro Anniuerſario defunctorum.

P V R G A T O R I V M

Membrum VIII.

PVRGATORII locum irriſerint Sectarij, ſordibus quippe Tartari inexpiandis deuoti. Vocabulum certè quidem arriſerit Latinis, non quia priſcum, imò verò nouatum, de re tamen prorſus noua cognitioni quorumcunque mortalium, nedum Latinorum, quùm primùm Doctore Chriſto Deo tradita eſt per Patres Eccleſiae: meruitque Latinitatem ex analogia. Nam ſi ex ſupino *Amatu* trahitur *Amatorium*, ex *Adiutu Adiutorium*, ex *Repoſitu Repoſitorium*, ex *Conditu Conditorium*, cur non etiam ex *Purgatu Purgatorium*?

Vſurparunt hanc vocem ſimul, & hoc fidei caput tutati ſunt ſtrenuè medij ſeculi Doctores

Sanctiſſimi

Sanctiſſimi Thomas, Bonauentura, Bernardus, Beda: ſed & ſuperioris, ac priſci Hieronymus, Gregorius, & Rhetoricae artis inter Chriſtianos facile Princeps Auguſtinus, cuius eſt (vt citat Diuus Tho. in 4. diſt. 21. quaeſt. 1. art. 1.) illud celebre dictum: *Ille ignis Purgatorij durior erit, quàm quidquid in hoc ſeculo poenarum, aut ſentire, aut videre, aut cogitare quis poteſt.* Scio, D. Auguſtinum aliàs etiam efferre *Ignem purgationis, Ignem purgatorium, Purgatoria tormenta, Purgatorias poenas, Temporarias poſt mortem poenas*: quibuſcùm O Vtinam Sectarij aeternas & vltrices, quae ipſos manent, commutent; quando vèl ijs, qui ad veritatem catholicam conuertunt ſeſe, & vitam Diuinae gratiae nanciſcuntur, *non tamen* (vt cum eodem D. Auguſtino loquar, *De Vera & Falſa Poenit.*) *non tamen* dico *promittitur, quod euadant omnem poenam: Nam priùs purgandi ſunt Igne Purgationis, qui in aliud ſeculum diſtulerunt fructum conuerſionis.* Aliter etiam per Periphraſim, vbi dabitur, vſurpabit Elogiaſta *Poenas purgantes, Flammas purgatrices, Ignem luſtralem, Luſtrales flammas, Purgatorios ardores, Temporalem Erebum*, & huiuſmodi. Magnificè ad veterem Latinitatem P. Iouius Hiſtor. lib. I. de Carolo Rege Galliae Ludouici XI. defuncti filio: *Vt adoleſcentis Regis animo religionem incuterent, conteſtando ſcilicet, eum impiè ſacturum, niſi Manes Patris apud Tartara cruciatos eo atroci piaculo exolueret: quoniam morientis Ludouici ſuprema voluntas excepta pijs alloquijs fuiſſet, vt Perpennianum tanquam malè partum veteri Domino redderetur.* Eſt item Lepidus in hoc argumento Iuglaris, Elogio de Chriſto ad Inferos deſcendente, cuius quidem intelligentia cogit bonam Elogij partem referri; Videlicet: *Auaritia charitatis tuae Terram ipſam quoque ſolicitat: Et aureas Mentes Illi ab imis vſque viſceribus eruit. Foetas fodinis huiuſmodi tenebras Toto immiſſo Sole ſcrutans. Inde ille abeſt à Caelo, Quia ille etiam tecum eſt. Credidere Sidera Caelum, Vbicunque tu fores, Te in Erebum vſque ſequuta, Quia ibi quoque aderas, Loci non agnouere diſcrimen.* Et pòſt paulò: *Cùm in domo Patris tui manſiones multae ſint, pauci Ciues, Corradis vèl ab Inferno coloniam, quam illuc rediturus deducas* (vbi nos libentiùs pro Inferno legeremus *Inferis*) & paulò pòſt: *Vt tuam caperet Animam, ſuam dilatauit infernus* (hic autem benè, nam alluditur ad Iſaiae locum cap. V. num. 14.) *Vt ex violentia fractus ſit, Nequieritque ſuos vltrà retinere captiuos: Inuidit Empyreum oppoſiti ſibi ſpecus Fortunae, In omnem doloris ſenſum erupit, Quod & Erebus dici ſedes Dei, iam poſſet.*

Accipe, Lector, expoſitas nuper in vrbe Senarum Inſcriptiones apud Patres Carmelitanae familiae, cùm frequentiâ ciuium maximâ apparatiſſimè celebrarentur parentalia Defunctis omnibus communia; & ea aere, quod ex publico erat collatum peragendis ludis pro inaugurato ALEXANDRO. VII. Pont. Max. patricio Senenſi, conuerſo ad ſacras inferias ipſius nutu Pontificis, qui etiam pietati Ciuium fauens, è Sacroſanctis Eccleſiae theſauris Veniam ampliſſimam criminum (vulgò minùs Latinè Indulgentiam plenariam) elargitus eſt cuique illò confluenti Chriſtianorum, ſacraque Poenitentia luſtrato, & Euchariſtia refecto. Haec nos ſumus praefati ad intelligentiam Inſcriptionum, quae ad valuas duae pendebant in tabulis, videlicet. Prior:

CCLV.

ALEXANDRO · VII · PONT · OPT · MAX
TRIGEMINO
CAELI . TERRAE . TARTARIQ
POTENTI
POST . CAELICOLAS . TERRICOLASQ
SVBTERRANEA REGNA
ET . TENVES . SINE . CORPORE . VITAE
EX . IGNE . PVRGATORIO
PER . FLAMMAS . ET . MILLE . SEQVENTIA . TELA
EREPTAE
PRAESVLI . NOVO . NOVO . VINDICI
PLAVDVNT

Altera

CCLVI.

Altera

ALEXANDRO . VII . P. O. M
PRAESVLI . NOVO . NOVO . PATRONO
EREPTAE
EIVS . SVFFRAGANTE . LIBERALITATE
EX . IGNE . PVRGATORIO . ANIMAE
PATRI * BENEMERENTISSIMO
PLAVDVNT

*purgatoriam cenſuram poſcit Inſcriptio in hac parte, vbi repone *Optime merito*

E V C H A R I S T I A

Membrum IX.

EVCHARISTIA è Graeco in Latium ritè traducta eſt,praeiudicante *Chariſtia* (tametſi alio genere ac numero) vt ex Valer. Max. lib. II. *Conuiuium*, inquit, *ſolenne maiores inſtituerunt*, *idque Chariſtia appellauere : Cui praeter cognatos*, *&* *affines nemo interponebatur* : *vt*, *ſi qua inter neceſſarias perſonas querela eſſet orta*, *apud ſacra menſae*, *&* *inter hilaritatem animorum*, *fautoribus concordiae adhibitis*, *tolleretur*. Quo quidem ritu Romanorum, quia graphicè deſcribitur & Caeleſtis menſa à Deo nobis inſtructa, & vnà fructus, quem ille exigit ſarciendae inter nos mutuae charitatis, quidni ipſum quoque ferè nomen communicetur iam Latinis probatum, vt per nos quoque Latinè tractetur? Atqui particula praepoſita *Eu*, & vim intendit admirandi myſterij, & religionem noſtram ſinceriſſimam ab ſordibus ſuperſtitionis Ethnicae puram putam deſignat. Adde,vèl ſi deſit *Chariſtia* Latinis, nouo certè vocabulo priſcis Chriſtianis licuiſſe rem nouam, & inopinati plenam miraculi ſignificari. Non tamen idcirco proſcribimus alia Latina ſynonyma, vt *Menſa Dominica*, ſeu *Caeleſtis*, ſeu *Diuina*; *Conuiuium Dominicum*, *Caeleſte epulum*, *Caena caeleſtis*: ſeu cum Bouio Elog. LXII. de S. Ignatio, *Frugis Diuinae cibus* : & illa Graeca, ſed Latio inuecta, *Eccleſiae conuiuium*, *Myſterium*, cum adiuncto *Fidei*, *Vnitatis*, *Pacis* : *Myſtica menſa* &c.

E Chriſtianis Vocabulis haec videntur Animaduertenda.

S A L V A T O R

Membrum X.

SVnt, quibus *Seruator* ex vſu aurei ſeculi dicendus magis videatur. Ciceronem allegant, non quidem illa opinione, vt (quod iam eruditorum conſenſus exploſit) nullum vocabulum niſi Ciceroniano ſubiectum praelo Latinum ſit habendum; nam & aetates alias Latinitas bona tenuit, argenteā, aereāquè, quas à nobis obſeruari decet; ſed ne omnia quidem, quae Cicero dixit, ſcimus; cùm eius non pauca varius temporum caſus abſtulerit: Verùm quia diſertis verbis ipſe Cicero negat extare Latinam vocem reſpondentem Graecae σωτὴρ, quae noſtratibus *Saluatorem* ſonat, vnde eſt σωτηρία ſalus : Sic enim is habet III. Verrina, 109. *Itaque eum non ſolum patronum iſtius Inſulae*, *ſed etiam Sotera inſcriptum vidi Syracuſis* (ſtatimque dictum amplificans) *Hoc quantum eſt? Ita magnum*, *vt Latino vno verbo exprimi non poſſit*. *Is eſt nimirum Soter*, *qui ſalutem dedit*. Haec Tullius. Ex quo liquidò intelligimus, quantopere nomen *Saluatoris*, à quo abſtinuit Cicero malens circumſcribere *Qui ſalutem dedit*, abhorreat à conſuetudine aurei ſeculi; Nam quod ſubſequutis ſeculis argenteo, & aeneo ſit illud admiſſum, atque vſu tritum, non ſatis conſtat: Neque enim fidem indubiam facit Inſcriptio ſingularis, quam affert Gruterus pagina XIX. num. 5.

CCLVII.

IOVI . CVSTODI
QVIRINO . SAL
VATORI
PRO. SALVTE. CAE
SARIS . NERVAE
TRAIANI . AVG
COL
SARMIZ

Scilicet remotiſſimis terris à Latio poſita, & natura, ne dum ſermone barbaris, qualis Colonia Sarmiz in Vltraſyluania: maximè verò, cùm, quod ſuprà adnotauimus, vbi de Aetatibus linguae Latinae, Barbaries ſemina ſua iacere coeperit altero circiter ſeculo ab interitu Ciceronis, quo quidem ſeculo Traianus, cui Inſcriptio illa dicata, imperitabat.

Subſtitui ergo debet vox *Soter* Latinitatis ius adepta Auctore Principe Romanae eloquentiae, aut Latio genuina *Seruator*, eruditis recentibus hac ſignificatione familiaris, nec antiquis peregrin , vt infrà patebit. Nam vt obſeruat Auctor Theſauri Linguae Latinae, omninò adeundus, de Voce *Saluator* nullum legitur exemplum apud idoneos Latinae linguae Authores: ſed & de Verbo, vnde illa inclinatur, *Saluo*, ſuſpecti ſunt loci veterum duo ex Quintiliano & Cicerone, vbi malunt reponere *Seruo* doctiſſimi viri. Neque verò arridet illud Paulli Manutij placitum ex loco III. Verrinae praecitato: Aliud nimirum eſſe *ſeruare*, aliud *ſalutem dare*: *Seruat is*, inquit, *qui ne ſalus amittatur, aliqua ratione praeſtat*: *ſalutem dat*, *qui amiſſam reſtituit*. Nam vt probant loci apud Authores Lexicorum citati, & maximè in Theſauro L. L. duplex eſt verbi *Seruo* ſignificatus: neque enim *tueri* tantum ſonat, ſed & *liberare*, ac *recuperare*, hoc eſt ſalutem integram cuſtodire, atque amiſſam reſtituere: Vtroque autem ſenſu nomen Seruatoris attribuimus Chriſto Domino; qui humano generi Auctor extitit ſalutis, nimirum quia & praeſtitit, ne penitus interiret; & liberauit Cacodaemonis ſeruitute, dona gratiae caeleſtis, ac ius ad aeternam hereditatem amiſſum illi reſtituens, *factus* (inquit Paulus ad Hebr. V.) *obtemperantibus ſibi cauſa ſalutis aeternae*. In hunc ſenſum quadrat mirificè locus T. Liuij, lib. XXI. vbi Scipionem Conſulem Rom. in praelio à Poenis vulneratum, periculumque extremum illius, ac totius exercitus intercurſu filij propulſatum poſtquam deſcripſit, ita ſubdit: *Seruati Conſulis decus Caelius ad ſeruum natione Ligurem delegat. Malim equidem de Filio verum eſſe* &c. En tibi vulneratus Conſul, & ſimul morti praereptus; à Liuio autem *Seruatus* dictus: quid niſi fatum humani repraeſentat generis vulnere affecti ex originali piaculo, ſed ab interitu eruti per Chriſtum, idcirco Seruatorem appellandum, ab homine nimirum ſeruato. Iam quod in marmoribus antiquis *ſeruare* ſit ſalutem amiſſam reddere, teſtis eſt Ianus Gruterus pag. XVIII. num. VI. illud referens:

CCLVIII.

IOVI
OPTIMO . MAXI
MO . SERVATORI
CONSERVATORI
P. AELIVS. CHRESTVS
EX . VOTO . SVSCEP
PTO . ARAM . CONSA
CRAVIT

Vbi ne frigidam, & inſulſam admittamus ſynonymiam; neceſſe eſt, agnoſcamus diuerſitatem, & veluti gradationem in vocibus *Seruatori*, *Conſeruatori*, vt is tùm à malis erutus, tùm in bonis conſeruatus dignum Ioue, quem Optimum, ac Maximum putet, beneficium profiteatur. Neque detrahit quidquam bonitati marmoris inſcitia quadratarij in illis SVSCEP-PTO per PP geminatum, & CONSACRAVIT pro *conſecrauit*, quia nec de formae opinione derogat pictor Veneris indiligens, ac pinguis. Adde luculentius argumentum in altero marmore vetuſto, quod habes apud Iac. Philippum Tomaſinum lib. de Donarijs, ac Tabellis Votiuis Cap. XV.

CCLIX.

PROSERPINAE
SERVATRICI
C. VETTIVS. SIL
VINVS . PRO . EV
NOIDE . PLAVTIL
LA . CONIVGE . SIBI
RESTITVTA
V . S . A . L . P

En tibi pro ſalute reſtituta, quae vtique amiſſa erat, nomen non Saluatricis, ſed Seruatricis attributum.

Ampliùs in priore quoque ſignificatu Verbi

Seruo

Seruo pro *Cuſtodio*, *Tueor*, *Conſeruo* nomen Seruatoris non eſt, cur Homini Deo obtrectemus. Nam ſi rem penitùs introſpiciamus,non tam ſpectandus eſt lapſus primi hominis, quaſi poſt eum ſucceſſerit in tempore conſilium Dei de reſtituenda per Hominem Deum ſalute, quàm ipſum lapſum praecedens, ac deſignatum ab aeterno conſilium de condendo ad felicitatem ſempiternam homine, ſimul & de eo lapſo reſtituendo per Hominem Deum, ni ſponte renuat. Atque id ex Maieſtate Numinis religioſius dicitur, & hominis libertatem integram, inuiolatamque conſeruat. Ita ferè diſſerunt, quibus vox *Saluator* non ſatis probatur: Pro ſubſtituenda verò *Seruator* allegant ſuperioris, ac praeſentis ſeculi nonnullas Inſcriptiones caeteroquin etiam bonae notae. Ex his Antuerpienſem Ponti Marino impoſitam, ex Suueertio in Brabantinis, videlicet:

CCLX.

SACROSANCTAM. SERVATORIS. CRVCIFIXI. IMAGINEM
CVM. BASI. S. P. Q. A. RESTITVIT. CIↃ. IↃ. XCIII. KAL. FEBR

Item Bergomatem ex eodem Suueertio in Selectis Delicijs

CCLXI.

BERGOMVM. VRBS. VETVSTISSIMA. ANTE. SERVATOREM
NATVM. D. CCCCIIII. A. CIDNO. LIGVRIS. HETRVSCORVM. REGIS
F. EXTRVCTA. ALIQVANDO. IN. LIBERTATE. ALIQVANDO. SVB
ROM. CAESARVM. REGVM. AC. DVCVM. IMPERIO. VARIO. EVENTV
IACTATA. SVB. SANCTISSIMA. D. MARCI. ALARVM. VMBRA
TANDEM. DIVTVRNO. PACIS. OTIO. FRVITVR. ET. FELICITER
QVIESCIT

Addunt Epitaphia complura boni ſcalpri, quibus inditus titulus: CHRISTO. SERVATORI. SACRVM, obuia paſſim apud Suueertium in Brabantinis, & Sel. Delicijs.

Horum ſententiae inhaeſimus & nos aliquandiù: quid enim auderemus contra quàm ſentiunt eruditiores, teſtantur Theſauri ling. Lat. proclamat conſultus vulgò Ambroſius Calepinus aduersùs Verbale *Saluator*, & Verbum *Saluo*. Verùm attentiùs reputantes antiquam Eccleſiae conſuetudinem, Sanctorumque Patrum, in primis Diui Hieronymi (cuius tam purus ad Ciceronianum ſermo fuit) in Quaeſtionib. ſeu Traditionib. Hebraicis in Geneſim ad Cap. XLI. qui à Pharaone inditum Ioſepho Patriarchae nomen *Zaphanath Phaanecha*; ſeu, vt Graecè (non tamen Graeca lingua) Septuaginta Interpretes ψομθομφανὴχ, reddit Latinè *Saluator Mundi*, eò quòd, inquit, Orbem terrae ab imminente famis excidio liberauit: Ex quo ſuſpicari fas eſt vſitatam hanc vocem Latinorum antiquis ſin minus Ciceroniani ſeculi, ſuccedentium ſaltem argentei, aut aerei, quae, etſi non optima; nemo tamen bona non dicet: Vt hinc immerito reiectetur marmor ſuprà allegatum, n. CCLVII. Haec,inquam,nos reputantes attentiùs,nõ audebimus adiungi ſententiae illorum: praeſertim cùm non deſint ex eruditioribus recentibus, & quibus non modò curae eſt, ſed & in amoribus ac delicijs puritas Latini Sermonis; e quibus vnum profero, qui pluribus anteit auctoritate, M. Ant. Muretum, cui non ignotae fuerunt voces ſynonymae *Soter* & *Seruator*, ſed nec timuit *Saluatoris* vſurpare, Orat.I.de Theologia:vbi habet: *Rurſuſque eundem* (*Chriſtum Ieſum*) *defunctũ nobili illa SERVANDORVM mortalium prouincia,ſpoliatiſque Inferis in Caelum ſublimem raptũ* &c. Item: *Quomodo Regulus à Carthaginienſibus,quàm quomodo SALVATOR, & SOTER humani generis Chriſtus à Iudaeis omni ſuppliciorum genere diuexatus fuerit.* Cui nec leuis illa accedit ratio(in gratiam aduerſariorum,ne refractarij contra tam multos videamur) quòd ſicut reliquis ſiue hominibus, ſiue Angelis nomen Seruatoris attribuimus, vni Chriſto Deo Saluatoris permittendum eſſe Latinitate illaeſa decernimus. Quid enim? Nonne rebus nouis noua nomina imponenda iſti fatentur? At quid nouum magis in Mundo, quàm Auctor eius ſalutis, quae non corpus,

non

non vitam temporariam, & caducam complectitur; ſed animum ſimul & corpus, ſed vitam ſempiternam, quam nullus aut hominum aut Angelorum afferre quiuerit? Itaque niſi vſus praetenderetur boni ſeculi, adhuc tueremur interpretationem D. Hieronymi, quòd Saluatorem Mundi Ioſephum eà vocitauerit, quà Chriſti typus extitit. Ergo dicatur Chriſtus Soter, Seruator, puriùs id quidem, ſed neque impurè dicetur Saluator, imò per antonomaſiã abſque vllo adiecto: Caeteri verò, qui quoquo modo ſalutem aut impertiunt, aut curant, Seruatores. Ad copiam illa inſeruient Elogiaſtae, *Salutis humanae aſſertor*, *vindex*, *fundator*, *inſtaurator*, *Auctor*. &c. Ad exemplum etiam antiquitatis, Epitheton *Salutaris* quadrabit Chriſto. Sicut apud Gruterum pag. LXVII. num. 9.

CCLXII.

AESCVLAPIO . ET . HYGIAE
CAETERISQVE . DIIS . DEABVSQVE
HVIVSQVE . LOCI . SALVTARIBVS
C. IVL. FRONTONIANVS . VET
EX . B. F. COS. LEG. V. M. P. REDDI
TIS . SIBI . LVMINIBVS . GRAT
AG. EX . VISO . PRO . SE . ET . CAPSIA
MAXIMA . CONIVG. ET . IVLIA
FRONTINA . FILIA . V. S. L. M

Et pag. M. L. XV. num. 5.

CCLXIII.

I O V I
S A L V T A R I
V L P I A N V S
G R A V I . I N F I R M I
T A T E . L I B E R A T V S

Ita etiam inſcribes Latinè CHRISTO . SALVTARI. Subſtantiuè quoque in neutro genere *Salutare*, pro eo, quod ſalutem dat, dixit Plinius, nec aberrant ſacrae literae: Vt *Calicem Salutaris accipiam*. Et *Defecit in Salutare tuum Anima mea*.

ZELVS DEI

Membrum XI.

EX Decoro materiae ſacrae admitti poterit vox *Zelus Dei*, vel *Gloriae Diuinae*. Ex puritate verò loquendi ſtabit *Religio*, *Studium religionis* cum Epithetis illis *Acre*, *Ardens*, *Inflammatum*, *Incenſum*, *Flagrans*. Figuratè etiam pro habere zelum alicuius, vel Reipubl. *Vicem alicuius*, vel *Reipubl. dolere*: Ita, ſicut Quintilianus: *Si Iudex aut ſua, aut Reip. vice commouetur*: Nos vice Dei immortalis commoueri dicemur, pro zelo Dei commoueri. Neque refragatur locus Ciceronianus IV. Tuſc. Quaeſt. vbi legitur Zelotypia; ibi quippe ſignificatu longè alio, ac deteriorem in partem vſurpatur, nimirum pro *obtrectatione*, *& aegritudine animi ex eo, quòd alter quoque potiatur eo, quod ille ipſe concupierit*, vt ipſemet interpres eſt Cicero. Nobis autem eſt animi aegritudo ex eo, quòd Maieſtatem Numinis, & eius cultum neglectum videmus: Caeterùm eiuſdem Numinis gratia alios omnes nobiſcum frui peroptamus. Quo verò modo efferri Latinè liceat, colliges ſuperiùs Claſſe III. de Nou. Profan. Magiſtrat. Vocibus, Membr. XIV. in Voce *Plenipotentiarius*, Elog. CCXVI. de Innocentio Bubalo, ibi: *Incenſo Eccleſiaſticae amplitudinis ſtudio*. Et apud Iuglarem non vna forma, ſcilicet Elogio XL. de Chriſto Ieſu, titulo *Negotiatores* ibi: *Abominationem in loco ſancto ne is quidem tolerat, Cui ipſamet tolerantia Natura eſt*: *Caeterorum criminum Iudex*: *Huius etiam Lictorem agit*. *Armat flagellis aſſuetam beneficijs manum*: *Et indignatus ibi attolli rerum pretia, vbi à ſe omnia gratis dantur*, *Vlciſcitur liberalitatis iniuriam*, *Seueritatis exemplo*. Et de Ludouico Rege Galliae Elog. VII. *Indignatus in Regno* * *Chriſtianiſſimi tam multa Chriſti hoſtibus licuiſſe*. * ſubintellige Regis. Repete Membrum II. de Voce *Chriſtus*. In extremo autem Elogij ſic habet: *Vixiſſet aeternùm is Princeps, qui Dei cauſam ita ſuam feciſſet*, *Vt nullum ſibi fidelem ſperauerit, quem Deo cognoſceret perduellem*. Elog. IX. *Eam expeditionem Vt nemo dubitaret à pietate profectam*, *Egit in ea omnia Pietas*. Et Elog. XXI. *Deo deuinctiſſimus Princeps Ita illi ſuos omnes agglutinauit affectus*: *Vt nullis, niſi in Deum illatis laeſus iniurijs*, *Vix alijs, quàm Deo collatis honoribus potuerit*

rit hilarari. Io. Baptiſta Maſculus Encomio LXXXIX. zelum Heliae his circumſcribit: *Quanto item Religionis ardore flagraſti, cùm in ſimulacri cultores aurei diſtrinxiſti ferrum?* & multis interpoſitis: *Sed tunc apparebis illuſtrior, Cùm aeſtu Religionis incenſus Deuouebis te ſponte morti.* Aloyſius Nouarinus Elog. de B. Caietano: *Cui Diuini nominis honor curae eſt, Non curat honorari ſuum.* Idem alibi: *Proferendi cultus Diuini cauſa nihil non pertulit*: Et mox: *Amoris victima factus litatur Amori.* Pro *zelo Dei* Ardor religionis, Senſus pietatis in Deum, Diuinorum cura, Diuini honoris cultuſque ſolicitudo, & huiuſmodi.

Ex decoro autem tuebimur Inſcriptionem diadematis aurei (Coronam vocat Ciacconius, ſed minùs aptè, quippe formae eſt, vt ad ea tempora, Regalis) quod dono miſit ad Coſmum Medicem Florentinorũ Ducem Pius V. Pont. Max. Magnum Etruriae Ducẽ creans cum tituli propagatione ad ſucceſſores perpetua. Ita verò inſcriptum legitur, noſtris etiam oculis teſtibus, videlicet

CCLXII.

PIVS . V. PONT. MAX
OB . EXIMIAM . DILECTIONEM . AC . CATHOLICAE . RELIGIONIS
ZELVM . PRAECIPVVMQVE . IVSTITIAE . STVDIVM . DONAVIT

Licuiſſet pro *zelo* reponere *ſtudium*, *propugnationem*, *patrocinium*, *tutelam*: ſed decorum Pontificium permiſit vſum vocis in Sacris Literis tritae.

SPIRITVALIS

Membrum XII.

VOx *Spiritualis* ad rem Diuinam relata Latinorum boni ſeculi vèl vnum exemplum deſiderat. Legitur quidem per ſyncopam *Spiritalis* apud Vitruuium lib. X. Cap. I. deducta à ſpiritu, ideſt flatu, ſeu vento, dum ille è machinis, quae rotundationibus mouentur circulorum, ſpeciem vnam ſtatuit, quam vocat Spiritalem. *Spiritale eſt*, inquit, *cùm ſpiritus expreſſionibus impulſus, & plagae, voceſque organicωs exprimuntur.* Eadem voce Solinus in eundem vtitur ſenſum: *Sicut* (inquit) *in corporibus noſtris commercia ſunt ſpiritalia, ita in profundis Oceani nares quaſdam Mundi conſtitutas, per quas emiſſi anhelitus modò efflent Maria, modò reuocent.* Eo igitur ſignificatu, quo vulgus ſolet, minimè vſurpandam putamus hanc vocem: Verùm vbi dictitant *Exercitium ſpirituale*, efferendum Latinè Exercitium pietatis, vel Religionis, vel vt in Inſcriptione Vratislauiana (apud Suueertium in Sel. Del.) *Imperator Maximilianus II. F. Aug. Perp. Cùm in meditationibus ſalutaribus verſaretur* &c. Vbi illi *Gaudium ſpirituale*, tu Gaudium ſpiritus, mentis, animi. Sic pro *bonis ſpiritualibus* bona animi, delicias mentis, fructus pietatis. Nam niſi in contentione corporalis boni, vocem *incorporalis* adhibebimus, quae ad animum de Diuinis referri eapropter intelligetur: ſumunt enim incorporale bonum Iuriſconſulti, & Rhetores pro eo, quod ſola mente intelligitur, neque ſub ſenſum cadit, cuiuſmodi eſt ius ad rem, quod neque oculis cernitur, neque apprehenditur manu. Caeterùm vitae ſpiritualis appellatio quomodo Latio ſit concilianda, docet Aloyſius Nouarinus Elogio de B. Caietano: *In carne* (inquiens) *vixit, ſed praeter carnem.* Quapropter recoqui poſcit Inſcriptio Sepulcralis Mediolani in Diui Barnabae

CCLXIII.

IO . BAPTISTAE . BOYSIO
PATRI . B . M . ET . SIBI
IO . IACOBVS . HIC . VBI
SPIRITVALES . MAGISTROS
HABVIT

meliùs *Hic vbi pietatis*, aut *religionis magiſtros habuit.*

Neque exemplum dederint in vſu huiuſce vocis Sancti Patres, quibus profectò curae fuit mores populorum potiùs emendare, quàm Latinitatem: vt propterea neque à barbariſmo,

quò ſe rudioribus è plebe accommodarent, cauere interdum curarent. Locus porrò Diui Chryſoſtomi Homel. LXVI. in Matth. de Ioanne, & Iacobo filijs Zebedaei, qui *nihil ſpiritale petebant* (quippe è Graeco πνευματικὸν, quod is è Diuo Paulo patrono ſuo accepit, vt & reliqui pòſt Patres, Graeciſmum ſonat inauditum Latio, à quo cauere debuit Interpres Latinus)puriùs ita reddetur: *Nihil caeleſte petebant, nihil aeternum*; *Terrenum dumtaxat, & caducum*: Vel; *Corpori ſolùm ſtudebant, non animae*. Haud aliter pro *affectu ſpiritali* ſtabit *affectus animae*, vel *ſpiritus*; *affectus caeleſtis*; *pia aſpiratio*; *pium votum*; quamquam vox ipſa *ſpiritus* quandoque ſtat pro *affectu*. *Maiore ſpiritu* (dixit Quintilianus) *loquendum de rebus diuinis*. Pro *Homine ſpirituali Homo pius*, *religioſus*, *caeleſtis*, *Diuinus*, *Caeleſtis anima* &c. Audiendus hoc loco Franciſcus M.Delmonacus Elogio de B. Andrea Auellino: *Venerem*, *Herebum*, *ſe ipſum hoſtes habuit*: *Caelum in votis*. *Vicit Venerem puer*, *adoleſcens Herebum*, *Caelum ſenex*, *Se ipſum ſemper*. Idem Elog. de Matthaeo Bencio ſui Ordinis V.conditore ſanctiſſimo: *Animo ſemper impiger, ſemper ardens*; *Diuinorum ſemper exaeſtuans, ne dum capax*. Ibidem: *Ex te Fulienſis Congregatio Clareuallenſiũ praeclara ſoboles Quod Deo ardeat*, *Qui faces manibus*, *flammas pectore praeferebas*. Luculentam verò affert Inſcriptionem Nicolaus Cauſinus lib. qui inſcribitur *Pietas fortunata* de Fl. Theodoſio Iuniore, quem, quod vulgus barbarè vſurparet *hominem ſpiritui*, aut *vitae ſpirituali addictum*, is ita Latinè expreſſit:

CCLXIV.

FL. THEODOSIVS . IVNIOR . ARCADII . ET . EVDOXIAE . FIL
OCTO . ANNOR . PVER . ORIENTALE . CEPIT . IMPERIVM . ET . PER
ANN. QVADRAGINTA . TRES . PVLCHERIAE . SORORIS . AVSPICIIS
ARMIS . ET . LEGIB . FELICITER . ADMINISTRAVIT . PRINCEPS
DE . MELIORE . NOTA . CHRISTIANVS . VITAE . INTEGERRIMAE
DIVINIS . LECTIONIBVS . INTENTVS . PATIENTIA . ET . CLE
MENTIA . SVPRA CAETEROS . CLARVS . OBIIT . CONSTANTINOPOLI
ANNO . CHRISTI . CDLII . AET . XLIX.

Quaeres, an Latinè dicatur *Cognatio ſpiritualis* pro ea, quae à Chriſtianis contrahitur per ſanctum Baptiſmum, & Confirmationem? Nam noua res, inquies, nouam, qua ſignificetur, vocem poſtulat. Et videtur hoc probari Nicolao Carpy A ſancta Cruce, Elog.de Card.Mazzarino, vbi ab illo Regem Ludouicum XIV. in Baptiſmate è ſacris vndis leuatum ſignificaturus ait: *ſpirituali neceſſitudine Cardinalem Filio iunxit*. Sed neceſſitas vnius vocis promendae fortaſſe tuebitur vſum huiuſce *ſpiritualis*: An verò neceſſitate tali premeretur hic Auctor, ipſe dixerit. Nam circumſcribi rectè poterit, vt dicatur; *Neceſſitudo legitima per ſacrum lauacrum* (aut per ſacram Confirmationem) *contracta*.

MORTIFICATIO

Membrum XIII.

MORTIFICATIO, quemadmodum & *Mortifico* peregrinae ſunt voces in Latio, e Graecia deportatae. Siquidem νέκρόω verbum Latinè meliùs vertas *Caedo*, *Interimo*, *Sepelio*: & νέκρωσις *caedes*, *interemptio*, *ſepultura*. Verùm vulgata verſio ſacrorum librorum (vt & Philoſophorum ex Graeco) nitorem, ac puritatem Latinitatis minimè ſectans huius vſum vocabuli inuexit. Scitè autem à Platonicis definitur νέκρωσις ad Latinorum phraſim *Prauarum appetitionum & affectionum quaedam extinctio*: ſicut Phyſicis, ac Medicis eſt extinctio partis alicuius in corpore viuo, quùm partes affectae ſenſum penitus amiſerunt. Aliter etiam à Cicerone *Mortificare* eſt *Frangere cupiditates* aut *libidines*, *Bellum indicere voluptati*, *Appetitus contrahere ac ſedare*, *Excitareque animaduerſionem ac diligentiam*; A Plinio *Fluctus animi ſaeuos frangere*:

gere: Ab Horatio *Spiritum auidum domare*: A Liuio *Fraenare voluptates*, *Caſtigare cupiditates*: A Diuo Chryſoſtomo *Irrationales motus corrigere*. Adde illas formulas *Reſiſtere voluptati*, *Defraudare genium* (ſubintellige prauum) *Obuerſari genio*, *Triumphare genium*, *Illecebras vincere*, *Fraudare cupiditates*, *Subijcere ſe ſibi*, *Extinguere libidinum faces*, *Reprimere motus*, vel *petulantiam ſenſuum*, *Crucifigere carnem* &c.

Audiendus hoc loco M. Antonius Sabellicus in Exemplis lib. II. cap. X. *Nemo* inquit *ſeueriùs calcauit voluptatem Franciſco Aſſiſiate, nemo corpus atrociùs afflixit.* & infrà: *Sed nulla pertinaciùs carnem impugnauit, quàm Sarra.* Delmonacus etiam Elogio de Paulo ſui ordinis quarto conditore: *Viſcata fortunae benificia, Carnis mellea meliori flamma, ac luce deuicit.* Iuglaris quoque Elog. XXIX. de Ludouico Iuſto Rege Galliae, cui titulus: *Ludouici in Voluptatum vſu temperantia*, ſic habet: *Ludouici palato Ita dulcis accidit virtus: Vt prae illa aliam omnem contempſerit voluptatem. Cupiditatum mactator, Quae pati nollent imperium rationis: Affectuum ſuorum Remp. Eodem modo, quo Galliam, Vni coëgit Iuſto parere. Ignorans arcus & ſagittas Cupidinis: Qui alioqui tam bene Omne genus armorum nouerat Martis. Execratus probroſam authoritatem libidinum, Quae ipſoſmet Reges facerent ſeruos ſibi. Studuit is viuere, Qui natus erat, vnius Dei famulus, Caeterà liber* &c. Idem in Virtutibus Infulatis Elog. de Aloyſio Toloſano: *Aloyſius è Rege natus ad Regnum, Nunquam ſe Regem credidit, niſi cùm ſe ſubderet ſibi.* & poſt paulò: *Non ideo innocentiam minuens, Quòd aetatem augeret: Sui Regnum Regno nobilius reputans ſuo.* Ibid. de Remigio Remenſe parentibus nato ſterilibus, ac ſenibus: *Crederes è ſenibus ſenem natum eſſe, non puerum, Ne cautior eſſe deſineret elapſus ad cautes: Se victorem facere ſtudens, Vbi nullus erat, quem vinceret, Se ipſum impugnans De ſe ipſo etiam triumphauit: Dignus, quem cogerent praeeſſe Remenſibus, Cùm ſe ita bene praeeſſe cogeret ſibi.* Et de Ludouico Rege Elog. X. *Aſſuetus ſub ſe ipſo Imperatore omnia merere ſtipendia.* De eodem Elog. XIV. *Is vnus Gallico planè liber in Regno, Qui ne tempori quidem Voluit ſeruiendo Regnare: Hac tanta libertate digniſſimus, Qui cupiditatibus obſequi Nec coactus eſt alienis, nec voluit ſuis.*

Plinius lib. XX. Hiſt. Cap. VII. de lactuca ſatiua ſcribens huic ſententiae miniſtrat lucem, dicens: *Semine trito ex vino poto & libidinum imagines in ſomno compeſci.*

Marcellus Carmelita Diſcalceatus Elogio de B. Tereſia Virg. ſui Ordinis reparatrice: *Oſtentatos ait à primaria foemina theſauros alto cum deſpectu ridet, deque Mundi machinis, Honore, Diuitijs, Voluptatibus glorioſè triumphat.*

Franciſcus M. Delmonacus B. Andream Auellinum in Elogio vocat *Deliciarum omnium domitorem.* Et Elog. de Paulo IV. Pont. Max. *Clementer* ait *dirus, piè ſaeuus modum dedit, mò & mortem libidinibus.*

Franciſcus Gauatius in Elogijs illuſtrium Anachoretarum de D. Hieronymo Dalmata: *Eminet cum morum integritate vitae auſteritas.* Et aliquantò pòſt: *Repugnabat his* (tentamentis Diaboli) *ferox animus, & corporis perfidiam ſuſpectans, ne turpem hoſti deditionem faceret, eidem ieiunium acre indicebat, atque noctu diuque per deſerta raptatum, lacerumque edomabat.* Et mox: *Miſerum pectus tundebatur, donec repreſſa carnis, & daemonis petulantia* &c.

Bouius è Soc. Ieſu Elog. XC. de S. Ignatio Loyola: *Affectiones animi omnes rationis imperio maximè obſequentes habet Ignatius. Suum habet Pax in Ignatio tam alta miraculum, Quando affectionum plebem turbas ſemper alieni cupiditate cientem Imperata pace ſuo coëgit eſſe contentam.* Et Elog. XCI. *Cape omen, Ignati, ſuis cum affectionibus animum, Equum nemini non calcitroſum, & reſtitantem Coëgiſti tui pati fraenum imperij.*

Petrus Hadrianus VandenBrocche Flandro-Belga, Alumnus inclytus Puteani de B. Hieronymo Elog. XII. *Domeſticae memor militiae, Corpus ieiunio, Mentem fatigat precibus: Hoc vt iuſſum ſeruire, Praeeſſe ne cogitet: Hanc vt ortus ſui patriam, non Terram, Caeleſtis ſequatur.*

Fortunatus Columbus ex Ordine noſtro, in Vita Venerabilis ſerui Dei Ludouici Bitotti Elogium breue de eo texit, *Carnis irritamenta vicit* &c. *Senſu carnis contuſo.*

Recurrendum ad Principem Latini candoris Ciceronem, qui pro mortificatione dixit, *Eſſe in ſua poteſtate.* Eius locus extat inſignis Philip. VI. *Facilè verò huic denunciationi parebit, vt in Patrum Conſcriptorum, atque in veſtra poteſtate*

ſit, qui in ſua numquam fuerit. vbi in ſua eſſe poteſtate idem eſt, ac ſibi imperare.

Vna autem voce pro *Mortificatione* reddetur Latinè, & quidem propriè *Temperantia*, *Continentia*: *Abſtinentia* quoque. Nam etſi hoc diſcriminis ferè ſtatuitur inter continentiam, & abſtinentiam; quòd haec ſit hominis innocentis, qui ſcilicet ab alienis abſtinet, nihil cuiquam eripiens; illa verò temperantis, hoc eſt, qui ſuas ipſius cupiditates cohibet, voluptati modum praeſcribens: Nihilò tamen minùs promiſcuè interdum vſurpantur. Ita homo temperatus pro *Mortificato*. Contrario ipſius vocis Temperantiae expreſſit contrarium vocis barbarae *Mortificationis* Aloyſius Iuglaris de Samaritana Euangelica, inquiens: *Cum muliere notae intemperantiae; Vtpotè quae quinque iam viros habuiſſet*.

Tandem inuenimus fortè in veterum monumentis, quomodo Latinis efferretur, qui vulgò dicitur *homo mortificationis ſtudioſus*; in Epitaphio videlicet Spoletano apud Gruterum pag. DCCLI. num. 13. in has literas:

CCLXV.

AEMILIAE . AVITAE
AVR. EVPHROSYMVS
CONIVGI
IN . OMNIB. CASTISS
ET
DE . SE . B. M. FECIT
VIX. ANN. XVII. D. XII

Quid enim aliud ſonat τὸ *in omnibus caſtiſſima*, quàm *in nullum libidinis genus ſoluta*?

CAPELLA

Membrum XIV.

CAPELLA pro loco ſacris deſtinato intolerandum Latinis vocabulum, quidquid obtrectent nonnulli ratione originis; quòd, inquiunt, diminutiuum ſit *Capella* à *Capra*, quae non ſignificat modò ſpeciem pecudis, ſed etiam per metonymiā Tentorium caprinis pellibus integi ſolitum, vt & Hebraeis Tabernaculum, vnde Arca Dei ſub pellibus ὑποκάτω τῶν δέῤῥεων, ſeu cortinis eſſe dicebatur priùs, quàm ſub Templi tecto cuſtodiretur, ex quo Capellae tractum nomen pro Aedicula, ſeu Domuncula ſacris faciundis deſtinata. Verùm haec ratio de facili refellitur obiecto vſu loquendi Latinorum (hic autem vnus eſt probandis vocibus lapis Lydius) qui quidem vſus hoc vocabuli penitus ignorat: Neque verò nouandi datur facultas, vbi ſuppetunt veterum idoneae voces. Suppetit autem in rem noſtram *Aedicula*, diminutiua ab Aede, quae ſingulari numero eſt Dei, ac Diuorum, vt probat vetus religio Romanorum Ethnicorum, cuius extant memoriae in marmoribus apud Gruterum, illa in primis pag. CXXVIII. num. 3.

CCLXVI.

IMP. CAES. TRAIANI . AVG. GERM. COS. II. PERMISSV . TI. ALLIENI
SICINI . QVINTIANI . CVR. AED. SACR. AEDICVLAM . REGIONIS . VI. VICO
PORTAE . COLLINAE . VETVSTATE . CONLAPSAM . A . SOLO . SVA . IMPEN
SA . RESTITVERVNT . MAGISTRI . ANNI . C.V.A. VARRO . A. L. FELIX . P. VETTIVS &c

Item *Sacrarium*, vt apud Suetonium in Auguſto, & Ciceronem V. Verrina. Conſule Theſaurum Lat. ling.

Vel *Sacellum*, quod Feſtus de locis Deo ſacris, ac ſine tecto; Papias de locis Deorum agreſtium interpretatur: Nos commodè transferemus ad Aediculas, ſiue illae ſolitariae ſint, ſiue membra maiorum Aedium, atque Templorum, vt probat illa potiſſimùm Romana Inſcriptio in Diuae Agnes (malo *Agnes*, quàm *Agnetis* ab *Agne*, *es*, ſecutus cenſuram Voſſij de Vitijs ſerm. lib. I. cap. XX.) contra Portam Piam, citata apud Suueertium in Selectis Delic. videlicet:

D.O.M

CCLXVII.

D . O . M
ET . MEMORIAE . LEONIS . XI. SVMMI . PONTIF
QVI
PRO . EXIMIA . SVA . IN . BEATAM . AGNETEM . PIETATE
TEMPLVM . HOC . INSTAVRARE . ET . ILLVSTRARE . AGGRESSVS
PRAECIPVVM . SACELLI . HVIVS . CVLTVM . ELEGANTIAMQ. MOLIEBATVR
NISI . MORS . PRAEPROPERA . COEPTIS . INTERVENISSET
PETRVS . IACOBVS . CIMA . EIVSDEM . PONTIF. INTIMI . CVBICVLI . PRAEFECTVS
IDEM . SACELLVM . ORNANDVM . CVRAVIT . VOTI . SVI . ET . PERPETVAE
ERGA . OPTIMVM . ET . OMNIBVS . OPTATISSIMVM . PRINCIPEM . OBSERVANTIAE
MONVMENTVM . ANNO . SAL. MDCIX

Subſcribit cenſurae noſtrae memoria Romana in Hypogaeo Templi Sanctae Crucis extra muros Inſcripta anno MDXCIII. Cuius initium: *SACELLVM . DEO . OPT. MAX. in honorem S. Helenae dicatum* &c. Citat Suueertius in Select. Delic. Quod quidem Sacellum vetuſtiſſima olim memoria de ſeculo barbaro, quae loco inſtaurando ſubmota fuit, ita indicabat; (ex Florauante Martinello in ſua Roma ex Ethnica, Sacra) *Hanc ſacratiſſimam Capellam, quae vocatur Hieruſalem , aedificauit B. Helena Mater Conſtantini Imp.*

Vel *Cella*, ſi membrum Templi deſignetur poſitione ipſa memoriae. Ita Mediolani in Templo Auguſto Diui Alexandri apud Patres noſtri Ordinis, Sacellum ex multis pretioſo nitens marmore ita inſcribitur.

CCLXVIII.

CELLAM . HANC . ET . ARAM
IO. BAPTISTA . SACCVS . A
SECRETIS . SENATVS . ET
BONIFACIVS . ADNO
TATOR . REGII . CENSVS
FRATRES . VNANIMES
AERE . SVO
FVNDITVS . EXCITARVNT
ORNARVNT. CONSVMMARVNT
ANNO . SAL. MDCXVIII

Hinc eſt conijcere, Aras minores in Templis, ſub Cella communi erectas, minùs propriè etiam vulgò *Capellas* (voce iam nobis penitus exploſa) appellari, cum eae cellam peculiarem in domunculae, ſiue aediculae formam requirant: A quibus neque *Capellanus* vèl barbarè dici debet, qui in his ſacrum facit; ſed *Sacrificulus*, aut *Sacerdos*, aut *Arae praefectus*, aut *Ab ara*.

Pro *Capellano* autem dic *A Sacello*. Nam *Sacellanus* tùm dicetur, cùm ſuppetet ex analogia exemplum. Ita non *Capellanus Regis*, ſed *Regi A Sacello*. Purgari itaque poſtulant monumenta apud Suueertium in Brabantinis, in queis modò *Sacellanus* legitur, modò *Capellanus*. Sed quando vulgaris appellatio *Capellani* alicubi locorum, praeter Praefecturam Sacelli aliud munus adiunctum ſubintelligit, vt in ſummo Templo Vrbis Piſarum; videtur neceſſitas exigere, vt, ſin minùs nudè ſimpliciterque; cum appoſito certè vſurpetur ad leniendam nouitatis duritiem, exemplo Epitaphij ea in Vrbe ad Campum Sanctum: quod etſi impurum in parte ſit; in hac tamen legendum, videlicet:

CCLXIX.

ANT. BON AVITA
Ortu Blentinenſis, Ciuitate Piſanus
Diui Stephani aeque Sacerdos ac Organiſta
Et in Auguſtiſſimo Templo
Ex eorum quos Capellanos vocant, numero
Franciſco militi fratri cariſſimo atq optimo
Praemortuo
Sibi & ſuis excidendum viuens curauit
Anno à mortalibus Orco per Chriſtum ereptis
DLXXXI. ſupra M

Capellaniae porrò vox quemadmodum Latinè reddenda, docet Epitaphium recens in Diui Nazarij Mediolani, cuius exemplum à Placido Puccinellio nobis tranſmiſſum, eſt huiuſmodi

CCLXX.

IN . HVIVS . ARAE . CVLTVM . VBI . D . MATRONIANI . ANACHORETAE TVTELARIS . SVI . SERVANTVR . CINERES . IOANNES . BAPTISTA BOVVIDIVS . SACERDOTIVM . AD . SACRA . QVOTIDIE . PERAGENDA PRECESQ. CANONICAS . IN . CHORO . CERTIS . DIEB. PSALLENDAS HONESTIS . REDITIBVS . AVXIT . DOTAVITQ. ET . SEPVLCRVM . HIC SIBI . VXORIQ. CARISS. PARAVIT . OBIIT . AN. RESTITVTAE . SALVT. M. D. CX

Subijciet barbariem ſuperiorum temporum (deridendam, an fiendam?) Inſcriptio Mediolanenſis ad Diui Franciſci, ea Coenobij parte, vbi Valetudinarium eſt cum Sacello his literis inſigni. Citat Puccinellius ad calcem ſui Zodiaci, videlicet:

CCLXXI.

Dominorum Io. Galeazij, & Franciſci de Mandellis & Vxorum ſuarum. Conſtruerunt hanc Capellam cum omnibus cameris, & Ingioſtra totius Infirmariae

Puriſſima enimuerò vocabula, aureo inuidenda ſeculo, *Capellam*, *Cameris*, *Ingioſtra*, *Infirmariae*, pro Sacellum, Cubiculis, Ambitu illius membri Coenobij, Valetudinarij. Sin pro *Ingioſtra* volunt, quod aliter vulgus dicit, itidem barbarè, *Clauſtrum*; locum nimirùm ſubdialem, columnis in ambitu porticum efficientibus, id appellatione Latinis recepta erit *Periſtylium*.

CONFESSARIVS, CONTRITIO

Membrum XV.

CONFESSARIVS, CONTRITIO, à munditie Latinitatis quàm procul abſunt. *Confeſſarium* rectè expreſſit Caeſar Alexius Elogio de Hieronymo Ruſcellio Abbate Caſſinenſium Generali: *Eandem*, inquit, *ob cauſam Clemens VIII. Pont. Max. ipſum pro ſuo conſcientiae Arbitro vocauit.* Latinorum quoque more eleganter dixeris *A ſacris Confeſſionibus*; *A ſacra Poenitentia*. Aptid Suueertium in Brabantinis extat memoria in lamina Guilielmi Horpmael Sulreni, Collegij Standonici Alumni primùm, poſt Praefecti, ac Illuſtriſs. Mariae de Hamel Marchioni Aerſchoti, & Ceruiae Dominae A ſacris Confeſſionibus &c. Anno MDLXX.

CONTRITIO Ciceroni redditur *Criminum deteſtatio*; Ita Philipp. V. *O Dij immortales, auertite, & deteſtamini quaeſo, hoc omen.* Deteſtari enim, ait Giſanius, eſt arcere, & depellere cum quadam teſtatione doloris. Cic. in Piſ. *Omnem memoriam* &c. *faciem denique, & rationem à Republica deteſtamur.* Audiendus eſt Marius Conradus de Copia Ser. Lat. lib. V. *Piacula illa maiora ſeptem, vnde caetera naſcuntur omnia, furijs hominem aſtringunt. quare ex ijs dolor opus eſt ille, quam poenitentiam vocamus, cui adiuncta Confeſſio eſt, & libatio* &c. Propriè igitur Poenitentiam dicemus, quam, vt cum Theologis ab Attritione diſtinguatur contritio (quae voces metaphoricos ſumuntur cum adiecto *Cordis*) Epitheto extolles, ſeu Circumſcriptione explicabis. Adi Membrum XXVI. de Voce *Poenitentia*.

GENTILES

GENTILES

Membrum XVI.

GENTILES minùs purè pro alienis à coetu Chriſtianorum, & inanium Deorum cultoribus. Siquidem Latinè Gentilis eſt, qui & Conterraneus, Popularis, eiuſdemque nominis. Conſulantur Lexica: Gellius item lib. XVII. cap. XVII. Tu ergo dic *Gentes*,& pro vno Gentili dic *Hominem ex gentibus*: nam & Romani opponebant Ciuibus Romanis Gentes. Oppius lib. I. de Bell. Hiſp. habet: *Vbi quidam legatus ad Caeſarem: Petimus, inquit, vt qualem te Gentibus praeſtitiſti, ſimilem in Ciuium deditione praeſtes.* Et Horat. Carm. lib. I. Ode II.

Terruit Gentes, graue ne rediret
Seculum Pyrrhae &c.

Adi Gualterium Chabotium in hunc locum. Quare authoritatis non habet momentum Ciuile ius, quòd (teſte Auctore Lexici Philologici) Gentiles aliquando dicantur Barbari Romano Imperio non ſubiecti, nec legibus ciuilibus viuentes, ſed iure gentium: Nam viuere, (ſubdimus ipſi) iure gentium, aliud eſt nihil, praeterquàm iure ſuo viuere, cùm Gentes ſint. Nobis verò ſuffragatur locus Diui Auguſtini ſerm. II. de Epiph. (qui eſt XXX. de Tempore) de Magis Orientalibus Chriſti infantis cultoribus: *Illi erant primitiae gentium, nos populus gentium.* Vbi nec *Gentilium* vſurpauit, neque *Gentilitatis*. Aliter quoque Graeca voce recepta dicuntur *Ethnici, Idololatrae.* Ne tamen deſideres exemplum acceptae eius vocis genuina ſignificatione, en tibi recens memoria Mediolani in Diui Euſtorgij, citata apud Puccinellium in ſuo Zodiaco:

CCLXXII.

SACELLVM . HOC . SITV . VICTVM . PLANEQ. OBSOLETVM
IO. BAPTISTA . ET . BONIFACIVS . FRATRES . SACCI
AERE . SVO . IN . FACIEM . HANC . MVTARVNT
DEIPARAEQVE . GRATIARVM . MATRI . NVNCVPARVNT
ALTERO . IN . DIVI . ALEXANDRI
SANCTO . IO. BAPTISTAE . DECOLLATO . EXTRVCTO . MDCXXX
GENTILIVM . INSVPER . SEPVLCRVM . QVOD . VICINVM . ERAT
HVC . TRANSTVLERVNT . DOTE . ANNVA . LEGATA . QVOTIDIANO
SACRO . PRO . SE . SVISQVE . AD . HANC . ARAM . PERPETVO
FACIVNDO . PVELLISQVE . DECEM . ANNVATIM . LOCANDIS

PARADISVS, DIABOLVS, DAEMON, BIBLIA

Membrum XVII.

PARADISVS, DIABOLVS, DAEMON, BIBLIA ſpurijs alleguntur, ex Latinitatis munditie aliter enuncianda.

Pro Paradiſo quidem dic *Caeleſtem Regiam, Regionem, Patriam, Oram: Aulam Regis immortalis: Caeleſte domicilium, Regnum: Sedes Beatorum: Caelum* autem expeditiùs in breuibus epigraphis, cuiuſmodi illa de Beata Tereſia Virg. Paradiſi delicijs mentem intendente adhuc mortali, Auctore P. Marcello à Matre Dei Carmelita diſcalceato, in Nouem Choris Angelicis.

CCLXXIII.

PVLCHRIORA . CAELESTIA . SPECTACVLA
IN . AETERNO . CIRCO . MAXIMO
NON . MINVS . FREQVENTER . QVAM . FELICITER
CONTEMPLANTI

Et illa eiuſdem de eadem Paradiſum ſibi pateſcentem cernente, ac recreata:

CCLXXIV.

TEMPLVM . SVBEVNTI
PATEFACTIS . CAELVM . IANVIS . OSTENDITVR
VT . VELVT . EXPVGNATVM . IN . DITIONEM . RECIPERET
QVOD . PROPEMODVM . ADAMANTINVM
NEC . SOLATII . QVIDQVAM . INSTILLANS
OBSIDIONE . PRECVM . VICENARIA
PERSEVERANTER . OPPVGNAVERAT

Nam qui vulgò *Paradiſus Terreſtris*, non videtur ſua voce fraudandus, qua donatus antiquitùs eſt, cùm in Sacra Geneſi habeatur *Plantauerat autem* (Deus) *Paradiſum voluptatis à principio.* Siue ex Graeco deriuata ſit vox *Paradiſus* vt innuit Iſidorus Orig. lib. XIV. Cap. III. ſiue ex Perſico, vt tradit Iulius Pollux lib. II. τῶν ὀνομάτων. Eſt igitur quodam modo propria eius loci appellatio, impropria verò aliorum, & metaphorica. Quamquàm elegantiùs Latinè verſa vſurpetur *Hortus amoenus*, quae eſt germana vocabuli ſignificatio. Audiendus eſt Io. Baptiſta Maſculus Elogiaſtes amoeniſſimus noſtri temporis, Encomio de Heua Adami Vxore, ac Matre humani generis in Paradiſo creata: *Non excepit te beatus hortus vt aduenam, ſed vt indigenam*: & infrà de eadem pomo capta: *Inter horti collocata delicias Non fuiſti ſtudioſa florum, tametſi Virgo*. Idem de Patriarcha Enocho in terreſtrem Paradiſum tranſlato: *Recepit tunc hominem poſtliminio paterna regio.* Mox de eodem è Paradiſo euadente: *Mirum dictu: Ex Horti amoenitate progreſſus redibit ſeueritatis acerrimus praeco.*

DIABOLVS quoque, niſi neceſſitate exigente, hoc eſt materiae, aut ſacri ritus decoro, expungetur, quidquid obnitatur Marius Conradus de Copia Lat. Ser. lib. V. Nam à διαβάλλω *Calumnior*, *Obtrecto*, *Criminor* ducitur διάβολος Calumniator, Obtrectator &c. quod quidem niſi tranſlatè, hoc eſt impropriè de hoſte humani generis vſurpatur. Nec allegata Chriſti Domini quidquam roboris habet auctoritas, qui Syriaco ſermone vtens (cum ageret mortalis inter Hebraeos) hoc eſt mixto ex Hebraico & Chaldaico, vocem Graecam διάβολος haud quaquam enunciaſſe credendus eſt: Quin, vt obſeruat Auctor Onomatographiae Ludouicus Balleſter, in ſacris literis Diabolus idem eſt, & Satan, Hebraicè autem *Reſeph*: allegatque locum Pſalmi CVIII. *Diabolus ſtet à dextris eius*, Hebraicè *Satan*. Et Habachuch cap. III. *Egredietur Diabolus ante pedes eius*, Hebraicè *Reſeph*, id eſt *Satan.* Itaque hocce Graecae vocis auctoritatem à Sanctis quibuſdam Scriptoribus, & interpretibus habet, ab ipſo Chriſti ſermone non habet: Nec illi tamen Latinitatis (de qua impraeſens controuerſamur) munditiem curauere.

DAEMON quoque nondum Latio excepta vox, aut diſertorum probata conſenſu; ſicuti neque genere neutro, declinatione ſecunda *Daemonium*; pro qua licet frequente in ſacris libris, Hebraicam vocem *Seir* in vulgata editione *Daemonem*, non dubitat Diuus Hieronymus interpretari *Piloſum* (quales ſunt Satyri, quorum in ſpecie repraeſentatur Daemon) Ita in Iſaiae cap. XXXIV. & alibi. Praeterea Daemon, ſi Lactantio Firmiano de Orig. Erroris lib. II. credimus, qui Platonem, & veteres grammaticos ſectatur, prudentem, ſcientemque ſignificat; neque hoſtem capitaliſſimum noſtri generis ſatis exprimet, niſi adiuncto componatur κακοδαίμων (quam vocem Latinè quoque retinent diſertiſſimi viri) vt apud Valerium Max. lib. I. Cap. VII. de Somnijs: vbi Caſſio Parmenſi viſus eſt aduenisse homo ingentis magnitudinis, coloris nigri, ſqualida barba, capillo demiſſo; interrogatuſque, quiſnam eſſet, reſpondiſſe κακοδαίμων. Nec deeſt genuina vox Latio. Nam quod (vt ait Lactantius Firmianus ibidem) ſpiritus hi contaminati, ac perdendis hominibus ſemper intenti, *ſibi Geniorum nomen aſſumunt*, *ſic enim* inquit *Latino ſermone Daemonas interpretantur*: cùm extent & boni Genij, & mali, vt adnotauit Seruius interpretans in hunc ſenſum locum Virgilij Aeneid. VI. *Quiſque ſuos, patimur manes*; debetur adiunctum Mali, quod ſibi adſciſcere Cacodaemon renuit, vt bonus creditus, in frau-

des

des ſuas ; faciliùs mortales trahat. Ita locum Plutarchi vertunt Interpretes in vita Bruti, quod cùm ei ſimiliter apparuiſſet, *tuus ſum, inquit, Genius malus* δαίμων κακὸς. *Satanae* appellationem non reſpuunt cum Mureto eruditi, quorum auctoritate & accepta eſt vox, & vſu iam trita. Ita enim habet ille in Orat. de Dignitate Studij Theologici: *hominum de caliginoſiſſimis illis Satanae ergaſtulis erutorum multitudine* &c. Aliter etiam dicitur ex Triſmegiſto Graecè ἄγγελος πόνηρος, Latinè *Malus Angelus*: ſeu *ſpiritus nequam*. Illa verò è Latio *Laruae*, *Manes*, *Empuſae*, *Striges*, *Lemures*, *Lamiae*, *Lares*, Furiae, (quae quomodo ſignificatum varient, conſulenda ſunt Lexica) Item translatione rei Continentis pro Contenta *Tartarus*. Ita Marcellus in Elog. de Diua Tereſia inſtaurationem Ordinis ſui adorſa: *In rerum denique vniuerſitate coniurato, & obſiſtente Tartaro* &c.

BIBLIA SACRA, cum Graeco vocabulo Latinum Adiunctum Latinitatis nitor aegrè patitur. Datur quidem religioni, ac vetuſtati ſacroſanctae, vt is titulus praeferatur; Elogiaſtes verò citra neceſſitatem malit enunciare *Sacras Literas*, *Sacros Codices*, *Sacra Volumina*, *paginas*, *libros* &c. Neceſſitas verò vti contingat, docetur Epitaphio Romano recente apud Sueertium in Sel. Delicijs. Legitur id in Diui Iacobi Hiſpan. Videlicet:

CCLXXV.

D . O . M
PETRO . CIACONIO . PRESB. TOLETANO
IN . QVO . MVLTIPLICIS . DOCTRINAE . COPIA
CVM . VITAE . AC . MORVM . INTEGRITATE
CERTABAT
QVI . A . GREGORIO . XIII. PONT. MAX
SANCTORVM . PATRVM . LIBRIS
SACRISQ. CANONIBVS . AC . SACROSANCTIS . BIBLIIS
PERPVRGANDIS . PRAEPOSITVS
IN . EO . MVNERE . OBEVNDO
ERVDITIONE . IVDICIO . FIDE . AC . DILIGENTIA
PRAESTITIT
ECCLESIA . S. IACOBI . HISPANORVM
QVI . VRBEM . COLVNT
HERES . AB . EO . INSTITVTA
MONVMENTVM . HOC . POS
VIXIT . ANN. LVI. OBIIT . AN. MDLXXXI. VI. CAL. NOV

GRATIAE PER SANCTOS IMPETRATAE

Membrum XVIII.

GRATIAE PER SANCTOS IMPETRATAE ex vulgi ſenſu, quomodò Latinè reddantur, copioſiſſimè docent marmora, vt, quae de Dijs Ethnicorum ibi leguntur, nos ad Deum verum, ad Diuos, Diuaſque transferamus. Id autem bifariam ſuccedit: nimirum aut compendio epitheti vnius, aut deſcriptione: Priore quidem modo trifariam. Nam aut praeſentibus miſerijs ipſi nos ereptos ſignificaturi ſumus; aut impendentibus ſubtractos; aut denique beneficijs affectos à Deo interuentu Sanctorum.

Primi ordinis epitheta, Vt, cùm Ethnici Primò *Marti Auxiliatori* inſcribebant, apud Gruterum pag. VI. num. 3. Secundò *Fortunae Adiutrici*, ibidem pag. LXXIII. num. 7. Tertiò *Propitijs Dijs*, ibid. pag. VI. num. 10. Quartò *Mineruae Memori*, ſic LXXXI. 9.

MINERVAE

CCLXXVI.

MINERVAE
MEMORI
COELIA · IVLIANA
INDVLGENTIA
MEDICINARVM
EIVS. INFIRMITATE
GRAVI . LIBERATA

& MLXVII. 4.

CCLXXVII.

MINERVAE
MEMORI. TVLLI
A. SVPERIANA. RES
TITVTIONE. FACTA
SIBI. CAPILLORVM

id quod Sacer Vates flagitabat piè queribundus: *Vſquequò Domine obliuiſceris me in finem?*

Quintò *Herculi Placido*, ibi XLVIII. 9. Sic placidum, hoc eſt placatum numen nos delinquentes experimur. Sextò *Fortunae Reſpicienti*, ibi MLXXII. 6. quod etiam Pſaltes Rex poſcebat *Reſpice in me, & miſerere mei.* Septimò *Praeſenti*, ibi XCIX. 7.

CCLXXVIII.

M. SEPTIMIVS. C. F
MENTI. FIDEIQ. DEABVS
PRAESENTIBVS
EX. VOTO. S. P

Quod aliter vſurpatur, ibi XXVIII. num. 4 *Praeſentiae Matris Deùm P. Septimius* &c. Nos etiam *Praeſentiae Matris Dei* &c. vel *Diui Antonij Patauini* &c. Octauò *Herculi Celeri*, XLV. 6. Nos etiam ad illud Pſalmi alludentes, *Accelera, vt eruas me.* Adde Nonò *Ioui ſereno*, XXIII. 1. translatè, quaſi poſt nubila aerumnarum reſtitutâ Caeli facie. Decimò *Ioui Optimo Maximo Statori*, XXIII. 5. vbi nos poſt luem diù graſſatam, aliumuè morbum latè ſerpentem. Vndecimò *Ioui Optimo Seruatori*, ita *Chriſto Seruatori*, *Mariae Seruatrici*, *Diuo Rocho* (in epidimia) *Seruatori*. Duodecimò *Salutari*, vt LXVII. 9.

CCLXXIX.

HESCVLAPIO. ET. HYGIAE
CAETERISQ. DIIS. DEABVSQ
HVIVS. LOCI. SALVTARIB
C. IVL. FRONTONIANVS. VET
EX. B. F. COS. LEG. V. M. P. REDDI
TIS. SIBI. LVMINIBVS. GRAT
AG. EX. VISO. PRO. SE. ET. CAPSIA
MAXIMA. CONIVG. ET. IVLIA
FRONTINA. FILIA. V. S. L. M

Tertiodecimò *Salutifero*, vt XCIIII. 1.

CCLXXX.

NYMPHIS. SALVTIFERIS. SACRVM
M. LVCILIVS. LVCILI
ANVS. AVG. COL. PRO
SALVTE. SVA. ET
L. ANTISTI. ONE
SIMI. AVG. COL
V. S. L. M

Quartodecimò *Opifero*, vt LXXV. 9.

CCLXXXI.

C. IVLIVS &c
SALTVM. FORTVNAE. OPIFERAE
RESTITVIT. PRO. SALVTE
POLYBII. LIBERALIS. PATRIS

Poſtremò adde cum Mario Conrado: *Mariae Virgini Miſericordi.*

Secundi ordinis Epitheta, de imminentibus malis auerſis. Primò *Defenſori*, vt apud eundem Gruterum pag. XLV. 12.

CCLXXXII.

HERCVLI. DEFENSORI
PRO. REDITV. ET. ITV
D. CLODI. SEPTIMI
ALBINI. CAESARIS
D. CLODIVS &c. D. D

Secundò *Tutelari*, ibid. L. 7.

CCLXXXIII.

MERCVRIO. ET
MINERVAE. DIS
TVTELARR. S
★ ideſt *Tutelaribus ſacrum*.

Elegantia pari, ibid. LXXIII. 7. *Tutelae* pro Tutelari, per metonymiam.

CCLXXXIV.

FORTVNAE. ADIVTRI
CI. ET. TVTELAE
VAL. FLORENTINVS
V. L. S
★ *votum libens ſoluit.*

Tertiò non abhorrebit, putamus, à ſanctitudine noſtrae religionis, ſi Deae Ethnicis *Tutilinae* nomen ad noſtrarum Diuarum Elogium transferamus, de quo marmor antiquû, ibi XCIX. 6.

TVTILI-

TVTILINAE. SACR. Nobis quippe Tutilina verior Deipara, & reliquae Diuae Tutelares. Quartò *Cuſtodi*, ibi XX. 1.

CCLXXXV.

IVPITER
CVSTOS
DOMVS . AVG

Ita CXXXIV.

CCLXXXVI.

HERCVLI . MAGNO . CVSTODI

Quintò *Herculi Comiti Cuſtodi*, XLV. 8. Sextò *Ioui Conſeruatori*. XVIII. 3.

CCLXXXVII.

IOVI . CAPITOL
MARTI . ET . FORTVNAE
ALIISQ. DIS . CONSERVAT
DOMVS . AVG
IMP. CAESARIS . DIVI . F
AVGVSTI . PONT. MAX
VOTO . SVSCEPTO
L. DOMITIVS . MAXIMVS
S. P. P

Ita LXXV. 1.

CCLXXXVIII.

NVMINI . DOM . AVG
SACRVM
GENIO . CONSERVATO
RI . HORREORVM . GAL
BIANORVM
M. LORINVS
FORTVNATVS
MAGISTER
S. P. D. D

& XXV. 4.

CCLXXXIX.

IVNONI . CONSERVATRICI
LIBERORVM . DOMVS . AVG

Et *Deo Herculi Comiti, & Conſeruatori*. XLV. 7. Septimò.

CCXC.

DIS . SECVRITATIS
Q. VIBIVS . HERMA
ANTISTES
SANCTI . SILVANI
ANNVM . AGENS
LXX . FECIT
SIBI . B. B

ibi CCCVIII. 9.

Octauò *Praeſtiti Ioui*. XXII. 1.

Nonò *Felici* LXXXXVI. 9.

CCXCI.

CVNINAE . FELICI
SACRVM
CLAVDIA . HELPIS
D. D

quae ſcilicet infantem in cunis feliciter conſeruauit.

Decimò ex Mario Conrado: *Diuae Mariae Soſpitae*, & *Soſpitali*. Adde Epitheton *Praeſidis*, cùm pro defenſore vſurpatur: de quo extat locus Liuij VI. ab Vrbe: *Dij, Deaeque, qui Capitolium, Arcemque incolitis, ſiccinè veſtrum militem, ac Praeſidem ſinitis vexari ab inimicis?*

Tertij ordinis Epitheta de praeſtitis beneficijs. Primò *Herculi Pacifero*, vt ibid. XLIX. 1. Ita quam vulgus dicit *Diuam Mariam de Pace*, Latinè inſcribes D. MARIAE PACIFERAE: ad cuius analogiam *Mariae Opiferae*, vulgò *Sanctae Mariae Gratiarum*; vel Secundò, vt LXXXIII. 9. *Templum Iſis exoratae*, ita MARIAE . EXORATAE; Vel Tertiò, vt LXXV. 8.

CCXCII.

FORTVNAE . OBSEQVEN
TI . SACRVM
FLAVIA . MODESTINA
PERP. EIVS . ANTISTES
EX . VOLVNTATE . TEREN
TI . AEMILIANI . VIRI
SVI . IN . PRAEDIO
A . PATRE . FL. MODESTO
SALACIENSI . SIBI
RELICTO . A. L. F

Non ſecus nos *Mariae obſequenti*, quod alijs quoque Diuis congruet, quibus beneficia accepta referuntur. Quartò XXXV. 13. *Soli iuuanti*. Quintò in eundem ſenſum *Herculi Iouio*, XVIII. 4. Sextò *Fortunae Reduci*, MIX. 9. pro felici nimirum reditu. Septimò, & Octauò poſt victorias de hoſte, L. 3.

CCXCIII.

HERCVLI . VICTORI
POLLENTI . POTENTI
INVICTO . D. D. L. M
C. VLPIVS . FRONTO &c
& M.

& MLXVIII. 2.

CCXCIV.

DIS . MILITARIBVS
ET . GENIO . LOCI . PRO
SALVTE . ET . REDITV
IMP. CAES. M. AVR
ANTONINI . PII . IN
VICTI . AVG. CLOD. MAR
CELLINVS &c

Haec planè Epitheta quadrant in Tutelarem Hiſpanorum Diuum Iacobum, & Polonorum D. Caſimirum, in Diuum quoque Georgium, & quos habent quaeque gentes patronum aduerſus hoſtes. Nonò, vt XXVI. 8. *Cereri Frugiferae ſacrum* : ita quos Ruſtici noſtrates colunt Diuos tanquam Praeſides agrorum, alios alibi. Decimò, adde ex Mario Conrado, *Diuo* N. *piè merito*.

Deſcriptione autem quomodo exprimantur Latinè, quae vulgò ſunt *Gratiae per Sanctos impetratae*, etiam miraculis editis, è ſubtextis recentibus Inſcriptionibus luculenter diſces. Quarum primam in Templo Aſpri Collis citat inter Brabantinas Suueertius, videlicet:

CCXCV.

DEO . OPTIMO . MAXIMO
DEIPARAEQVE . VIRGINI . MARIAE
MAGNAE . IN . REBVS . AFFLICTIS . AVXILIATRICI
QVA . MATER . CHRISTI . EST . POTENTI
QVA . MATER . NOSTRA . EST . VOLENTI
QVAE . COLLEM . SALTIBVS . ASPERVM . ELEGIT
VT . MIRACVLORVM . FAMA . INCLYTVM
SVPER . ALTISS. MONTIVM . CVLMINA . EXALTARET
VNDE . NOMINIS . SVI . GLORIAM . CVLTVMQVE
PER . INNVMERABILIA . BENEFICIORVM . MISSILIA
FRENDENTE . NEQVIDQVAM . HAERESI
TOTO . TERRARVM . ORBE . DIFFVNDERET
ALBERTVS . ET . ISABELLA
ARCHIDVCES . AVSTRIAE . BELGICAEQ. PRINCIPES
TVTELARI . SVAE . AC . SVORVM . DIVAE
POST . CIVILIA . XL. AMPLIVS . ANNORVM . BELLA
PACATIS . BELGICAE . PROVINCIIS
PVBLICAE . GRATITVDINIS . ERGO
HANC . BASILICAM . A . FVNDAMENTIS . EXCITARVNT
ANNO . PARTAE . SALVTIS . CIↃ. IↃ.CIX

Formam non abſimilem vſurpat Inſcriptio ad Virgines Facuntinas, ibidem citata, quam poſuit Petrus Piccolomineus Senenſis Antuerpiae in Diuae Mariae de Prouenzano: *Cuius meritis*, inquit, *ſuffragantibus in Senarum vrbe* &c. *Deo mirabiliter operante innumera poſtulantibus praeſtantur beneficia*. Idem Suueertius in ſuis Select. Delic. citat Ferrarienſem Epigrapham ad Diui Georgij paris elegantiae, ac breuitatis.

CCXCVI.

DIVI . MAVRELII . MARTYRIS . ET . EPISCOPI
VENERANDA . OSSA
CVIVS . DIVINITATEM . FREQVENS
VOTORVM . REVS . TESTATVR
IN . DIES

Et

Et illa haud inferioris notae in Collegij noſtri aedibus Ticinenſibus, ſub imagine eximij Praeſulis ex Ordine noſtro, Auctore Philiberto Marchinio; quam ſic habe:

CCXCVII.

COSMVS . DOSSENIVS . PAPIENSIS
XIII. CONGREGATIONIS . PRAEPOSITVS
QVARTVM . CREATVS
DERTHONENSIS . EPISCOPVS
SANCTITATIS . EXEMPLA . PRAEBVIT . VIVVS
SIGNA . DEFVNCTVS

Sacras autem imagines, quarum ex cultu beneficia nobis Deus diſpenſat, malè vulgus *miraculoſas* appellat; quam vocem obſeruat Voſſius de Vitijs ſerm. lib. III. cap. XXVI. ignotam vetuſtis; pro qua repones *Imagines Sanctorum miraculis editis celebres*; *miraculorum*, *prodigiorum frequentia religioſas*: vel *fama ſignorum venerabiles* &c. Repete Inſcriptionem S. Sauinae Laudenſis ſub principium libri poſitam, tit. Verborum Barbaries, Elogio in ordine LXVI.

PRESBYTER, CATECHISMVS, OECVMENICVS

Membrum XIX.

HAs Graecas voces extra ſacras Epigraphas, in queis neceſſitas dumtaxat, aut certè decorum admittit, non facilè vſurpauerim, cum eae Latinè percommodè reddantur. Ac pro *PRESBYTER* ſtabit Sacerdos, vèl vbi à reliquis ſacris Ordinibus eſt ſecernendum: Indè *Sacerdotium* pro *Presbyteratu*. Limam ergo non reſpuerit Epigrapha ſepulcralis cũ reliquis eius notae, quam citat in Brabantinis Suueertius, videlicet:

CCXCVIII.

NICOLAVS . AGRICOLA . BRECHTANVS
HVIVS . AEDIS . PRESBYTER
QVOD . MORTALE . HIC . DEPOSVIT
AD . SONVM . TVBAE . ARCHANGELI
EXPECTAT . INDVERE
IMMORTALE
VIXIT . ANN. LXIII. OBIIT . A. M.D.C.VI
TV . EI . REQVIEM . LECTOR . PRECARE

Neceſſitatis exceptionem volumus, v. g. in illo titulo *Sanctae Romanae Eccleſiae Presbyter Cardinalis*, vbi ita propriam appellationem effecit vſus, vt ſine ſuperſtitione barbariſmi ſit vſurpanda. Hinc etiam probanda vox *Presbyterium* alicubi pro ſede Presbyteri, ſeu Sacerdotis ritu operantis ſolemni. Ad haec cùm ſacrorum in Eccleſia Ordinum habetur cenſus; nam ſi (vt rectè praecipit Marius Conradus lib. V. de Copia Lat. ſer.) voces diuerſarum rerum à Profeſſoribus artium ſunt petendae, multò iuſtiùs à iure Pontificio decretae tenendae fuerint, illaeſa idcirco Latinitatis antiquae ſanctitate.

CATECHISMVS generatim ſignificat inſtitutionem, ſeu prima diſciplinae elementa, cui ſi iungas epitheton *Chriſtianus*, Latinè optimè reddetur *Chriſtiana inſtitutio*, vel *diſciplina*; *Elementa Chriſtianae doctrinae*; *Initiamenta Chriſtiana* &c. Neceſſitatem verò Graecae vocis indicat vſus vulgi, cuius ad intelligentiam, vt ſeſe accommodet Inſtitutor Chriſtianorum dogmatum, vulgari titulo inſcribat oportet libellos eius materiae, praeſertim vbi Haereſis tenet. Ita prudenter dixit Fortunatus Columbus noſter in Vita Ludouici Bitoſti cap. XIX. *Anxia ſedulitate populares voces veſtigans, adornato*

nato ad vſum libello tàm properè deſcripſit, vt Gallica vernaculis dein componens breui totum Catechiſmum Benebarnenſi idiomate perfecerit. Quamquam Columbus hic Barclaij ſtudioſus Barbariae putrim, Coruum imitatus, identidem ſectatur.

OECVMENICVS (ἀπὸ τῆς οἰκουμένης orbis terrarum) Latinè eſt *Vniuerſalis*, *Generalis*. Inde Synodus Oecumenica (vox vtraque Graeca) coniugatim vſu Patrum obtinente probabilis eſt: Etſi puriùs Latinè *Concilium Generale*, vel *Vniuerſale*. Et de Florentino, in quo peracta Graecorum cum Latinis Romanis concordia, titulus Graecè Ἡ ἁγία, καὶ οἰκουμένικη ἐν Φλωρεντίᾳ Σύνοδος, Latinum marmor factum memorans (cernitur in Aede Summa Florentina) incipit : *GENERALI CONCILIO FLORENTIAE CELEBRATO*. Superſedemus à tota Inſcriptione referenda, cùm in hac dumtaxat parte Latina ſit, in reliquo barbariſmi pedore corrupta.

EXCOMMVNICATIO, BLASPHEMIA

Membrum XX.

EXCOMMVNICATIO (qua quis contumax ad Praeſulis leges ſeiungitur à piorum communicatione) vox haud nouanda, cùm Latinè exprimi aliter, ac purè ſenſus poſſet. V. g. ſi vocetur *Sacris interdictio*, *A communione piorum excluſio*, *Pontificia imprecatio*, vel *execratio*; Pola Elogio de Conſtantio Capreolo : *In minaci Pontificalis execrationis trepidatione Rhodiginae militiae praefectura ornatus eſt generali*. Graeca autem,ſed Latio donata voce, *Anathema*. Caeſar Alexius Elogio de S. Leone I. Summo Pont. *Ab eo*, inquit, *Eutichetem ſacris proſcriptum*. Delmonacus Elog. de Paulo Aretio ad Epiſcopatum coacto : *Placentinus Antiſtes inclamatur*, *Et nolle etiam Anathemate interdicitur*. Hominem verò ſimiliter ne dic *Excommunicatum*, ſed vel Graecè *Anathematizatum*, aut *Anathemate perculſum*; vel Latinè *Sacrum*, quocum Paulus Iouius conſentit Elogio ſub effigie Friderici I. Imp. de Alexandro III. Pont. Max. *Ea autem conſtantis, & infracti Pontificis felicitas fuit, vt Caeſariani Pſeudopontifices ab ſe legitimo iure execrati, atque damnati, quamquam robuſto integrae aetatis habitu valerent, Deo magno vindicante noxam, aegri ſenis fatum anteierint*. Nam antiquitùs ſacri homines dicebantur, qui cum execrationibus per vrbem circumducti omnia in ſeſe Ciuitatis mala ſuſcipere credebantur. Vel denique dic cum Diuo Cypriano *Abſtentum*, ab *Abſtineor*; quaſi remotum, & ſeparatum à piorum hominum communione.

BLASPHEMIAM autem, ne recitando quidem,vocem admiſerim, adhuc quippe peregrinantem in Latio. *Blaſphemo*,inquit Voſſius (de Vitijs Ser. lib.IV. Cap.II.) pro *Execror* claſſicis eſt ignotum. Ergo quod eſt Graecis *Blaſphemo*, Latinis eſt *Execror*, *Deteſtor*, *Maledico*: Et pro *Blaſphemia* eſt *Execratio*, *Deteſtatio*, *Maledictum*: Et pro *Blaſphematore*, ſeu *Blaſphemo* eſt *Maledicus*, *Procax*, *Contumelioſus*, *Conuitiator*, *Execrator*. Ita qui inſcripſit : *Blaſphemum Aleatorem exhorre*, puriùs dictauerit : *Contumelioſum in Diuinitatem Aleatorem exhorre*.

NAVIS, ET AVLA DE ECCLESIA, SEV TEMPLO

Membrum XXI.

PRimùm Nauis citra translationem appellatio de Eccleſia, ſeu Templo omnino impropria eſt, & ex triuijs recèns petita. Credibile eſt autem irrepſiſſe corruptelam ex affinitate Graecarum vocum Ναὸς, ναοῦ, & Ναῦς, ναὸς, quarum altera Templum ſignificat, altera Nauim; atque ex accepto Latinis vſu Graecae vocis *Pronaon* pro Templi veſtibulo, quod

priſcis

priſcis Chriſtianis fuit etiam Pluteus, ſeu Pulpitum (pars quidem Templi interior, & eminens; media autem inter Baſilicam, & Adytum, ex qua ad Populum Lectiones ſacrae, atque Homeliae recitabantur; alia certè à ſuggeſto, vnde hodie habentur Conciones) atque hinc vulgus *Nauim Eccleſiae mediam vſurpare*, & *Naues Eccleſiae laterales*. Quamobrem inſtituti noſtri poſtulat ratio, vt cùm eius partis, tùm aliarum, quae ſunt in Templis praecipuae, vocabula propria indicemus, expunctis improprijs, quae vitio ſeculi in marmora noſtratia intruſa iam ſunt. Sunt autem Templi partes praecipuae tres.

I. Sanctior, quae extrema, ſi cum vulgo *Chorum* dicas, Latinis eſt (voce è Graeco accepta) Odaeum, in quo Pſalmi, & laudes recitantur, Diuinaque officia Deo perſoluuntur. Si *Cappellam Maiorem*, eſt Latinis Cella ſacratior, ſeu ſanctior, Adytum, Sacrum penetrale, quò ſcilicet intrare ſolis fas eſt Sacerdotibus ad ſacra facienda. Recole Membrum XIV. huiuſce Claſſis.

II. Quae prima occurrit, extrinſecùs quidem Facies, vel Frons, & figuratè limen dicitur; intrinſecùs autem Pronaon, & Veſtibulum, quam partem tenuioris ſtructurae, ac molis Templa ſaepe deſiderant. Sunt, vbi faciem occupat Atrium, Area ſcilicet cum ambiente porticu. Pro Facie, & Fronte Templi etiam *limen* per Synecdochen. Ita in Romana Inſcriptione (apud Suueertium in Select. Delic.) de Sixto V. Pont. Max. *Obeliſcum ex neglecto, & infrequente illuſtriorem in locum ante limina Baſilicae S. Petri, quò cunctis patere, adeòque ingens moles conſpicua eſſe poſſet, transferendum, erigendum* &c. *decreuit*. Et in altera ſimili: *Obeliſco Magno ad limina S. Petri aſportato*. Et alibi: *Obeliſcum Vaticanum Dijs gentium impio cultu dicatum ad Apoſtolorum limina, operoſo labore tranſtulit*. Hoc autem in area collocauit.

III. Media verò pars, ſi Columnis hinc, & inde fulcitur, Baſilicae nomen vendicat: de qua audiendus Ioannes Roſinus Antiquit. Roman. lib. II. cap. II. *Baſilica*, inquiens, *quam nos Nauem*, aut *Carinam vocamus: Deambulationes, quae vtrinque ſunt, omninò porticus ſunt veterum*. Et quidem Baſilicae appellatio cùm porticus quoque complecti videatur, quonam nomine donabimus partem illam, quae porticibus ipſis continetur, & quam vulgus Nauim Eccleſiae mediam? niſi quò donat vbique Vitruuius, & ex Vitruuio accepit Sigiſmundus Boldonius in ſuo Lario, Templum Maximum Vrbis Nouocomenſis graphicè deſcribens. *Ipſa*, inquit, *Templi cella geminis hinc inde porticibus in Baſilicae modum diſtincta, non ſine magna quadam, & quaſi caeleſti maieſtate pateſcit. Ipſae porticus ſenis hinc inde pilis* &c. Cellam igitur pro Naui mediâ vſurpabimus. Porticus autem, vel cum Vitruuio Alas Templi pro Nauibus lateralibus, ſeu parallelis Nauibus. Quod & recentiſſima Inſcriptione Romana cautum videmus (apud Florauantem in ſua Roma ſacra) quam citamus.

CCXCIX.

BASILICAM
PRINCIPIS . APOSTOLORVM
IN . HANC . MOLIS . AMPLITVDINEM
MVLTIPLICI . ROMANORVM . PONTIFF. EXAEDIFICATIONE
PERDVCTAM
INNOCENTIVS . X. PONT. MAX
NOVO . CAELATVRAE . OPERE . ORNATIS . SACELLIS
INTERIECTIS . IN . VTRAQVE . TEMPLI . ALA
MARMOREIS . COLVMNIS
STRATO
VARIO . LAPIDE . PAVIMENTO
MAGNIFICENTIVS . TERMINAVIT

* pro *Terminauit* aptiùs fortè *Abſoluit*, vel *Conſummauit*.

Atque adeo ſi Templo nullae adſint porticus, nullae columnae, nomen idem quadrabit Cellae, quod ex Vitruuio addiſcere eſt.

Iam purganda ſe offert Inſcriptio Romana recens in Vaticana Baſilica, quae nobis huiuſce diſſertationis argumentum ſubminiſtrauit, videlicet:

CCC.

CORPORA. SANCTORVM. SIMONIS. ET. IVDAE. APOSTOLORVM
Sub. Altari. antiquiſſimo in. Vaticana. Baſilica. eorum. nomini dicato ad. meridiem. inter. V. & VI. columnam. ab. ingreſſu.* Mediae. Nauis. I. Octob. Anni. infraſcripti intra. marmoream. arcam. iuxta. veterem traditionem. reperta. Cùm. ea. pars. Eccleſiae. rueret. PAVLI. V. Pont Max. iuſſu. Euangeliſta. Paliotta. Tit. S. Laurentij in Lucina. Cardinalis Cuſentinus. Eiuſdem. Baſilicae. Archipresbyter. in. nouum. Templum tranſtulit. &. ſolemni. ritu. hac. ſub. Ara. recondidit. Die. XXVII Decembris. Feſto. S Ioannis. Euangeliſtae. Anno. MDCV. Pontificatus eiuſdem. S. D. N. Anno Primo

In *AVLAE* vſu par corruptela manauit ad noſtrates à ſeculis ſoeculētis (vt ex Baronij Annal. tom. VIII. liquet in Inſcriptione Templi S. Pancratij ad annū Chriſti DCXXXVIII. ibi: *Corpus Martyris, quod ex obliquo Aulae iacebat, Altari inſignibus ornato, metallis loco proprio collocauit*) ſcilicet quùm Aula pro Cella vſurpatur Templi, vbi nullae columnis diductae porticus, ſeu Alae. Atque ſicut Vitruuio perpetuus in eum ſenſum eſt vſus *Cellae*, ita nulli bonorum Scriptorum (quod adhuc ſciam) vſus eſt *Aulae*. Quid enim, cedo, minus expreſſeris; quàm quod intendis? Nam propriè *Aula* dicitur de hypaethrio, hoc eſt loco ſubdiali, & perflatili, adeo vt etiam de Tibia, per quam ſpiritus commeat: Tu autem locum tibi vis tectum, ac tutum à Caeli iniurijs: Templum vis, vbi Ara ſit Iouis, non Hercaei, vt apud Homerum, ſed potiùs Penetralis. Nam ſi dicis ad Regiam, & Principis domum tranſferri nomen Aulae, rectè dicis transferri, locutione nimirum impropria, non tamen abſurda, quippe per figuram Synecdochen, quà conſequens pro antecedente vſurpatur; quod Principum aedes habere ſoleant ante ſe ampla ſubdialia. Si ſacrum Interpretem proferas, qui ex αὐλὴ vertit Atrium, & hoc per figuram Metonymiam Continentis pro Contento. Habet enim Atrium mediam Aream locum perflatilem, & impluuium, non abſimilem Aulae. At quam indicare vis Cellam, ſi benè aſpicis, nihil habet cum ſubdiali contiguum, nihil contentum, continuumuè, ſed, ſi quod aliud, contrarium, & repugnans; vt Aulae appellationem imponere Cellae nihil ſit, niſi

Delphinum Syluis appingere, fluctibus Aprum.

Affine eſt hoc vitium illi, quo loca in priuatis aedibus eiuſdem ſtructurae, ac formae (quas vulgò *Salas* appellamus) nomine Latino *Aulae* donamus. Nam de vulgari hodierno nihil hic curamus, quod appelletur *l'Aula Regia*, *l'Aula dell'Vdienza* &c. Niſi fortè ad metalépſin confugiamus, vt ex Aula, loco ſubdiali ante Principum aedes ad ipſas aedes: & ex aedibus ad nobilius membrum gradus fiat, in quo quidem Tropi audacia laudem habebit, ſi proprium deſit vocabulum: Sed habemus ex Vitruuio germana vocabula è Graeco in Latium admiſſa. Is enim & *Oecum* dicit, & *Triclinium*, inter quae hoc intereſſe adnotat Daniel Barbarus, quòd illud fortè ad publicum ſpectat aedificium, hoc ad priuatum: vt Oecus ſit Triclinium maius, Triclinium Oecus minor. Nec Triclinium modò dedicatum erat conuiuijs, nam *In Oecis* (obſeruat Gulielmus Philander in Vitruuij lib. VI. cap. V.) *fiebant virilia conuiuia, vt infrà Cap. X. ait*. Et idem Philander paulò pòſt: *Sed & Matres familiarum cum lanificis in Oecis habere ſeſſiones, ille* (Vitruuius) *eodem Cap. X. ſcribit. Vt eorum omnino nomine intelligamus, quas Salas plebeia voce appellamus à ſaltando, vt cum Baptiſta Alberto putamus, quod in eis nuptiarum, & conuiuiorum alacritas celebretur: aut à ſalutatione,*

quod

quod ibi Dominos officij cauſa à clientibus, & ſalutatorum turba expectari moris ſit. Hinc facile proditur erratū Voſſij de Vitijs ſerm. lib.I. cap.I. Qui vocem *Sala* vti barbaram Latinis damnans, ſubſtituit *Atrium*, quod eſt primus intra aedes aditus, mediam habens Aream (vulgò *Corte*, *Cortile*) circùmque tria habitacula: nimirum Veſtibulum, Sportulam, & Culinam. Quàm pinguè etiam peccant Auctores Lexicorum vulgarium, qui vocem Italicam *Sala* (quae domi pars eſt inſignior, & ſpectabilior) Latinè Aulam reddunt, vnum illum proferentes locum, ex Cic. pro Domo ſua ad Pontifices, quem ij ſic citant: *Aulae Inſtrumentum, ornamentumuè in fundum vicini Conſulis transferebatur.* Quem locum non ex fonte; ſed riuo, eoque coenoſo, & anfractuoſo deducunt, hoc eſt è Theſauro Ciceroniano Marij Nizolij Brixellenſis, qui multis ſcatet corruptelis; illum tamen locum deprauatum quidem, vti monſtrabimus, non nihil tamen à deſcripto variantem ita refert ſub Voce *Aula*: *In fundum vicini Conſulis non inſtrumentum, aut ornamentum Aulae, ſed etiam arbores transferebantur.* Ita Nizolius ex editione Veneta apud Hieron. Zenarum & fratres, Anno MDLXXXIV. Iam adi fontem ipſum Ciceronianum (numero inquit ille 225.) &, vt ſenſum Oratoris faciliùs ebibas, paulò altiùs lectionem pete. Ita verò leges: *Nihil erat* (ait de ſe Cicero) *latum de me: non adeſſe eram iuſſus; non citatus fueram: Eram etiam tuo iudicio Ciuis incolumis, cùm Domus in Palatio, Villa in Tuſculano, altera ad alterum Conſulem transferebatur: Senatum Conſules vetabant, Columnae marmoreae ex aedibus meis inſpectante Populo Ro. ad ſocerum Conſulis portabantur: [In fundum autem vicini Conſulis non modò inſtrumentum, aut ornamenta Villae, ſed etiam arbores transferebantur.] Cùm ipſa villa non praedae cupiditate (quid enim erat praedae?) ſed odio, & crudelitate funditùs euerteretur.* Hactenus Cicero: cuius locus & ex praecedentibus, & ex conſequentibus, quae hic duximus deſcribenda, ſatis arguit Exſcriptorum atque Amanuenſium culpam nullo ſupplicio ſatis diluendam. Itemque quàm falſo nitatur fundamento vſus vocis *Aula* in ſenſum ab recentibus protruſum. Si quidem inter Villam (quae vox locum allegatum emendat,) & Aulam nihil illi volunt intereſſe. Patet etiam quid iudices de Inſcriptionibus apud Suueertium in Select. Del. praeſertim duabus Romanis, de Sixto V. Bibliothecae Apoſtolicae amplificatore, ibi: *Aula perampla, veſtibulo, cubiculis, circùm & infrà, ſcalis, porticibus, totoque aedificio a fundamentis extructo, ſubſellijs, pluteiſque directis, libris diſpoſitis* &c. Et de Pio IV. in Hortis Pontificum: *Complures Aulas, Cubicula, & Scalas circùm ſupraquè hemicyclum, pleraque à fundamentis extruxit* &c. Vna quoque Veneta de M. Antonio Triuiſano Principe: *Religionis amantiſſimus, dum Sacris in Imaginum Aula intereſſet, nulla aegritudine, flexis genibus, in gremio fratrum moriens migrauit in Caelum beatiſſimus.*

CANONIZARE, DEIFICARE

Membrum XXII.

CANONIZARE, DEIFICARE pro In Diuorum numerum referre, illud quidem ſpurium verbum, hoc barbarum. Latini vſurpabant *Conſecrare.* Inde *Conſecratio* pro ritu referendi hominem in Diuorum coetum. Sunt hodie, qui dicunt referre in Diuorum canonem, hoc eſt indiculum; ſed *Canon* vocabulum Latinis alterius ſignificationis eſt, vt ex Cic. & Plin. citatis in Theſ. Lat. L. Conſecrationis verò appellationem, & vſum cùm ex multis veterum monumentis colligimus, tùm ex Numiſmate aereo apud Sebaſtianum Erizzium, in quo caput apparet Liuiae Auguſtae velatum, cum epigrapha DIVA. LIVIA. AVGVSTA. Cuius in auerſa parte Pauo caudam in orbem explicans, & inſcriptio CONSECRATIO. Id autem numiſmatis monumentum eſt Liuiae in Diuas ritu ſolemni relatae, vti probat titulus *Diuae*, velum capitis ex more illorum temporū, Pauo Deae Iunonis inſigne, quaſi in conſortionē huiuſce Diuarum Reginae illa ſit recepta: denique titulus Conſecrationis expreſſus, quam

etiam Graeca voce Latinis accepta appellare fas eſt Apotheoſin. Alterum numiſma argenteum ab eodem editur, in quo effigies Auguſti his literis adſcriptis DIVVS. AVG. In auerſo illius Ara, & Ignis impoſitus, & Epigraphe eadem cum ſuperiori, CONSECRATIO: à Tiberio, vt putatur, inquit, cuſum ad conſignandam poſteritati memoriam Auguſti, in numerum Diuorum adlecti. Sic loqui titulum ipſum Diui, & Conſecrationis, ſic perhibere non ambiguè Aram cum Igne, quae quidem non niſi Deo erigitur ad ſacrificia.

Habet etiam, quem imitetur Elogiaſtes Marcellum Carmelitanum è Diſcalceatis Elog. de B. Virg. Tereſia; *Hic tandem genuflectito, & Aſcriptam nobiliſſimo Beatorum cenſui Virginem adorato* &c. Alibi in corpore Elogij habet: *Tereſiae* &c. *Paulo V. Pont. Max. Auguſtiſſimo, & abſolutiſſimo Principe decernente, Anno à Virginis obitu Secundo ſupra trigeſimum, Chriſti verò MDCXIV Titulo BEATAE ſuperaddito CAELESTES DEFERVNTVR HONORES.* Et quando nuper de numiſmate antiquo meminimus, ſuggerimus nouum pictura repraeſentatum inter alia plura ex pompa literaria in Collegio Romano, quùm lapidem primum fundando Templo Ignatiano Eminentiſs. Ludouiſius iaceret. Scilicet in aduerſa parte Diuum Ignatium exhibens cum circumducta Epigraphe; *Vt ſapiens architectus fundamentum poſui, quod eſt Chriſtus Ieſus*: auerſam partem his literis implebat;

CCCI.

LVDOVICVS
CARD. LVDOVISIVS
S. R. E. VICECANCELL
IGNATIO
CVI. GREGORIVS. XV. P. M
PATRVVS, SANCTORVM
CVLTVM. DECREVIT
COLENDO
TEMPLVM. EXTRVXIT
ANN. MDCXXVI

Conſulatur Felix Felicius in ſuo Onomaſtico Romano, Verbo *Canonizzare*, & *Canonizzatione*, vbi alios, atque alios ex Cicerone locos congerit ad rem Latinè reddendam cum copia.

PROXIMVS

Membrum XXIII.

PROXIMVS eo ſenſu, quo vulgata editio ſacrorum voluminum ſolenne habet dicere *Amor in proximum*, ex Latio haud venit, quocunque ex Gloſſis modo hic ſumatur appellatio proximi aut loco, aut ſanguinis neceſſitudine, aut amicitiae nexu, aut gentis religioniſuè communione, aut humanitatis nomine, cuiuſmodi eſt homo quiſque cuiuis homini ἕτερος τις ἄνθρωπος. Niſi collatio aliqua contrariorum intercedat, aut expreſſa, vt habetur apud Cic. I. Offic. *Qui benigniores volunt eſſe, quàm res* (ſubintellige *domeſtica*) *patitur, primùm in eo peccant, quod iniurioſi ſunt in PROXIMOS. Quas enim copias his & ſuppeditari aequius eſt, & relinqui, eas transferunt ad ALIENOS.* &c. Ecce oppoſitos Proximos Alienis, & quidem germana ſignificatione: Aut tacita, vt apud Suetonium in Othone cap. VI. *Alij febrem ſimulaſſe aiunt, eamque excuſationem proximis mandaſſe, ſi quaereretur*: ſcilicet proximis vt praeſentibus, & oculatis teſtibus haberi poterat certa fides; non autem remotis, abſentibuſque, ſolùm auritis. Caeterùm Latinè loquentibus nunquam auditum eſt *Diliges proximum tuum ſicut te ipſum*: Sed illud quidem: *Quod tibi fieri non vis, alteri ne feceris*: Neque Deus amore in proximos cogit, non autem in alienum quemque, cùm ad omne humanum genus proferat, pro quo ipſe vniuerſo vltrà ſanguinem deſudauit. Et cùm Hebraica lectio, quae originaria in hocce mandato eſt, ac Dei voce dictata, dictionem habeat, quae & *Alterum* ſignificat, & *Proximum*; illud vnum Latinum Latinè loquenti tenēdum, quanquam & aliter, nec vno modo idem cum nitore efferri poteſt. Nam pro Amore proximi dicam: *Amor in homines*, vel *hominum* (genit. caſu, vt habet Cicero pro Rabirio: *Nunc vos Equites Romani videte. Scitis me ortum à vobis*

omnia

omnia ſemper ſenſiſſe pro vobis: nihil horũ ſine magna cura, & ſumma charitate veſtri Ordinis loquar.) Item *Amor in omnes, in hominum genus, in omnes ordines: Beneuolentia, Humanitas in omnes, Gratia apud omnes.* Pro Amatore Proximi dicetur *Omnium Amans, Amicus, Studioſus, Officioſus in alios, Officijs in alios clarus, Ad beneficentiam pronus: Pietate in Deum, charitate in homines conſpicuus* &c.

Obſeruandae ſunt Inſcriptiones quaedam recentes in Vrbe (vt alias mittamus) quae & ſtudium animi, & experimenta amoris in alterum exprimunt. I. *Arnaldo Oſſato* &c. *Ampliſſimi Ordinis dignitatem officiorum in omnes propenſione cumulauit.* II. *Gulielmo Sirleto* &c. *Eruditorum, & Pauperum patrono, ac parenti beneficentiſſimo* &c. III. *Franciſco* &c. *manſuetudine, probitate, indefeſſoque iuuandi ſtudio inſigni, ſolùm ad benemerendum nato* &c. *quem* &c. *beneque volentem omnibus immatura mors ſuſtulit* &c. IV. *Ludouico Lucenae Hiſpano, qui praeter caeteras virtutes, quibus longè alijs excelluit, hanc maximam coluit, vt omnibus aſſiduè benefaceret, & neminem ob id ſibi deuinctum eſſe vellet* &c. V. *Gregorio XIII. Pont. Max.* &c. *H.S. octingentiès ſingulari beneficentia in egenos diſtributum* &c. *ob paternam in omnes gentes charitatem, qua ex vltimis noui Orbis inſulis* &c. *Legatos* &c. *pro Pontificia dignitate accepit* &c. Adde Cremonenſes binas, VI. *Siſte parumper Hoſpes gradum* &c. *cum eo adoleſcente vel praeter tantae virtutis indolem nihil eſſet amantius, nihil amabilius plurimis in vnum congeſtis ornamentis* &c. VII. *Hic pietas in patriam & pauperes prompta, monumento eſt vobis, Poſteri, vbi iaceo. Antonius Laſaitatus nulli vnquam noxius, Deo proximus. Vale.* Habes ſuperiora Inſcriptionum fragmẽta lecta ex Franc. Suueertio in Selectis Orb. Chriſt. Delicijs.

Digni ſunt etiam, quos inſpicias, hi Scriptores: Iacobus Philippus Thomaſinus in Petrarcha ſuo Rediuiuo Cap. XXII. *Summa*, inquiens, *quotidie eluceſcebat in Deum pietas, ſtudijque in mortales alacritas.* Iuglaris Elog. XXII. de Ludouici Regis Galliae amore in ſuos: *Herculis huius Euryſtheus Amor eximius, quo vniuerſos aequè eſt complexus, ac ſingulos* &c. Idem Elog. de Diuo Paulino Nolano: *Cùm omnia eriperet ſibi, vt in egenos effunderet, coactus vnà cum opibus operam ſuam Nolanis impendere; Ita ſalutem curauit animorum, vt non negligeret corporum, Aliorum nunquam oblitus, ſui ſemper non memor: Vſurpare ſibi non appetens, niſi omnium calamitates. Quem in ſe vitae amorem extinxerat, excitauit in ſuis.* Et paulò poſt: *Libertati redditus libertate ſua redemit alienam.* Perpende, quoties abſtineat hic à vocabulo Proximi alijs, & alijs illius loco ſuffectis. Id. de D. Cypriano Carthaginenſe: *Diù delituit, non quia timidus, ſed quia prudẽs; cùm tuto poſſet adhuc latere, & honeſtè iam poſſet erumpere, ſuis aequè vtilis cùm lateret, ac cùm erumperet.* Id. de D. Fulgentio Ruſpenſe: *Ruſpenſibus redditus, vt omnes ſibi ſimiles faceret, ſe nulli diſſimilem fingens immortalitatem & ſibi acquiſiuit & ſuis.* Aloyſius Nouarinus de B. Caietano: *Carnem ſuam ita afflictabat, vt ſua eſſe non videretur, imò nec caro: Summa ſui corporis cura fuit nulla. Seruiebat omnibus, Vni ſuo corpori nolebat deſeruire Dei obſequio omnino addictus, ſibi obſequium omne corporis interdixit.* Dolet offendiſſe nos corruptum in exitu Epitaphium caeterà ſanè perelegans, quod à Placido Puccinellio tranſmiſſum eſt; exſcriptum ad Mantuam in D. Mariae vulgo Gratiarum; Tu lege intentus, cenſuramque adhibe. Eſt autem huiuſmodi:

CCCII.

CAMILLO . CASTILIONEO
OMNIVM . HORARVM . VIRO
INSVLAE . PLANI . IN . PICENIS . BERTIANI . CIMENAE
ET . CASTRI . VAIRI . IN . SALASSIS . COMITI
CVNCTIS . ANIMI . ET . CORPORIS . DOTIBVS . ORNATISSIMO
HEROIS . AVLICI . EXEMPLAR . QVOD
PATER . DESCRIPSERAT . VITA . ET . MORIBVS . PROPRIIS
PRAECLARE . EXPRIMENTI
BELLI . ET . PACIS . LAVDIBVS . OB . RES . FORIS . DOMIQVE
FELICITER . GESTAS . CVMVLATISSIMO
CAROLI . V. IMP. ET . PHILIPPI . II. HISPP. REGIS
COHORTIBVS . TVRMIS . ATQVE . ALIIS . DVCENTIS

MILITIAE

MILITIAE . MVNERIBVS . QVIBVSCVNQVE . EGREGIE . PERFVNCTO
GVLIELMI . MANTVAE . ET . MONTISFERRATI . VINCENTIIQVE
EIVS . FILII . DVCVM . VRBIBVS . TVENDIS
POPVLISQVE . REGENDIS
PVBLICAE . QVIETIS . CONSERVATORIS . NOMEN . ADEPTO
IAM . OCTOGENARIO
VNIVERSALI . MOERORE . TERRIS . EREPTO
ATQVE . EX . EIVS . SINGVLARI . IN . DEVM . RELIGIONE
* IN . PROXIMVM . CHARITATE
AD . CAELOS . EVECTO
BALTHASSAR . ET . CHRISTOPHORVS . FF
AVITAE . VIRTVTIS . MEMORES . ET . AEMVLI
PONENDVM . CVRARVNT . AN. MDIIC

VNIO HYPOSTATICA, INCARNATIO

Membrum XXIV.

VEneranda omnino haec bina vocabula, quippe Diui Thomae caeleſti ingenio nouata, Eccleſiae poſtmodũ approbata cõſenſu, recentibus quoque non negligentibus Latinitatis Theologis vſurpata. Neque quiſquam noſtrum adeo impuri oris fuerit; qui, ſi loquendi formulas de Religione Romanis Ethnicis principio inuectas, tametſi ipſorummet Sacerdotibus aſperas, quandoque etiam imperceptas; retineri tamen conſentiat veluti iam conſecratas: Non hoc ipſum iuſtiùs, atque ſanctiùs noſtrae concedat Religioni, ad cuius fulgores verè Diuinos tota ilico diffugit caligo Ethniciſmi: hoc magis de Vocibus, quibus ad diſquirenda capita fidei praecipua; &, ſicut abſtruſiora, ita periculo erroris propiora vti neceſſum habent Theologi.

Verumtamen (vt primùm de *Vnione hypoſtatica* aliquid proferamus) quando Ioannes Paulus Nazarius Cremonenſis, Sacri Ordinis Praedicatorum nouum ſidus, à nullo Theologorum non ſalutatum, & maximè obſeruatum, binas praetereà Voces ad communem vſum affert paris omnino cum *Vnione* illa libramenti, ac paris ponderis, nimirum *Coniunctionem*, atque *Vnitatem* (ſubintellige vtrique epitheton *hypoſtaticam*) quarum quidem vtraque veteribus Latinis familiaris fuit: Harum, Tu Elogiaſtes, ſi alterutram vſurpes, tutior fueris à latratibus, ne dum morſibus ſciolorum. Conſule ipſum Nazarium Comment. in III. Partem Diui Thomae, Quaeſt. II. Art. VIII. Quarta Controuerſia, vbi hunc reſolutioni ſuae titulum imponit: *Nominibus Vnionis, ſeu Coniunctionis, & Vnitatis quandoque totalem, & quandoque formalem Aſſumptionis terminum diuerſa ratione ſignificari.* Nam primùm de bonitate vocabuli *Coniunctionis* nemo vnus Grammaticorum niſi in ſe ipſum furioſus quaeſtionem inierit. *Vnitatem* autem ab *Vno* inclinari, vt à Sancto Sanctitatem, à Puro Puritatem, & à Latino Latinitatem, tuemur cum Latinis veteribus, tùm cùm ſumma coniunctio ſignificatur; nam cùm numerus, vix illos fuiſſe vſos obſeruat Giſanius praeter Columellam, fortaſſe per conſequentiam quandam, cùm ait: *Vnitate maioris partis conſumi* (lib. XXIII. §. 4. de rei vind.) Nec trepidabis ad Graecum epitheton *Hypoſtatica*, Latinè ex ſenſu Theologorum *Perſonalis*: vtrumuis adhibeas, Latinè dices, hoc quidem natum, illud donatum Latio. Liberum praetereà fuerit pro *Vnione hypoſtatica* vſurpare Nexum Perſonalem: Ita *Perſonalem*, vt iam diximus, *Coniunctionem*, *Vnitatem*. Atque huius ſi exemplum ex veteribus quaeras, habebis ex Celſo lib. IV. Cap. XIX. *Donec* (inquit) *omnia, quae indita ſunt, in vnitatem quandam coëant.* Et lib. VI. Cap. VI. *Vbi facta vnitas eſt*; ideſt vbi in vnitatem coiuerunt. Cui congruit dictum recentis Elogiaſtae Iuglaris, Elog. XLVI. de Chriſto IESV. *Vnitatem (cum diſcipulis) ex diuiſionis dolore coniecit. Se ipſum vſus eſt deſtituere, cùm illos deſeruit.* Neque verò auſim afferre quaſi ſynonymon *Coitio*, etſi è loco Celſi allato deduci videatur; haec enim vox Ciceroni ſonat cõgregationẽ

plurium

plurium inferendae iniuriae gratia: etiamſi mitigari, & contrahi ad rem noſtrã videatur poſſe per Epitheton *Perſonalis*. Ad maiorem quoque copiam accipe ex Iuglari ibidem, Elogij II. clauſulam: *Sperate mitiorem Iudicem, Rei. Coepit aliquid habere, cui timeat. Inhumanus eſſe non poſſit, Qui tenaciſſimo glutino Humanitati coniunctus, Separabilis iam ab illa non eſt.* Theſaurus quoque metaphoricôs loquitur Elogio poſtremo Nouae Mundi Aetatis, cui titulus: *Ieſus Chriſtus Dei, ac Virginis Filius. Tu*, inquit, *Diuinorum operum meta, Caeleſti ſatu mortalia Caeleſtibus nectens; Ex Deo, Homo: Ex Virguncula Deus. Quod vnum deerat Vniuerſitati Miraculum, expleuiſti.* Satus caeleſtis vocatur illi: Scholaſticis clariùs, & congruentiùs: *Satus Hypoſtaticus*, aut *Perſonalis*.

Incarnatio ex eo (putamus) deriuauit, quod Ioannes ad Caelum raptus, atque in altiſſimum illud naſcentis ex mente Patris ab omni aeternitate Verbi, tùm naſcentis eiuſdem in tempore è Marianis viſceribus, carne ſibi humana copulata, ſtupente Mundo pronunciauit VERBVM CARO FACTVM EST: ſumpta per Synecdochen parte hominis pro toto, vt phraſis ſacroſancta quoad fieri poſſet, ſeruaretur, afflati Deo Sancti Eccleſiae Patres, fruſtra reluctante Latinitate dixerunt, *Incarnor, aris*, & exinde Incarnatio. Neque enim humanis legibus res Diuinas par eſt ancillari: Neque dubitauerim efferre *Humano, nas*, pro Humanitatem aſſumo, indeque *Humanatus*, & *Humanatio*: quia rei nouae noua appellatio imponenda, & hic Analogia optimè retinetur. Ad copiam autem ſermonis dicetur rectè *Corporatio*, *Humanae naturae*, aut *Humanae carnis*, aut *Humanitatis aſſumptio*, vel *Suſceptio*.

Iam quod Vnio Animorum vulgò dicitur, nullo id iure tueri poſſumus: Multò minus per genus foemininum *haec Vnio*. Primùm, quia praeter vſum iam traditum in Diuino Myſterio nihil nos cogit id vocabuli nouare: Pro eo namque extat Latinis boni ſeculi *Concordia*. Nec quamquam compoſitum illius *Communio* (ſi tamen compoſitum inde, & non magis ex plurali *Munia, orum*) ſimplex propterea *Vnio* probabitur. Neque valebit argumentum à Pari; quia, v. g. Compoſitum *Abuſio* pro Abuſus etiam apud Ciceronem legitur; & *Vſio* ſimplex apud Gellium, purum caeteroqui, caſtumque Scriptorem lib. IV. cap. II. Nam is in hac quidem voce *Vſio* carpitur ab Antonio Auguſtino emunctae naris Auctore lib. XI. Emend. cap. XI. tanquam laeſae Latinitatis in hac parte Reus. Quamquam non putamus haud ita ſeuerè culpandum Gellium, qui vocem hanc non peregrinam, aut nouam primus intruſit, ſed ex Catone exciuit iam antiquatam. Atqui nos iam monuimus ex Quintiliano, Proportionem in vocibus non eſſe loquendi legem, ſed conſuetudinis obſeruationem. Idcirco neque ſuffragabitur hoc loco aliarum vocum analogia, cuiuſmodi eſt à *regendo*, *regio*, à *legendo*, *legio*, à *Conciendo*, *concio*. Vt malè Scaliger (iudicio Voſſij) de Re poëtica lib. III. cap. CIV. de natura Singulorum dixerit: *Quorum conditio vniuerſa ſpectat ad vnionem*. Vtrum autem rectè dicitur vèl *Vnio* Verbum, prò vnitatem facio? Sic, tu inquies, vſus eſt Apuleius lib. II. Met. *Vnita ratio Numinis, Religioniſque eſſet*. Ibidem: *Numine vniti*. Et quidem Plinius maluit *Adunare*, Tertullianus *Vnare*. Quòd ſi ante Apuleij aetatem non dixerint *Vnire*, quid mirum, ſi nec inde *Vnio, onis* formauerint?

Adde, quod vſitatum Latinis *Vnio* pro Margarita, generis ſemper fuit virilis: Hinc & ad hominum appellationem tranſlatum non niſi maribus datum reperimus, vt apud Gruterum pag. DCCXVI. num. 5.

CCCIII.

D . M
M. VLPIO . LVCIO . FILIO . DVLCISSIMO
Q. V. A. III. M. X. D. V
FECER
M. VLPIVS . VNIO . ET . VLPIA . FELICITAS

Et

Et quod eodem in marmore ſubijcitur

CCCIV.

D . M
M. VLPIO . VNIONI
Q. V. A. L. M. III. D. X
FEC
VLPIA . FELICITAS
CONIVGI
B. M

Quare pro Vnione Animorum quid reponendum Latinitas iubeat, habes ex vetuſtis marmoribus. Et primùm apud Gruterum pag. DCCC XLIV. num. 7.

CCCV.

AMFIONI . FRATRI
PIISSIMO . QVI . AD
DIEM . MORTIS . SVAE
SIMPLICI . ADFECTIONE
VNOQVE . ANIMO . EGIT
MECVM . &c

* totum habes infrà lib.V. de Venuſtate Elogij, Memb. VI. Art. II.

Hinc ergo Vnanimitas, non quidem cum adiuncto genitiuo Animorum, qui iam ineſt in ipſo nomine. Expreſſiùs pag. MCXLI. n. 1.

CCCVI

NONDVM . COMPLETIS . VIGINTI . QVATVOR . ANNIS
A . NATIS . TRINIS . ET . VIRO . ERIPIOR
NOMINE . FVSCINILLA . PETELINA . DOMO . ORTA
CELSINO . NVPTA . VNIVIRA . VNANIMIS

Apud Suueertium quoque in Sel. Del. inter Bononienſia legitur in Auguſtali Vrbis titulus recens.

CCCVII.

CLEMENTIS . VII . PONT. MAX
ET
CAROLI . V. CAESARIS . IMPER
VNANIMITAS
STABILE . FIRMAMENTVM

Adde vt apud Grut. pag. MCXXXIX. num. 7.

CCCVIII.

D . M
ADONIADI . VXSORI
CVM . QVA . VIX . A . XII
CONCORDITER
IVL . NICANOR
ET . CLEOBVLAE . FIL
ET . SIBI . ET
SVIS

Hinc etiam *Concordia*. Ita in ſolenni ſupplicatione rogat Eccleſia *Vt Regibus, & Principibus Chriſtianis pacem, & veram CONCORDIAM donare digneris*. Sic exhibet Romae recens Epigrapha in Diuae Mariae vulgò DE PACE

CCCIX.

VIRGINI . PACIS
VOTA . PRO . ORBIS . CHRISTIANI . CONCORDIA
AC . TRANQVILLITATE . DVDVM . SVSCEPTA
AEDE . ILLIVS . AVCTA . ET . EXORNATA
ALEXANDER . VII . PONT . MAX . SVPPLEX . REPETIT
AN . SAL . MDCLVI . PONT. II

Per negationem quoque contrarij apud Grut. vt ſup. num. 14.

CCCX

AVR . TIGRIS . C. F. AVR
FELICIANO . V. P. MARITO
INCOMPARABILI . CVM . Q VI
XI. ANNIS . XXI. SINE . VLIA . DISCORDIA
BENE . MERENTI . CVM . DOLORE . MEO . SCVLPI
IVSSI

Pro

Pro Concordia etiam Principum dic *Conſenſionem*, vt loquitur Cicero ad Caſſium: *Populi verò Romani, totiuſque Italiae mira conſenſio*. Seu *Conſpirationem*: vt idem Pro Domo ſua: *Hanc noſtram conſpirationem in Rep. bene gerenda certi homines fictis ſermonibus diremerunt*.

Neque erit abſona ſuperiùs memorata vox *Communio*, quam hoc ſenſu exhibet recens marmor Romanum apud Suueert.in Sel.Del. Cuius hoc fragmentum ad rem noſtram afferre libet

CCCXI.

NICOLAVS IV. Ordinem Minorum profeſſus, Philoſophus, ac Theologus egregius, Conſtantinopolim à GREGORIO X. miſſus Graecos ad Romanae Eccleſiae COMMVNIONEM, Tartaros ad fidem reduxit &c.

Siquidem Graeci cum Latinis diuortium fecerant; cùm ergo diſtractae partes in vnum coëunt, Communio illa appellatur, non Vnio.

HVMILITAS

Membrum XXV.

HVMILITAS, virtus Chriſtiana, niſi ex argumento, aut ſaltem Epitheto virtutis vix appellationem habet Latinis. Adeo vt apud Voſſium in Indice ad librum ſuum de Vitijs Sermonis, legas: *Humilitas eſt vitium, non virtus*. Nam etſi ad naturam relata, haec vox Altitudini ſimpliciter ſit oppoſita, vt indicat Ciceronis locus Tuſc. V. *Sidera inter ſe altitudine & humilitate diſtantia*. Et de Diuinat. *Docet ratio Mathematicorum, quanta humilitate Luna feratur, Terram propè contingens*: Ea tamen ad mores tracta, deteriorem in partem vſurpatur, nimirum pro obſcuritate, tenuitate, ignobilitate, vt ex Cicerone potiſſimùm liquet I.Offic. *Quorum autem prima aetas propter humilitatem, & obſcuritatem in hominum ignoratione verſatur*. Facit & locus Val. Maximi lib. V. Cap. II. exemplo I. in fine. *Vacaſſe in tanto gaudio Patribus Conſcriptis, duabus humilibus foeminis* (Veſtiae Opidiae Matriſamilias, & Cluuiae Faculae meretrici) *referre gratiam, ne dum tam praeſetuliſſe, mirandum*. Humilis animus praeterea abiectum, vilem, ſordidum, fractum abſolutè ſonat, idem quod Graecis ταπεινὸν. Nam quod in caeleſti Oda ſua vſurpauit DEIPARA VIRGO ὅτὶ ἐπέβλεψεν ἐπὶ τὴν ταπείνωσιν τῆς δούλης αὐτοῦ, *quia reſpexit humilitatem ancillae ſuae*, non herclè virtutem iactauit ſuam modeſtiſſima puellarũ, & ſui ancilla filij, vt ſcitè innuit Voſſius (quid quid Scioppius obtrectet) ſed magis conditionem humilem abiectamque, qualis ancillae eſt; Contemptiſſimam ſe ſe ergo omnium mortalium exprimere ſtuduit ſenſu haud abſimili ab eo, quo habuit Tullius de Amicitia: *Nihil enim altum, nihil magnificum ac Diuinum ſuſcipere poſſunt, qui ſuas omnes cogitationes abiecerunt in REM tam HVMILEM, atque CONTEMPTAM*. Aduerbium quoque *Humiliter* cum ſuperiori quoque cognatam habet ſignificationem. Vbi enim Liuius IV. bell. Pun. dixit: *Haec natura multitudinis eſt: aut ſeruit humiliter, aut ſuperbè dominatur*; ſeruitium profectò intelligit cum animi puſillitate praeſtitum, quale homines natura ignobiles. Neque rectè obieceris Graecam vocẽ compoſitam ταπεινοφροσύνη, quam definit Speuſippus *Facilitatem animae, omnis expertem iracundiae*: Eo ſiquidem ſenſu Latinè tu rectiùs verteris *Modeſtiam*, quàm *Humilitatem*. Idem cenſeto de Verbo *Humilio*, haud raro in Sacris Literis, cuius ſignificatus de naturalibus dumtaxat reperitur, ſi tamen reperitur; quod, qui Ciceronis exta diligentiùs inſpexerunt, negant extare locum citatum apud Calepinum (editionis Baſilienſis Ann. MDCV vndecim linguarum.) libro III. de Nat. Deor. Et Voſſius ſimiliter Theodoro Bezae obijcit vel memoriae vitium, vel Codicis ſui mendum, qui locum II. de nat. Deorum allegat, vbi habeatur:

Alia

Alia animalia humiliata, vt cibum terreſtrem facilè roſtris contingant. Et nos totum librum perlegentes, nihil tale offendimus: Nec, ſi extet quidem locus, ad animi virtutem tranſtulerimus vocem *Humilio*, niſi extiterit (quod nondum conſtat) Latinorum boni ſeculi exemplum. Neque metaphorae canon à corpore ad animum, & à bruto ad hominem ſuffragatur, vbi vſitatae veteribus vocis ſignificatio vſu ipſorum, & conſuetudine debet niti.

Ex argumento igitur iam inſtituto bene conſtabit, humilitate animi inferri quidem tenuitatem, & obſcuritatem, ſed arbitrariam, nec eam ortam ex puſillitate ſpiritus, ſed ex magnanimitate potiùs, quae honoris ſuadet contemptum. Proinde id vocis non reſpuit Theſaurus Elogio de S.Panthere. *Rarum* (ait) *votum inter ambitioſos HVMILITAS: Illo enim ſeculo, ſi vnquam, claritas crudelitate quaeſita.* Ecce vt mentione praemiſſa ambitioſorum, quis ſenſus humilitatis ſit, exprimitur. Ita loquitur Delmonacus Elog. de Bonifacio à Colle: *Expalles ad honorum auras, Qui caeleſti ſpiritu inflata carbaſa ne luxarentur, timeſcebas. Effoetum te ſenio, & ſepulcro potiùs, quàm honoribus aptum praedicas; Dignus Caelo. Abi Pater pleno velo, Quem vna HVMILITAS firmè adeo ſaburrabat.* Obſeruari dignum cenſemus Marcellum à Matre Dei, Ordinis Diſcalceatorum, in nouem Angelorum Choris de B.Tereſia ſui Ordinis parente, vbi virtutes praecipuas illius praeſtringit Elogio: *Caelum* (aiens) *eſt potius, vnde tot prodeunt virtutum radij; ac prae caeteris HVMILITATIS candor, Obedientiae lux, Patientiae nitor, Fidei ſplendor, Spei fulgor, Charitatis ardor.* Lenietur etiam durities, ſi cum Epitheto dixeris *Chriſtiana Humilitas*, ideſt quam Chriſtus docuit: Cuius extat non ignobile exemplum in recenti Epitaphio Fulginiae in Vmbria, videlicet:

CCCXII.

D. O. M
IO. BAPTISTA VITELLIVS
Patria Fulginas, huiuſque Oratorij Fundator
Caelo, cui natus, vnde natus, vixit ipſe, alios traxit
Intra pauperis cellulae tuguriolum quò delituit
Cautiùs hoc clariùs eluxit.
Honoris fugiens falſi verum honorem nactus
HVMILITATIS CHRISTIANAE FVNDAMENTO
Altam ſtruxit virtutum molem
In rerum inopia Animo diues hoſpitia praebens
Charitatis luce magis, quàm apparatus nitore ſplendida
Hoſpitio ipſe Diuinas excipiendus ad epulas
Octogenario maior exceſſit Die XXV. Sept
An. Dom. MDCXXI
Hoſpes ſparge non fletus, ſed flores
Vota, non lachrymas
Nec abi mente, ſi abis pede

Item ſi cum illo epitheto dicatur *Voluntaria Humilitas*. Carolus Bouius Elog. LXI. de S. Ignatio Loyola, cui S. Xauerius flexis genibus ſcribit ex India: *Hic verò Xaueriumnè magis mirer caeleſtis pondere ſanctitatis libratum in aëre, an Chriſtianae HVMILITATIS hac ecſtaſi inclinatum in genua? Sed qui poſt tam alta prodigia tam demiſſus apparet: Poſt tam demiſſum altiora illius incipiunt apparere prodigia.* Haec Bouius ab Iuglare puto monitus, qui pro *Humilitate* ſubſtituit *Demiſſionem*. Sic enim is Elog. XVI. in Chriſto Ieſu: *Alia*, inquit, *omnia philoſophari per ſe homines poterant: DEMISSIONEM honeſtaret, praeter Altiſſimum, nemo.* Idem de myſterijs

myſterijs Chriſti in Cruce exanimis: *DEMISSIONIS magiſter. Quòd ita ſupra caeteros emineat, ne mireris. Contorta in nos fulmina captat excelſus.* Et in Infulatis Virtutib. de Diuo Auguſtino: *Nullius honoris auidus, omnium capax: Meruiſſe contentus, habere contempſerat: Niſi plus merita, quàm DEMISSIO potuiſſent.* Et Elog. de Ioanne Chriſtum abluente in Iordane: *Addictiſſimus veritati Ne Deus quidem velit videri, Quod prorſus eſſe non poteſt: Cogitur tamen eius magis attendere praecepta, quàm merita. Aperit Caelum obſequio. Et eſt planè ſpectaculum Caelo dignum, quoties de ſola eſt DEMISSIONE contentio.* Sic alibi ſaepe, cui recens ſubſcribit Nicolaus Charpy in Elogio Iulij Card. Mazarini recuſantis Regni miniſterium, ſed pòſt coacti accipere: *Demiſſione*, inquit, *ſua Celſior factus.* Ciceroni videtur dici *Facilitas*, quod Obertus Giſanius obſeruat, inquiens, *Facilitas Superbiae, Humanitas Crudelitati contraria eſt*: citatque locum Cic. pro leg. Man. *Iam verò ita faciles aditus ad eum priuatorum, ita liberae querimoniae, de aliorum iniurijs eſſe dicuntur, vt is, qui dignitate principibus excellit, facilitate par infimis videatur.*

Illa quoque ſynonyma pro *Humilitate* Latinitas dabit, *Contemptus ſui, Deſpectus ſui, Depreſſio ſui, Abiectio faſtus, Pompae neglectus,* & huiuſmodi.

Marcellus de B. Tereſia ſuperiùs citatus

CCCXIII.

De Mundo
Proculcatis Honorificis, Vtilibus, Iucundiſq. Bonis
Primùm Secundùm Tertiùm
Triumphanti

Id quod alter barbarè retuliſſet, *Humilitatis, Paupertatis, Mortificationis ſtudio addictae.* Illuſtris eſt eiuſdem Marcelli locus ibid. poeticè

Haec deſpicatis grandis honoribus
Vili reuincta fune ſuperbiam
Strauit, catenatiſque pompis
Inſiluit pede conterente.

Apud eundem in deſcriptione Solij, in quo B. Tereſia cum Caelitibus regnat, gradus literatos illius virtutibus referens, quintum inſcriptum ita de Humilitate teſtatur: PRO. SVI. DESPECTV. CLARITAS.

Carolus Raynoldus Elogio de Galeatio Brippio è Sfortiae laureati maioribus

CCCXIV.

GALEATIVS BRIPPIVS
Ordinis Humiliatorum Generalis Miniſter.
Latere Non Potuit In HVMILITATE Brippia Virtus
Debuit Eſſe Magiſtra Chriſtianae Sublimitatis
Et In Sui Sfortiae
Glorioſa MODESTIA
Antiquam Simul Et Non Antiquatam Diſciplinam Hanc
Demonſtrare

En vt primo loco nomen vſurpat proprium Sacri Ordinis, ideſt Humiliatorum, ab Humilitate Chriſtiana, ſeu voluntaria ſuſceptum. Inde nomen ipſius virtutis quamquam aequiuocè videatur allatum, magiſque in deteriorem partem. Poſtremò ſubſtituit purum ex Latinis, ideoque commodius vocabulum ei virtuti ſignificandae, cum ait *Glorioſa Modeſtia.* Cui congruit Epitaphium Pariſienſe de Petro Seguierio (citat Suueertius in Select. Del.) cuius eſt hoc membrum: *Vidit illum Senatus Praeſidem, antiquis illis (nihil eſt de modeſtiſſimo viro dicendum elatius) parem* &c. cuius in Parentheſi velut contraria opponuntur Modeſtia, & Elatio, idem quod vulgò *Humilitas*, & *Superbia.*

Audebimus tantis ingenijs intrudere domeſticum

ſticum noſtrum, atque adeo germanum fratrem Flauium Boldonium (hoc vt obſequio ſaltem deſiderium noſtrum erga illius Manes aliqua parte leniatur) cuius iam tùm ephoebi extat inuitamentum ad Federicum Cardinalem Borromaeum, quo tempore Dioeceſim ſuam Archiepiſcopus Mediolanenſis luſtrabat; Vti ad aedes ipſius geniales in margine Lacus Larij extructas ab Octauio Patre, diuerteret hoſpes. Scilicet ipſa aedium frõte emblemate vario carminum, & elogiorum inſtructa, impẽdebat ianuae Stemma gentilitium Borromaeorum (cui prae caeteris inſertum legitur quaſi trophaeũ cum diademate, Diuo Carolo gentili Authore, vocabulum hocce HVMILITAS) ſubiecta huiuſmodi Inſcriptione

CCCXV.

FEDERICE . BORROMAEE
Humile . Te . Vocat . Tectum
Subi.
Ne . Deſpice
Amplitudo . Tua
Reddet . Humilius
Humilitas . Tua
Reddet
Auguſtius

Vbi (vt vides) *humile*, *humilius*, ad tenuitatem ſpectant. *Humilitas* verò non tam virtutem Federici refert, quàm nomen virtutis in ſtemmate praelatum, ſeu (meliùs) virtutem Diui Caroli hereditariam in Federico, cum alijs ex aſſe ſummis virtutibus.

Obſignet hanc paginam Inſcriptio recens Mediolanenſis (nomine Authoris mihi incomperto) in baſi ſtatuae, quae ſtatua Humilitatem (puto) repraeſentabat ſymbolicè; expoſita illa in Aedibus Seminarij in ingreſſu Caeſaris Montij Archiepiſcopi, & Cardinalis. Habes in hac Inſcriptione virtutem humilitatis variè enunciatam, ipſo tamen nomine Humilitatis ſuppreſſo, videlicet:

CCCXVI.

Haec Eſt Quam Colas Deam
Ambitionis Mancipium
Animus Submiſsè Sentiens Numen
Honorum Eſt
Non Ambitus Non Fauor Regum
Falleris, Si Speras Extolli
Qui In Imo Non Es.
Contempta Gloria Caeſari Redijt Cumulatior
Sapiens Virtutes Quaerit, Non
Virtutum Inſignia.
Si Dantur, Perſonatum Se Putat
Non Sua Auguſtum Forma.
Miſera Virtus Quae Luce Gaudet Aliena.
Hanc Vendit Qui Pretio Illos
Mercatur Honores
Diſce Lector
Caeſarem Imperare Decet, Non Seruire
Gloriae

Aliter fortè dictum fuerit Ciceroni pro *Humilitate*, *Cognitio ſui*. Quod quidem non ineptè à contrario deducitur ſenſu ex obſeruatione Giſanij, qui, vbi Cicero Ignorationem ſui dicit, ſuperbiam interpretatur hominis efferentis ſeſe, & ſuperbè gerentis, cùm tamen ſit humilis, & infimi loci. Eſt locus pro Quinctio de quodam Tribuno Pl. *Quod erat odium, Dij immortales? quae ſuperbia? quanta ignoratio? quam grauis, atque intolerabilis ignorantia?*

Homo autem *humilis* puriùs efferetur, *Voluntarie humilis*; *ſponte demiſſus*; *Chriſtiana facilitate praeditus*; *Cum Chriſto*, aut *Pro Chriſto abiectus*; Dignum exemplo eſt Elogium in Praeſulem Generalem familiae Cartuſianae:

CCCXVII.

IANCELINVS Profeſſus Cartuſiae. In quo ſumma omnia. Tantae fuit authoritatis, Vt defunctum Monachum à miraculis ceſſare dicto compulerit. Laboris auidus, HONORIS IMPATIENS, oſtentatione procul, & gloria. Praefuit Annis LVIII

Illud autem Elogium in alterum eius Ordinis Praeſulem XII. & virtutem, & ea clarum enunciat: ſed hunc quoniam poſteriore loco, bene per priorem voce vulgari interpretata, humilem nuncupat, videlicet:

CCCXVIII.

HVGO Poſterior Prof. Cartuſiae ad Magnates crebras dedit epiſtolas. Sub illo firmata inter Abbatiam S. Vedaſti Atrebatenſis, & Cartuſiam precum ſocietas. Nec frequens Principum vſus Viri * Modeſtiam abſtulit, ſed ſacrauit. Inter omnes hoc maior, & melior habitus, quò * Humilior appareret. Praefuit Annis XI

Hoc loco nemo iure inhibuerit cenſuram illius locutionis, cùm in epiſtolis ſubſcribunt quidam *Humilis*, vel *Humillimus ſeruus*. Neutrum autem horum Latinè, non nomen *Serui*, non Epitheton *Humilis* in eum ſenſum. Pro quibus amantes puritatis malunt: *Tibi addictiſſimus*, *Mancipatus*, *Tui obſeruantiſſimus* &c. Irrepſit ea quoque corruptela in Dedicationes, v. g. in Baſi ſub Statua Magni Regis eſt, qui inſcripſerit: *Regi ſuo hanc Statuam HVMILIS, & GRATVS Poſuit N.N.* Meliùs putamus *Venerabundus*, ſeu *Adorabundus*, *& Gratus Poſ.* Vel *obſequij, & grati animi teſtimonium*. Neque inſuffragatur locus Virgilij Aeneid. XII. ſub extremum, de Turno Ab Aenea confoſſo, nimirum

Ille humilis, ſupplexq; oculos, dextrãque precãtem
Protendens. Equidem merui, nec deprecor, inquit
Vtere ſorte tua.

Quis enim ibi in malam partem vocabulum ſumptum non intelligat? ſcilicet *Abiecto animo*, *fracta contumacia*, *compreſſa arrogantia*; hoc ſonat germano ſenſu Latinis veteribus *Humilis*. Luculenter Io. Ludouicus Cerda locum interpretans, *Ille Humilis*, non ſolum, inquit, quia victus, ſed verè humilis, quia humi ſtratus. Vnde Graeci non ſolum ταπεινὸν vocant, ſed propriè χθαμαλὸν, tanquam ὁμαλὸν, καὶ ἴσον χθονὶ *complanatum*, *& aequatum terrae*. Hactenus Cerda. Ex quo facilè quiuis formulam illam precandi, *Humiliter peto*, in humanis certè inhonoram cognoſcet: Nam neque ſuperiore loco coniungit Virgilius *humilis* cum *ſupplex*: hoc namque trahit ad ſubſequentia. Meliùs ergo *ſubmiſſo genu*, *procumbens*, *ſupplicabundus peto*.

POENITENTIA

Membrum XXVI.

POENITENTIAE vox, ſi ad animum referas, nihilo minùs bona, quàm alia quaeuis Tulliana. Sed quando ſaepe vulgò refertur ad corpus, inter damnatas non immeritò reijcitur, cuius loco ſtabit, quod Iuglaris Elog. de Diuo Auguſtino; *Primam*, inquit, *aetatis partem ne quaeras, In coeno perdidit. Felix, qui demum ſcierit amiſſa redimere: Felicior, qui potuerit: Vera gaudia auſpicatus à gemitu. Initiandus ſublimioris doctrinae magiſter Librum è Caelo iubetur accipere: Sordes ſuas ſpeculatus in pagina, Vt eas vel obrueret, vel elueret. E matris oculis lachrymas tranſtulit in ſuos*. Idem Elog. de Diuo Maurilio: *Peccata deteſtatus vbi erant, metuens vbi non erant, Cùm in ſe certa punire nequiret, Dubia puniit*; *Sui nimium rigidus cenſor, quòd totam lenitatem ſuam ſeruaret alijs. Ab exilio, quo ſe ipſe multauerat, prodigio reuocatus* &c. Cauatius Elog. de Ioanne Aegyptio; *Sanguinis effuſionem compenſet macies tanto ieiuniorum, vigiliarum, & carceris ſqualore non minus laborioſè acquiſita, quàm in annum aetatis ſuae nonageſimum conſtanter tolerata*. Item Elog. de Abrahamo Syro neptis lapſae aſſertore: *Velle ſe* (neptem) *tantum facinus acriori ſupplicio redimere*. Addamus nos imitatione veterum, qui, quoties poenitebat ſe alicuius facti, illam animi poenitentiam exprimebant his formulis: *Factum muto*, *Nolo factum* (ſicut contrà *Factum volo*, *factum cupio*) ita de corpore vſurpari fas erit ad veterum ſententiam, & morem: *Factum punio*, *factum vlciſcor*, *vindico* &c.

DEVOTVS
Membrum XXVII.

DEVOTVS, vt & *Deuotio* Latinis quidem vſitata, non ſenſu tamen Chriſtiano vulgo communi. Eſt autem germanus ſenſus hauriendus è fonte ipſo Verbi *Deuoueo*, quo, vt exempla docent boni ſeculi, modò *Deſtinare* ſignificat, vt Deuouere Deo hoſtiam; Modò *Dedere*; ſic alicuius amicitiae ſe deuouere; Aliàs *Sponte ſubire* mortem, calamitatem, periculum, quò alter ſeruetur, Vt Deuouere ſe, vel ſe & caput, vel fortunas pro populo; Deuouere ſe Aris Superûm pro patria, pro aere alieno &c. Interdum *diris imprecationibus malum alicui optare*, ſic (abſolutè) Deuouere aliquem. Nomen hinc *Deuotio* (quod hactenus legerim) in duplici dumtaxat ſignificatu, ideſt pro *Execratione*, vel pro *Deditione ſui ad mortem*. Sic Cicero de Nat. Deor. *Deciorum deuotionibus placatos eſſe Deos*. Item alibi: *In deuotione vitae, & in ipſo genere mortis imitatus eſt P. Decium filius*. Idem luculenter tùm Verbum, tùm Nomen tractat vna ipſa periodo, orationis nimirum ad Quirites initio: *Quod precatus à Ioue Optimo Maximo, caeteriſque Dijs immortalibus ſum, Quirites, eo tempore, cùm me, fortunaſque meas pro veſtra incolumitate, otio, concordiaque DEVOVI, vt, ſi meas rationes vnquam veſtrae ſaluti antepoſuiſſem, ſempiternam poenam ſuſtinerem mea voluntate ſuſceptam: ſin & ea, quae antè geſſeram, conſeruandae ciuitatis cauſa geſſiſſem, & illam miſeram profectionem veſtrae ſalutis cauſa ſuſcepiſſem, vt quod odium ſcelerati homines, & audaces in Remp. & in omnes bonos conceptum iam diù continerent, id in me vnum potiùs, quàm in optimum quemque, & in vniuerſam Remp. defigerent; hoc ſi animo in vos, liberoſque veſtros fuiſſem, vt aliquando nos, Patres conſcriptos, Italiamque vniuerſam memoria mei, miſericordia, deſideriumque teneret: eius DEVOTIONIS me eſſe conuictum iudicio Deorum immortalium, teſtimonio Senatus, conſenſu Italiae, confeſſione inimicorum, beneficio Diuino immortalique veſtro maximè laetor Quirites*. In quem locum Paulus Manutius Latinitatis Magiſter vocem *deuoui* ſic explanat: *Deuouet* (inquit) *ſe, qui, vt alterum ſeruet, ſponte calamitatem, vel periculum ſubit; vt Decij, ne periret exercitus, ipſi ſe deuouerunt: ſic Cicero, ne caedes bonorum fieret, armis dimicare cum Tribuno plebis Clodio, & cum Conſulibus noluit, ſed pro communi ſalute ſe deuouit, & in exilium abijt*. Vocem autem *Eius deuotionis ſic*: *In deuotione*, inquit, *votum ineſt, vt ij ſeruentur, quorum cauſa ſe aliquis deuouet, ita videtur dicere, eius deuotionis me compotem eſſe factum, ideſt quem illa deuotione fructum petiui, eum tuliſſe me*: Haec Manutius. Et rectè, cùm pro Mortalium ſalute: Adde pro cultu Numinis, in quem ſenſum Diuus Ambroſius Patrum Latinorum elegantiſſimus de Abrahamo Patriarcha lib. I. cap. II. deuotioni tribuit, quòd is ad Dei iuſſum abdicauerit ſe Patria domo: *Itaque*, aiens, *cuiuſmodi fuerit in eo viro deuotio, conſideremus: Ea enim virtus ordine prima eſt, quae eſt fundamentum caeterarum, meritoque hanc ab eo primam exegit Deus dicens, Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo Patris tui*. Quibus ex locis, & huiuſmodi alijs praeiudicium fit voci *Deuotus*, quae vel *Dirum*, & *Execrandum* ſignificat; vel *Deditum*, vt *Equeſtrem ordinem ſcenae, harenaeque deuotum*, dixit Sueton. in Caligula; vel *Addictum*, vt *Deuota ſacris ſica, Deuotus patrono cliens*; vel *Sponte ſubeuntem* mortem, malumuè, quales Decij, qualis Codrus Rex Athenienſis, & alij dicebantur. Hoc ſignificatu poſita legitur haec vox in Epitaphio, quod à Grutero, cùm inter Suppoſititia recenſetur, non hoc ipſo notatur barbarie (pag. X. num. 9.)

CCCXIX

P. DECIVS . E . GENERE . EORVM . DECIORVM
QVI . LATINO . ET . GALLICO . BELLO . PRO . EXERCITV
SE . DEVOVERE . ET . MEMORABILEM . PO . RO
VICTORIAM . COMPARAVERE . HEIC . CECIDI
IN . ACIE . CONTRA . GALLECOS . IN . VLTIMO
MVNDI . MARGINE . QVO . NVLLAE . MAGIS . TERRAE
L . SYLLANVS . AD . III . A . CLVNIO . LAPIDEM
MARMOREO . ME . SEPVLCHRO . OPERVIT
ADSTANTE . TOTA . III . LEGIONE . PRISCORVM
LATINORVM . IIII . TRIB . MIL . CVM . PRIMIPIL
SIGNIF . ET . HASTATIS . VIII . LEGIONIS

Simile

Simile eſt marmor, quod citamus infrà lib. V. de Venuſt. Elog. Cap. I. Memb. VI. Artic. VII. Cuius initium: HEIC MVLTAE.

Hinc Alciatus in Rubricis de Verb. Signif. *Religioſus*, ait, *& Deuotus olim in malam partem ſolùm, hodie ſolùm in bonam*; Interpretare tu has voces ita commiſſas. Caeterùm *Deuotos* eruditi viri pro ijs vſurpant, quos vulgus *Religioſos Profeſſos*. Quemadmodum interpretandam eſſe euicit nuper quidam in corona religioſorum, eorumdemque eruditorum, Precationem illam Diui Auguſtini ad Virginem Deiparam (excerptam è Serm. XVIII. de Sanctis) *Ora pro Populo, interueni pro Clero, intercede pro DEVOTO foemineo ſexu*: id tùm ex vetere loquendi vſu boni ſeculi per vocem *Deuoto*, tùm ex ordine ipſo ſermonis Auguſtiniani: quippe is ordines Ciuitatis praecipuos colligens, Populum primò memorat profanum, mox religioſum maſculini ſexus, & foeminini, illum Cleri hodie quoque ſolenni appellatione, hunc deuoti ſexus. Nec aptior equidem vox Virginem Sanctimonialem expreſſerit, quae tribus emiſſis votis Euangelicis addixit Deo ſe ſe totam; hoc eſt fortunas ſuas, libertatem, arbitrium, Thori delicias deuouit Caelo; prodigens commoda interituri corporis, vt Animam tutiùs ſeruet immortalem. Quin ea de cauſa Clerus quoque nomen deuoti aſciſcit ſibi, quùm ſacris Ordinibus initiatus tacito ſe mancipat voto in perpetuum Dei ſeruitiū. Id quod Ethnicis familiare eſſe illa teſtatur Inſcriptio Romana apud Gruterum pag. CCXXVIII. num. 8.

CCCXX.

DECRETVM

AEDICVLAM . ET . STATVAS . HAS . HOSTIAM . DEDICATIONI . VICTIMAE . &c

& poſt multa

ARAM . NVMINI . AVGVSTI . PECVNIA . NOSTRA . PONENDAM . ET . LVDOS . &c

Adhuc poſt aliqua ita Decretum abſoluit:

ITEM . DEDICATIONE . STATVARVM . CAESARVM . ET . AVGVSTARVM
MVLSVM . ET . CRVSTVLA . PECVNIA . NOSTRA . DEVOTIS . OMNIB
ET . POPVLO . DEDIMVS . PERPETVOQVE . EIVS . DIE . DEDICATIONIS
DATVROS . NOS . TESTATI . SVMVS . QVEM . DIEM . QVO . FREQVENTIOR
QVOTANNIS . SIT . SERVABIMVS . VI. ID. MARTIAS . QVIA . HAC . TI
CAES . PONT. MAX. FELICISSIME . CREATVS . EST

Vbi Gruterus ipſe (in Indice Hiſtorico Rerum memorabilium huius Operis cap. XVIII.) vocem *Deuotis* exponens, *hoc eſt*, inquit, *ijs, qui ſe Numini in perpetuum colendo obligarunt*.

At enim Claudium, qui mox Caeſar, Deuotiſſimi titulo decorauit Valerianus Caeſar Epiſt. ad Zoſimionem Procuratorem Syriae; ſic enim ſcripſit: *Claudium Illyricianae gentis virum, Tribunum Martiae quintae legioni fortiſſimae dedimus, Virum DEVOTISSIMIS quibuſque, ac fortiſſimis veterum praeferendum* &c. Citatur Epiſtola à Treuellio Pollione in Vita Diui Claudij Caeſaris. Huiuſce autem Elogij poteſtas, ſi bene penditur, rectum vſum haud ambiguè prodit eius vocis. Namque is vt Martialem Claudij audaciam cum vitae neglectu commendaret, praetulit veteribus deuotione celebratiſſimis, ijs videlicet, qui deſtinata morte pro ſalute publica in cuneos hoſtium confertos perrupere. Aliud itaque eſt deuotiſſimis militibus praetuliſſe Claudium, aliud deuotiſſimum ipſum appellauiſſe, id quod vita ſuperſtite, hoc quidem in genere deuotionis, nefas fuit. Niſi quis malit interpretari, dictum fuiſſe in contentione veterum, Deuotiſſimum, hoc eſt deditiſſimum, atque intentiſſimum negotio bellico, quod eſt ingenij: cùm deinde ſubdat, Fortiſſimum, quod eſt pectoris. Hanc mitem interpretationem maluimus, quàm cenſuram ſeculi barbari, quo Valerianus Caeſar imperauit, anno fere CCC. à Chriſto nato.

Ex his compendium hoc eſto, Deuotum ſe alteri profiteri poſſe neminem, ni ſe aut execrandum, ac dirum fateatur; aut vitae (quod

mortuo congruit) fortunarumuè,ſeu commodi vllius iacturam cauſa alterius ſpontè feciſſe, aut deſtinatum miniſterio (quod proprio ſignificatu rebus carẽtibus ſenſu exempla veterum accommodant) aut mente, atque induſtria intentum negotio, aut denique ex voto obligatum cultui vel Dei, vel Diui. Ecquid horum congruat officio amicitiae, vel affectui beneuolentiae in parem, in ſuperiorem? Niſi quis fortè, vt Latinus ſequioris ſeculi exiſtat, impius malit videri, hominem mortalem Diuinis titulis aſſentando. Olent enim omnino inſaniam Ethnicam Inſcriptiones illae antiquae per Ianum Gruterum paſſim citatae: praecipuè pag. CCLXXI. num. 6.

CCCXXI.

IVLIAE . MAMMEAE
AVG. MATRI
IMP. CAES. M. AVRELI
SEVERI . ALEXANDRI
PII . F. AVG * *Filiae Auguſtae*
M. CASTROR * *Matri Caſtrorum*
COL. IVL. GEM. ACCITANA
DEVOTA * *Colonia Iulia Gemina*
NVMINI
M. Q. EIVS * *Maieſtatique eius*

Et CCIX. num. 4.

CCCXXII.

DD. NN
AETERN. IMPP
C. AVRE. VALER
IO. IOVIO . DIO
CLETIANO. ET
M. AVR. VALERI
O . ERCVLEO
MAXIMIANO
PIIS . FEL. SEMPER . AVGG
TERMINVS . INTER
PACENS . ET. EBORENS
CVRANTE. P. DATIANO
V. P. PRAESIDE . H. H
N. M. Q. EORVM
DEVOTISSIMO
* *Numini maieſtatique eorum*

Et CCXXXXIX. num. 4.

CCCXXIII.

IMP. CAES. DIVI . NERVAE
TRAIANO. HADRIANO. AVG
PONT. MAX. COS. III. P. P
CVIVS. VIRTVTE. DACIA. IM
PERIO. ADDITA. FELIX. EST
M. ARRIVS . Q. R. COL. VL
PIAE . TRAI. SARMIZ
DEVOTVS . NVMINI . EIVS
EX . VOTO . P

Alibi quoque paſſim adeò, vt communis vſus locum fecerit cõpendiarijs notis D. N. M. Q. E. ideſt *Deuotus Numini, Maieſtatique Eius*. Non hic Numinis appellatio pro Maieſtate Imperatoria vſurpatur, quia ſubiuncta vox *Maieſtatique Eius* feriaretur: Pro Diuina igitur poſita eſt. quamquam & pro Imperatoria per cathachreſim (inquit Paſſeratius) per abuſionem ergo; propterea cauenda Elogiaſtae Chriſtiano, niſi in ſenſu illo ad ſummum, quo homo Ethnicus Cicero ait Philipp. VI. *Magna vis eſt, magnum Numen, vnum, & idem ſentientis Senatus*. Quo loco certè non maieſtatem, aut poteſtatem intelligit, ſed oraculum quaſi Diuinum, vt eſt vulgari adagio *Vox Populi, Vox Dei*.

Neque verò nobis vera Religione imbutis cõgruit ethniciſmus, vt neque impia illa probare, Caeſaribus, & Magiſtratibus, vti Numinibus, Aras extructas, Templa dicata ipſis adhuc viuentibus; quod liquet ex Suetonio praeſertim in Octauio Auguſto Cap. LII. & ex marmore Romano citato apud Gruterũ pag. CCXXVIII. num. 8. [Qui quidem Octauius etſi id Romae interdixerit; Pergami tamen Vrbe Aſiae clariſſima, & Nicomediae Bithyniae permiſiſſe Graecis, ſibi in humanis Templa vt extruerent, obſeruat Bulengerus lib. I. de Imperatore, & Imperio Romano] Neque modò Diuos poſt exceſſum quaſi Deorum Choro adiunctos, ſed Deos ipſos conſecratos, Sacrificijs, & omni Diuino cultu celebratos. Quare ſi deteſtanda eſt formula illa inſcripti Tripodis apud Gruter. pag. CCXXVIII. num. 7. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΙ. ΚΑΙϹΑΡΙ ΘΕΩΙ . ΣΕΒΑϹΤΟΙ . ΘΕΟΥ . ΥΙΩΙ ideſt *Imperatori Caeſari Deo Auguſto Dei Filio*: Et illa tabulae votiuae Narbonenſis apud eundem Grut. pag. CCXXIX.

CCCXXIV.

Quod . bonum . fauſtum . felixque . ſit . Imp. Caeſari Diui . F. Auguſto . P. P. Pontifici . Maximo . Trib. Poteſt XXXIIII. Coniugi . Liberis . Gentique . eius . Senatui Populoque . Romano . & . Colonis . Incoliſque

C. I. P. N. M. QVI. SE. NVMINI. EIVS. IN. PERPETVVM COLENDO. OBLIGAVERVNT. Plebs. Narbonenſium. ARAM. Narbone. in. foro. poſuit. ad quam. quotannis. VIIII. K. Octobr. qua. die eum. ſaeculi. felicitas. orbi. terrarum rectorem. edidit. tres. Equites. Romani à. plebe. &. tres. libertini. HOSTIAS. ſingulas. IMMOLENT. &. colonis. &. incolis. ad SVPPLICANDVM. NVMINI. EIVS. THVS. ET. VINVM de. ſuo. ea. die. praeſtent. &c.

Si deteſtanda (inquimus) eſt nobis id genus formula, & illa certè nō ſecus, vt nos Deuotos cuiquam mortalium, vt hoc hominis Numen vocitemus. Eſt namque dementiae paris hicce mos, atque Domitiani quondam, quem refert Suetonius; cùm procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic inchoaſſe: *DOMINVS. ET. DEVS. NOSTER ſic fieri iubet*. Niſi quod arrogantiae deteſtabile monſtrum hoc cernitur, illud aſſentationis; vtrumque certè ſeculi feculentiſſimi, nimio plus indignum Chriſtiana puritate. Atque hoc praeſertim; quòd M. Tullius homo Ethnicus, & qui Iouem, Martem, Quirinum Deos ſibi firmiter creditos colebat, Cùm Iulium Caeſarem vt & tyrannum, & mortuum appellatione *Diui* indignum putaret, ſugillauit idcirco Antonium Flaminem huiuſce Diui (Philip. II. ſub finem) *Eſt ergo*, aiens, *Flamen, vt Ioui, vt Marti, vt Quirino; ſic Diuo Iulio Marcus Antonius*. Quare viderit Ianus Gruterus, Num rectè inſcripſerit Nuncupatoriam Operis ſui de Inſcriptionibus antiquis, optimo quidem, & inclyto Principi, ſed mortali.

CCCXXV.

IMP. CAES. RVDOLPHO. II. PARENTI. PVBLICO. PIO. FELICI. PERPETVO AVGVSTO. D. N. M. Q. EIVS. IANVS. GRVTERVS

Viderit Auctor quoque (quiſquis fuit) honorarij Epitaphij in Carolum V. Caeſ. videlicet:

CCCXXVI

D. CAROLO. V. M. IMP. AVG. PP
Qui cum ann. XXXIX. ſumma cum laude rerum gubernacula tenuiſſet tandem maximis terra, marique partis victorijs, poſt abdicatum imperium aetatis anno LVIII. IN. DIVOS. RELATVS. EST. Die XXI. Sept. Anno Chriſti MDLVIII. . . . . honorificentiſs hic perſolutis iuſtis bene merito gratitudinis ergo Dic.

Hìc enim ſi prima illa nota *D.* Dominum ſignificet, Latium haud ſapit, (vt infrà in Claſſis VI. Membro II.) ſin Diuum, Chriſtiana minùs eſt, ſed ex Ethnica faece collecta: Cui conſentit illud inferius, *In Diuos relatus eſt*. Lenijſſet ſaltem audaciam huius dicti adiuncto aliquo, v. g. *Vti ſperamus*, vel *vt piè credimus* (id quod certè de Principe pijſſimo & ſperamus, & piè credimus) Relatus, inquā, eſt in Diuos, non per Pontificem Romanum ritu ſacroſancto Chriſtianorum, vt patet; ergo per imaginariam Apotheoſin veterum Ethnicorum. Sed huic alterum ſuccedit peccatum contra munditiem ſermonis in voce *gratitudinis*, quae purgatis auribus ingratiſſima eſt, vt obſeruatur ſuo loco. Obiter autem vt quomodo temperetur dictum de Carolo in Diuos relato, monearis, accipe traditum à Puccinellio Epitaphium Mediolanenſe ad Diui Ambroſij in Sacello Sepulchri.

CCCXXVII

IO. ANTONIVS. CRVCIVS
GENERIS. NOBILITATE. AC. MORVM. PROBITATE. INSIGNIS
IN. BEATAS. PIORVM. SEDES. TRANSLATVS. AEVO. FRVITVR. SEMPITERNO
PATRI. B. M. FILII. MOESTISS. POSS
QVOD. MORTALE. ERAT. HIC. CLAVDITVR
EX. OMNIBVS. HIC. POSSESSIS. SOLA. ILLI. VIRTVS. COMES

Ne

Ne verò ita ieiuna,& horrida credatur Latinitas, vt dictionem deſideret, qua ſtudium ingens animi, & affectus voluntatis in alterum ſignificetur, tu accipe, quas imitere Inſcriptionum formulas probatiſſimas apud Gruterum: Et loco vocis *Deuotus* ſuppone primùm *Dicatus*. Sic ille pag. CCLXXXVI. num. 1.

Victorijs,Triumphiſque Magnifico VALENTI &c. *Rufius* &c. *Clementiae eius DICATVS.* Nec tanto principio putatur hic finis inferior grauitate. Et ibi. num.2. *Maximo Principi* &c. *VALENTI Triumphatori* &c. *Ceionius* &c. *Serenitati eius DICATVS.*

Vel *Dedicatus*, Vt ibidem pag. CCLXXXV. num. 6.

Victorijs, Triumphiſque magnifico VALENTINIANO &c. *Rufius* &c. *Clementiae eius DEDICATVS*

Neque enim *Dico*, as ſemper valet *Conſecro*, hoc eſt religioſum facio, vel religione deuincio; ſed interdum eſt *Addico*, *Offero*, *& me totum alicui trado*. Sic Cic. Caelio lib. 1. *Balbum*, inquit, *quanti faciam*, *quamque me ei totum Dicauerim*, *ex ipſo ſcies*. Et pro Corn. Balbo: *Dicare ſe Ciuitati*. Idem de verbo *Dedico*, vt probat locus Suetonij in Nerone cap. XXXI. *Eiuſmodi domum cum abſolutam dedicaret, hactenus comprobauit vt diceret,quaſi hominem tandem habitare coepiſſe*; ideſt cùm ad eam iam abſolutam ſe conferret, habitationis gratia. Nihil verò hìc ad religionem, ſed tantùm ad ciuilem vſum. Idem in Tiberio LXX. *Quibus poëtis admodum delectatus ſcripta eorum*, *& imagines publicis Bibliothecis inter veteres,& praecipuos Authores dedicauit.* ideſt addixit ad vſum perpetuum, & ornamentum. Ibid. XLIV. *Parrhaſij quoque tabulam* &c. *in cubiculo dedicauit*, ideſt affixit, & expoſuit perpetuò à ſe inſpectandam; quippe laſciuiae nefandae picturam ad ſuum genium.

Accipe haec verba in recentibus Inſcriptionibus rectè adhibita. Primùm Genuae ad ingreſſum Margaritae Auſtriae

CCCXXVIII.

Virtuti ac Felicitati Inuictiſſimae Domus Auſtriacae &c. *Arcum triumphis inſignem Reſp. Genuenſis libentiſſimè*
DICAT

Deinde Peruſiae ſub Aenea Statua Pont.Max.

CCCXXIX.

*IVLIO III. Pont. Max ob reſtitutos Magiſtratus pie deprecantibus Fuluio S.R.E Card. & Aſcanio Corneis * ex ſorore nepotibus ad muneris, gratique animi perpetuitatem PERVSIA DEDICAT*

* lege *Sororis filijs*

Deinde Romae, vt eſt apud Suueertium in Delicijs Selectis Chriſtiani Orbis

CCCXXX.

PIVS . IV. MEDICES . MEDIOLANENSIS . PONT. MAX.
Hanc in nemore Palatij Apoſtolici Aream, Porticum, Fontem, Aedificiumque conſtruxit, vſuique ſuo, & ſuccedentium ſibi Pontificum
DEDICAVIT
An. Sal. M.D.LXI

Item Neapoli, apud eundem Suuert.

CCCXXXI.

CAROLO . V. CAES. AVGVSTO . INVICTISS. IMPERANTE
Petrus Toledus Marchio Villae Franchae, huius Regni
Prorex. Iuris vindex ſanctiſſimus poſt fugatos Turcas
Arcem in Curiam redactam Juſtitiae DEDICAVIT
Conciliaque omnia hoc in loco cum magno totius Regni
Commodo conſtituit An. à partu Virgineo MDXL

Fani quoque, apud eundem

CCCXXXII.

GREGORII . XIII . AETERNAE . MEMORIAE
Ductum, Craterémque Fontis, inſignibus
Ornatum. Fides Farnenſium DICAVIT
An. MDLXXXVI

& paucis interiectis

CCCXXXIII.

Decuit ſanè perennes latices GREGORII XIII. Pont Max
Senatum Fanenſem pro ſua fide, cultuque in foro DEDICARE
cùm ipſe Orbi ſeſe Religionis, Juſtitiae, Pacis fontem inex-
hauſtum praeſtet

Quintilianus autem *Dedicari libris* dixit, pro *Scriptis mandari.* Nec longè aberant Priſci. Siquidem Caecilius lib.I. Annal. à Nonio citatus, *Legati* inquit *quod miſſi ſunt, veniunt* : *DEDICANT mandata*, id eſt exponunt.

Vel ſuperlatiuè ad vim intendendam, dic *DICATISSIMVS*, vt apud Gruterum pagina CCLXXXII. num. 3.

CCCXXXIV.

Q. FABIVS . HONORATVS &c. CONSTANTINO . MAXIMO &c
PIETATI . EIVS . SEMPER . DICATISSIMVS

Et pag. CCLXXXV. num. 9.

CCCXXXV.

I. CAESAR . FL
VALENTINI
PIO . FELICI . SEMPER . AVGVSTO
M.VALERIVS. QVINTIANVS. V.C. CON
P. S. CLEMENTIAE . PIETATIQVE
EIVS . SEMPER . DICATISSIMVS

Ad eius normam legitur in marmore Compoſtellano de S. Ignatio Loyola (citat Suueertius in Sel. Del.) *Io. Bapt. Cardona Valentinus Auſetanus* &c. *Sanctitati, Societatique eius Dicatiſſimus*, quod eſt maximè obſeruandum, cùm de cultu hominis in Diuos recepti ſermo ſit. Pagina verò CCLXXVII. n.3. Legitur vox compoſita *Dedicatiſſimus*.

CCCXXXVI.

IMP. CAES. M. AVR
PROBO . PIO . FELICI
&c
ORDO . ILLIBER . DEDICATISSIMVS
D. P

E recentibus prodit Aloyſius Nouarinus noſtri temporis pereruditus Scriptor, nec inelegans, in Epiſtola Nuncupatoria Opuſculi ſui, quod inſcribit *Verae Sanctitatis Characteres*, alloquens Beatum Caietanum Inſtitutorem Ordinis ſui, *Calamo* inquit *tuas laudes tetigi* : *Debebam potiùs moribus. Gratior quippe tibi ea laus, quae à vita exit, quàm quae à nuda ſcriptione fluit. Ad hoc DEVOTVS manum promptè porrexi* : *Illud vt poſſim, tu manum tuam porriges.* Et infrà paulò, imponens clauſulam : *Siſto* ait *in hoc voto DICATISSIMVS tibi ſeruus N. N. N. N.* hoc eſt *Aloyſius Nouarinus Clericus Regularis.* En tibi vocis rectus vſus; Deuotum ille ſe, praecedente voto profitetur erga hominem, non illum quidem vulgarem, mortalemuè; Sed Diuum, coetui Beatorum in Caelis adſcriptum. Seruum autem nominat Dicatiſſimum, quo nomine teſtantur ſerui debitum hero ſuo obſequium: quamquam non tacuerimus hoc loco nomen ſerui eo ſenſu inuſitatum Latinis boni ſeculi.

Illa quoque Synonyma vim habent parem, *Addictus, Deditus, Mancipatus, Studioſus, Obſeruans, Obſequens*, augentque horum ſuperlatiua *Addictiſſimus, Deditiſſimus* &c. Exemplum placet afferre haud indignū tuis, Lector, oculis; dignum quippe habitum oculis totius Orbis, creato Romae INNOCENTIO X. cui in Arcu Septimij, quà Capitolium ſpectat, ita fuit inſcriptum.

CCCXXXVII.

Optimo . Principi . INNOCENTIO . X . Pontifici . Maximo
Qui . Romani . Sanguinis . Romani . Conſilij . Sui . Nihil . Incrementi . Alienae
Virtuti . Debet . Nihil . Fortunae
Itaque . Omne . Illud . Aſpernatus . Quod . Labore . Atque . Ingenio .
Quaeſitum . Non . Fuiſſet
Plura . Semper . Meruit . Quam . Sperauit
Ingentia . Reip . Munia . Feliciter . Geſſit . Magnam . Chriſtiani . Orbis
Partem . Pro . Concordia . Principum . Peragrauit
Sacram . Donec . Euectus . Ad . Purpuram
Inde . Vnanimem . Calculum . Caelo . Tellureque . Ferentibus . Rerum . Potitus
Quia . Optimè . Paruit . Optime . Imperat
Hoc . OBSEQVENTISSIMI . ANIMI . Teſtimonium . S. P. Q. R. Pronus
DEVOVIT

Hoc, inquit, Deuouit teſtimonium; hanc nimirum tabulam inſcriptam proponens in huius obſequium Pontificis deſtinauit, & (ex ſuperiore obſeruatione) dedicauit.

Caeterùm vox *Deuotus* Animo adiuncta veteribus florentis ſeculi videtur vſitata, ex Suetonij in Tiberio Capite LXVII. vbi citantur illa Tiberij verba ad Senatum: *Si quando autem de moribus meis, deuotoque vobis animo dubitaueritis.* Quamquàm & ſuſpecta haec elocutio poteſt haberi aſſentationis impurae. Nimirum quòd trepidus de Imperio, atque adeo de capite Tiberius, aduſtus autem imperitandi ambitione facilè eò exceſſerit, vt adorabundus animum ſuum Senatui, quem penes erat ſumma poteſtas, quaſi numini deuotum affirmaret; id quod in alijs capitibus perditis factum ſcimus. Habuit certè Tiberius imitatorem recentem, quem non facilè damnemus in Dedicando Muſaeo Pauli Iouij edito Baſileae An. MDLXXV. quem nos haud poenitebit hic referre.

CCCXXXVIII.

FRANCISCO . MEDICI
MAGNO . ETRVRIAE
DVCI
HEROICARVM . NON . MINVS VIR-
VIRTVTVM
QVAM . DIGNIT . FORTVNAEQ
PATERNAE
HEREDI . ET . SVCCESSORI
OPT . EXOPTATISS . Q
IOVIANVM . HOCCE
MVSAEVM
COSMO . PRINCIPI . VERE
MAGNO
A . SVMMO . AET . NOSTRAE
HISTORICO
IAM . OLIM . DEDICATVM
CONSECRATVMQ
NVNC . VERO . VIVIS . ILLVSTR
V. V. IMAGINIB
MAGNO . STVDIO . PARI . ARTE
NEC . MINORE
SVMPTV
INSTRVCTVM . ACTVM . ET
EXORNATVM
P. PERNA . CIVIS . ET . TYP
BASIL
DEVOTO . ANIMO
D . D

Illa quoque locutio *Affectus deuotionis* ſcrupulum nobis nullum ingeſſerit: idem quippe valet, atque deſiderium ſeſe deuouendi, ſi caſus tulerit. Ita videtur Cenſuram effugere Inſcriptio recens Romana (apud Suueert. in Sel. Del.) in Ara D. Laurentij, videlicet:

CCCXXXIX.

LAVRENTIVS . EPISCOPVS . ALBANEN CARDINALIS . BENEVENTANVS
NE . MORS . DEVOTIONIS . AFFECTVM . PRAEVENIRET
SACELLVM . HOC . DICAVIT . DOTAVITQ

Verùm affectus in Diuos noſter aptiùs & puriùs effertur nomine Pietatis. Repete huiuſce Claſſis ex Membro XIV. Inſcriptionem, cuius eſt initium. *D. O. M. & Memoriae LEONIS XI.* &c.

&c. *Qui pro eximia ſua in Beatam Agnetem PIETATE* &c. vnde praeiudiciũ ſumitur Epitaphij alterius ab hinc ſeculi (citat Suueert. in Sel. Del. Roman. in S. Petri ad Vincula) quod ita habet:

CCCXL.

NICOLAVS DE CVSA Treuer. S. Petri ad Vincula Card. Brixienſis Epiſcopus Tudertinus Obijt MCCCCLXIV. XI. Auguſti, ob Deuotionem Catenarum S. Petri hic ſepeliri voluit* &c

Vbi propriè ſcribendum fuerat *ob religionem Catenarum*; vel *pietatem in Catenas*. Omnino autem pro *Deuoto* in Deum, in Sanctos (quo ſenſu vſurpat vulgus) dic religioſum, vti docet Voſſium de Vitijs ſerm. lib. III. cap. XXXIII. Id quod habetur etiam recenti monumento, ex libro nuper edito Romae, cui Titulus vulgari idiomate: *Roma Antica, e Moderna*, Anno MDCLIII. in haec verba:

CCCXLI.

SOCIETAS . SANCTISSIMI . SALVATORIS . AEDICVLAM . HANC SANCTAE . MARIAE . IMPERATRICI . DICATAM . MAGNI GREGORII . PAPAE . VENERATIONE . ET . POPVLI . RELIGIONE CELEBREM . VETVSTATE . LABENTEM . INSTAVRAVIT . MDCVI VINCENTIO . CAPOCCIO . FRANCISCO . DE . MOLARIA . PAVLO MELLINO . CVSTODIBVS . FRANCISCO . DE . RVSTICIS . CAMERARIO

Similem in modum loquendum, vbi vulgus *locum magnae deuotionis*. Latinè enim locus magnam habet venerationem, ſeu religionem. Item loci veneratio, vel religio. Accipe membrum Inſcriptionis recentis, boni autem characteris (citat Suueertius in Sel. Del. inter Rom.) in Diui Andreae de Valle, quae eſt de Cloaca, ibi quondam exiſtente, vnde exemptum cadauer S. Sebaſtiani Martyris: *Facti indicem Plebs olim venerabunda Aediculam excitauit, cuius hic nuper Altare maius cum Apſide ſtetit. Hanc Sixtus V. Pont. Max. ea lege aequari ſolo permiſit, vt illius pars nouae Aedis ambitu includeretur ad retinendam LOCI. RELIGIONEM, reique memoriam.* Vide, quid inter veterum puram locutionem, & vulgi impuram interſit.

Accipe recens Elogium, in quo erit obſeruare, & quomodo quis dicatur impenſe deuotus in aliquem Diuorum, elegantiore locutione; & vt vocem ipſam Deuoti rectus admittat vſus. In Coenobio Cartuſianorum ad Florentiam in cenſu Praeſulum ſummorum Ordinis, num. XL. ita legitur:

CCCXLII.

*PETRVS IV. Sarde Lemouix. Qui Chriſto, qui eius Matri Virgini * totus vixit. Qui Ordini, raro * deuotionis exemplo, & ſedulo ſolitudinis miniſterio profuit, & praefuit Annis XII*

Temerè itaque protrudi à nobis non debent hae voces, ne in nos quoque illud quadret, quod in hominem quendam iactatũ fuit, nobis praeſentibus, pronum nimis, ac facilem ad vſurpandum *Deuotus*, *Deuotio*, ac *Deuotiſſimus*, ſenſu autem plerumque non proprio. Et quia is erat Ordinis Religioſi; *Deuotiſſimus* homo (inquit cauillator) *neque ſuae immemor religionis*. Alluſiſſe putamus ad ſcomma Ciceronis in Philippicis, vbi notans M. Antonium, quòd verbum nouum protuliſſet: *Tu porrò* inquit *ne pios quidem, ſed piiſſimos quaeris, & quod verbum omninò nullũ in lingua Latina eſt, id propter tuam Diuinam pietatem nouum inducis*. id eſt, vt interpretatur Manutius, Quaſi tibi nouum verbum ab ea virtute liceat deducere, qua tu praeter caeteros excellis. Nos verò ne huic voci animaduertendae deuoueamus caput, ad alia progrediamur.

CHRISTIFIDELES

Membrum XXVIII.

CHRISTIFIDELES coniunctim,& *Chriſti fideles* disiunctim minus Latinè dicimus pro ijs, qui Chriſtianae religioni ſe addixere, ſeu ſacris Chriſtianis initiati ſunt. Nam *fidelis* veteribus fuit, qui fidem ſeruat, ſeu cui tutò haberi fides poteſt: *fidelis* autem *alicui*, vel *in aliquem* dicitur, non *alicuius*. Itaque potiùs dixerim *Chriſto fideles*,& coniũctim meliùs *Chriſtofideles*; quamquam ne commodè quidem *fideles*; magis enim Chriſtus ſeruator fidelis dicitur nobis, quia & fidem promiſſae caeleſtis hereditatis ſeruat nobis: & dignus, cui fidem de rebus ſenſum noſtrum, atque intelligentiam excedentibus habeamus. Quare vel vna dictione Chriſtianos appellare oportet, vel aliàs *Chriſti cultores*,ſeu *ſectatores*; *Chriſtianae fidei cultores*; *Chriſticolas*; *Chriſti familiam*, ſeu *ſectam*. Rectè in hunc ſensũ loquitur Diuus Cyprianus Epiſc. & Mart. (de Bono Patientiae) *Inter caeteras caeleſtis diſciplinae vias, quibus ad conſequenda diuinitùs praemia ſpei ac fidei noſtrae ſecta dirigitur* &c. quia rectè fidem habemus dictis,& promiſſis Chriſti Dei: *Fides* verò *Chriſti* minùs Latinum pro ea,quam Deo reuelanti nos habemus; ſed quae digna eſt, cui aſſentiamur, eo modo, quo dicitur *fides tabularum, teſtium* &c. ideſt auctoritas. Nec ſuffragatur locus Diui Marci cap. XI. num. 12. *Habete fidem Dei*, κατ' ἑλλιψιν Dei,pro Dei promiſſis: niſi mauis fidem pro fiducia interpretari, ſeu (meliùs) *habete*, ideſt intelligite fidem Dei, vt loquitur Terentius in Heauton. *Habete omnem rem*:fidem autem Dei promiſſionem ſcilicet, & ſponſionem, vt ad Lentulum Epiſt. IX. lib. I. Cicero: *Grauiſſimè*, inquit, *me in hanc mentem impulit & Pompeij fides, quam de me Caeſari dederat, & fratris mei, quam Pompeio*. Purganda igitur nobis videtur Inſcriptio Alexandri Geraldini Epiſcopi Ciuitatis S. Dominici apud Indos Occidentales, quam inditurum ſe in primario Magni Oſtij pariete ſpopondit Pontifici Maximo in libello ſupplice, ad hanc formam:

CCCXLIII.

LEO . X . PONT . MAX . IN . VRBE . FLVENTINA . ORTVS
E . NOBILI . ILLVSTRIORI . MEDICORVM . GENTE
HOC . TEMPLVM . IN . AXE . A . TOTO . ORBE . REMOTO
OB· COMMVNE. * FIDELIVM. CHRISTI. BONVM. FIERI. IMPERAVIT

Repone *Cultorum*, vel Sectatorum. Eandem cenſuram petit locutio illa *Venire ad fidem Dei*, *Amplecti fidem Chriſtianam*, pro qua ſubſtitues *cultum*, *religionem* &c. vt in altera eiuſdem Geraldini Inſcriptione ibidem deſignata primo Noſocomij oſtio, videlicet:

CCCXLIV.

O . PII . SVB . TOTO . AEQVINOCTIO . MORTALES
O . BEATAE . SVB . CLEMENTI . CAELO . GENTES
QVAE . *AD . SANCTAM . DEI . FIDEM . VENISTIS
LEO . X . PONT . MAX . PATRIA . ETRVSCVS . MEDICEVS . GENERE
ANIMI . MAGNITVDINE . DOCTRINA . ET . RELIGIONE . MAGNVS
HANC . PROSEVCHAM . VESTRAE . TANTVM . GENTI . VESTRAE . SOLVM
POSTERITATI . EREXIT
PROSPICITE . NVNC . QVAESO . SVMMAM . VICARII . DEI . PIETATEM
QVAE . AB . VRBE . ROMA . IN . IGNOTVM . VSQVE . ORBEM . VESTRVM
SE . PROTENDIT

Sed cur aliud teneamus vocabulum,quàm quod Chriſtus Caeleſtis Magiſter nobis tradidit? *In hoc* (inquit Io. Cap. XIII. num.35.) *cognoſcent omnes, quia diſcipuli mei eſtis, ſi dilectionem habueritis ad inuicem*; Ergo pro *Chriſtifideli* dic etiam *Chriſti diſcipulum*. Sic inſcribit Albertus Elogio de Diuo Baſilio, num VII. *Athenis redditus Eubulum olim Praeceptorem ſuum Hominem ſapientiſſimum Chriſto lucratur, Pergratus Praeceptori ſuo diſcipulus. Quem SVI . DISCIPVLVM fecit, vt faceret CHRISTI*.

CLAS-

CLASSIS V.

Eccleſiaſtica vocabula nouata

Ex Eccleſiaſticis vocabulis plura inuexit neceſſitas. Ex his illa tenenda Latinè videntur.

REDEMPTOR

Membrum I.

R*EDEMPTOR* de Chriſto Domino Latinum eſt, vtroque illo ſenſu, veteribus concepto: Et quòd pretio tot laborum, & ſuimet ſanguinis captiuũ redemit genus noſtrum, quo ſenſu dixit Cicero II. offic. *Liberales autem, qui ſuis facultatibus aut captos à praedonibus redimunt, aut* &c. Et quòd Diuinitatem, aliaque dona caeleſtia conditione illa accepit, vt noſtram curaret ſalutem; quemadmodum Verrina V. Cicero: *Ne forte ab nocturno ſuo quaeſtu animum ad vectigalia redimenda transferret.* Adde & tertium ſignificatum, quamquam hic minùs conſonum, quòd morte ſua, & cruciatibus beatitatem nobis ſempiternam iuſto coëmit pretio, vt vſurpauit Caeſar I. Bell. Ciuil. *Largitione, militum voluntates redemit.* In recentibus marmoribus bonae notae, vt quoto anno ſint poſita, intelligatur, quandoque legas *Anno ab Orbe Redempto* &c. Titulos quoque Epitaphiorum *CHRISTO. REDEMPT. S.*

CATHOLICA & ORTHODOXA

Membrum II.

C*ATHOLICA*, & *ORTHODOXA*, i. e. *Vniuerſalis*, vel *Perpetualis*, & *Rectè credens*, voces Graecae, neceſſitate poſcente inuectae propter exorta vel ab initio Rei Chriſtianae diſſidia ſuper ſacroſancta Fide; oppugnantibus maximè ex Graecis, aduerſus quos opponendae illae voces fuerant, vt proderetur ſanus Eccleſiae ſenſus, qui vtique non ſingularium quorumdam capitum eſt, ſed vniuerſi fere coetus Chriſtianorum edocti traditionibus Apoſtolicis, viuiſque oraculis Romani Pontificis, qui Chriſti vices in terris gerit. Praeſertim, quia vetus iam vſus eam vim his vocibus contulit, adeo vt in Latinas verſae minùs indicent. Quamquàm ſi vox *Perpetualis* pro καθολικὴ, quam dixit Quintilianus (lib. II. cap. XIII.) facta eſſet auribus familiaris, nae rectè exprimeret, eam tùm demum eſſe rectam fidem, quam non recentioribus primùm ſeculis commentata ſunt ambitioſa quaedam, ac refractaria capita; ſed à ſucceſſoribus primis Petri Apoſtoli ad poſteros ipſorum perpetua, nec vnquam intermiſſa ſerie rerum credendarum conſenſus firmauit ac tenuit.

Vocem *Catholica* de Eccleſia, nuſquam non offendes in monumentis Chriſtianorum, quorum Princeps eſt, quod de nomine CATHOLICI, Regi Hiſpaniarum impoſito per INNOCENTIVM VIII. Cyboum Pont. Max. Romae legitur, teſte Suuertio in ſuis Select. Delic. *Orthodoxa* verò non infrequenter. Romae quidem legitur in S. Trinitatis, vt citat ibi Suueert.

CCCXLV.

DEO . TRINO . ET . VNI

GVLIELMO ALANO. Lancaſtrienſi S. R. E. Presb. Card. Angliae Qui extorris à Patria, perſanctus laboribus diuturnis, & ORTHODOXA Religione tuenda ſudoribus multis in Seminarijs ad ſalutem patriae inſtituendis, fundendis. periculis plurimis ob Eccleſ. Romanam, opera, ſcriptis, omni corporis & animi contentione defenſam, hic in eius gremio, ſcientiae, pietatis, modeſtiae, integritatis fama, & exemplo clarus, ac pijs omnibus carus occubuit XVII. Kalend. Nouemb. anno Aetatis LXIII. Exilij XXXIII. Salutis humanae MDXCIV

Caeterùm de homine ſine mentione religionis duritiem habet, & obſcuritatem, qua quidem notatur Inſcriptio Aquiſgranenſis apud Suueertium in Select. Delic. ſcilicet:

CCCXLVI.

Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus CAROLI. MAGNI, atque Orthodoxi Imperatoris. Qui Regnum Francorum nobiliter ampliauit, & per annos XLVI. feliciter rexit. Deceſſit anno aet. LXXII. V. Kal. Febr. An. MCCC. XIV. Indict. VII

Siquidem Orthodoxus eſt rectae opinionis tenax. Cuius autem, quouè in genere? nullus hic omnino index, politicae, an ſacrae, an aliuſmodi. Lege infrà lib. de Perſpicuit. Membro VIII. Rectiùs hanc vocem tractatam videmus in Bruxellenſi Epitaphio de Io. Sacheuerello (citat Suueertius in Brabantinis) nimirum praemittitur ad intelligentiam illud *Catholicae religionis, veraeque pietatis cultori eximio, Qui cùm Angliam Sectariorum verſutia in Caluiniſmum denuo relapſam cerneret, protinus vt Deo liberiùs ſeruiret, eluſa carceris cuſtodia* (mox ſubiungit) *in quem ob orthodoxae fidei confeſſionem coniectus fuerat* &c. Ecce vt continuatio longa praecedentium, & ſimul appoſitum fidei, vocis ſignificationem planam, apertamque reddit.

HAERESIS, SCHISMA.

Membrum III.

HAERESIS, SCHISMA, Graecae dictiones; illa quidem Ciceroni vſitata, Attic. lib. XIV. ep. XIV. & ad Caſſium lib. XV. ep. XVI. & Praef. ad Parad. Sumit autem *Haereſim* pro ſecta, ſeu opinione, & diſciplina ſtudioſè lecta, & firmiter culta. Quod in materia religionis Chriſtianae intelligitur in parte deteriore Error à Catholica fide prudens, id eſt voluntarius, & pertinax. Hoc enim ſenſu vſurpant Chriſti cultores, quo & primùm naſcente Eccleſia, Actor. Apoſt. cap. V. num. 17. & cap. XXIV. num. 14. Et I. Cor. cap. XI. num. 19. In ſacris ergo Inſcriptionibus haereſeos nomen ad huiuſmodi errorem, & mentis inſaniam, ſana quidem vſurpatione cogetur. Hinc Haereticus, qui & Sectarius. De voce haereſis eſt Patauina Inſcriptio à Suueertio cit. in Select. Delic.

CCCXLVII.

PETRVS APONVS Patauinus, Philoſophiae, Medicinaeque ſcientiſſimus ob idq. Conciliatoris nomen adeptus: Aſtrologiae verò adeo peritus, vt in magiae ſuſpicionem inciderit, falſoq. de Haereſi poſtulatus, abſolutus fuerit.

* Caue ergo quiſquis legis, ſcopulum, & quidem geminum, ſi caput Aſtrologiae deuoueris. Siquidem aut Scyllam ſuſpectus de haereſi offendes aut de inſania Charybdim.

Vocis

Vocis autem *Schiſma* vſum nullum veteribus, praeterquam ſacris Scriptoribus reperimus, forte quia Ethnicis nihil tale vſuuenit. Eſt enim ſchiſma (à σχίζω *ſcindo, findo, hiulco*) cùm varij varia de partibus Religionis ſentiunt, integris manentibus principijs. Iſidorus lib. VIII. 2. *Schiſma*, inquit, *à ſciſſura animorum nomen accepit, eodem enim cultu, eodemque ritu credit, vt caeteri, ſolo Congregationis delectatur diſſidio*. Etſi Auctores ſchiſmatis, & partium ſtudioſi perrari ſint, qui non haereſeos alicuius vitium contrahant. Vt vt res habeatur, hoc vocis neceſſitate tuemur quandiu alia ex boni ſeculi Scriptoribus non depromatur. Eam vocem habes in Epiſt. I. Diui Pauli ad Cor. cap. I. num. 10. & cap. XII. num. 25. Et apud Patres Eccleſiae paſſim. Hinc *Schiſmaticus*, qui ſchiſmati adhaeret, nec eſt à Principe Eccleſiae, Pontifice Romano, à quo vt à Capite vitam, ſalutem, tranquillitatemque haurire membra debent.

CLERVS

Membrum IV.

CLERVS, ex Hebraico Graecis, è Graeco Latinis Chriſtianis ingeſtus non ſine neceſſitate putatur nonnullis: Nec enim inquiunt Latine vnica voce dixeris *Ordo*, ſeu *Collegium* hominum, qui vel ſacra faciant, vel ſacris adminiſtrent gradu vario, quod totum ſonat *Clerus*. Nam Sacerdotia etſi Romanis multiplicia, poteſtatem dumtaxat conferebant operandi ritu Sacerdotali. Noſtratibus autem in ſacro peragendo alius alio dignior eſt gradus, nec Sacerdos modò miniſtris alijs praecellit, ſed ipſi inter ſe ſe miniſtri, ſuo quiſque ordine, ſubſtituti. Quod verò *Clerus* à ſorte potiſſimùm, quam Graecè ſonat, ſit dictus, à vetere Hebraeorum inſtituto captum eſt, è quibus ordinante Deo Leuitae ſelecti ſunt ſorte quadam, vti ſacris praeeſſent, alij ſacerdotio fungentes, alij inferiore miniſterio; ſiquidem antè Primogeniti omnes hoc iure potiebantur. Conſule Ioannem Scapulam in ſuo Lexico, ad Vocem κλῆρος. Adi Suueertium in Selectis Delicijs, vbi inter Louanienſia legitur *Cleri ſtudioſiſs.* in Epitaphio Petri Peckij.

Nobis autem, tametſi vocis huius vſus non improbatur, nonnumquam tamen Latinè audiri non incommodè videtur *Ordo Eccleſiaſticus*, ſeu (num. plur.) *Ordines Eccleſiaſtici*. Suadet autem Inſcriptio Sepulcralis Louanienſis à Suueertio relata inter Brabantinas

CCCXLVIII.

*CL. ac Doctiſs. viro * D. VLMARO BERNARTIO Ecckenſi artium & I. V. Doctori & Primario Profeſſori Iuris Canonici ab eo duos & XX. annos explicati, huius Eccleſiae Canonico, & Vniuerſitatis ſextùm Rectori qui nomine ORDINIS ECCLESIASTICI huius regionis, Concilio Tridentino interfuit. Heredd. moeſti Poſ. Obijt anno Domini MDLXX. X. Kal. Februar. Annos natus LX. Relicto ad duorum Iuris ſtudioſorum alimentum reditu LX. aureorum. Ei pacem precare.*

A *Clerus* fit *Clericus*, hominem ſingularem ſignificans, ſacris miniſterijs deſtinatum.

Aliter in Epitaphio citat Suueertius in monumentis Brabantinis:

CCCXLIX.

CLAVDIO PERENNOTTO Burgondo maximae ſpei iuueni SACRIS INITIATO quem dum fata felicitati eius inuident è viuis ſuſtulere XX. Decemb. An. MDXXV. N. Perennottus Caeſ. Caroli V. A ſecretis conſilijs opt. mer. fratri poſ.

A *Clericus* fit *Clericatus*, i. e. Status, ſeu conditio hominis addicti ſacris miniſterijs, qua voce vtitur Diuus Hieronymus in Iſaiae Cap. LVIII.

CANONICVS & VICARIVS GENERALIS

Membrum V.

CANONICVS & VICARIVS GENERALIS. Ille ex ordine intelligitur, ſeu Collegio Religioſorum hominum, qui precibus horarijs publicè perſoluendis in Templo ſunt addicti. A *Canone* Graecis regula (quae vox Latinis melioris ſeculi vſitatiſſima) eò quòd debeant Canonici regulam praebere populis non modò religionem publicae exercendi, ſed etiam componendi exemplo ipſorum ſuo alienos mores ad omnes vitae Chriſtianae numeros, vti religioſum hominem decet. Hinc *Canonicatus* pro munere ipſo Canonici haud repellenda vox Latinis, ſicut *Canonicalis*, ideſt pertinens ad Canonicum. Accipe Epitaphium Romanum (à Suueertio cit. inter Delicias ſelectas) quod legitur in Templo Arae Caeli, videlicet:

CCCL

ARNVLPHVS RAINALDVCCIVS.
nobilis Fanenſis. olim Baſilicae Vaticanae
CANONICVS ſupra nonageſimum vitae annum
caligantes oculos breui cogitans morte claudendos
hic ſe in ſpem aeternae lucis ad nouiſſimum
diem deponi iuſſit

Canonicorum verò Capitulum non dixerim, ſed Ordinem, aut meliùs Collegium, vt in antiquis marmoribus de Religioſis, & Sacerdotibus. Sic apud Gruterum pag. XIII. num. 1.

CCCLI

IOVI . O . M . SACR
COLLEG . AVGVR . D . D * i. e. *Collegium Augurum dedicauit*
CVR
T . IVNIVS . SELEV
CVS . CVM . VALER . FIL
IMMVN . PERPET

Et apud Ciceronem, *Collegium Sacerdotum* de Clar. Orat. *Collegium Pontificum* pro Domo ſua: *Collegium ampliſſimi Sacerdotij* Appio Pulchro lib. III. Conſule Ioannem Roſinum lib. III. cap. VIII. Nec ſuffragatur etymologia vocis *Capitulii*, quaſi ſit *capitum inter ſe collatio*, cum vſus loquendi veterum cũctis praeualeat rationibus. Minus pura idcirco videri poteſt Inſcriptio Romana (citat Suueertius in Select. Delic.) & quidem gemina, de Franciſco Toleto Card. vtrobique enim habetur: *Huius Baſilicae Canonici & Capitulum Poſ.* Niſi forte hoc ipſo diſtinxerint à Cardinalibus, quorum coetus appellatur *Sacrum Collegium*: Sed primum antonomaſticè intelligas Cardinales pro Sacro Collegio ſine appoſito, cum tamen aliàs exprimendum ſit *Canonicorum Collegium*, ſeu *Canonici*, *& Collegium*. deinde queis iuſtiùs appellatio Capituli (ſi foret Latina) detur, quàm Cardinalibus, ſummis nimirum capitibus Chriſtiani Orbis poſt Pontificem?

Exemplum purius praeſto eſt inter Rom. Inſcript. & quidem dignum auctore, quem prodit ſequens Epitaphium:

CCCLII.

D. IMMORTALI. SAC.

Pietati & memoriae IVLII. SADOLETI Sacerdotis Laurentiani de COLLEGIO. CANONICOR. Graecis, & Latinis literis ſingulariter eruditi omnibus optimis & diſciplinis, & moribus ita ornati, vt eius ingenium, comitatem, liberalitatem, & ante annos prudentiam nulla ſatis aequare poſſit admiratio. IACOBVS. SADOLETVS fratri concordiſs. & ſpe de eo maxima orbatus multis cum lachrymis Poſ. Vixit Ann. XXVI

A Collegio

A Collegio Canonicorum aegrè probabitur dici Eccleſia *Collegiata*, ſed magis *Collegio Canonicorum inſignis*: ſeu *cum Collegio Canonicorum*. Neceſſe autem eſt Canonicos appellare, quod aliùd Collegium Eccleſijs ſaepe ſit adiectum, puta piorum Sodalium abſque Sacerdotio, qui certum ibi Corpus conſtituunt: Vt vel hac de Cauſa vox *Collegiata* rem minus exprimat, niſi vſu vulgari inſpecto. Sed latinè affectantibus aliae aures, aliuſque ſonus fuerit. Nec habet auctoritatem Edictũ Caroli VI. de Immunit. & Rep. Eccleſ. Et Concilium Piſanum de Promotionib. vbi barbariſmus regnat. Codex autẽ Theodoſianus lib. V. de locat. fundor. iur. Emphyteut. vbi habet *Municipes collegiati*, *& corporati Vrbium* &c. etſi intelligit municipes publici miniſterij cauſa conſcriptos, certumque conſtituentes corpus, & Collegium; tamen aliter dicimus homines collegiatos, aliter Eccleſiam, ſeu locum. Sed & homines multos corporatos rectè vocabimus, ideſt in Corpus vnum cohaerentes, ſingularem autem corporatum non ita: ſed de corpore. Ita non Iuris Conſultum Collegiatum, ſed de Collegio Iuriſconſultorum dici debere obſeruamus infrà in Claſſe VII. Didaſcal. Memb. II.

Reuerendiſſimum Capitulum ſiquis, vt à Capitulis ſubditarum Cathedrali Eccleſiarum diſtinguat, inſcribere iubeatur, barbariem vitabit, reponens Eccleſiae *Cathedralis Collegium*. Id ipſum vſurpabit de Primatiali, Patriarchali, Archiepiſcopali. Ex quo habes, quomodo caſtiges Inſcriptionem Imolenſem Campanae maioris in ſacra turri, quae Saxatellae illuſtriſſimae familiae non ſinit ſuo ſonitu celebritatem famae conticeſcere. Ea eſt

CCCLIII.

IMOLA . FRVENTE . LIBERTATE
PER . IOANNEM . SAXATELLVM . A . IVLIO . II . DONATA
PRIMO . CONFLATAM . DEIN . VITIATAM
COMITIBVS
FRANCISCO . MARIA . ET . ALEXANDRO . RANNVTIO . ABNEPP. BENEFICIS
* REVERENDISSIMVM . CAPITVLVM . ET . CLERVS
ME . REFVNDENDAM . CVRARVNT
IMPERANTE . INNOCENTIO . X . M . ANT. CVCCINO . ANTISTITE
H . D . C . XXXXIX

Lege ergo, *Cathedralis Templi Collegium*. Cui vt ambiguitatis omnis abſit ſcrupulus ob ſubſequentem vocem *Clerum*, ſubiunge Collegium *Canonicale*, *& Clerus*.

Denique quod vulgò dicitur *Canonicè* quis *electus*, Latinè tu efferes *Secundũ canones electus*.

Vicarius Generalis de illo, qui Epiſcopi vices gerit in Dioeceſi vniuerſa, quidni Latinè vſurpetur? Nam etſi veteribus diceretur Vicarius ſeruus vicem gerens ſerui maioris in familia, ad aliud tamen etiam translatum fuiſſe vocabulum arguit Brutus ad Ciceronem, dicens *aliaenae dominationis vicarium*. Cur non etiam quadrauerit in Vicarium Epiſcopalis dominationis, quocum idem (vt aiunt) Tribunal facit? Quoniam verò plures Epiſcopo ſunt Vicarij per regiones diſtributi, quos vulgò malè appellant Foraneos, Latinè autem Prouinciales, aut recepta Latio Graeca origine Dioeceſanos, hinc Vicarius Generalis nuncupatur, qui vicariam Epiſcopi poteſtatem in vniuerſam exercet Dioeceſim, & cui parent caeteri Vicarij. Nec abhorret in hac ſignificatione vox *Generalis* ab vſu Ciceroniano, Lib. I. Off. vbi habetur: *Generale quoddam decorum intelligimus, quod in omni honeſtate verſatur, & aliud huic ſubiectum, quod pertinet ad ſingulas partes honeſtatis*. Non fraudabimus luce Inſcriptionis hunc locum: miſſiſque antiquis, vbi officium Vicarij profani per varias prouincias memoratur (Adi Indicem Gruterianum Cap. V. In Voce *Vicarius*) accipe de ſacro recentem, quam exſcripſit in ſuo Zodiaco Puccinellus poſitam in Diuae Mariae Scalenſis, videlicet:

CCCLIV.

IOANNES . MARIA . TONSVS . IVRECONS
HVIVS . TEMPLI . ARCHIDIACONVS . PRIMVS . QVI . AMBROSIANAM
ECCLESIAM . ANNIS . XXXIII. DVOBVS . ARCHIEPISCOPIS . ABSENTIBVS
GENERALIS . VICARIVS . PIE . ET . IVSTE . REXIT . HIC . QVIESCIT
VIXIT . ANN . LXIIII . OBIIT . MDL . IDIB . IAN
FRANCISCVS. TONSVS. FRATER. PATRVELIS. TANTI. VIRI. NON. IMMEMOR
POS

ANNVS IVBILAEVS

Membrum VI.

ANNVS IVBILAEVS preſsè locuturo admittitur Elogiaſtae nam Annus ſecularis apud Romanos veteres vix aliquod praeſetulit veſtigium illius. Nobis etſi primùm conuenerit tempore Annus Iubilaeus cum Seculari, centeſimo quoque anno recurrens, mox ad quinquageſimũ, poſtremùm ad vigeſimum quintum redactus ſit; in his quoque tamen diſcordat, quòd praeter ſtatas ceremonias in Vrbe per Summum Pontificem, & Principes Sacri Collegij, ampliùs conceditur venia pleniſſima peccatorum, inuiſentibus ſuppliciter ſacras Baſilicas, Stipe in egenos erogata, Ieiunio caſtigatis corporibus, ac ſuſceptis ſacroſanctis myſterijs Poenitentiae, & Euchariſtiae. Itaque niſi ex appoſito ſupplebit annus ſecularis, v. g. *Annus Chriſtianorum ſecularis*: ſeu è textu ſermonis, cuiuſmodi habetur in Epitaphio Romano (cit. Suueertius in ſelect. delic.) de Andrea ab Auſtria Cardinale, & Epiſcopo (en nota Chriſtiani hominis) qui *Romam anno ſeculari, religioſo peregrini habitu viſens, à Clemente Pont. Opt. Max. agnitus* &c. Caeterùm Iubilaei vocem ex hebraeo tractam omninò adhibuerim, auctoritate nixus optimarum Inſcriptionum inter Romanas, ac trium potiſſimè. Quarum primam totam citare pretium eſt operae, videlicet:

CCCLV.

SIXTO. V. PONTIF. MAX. ex Ordine Minorum. Doctrina. & Magnitudine animi. omnis memoriae principi. Turcis Italia ſubmotis. Auctoritate Sedis aucta. Vrbe inſtaurata Templis. Ponte. Foro. Vijs Bibliotheca in Vaticano publicata. IVBILÆO celebrato. Liguria ſeruitute liberata. Cùm modice ac plano ſolo condi ſe mandauiſſet. Iulianus Cardin. patruo B. M. maiore pietate quàm impenſa F. C. Obijt Idib. Sext. hora ab occaſu quinta anno Chriſti MCCCCXXXXIV. Vixit ann. XXX. D. XX. H. XII.

Alterius verò fragmenta duo, vt moles vitetur, promo. Epitaphium eſt de *Carolo Friderico*, in S. Mariae de Anima, Templo Germanorum. citat ibidem Suueertius. *Gregorio XIII. Pont. Max. ad ANNVM IVBILAEVM Chriſtiani Orbis populos conuocante* &c. Et inf. *Omnibus Chriſtianae pietatis officijs perfunctus. Sanctiſſimi IVBILAEI beneficio expiatus*. Tertiam, quae eſt in Ponte Sixto, habetque: *Peregrinaeque multitudinis ad IVBILAEVM venturae* &c. pete ex Suueertio in Delicijs ſel. latinè ac nitidè Iubilaeum reddit Q. Marius Conradus lib. V. de Copia ſer. lat. dicens: *Centeſimo quoque anno in Religione quondam expiationes publicas eſſe datas, deinde quinquageſimo, nunc denique vigeſimo quinto*. Propriè itaque Iubilaeus dicetur, Expiatio publica vniuerſalis in religione. Addimus nos *Vniuerſalis*, vt ab ea ſecernatur, quae vulgò Indulgentia plenaria. Pete inf. Membrum XV.

SOLENNIS

Membrum VII.

SOLENNIS (non eo ſenſu, quo vulgus loquitur) de *die*, *feſto*, *ſacro*, Latinum eſt. ſignificat autem, quod omnibus annis certiſuè temporibus ſolet peragi, aut celebrari. Conſule Theſ. Lat. Ling. Vulgus autem Solennem pro celebri vſurpat. Itaque Latinè erit dies celebris, feſtum celebre, ſacrum ſolenne celebre. Et magna celebritas diei, feſti, ſacri, non ſolennitas. Et feſtum celeberrimum pro *ſolenniſſimum*, quae vox nullo ſenſu nota eſt veteribus. Audiendus eſt Pola Inſcript. in Academia Veronen. ſenſu genuino & ſolennem, & feſtum cõmittens

In

CCCLVI.

In Faſtis Philarmonicis
Feſtus hic dies eſto, & Solennis
Quo
Ludouicus Seregius
Ad vetuſtatem ſuae familiae digniſſimus
In cuius virtutis
Aeſtimationem & honeſtamentum
Maximi iudicia Pontificis
Tota ſunt & propitiata
Noſtros inuiſit penates
Aequalem agens magis ciuem
Quam
Antiſtitem Hadrianum
Quam Pontificalem ad Heluetios Nuncium
O ſacratum Heroëm eximium
Philarmonici Academici
Voce publica & vniſona
Teſtantur ita & profitentur venerabundi

Nec facit auctoritatem Inſcriptio Romana, quam citat Caeſ. Baronius in Annal. Eccleſ. ad annum Chriſti 1197. tomo XII. quae eſt de Dedicatione Aedis S. Laur. in Lucina, cuius initium: *Anno Dominicae Incarnat. MCXCVII.* cuius exitus eſt : *Facta eſt autem haec dedicatio* &c. *cum deuotione totius populi Romani, & adiacentium populorum cum tanta ſolemnitate & gloria quanta hactenus nec recognita, nec viſa fuit.* Nam praeterquam quod haec inſcriptio eſt ſeculi plumbei, ipſamet eius forma tota barbariem ſpirat, vt legentibus liquet. Eſt autem maximè obſeruãda Conſecratio altera de anno praecedente, Templi S. Euſtachij, cuius memoriae clauſula eſt huiuſmodi: *Cuius conſecrationis celebritati vſque ad haec tempora nulla ſimilis extitit.* Superiorem itaque facilè ex hac emendabis, cerneſque vnius anni flexu quàm praeceps ruerit in corruptelam Latinitas.

Interdum pro *ſolito*, abſolutè. Sic praeter exempla veterum habes in recentibus marmoribus, Romae de Andrea ab Auſtria ad Iubilaeum profecto, quòd *SOLENNES Baſilicas veneratus ſit*, i. e. ſacras Baſilicas, quae per Pontifices decernuntur, vt eas quiſquis inuiſerit, percipiat Iubilaei fructum. Ibidem de Petro Sabinenſe, *cui Aldobrandina familia SOLENNE Funeris ſoluit*, id eſt ritu, & celebritate ſolenni.

Verbum autem *Solennizo* nouum & barbarum, cùm Latina locutio praeſto ſit, *ſolenne feſtum ago*, ſeu *celebro*, ſeu ritu *ſolenni cohoneſto*, aut *celebro*.

Corollarium damus obſeruatam à nobis fortè fortunâ marmoream tabulam in Sacrario Summi Templi Vrbis Peruſiae, cùm illuc huiuſce Operis edendi gratiâ contendiſſemus. Ea Auctore nobis incomperto, compoſito certè, ac polito ita legitur.

CCCLVII.

VT . VIRI . BENEFICENTISSIMI
VIRGILII . FLORENTII . NVCERIAE . EPISCOPI
MENS . OPTVMA . VOTI . SVI . STET . COMPOS
PERPETVA . BASILICAE. HVIVS . SACERDOTES . HAEC. SEDVLO . MVNERA. OBEVNTO
MORTVALE . SACRVM . SECVNDA . FERIA . AD . S . STEPHANI
SABBATO . AD . DIVI . IOSEPHI . DE . VIRGINE . AVGVSTISSIMA . CELEBRANTO
IN . EIVS . TVM . OBITV . TVM . ANNIVERSARIO . DIE
SACRIFICIVM. * SOLEMNIVS . VNVM . MINORA . NON . INFRA . XV. PERAGVNTO
IN . OMNIVM . EXPIATIONE . MORTVORVM . CEREOS . DVOS . SEPVLCRALI . LAPIDI
FAMILIAE . DE . FLORENTIIS
PONDO . SINGVLOS . LIBB . QVATVOR . VRENDOS . EXPONVNTO
EX . TABB . CONST. REMED . NOTAR . MDCXXXVI . OCT. XIII . KAL

Et verò Latinè hodie ſcribentis deſueſcant aures, oportet, à familiaris locutionis ſono. Nihil autem minus ſignificabat antiquis vox *Solennis*, quam quod noſtratibus. Nec in propoſita quidem tabula exquirendum longiùs eſt Epitheton, quod pro *Solennius* reponatur : de proximo enim petere eſt, vbi habetur: *Minora* (ideſt ſacrificia) *non infra XV. peragunto*. Ergo ex oppoſito pro *Solennius* dic *maius*. Ita conſenties cum Iuuenale Satyra X.

Incolumi Troia Priamus veniſſet ad vmbras
Aſſaraci magis ſolennibus.

eſtque hîc *Solennibus* ſubſtantiuum pro feſtis celebrari ſolitis certo per annos ſingulos tempore

pore. In feſtis autem Ethnicorum Sacrificia ſolita fuiſſe celebrari nemo ignorat. Rectè etiam dixeris *Sacrificium maiore* aut *minore ritu*; nec ineptè diſtinxeris ſacrificium *Feſtum* & *Feriale*; ſumpto ſcilicet *Feſto* pro *apparato*; ac nouatâ voce *feriale* à *feriae* (quemadmodum à furiae dictum eſt eruditis *furiale*) atque eo ſenſu vſurpatâ, quo ipſa primitiua *feriae* ex Eccleſiaſtico inſtituto, quà opponitur diebus feſtis. Sectamur in hoc exemplum Franciſci Polae, in Inſcriptione Veronenſi ad Diuae Caeciliae, vbi habet: *Vno aliquo die ex feriatis, quolibet etiam feſto, ſolennique in honorem Chriſti, Genitricisque eius, Apoſtolorumque Hoſtia ſacrum faxito veranda* &c. Ne tamen vnquam Sacrificium, vel Sacrum *publicum* dixeris, aut *priuatum*, tùm quia Chriſtiana ſacra pro populo omnino fiunt (proinde omnia publica) ex Diuino inſtituto, atque in publico facienda ſunt: tùm quia publica ea vocabantur veteribus, quae publico populi fiebant ſumptu; priuato autem ſumptu ſaepe decernuntur apud nos Sacra, ſiue illa maiore ritu, ſiue minore, vti ſuperius indicat Peruſinum marmor. Quod ſi durius videtur tibi vocem *Solennis* in re propoſita ſupprimere, dicas, licebit, *ſacrum facere ſolenni pompa*; ſic enim per vocem *pompae* ſenſum exprimes, quem per *ſolenne* Vulgus intendit. Addas & *priuato ritu*, *publico ritu* ſacrum facere: nam etſi publicè fiat, aliàs tamen in totius Ciuitatis, aut Paroeciae conuentu publico, aliàs in priuato Ciuium. Ibi publicus ritus ſeruatur, & maiores, pluresque ceremoniae, ſolennes quidem in maioribus ſacris: hic priuatus, & citra pompam. Item *priuatis ſolennitatibus*, *publicis ſolennitatibus*: pro quo loquendi modo legendus eſt Corn. Tacitus lib. III. Annal. *Iuniae* (aiens) *vxoris Druſi ſororis funus caeteris ſolennitatibus cohoneſtatum: viginti clariſſimarum familiarum imagines antelatae ſunt* &c. ideſt caeteris obſeruationibus, quae in more erant, ſeu caeteris ritibus ſolitis. Qui quidem Tacitus lib. IV. de Druſi funere ſcribens, ait: *Memoriae Druſi eadem, quae in Germanicum decernuntur, plerisque additis, vt fermè amat poſterior adulatio. Funus imaginum pompa maximè illuſtre fuit, cùm origo Iuliae gentis Aeneas, omnesque Albanorum Reges, & Conditor Vrbis Romulus, poſt Sabina nobilitas, Appius Claudius, caeteraeque Claudiorum effigies longo ordine ſpectarentur.* Hic autem vulgus dixiſſet: Funus imaginum pompa *ſolenniſſimum*: pro eo Tacitus *maximè illuſtre*, tu aliter quoque *maximè celebre*, *inſigne*, *memorabile*.

PAROCHVS

Membrum VIII.

PAROCHVS Graeca vox Latinis veteribus accepta, vt ex Cicerone ad Att. fere autem de ijs, qui munera publico nomine comportabant Legatis exterarum nationum; ipſa verò munera *Parochae*, Latinè *Lautia*: ſiue ex aliorum ſententia, Parochus, qui omnia hoſpitibus neceſſaria praeſtabat. Quae verò vulgò eſt *Parochia*, Graecè, ſed Latio conſentiente dicenda *Paroecia*. Eſt enim etymon longè aliud. *Parochus* ab ὄχος currus, Paroecia ab οἶκος domus, vt ſit paroecia *accolatus*, ſeu vicinia, vel conuentus accolarum, qui fani eiuſdem conſortes ſunt. Ipſi verò accolae, eiuſdem ſcilicet fani conſortes rectè *Paroeci* appellantur, quibus Parochus idem praeeſt, ac praebet neceſſaria ad animi caeleſte alimentum, puta ſacroſancta myſteria, Euchariſtiam, Diuini verbi documenta, & huiuſmodi. Repete ſuprà ex Claſſe II. ſacrorum Magiſtratuum, Membro XXIV. de Vocibus *Plebanus*, & *Curatus*. Paroeciae vocabulo in ſenſum noſtrum vtitur Elogiaſtes recens Mediolani, in Ingreſſu Caeſaris Montij Card., & Archiepiſcopi, videlicet:

AVE

CCCLVIII.

AVE . CAESAR
CARDINALIS . ARCHIEPISCOPE
BONIS . OMNIBVS . OPTATISSIME
NEC . PSITTACI . VOX . EST
SED . ADDICTISSIMAE . TIBI . LAVRENTIANAE
PAROECIAE
CVIVS . TV . FINES . ECCE . NVNC . INGREDERIS
PRIMI . PRAESVLIS . ET
APOSTOLI . NOSTRI . BARNABAE
HABITATIONE . MINISTERIO . FONTE . LVSTRALI
HODIEQVE . SACROSANCTO

CHRISMA, DIACONVS, SVBDIACONVS, CASVLA, COENOBITA, EREMITA, OFFERTORIVM, GRADVALE

Membrum IX.

CHRISMA à Graeco *χρίσμα* *vnguentum*, *oleum*, vſus loquendi vetuſtus Chriſtianorum pro Sacra Confirmatione, ſcilicet metonymicôs materia pro effectu, genere quoque pro ſpecie; interceſſit autem neceſſitas, quippe non ſatis quis expreſſerit dicens *Sacrum Oleum*, ſeu *ſacram Vnctionem*, cum duplex inſtituta ſit ſacra vnctio in Eccleſia, altera poſt Baptiſmi lauacrum, altera ſub vitae terminum, quae & Extrema appellatur: ſed & aliud eſt oleum Confirmationis ab illo, ſanctiori videlicet ritu confectum, perque ſolos Epiſcopos miniſtrandum, appellaturque antonomaſticôs *Chriſma*. Itaque vocem hanc minimè, vbi opus ſit, reprobauerim, ſed nec Latinã *Confirmatio* abſolutè, vbi continuatio orationis indicat ſacram Chriſtianorum; ſecùs epitheto finierim, *ſacra Confirmatio*, ſeu *ſacrum Chriſma*, ſeu *Myſterium Chriſmatis*, ſeu *Confirmationis myſterium*. Verbum autem *Chriſmare* non dixerim: ſed *Chriſmate inungere*.

DIACONVS Miniſtrorum Sacerdotis princeps, ex Graeco *διάκονος* *miniſter*, *famulus*, qui & de Legatis, & Magiſtratibus dicebatur. Vnica voce Latina non dixeris, idcirco neceſſitate probatur vſus vocis: ſed ſi Graeca donata eſt Latio, Graecè quoque tractanda per ſecundam declinationem, *Diaconus*, *i*, non Diacon, is per tertiam.

SVBDIACONVS verò pro Miniſtro, qui Diacono ſubſit, quia vox hybrida eſt, reſtituenda videtur in Graecam puram, ideſt *Hypodiaconus*, & communi vſui noſtratium rectè antefertur vſus veteris Eccleſiae, qualis aetate Diui Hieronymi, qui ea voce ſaepe vtitur, praeſertim Epiſtola XCVIII. ad Auguſtinum.

CASVLA vox noua, vulgò noſtrati *Pianeta*, indumentum Sacerdotale ad Sacrum peragendum: diminutiuum à *caſa*, Graecè *κασῆς*, quod corpus Sacerdotis tegat. Durior ergo mihi vox, & niſi neceſſitas cogat, aegrè admittenda. Nam Latinè haud ſupplet *Pallium*, quia & altera veſtis extima eſt Sacerdoti incedenti tempore pluuio, cui pluuiale, i. e. pallium nomen damus: Palla quoque etiam de ſacri calicis operimento certo vſurpatur. Amictus ſimiliter de capitis Sacerdotalis tegumento. Niſi *Amiculus* probetur dici, quamquam, & de veſte linea, quam Vulgus Albam, intelligi poſſit, qua Sacerdos amicitur ſub Caſula. Poderis appellanda videtur nonnullis, Graeca voce, *ποδήρης* quae talarem tunicam ſignificat, eamque minime ſinuoſam & amplam. Tui erit iudicij, ſi vulgo inſcripſeris, efferre vulgare vocabulum *Caſula*: ſin eruditis, *ſacrum pallium*, *ſacra*, ſeu *ſacerdotalis palla*, *Amiculus*, ſeu *Amictus ſacerdotalis*, *ſacer*, ſeu *ſacra poderis*.

COENOBITA, ſicut *COENOBIVM* Graecae voces non ignotae Latinis veteribus, teſte Gellio lib.I. cap.IX. de Pythagoraeis: Etſi noſtratibus accõmodatae poſterioribus aliquot ſeculis, quo nimirum tempore Paulus Thebaeus aequalis Magni Antonij Aegyptij Monachorum

chorum

chorum Chriſtianorum Princeps floruit. Horumque duplex fuit ordo, nam alij ſeorſim ſinguli viuere inſtituerunt, Eremitae appellati (ab ἔρημος Graecè, Latinè *ſolitudo*) quaſi *ſolitarij*: Alij verò gregatim, ſocietate inſeparabili, Coenobitae dicti, à κοινὸς *Communis*, & βίος *vita*, quaſi in commune vitam ducentes. Nouum ita inſtitutum, veterem, quia congruens eſt, non immeritò aſciſcit appellationem.

OFFERTORIVM, Miſſae ea pars, quae tempus oblationis tenet. Nec barbariem potius retulerit, quàm ſanctitudinem vox iſta, quae non recèns nata, ſed de antiquiore aeuo ſumpta, cum pro *latum* in ſupino verbi *fero*, dixerint vetuſtiores *fertum*, ex quo *fertis*, & *fertoribus* nomen, illud genus libi; & quod fertur ad ſacra, hoc qui ferto libant, ſignificat. Indeque optimè nobis *Offertorium*.

GRADVALE à *Gradu*, vt à *Genu Genuale* analogiam ſeruat, caeteroqui nouum vocabulum, ſed rei nouae. Significat enim carmen, quod cantatur, dum gradus pulpiti ſcandit Diaconus, lecturus Euangelium. Nihil eſt ergo, cur non admittatur.

EVANGELIVM, BAPTISMVS, IVDICIVM VNIVERSALE

Membrum X.

EVANGELIVM non ſatis Latinè expreſſeris *Chriſtianam legem*, quia magna parte hiſtoria eſt; neque *Chriſtianam doctrinam*, quia aeterna praeceptorũ obſeruatoribus praemia, violatoribus ſupplicia proponit. Tam multiplex quoque eſt, vt vna Graeca vox *Euangelium*, ideſt *bonus nuncius*, argumentum totum perſtringat. Res autem noua nouum, ſin minus è Latinis, è Graecis certè poſcebat vocabulum, quod vel principio rei Chriſtianae non à ſacris Scriptoribus ſolùm, ſed à Chriſto Deo cuſum fuit; *Euntes* (aiebat Marc. XVI.) *in mundum vniuerſum praedicate Euangelium omni* κτίσματι.

BAPTISMVS, & *BAPTISMA* ex illis eſt vocibus Graecis, quae breuiùs ſimul, & expreſſiùs ſignificant Latinis, idque ex vetere Chriſtianorum inſtituto, atque adeo ex ipſo Apoſtolorum Principe. Non quòd Latinè non rectè efferatur, *Sacrum lauacrum*; *ſalutaris vnda*; *fons vitalis*, *ſacer*, *luſtralis*, *caeleſtis*; *Sacroſancta ablutio* &c. Sed & preſſiùs ad laconiſmum, & ad maieſtatem ſanctiùs auditur *Baptiſmus*, ſiue *Baptiſma*. Accipe nihilominus elegãtem Inſcriptionem in ingreſſu Caeſaris Montij Cardinalis, & Archiepiſcopi Mediolani, Auctore Ludouico Puteio Societatis Ieſu: in perſona Diui Barnabae Apoſt. videlicet:

CCCLIX.

COLVMEN . ACCEDIS . O . CAESAR . ILLIVS . VRBIS
QVAM . EGO . PRIMVS . ANTISTES
HIC . EXPIATAM . LVSTRALIBVS . AQVIS
EREXI . AD . GERMANAM . FIDEM
QVANTVM . CRESCET . IN . TE
QVAM . FIRMITER . STABIT
QVI . EMINENTIAM . TITVLO
NOMINE . MONTEM . PRAEFERS
A . ME . SVBLEVATA . HIC . VRBS
ET . FVLCIATVR . TE . INTRODVCTO

Et alteram Romae marmoream in Vaticano.

CCCLX.

AQVAM
VATICANI . COLLIS
INCERTO . OLIM . A . CAPITE . DEERRANTEM
A . B . DAMASO . INVENTA . SCATVRIGINE
AD . LAVACRVM . NOVAE . GENERATIONIS . IN . FONTEM . CORRIVATAM
RVRSVS . AMISSAM
INNOCENTIVS . X. PONT. MAX.
CONQVISITAM . REPERTAMQVE . AC . MIRE . PROBATAM
FONTI . RECENS . EXTRVCTO . RESTITVIT
VT . IN VRBE . AQVIS . PEREGRINIS . AFFLVENTE
AEDES . VATICANAE
SVAM . HANC . HABERENT
GEMINA . SALVBRITATE . GRATIVS . HAVRIENDAM
AN. M. D. C. XLIX. PONTIFICATVS . SVI . V.

DIES IVDICII VNIVERSALIS ex textu Elogij ſignabitur, in quo iudicium de genere hominum vniuerſo palam feret Diuinus Iudex. Vox quidem Latina, ſed ea elegantior *Dies cenſorius*, vt indicat Inſcriptio vetus, poſteriorum tamen ſeculorum, Chriſtianorum videlicet, quam citat Auctor Inſcript. Sacroſanctae vetuſtatis pag. CCCXXVI. Veronae lectam, videlicet:

CCCLXI.

Mihimet Felicianus Veroren
Sacrum conſt. qui inquietus
Viuus nunc tandem Mortuus
Non lubens quieſco ſolus
Cur ſim quaeris vt in DIE
CENSORIO ſine impedimento
Facilius reſurgam

CONCIONATOR

Membrum XI.

CONCIONATORIS vox, im meritò ſcrupulus ingeritur Voſſio, quòd in malam partem putetur accipi ſolita apud antiquos, ideſt pro ijs, qui auram popularem captant, & concionibus Tribunitijs populum gaudent aduerſus proceres concitare, atque accendere. An verò non innumera bonorum Scriptorum veterum interciderunt, vt non alicubi haec vox in bonam quoque partem probabile ſit vſurpari? Siquidem *Concio* in bonam quoque partem tam ad populum, quàm ad milites vſitata probatur pluribus locis in Theſ. Latin. Ling. Quo verò nomine appellaretur, qui obit concionem? Nec enim ad plebem ſemper contra proceres oratum eſſe ſatis docuit exemplo ſuo Menenius Agrippa, reconciliator plebis cum Patribus, & ante ipſum Proculus Iulius ſolicita Ciuitate deſiderio Regis Romuli, & infenſa Patribus, alijque. Quid? An ille etiam malè audiet, qui plebem iniquè vexatam contra impotentes dominatores accenderit, vt iura ſua, vt libertatem, vt vitam tueatur? Nihil autem intereſt, Imperator in caſtris, an Tribunus in Vrbe; milites, an plebem concionibus citet ſuis in exteros, an domeſticos; hoſtes, an tyrannos. Vt ergo Tribunitia poteſtas vtilis Reip. fuit, ita & Concionatoris munus Tribunis proprium: Et quòd leuitate notauerit Concionatores ſui temporis Cicero (IV. in Catil.) non ideo aut prioribus labem intulit, aut poſterioribus praeiudicium fecit: Cur enim honeſta, & iuſta cùm eſſe poſſit concio, qui Concionis ipſius exercet munus, iniquus, & turpis dicendus fuerit? Sed Voſſio Vallam opponimus, qui bonam in partem interpretatus docet, Concionem eſſe populi multitudinem congregatam vel ex Magiſtratus iuſſu, vel ex publici Sacerdotis, vel interdum ſua auctoritate, & ſponte propria ad audiendum oratorem concionantem in bonum publicum, cuius etiam oratio vocatur Concio. In priore ſignificato eſt Graecè Ἐκκλησία, quam nos pro Latina voce habemus. Inde vocem *Concionator* legimus in Epitaphio recenti Romae, in Tēplo XII. Apoſt. citato in Sel. Del. à Suueert. videlicet:

CCCLXII

CORNELIO . MVSSO . PLACENTINO

Minoritae, Bitontinenſium Epiſcopo

Vitae innocentia, morum integritate, &

Sanctitate inſigni

Doctrina omnibuſque ſcientijs

Praeclaro

Concionatori facundiſs. atq. incomparabili

Catholicae fidei propugnatori acerrimo

Cuius ingenij & eloquentiae praeſtantiam

Nunquam interitura monumenta

Teſtantur

Vixit ann. LXIV. Obijt V. Id. Ianuar.

MDLXXIV

Porrò ſcrupulum omnem Voſſio tollet, ſi ex contextu intelligetur Concionator ſacer, Euangelijque ſator, Praedicator, & praeco. Pro quo ſtabit *A concionibus*, ſeu *Orator Euangelicus*, vel *Chriſtianus*, vel *ſacer*: Item Graeca vox, ſed Latinis non ignota *Eccleſiaſtes*, quam legimus non vno in marmore inter monumenta Brabantina apud Suueertium, praecipuè verò ibi

CCCLXIII

Memoriae

F. Ioannis Garetij

Canonici Regularis Ord.

Diui Auguſtini

Eccleſiaſtae celeberrimi

& SS. Literarum ſtudioſiſs.

Qui mortem obijt

Ipſo D. Agnetis Feſto. An

MDLXXI.

Qua etiam voce vtitur recèns Franciſcus Pola in Veronenſi Inſcriptione, quam placet adſcribere. Ea eſt

CCCLXIV.

Admirationi

GASPARIS PANNII

Roma

Auguſtiniani Eremitae

Eccleſiaſtae in primis Magni

Non obſtat

Quòd hoc noſtro natus ſit ſeculo

Dicendo tantum ille poteſt, & Docendo.

Fecerunt

Qui dictorum eius, qui dictis

Audientes fuerunt

Veronenſes

Dum in ſacro Diuae Euphemiae Templo

Concionatus eſt

Anno MDCXIV

Merenti

Sed Concionator bene audiet vel hinc maximè, quòd Ciceroni quoque de Aruſp. reſp. *De religionibus ſacris, & caeremonijs* dicitur aliquis *concionatus*: Ergo quod, niſi Concionatoris, nomen adeptus?

RELIQVIAE SANCTORVM

Membrum XII.

RELIQVIAS SANCTORVM ne verearis Latinè vſurpare, pro Sanctorum, qui Caelo ſunt recepti, oſſibus, cineribus, alijſque rebus ad ipſorum quondam vſum, quae in Templis religioſè coluntur. Quod enim eae relictae ſunt in terris, exuuiae ſcilicet mortalitatis, rectè *reliquiae* nuncupandae: Ita non cogimur à Graecis, cùm Latina ſuppetant, emendicare λείψανα: praeterquaquod vix eruditioribus cognitum id vocabulum, vt adnotabimus infrà lib. III. Memb. VIII. Nam quòd illud Latinè dicatur, teſtis eſt Plinius lib. X. Epiſt. LXXIII. ad Traianum: *Petentibus quibuſdam, vt ſibi reliquias ſuorum transferre permitterem*; ſcilicet ex Aſia, vbi is Proconſulatum gerebat: & Epiſt. LXXIV. quae eſt Traiani reſponſio: *ſi reliquias ſuorum propter aliquas iuſtas cauſas transferre ex loco in alium locum velint*. Non ergo impuritatis damnanda (vt perperam Cenſor quidam) Inſcriptio Alexandri Geraldini Epiſcopi apud Indos Occidentales, imò digna, quae hic inſeratur Romanis caracteribus, videlicet

CCCLXV.

LEO . X . ROMANORVM . PONT
PRIMVS . RELIQVIAS . SANCTORVM . IN . HVNC . CARDINEM . MVNDI
A . TOTA . GENTE . HVMANA . SEIVNCTVM
IN . QVEM . NVLLVM . ANTEA . NOMEN . DEI . NOSTRI . PERVENERAT
EA . RATIONE . MISIT
VT . FERA . BARBARORVM . CORDA . RELIGIONE . EMOLLIRET
ET . MVLTAS . CHRISTO . ANIMAS
CONQVIRERET

Apud Suetonium quoque eam vocem nunc ſorte meminimus offendiſſe, in Domitiano Cap. VIII. vbi habet: *Ac nequa religio Deûm impunè contaminaretur; Monumentum, quod libertus eius è Lapidibus Templo Capitolini Iouis deſtinatis filio conſtruxerat, diruit per milites; oſſaq. & reliquias, quae inerant, mari merſit*. Concinunt marmora, apud Gruterum non pauca, praeſertim pag. CCCCLXXI. num. 7.

CCCLXVI.
D . M
RELIQVIAE
CORPORIS . M
TARQVINI . CRISPI
FRONTONIS . C . L
TRIVMVIRI . CAP

& pag. DCIX. n. 9. reliquias abſolutè nomina

CCCLXVII.
RELIQVIAE
CINNAMI . TI
CAESARIS . AVG
FAVSTIANI

ORATORIVM. IEIVNIVM

Membrum XIII.

ORATORIVM, ſubſtantiuè ſumptum pro loco ſacro ad orandum improbat Ioannes Gherardus Voſſius, vocabulis accenſens barbaris lib. III. de Vitijs ſerm. Cap. XXX. citatque Gregorium Turonen., Capitulum Karoli, & Caeſarium, quaſi apud hos dumtaxat Scriptores id vocabulum vſurpetur, & ante hos alium neminem. Certè apud Baronium in Annal. ad annum Chriſti LVII. liquet Eccleſiam aliter *Domum oratoriam* ab illo tempore eſſe appellatam, eaque de cauſa, quod in ſacris libris habeatur *Domus mea domus orationis vocabitur* (Matth. XXI.) ſed & hiſtoria Dedicationis Baſilicae Lateranenſis, quam publicè recitat Eccleſia V. Id. Nouemb. ita habet: *Nam etſi iàm ab Apoſtolorum tempore loca fuerunt Deo dicata, quae à quibuſdam Oratoria, ab alijs Eccleſiae dicebantur* &c. Cuius quidem teſtimonium, & auctoritas cùm niſi per ſummam temeritatem infringi valeat, illud conſequens eſſe facit, vt, cùm Apoſtolorum tempus in bonum inciderit ſeculum, bona proinde vox Oratorium cenſeri debeat, & ritè translata ad ſacrum orationis locum. Nam de eius origine, nimirum ab *Oratorius* Adiectiuo nemo planè congreditur: quin ab eo vim noſtrae coniecturae intendimus: vt, ſi ab *Auditorius* (de quo Theſaurus Ling. Lat.) ſumpſit Quintilianus *Auditorium* pro loco, in quem conuenitur audiendi cauſa, nihil eſt, cur ſeruata Analogiae lege non etiam *Oratorium* admittatur pro loco orationi dedicato. Huius verò expendendae vocis occaſio patuit nobis, cùm aduerſus quendam petulantiorem Ciceronianum niteremur, recentem illam tueri Inſcriptionem, quam ex Ioanne Seueranio Septempedano in ſuâ Roma Subterranea legebat, & nos hic referimus, videlicet:

CCCLXVIII.

CORPORA . SANCTORVM . LEONVM . PRIMI . SECVNDI . TERTII ET . QVARTI . SVMMORVM . PONTIFICVM . CONDITA . IN . PARTE DEXTERA . BASILICAE . AD . LATVS . MAIORIS . ALTARIS . PRIN
* CIPIS . APOSTOLORVM . SVB . ARA . VETERIS . * ORATORII . QVAE SVPER . EXTRVCTO . PAVIMENTO . TEGEBATVR . INDE . PAVLI V . PONT . MAX . IVSSV . EDVCTA . EVANGELISTA . PALLOTTVS TIT . S . LAVRENTII . IN . LVCINA . CARDINALIS . CVSENTINVS
* HVIVS . BASILICAE . ARCHIPRESBYTER . SOLEMNI . * PROCESSI ONE . IN . NOVVM . TEMPLVM . EXTVLIT . ET . HAC . SVB . ARA . IN EADEM . MERIDIONALI . PARTE . REPOSVIT . XXVII. MAII . DO MINICA . INFRA . OCTAVAM . ASCENSIONIS . M. D. C. VII. PONTI FICATVS . EIVSDEM . S. D. N. ANNO . III

nam vbi altero praefixam aſteriſco vocem à cenſoris nota vindicare haud licuit nobis (de qua infrà, Membro XVIIII. Vbi *Proceſſio*) ita priorem inuicti & coràm, & hîc ſtylo, vti fidimus, propugnauimus. Et quidem victoria noſtra facile acclamationes colliget Q. Marij Conradi de Copia Lat. Serm. lib. I. num. V. ad quem reijcimus Lectorem, ſimul illi alterum exhibentes recens monumentum ex Roma ſacra Florauantis Martinelli haud quidem impuro ſcalpro inciſum

CCCLXIX.

CLEMENS . VIII . PONT . MAX
Oratorium à Sancto Hilaro Papa in honorem S. Io. Euangeliſtae liberatoris ſui, & alterum è regione S. Ioannis Baptiſtae nomine ante ann. mille & centum extructa vetuſtate deformata ad conſeruanda religioſae antiquitatis monumenta reſtituit atque ornauit. An. MDXCVI. Pont. VI

Non eſt autem reticendum, apud Synodum Chalcedonenſem, Canone IV. legi εὐκτήριον οἶκον, quod Latinè reddes *Oratoriam domum*.

IEIVNIVM autẽ Latinè dixerimus, ex authoritate Liuiana VI. Bel. Maced. *Eorũ prodigiorum cauſa libros Sibyllinos ex S. C. Decemuiri cùm audiſſent, renunciauerunt ieiunium inſtituendum Cereri eſſe*. Sed *Tempus ieiunij* non ita, quoniam ipſa voce Ieiunij adſignificatur tempus, quo quis à cibis abſtinet. Quod ſi fuerit vnius diei, dicetur *Ieiunium diurnum*, ſi duorum, *Biduanum*, ita *Triduanum* &c. Si decem, *Denarium*, ita *Vicenarium* viginti, *Quadragenarium* (non *quadrageſimale*) quadraginta. Generaliter etiam, idque eleganter, *Eſuriales feriae* pro diebus, quibus fit ieiunium, & *Caſti dies* (ait Giſanius) *Caſtum*, inquiens, *Cereris, quae & Iſis, & Cybele, diem olim religioſum, & ſolennem, quo Cereris Sacerdotes quaſi ieiunabant, & à pane abſtinebant, quos dies & Caſtos vocabant*. Et *Ceremoniae* cum adiuncto temporis. ſic *Denariae Ceremoniae, quibus ſacra adituris, decem diebus, certis quibuſdam rebus carendum erat*, inquit Feſtus. ſic & Tricenariae Ceremoniae, & ex Analogia apud Chriſtianos *Quadragenariae Ceremoniae* vſurpari poſſunt pro ſolenni Ieiunio Quadrageſimae.

QVAE VERO ANIMADVERTENDA.

REVERENDISSIMVS

Membrum XIV.

REVERENDISSIMVS, vt & *Obſeruandiſſimus*, *Colendiſſimus*, alioſque titulos id genus nec Latinis admiſſos comperimus, nec Grammaticis probatos. Improbat has voces Voſſius in ſua Inſtit. Grammat. & qui ſuperior eo fuit annis aliquot Vincentius Gallus in ſua, quam

quam iterum cudit (cuius Viri Rhetoricen profitentis Auditores nos fuiſſe in parte magna felicitatis ponimus) ac vterque docet participia futuri in *dus* non admittere ſuperlationis gradum: Neque dici *Reuerendiſſimus*, ſed periphraſticè, *Maxima dignus reuerentia*: ſeu *Maximè* aut *In primis reuerendus*. Qua item ratione, nobis videtur, nec dicendum *Reuerendior*, ſed *maiore dignus reuerentia*: Neque participijs fut. in *rus* hoſce gradus nemo addiderit, v. g. *Obſeruaturus, turior, turiſſimus*, ſed circuitione vtetur, qua & in ſuperioribus. Detur ergo Epiſtolis vernaculo ſermone Italorum, detur Latino tabulis curialibus, quibus vulgares formulae religioni ſunt, vti titulo *Reuerendiſſimi*, propria ſcilicet nota ſignetur Epiſcopalis dignitas, quò ab alijs diſtinguatur. Nam quod Graecam vocem εὐλαβέστατος vertunt *reuerendiſſimus* in Codice Iuſtiniani, neque auctoritatem conciliant nobis, ſequioris quippe ſunt ſeculi; neque quod altera lingua vno enuntiatur vocabulo, vnum reperit in omni lingua ſibi redditum: neque, ſi vim Graecae ipſius vocis attendimus, commodè tranſtuliſſe ij videbuntur ab εὐλαβὴς poſitiuo, qui ſonat *religioſum*, *cautum innocenter*, & actiuè potiùs *reuerentem*, quàm paſſiuè *reuerendum*. Ita rectiùs verteris *religioſiſſimum*. Inſcriptiones certè Latinae, ſiue illae Epiſtolarum ſint, ſiue marmorum, ſiue genus aliud, ſubſtitui volunt ex Latina puritate epitheton haud imparis energiae. Cuiuſmodi haec fuerint: *Epiſcopo Vigilantiſſimo*, *Praeſuli Ampliſſimo*, *Antiſtiti Sanctiſſimo*, *Eximio*, *Primario*, *Inclyto*, *Spectatiſſimo*, *Probatiſſimo*, *Religioſiſſimo*, *Incomparabili*; *In paucis venerando*, *Apprimè*, *cum primis*, *in primis reuerendo*; *Vnicè*, *Plurimùm colendo*; *Praeſulum illuſtriſſimo*, *Praeſulum clariſſimo*; *Epiſcoporum lumini*, *ſplendori*, *decori*, *principi* &c.

Obſeruationem exigunt exempla illa egregia, quibus Epiſcopi nomen nudè poſitum compenſat ſuperlatiuum epitheton nobiliore aliqua tituli appendice. Vt Romae in Epitaphio (citat Suueertius in Select. Delic.) *Iacobo Sadoleto Epiſcopo Carpentoract. S. R. E. Presb. Card. Viro morum grauitate, prudentia, & vitae integritate praeſtantiſs. Doctrina & eloquentia cum ijs quos mirata eſt antiquitas, comparando* &c. Et illud: *Philippo Spinulae Genuenſi ex Epiſcopo Nolano tit. huius ſacrae Aedis S. R. E. Presbyt. Card. ſummae integritatis, ac innocentiae Viro.* Et: *Cornelio Muſſo Bitontinenſium Epiſcopo Vitae innocentia, morum integritate, & ſanctitate inſigni* &c. In Epiſtolis verò nuncupatorijs librorum, in queis licentia maior titulorum, caſtè quoq. in hac parte agendum eſſe, & à vocibus ſpurijs abſtinendum docent non pauci inſcribentes Sacris Praeſulibus, *Reuerendiſſimi* titulo vulgari neglecto. Vt *IOANNI CASAE Ampliſſimo Archiepiſcopo Beneuentano Chriſtophorus Sarrigus*. Dedicat is Enarrationes in Euang. Diui Ioannis Chryſoſtomi ab ſe in Latinum verſas. Et: *IOANNI. MORONO. S. R. E. Cardinali Ampliſſimo Dionyſius Athanaſius*: quamquam pòſt in barbariem deſciuerit ſubſcripto, *Illuſtriſs. & Reuerendiſs. D. Tuae Addictiſſimus*. Dicabat hic Canones & Decreta S. Conc. Trid. cum citat ex vtroque Teſt. & Iuris Pontif. Conſtitut. Item: *FERDINANDO MEDICI S. R. E. Card. Ampliſs. Magnoq. Etrur. Duci Sereniſs. Franciſcus Bonamicus* (Vides, vti titulus *Ampliſſimi* Cardinalem quoque, eundemque Principem Magnum non dedecet?) Nuncupat autem libros X. de Motu. *Andreas Alciatus*: *Sacroſancto Antiſtiti Philippo Saulo electo Brugnatenſi*. Eſt nuncupatoria Annotationum in tres libros Codicis. Atquae haec pauca pro myriade exemplorum ſufficiant ſuper voce Eccleſiaſtica *Reuerendiſſimus*. Id ipſum de *Venerandiſſimus* à quibuſdam inuecta, cum barbaria pari. Ex quo praeiudicium habetur illius marmoris (citat Gruterus pag. CCIX. num. 2.) in Lucanis Volceiae, quando ipſum, quo inciſum eſt, ſeculum corruptiſſimum non ſatis argueret: Eſt enim praefixus titulus.

CCCLXX.

. . . . . . SACRO . DD . NN . CONSTANTINI . MAXIMI . VENERANDISSIMO
RVMQ. CAESARVM . &c.

Satis exaggeratum epitheton fuerit, quod in veteri marmore, non optimi licet ſeculi, habetur, apud Gruterum pag. CCLXXXIV. num. 9.

CCCLXXI.

AETERNO . PRINCIPI
D. N. FLAVIO . CLAVDIO
IVLIANO . VBIQVE . VENE
RANDO . SEMPER . AVG
BONO . REIP . NATO
ORDO . POSSESSORESQVE

Nam vox *Colendiſſimus*, vt aliter Latinè efferri oporteat, monent potiſſimè in ſuis Nuncupatorijs Alexander Maſſaria Vicentinus, Auctor *Practicae Medicae*, ſic habens: *Reuerendo Admodum, Illuſtri & ſtrenuo* &c. *omni officiorum genere colendo* &c. Item Paulus Meietus Bibliopola, Poeticae Ariſtotelicae verſionem in Latinum ab Antonio Riccobono factam: *Perilluſtri ac Generoſiſſ. iuueni Ioanni Adamo de Offchirth libero Baroni* &c. *Patrono ſuo maximè colendo*. Sed luculentiùs monet Epitaphium Viennenſe (citat Suueertius in Select. Delic.) *Imperator Caeſ. Ferdinandus Pius, Felix, Auguſtus, Auo Paterno perquàm colendo* &c.

Plus verò dignitatis habere Inſcriptionem Epiſtolarum (multò iuſtiùs Marmorum, & Elogiorum) vbi proprium praecedit nomen, dein ſubſequitur titulus, ſeu epitheton honorarium, probant Scriptorum grauiſſimi in ſuis Nuncupatorijs. In primis Paulus Manutius ſua dedicans Commentaria in M. T. Ciceronis Orationes ad Tom.I. *GREGORIO XIII. Pont. Opt. Max. liberalium diſciplinarum Moecenati*. Ad Tomum II. *ALOYSIO Eſtenſi Cardinali Illuſtriſſimo & Principi eximio*. Raphael Volaterranus Auctor Commentariorum vrbanorum. *Ad IVLIVM II. Vrbis Romae Epiſcopum Sanctiſſimum, Summumque Pontificem*. Latinè autem inſcripſit Nuncupatoriam ad librum barbarè inſcriptum Auguſtinus Gothutius Monilianus Ianuenſis Ord. Min. Auctor *Gymnaſij Speculatiui* ſic habens: *HENRICO IV. Francorum ac Nauarrorum Regi Chriſtianiſſimo, Potentiſſimo, & Clementiſſimo*.

Caeterùm in alijs Participijs gradum ſuperlationis vſitatiſſimum habent Inſcriptiones bonae, cuiuſmodi apud Gruterum pag. CCCIV. num. 9. quae Romae legitur:

CCCLXXII.

Q. CAECILIO
FEROCI
KALATORI . SACERDOTII
TITIALIVM . FLAVIALIVM
STVDIOSO
ELOQVENTIAE
VIXIT . ANNIS . XV
MENSE . I . DIEBVS . XXIIII
FILIO . OPTIMO . AC
REVERENTISSIMO
M . CAVIVS . CHARINVS

Vt *Reuerentiſſimus*, ita *Amantiſſimus*, *Obſeruantiſſimus*, & ſimilia.

Cenſuram ergo poſcit, non facit fidem Inſcriptio Romana in Ponte Salaro, Monumentum eſt Narſetis, vbi victo Totilae tyranno epitheton ſuperlatiuum *nefandiſſimo* attribuitur. Eam repete ſup. ex lib. I. Elogio XLVII.

BVLLA PONTIFICIA

Membrum XV.

BVLLA *PONTIFICIA* erit Latinè *Diploma Pontificium*. Nec valet translatio ad rem ſimilem, ideſt à veſica, ſeu puſtula aquae (quae propriè bulla dicitur) ad tumores in alijs liquoribus ſubito naſcentibus, & euaneſcentibus, atque hinc ad arida, ex formae ſimilitudine, v. g. caput claui faſtigiatum, inſigne triumphantium cum incluſis remedijs, inſigne aureum è collo infantium ingenuorum dependens, & quae hodie cingulis, ephippijs, pectoralibus, & habenis equorum inſeri ſolent: Ita per analogiam de literis ſiue Apoſtolicis, ſiue Regijs, & Principalibus momenti maioris, quibus ſigillum in bullae formam, interdum in capſulis bullatis, appendi ſolet: Haec, inquam, ratio friuola eſt, vbi militat vſus loquendi vetus, vnde omnis loquendi ratio pendet. Cur enim nouentur voces, vbi veterum extat locutio? Atqui pro Bulla in hoc ſenſu fuiſſe Diploma, oſtendit Suetonius in Auguſto: *In diplomatibus*, inquit, *libelliſque ſignandis ſphinge vſus eſt*. In rem verò noſtram extat Romae Inſcriptio ſepulcralis, ſeculi ſuperioris, quam citat in Select. Delic. Suueertius, videlicet:

FRANCISCO

CCCLXXIII.

FRANCISCO . DE . FRIENTES . PALENTINO
Diplomatum Apoſtolicorum
Sub IVLIO . Pont. Max. Scriptori
manſuetudine, probitate, indeſeſſoque
iuuandi ſtudio inſigni
Solum ad benemerendum nato
Qui nulla re niſi moriendo nocuit
longè plus alijs, quàm ſibi.
Dei florentem gratia
beneque volentem omnibus
immatura mors ſuſtulit
minus vt eſſet in terris boni
Petrus de Frientes
Concordiſſimo fratri poſuit
Vixit ann. XXXV.
Obijt anno ſal. M. D. XIII. Iulij

INDVLGENTIA PAPALIS

Membrum XVI.

INDVLGENTIA cùm nimium propenſam denotet voluntatem aliquid permittendi, aliud, quàm quod vulgò intendimus, ſignificat. Nam per Indulgentiam Papalem indicare intendimus Veniam à Papa conceſſam. Itaque cenſuram poſcit Inſcriptio Templi Maximi Senarum, quam etſi praetermiſſam à Sueertio in Select. Delic. nos tamen obſeruantiae gratia in Bandinelliam familiam, & pietatis in Alexandrum III. putamus hic adſcribendam:

CCCLXXIV.

ALEX. III. SEN. EX. BANDINELLA. FAMILIA. PONT. MAX
RESTITVTA. CHRIST. REP. ET. ROM. ECCL. PACATA
REGIBVS. VENETISQ. DE. EA. B. M. DECORATIS
HANC. VIRGINIS. AEDEM. DEO. SACRAVIT
** MVLTISQVE. INDVLGENTIIS. DITAVIT.*
A. D. M. C. LXXIX. MENS. NOV
IVGVRTHA. TOMMASIVS. AEDITVVS
REPETITA. MEMORIA
M. D. X. C. I

Aſteriſco notatum verſum, quomodo emendare poſſis, oſtendit eiuſdem ſeculi, ſed in hac parte melioris notae memoria apud Suueertium in Brabantinis, quae in ſacello Auguſtalis Bruxellenſis ita legitur:

CCCLXXV.

Anno Domini MDLIII. ſexto Nonas Iulias, nos Hieronymus Dandinus Caeſenas tit. S. Matthaei S. R. E. Presb. Cardinalis cognomento Imolenſis IVLII. III. Pontif. Max. & Sanctae Apoſtolicae Sedis ad glorioſiſs. & inuictiſs. Principem CAROLVM Romanorum Imper. ſemper Auguſtum vniuerſamque Germaniam ſuperiorem & inferiorem, ac reliquas illius ditionis Legatus à latere piiſſimis votis deſiderioque ipſius CAROLI & vtriuſque eius ſororis HELEONORAE Galliarum & MARIAE Hungariae Reginarum inducti Hoc Sacellum & ſummam in eo Aram Diuo PHILIPPO Apoſtolo & Diuo IOANNI Baptiſtae conſecrauimus, ac omnibus Chriſtifidelibus, qui hodie, eodemuè per ſingulos annos die Sacellum hoc religionis adorationiſque cauſa adierint VENIAE ABSOLVTIONISQue Ann. VII. in morem Eccleſiae ſolitum condonauimus

Ergo pro *Indulgentia Papalis* dic *Venia*. Sic etiã forte fortuna legimus in Diuae MARIAE ANGELORVM ad Vrbem Aſſiſium in Vmbria, exaratum palmaribus literis aureis in apſide ſanctiſſimi Sacelli; AVGVSTI VENIAM DAT TIBI QVAEQVE DIES; Scilicet quã Calendis Auguſti, & poſtridie impertiuit per Diuum Franciſcum, oraculo manifeſto, Chriſtus Dominus, ratamque habuit Pontifex Maximus, Veniam peccatorum ampliſſimam inuiſenti cuicumque Chriſtianorum ſacellum illud ſacratiſſimum; eam poſt indulgentia ſuccedentium Pontificum ad quemlibet Anni diem propagauit. Seu dic *Abſolutio Pontificia*: verſumque illum propoſitae Inſcriptionis emendabis ſic *Multiplicique venia* (ſeu *Abſolutione*) *è theſauris Eccleſiae ſolenniter ditauit*. Conſimilis cenſura feretur de Inſcriptione Romana in S. Crucis extra muros, vulgò in Hieruſalem (cit. Suueertius in Delic. Select.) cuius initium eſt *Venerandum ſacellum à S. Helena* &c. ibi: *Reliquiis inſignibus, ac Indulgentiis a Summis Pontificibus poſtea ditatum*.

Recole, quae Membro VI. in Voce *Iubilaeus* adnotauimus, vnde moneberis, pro *Indulgentia Papali* dici etiam poſſe Expiationem publicam à Pontifice Maximo indictam: Qua certe amplior eſt Iubilaeus; ſiquidem & hic vniuerſalis eſt Orbi Chriſtiano vniuerſo conceſſus, & grauiſſimorum quorumcunque criminum nexus reſoluit, votorumque permutandorum impertit facultatem.

ELEEMOSYNA

Membrum XVII.

ELEEMOSYNA Graecè, *Miſericordia* Latinè, nimis profectò licenter de illa ſumitur, quam egentibus modò impartimur, vt ipſam adeo ſtipem erogatam ſignificet. An verò ita egens Latinitas, vt emendicandum ſibi foret ab exteris vocabulum ei rei indicandae, quam aliter, atque aliter ad luxum vèl ſecula ſequiora, ideſt noſtra exponunt? Nam praeterquamquòd (vt obſeruat Q. Marius Conradus de copia Lat. Serm. lib. V.) ne apud ipſos quidem Graecos proprium eſt accipere *Eleemoſynam*, pro quo Romani dicunt *ſtipem rogare*, *petere*, *colligere*, *dare*, *erogare*, *corrogare*: Teſtantur Inſcriptiones recentes per Suueertium collectae in Select. Delic. Praecipuae: Superioris ſeculi M. D. XXXIV. Romae, in S. Mariae de Anima, de VVilhelmo EnKefortio Cardin. vbi is memoratur, *In Egenos & in omnes homines beneficentiſſimus*. Noſtri quoque ſeculi, Lyrae, in Diui Gommari, de Gaſpare Tacqueto: *Erga egenos manu prompta liberalis*. Ibi quoque de Carolo A Mera: *Egenis munificentia chari*. Et Epitaphium Federici Cardinalis Borromaei, Auctore Octauio Ferrario Mediolanenſe: *Honeſta largitione eſurientem plebem ſuſtentauit*. Tres vero totas promimus haud ab re facturi, ex eod. Suueertio. Videlicet Romanam ad *Hoſpitale*

SIXTVS

CCCLXXVI.

SIXTVS. V. PONT. MAX. PICENVS pauperibus pie alendis, Ne pane veſtituq. careant: Multo ſuo coemptas aere Has aedes extruxit aptauit ampliauit. Perpetuo cenſu dotauit Anno Dom. MDLXXX VII. Pont. II

CCCLXXVII.

Hic pietas in Patriam
Et Pauperes prompta
Monumento eſt vobis Poſteri
Vbi iaceo
ANTONIVS. LAFAITATVS
nulli vnquam noxius
Deo proximus
VALETE

Alteram ad Sancti Angeli, Cremonenſem.

Et Mediolanenſem ad Diui Euſtorgij, in ſacello Diui Petri Mart.

CCCLXXVIII.

D. O. M

Diuo Petro Ordinis Praedicatorum. tribus coronis Doctrinae, Virginitatis, & Martirij VIII. Id. April. An. MCCLII. Donato. Cuius Corpus miraculis clariſſimum Io Vicecomes Mediolani Archiepiſcopus & Dominus vniuerſi Ordinis Praedicatorum Synodo, & omni Populo Mediolanenſi inſpectante, & in Arca ex alabaſtride lapide ſingulari artificio perfecta ſumma religione condidit An. MCCCXL. Fratres & Filij eiuſdem Ordinis COACTA STIPE A PIIS HOMINIB. Cellam hanc duplicem refecerunt, Plaſtice, & Pictura ornauerunt An. MDXCIII

Adponi poſcit Quarta Inſcriptio, quae argumento lucem afferre poteſt, & haec Mediolanenſis, in Diui Euſtorgij (citatur à Puccinello) videlicet:

CCCLXXIX.

Diuae Mariae ſemper Virgini & Ieſu Chriſti Saluatoris Matri Sanctiſſimae Roſarij Sodales ſua & aliorum PIORVM PECVNIA Cellam hanc Plaſtice, Auro, Pictura exornarunt An. MDLXXI

Quare expurgatione dignae videri poſſunt tres illae Romanae, apud Suueertium; Prima In Diuae Mariae ſupra Mineruam de Bartholomaeo Carranza, *Viro, Genere, Vita, Doctrina, Concione, atque Eleemosynis claro*: Latinè & commodè dixerit, *atque beneficentia*, ſeu *miſericordia in egenos claro*. II. in Diuae Mariae Capitolinae de Syluio Sabellio Card. vbi ait *Monumentum iuxta gentilium ſuorum ſacellum, vbi idem pia eleemosyna ex teſtamento attributa, animam Diuinis ſacrificijs perpetuò expiandam reliquit*. hic primùm abundant illa epitheta *pia*, *Diuinis*: nunquam enim vulgus eleemosynā niſi pium opus intelligit: nec ſacrificia niſi Diuina: deinde congruentius reponetur *vbi idem pio legato*, ſeu *annuo cenſu* &c. III. in S. Trinitatis in Colle Hortulorum, vbi clauditur his Inſcriptio: *Ioan. de Cecchinis Florentinus LEONIS. X. Pont. Max. Cubicularius, Eleemoſynarumq. elargitor*. Cur non Latinè *A cubiculo, & Ab eleemoſynis*? Quamquā dic pro poſteriore, *A pijs largitionibus*, *A ſtipe pauperum*, aut huiuſmodi, ſuppreſſa voce *Eleemoſyna*, quam Latium vetus ignorauit: Quà item censura excernerem illam inter Brabantinas à Suueertio collectas, quae legitur Antuerpiae in Diuae Mariae, de Franciſco Ioanis F. Ioannis N. *Antuerpiae è IV. Viris Ab Eleemoſynis*: vbi reponerem; E IV. Viris egentium ſtipi praefectis, ſeu, egentium curatoribus, patribus, vel IV. Viris piarum largitionum, & id genus aliter.

Dices

Dices; Cur non *Aſtipe* tantùm, dempta voce *egentium?* At, inquam, oportuit vocem Stipis, quae genericum habet veteribus ſignificatum, ad egentes contrahere, cùm amplius ad pecuniam in aerarium illatam, & ad Dijs oblatam referretur.

Poſtremò vèl hinc impuritas arguitur Spartiani, quando ſeculum ipſum ferreum per ſe non prodat; cuius eſt de Caracalla hoc ſcriptum: *Non tenax in largitionem, non lentus in eleemoſynam.* Ita enim probari debuerit *Agape* Graeca ſimiliter vox, Latinè *Charitas*, quae metonymicè ſignificabit ſtipem egentibus impenſam, non ſecùs atque *eleemoſyna* Latine miſericordia; nam vterque horum affectuum ad ſubleuandam alienam egeſtatem inducunt. Et quidem vox *Agape* priſcis Chriſtianis vſitata (Baron. Annal. to. II.) ſicut *Eleemoſyna*, ſed Latio minime accepta euincitur nullo bonorum Scriptorum extante exemplo. Rectiùs in recenti Epitaphio Romano (apud Suueertium) de PAVLO. II. *In Principes munificentia, in pauperes miſericordia inſignis fuit.* Non erit poenitendae operae obſeruaſſe memoriam ſuperioris ſeculi, quam excerpſimus ex Roma ſacra Florauantis Martinelli, non raro futuram vſui. Ea eſt huiuſmodi

CCCLXXX.

D. O. M. S
IO. PETRO. CRIBELLO. MEDIOLANENSI. CIVI. ROM. EQ. PAVLLIANO
VIRO. INTEGRO. INNOCENTI. AC. RELIGIOSO. QVI
DE. BREPHOTROPHIIS. PTOCHODOCHIIS. ET. NOSOCHOMIIS. OMNIB
BENEMERERI. NVNQVAM. DESIIT
CELLAM. HANC. QVOQVE D. MAR. MAGDALENAE. DICATAM
PERPETVO. SACRO. FACIVNDO. EXORNAVIT. ET. AVXIT
VIXIT. ANN. LXXXIX. OBIIT VIII. ID. IVN. MDLII.
IO. ANGELVS. CRIBELLVS. PATRVO. OPT. PONI. CVRAVIT

Hominem itaque largum (vulgò) in eleemoſynas erogandas pijs locis, i. e. vbi aluntur Infantes, vbi pauperes excipiuntur (vtique ſubleuandi) & vbi aegroti curantur, Latinè eſt *de his locis benemereri.*

SECVLARIS, & LAICVS

Membrum XVIII.

SECVLARIS & *LAICVS* de homine non Sacro, non Eccleſiaſtico barbariem planè ſapiunt. Et primùm vox *ſecularis* à *ſeculo* ſumpta ſiue pro certa temporis duratione; ſiue pro Mundo, in quo fiunt viciſſitudines rerum temporariae; ſiue pro moribus hominum in Mundo, certè nullo ex his ſignificatu excludit homines ſacris addictos, qui quidem & tempori ſubſunt, vti caetera interitura; & ſuos habent, quos obſeruemus mores, bonos, malos. Ita etſi ex ſacris literis rectè interpretere βιωτικὰ κριτήρια (Epiſt. I. ad Corint. Cap. VI. num. 3.) ſecularia iudicia, i. e. de rebus ad vſum huius vitae temporariae, & caducae ſpectantibus: Et κοσμικαὶ ἐπιθυμίαι (ad Timoth. II. 12.) ſecularia deſideria, rerum videlicet huius vitae, quae ad ambitionem, auaritiam, voluptates pertinent: Nunquam tamen ad hominem id epitheti trahes, vt Sacro opponas, ſi tamen Latinè profiteris; Quomodo *Profanum* hominem dices, vt inquit Seruius in illud Virg. 6.

. . . . . procul; O procul eſte profani
Conclamat Vates.

ideſt ſacris non initiatum, qui Fanum intrare non poteſt. Et Cicero de Inuent. locum profanum opponit conſecrato. Et Horatius *miſcere* dixit *ſacra profanis*: quamquam ego libentiùs hominem ordinis profani dixerim, quàm profanum, ſicut etiam Ordinis Eccleſiaſtici, ſeu ſacri, quàm Eccleſiaſticum; aut ſacrum (ſacer enim homo veteribus execrandus) ſiquidem de vulgo in malam partem cecinit Horat. Carm. lib. III. Od. I.

Odi profanum vulgus, & arceo

(Adi inf. claſſem VII. Didaſcal. Membr.XVI.) Lubet ſubijcere locos duos Inſcriptionum recentium ex Suueertio, alterum in Select.Del. ex legibus conuiual. inter Rom. *Qui non paruerit* (Principi Sympoſij) *vt profanus è Collegio excluditor*. Alterum in Brabantinis Bruxell. in Hortis Halderianis Alberti Struzzi Auctore Erycio Puteano : *Rident omnia: tu profanus niſi facis: Aurae, Aquae, Vmbrae* &c. Profanare autem v.g. Templum auctoritate legitima, vt alio loco decentiore reſtituatur : Item Calicem ſacrum vſu vitiatum, vt opifici tradatur inſtaurandus, &c. Elegantiùs reddes *Exaugurare*.

Neque fauet Elocutio illa Ciceroniana in Catil. *O tempora O mores*. Vt, ſicut tempora pro eius temporis hominibus; ita ſeculum. Nam Primò admittimus Latinum futurum *O ſecula* non minus, quàm *O tempora*: Deinde verò aliud eſt *ſeculum* in illo ſignificatu, aliud deductum ex eo *ſecularis*: Item aliter in motibus vehementibus loquimur, vt in Exclamatione; aliter citra vllum motum, vt in appellatione hiſtorica. Illic metonymiae datur locus, vt pro hominibus noſtri ſeculi vſurpemus ſeculum: Hic autem licentiae tantum non datur.

Vox autem *Laicus* à λαὸς *populus*, popularem quidem, & communem ſignificat, opponiturque rebus ferè, quas tractari nefas eſt, praeterquàm à Sacerdotibus; Ab ea tamen eſt abſtinendum ſtudioſo Latinitatis, cùm nulla, niſi è Sacris literis, auctoritate ſcriptorum boni ſeculi nitatur: Niſi latinam eius interpretationem probemus, hominem *popularem* religioſo opponentes. Cauit prudenter ſcopulum Sigiſmundus Boldonius in ſuo Lario, vbi Templum Maximum Vrbis Nouocomi deſcribens, de parte illa, in quam, (diceret vulgus) Secularibus, aut Laicis ingreſſus non datur, vtens contrario: *Exciſi* inquit, *ex maculoſo lapide gradus aſcenſum ad pronaum praeſtant, & impoſiti gradibus marmorei plutei reliquum Templi ſecludunt: ipſum deinde à penetralibus ac cella, quam SOLOS SACERDOTES intrare fas eſt, alij gradus, atque alij, ijque pretioſis pluteis diſtinguunt, relictis foribus, per quas à pronao itinera ad ſacroſanctum tribunal fiant*. Repurgandam ergo quis cenſuerit Inſcriptionem Bruxellenſem in aedib. Auberti Miraei Canon. Antuerp. ad effigiem Gaſparis Scurerij. Citat Suueertius in Brabantinis, videlicet:

CCCLXXXI.

D. O. M. S

Gaſpar Scurerius eſt nomen mihi. Patria ſum Mechlinienſis: Profeſſione Religioſus Grimbergenſis. Nec mireris me, qui candido Praemonſtratenſium Ordini Nomen dederim. Nigro LAICOQVE habitu Palliatum: Ea temporum calamitas, ac neceſſitas fuit. Anno Chriſti MDLXXXI Caluinianis res ſacras, & Ciuiles in Belgic turbantibus. Vt ſi ſaluus apud Catholicos huius Vrbis Bruxellenſis Ciues eſſe vellem. Hoc iſto VVLGARI habitu, Clero inſidiantes fallerem. Sed nec fructu ſuo piam hanc caruiſse fallaciam, Vèl ipſi Deo, Regiq. fida Miraeorum familia teſtis eſt Quam annos ipſos amplius III. In iſta nocte temporum Sacris miſterijs foui Et Diuini Verbi pabulo Alui. Tu quiſquis haec legis. Diſces in tumultu Panico. Vtilem atque in primis neceſſariam eſſe Prudentiam

Hinc ſi vocem ad res tranſtuleris, doceris; rebus Sacris opponi Ciuiles, non vero ſeculares, vt in ſuperiori Epitaphio: niſi mauis *profanas* aut *populares*, aut *politicas*.

Seculum autem pro tempore cùm veterum teſtimonio vſurpari rectè probatur, tùm Inſcriptione recente, Piſis in Diui Frigdiani, Ordinis noſtri Praefectura, illuſtratur. Ea eſt

ANTONIO

CCCLXXXII.

ANTONIO BOSSIO PATRICIO MEDIOL
Ord. Equ. S. Steph
Quòd florentiſs aetate, gente, opib
Deceſſerit
Aloyſius & Stephanus Vt ſeculum caduciter ruere teſtarentur
Fratri B. M. Poſs. Ann. MDC

PROCESSIO

Membrum XIX.

PROCESSIO, quae à ſacris Ordinibus populo comitante publicè fit, malè ea voce notatur, cùm ex Latinitate ſatis ſuppetat loquendi forma. Nam ſiue id fiat deportandi cauſa per vrbem in ferculis ſacras reliquias, Diuorum imagines, ſacroſanctam Euchariſtiam, & huiuſmodi, dicebatur veteribus *POMPA*: Cic. V. Tuſc. *In pompa cùm magna vis auri argentique ferretur*; quo ſenſu etiam Virgilius *ſolennes pompas* dixit (Quamquam Romanis, inquit Vbertus Giſanius, vſitata non erat pompa, niſi in triumphis, ſed & in ludis teſtatur Dion. Halicarnaſſaeus lib. VII. in eaque pompa ſimulachra Deorum deportaſſe; inſtituto ſane à Graecis accepto) Siue fiat ad Templa exorandi Numinis cauſa, v. g. in publicis calamitatibus; vocabatur *SVPPLICATIO publica*, *publicum SVPPLICIVM*. Item pro agendis gratijs re feliciter geſta. Conſule Theſaurum lat. L. Pro eodem erat etiam *GRATVLATIO*, vt apud Cic. lib. II. Epiſt. ad Brut. *Sed tamen tam recenti gratulatione, quam tuo nomine ad omnia Deorum Templa fecimus*. Liuius: *Triumphantes in Capitolium aſcendebant, Ioui Optimo Maximo, caeteriſque Dijs gratulaturi*; Verùm hoc ad gratiarum dumtaxat actionem pertinebat.

E recentibus legendus eſt Petrus Labbeus in Vita Lodouici Regis, Elogio XIV. quod eſt de Benearnenſibus haereticis ſubiugatis.

CCCLXXXIII.

Miraculo ea victoria non caruit
Quinquaginta anni erant
Cùm è Benearnia Miſſa exulabat
Eadem die reſtituta eſt, qua exulare coeperat
Quis non eam Victoriam Iubilaei dicat?
Mirare dignam hoc Iubilaeo Regis pietatem
Circumferri ſolenni POMPA EVCHARISTIAM iubet
Vt periuram prouinciam
Prius reconciliaret Chriſto, quàm ſibi
Atque vt victoriam Deo acceptam referret
TRIVMPHARE in Benearnia maluit Chriſtum, quàm Lodouicum &c.

Ac ne epitheton Pompae *Solennis* vulgari ſignificatione ſumas, vtque nihil amplius intelligas, quàm quod eſt ſolitum, & ſtata ceremonia, ac ritu decretum, accipe, quomodo Latinè reddas vſurpatam quoque à vulgò locutionem *Proceſſionis ſolennis* ex marmore Florentino, tertio ab hinc ſeculo, poſito in ſummo Templo

CVM

CCCLXXXIV.

CVM . DIVI . ZENOBII . CORPVS . IN . S. LAVRENTII . AEDE . CONDITVM ESSET . ATQ. OB . ADMIRANDA . EIVS . OPERA . MAIORI . IN. DIES. FREQVENTIA CELEBRARETVR . ANDREAS . QVI . PROXIME . ZENOBIO . IN . EPISCOPATV SVCCESSERAT . EVM . HONOREM . ISTI . POTISSIMVM . CVI . PRAEFVERAT ECCLESIAE . DEBERI . ARBITRATVS . CONVOCATIS . EX . VICINIS . VRBIBVS EPISCOPIS . CIVITATE . GESTIENTE . ET . INSIGNE . ARIDAE . ARBORIS IN . AREA . REVIRESCENTIS . FLORESQ. EFFVNDENTIS . MIRACVLVM OBSTVPESCENTE . IN . HANC . LONGE . QVAM . NVNC . EST . HVMILIOREM BASILICAM . ILLVSTRI . POMPA . TRANSTVLIT . VIII . KAL . FEBR A. D. CCCCIX

Hic *Illuſtrem* dicit *pompam*, aliter quoque *Inſignem*, *Praeinſignem*, *Magnificam*, *Splendidam*, *Apparatam* pompam.

Sciſcitaberis, Actus procedendi (vulgò *Proceſſio*) qua voce Latinè donari poſſit? *Proceſſus* vtique *Sacri ordinis in publico*, vel *Ordo procedentium in Supplicatione*, *Pompa*, *Gratulatione*, aut aliter pro ratione inſtituti. Ita quod barbarè *Proceſſionaliter*, Latinè *In morem ſacri proceſſus*. Perſonae verò *Agmen ſacrum ſupplicantium* &c. ſeu *incedentium in ſupplicatione*. Ita *Agmine compoſito ſupplicantes procedere*, vel *incedere*. Et pro *ſolennem* (vulgari quidem ſenſu) *proceſſionem facere*, dic *Supplicationem cum apparatu & ceremonijs habere*.

ARTICVLVS FIDEI, APOSTATA, SVSPENSVS, DISPENSATVS A PAPA, BENEFICIVM ECCLESIASTICVM, PRAEBENDA, IVS PATRONATVS, MONIALIS.

Membrum XX.

PRo *ARTICVLO FIDEI*, Latinè, ac propriè reponetur *Caput Fidei*: ſic Capita foederis, Italis *Articoli della pace*, ò *lega*. Caſtiganda igitur illa Inſcriptio in Brabantinis (citata à Suueertio de Ruardo Tappero) conſignata aereae laminae, videlicet:

CCCLXXXV.

*Opus explicationis *articulorum fidei dum ſerio prae manibus habet, reliquae parti extremam impoſiturus manum, ſicut aliàs frequentiſſimè, ita tùm quoque ad negotia publica, ad Regna inter medios ipſos labores foras euocatur, vbi apoplexia correptus non ita multò poſt vita defungitur.*

Pro *Apoſtata*. Deſertor Chriſtianae religionis. Ex contrario proprietatem diſce vocabuli, in Elogio Polae, quod ſubdimus

CCCLXXXVI.

XX. ANNOS
EHEV
IMPRVDENS . ERRO
PERDIDI . HAVD . VIXI
IN . ISTHOC . AMENTI . SECVLO
IAM . CATVS . VERE . VIVAM
MVNDI . DESERTOR . CHRISTI . MILES
SVB . VEXILLO
CLERICOR . REGVLAR . THEAT
F
PIO . IN . PROCINCTV
M. D. C. IV

Pro *Suſpenſo* ſtabit *Eccleſiaſtico munere ad tempus abſtinere iuſſus*: ſeu, *ab eo ad tempus ſubmotus*. Ita pro ſuſpenſo à Diuinis, *Sacris ad tempus abſtinere iuſſus*. Sic ſuſpenſus ab officio ad annum, *Magiſtratu ſubmotus ad annum*.

Pro *Diſpenſato à Papa* puriùs dicetur *Canone ſolutus per Pontificem*: ſic diſpenſatus à Rege, *legibus ſolutus à Rege*.

Pro *Beneficio Eccleſiaſtico* Latinè *Prouentus Eccleſiaſticus*: Item *Sacerdotium*. Sic Inſcriptio recens Bononiae in Diui Petri, citata à Suueertio in Select. Delic.

MARTINO

CCCLXXXVII.

MARTINO AGRIPPAE
Mediolanenſi Huius Aedis Canonico
Alijſque Sacerdotijs inſigni &c.

Pro *Beneficijs ſimplicibus*, dic *Sacerdotia ſimplicia*, pro pinguioribus beneficijs, dic *ampliora Sacerdotia*, vt apud Suueertium in Brabantinis monumentis.

Praebendam dixere iuniores pro Praebenda num. plural. Hoc poſteriore modo malim cum veteribus conuenire, inter quos eſt Gellius lib. XV. cap. IV. Niſi Inſcribere oporteat rudibus, & vulgò, tunc enim & Praebendarium dici paterer illum, qui praebendam percipit. Hic ſibi locum quaerit obſeruatio Iulij Iacobonij (in Append. de priſca Caeſiorum Gente, in Animaduerſione ad Cap. XV. quam ſubijcit Capiti XVI.) quod ſicut Romanis veteribus Eques ſingularis ille dicebatur, qui Equo ſingulari, hoc eſt vno, ac idcirco ſingulari ſtipendio militabat; Eques autem Duplaris, qui duobus equis, ſtipendijſque: Ita hodie Sacerdos è Collegio, qui ſtipem vnam, aut diſtributionem vnam percipit, ſingularis Collega dici poteſt: qui verò duas ſiue diſtributiones, ſiue etiam Praebendas, Duplaris.

Ius patronatus, Quare impropria ſit locutio, conijce ex origine. Vulgò enim Patronatus eſt genus Sacerdotij, quod à Patrefamilias inſtitutum, & erectum transfert ad nepotes, & gentiles ius in Praefecturam ipſius Sacerdotij, & fructuum, ſeu prouentuum perceptionem. Quare ſiue ad gentem tantummodo, & familiam Praefectura, & prouentus deuoluatur, erit Latinè *Gentile Sacerdotium*: ſiue ad alienos ſpectet, arbitrio eius Gentis, pro Iure patronatus dic *Ius prodendi Sacerdotis*.

Monialis vox acephala, ſed religandum caput, non ſolum velandum, vt potius cum S. Auguſtino audiat *Caſtimonialis*, ſeu *Sanctimonialis*. Nec enim vt Monachus, à μόνος, *ſolitarius*; ita *Monialis*, quae vox terminatione Latina vtique eſt, cùm Graeca ſit *Monaſtria, Solitaria*. Repete, quae obſeruauimus Claſſe II. Sacror. Magiſtrat. Membro XV. in voce *Abbas*. P. Iouius in deſcript. Larij Lacus ex veterum nitore *Sacratam Virginem* vocat. *Circumacta Varenae ſaxa peramoenum ſinum aperiunt: in quo ſacratarum Virginum Templum*. Item: *Lopia vicus cum Templo aemulatione religionis ſacratarum Virginum domo inſigni*. Et: *Moxque Piſcalium cum ſacratis Virginibus*. Nec ineptè dixeris *Sacram*, vel *Deuotam Virginem*. Quemadmodum vſurpat Inſcriptio Romana (apud Florauantem Martinellum in ſua Roma Sacra:

CCCLXXXVIII.

MARIO . FERRO . VRSINO . ROMANO
Huius Templi Coenobijq. fundatori
Qui SACRAS hic VIRGINES
Gratis alendas ex aſſe reliquit heredes
Adminiſtratores ex teſtamento ſepulcrum
Quod ſibi ſtatuit Poſs.
Obijt MDXCI. Aetatis ſuae LXXX.

Dignum eſt oculis eruditorum Elogium Peruſinum ad nos transmiſſum, eleganter dictatum, cuius lectione piaculum fuerit fraudaſſe Lectorem. Legitur autem ſubiectum imagini marmoreae, aureis autem characteribus in haec verba:

CCCLXXXIX.

D . O . M
GLOTTO . AVGVSTAE . PATRIAE . PRAETORI
ET
BENEDICTO . CARD. VBALDO . EPISCOPO
EX . MONALDA . NOBILITATE
ALTER . QVI . SPIRAT . E . MARMORE
MONTELVCIVM . MONASTERIVM
FVNDAVIT . A. D. MCCIIX
ALTER . PRAESENTI . VIRTVTE . FIRMAT
CONDITORI . PATRONO
GENTILIBVS . BENEFICENTISSIMIS
SANCTIMONIALES . PP
AN. DOM. MDCXLI

GLOTTO

SVFFRAGANEVS, SACRISTIA, FESTIVITAS, CIBORIVM, SACRAMENTA SODALITIVM.

Membrum XXI.

SVFFRAGANEVS de Epiſcopo vſurpatur, qui ſuam in Dioeceſi alterius Epiſcopi impendat operam, Latinè non ſuffraganeus, ſed *Auxiliaris Epiſcopus* redditur.

SACRISTIA eſt Sacrarium Latinè, quemadmodum Praefectus eius, *A Sacrario*. Nam qui totius Templi curam gerit, *Cuſtos Templi*, vel *Aedituus*, ideſt, cui Aedis totius cuſtodia eſt.

FESTIVITAS quàm impropriè, pro *Die feſto*, vel pro *Feſto*. Illa enim in dictis, ac ſermone tantùm eſt poſita. Ita neque *dies feſtiuus*, ſed *feſtus*. Id ipſum de Apparatu, Cultu, Tempore feſto, Fronde feſta &c. Repete Membr. VII. huiuſce Claſſis de voce *ſolennis*.

CIBORIVM (ſenſu hodie vulgari) nihil eo minùs improprium. *Hierotheca* rectè dicetur ad analogiam vocis Bibliotheca vſitatae Ciceroni: Item *Sedes Euchariſtica*, ſeu *Aedicula Euchariſtiae*. Sigiſmundus Boldonius (citatus ſup. Memb. XVIII.) in ſuo Lario metaphoricòs appellat *Sacroſanctum tribunal*.

SACRAMENTA ECCLESIAE magis neceſſitate cogente monendi vulgi protulerim, quàm ex linguae puritate. Tutiùs tamen cum epitheto, vt qui inſcripſit SACELLVM. VENERABILIS. SACRAMENTI, ad vulgi documentum; id enim Adiunctum contrahit aliquantùm ſignificationem vocis ad ſacram Euchariſtiam. Caeterùm pro *Sacramenta* reponerem *Myſteria*, quemadmodum in recente Epitaphio de Andrea Auſtrio (citat in Select. Delic. Suueertius, inter Romana) *vi morbi lecto affixus, ſacris Myſterijs ritè ab eodem Pontifice expiatus Ex terrena peregrinatione ad caeleſtem patriam migrauit, incredibili Vrbis deſiderio defletus* &c. Similem in modum alibi.

SODALITIVM minùs propriè pro Collegio Piorum, qui ſtatis diebus conueniunt in priuata ſacraria fundendarum precum gratia, piarumque aliarum meditationum. Pro eo reponetur *Sodalitas*, & pro Collegis *Sodales*. Nam Sodalitium magis dicitur de conuentu ſodalium ad conuiuium. Ita barbariem emendabis illius Inſcriptionis apud Suueertium in ſelect. Delic. inter Traiectenſia ad PP. Franciſcanos, videlicet:

CCCXC.

* F. ROLANDO DELPHIO
ORD. FRATRVM. MINORVM
MODESTIA. PATIENTIA. AD. MIRACVLVM. PRAEDITO
MONASTICHARVM. OBSERVATIONVM. LAVDI. NATO
EARVNDEM. AETERNO. DAMNO. DENATO
* CONFRATRES. RELIGIOSI
HVNC. TITVLVM. ET. TVMVLVM. MOESTI. POSS
HOSPES. PRECE. ME. VIVVS. IVVA. MORTVVS. IVVABERE
CIↃ.IↃ.II. IDIB. SEPTEMB

* *Fratri*, ſed expunge: abhorret quippe ab vſu veterũ, vt mox trademus

* repone *Collegae*

Huius autem purgationem ſuggerit altera Inſcriptio apud eundem Suueertium inter Compoſtellanas, videlicet:

CCCXCI.

BERNARDINO. DE. AREVALO
SODALI. FRANCISCANO
THEOLOGO. ET. CONCIONATORI
CLARISS
OB. EXIMIAM. SANCTITATEM
CAETERASQVE. ANIMI. DOTES
OMNIB. CARO
VIRO. INCOMPARABILI
IACOBVS. GRATIANVS
MOESTVS. P. C

Locus hîc poſcit afferri Inſcriptiunculas binas Bononiae, in Diui Pauli. Altera eſt

CCCXCII.

D. O. M
PRO. DEFVNCTIS
INTER. FLAMMAS
DEVM. ANHELANTIBVS
PIA. SODALITAS
AD. GLORIAE. CELERITATEM
SACELLVM. HOC
EREXIT
AN. DOM. CIↃ. IↃ. CXLV

Altera in Sepulcro marium, videlicet:

CCCXCIII.

VIRIS
AETERNAE . LVCIS . DIEM
EXPECTANTIBVS
DONEC . ILLVCESCAT
HOC . SPEI . MONVMENTVM
SODALITAS . P
AN. DOM. CIↃ.IↃ.C.XLVI

Itaque purgandum videtur in hac parte monumentum Brabantinum apud Suueertium:

CCCXCIV.

RR . PP
IACOBO . BVTENS . ET . PETRO . HOVIO . MOLLANIS
QVORVM . PRIOR . SOCIETATEM . ROSARII . DEIPARAE . EXIMIE . PROMOVIT,
ET . FERVIDVM . ADVERSVS . NOVATORES . ECCESIASTEN . EGIT
OBIITQ. ANNO MDCIV
ALTER . OECONOMIAE . AC . CHORO . LAVDATISSIME . PRAEFVIT,
DESIITQVE . VIVERE . MDCVII

Et quemadmodum vox *Confrater* in ſpurijs cenſetur; ita ab ea manans *Confratria*, pro qua latinè *Sodalitas*, *Collegium*, *Societas*, Sed quae ab Inſtitutore nomen habet, rectiùs *familia*, vt *Familia Diui Franciſci*, vel *Franciſcana*: ſic *Franciſcani familiares*, qui ex eadem ſunt familia. Caeſar Alexius Elogio Ciu. Peruſin. de B. Alexio Vinciolo: *Inter Diui Franciſci Patris Maximi ſe familiares recepit*.

FRATER DE VIRO RELIGIOSO.

Membrum XXII.

HAud contemnenda videtur controuerſia, ſitnè ex nitore Latinitatis dictum in ſuperiore tumulo *F.* (ideſt *Fratri*) *Rolando Delphio Ordinis Fratrum Minorum*; Habeatque illius praenominis conſuetudo noſtris inuecta, quo ſe tueatur, in veteribus Latinis veſtigium. Siquidem eruditiſſimi fere cuiuſque cenſoriam virgulam adhiberi hic cernimus. Nec leue negotium faceſſit illis vetuſtiſſima ab vſque Romulo petita memoria de Collegio Fratrum Arualium, numero duodecim, cuius inſigne Sacerdotij (Authore Gellio lib. VI. Cap. VII.) eſt ſpicea corona,& albae infulae: Quamobrem & hominum Religioſorum Collegium fuiſſe conſtat, & Fratrum praenomen geſſiſſe; adeo vt ipſe Romulus in vnius ex illis defūcti locum ſeſe ingerens, Frater Arualis appellari voluerit: ſed ex illo quoque tempore Collegium manſiſſe Fratrum Arualium, teſtatur ibidem Gellius, Cur (inquies) non etiam Latinitatem redoleat, ſi dicatur *Frater Rolandus ex Ordine Fratrum Minorum?* Quia etſi primùm dicti illi Fratres Aruales, cùm eiuſdem cognationis, ac germani Fratres eſſent, & Accae Laurentiae omnes filij;tamen & Romulus alienigena praenomen fratris adſciuit, & qui pòſt ſuccedentibus temporibus nomen in Collegium dedere (nam id Collegium perpetuò durauit apud Ethnicos Romanos, ex duodenis conſtans, vt Gellius indicat) eandem ſemper appellationem praetulere. At ſi noſtram rogemur ſententiam, futile illud exemplum facilè videbitur. Quid enim? Omnes igitur per alia Collegia Sacerdotes Latinis fuiſſe Fratres? Negamus enimuerò ex facto ſingulari praeiudicium de omnibus fieri; atque adeo ridiculum eſſe quis neget, ex diſſimili ſimilitudinis argumentum peti? Vt,quod ſanguinis coniunctio dabat appellari Fratres Aruales, qui re germani fratres erant, curandae ſacrificijs vbertati aruorum, liceat id trahi ad omnigenos in vnum conuenientes, alio, atque alio Sacerdotio, alioque religioſae vitae inſtituto. Nec Romuli auctoritas hìc militat, qui ſe non tam Sacerdotem, quàm filium adoptauit

Laurentiae, fratremque ex conſequenti dici ſe voluit: Nec ſuperſtes conſuetudo, & ad poſteros alienigenas transmiſſa in Collegio Arualium, quos per Catachreſin deinceps nuncupatos fratres mirabitur nemo, qui ſimilia multa repetitis antiquis memorijs obſeruauerit. In propoſito itaque tumulo placet ſupprimere praenomen Fratris, atque ita legere. *Rolando Delphio Sacri Ordinis Franciſcanorum, quos Minores vocant* &c. Atque haec ſententia noſtra eſt de voce Fratris, praepoſita quidem nomini, nequaquam verò appoſita, quod debet intentiùs obſeruari. Ita non indecorum fuerit inſcribere *Ordo Minorum Franciſcanorum Rolando Fratri monumentum hoc poſ.* Adi infrà Claſs. VI. Hiſtorial. Memb. II. §. Parem cenſuram. Repete & Memb. XVII. huiuſce Claſſis V. in Elog. de Diuo Petro ordinis Praedicatorum, in quo Fratres & Filij translatione ſcita efferuntur.

Fugerat vèl maximum argumentum barbarae illius formulae ex vetuſtis marmoribus, e quibus bina excerpimus ex Onuphrio Panuinio citata ſub titulo FRATRES. ARVALES. videlicet

CCCXCV.

C. PORCIO. C. F. QVIR
PRISCO. LONGINO. C. V
X. VIRO. STILITIBVS. IVDICAND
ADLECTO. INTER. QVAESTOR
AB. ACTIS. SEN. AED. CVR
ADLECTO. INTER. PRAETOR
PROCOS. LYCIAE. PAMPHILIAE
COS. FRATRI. ARVALI

Vides, vt Fratrem Arualem appoſitiuè vſurpat, neque vti noſtrates, praepoſitiuè. Accipe alterum huic non abſimile

CCCXCVI.

L. CAESONIVS. C. F. QVIRINA
LVCILIVS. MACER. RVFINIANVS
COS. FRATER. ARVALIS
PRAEF. VRBI. ELECTVS. AD
COGNOSCENDAS. VICE. CAESARIS
COGNITIONES. PROCOS. PROVINC
AFRICAE

Vtrobique perſpicuum eſt, quàm indecorè vulgus noſter inchoet, vt in ſuperiore Epitaphio *Fratri Rolando.* Neque enim in his vetuſtis legimus *Fratri C. Porcio*, neque *Frater Lucius Caeſonius.* Obſeruare par eſt Onuphrium ipſum, quemadmodum appellationem ſuam vulgarem ad normam veterum moderetur in ſui Operis titulo: quod ita inſcribit: *Onuphrij Panuinij Veronenſis Fratris Eremitae Auguſtiniani, Reip. Romanae Commentariorum libri tres.*

Sodalis meliùs, quàm Fratris appellatione ſuggerit nobis locus C. Cornelij Taciti Annal. lib. I. his verbis: *Idem annus nouas cerimonias accepit, addito Sodalium Auguſtalium Sacerdotio, vt quondam T. Tatius retinendis Sabinorum ſacris Sodales Titios inſtituerat.* Quem in locum Iuſtus Lipſius: Idque exemplum (inquit) placuit deinceps in omnibus Imperatoribus, qui facti Diui. Ita Sodales Flauij, Hadrianales, Aeliani, Antonini paſſim in hiſtoria memorati. Haec Lipſius; monumentum priſcum ſubdens dicto ſuo illuſtrando, videlicet:

CCCXCVII.

NERONI. CAESARI. GERMANICI. F
TI. AVGVSTI. N. DIVI. AVGVS. PRON
FLAM. AVGVSTALI. SODALI. AVGVSTA
LI. Q. Q. NOVANIVS. SARVIVS

Ex quo licebit hodie appellare Sodales Franciſcanos, Benedictinos, Dominicanos, qui ſub titulo Inſtitutoris ſui in Diuos relati, vni Deo aeterno ſacra faciunt. Adde & *Collegas*, vt in ſuperiore vocabulo (*Sodalitium*) innuimus.

CONCILIVM DE PRAESVLIBVS, COMITIA DE CARDINALIBVS

Membrum XXIII.

CONCILIVM, verbi gratia, *Tridentinum*, ſi vſum loquendi veterum attendamus, minùs commoda Dictio videtur Oberto Giſanio. *Concilium*, inquit, *Romae propriè dicebatur*

Conuentus plebis, quem Tribunus indixiſſet. Veruntamen hoc ſignificatu (pace Giſanij) reperimus apud Liuium, Decade I. lib. II. *Haec dicta vulgò, creditaque cùm indignitate angerent Conſulis animum : vocato ad Concilium Populo, ſummiſſis faſcibus, in concionem aſcendit*. Miramur etiam, quòd Giſanium praeterierit, propriè, vel translatè, appoſitè quidem certè ab optimis ſcriptoribus vſurpari de alijs, praeterquā de populo vocem Concilij. De Patribus, apud Horatium lib. IV. Carm. Od. V. De Ioue, ideſt Dijs, qui circa Iouem, apud eundem III. Carm. Od. XXV. vbi non *Conſilio*, ſed *Concilio* legit, ſimul & exponit Dionyſius Lambinus. Concordat vetus illa Inſcriptio apud Gruterum pagina II. num. 12.

CCCXCVIII.

PRO . SALVTE . ITVS . AC
REDITVS . D. N. SANCTIS
SIMI . . . .
TI . AVG. AEDICVLAM
CONCILII . DEORVM
DEARVMQVE
AVRELIVS . FAVSTVS
PROT. DIVINITATE . RIS
AVG. N. EX . VISV . DEAE
VALENTIAE
S. P. F. C

De Virtutibus : Cicero II. de Fin. paulò poſt initium : *Quid enim neceſſe eſt tamquam meretricem in matronarum coetum, ſic voluptatem in virtutum concilium adducere*? De Dijs, idem de Nat. Deor. paulò item poſt initium : *Tamquam modò ex Deorum concilio, & ex Epicuri intermundijs deſcendiſſet, audite inquit* &c. Conſule Theſ. Lat. Ling. vbi compluria in hunc ſenſum aceruat exempla. Tametſi nec fidimus omnino citatis, cùm in Ciceroniano in Verr. III. §. *Mittere in Concilium*, mendoſè Auctor legat, pro Conſilium, & fortaſſe alibi. Nos autem, quae hic citauimus, ex fontibus ipſis hauſimus. Latinè igitur, & ex veterum vſu dicemus, *Concilium Tridentinum*; pro Conuentu Procerum Eccleſiae, ac Principum ſacrorum ordinum. Neque idcirco poſthabebit Elogiaſtes vſum vocis *Conuentus*, probatum Auctori titulorum ſub imaginibus praeſtantium Virorum in Bibliotheca quondam Sereniſſimi Ducis Vrbinatium, ſub Beſſarionis, videlicet;

CCCXCIX.

BESSARIONI
GRAECI . LATINIQVE . CONVENTVS
PACIFICATORI
OB . SVMMAM . GRAVITATEM
DOCTRINAEQ. EXCELLENTIAM
FEDERICVS
AMICO . SAPIENTISS. OPT. Q
POS

Indicat autem Concilium Florentinum, in quo Graeci Latinis conciliati ſunt.

COMITIA (quidquid nonnulli refragentur) vèl de ſummis capitibus ad Pontificis Maximi, & ad Imperatoris electionem dici contendimus: Idque ratione, & auctoritate. Romanorum veteres (haec quidem erit ratio) commune, & ampliſſimum Concilium appellabant *Comitium* : vnde eſt illud in XII. Tabulis : *De capite Ciuis niſi per maximum comitiatum ne ferunto*. An verò non ampliſſimum eſt, quod in Electione Summi Pontificis, olim quidem Cleri, Populique ſuffragijs fiebat (lege Onuphrium Panuinium, Platinam, Albertum Piggium, & Adnotationes in D. Cyprianum Iacobi Pamelij Brugenſis) nunc autem ſuffragijs Cardinalium Eccleſiam vniuerſam repraeſentantium? Item quod ab Electoribus hodie in Imperatoris creatione Orbem Chriſtianum vniuerſum referentibus? Neque quidquam obſtat, Comitia fuiſſe populi; tunc enim conuentus, creandorum magiſtratuum gratiā, Populi dumtaxat habebatur; neque niſi à *comeundo* (ita dicebant veteres pro *coëundo*) Comitia dici coepta : vt idem, vnumque omnino ſint ex vi ſignificationis *Coetus*, *Comitium*, *Conuentus*. Quod ſi vſui quoque veteri placet inſiſtere, quidni conuentus Pontifici creando, qui, vt praefati fuimus, vniuerſae erat Ciuitatis, hoc eſt Cleri, ac Populi, nomen Comitiorum ritè, ac legitimè ſibi primum aſciuerit, quamquàm pòſt ad ſolos Cardinales ea poteſtas ſit contracta? Iam auctoritas à Principe Elogiaſtarum recentium in promptu eſt : ab Alberto, inquam, è Societate Ieſu : qui Elog. de Diuo Bonauentura ſic celebre factum exponit : *Roma carebat Pontifice; Orbis, Capite. Tradita vni Bonauenturae COMITIA. Illi omnium decreta ſuffragia, Vt is ſit Pontifex, quem ille decreuerit*. Atque ſicut Romanis Latinis erant Comitia Conſularia, Praetoria,

toria, Quaeſtoria, Tribunitia, Aedilitia, ab his quos creabant, Conſulibus, Praetoribus &c. Ita quae modo fiunt à Cardinalibus ad Pontificem creandum, ea non inſcitè Comitia Pontificia dixeris, ſeu Pontificalia. Ecce nos iſta dictantes incidimus in Epiſtolam Ciceronis ad M. Brutum lib. I. Epiſt. IX. (omnino ad extremum vſque legendam) in qua quidem expreſsè nominantur Comitia Sacerdotum: quo quid in rem noſtram luculentius teſtimonium? Cardinalium autem Comitia, quae niſi Sacerdotum comitia fuerint?

IN . CHRISTO . PATER . IN . CHRISTO . FILIVS

Membrum XXIV.

FOrmulae illae loquendi familiares, ac tritae Sacris Scriptoribus, *In Chriſto Pater*, *in Chriſto Filius*, & huiuſmodi, Graecae eſſe perhibentur, ex Sacris Literis ad nos deriuatae. Vtrum verò adeptae ius Latij? Et quidem eas à Doctore gentium Paulo Apoſtolo videmur edocti cùm multis in locis Epiſtolarum, tùm maximè 1. ad Cor. IV. 17. *Filius meus cariſſimus, & fidelis in Domino*: paulò autem ſuprà habuerat *Nam in Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui.* Se ipſe etiam Paulus Latinè interpretatur Epiſt. ad Tit. Cap. I. *Tito dilecto filio ſecundum communem fidem.* Quamobrem *Pater in Chriſto, Filius in Chriſto* Latinè vertes *Pater ſecundum Chriſtum* &c. Illae etiam Paulinae formulae: *Baptizati ſumus in Chriſto*, & *Viuentes Deo in Chriſto Ieſu*, Rom. Cap. VI. Et: *Nihil damnationis eſt ijs, qui ſunt in Chriſto Ieſu*: Et: *Lex ſpiritus vitae in Chriſto Ieſu*: Et: *Separare nos à charitate Dei, quae eſt in Chriſto Ieſu Domino noſtro*, Cap. VIII. Et: *Veritatem dico in Chriſto, non mentior*, Cap. IX. Et: *Multi vnum corpus ſumus in Chriſto*, Cap. XII. Et: *Salutate Apellem probum in Chriſto*, Cap. XVI. Vbique horum locorum, ac ſimilium interpretare *Secundum Chriſtum*. Vt & in Apocalypſi Ioannis, quae Graecè primùm conſignata literis fuit: *Beati mortui, qui in Domino moriuntur*. Et in Actis Apoſtolorum, vbi de Stephano habetur, *Obdormiuit in Domino*. Etſi nonnunquam Praepoſitio *In* cauſam adſignificet Efficientem, ſeu (vt loquuntur Theologi) Meritoriam. Sic vbi legitur *Iuſtificari in Chriſto*, *Inſtaurari omnia in Chriſto*, *Conuiuificari in Chriſto*, *Donare nos inuicem*, *ſicut & Deus in Chriſto donauit nobis*, & huiuſmodi intellige *propter Chriſtum*, vel *Chriſti merito*. Et quidem ſi de Latinitate inquirimus ſuper hac formula, primùm illud ſtatuimus cum Q. Mario Conrado de Copia Latini ſerm. lib. V. ex inſtituto ſimili veterum Romanorum ritè appellari poſſe filios Sacerdotum, & Pontificum, qui ab his ex inſtituto Chriſti, & religionis aut ſalutari lauacro Baptiſmatis abluuntur, aut myſterijs alijs initiantur, aut denique quouis modo ad aeternam vitam capeſſendam iuuantur. Ac quemadmodum ij filij, ita hi patres. Illud verò Graecum Appoſitum *In Chriſto* alibi quidem retinendum, alibi Latinè vertendum. Nam quae Latinitate florente è Graecia receptae ſunt locutiones, & vſu poſteritatis tritae, ſi quis reiectet, bonam partem Latini ſermonis, qui Graeciſmis locupletatus fuit, proſcribat, oportet. At alicubi ſaltem vſitatam fuiſſe phraſim *In Chriſto*, quam Latinitate nondum emortua acceptauit Chriſtianus Latinus, tam eſt ex memorijs Latinis clarum, quàm quod clariſſimum. Ne ergo damnare audeas *In Chriſto Pater*, *in Chriſto Filius*, *Obdormiuit in Domino*. Non idem de reliquis. Nam quia hae formae ex decoro sũt loci, & materiae ſacrae; ita aliàs Latinae omnino reponi earum loco poſtulant, ſi quidem Latinè profiteris. Itaque quis cenſoriam intentet virgulam in Romanam Inſcriptionem apud Suueertium in Sel. Delic. quae memoriam Viri ſanctiſſimi dedicat, nomine poſitam ſanctiſſimi, eiuſdemque eruditiſſimi Ordinis? Videlicet

CCCC.

IGNATIO
SOCIETATIS . IESV
FVNDATORI
OBDORMIVIT . IN . DOMINO
ANNO . AETAT . SVAE . LXV
CONFIRMATI . A . SEDE
APOST. ORDINIS . XVI
SAL. HVMANAE
MDLVI. PRID. KAL. AVGVSTI
EIVS . IN . CHRISTO . FF * *Filij*
PARENTI . OPT
POSS

Quid ſit autem Latinè *obdormire in Domino*, exponitur partim Epitaphio Baſilienſi apud ipſum Suueertium ibidem, videlicet:

CCCCI.

HEVS VIATOR . TRISTIS SPIRITVS
ET . MENTEM . CONSVMIT . ET . OSSA

OSVALDVS . EGO . BERVS . FVI
NON . COVS . ILLE . SENEX . SED . VRBIS . HVIVS . HIPPOCRATES
VIXI . LAETVS . LAETVS . OBIVI
ET . DOMINO . VIGILANS . DOMINO . TANDEM . OBDORMIVI
QVID . VLTRA
MORTALITATIS . EXVVIO . POST . VXC . AETAT . ANN
HIC . DEPOSITO
CVM . CHRISTO . LAETVS . RESVRGAM
AN. C. S. CIↃ. IↃ. LXVII

Itaque Praepoſitio *In* hoc ſenſu abundauerit, extante Latinè Datiuo communi, quem vocant Commodi. Sic *Pater in Chriſto*, ideſt, qui Chriſto genuit, & eius Numini cultores quaeſiuit nouos: Et *Domino vigilare* erit Domini ſeruitio, & *Obdormire Domino*, Domini regno adeundo mori &c.

Iam religio loci, vti diximus, & ſanctitudo rei inſcribendae formulam Graecam in quibuſdam tuetur: proinde non improbabimus, quod refert in ſuo Zodiaco Placidus Puccinellus, vbi de Theſauris ſacrarum reliquiarũ (quos Diuus Carolus Borromaeus Archiepiſcopus luſtrauit in Aede Diui Nazarij Mediolani) in Arcula argentea Sphaeroidam continentem Oſſa S. Dedaliae, & ſacra vela, his literis diſtinguentibus: DEDALIA . VIVAS . IN . CHRISTO, quaſi vitam cum Chriſto beatam gratulantibus huic Virgini, quae ſexagenaria fertur migraſſe, ſanctitatis opinione clara: vt viuere in Chriſto ſit, eius gloriae, tanquam noſtrae beatitatis Auctoris aeternùm viuere in Caelo, eique laudum immortalium tributum pendere.

DIVI AMBROSII AEDES, & FESTVM

Membrum XXV.

Diui *Ambroſij Aedes*, & *Feſtum*, non quia minùs bene ex Latinitate dicantur; ſed quì meliùs adhuc, & elegantiùs efferri poſſint, hic trademus.

Aedem Diui Ambroſij, Aedem dic Ambroſianam. Vti veteribus fuit *Dianius* locus Dianae ſacratus, & *Dianium* Templum Dianae, de quo extat Romanum marmor vetuſtate partim obliteratum, apud Gruterum pag. XL. num. 4. Ita etiam Aedem *Paulinam*, *Antonianam*, *Laurentianam*, *Dominicanam*, quae dicata Diuis Paulo, Antonio, Laurentio, Dominico. Excipe

vbi durities interueniret; nam Rochanam non dixerim, à Diuo Rocho: Aut ambiguitas; nam Luciana, neſcias de Diuo Lucio, an Diua Lucia. Et vbi epitheton eſt neceſſarium, vt Diui Petri Apoſtoli, aut D. Petri Martyris. Accipe recentem, alterius tamen abhinc ſeculi, Inſcriptionem Mediolanenſem, in Coenobio magnificentiſſimo Diui Ambroſij, ſub effigie marmorea Ludouici Ducis (citat Puccinellus in ſuo Zodiaco) videlicet

CCCCII.

LVDOVICVS
MEDIOLANENSIS . DVX
SVSCEPTVM . AB . ASCANIO . FRATRE
ROMANAE . ECCLESIAE . * VICECANCELLARIO
REFORMANDAE . RELIGIONIS . IN . AMBROSIANA . AEDE
PROPOSITVM . ABSOLVIT
ET . MAGNI . MONASTERII . FVNDAMENTA . IECIT
ANNO . II . POST . BEATRICIS . CONIVGIS . MORTEM
M C C C C X C V I I I

* *Procancellario*

Cauendus hic eſt affectationis ſcopulus, quem facilè offendunt putidi ſectatores antiquitatis. Cuius ſpecimen habetur in ſumma Aede Oppidi Melegnani in Agro Mediolanenſi: vbi recentis memoriae hoc initium eſt: *Dionyſius Bruſatus San-Georgianus Mediolani Canonicus* &c. Cur autem non magis *Georgianus Mediol. Canonicus*? Hoc enim ipſo, quod Canonicus dicitur, ordinis nimirum Sacri, addictus innuitur cultui Diui Georgij.

Feſtum autem Diui Ambroſij, Latinos imitando, fas erit etiam appellare ad analogiam vocis antiquae *Compitalia* (vt docet Q. Marius Conradus de copia lat. ſerm. lib. V.) *Ambroſalia*; ita *Laurentalia*, *Petrilia*, *Paulilia*, *Dominicalia* &c. Item *Ambroſianas ferias*, *Laurentianas*: *Petrianas* autem non dicam, quia durum, quod eſt in ſimilibus cauendum: Vel *Ambroſinas*, *Laurentinas*, vt antiquis Sementinas, Caprotinas, Latinas. Quam verò vulgus Octauam D. Ambroſij, nos Latinè Octodialia D. Ambroſij, ex eo, quod veteribus erant Septendialia, & Nouendialia.

Qua occaſione notamus obiter *Quadragintadiale ieiunium* ad imitationem Latinorum appellari perbellè ieiunium vulgò *Quadrageſimae*, ac *Temporale triduanum ieiunium*, quod per ſingula anni tempora obſeruant Chriſtiani.

CONFRATERNITAS

Membrum XXVI.

CONFRATERNITAS pro Corpore piorum hominum, ordinis profani (qui ſtatis diebus conueniunt ad recitandas preces, & officia Chriſtianae pietatis exercenda) minùs quidem Latinè auditur, quamquàm vox ſimplex *Fraternitas* vſitata Scriptoribus boni ſeculi pro more fraterno. Minùs etiam *Confratria*, quam Voſſius (lib. II. de Vitijs ſerm. Cap. VIII.) vti barbaram expungit; nam etſi à Graeca ſimplici manare videatur, φρατρία, Latinè contubernium, ſodalitas; neque tamen aut Latium excepit, aut compoſitam approbauit. Recole ex ſuperiore Membro XXI. Voces *Sodalitium*, & *Frater*. Neceſſitas quidem ambiguitatis vitandae retineri patitur interdum vulgarem *Confraternitatis* appellationem: Nimirum, ſi eius loco reponeretur *Sodalitas*, vt ibi monuimus ex Latina lingua, quid ſi in vicinia exiſtant (exempli cauſa) Patres ex familia Diui Franciſci ſimul, & Sodalitas piorum eiuſmodi ſub tutela, ac titulo Diui Franciſci? Omnino autem & neceſſitati locum ſuum dare par eſt, & ſuum nitori, vbi illa minimè intercedat. Itaque cogat illa licèt vſurpare nouam vocem; ſed Adiectum non reſpuet, vnde nitor ſeruetur, quoad eius poſſit fieri: vt ſi dicatur *Confraternitas*, *vt*

aiunt,

aiunt, *Diui Franciſci*. Caeteroquin vſus vocis *Sodalitas* retinendus. Quae verò frequens in Vrbe auditur *Archiconfraternitas*, ne ampliùs vocabulo hoc hybrido peſſum trahas ſermonem in barbariem, quidni tolerabilius audiatur *Princeps Confraternitas*? citra verò neceſſitatem *Princeps Sodalitas*. Nam quod ſpectat ad Elogiaſten, poſitio monumenti ſicut locum certum deſignat; ita ambiguitati ferè praecludit aditum. Quod factum obſeruamus Romae (ex Florauante Martinello in ſua Roma Sacra) in celeberrima omnium, quas vulgus vocet, *Archiconfraternitate Sanctiſſimae Trinitatis*. Nam vbi propagandae ad poſteros illius fundationi poſita ibi legitur in marmore haec memoria

CCCCIII.

S. PHILIPPO . NERIO
CVIVS . CONSILIO . ATQ. OPERA
ARCHICONFRATERNITAS . SANCTISSIMAE
TRINITATIS . INSTITVTA . EST

Proximè altero in marmore, appellatione genuina legitur *Sodalitas*, videlicet:

CCCCIV.

CLEMENTI . VIII . PONT. MAX
QVOD . XENODOCHIVM . PATERNA . CHARITATE . INVISERIT
SINGVLARIQVE . LIBERALITATE . SVSTENTAVERIT
SODALITAS
OPPORTVNA . EIVS . OPE . CONSERVATA . POS. M. D. XC. VII

Nam eadem Sodalitas contiguis in aedibus de ſuo conualeſcentes alit, & peregrinos liberaliter accipit, Anno praeſertim Iubilaeo: Cuius inſtituti mentio in proximis quatuor ipſis marmoribus habetur, in queis nunquam *Archiconfraternitas* legitur, ſemper autem *Sodalitas*.

CLASSIS

CLASSIS VI.

Hiſtorialia vocabula nouata.

Ex illapſis in hiſtorias recentiorum vitijs inſigniora quaedam, & magis obuia in Elogiaſtae gratiam obſeruabimus, quo ille cautiùs in hiſtoricis Inſcriptionibus exarandis ſinceritatem Latini ſermonis ſectetur. Ea in Membra ſequentia diſpeſcimus.

PRAEDECESSOR

Membrum I.

P*RAEDECESSOR*, vox frequentiſſima in Diplomatibus, ac Tabulis publicis; ſed veteribus bonis ſcriptoribus, quod adhuc viderim, incognita. Malim itaque imitari marmor Romanum à Grutero relatum pag. CCLXXXI num. 4. Videlicet:

CCCCV.

MAGNO . INVICTO . AC
* SVPER . OMNES . RETRO
PRINCIPES . FORTISSIMO
IMP. CAES. M. AVRELIO
MAXIMIANO . PIO . FEL
INVICTO . AVG. COS. III
P. P. PROCOS
SEPTIMIVS . VALENTIO . V. C
AVG. PRAEF. PRAET. COM. VV
D. N. M. QVE . EIVS

Et illud Tarraconenſe conſimile, apud eundem pag. CCLVIII. n. 6.

CCCCVI.

DEVICTORI . OMNIVM . GEN
TIVM . BARBARARVM . ET . SV *
* PER . OMNES . RETRO . PRINCI
PES . PROVIDENTISSIMO
IMP. CAES. MARCO
ANTONINO . VERO
INVIC. AVG. P. M. TR. POT
P. P. COS. II. PROC
VAL. IVLIANVS . V. P
P. P. H. TARRAC. NVMI
NI . MAIESTATIQ. EIVS
SEMPER . DICATISSIMVS

Illius quoque fragmentum, quam totam citamus inf. de Breuit. Elog. lib. IV. Membro XI. HELVIDIAE . AVGVSTAE . &c. PVDICITIA . SAPIENTIA . INNOCENTIA . OMNIBVS . RETRO . MEMORABILI: (vbi obiter obſerua ſuppreſſum aduerbium *magis* ad *Memorabili* pro *magis memorabili*, locutionem antiquis ſcriptoribus cognitam) Ad horum itaque imitationem dicā Primò *OMNES RETRO PONTIFICES*, pro *Praedeceſſores omnes Pontifices*. Quidquid obtrectet Scioppius Voſſio dicenti *A multis retro ſeculis*. Cùm ſubiectus ab ipſo locus Horatianus

Non tamen irritum
Quodcumque retro eſt, efficiet: neque
Diffinget. infectumque reddet
Quod fugiens ſemel hora vexit.

Carm. Lib. III. Ode XXIX. Et locutio, quam inde bonam tuetur idem Scioppius, *Quae retro ſunt ſecula*, pro *anteactae aetates*: cùm haec, inquam, potiſſimùm Voſſio ſuffragentur.

Secundò malim Tacitum ſequi hiſt. I. vbi habet: *Et ambigua de Veſpaſiano fama, ſoluſque OMNIVM ANTE SE PRINCIPVM in melius mutatus eſt*. Et Suetonium in T. Flau. Veſp. Aug. Cap. VII. *Et tamen nemine ante ſe munificentia minor*. In T. autem Claud. Cap. XXI. *Spectacula complura, magnificaque edidit non vſitata modò, ac ſolitis locis; ſed & commentitia, & ex antiquitate repetita, & vbi praeterea nemo ante eum.* Vbi paulò ſuperiùs oppoſitum expreſſerat: *Amicos elegit, quibus etiam poſt eum Principes acquieuerunt*. Cui conſonant antiqua marmora, vbi habent: QVOD . VRBEM . IEROSOLYMAM . OMNIBVS . ANTE . SE . DVCIBVS &c. Adi Gruterum pag. CCXLIV. n. 6. Et illud totum hic citandum (refert idem Gruterus pag. CCLX. num. 4.) quod Romae viſitur ad ſeptem Lucernas

IMP.

CCCCVII.

IMP. CAES. DIVI. ANTONINI. F. VERI. PARTH. MAX . . . .
DIVI. HADRIANI. NEP. DIVI. TRAIANI. PARTH. PRON. DIVI. NERVAE. ABN
M. AVR. ANTONINO. AVG. GERM. SARM. PONT. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. VIII
COS. III. P. P
* QVOD. OMNES. OMNIVM. ANTE. SE. MAXIMOR. IMPP. GLORIAS
SVPERGRESSVS. BELLICOSISS. GENTIB. DELETIS. ATQVE. SVBACTIS
S. P. Q. R

Ad huiuſque exemplum dicam: PONTIFEX ANTE ME, pro *Pontifex Praedeceſſor meus*.

Tertiò quemadmodum per Vlpianum vocatur *Deceſſor*, qui de prouincia decedit defunctus magiſtratu, eamque tradit ſucceſſori: ita non video, cur, qui de vita decedit ſiue defunctus Pontificatu, ſiue alio publico munere, quod ſucceſſorem expectet, non is etiam *DECESSOR*, pro *Praedeceſſor* dici poſſit. Sed & Tacitus in Vita Iulij Agricolae *Deceſſorem* appellat, qui legionem illi tradebat: *Is aiens miſſum ad delectus agendos Agricolam, integrèque ac ſtrenuè verſatum vicesſimae legioni tardè ad ſacramentum tranſgreſſae praepoſuit, vbi DECESSOR ſeditiosè agere narrabatur* (& pòſt paulò) *Nec Legatus Praetorius ad cohibendum potens, incertum ſuo, ac militum ingenio: ita SVCCESSOR ſimul & vltor electus rariſſima moderatione maluit videri inueniſſe bonos, quàm feciſſe*. His veſtigijs haeſit ex recentibus Elogiaſtis Franciſcus Pola in vexillo, quod ita inſcripſit:

CCCCVIII.

Admirandae Memoriae
NICOLAI . CORNELII
Praefecti Veronae Deceſſoris
Cui Dij dent quantum meretur
Corpus
Mercatorum Veronenſium
Vnanime
F
Ob plura erga ſe merita
Patrono Magnanimo
Kal. Sept. M.D.C.V

Legimus Piſis in Templo Primatiali recentem memoriam dictatam à Valerio Chimentello Ciue Florentino, in Piſano Gymnaſio humanarum literarum Interprete, Viro cum paucis numerando aetatis noſtrae Latinè eruditis, ac nitidis: In hanc formam:

CCCCIX.

ANNO. SAL. MCLXXXVIII
CLEMENS. III. HAC. IN. AEDE. MAX
FAVSTISSIMO. APPARITIONIS. DIE
TRIBVS. ORNATO. MIRACVLIS
AD. TRINI. SANCTITATEM. IMPERII. VOCATVS
POSTRIDIE. CORONATVS. APPARET
PISANA. ECCLESIA
GREGORII. VIII. DECESSORIS. IMMATVRO. OBITV
THEATRVM. MODO. FVNERIS
SVFFECTI. CLEMENTIS. III. AVSPICALI. POMPA
IN. SEDEM. VERTIT. AVGVSTAM. LAETITIARVM
VTRIQVE. PAR
ET. CORONIS. ET. CINERIBVS. MAXIMORVM
CAMILLVS. CAMPIGLIA. AEDITVVS
PIETATIS. ET. GLORIAE. MONVMENTVM
LOCAVIT
M. D. C. LVII

Quarto; *Pontifex Prior*, pro *Praedeceſſor*. Sic M. Tullius pro L. Flacco: *Denique*, inquit, *hoc primus frater meus in Aſia fecit, vt hoc ſumptu remigum ciuitates leuaret: crimen autem tùm videri ſolet, cùm aliquis ſumptus eos, qui antea non erant inſtituti, non cùm SVCCESSOR aliquid*

immutat

immutat de inſtitutis PRIORVM. T. etiam Liuius Dec.I. lib.I. de Rege Tarquinio: *Hic enim Regum primus traditum à PRIORIBVS morem de omnibus Senatum conſulendi ſoluit*. A Prioribus ſubintelligit Regibus, qui ſcilicet Tarquinium praeceſſerant. Idem lib. II. Vbi dixit, *Quae libertas vt laetior eſſet, proximi Regis ſuperbia fecerat*, ſubdit: *Nam PRIORES ita regnarunt* &c. Proximum hic Regem, vltimum intelligit Tarquinium; Priores autem, alios ſex, qui praeceſſerant. Itaque interpretandus eſt candidè Obertus Giſanius, cui vox *Prior* proximè praecedentem ſonat, auctoritate gemina eiuſdem T. Liuij: ſibi quippe voluit Giſanius, eam vocem de pluribus non ſolùm remotis, ſed de ſingulari quoque, & eo proximè praecedente vſitatam. Exemplum recens extat Romae in Vaticano (citat Suueertius in Select. Delic.) lapide porphyretico inciſae Inſcriptionis, cuius initium eſt:

CCCCX.

SIXTVS. V. P. M

Bibliothecam Apoſtolicam ſanctiſſimis illis prioribus Pontificibus, qui Beati Petri vocem audierunt, in ipſis adhuc ſurgentis Eccleſiae primordijs inchoatam, pace Eccleſiae reddita, Laterani inſtitutam &c.

Quintò, *Pontifex ſuperior*: Non enim id de dignitate dumtaxat, de potentia, de loco vſurpatur, verum & de tempore, & vitae ordine. Sic *Cyrus ſuperior*, & *Cyrus poſterior* paſſim apud Scriptores. M. Tullius quoque IV. Verr. 26. *Vt ab inſtitutis*, inquit, *SVPERIORVM, ab auctoritate Senatus, ab iure omnium Siculorum ne recedatur*. Et IV. Academ. 3. *Non modò opinionem vicit omnium, quae de virtute eius erat, ſed etiam gloriam SVPERIORVM*. Accedit locus Suetonij in T. Fl. Veſp. Aug. Cap. VIII. *Natura beneuolentiſſimus; cùm ex inſtituto Tiberij omnes dehinc Caeſares beneficia à SVPERIORIBVS conceſſa Principibus aliter rata non haberent* &c.

Sextò, *Pontifex anteceſſor*, etſi duriuſcula translatio videri poſſit, Latina certè locutio eſt. Suetonius in Vitellio Cap.XVII. *Irruperant iam*, inquit, *agminum ANTECESSORES, & ſingula rimabantur*. Hircius de Bello Afric.lib.V.41. *Interim cùm iam Caeſar progreſſus eſſet è caſtris circiter millia paſſuum tria, per ſpeculatores, & ANTECESSORES equites nunciatur ei, copias hoſtium haud longe à ſeſe viſas*.

Septimò, *Pontifex praeceſſor*. Vtitur Diuus Leo Papa I. Epiſt. LXXXII. ad Anaſtaſium Theſſalonicenſem Epiſcopum: *Quoniam ſicut praeceſſores mei praeceſſoribus tuis, ita etiam ego dilectioni tuae vices mei moderaminis delegaui* &c. Recèns vtitur Emanuel Theſaurus Elogio de Fl. Veſpaſiano Caeſare: *SOLVS*, inquit, *PRAECESSORE MELIOR*.

Octauò, *Pontifices Praecedentes*, ſumpto participio praeſentis temporis pro praeteriti. Eſt autē vox haec apud Horat.I. Ep.II. Verſ.poſtremo
Nec tardum opperior, nec praecedentibus inſto.

DOMINVS

Membrum II.

DOMINVS, vox quidem Latina, ſed vel ſenſu, vel vſu hodie à Latinis boni ſeculi alieno intruſa. Cuius ſi genuinum ſignificatum rimemur, eſt Latinis Dominus:

Primùm DEVS Opt. Max., vt qui dominationem Vniuerſi gerit. Non cito Sacri vatis teſtimonium (Pſal.XXIII.) *Domini eſt terra & plenitudo eius, Orbis terrarum & vniuerſi, qui habitant in eo*: ſed vatis Ethnici florente Latino ſermone, quod in rem noſtram facit, *Terrarum Dominos euehit ad Deos*. (Ode. I.) Sic credita Dea Ethnicis Venus, Domina Virgilio canitur (Aen. lib. III.) Sic Mater Deûm, ſic Proſerpina, ſic in antiquis marmoribus apud Gruterum pag. LVII. num. 14.

L. FABIVS

CCCCXI.

L. FABIVS
TROPVS
MARTI
DOMINO
V. S. L. M

Et pag. LXXX. num. 2.

CCCCXII.

DOMINAE
ISIDI . VICTRICI
&c.

Et pag. LXIV. num. 9.

CCCCXIII.

IMPERIO
DOMINI . SILVANI
&c.

Is enim Deus pecorum, & agrorum colebatur ethnicis.

Diuae Virgini, veri Numinis parenti attribuit iuſtiùs titulũ Rodulphus Monaldus Abbas Peruſinus Caroli Sabatini alumnus nobilis, videlicet:

CCCCXIV.

Infantularum minimae
Maximae mulierum
VIRGINI DEIPARAE
Caſtiſſimae Integerrimae Immaculatae
Patronae DOMINAE Reginae
Protheus iſte Verſiculus
Qui poteſt in mille formas verti
Sacer & Dicatus eſto
Quot Mare Dat Guttas, Praebet Tot Pupula Grates

Sic bellè Iuglaris Elogio VII. de Deo homine per Stellam in Oriente monſtrato: *Regno*, inquit, *ſuo finem nequitia timeat: Meliorem Mundo Dominum Augur cometa portendit.* Per analogiam autem dictus eſt ex hominibus, cui ſiue Poſſeſſio, ſiue Poteſtas in aliquid eſt, v. g. in Domum, Familiam, Vxorem, Mancipium, Ordinem, Rem publicam, priuatamuè, Regnum, Prouinciam, Terras, Semetipſum quoque, cuiuſmodi eſt Animi in Corpus, Voluntatis in facultates reliquas. Liuius de annuo imperio centum Patrum poſt obitum Romuli: *Fremere*, ait, *deinde Plebs multiplicatam ſeruitutem, centum pro vno DOMINOS factos.* Et Suet. in Tib. Cap. XXXXVIII. *Et rurſus quibuſdam dominis Inſularum, quae in Monte Caelio deflagrarant, pretio reſtituto.*

Iam morem illum honeſti Viri nominandi praefixo Domini titulo, ſi Latinos euoluamus Scriptores, corruptelam eſſe, ac barbariſmum fatebimur. Eſt is planè Dominus vno, aut pluribus ex modis enumeratis, proferre tamen nunquam licuerit *Dominus Iulius*, *Domina Druſilla*, quaſi honoris titulum; muneris illum quidem, & officij; ſed ordine praepoſtero. Sic rectè dicimus: *PHILIPPVS Rex Caſtellae, Dux Mediolani, Comes Flandriae, Dominus Cantabriae* &c. Sic Inſcriptio recens in Arce Placentina, citata à Suueertio in Select. Delic.

CCCCXV.

Finiunt pariter, renouantq. labores
PHILIPPVS . II. HISPANIAR. REX
Maximus
Et multarum Prouinciarum Dominus
S. Fidei Catholicae acerrimus
Defenſor F. F

Aut ſuppreſſo loco, vt in Epitaphio, quod ſibi ipſi Ioannes Pontanus cudebat: *Quem honeſtauerunt Reges Domini* &c. (citat Suueertius in Delic. Select. inter Neapolitana, & nos infrà de Elog. Venuſt. in Proſopopeia) ſubintellige Reges Domini Neapoleos.

Nec tueri poſſumus vſum noſtratium exemplo illo Romanorum iam inde ab aetate Martialis (Vide lib. V. Epigr. LXXXVIII.) quùm patres, fratres, & quoslibet obuios conſalutabant

Dominos

Dominos, vt & vxores *Dominas*. Nam vxores quidem tùm rectè vocari Dominas non abnuimus, cùm eſſent familiae, ac domus dominae, quemadmodum loquitur Quintilianus Declamat. II. *Scis pariter, an vnas quieſcentium fores vallauerit cura ſeruorum*: *Tu facere potes occaſionem vxor, & DOMINA*. Quamquam id magis ex affectu immodico Viri in vxorem; vt ex marmore vetuſto in foro Mediolanenſi, quod exſcriptum ad nos miſit Placidus Puccinellus, citatumque pòſt reperimus à Grutero pagina DCCCVI. num. 4.

CCCCXVI.

MARIAE
FESTIVAE
QVAE . VIXIT . ANN
XXXIIII. M. II. D. V
MARIVS
MONTANVS
DOMINAE . ET . CONIVG
KARISSIM . OB
EXIMIAM . ERGA . SE
PVDICITIAM . ET
MARIA . FESTA . ET
MARIVS . HIPPOLYTVS
MATRI . KARISSIMAE

Qui affectus ad inſaniam quandoque trahit, vt apud Grut. pag. DCCCXL. num. 8.

CCCCXVII.

D . M
VIRIAE
PRIMITIVAE
VIX . ANN . XVIII
MENS . I . DIE . XXIV
L . VIRIVS . HELIVS
CONIVGI . DVLCISS
HAVE . DOMINA . VALE . DOMINA

Et faeminae in Virũ, vt ib. DCCCCXXXIII. 7.

CCCCXVIII.

D . M
AVGVSTALI
DOMINO
DVLCISSIMO
CONIVX . FECIT

Praeterquàm quòd Vir paterfamiliae eſt, & domi Dominus.

Caeteros hominum per catachreſin dumtaxat, ideſt per abuſionem, & eam inſolentiſſimam *Dominos* appellari (etſi paulò ante Martialem, tempore nimirum Senecae eadem foret inſinuata licentia, vt indicant eius epiſtolae III. & CIV.) liquet ex eo, quòd Auguſtus, ac Tiberius florente tùm maximè Latinitate auerſabantur *Domini* appellationem, Suetonio teſte in Aug. cap. LVI. & in Tib. cap. XXVII. Tacito quoque Annal. lib. II. Sed & Tertulliano Apol. cap. XXXIV. Atque adeo (obſeruat Voſſius Inſtit. Orat. lib. IV. Cap. XII. num. 2.) tribus, & amplius pòſt ſeculis, cùm iam vbique huiuſce vocis abuſus obtineret, Iulianus deſertor vſque eò appellationem hanc refugiebat, vt caeteris ad exemplum Caeſaris ipſam aſpernantibus, in deſuetudinem propemodum ierit, quod is refert in Miſopogone. Tametſi pòſt Iuliani exceſſum, vt fieri amat, reuixit priſtinum vitium. Quin etiam Serui, qui Dominos rectè compellauiſſent, malebant nunc Heros, nunc nomine proprio, vt ex Terentio probatum redditur in Andria Act. III. Sc. II. Et in Heautontim. Act. IV. Sc. V. Et ex Plauto in Amphitryone Act. I. Sc. III. Et Act. II. Sc. I.

Vtendum igitur *Domini* titulo, non praeſcripto, ſed adſcripto, ſi quis re ipſa ſit Dominus; neque ex obſequio apponendus, ſed ex vero: neque imaginaria quaedam dominatio illum Dominum, nos ſeruos contra Latinorum vſum loqui nos Latinè ſinit. Porrò quis ferat audire appellationem illam putidiſſimam *Dominatio veſtra*, cùm tale quiddam monſtrum, etſi omnigenis aſſueta, Roma nunquam viderit, niſi vbi Barbaros irrumpentes, & foedè omnia deuaſtantes, perdenteſque vidit vnà cum Orbis Principatu ipſam linguarum Principem? Alloquendum autem Latinis in perſona ſecunda, & ipſa ſingulari; non tertia: tenendus mos Plinij in Epiſtolis, qui cùm alios vèl ordinis ampliſſimi Viros ſimplici ſalutat titulo, tùm Traiano Caeſari (vt legere eſt toto libro X.) inſcribit nudè omnino: *C. Plinius Traiano Imp. S.* Verùm is in Epiſtolae corpore Dominum nuncupat non ſecus atque Principem, cùm Dominus quidem rerum eſſet; nec tamen vſquam ſonat vox *Dominatio tua*, non minùs *Vos*, aut *Veſter*, quod eſt conſuetudinis noſtrae; Perpetuò autem *Tu*, *Tuus*: Vt, ſi Maieſtatis titulum vſurpare nunc opus fuerit, adhuc Latinè quoquo modo temperetur dicendo: *Maieſtas Tua*, non *Veſtra*.

Haec de recto vſu vocis *Dominus*, & ad nor-

 mam

mam eandem *Domina*. Nam quae per ſyncopam barbarè inde dicuntur *Domnus*, & *Domna*, quocunque donentur ſignificatu, ſiue *Dominus* de Imperatore, *Domna* (per ſyncopam) de Auguſta (vulgò *Imperatrice*) Siue *Dominus* de Deo, *Domna* de Deipara: *Domnus* autem & *Domna* de Hominibus: Siue *Dominus*, & *Domina* de Ciuilibus, ac profanis hominibus; *Domnus*, & *Domna* de Religioſis, & ſacratis, qui cum imperio praeſunt: Diminutiua quoque *Dominellus*, & *Domicellus* pro paruo Domino: Sic *Dominella*, *Domicella* (vt in titulo Epitaphij Leodicenſis, in Abbatia S. Bernardi HercKemodiae vſurpat Suueertius in ſelect. delicijs) vnde hodie Italis *Damigella*; haec omnia profectò inaudita ſunt Latio, ideoque Elogiaſtae ſupprimenda. Nec enim ſuffragatur huic voci cognomentum DOMNAE additum Iuliae Vxori Seueri Aug., alio quippe ſenſu, quàm vt ſignificaretur Domina. quod patet ex antiquis Nomiſmatis, vbi (teſte A. Schotto in Obſeru. poet. cap. XIX.) legitur Latinè IVLIA. DOMNA. AVG. Nam ſiue interpretere AVG *Auguſta*, ergo *Domna*, pro Domina ſuperuacanea foret. Sin *Auguſti* (ſubintellecto *Vxor* more veteri) quis Vxorem Dominam Viri, praeſertim Auguſti, atque Imperitantis dicat? Meliùs ex Nomiſmate Graeco, vbi legitur ΙΟΥΛΙΑ ΔΟΜΝΑ CΕΒΗΡΟΥ. i. e. *Iulia Domna Seueri*. Ergo Domna longè aliter interpretanda, cùm nihil minus Graecè ſonet, quàm Latinè Domina. Quidquid in Oppianum Cilicem ludant aliqui apud eundem Schottum. Multò iuſtiùs proſcribitur vulgaris ille titulus *Don*, & *Donna* honoris ergò praefixus virorum, ac foeminarum nominibus, Religioſorum, ac profanorum; ſoboles haud dubiè ſuperiorum vocum *Domnus* & *Domna*. Sed loquantur, vt vt libet, noſtrates Itali, & Hiſpani genuino ſermone, hoc eſt ſui temporis proprio; nam Latinorum more locuturi, id genus voces interdicant ſibi, oportebit.

Parem cenſuram ſubibit praefixus ille titulus *Fratris*, *Sororis*, religioſo Viro, ac foeminae: Eundem in modum *Reuerendi Patris NN.* &c. Delmonacus in Elogijs quatuordecim Collegarum ſuorum, nomina ſuppreſſo titulo ſui Ordini ſolenni *Don*, aut *Reuerendi*, aut *Patris*, abſolutè pronuntiat: *Paulus Conſiliarius Romanus*: *Ioannes Paulus Montorphanus*: *Matthaeus Bentius Politianus* &c. Ledeſma quoque noſter eadem cum abſtinentia in Collegas nonnullos Elogia edidit. Foeminas itidem Caenobio dicatas, quibus vulgò Praenomen *Sororum*, quanto honeſtiùs eo ſuppreſſo nominentur, adeantur Elogia Caeſaris Alexij, Centuria I. de Angelina Corbaria ex tertio Ordine S. Franciſci, de Caecilia Coppolia ex Ord. S. Clarae, deque Columba ex Ord. S. Dominici. *Fratris* praenomen deſideratur in Epitaphio Romano ad D. Auguſtini de Alexandro Oliua Eremitano ex illa familia; in qua tamen familia ſolenne eſt id Praenomen omnibus ex vetere inſtituto. Extat Neapoli, & quidem in Diui Auguſtini Epitaphium obſeruatu dignum; quod cùm Eremitano pariter ſit poſitum, appellationem Fratris non praemittit quidem, ſed adijcit, vt germanum fratrem ſignificet; Quod certè nos haud damnamus; vt neque cùm Patrem, Filium, Coniugem appoſitiuè dicimus, non praepoſitiuè. Eſt autem huiuſmodi.

CCCCXIX.

PAVLO FONTANAE Auguſtiniano, Theologo, Concionatori Aetatis ſuae Eloquentiſs. Qui Vixit Ann. XXXIV. M. VI. D. VII. Michael Fontana Fratri Opt. Ac B. M. Ob Pietatem Poſ. Obijt Anno Chriſti M. D. XXVII. Auguſti XXVI.

Sub eo Epitaphio Aquila tenens apertum Librum, hiſtoriam eiuſdem diffuſam exhibet, Paulum abſque Praenomine *Fratris* appellando. Nec improbamus quidem appoſitum *Fratris* pro collega tantùm, etſi non conſanguineo. De quo exemplũ petimus ex Inſcriptione apud Gruterum in Spurijs pag. IV. huiuſmodi

CCCCXX.

D. PROCVLAE. C. PROC. F. SACRORVM IGNIVM. DEAE. VEST. CVSTODI. FIDISS. COLL. VESTAL. SORORI. VIX. AN. XXII. M. VII. D. IIII. CVI. NVL. DIES. SINE. MANIFESTA. PIET. CVR

Sicut

Sicut ergo Collegium dicitur ponere monumentum Sorori, ita & Fratri.

Placet exemplis antiquarum Inſcriptionum diſcutere praeceptum noſtrum de Voce *Dominus*

CCCCXXI.

CLAVDIO · IVLIANO
VICTORI . AC
TRIVMPHATORI
SEMPER . AVG * *auguſto*
DOMINO . ORBIS
TERRARVM
B. R. P. NATO * i. e. *bono Reipublicae nato*

En vti Dominus Orbis terrarum titulus eſt adſcriptus, nulli autem iuſtiùs collatus, quàm Caeſari. Et pag. CXIV. num. 3.

CCCCXXII.

PRO . SALVTE . ET . VICTORIA . IMP
CAES . LVCI . SEPTIMII . SEVER
PERTIN . AVG . DOMINI . INDVL
GENTISSIMI . IVNIANVS . LIB . AD
IVT . TABVL . T . P . SV
EX . VOTO

hic autem cum maieſtate Imperij coniugata ſignificatur raro exemplo indulgentia.

Non nego ante eandem aetatem, ſed conſequentibus multo magis (quippe lapſante ſermonis elegantia, atque adulatione irrepente) praeſcribi coepiſſe titulũ, vt ex Grut. CCLXXXIV. num. 8.

CCCCXXIII.

DOMINO . NOSTRO
CL . IVLIANO
NOBILISSIMO . AC
FORTISSIMO . CAES
MEMMIVS . VITRASIVS
ORFITVS . V. C. ITERVM
PRAEF . VRB . IVDEX
SACRAR . COGNITION
TERTIVM.D.N.M.Q.EIVS

Id quod cauendum fuit Franciſco Polae ſtudioſo antiquitatis haud ſatis prudenti, quùm orationi ab ſe editae Dedicationem inſcripſit huiuſmodi

Occurritque primùm Romae (citatum à Grut. pag. MLXXXVI. num. 7.) marmor Iuliano poſitum, videlicet

XCCCCXIV.

DOMINO . NOSTRO
IOANNI . CORNELIO
Praefectura Veron. abeunti
Maximo Optimo Pio Iuſto
Fortunatiſſimo
Franciſcus Pola Iureconſ
D. N. M. Q. E
priuate
Quarto Kal. Maij MDVIC

Quid hoc autem ad aſſentationem putidius; quàm Viro Ampliſſimo quidem; non tamen Principi Summo appellationem *Domini* deferre, & illam amplius vſurpare cum ijs formulam *Deuotus Numini Maieſtatique eius*, non niſi Auguſtis datam?

Scopuloſa vèl hinc maximè ſecula fecit inſolens hoc verbum marmoribus fere omnibus intruſum, vt ex placito Iulij Caeſaris cauere quàm ſtudioſè debeamus. Quemadmodum illa indicant apud Grut. pag. CCLXXIX. num. 1.

CCCCXXV.

DOMINO . NOSTRO
PIISSIMO
DIOCLETIANO
INVICTO . AVGVSTO
AIMILIVS . VICTOR . PARAT
D. N. M. Q. EIVS

Et pag. CCLXXXIII. num. 11.

CCCCXXVI.

D . N . FL . CONSTANTINO * *i. e. Domino noſtro*
MAXIMO . BEATISSIMO . AC
SVPRA . OMNES . RETRO . PRI
NCIPES . PIISSIMO . SEMPER
AVGVSTO . B . R . P

Horridius illud monumentum apud Gruterum CCLXXXIV. 2.

CCCCXXVII.

PIISSIMAE. AC. VENERABILI
DOMINAE . NOSTRAE . HELENAE
AVGVSTAE . MATRI
DOMINI. NOSTRI. VICTORIS
SEMPER . AVG. CONSTANTINI . ET
AVIAE . DOMINORVM . NOSTRORVM
BEATISSIMORVM . CAESARVM
ORDO. ET. POPVLVS. NEAPOLITANVS

Haec quantumcumque barbaricam prae ſe ferant aſſentationem ex improprio vſu vocis *Dominus*; non tamen ita perditam, vt noſtris temporibus. Nuſquam enim illorum marmorum legitur Domini titulus nudè praefixus nomini proprio, ſed intercedente alia voce, *Domino noſtro*, *Dominis noſtris*, *Dominae noſtrae* &c. Ac ſi Principem diceres, aut Imperatorem, vt in ſequenti

CCCCXXVIII.

AETERNO . IMPERATORI
NOSTRO . MAXIMO . O
PTIMOQVE. PRINCIPI
AVRELIO . VALERIO
DIOCLETIANO . PIO
FELICI . INVICTO
AVGVSTO
PAETVS . HONORATVS . IIVIR
CORRECTOR . ITALIAE
NVMINI . EIVS . DICATISS

Ac ne molem exaggeremus voluminis, citandis totis Inſcriptionibus, adeatur Gruterus pagina CCCLXX. num.3. vbi legere eſt: A. DOMINIS. AVGVSTISQ. NOSTRIS. Et pagina CLVII. num.1. FORTISSIMO . AC . FELICISSIMO . PRINCIPI . DOMINO. INDVLGENTISSIMO: Haec autem in clauſula ipſa, cuius in apice nomen eſt proprium IMP. CAES. L. SEPTIMIO. Simile de eodem Septimio pag. CLXIV. n. 4. Item pag. M.LXXIV. num. 14.

CCCCXXIX.

LARIBVS . AVGV
STORVM
DOMINORVM
NOSTRORVM

& pag. XLV. num. 7.

CCCCXXX.

DEO . HERCVLI
COMITI . ET
CONSERVATORI
DOMINORVM
NOSTRORVM

In his, vt vides, ne propria quidem extant nomina: Praeterea quantum inde corruperit Auctor ſuamnet caeteroqui elegantem Inſcriptionem de ortu Infantis Hiſpaniarum expoſitam Mediolani in Aula Collegij Iuriſconſultorum, videlicet:

CCCCXXXI.

A . D . KAROLO . V . IN . D . KAROLVM
NOVVM . REGEM . V
PER . GENVS . TRANSMISSA . VIRTVS
DECVMANA . SIT . OPORTET
HVIC . CVNCTATIONEM . PATRIVS
CELERITATEM . MATERNVS
ELARGITVR . SANGVIS
QVID.BEATIVS.REGE.LENTE.FESTINATVRO
EXPECTETIS . CIVES

ſiquidem nota illa, *D*, bis inſerta, ſiue *Domino* interpreteris, ſiue *Don*, decumanum vitium ſonat nobis. Aemulanda fuerat dignitas Marmoris Romani ab natione Hiſpanica poſiti eidem Philippo in Diui Iacobi, quam habes infrà lib. de Venuſtate Elogij, vbi de Hyperbole. Interim accipe à Franciſco Pola monumentum in aedibus Bonanominum Buſſolenghi, videlicet:

CCCCXXXII.

MARGARITA . AVSTRIACA
Triduanum habuit hic hoſpitium
VII. Id. Nouemb
MDIIC
Quùm illa in nuptias
PHILIPPI . III. Hiſpaniarum Regis
Auſpicato properaret

Seitè

Scitè admodum Em. Theſaurus Elogio de ortu Infantis Hiſpp. *Tibi*, inquit, *Philippe ter maxime*, *Genialem Auguſtae ſobolis felicitatem Terrarum Orbis gratulatur* &c.

Nec facit negotium Inſcriptio Romana citata à Grutero pag. DCCCCLVII. num. 4.

CCCCXXXIII.

QVOD . FECERIS . ET . TIBI
ALIVS . FACIET
VERINA . DOMINAE
FAVSTINAE

nam quòd in modica, eaque rudi tabula inciſa eſt, argumentum facit non ambiguum ancillae heram ſuam, ſeu domus Dominam aſperiùs appellantis, comminantiſque ex alicuius dolore contumeliae. Meritus idcirco eſt de Laurentio Valla Iuſtinianus Caeſar, vt audiret, *nec iura*, *nec literas Latinas ſciſſe*, *quia ſe DOMINVM IVSTINIANVM* (*vt ex Numiſmate eius apparet*) *dici voluit*, *vt quidam alij Caeſares fecerunt*; *quod à viro Romano eſt alieniſſimum* : *& character ipſe literarum*, *figurarumque illorum temporum Numiſmatis Gothicum magis*, *quàm Latinum redolet*.

Erit igitur Elogio decori priſco, ac dignitati; nomen proprium, tametſi Principis maximi, abſque praefatione *Domini*; magnificas illas imitando Inſcriptiones ſiue boni omnino ſeculi, ſeu non longè recedentis, cuius generis illa eſt apud Gruter. pag. CCXXXV. num. 8.

CCCCXXXIV.

TI . CAISARI . DIVI . AVG . F
DIVI . IVLI . N . AVGVSTO
PONT . MAX . COS . V . IMP . VIII . TRIBVN
POTEST . XVIII
PONTIFICES . ALBANI &c

** i. e. Tiberio Caeſari. Diui Auguſti filio, Diui Iulij nepoti Auguſto. Pontifici Maximo. Conſuli quintùm. Imperatori octauùm. Tribunitia poteſtate decimū octauùm Pontifices* &c.

& pag. CCXXV. num. 6.

CCCCXXXV.

C . IVL . CAESAR . C . F
DE . GALLEIS
ET . ALLOBROGIB
.... PHAVIT

** i. e. Caius Iulius Caeſar de Gallis & Allobrogibus triumphauit*.

& pag. eadem, num. 6.

CCCCXXXVI.

IVSTITIAE
ET
CLEMENTIAE
C. CAESARIS

Illa verò nihil à titulis puriùs, nihil ſimul magnificentiùs, pag. CCXXXIV. num. 4.

CCCCXXXVII.

C . CAESARI . AVGVSTI . F
PONTIFICI . COS
DESIGNATO
PRINCIPI . IVVENTVTIS

Nec breuitas praeſtituta Inſcriptioni cauſari poteſt ſuppreſſionem huiuſmodi titulorum; vt ex pleniore illa conſtat, apud eundem Grut. pag. CCXXXVIII. num. 9.

CCCCXXXVIII.

NERONI . CL. CAIS
AVG. PONT. MAX
OB . PROVINC. LATRONIB
ET . HIS . QVI . NOVAM
GENERI . HVM. SVPER
STITION. INCVLCAB
PVRGATAM &c

* *i.e. Neroni Claudio Caeſari Auguſto. Pontifici Maximo ob prouinciam latronibus, & his, qui nouam generi humano ſuperſtitionem inculcabant, purgatam*

Quod autem Viris datum, hoc etiam foeminis, & ipſis Auguſtis. Sic apud eundem Gruter. pag. CCXXXIV. num. 2.

CCCCXXXIX.

IVLIAE . AVG
DIVI . F. MATRI
TI. CAESARIS . AVG. PRIN
CIPIS . ET · CONSERVATORIS
ET. DRVSI. GERMANICI
M. &c.

* i. e. *Iuliae Auguſtae. Diui* (ſubintellige Iulij Caeſaris) *Filiae. Matri Tiberij Caeſaris Auguſti Principis* &c.

Id etiam pag. CCXXXVIII. num. 8.

CCCCXL.

I V L I AE . A
G R I P P I N AE
C A E S . A V G
G E R M . M A
T R I . A V O
N . C I V I T A S
A R V C C I T A N A

* i. e. *Iuliae Agrippinae Caeſaris Auguſti Germanici Matri Auguſtae noua Ciuitas Aruccitana*

Vides, quàm caſta appellatio foeminae Auguſtae, cuius ſexus ambitio procos aſſentatores colligit multos.

Praemittitur non raro titulus Imperij, vt apud Grut. pag. CIC. num. 2.

CCCCXLI.

IMP. CAESAR . AVG. PONTIF
MAXIM . TRIBVNIC. POT . XXVIII
COS . XIII. PATER . PATR &c

ibid. num. 6. cum repetitione

CCCCXLII.

IMP. CAESAR. M. AVRELIVS
ANTONINVS . AVG
GERMANICVS . SARMAT . ET
IMP. CAESAR. L. AVRELIVS
COMMODVS . AVG
GERMANICVS . SARMATIC. &c

Et alibi paſſim eundem in modum.

Ex his hactenus conſpectis, pateſcit foeditas illius vulgaris formulae in titulis Virorum, ac Foeminarum illuſtrium, cùm vocem *Dominus*, ac *Domina* geminatam praefigunt nominibus, v. g. *Illuſtriſſimus D. D. Iulius* &c. id eſt *Dominus Dominus*: Neque putes noſtri ſeculi exiſtere tale vitium; quod à nobis obſeruatum fuit iam tertiò ab hinc ſeculo in Sepulcrali Epigrapha Florentina ad Diuae Mariae vulgò Nouellae, vbi inter plura monumenta nobiliſſimae Gentis Strozziae ita legitur:

CCCCXLIII.

CLARISSIMAE . D. D. MAGDALENAE . CAROLI . STROZZAE . INCLYTAE . PROLIS
VXORIS.ILLVSTRIS.MILITIS. D.LVCHINI.DE.VICECOMITIB.MEDIOLANI.QVONDAM.D
OBIIT . VI. IDVS . MAII . MCCCCXXX

Nam quod Luchinus Mediolani regnauerit, titulo Domini generico donare haud abnuimus, at appoſito nomini, vt rectè in extremo huiuſce Epigraphes: non autem praepoſito, vt hic ibidem in corpore: multo minùs geminato, vt in principio.

CONCIVIS

CONCIVIS

Membrum III.

CONCIVIS, è ruderibus barbariae lecta vox, nec per ineruditos, cùm imitatione Graecorum ſit facta, quos inter Euripides dixit συμπολίτης: Et D. Paulus Epheſ. 2. Quam vt hoc loco expendamus, cogit auctoritas Elogij Comenſis, caeterà elegantis (quod praeter Suueertium in Select. Delic. citatur à Sigiſmundo Boldonio in ſuo Lario) ſub ſtatua Plinij Iunioris in hanc formam

CCCCXLIV.

*C. PLINIO . CAECILIO . SECVNDO . QVI . CONSVLATV . AVGVRATV MILITIAE . GESTIS . ORANDIS . CAVSIS . POEMATIBVS . ET . HISTORIIS CONFICIENDIS . CAESARE . TRAIANO . AVGVSTO . LVCVLENTISSIME LAVDANDO . AFFICIENDOQVE . IMMENSA . LIBERALITATE . PATRIAM SVAM . EIDEM . IMMORTALE . CONTVLIT . ORNAMENTVM . ORDO COMENSIS . * CONCIVI . SVO . DESIDERABILI . HONORE . ACCEPTO MONVMENTA . P. M . CCCC. LXXXXII. X. CAL. MAII*

Quo item ſeculo, Auctore forſitan eodem poſita eſt Bononiae memoria illa, quam in Select. Delic. inter Bononien. citat Suueertius, & ipſa huiuſmodi ſolùm vitio labefactata, videlicet:

CCCCXLV.

TRINITATI SACR.
AZONI Iuriſconſultorum Numini. Anno Gratiae MCC. hic tumulato. In ſepulcro vetuſtate collapſo, ac inter rudera vix agnito. Ioan. Franciſcus Aldrouandus Dictator, & Coſ. Bononienſis pub. impenſa Conciui ſuo B. M. memoriam poſ. Anno ſalutis MCCCCVIC. Id. Octob

Eſſe autem recentem vocem hanc in Latio, ſuſpicionem primùm ingerit ipſum ſeculum ſuperioris Elogij, quo nondum niſi apud perpaucos eruditos inſtaurata Latinitas erat. Nihil itaque mirum, ſi recentium nonnullorum ſuffragium obtinuit, vt Ioannis Paſtae Elogio de ingreſſu Caeſaris Montij Cardinalis, Archiepiſcopi Mediolanenſis, in quo habet (quàm verò eleganter & comptè, cenſuerint alij)

CCCCXLVI.

Mediolanenſes omnes Deo Opt. Max. Gratias date Vnanimes
Tegendis vobis, Regendis
*Paſtorem qui dedit * Conciuem*
Mox veniet, quem amore patrem
Breui eſtis ſalutaturi

A Suueertio inter monumenta Brabantina citatur Epitaphium ſuperioris ſeculi in Ortelium, elegans id quidem, & limatum, ni contraxiſſet in calce rubiginem eiuſdem vitij. Referre hoc loco non ab re eſt, vt ediſcant ſtudioſi, quàm cautè ſcopulos declinent, in quos eruditorum nonnulli impegerunt. Eſt autem huiuſmodi

D. O. M.

CCCCXLVII.

D . O . M

ABRAHAMVS . ORTELIVS . H. S. S *i.e. *hic ſitus ſum*

Patria mihi & domus haec vrbs fuit

Titulus & munus Geographus Regius

Dum vixi, vidi vtramque fortunam publicam

Sed vultu eodem

Meam propriam vno animo & ſtatu

Modicus rei & ſpei

Facilem placidamque mihi feci

Quam nunc terram colo, viuus item excolui

Manu, radio, colore

Sed mente contempſi

Fatalem meam metam ſine metu adiui

Cùm vixiſſem ann. LXXI. M. II. D. IIXX

Mors obrepſit ann. M. D. XCIIX. IV. Kal. Jul.

Tu bone bonum votum adde

Et olim quieto quietem aeternam

apprecare

Joannes VVouerius Antuerp. * *Conciui*

Et Amico opt. Poſ.

En coecas ſyrtes ab oculatis offenſas, excuſandis illis fortè ob Vallae traditionem lib. IV. Cap. LXXXIV. qui vocem Latinam probat: quam tempore Diui Hieronymi, exemplo ipſius, & poſteriorum vſitatam ſcimus. Tametſi Scaligeri in Eraſmum cenſura ſatis cautos effecerit, Scriptorum item melioris ſeculi authoritas, vti mox demonſtrabimus.

Dedit autem (opinor) locum errori, quòd vocabulum quaeritetur, per quod ſocia, & (vt ita dicam) reciproca Ciuitas adſignificetur. Quemadmodum igitur ex *Reus* componitur Vlpiano *Conreus*, in eadem ſcilicet cauſa reus cum altero: Ex *Diſcipulus* fit Ciceroni *Condiſcipulus*, ſocius in eadem diſciplina, (de quo habetur Inſcriptio vetus apud Gruterum pagina CCCXIII. num. 9.) Ex *Genitus* Plinio *Congenitus*, ſimul cum altero genitus: Ex *Seruus*, & *Serua* Ciceroni, ac Terentio *Conſeruus* & *Conſerua*, Eidem cum altero ſeruituti mancipatus: Et in vetuſtis marmoribus apud Grut. MXLVI. 3. & MI. 8. & paſſim: Ex *Libertus, ta*, *Collibertus, ta*, Plauto, & Paulo I. C. de quibus marmora apud Grut. DCCCCXCV. 11. Et CCCCXXVIII. 5. & alibi. Ex *Sobrinus*, *Conſobrinus* Ciceroni, ac Terentio, de quibus apud Grut. DVII. & CCCXL. 3. & alibi: Cur (inquiunt hi Nouatores) non pariter ex *Ciuis*, *Conciuis*, qui nimirum eſt eiuſdem cum altero ciuitatis? At reminiſcantur oportet ſuperius tradita ex Quintiliano, Imitationem in vocibus non eſſe loquendi legem, ſed conſuetudinis obſeruationem. Vbi autem conſuetudo boni ſeculi Latinorum aliter tulit, ſtandum eſt illi, ſi modò Latinè profitemur.

Porrò vox vna *CIVIS* èadem & de alia Ciuitate dicitur, & de eadem, ſiue communi: Vt iam opus non ſit formare *CONCIVIS*. Quod primùm legere licet in Theſauro Lat. I. edito per Marium Nizolium, vbi *Ciuis* inquit *meus*, *Ciuis tuus dicitur pro Conciui, quem Barbari vocant Compatriotam*. Probat prae aliis locus Ciceronis ad Lentulum lib. I. Epiſt. IX. *Illud quidem certè noſtrum conſilium iure laudandum eſt, qui meos CIVES & à me ſeruatos, & me ſeruare cupientes, ſpoliatos ducibus, ſeruis armatis obijci noluerim.* Eiuſd. pro Mil. *Valeant Valeant CIVES mei.* Ibid. *Facinoroſorum armis meos CIVES pro me obijci nolui.* Eiuſd. ita I. fin. iterum II. Diuin. iterum Att. Ep. IV. Et I. Catil.

Cui

Cui addo Lucanum in oratione Laelij ad Caeſarem

Nec CIVIS meus eſt, in quem tua claſſica Caeſar Audiero

Subditque idem Nizolius: *Ciuis eſt, qui eiuſdem eſt Patriae*, ſubiecta auctoritate Curtij lib. IX. ad calcem: *Simplicius tamen ait famam aeſtimabat in hoſte, quam in CIVE*. Itaque planum fit, vocem *Conciuis* ſpuriam eſſe, vbi *Ciuis* legitima.

Concordat vſus marmorum antiquorum, è quibus operae eſt pretium exempla promere. Gruterus pag. CCCCIX. num. 3. hanc primùm refert.

CCCCXLVIII.

L. FADIO . PIERO . II. VIRO
MVNIFICENTISSIMO . CIVI
QVI . OB . HONOREM . DECVR
EODEM . ANNO . QVO . FACTVS . EST
GLAD. PARIA . XXX. ET . VENATION
BESTIARVM . AFRICANAR. ET . POST
PAVCOS . MENSES . DVVM . VIRATV
SVO. ACCEPTIS. A. REP. H. S. XMX. N. VENAT
PLENAS . ET . GLADIATORVM . PARIA . XX
EDIDIT . ITEM . POST . ANNVM . LVDOS
SCAENICOR . P. S. F. AVGVSTALIS
L. D. D. D. * i.e. *locus datus decreto Decurionum*

Decuriones ergo, & quidem Ciuitatis, locum, nempe ſepulcri, dederunt Ciui: quem neoteri dicerent datum *Conciui*.

Populum quoque Ciui honorem dediſſe teſtatur vetus marmor citatum apud Grut. pag. CCCCXIX. num. 4.

CCCCXLIX.

L. HORATIO . L. F
GAL. VICTORI
II. VIRO . BIS
OB . PLENISSIMAM
. . . .
ERGA . PATRIAM
MERITISS. CIVI
POPVLVS

Item CCCCXXXIII. 6. Himerae in Sicilia

CCCCXL.

C. MAESIO. AQVILIO. FABIO. TITIANO
C. V. COS. OPTIMO. CIVI. AC. PATRONO
BENE. MERENTI. ORDO. ET. POPVLVS
SPLENDIDISSIM.COL.AVG.HIMERAEORVM
TERMIT. PECVNIA. SVA. POSVIT

Confer nunc iſtam cum Inſcriptione recenti, quam ſupra attulimus in Plinium.

Denique obſeruāda & alia CCCCLXXVIII. 9. quae partem ciuitatis, ideſt Collegia quaedam, honorem Ciui (non Conciui) detuliſſe memorat

CCCCL

L. VAL. L. FIL
GAL. FAVENTINO
II. VIRALI
QVI . ANNONA
FRVMENTARIA
EMPTA . PLEBEM
ADIVVIT . ET . OB
ALIA . MERITA . EIVS
COLLEGIA . KA
LENDARIVM . ET
IDVARIA . DVO
CIVI . GRATISSIMO
POSVERVNT

Sed expreſſiùs adhuc, cùm Ciues Ciui deferre dicuntur, apud eundem Grut. CCCXCII. 4.

CCCCLII.

M. CLODIO
M. F. GAL. FLACCO
II. VIRO . BIS . FLA
MINI . TRIBVNO
MILITVM . LEG. III
FLAVIAE . VIRO . PRAE
STANTISSIMO . CIVI
OPTIMO . OB . PLVRIMA
ERGA . REM . P. SVAM
MERITA . CIVES . LABI
TOLOSANI . ET . INCOLAE

Pro

Pro Ciue *Municeps* vſurpatur à Cicerone; & quidem cùm de eodem municipio ſermo eſt. Ita 1. Nat. Deor. *Q. Catulus*, inquit, *huius Collegae, & familiaris noſtri Pater dilexit MVNICIPEM ſuùm Roſcium.* Neque ait *Communicipem.* Idem lib. XIII. Epiſt. XI. *Non dubito, quin ſcias, non ſolùm cuius municipij ſim; ſed etiàm quàm diligenter ſoleam meos MVNICIPES Arpinates tueri.*

Iam *Municipis* reciprocè ſumpti non deſunt in marmoribus exempla. Apud Grut. pagina MCII. num. 6. Peruſina Inſcriptio

CCCCLIII.

P. VOLVMNIO . L. F.
VIOLENTI
IIII. VIR. II. VIR
MVNICIPES . ET.
INCOLAE
EX . COMMODIS

Non negamus marmor, quod ab Vrbe Auximo in Piceno transtulit poſt inſignem victoriam Io. Iacobus Triuultius cognomento Magnus in Patriam Mediolanum, vbi hodieque viſitur in aedibus Principis Triuultij: ſed ſuſpectum videri poteſt de ſeculo ſequiore, quia contra vſum boni, ideſt Ciceroniani, habet vocabulum compoſitum *Communicipis*, videlicet:

CCCCLIV.

AESCVLAPIO . ET . YGIAE
SACRVM
C. OPPIVS . C. L. LEONAS
VI. VIR. ET. AVG
HONORATVS . IN . TRIBV
CL. PATRVM . ET . LIBERVM
CLIENTIVM . ADCENSVS
PATRONIS . SANCTISSIMIS
COMMVNICIPIBVS. SVIS. D. D
QVORVM. DEDICATIONE &c.

Itaque tutiùs fuerit Ciceronianum, quàm aliud ſeculum imitatione ſectari. Ad eundem modum tractatur vox *Tribùlis*, ideſt non pro aliena ſolùm tribu; ſed etiam propria reciprocè. Cic. lib. XIII. Epiſt. LVIII. *L. Cuſtidius*, inquit, *eſt Tribulis, & Municeps, & Familiaris meus.* Ita alibi paſſim. Hinc vox *Contribulis* peregrina ſit, oportet, nec à bonis admittenda. Extat autem memoria vetus ad ſenſum Ciceronis, apud Grut. pag. DCXXV. num. 5.

CCCCLV.

D . M
P. TERENTIO . FELICI
SCRIBAE . ET . TRIBVLI
P. TERENTIVS . NICEPHOR
PATRONO . OPTIMO

Suo inquit Tribuli, ſeu tribus eiuſdem homini dedicat P. Terentius: non Contribuli.

Quantò igitur in hac parte nitidius Elogium alterum Comenſe in Plinium ſeniorem, citatum à Suuertio in Select. Delic. & à Sigiſm. Boldonio in ſuo Lario, videlicet:

CCCCLVI.

ORDO . POPVLVSQ . COMENSIS . C. PLINIVM . SECVNDVM
MACTVM . INGENIO . VIRVM . DIGNATIONE . CLAR . DOCTRINA
ADMIRABILEM . VT . QVI . OLIM . IMPERATOR . CAESAR . VESPA
SIANOR. AMICITIAM . MERVERIT . OFFICIA . MAXIMA . GES
SERIT . AC . SCRIPTORES . VNIVERSOS . COPIA . ET . VARIETATE
SVPERAVERIT . MVNICIPEM . SVVM . INCOMPARABILEM
STATVA . ET . ELOGIO . ORNAVERE

Verumtamẽ quod mox ſubſcribitur Diſtichon, Elogij violat dignitatem abuſu damnatae iam vocis. Id eſt

Tantus honor, dulciſque iuuat me fama Secundum
*At magè * Conciues haec poſuiſſe meos.*

Ex quo haud controuerſum eſt, quin vtriuſque Elogij Pliniani vnus idemque extiterit Scriptor. Quod ſanè cauere debuit Auctor recens Elogij in Diuos Haymonem, & Vermundum, fundatores inclyti Coenobij Sanctimonialium Medenſium in Agro Mediolanenſi (citat Haymo Corius in hiſt. Cui titulus: *Sancti Haymo & Vermundus Comites Turbigij, duo lumina Coriae gentis, luci expoſita*) videlicet:

Haymoni

CCCCLVII.

Haymoni, & Vermundo Sanctiſſimis: Qui nobilitate gentis inclyti Communicipes. Summis diuitijs cum ſummis virtutibus coniunctis Dum apros ſectantur, Ab ipſis premuntur. Et praeda ſuae praedae facti &c.

Obiter autem interpretanda eſt in ſtudioſorum gratiam Vox *Ordo* in vtroque Elogiorum Comenſium, quae allegauimus, poſita; ſcilicet pro ordine Decurionum, vt eruditè obſeruat Iulius Iacobonius in Append. de priſca Caeſiorum gente. Cap. IV. Sicuti *Ordo ampliſſimus* Senatorum, vbi quidem Senatus extat; ſecùs pro eodem Decurionum ordine, vt ex Cicerone pro Caelio coniectamus.

Haec inter venit in manus Laurentius Valla, qui Cap. LXXXIII. libri IV. probat Latinam vocem *Conciuis*: Vir autem caeterà eruditiſſimus, miror, vt hic fallatur, nullo primùm exemplo nixus boni ſeculi (quae ſola ratio eſt bene loquendi) praeterquam incerti, eiuſque nuperi Scriptoris, cuius etiam bene dictum gratis caſtigat: *Quidam*, aiens, *librum nuper ſic inchoauit: Fauonius Ciuis meus, Optime Princeps, & conſul tuus: Cùm dicere debuiſſet, Conciuis meus.* Deinde inductione ſimilium connititur tueri ſententiam: quod quàm abſurdè tentatum, vèl illud ſatis probat, quod ſibi ipſe Valla obſiſtit rationem ſubiecto euertens exemplo: Sed & rationem ipſam ratione trudens, vt legenti cuiuis occurret. Confirmauit nos etiam Cenſura ſimilis Ioannis Deſpauterij adnotata illi capiti, quae notam audaciae à cenſura noſtra mirificè propulſat: Tandemque Voſſij de Vitijs Serm.

Eadem lege proſcribitur vox *Confrater*, vſurpata in Eccleſiaſticis memorijs, vt in Epitaphio apud Suueertium in Brabantinis, quod excuſſum fuit ſuprà in Claſſe Vocum Eccleſiaſticarum: Membro XIIX.

BENEFACTOR

Membrum IV.

BENEFACTOR malè audit Latio, cui non deſunt in hanc ſignificationem ſynonyma. Pro eo enim dicetur *Benemerens*, *Benemeritus* (diſiunctis quoque vocibus *Bene merens*, *Bene meritus*) *Beneficus*. Imitanda eſt illa formula in Monumentis recentibus apud Suueert. in Select. Del. *Viro ad beneficentiam nato*: *& Demerendo humano generi natus*. Et: *Manſuetudine, probitate, indefeſſoque iuuandi ſtudio inſignis, ſolum ad benemerendum natus.* Et: *Studium benemerendi de omnibus*, pro *deſiderium benefaciendi*. Accipe totum Epitaphium Romanum apud Suueert. ibid. citatum

CCCCLVIII.

D. O. M

Martinus Ab Azpilcueta Nauarrus

H. S. E * *Hic ſitus eſt*

Diuini Humanique Iuris Conſultiſs

Qui Salmanticae primùm

deinde Conimbricae

fauentibus Portugalliae Regibus

Ius Pontificium docuit

Romam profectus

Pio V. Gregorio XIII. Sixto V. PP. MM. * *Pontificibus Maximis*

charus

Omnibus nationibus gratus

Huic Xenodochio beneficus

Obijt XI. Kal. Iulij MDXXCVI

Aetat. Anno XCIV. M. VI. D. VIII

Illud

Illud etiam à Patribus Ordinis noſtri poſitum Piſis in Diui Frigdiani:

CCCCLIX.

GASPARI . AGIATO
Ciui Benefico, & Salutari
Qui
vt vocaretur in partem
Aeternae hereditatis
caducam CHRISTO *reddidit*
C. R. S. P. P. C. An. Dom
MDCVIII

Adhuc expreſſiùs eloquitur titulus parentalis Mediolani, in D. Petri Gluſſiati, quod habebat:

CCCCLX.

BENEFICIS . IN . ORDINEM
BENEDICTINI . PATRES
SACRA . IVSTA . PERSOLVVNT
DEDERE . PIERIDES . VIOLAS
BALSAMA . CHARITES
PRECES . DATE . INSVBRES
ASPERSIO . SIT . AB . OCVLIS
ROGVS . A . CORDE

Miramur igitur lapſum recentioris Elogiaſtae in Portu Liburni apud Etruſcos, qui Epitaphio Phiaſchij oblatam Marte ſuo Latinam phraſim reſpuit, barbaram legens. Eſt autem

CCCCLXI.

IOSVE . PHIASCHIO
Quem probitate morum, ac beneficentia
In egenos
Sodalem iure pium conſtanter agnoſcens
Heres Miſericordiae Societas
* *Benefactori optimo*
Poſuit

* malè diphthongum ignorauit, cùm Latinè declinandũ ſit *Ioſues, Ioſuae, Ioſuae.* Repete quae initio libri huius obſeruauimus, in Claſſe I. Propriorum nominum, litera c. *Noe* pag. 96. col. 1.

Nam cùm beneficentiam ſuperiùs vſurparit, quid ni *beneficentiſſimo Viro* promptiùs dixerit? Solemniter autem, *Optimè merito*, ſeu *Optimè merenti*, vt appoſitum illud ſuperlatiuum exprimatur. Nec carpere omittant critici, ſodalem priùs dixiſſe, & rectè: deinde ipſum ſodalium corpus, Societatem, pro Sodalitate vſurpauiſſe.

Occurrent ſcioli, cùm vox contraria, ideſt *Malefactor* probetur Plauto, cur non pariter *Benefactor*? Ait enim is in Bacchidibus

Malefactorem amitti ſatius eſt, quàm relinqui beneficum.

Hunc autem locũ obſeruauit Scioppius, & quidem prudenter, impugnans meritò Voſſium dicentem, Nec *Malefactorem* probo, malimque dici *Maleficum*. Atqui non hinc rectè arguitur bonitas contrariae vocis *Benefactor*, quoties exemplum nullum reperit apud bonos Scriptores; Quid? Suo ipſe telo confoditur ſciolus, ſiquidem vbi Plautus Malefactorem dicit, quidni contrarium ſponte ſuccurrit, vt *Benefactorem* diceret, cùm tamen *Beneficum* maluerit? Barbarè igitur vertiſſe creditur Guilelmus Xylander, caeteroquin elegãs, locum Dionis lib. XLII. Πομπήιον εὐέργετην *Pompeium benefactorem*, cùm potiùs dicere debuerit *benemeritum*.

Caeterùm Malefactorem expreſſerim etiam Malè meritum, malè merentem, & ſuperlatiuè *peſſimè meritum* &c.

Quaeres, Nùm Latinae ſint voces illae compoſitae *Benemerentiſſimus*, *Benemeritiſſimus*, & contrariae *Malemerentiſſimus* &c. Illae namque non ſemel obuiae in antiquis monumentis apud Gruterum, praeſertim pag. DCLXXXVII. 1. DCCCCXXXII. 7. MCXXIX. 3. Nihil tamen mouet Gruteri fides, qui ex antiquitate omni ipſa quoque purgamenta collegit, & quidquid ſordium barbaries infelicium ſeculorum hàc illàc diſperſit. Atque vtinam non veritati ſolùm rerum vetuſtarum ſtuduiſſet; ſed etiam nitori Romanae linguae. Verùm vbi quis in hac parte benemerentiſſimi laudem affectaret de Re antiquaria, malemerentiſſimus hoc ipſo per Dictatores Rei literariae proſcribi facilè poſſit: niſi ſtomachi perfunctus partibus, con-

coquendi

coquendi negotium, digerendi, ac excernendi reliquiſſe alijs videatur. Ad quaeſtionem igitur deſcendentes paucis ſic ſtatuimus: Voces poſitiuas *Benemerens*, *Benemeritus*, & contrarias ita componi, vt diuiſae inter ſe partes vſurpentur. Hinc in marmoribus antiquis per duas ſeorſim literas exprimuntur *B. M.* id eſt *Bene Merenti*. Igitur ſi ſuperlatio facienda ſit, tota ſupra Aduerbium *Benè* cadet, non autem ſupra Nomen *Merens*, diceturque *Optimè Merens*, *Optimè Meritus*: Similiter gradus Comparationis (ſed in marmoribus inuſitatus) *Melius Merens*, vel *Meritus*. Id in contrarijs, *Peſſimè Meritus*, *Peius Meritus*, *Minus Meritus*, *Minimè Meritus*. Scio occurri poſſe cum loco Plauti in Aſinaria, Actu III. Scena III. qui vtitur voce *Meritiſſimo*

Meritiſſimo eius quae volet, faciemus.

ſed nihil ad rem. Nam & ſimplex *Meritiſſimus* adiectiuum participium paſſiuum legitur apud Plinium lib. V. Epiſt. XV. Vbi Cornutum laudans, ait: *Quod mihi cognitum eſt, non fama, qua alioqui optima & meritiſſima fruitur; ſed longis, magniſque experimentis*. Et hic apud Plautum *Meritiſſimum* ex nomine ſubſtantiuo *Meritum* per licentiam ab ſe alibi vſurpatam ſuperlatiuum formatum eſt, pro Merito maximo: quod indicat patrius Caſus illi ſubiunctus, *Meritiſſimo Eius.* Sicut in Poenulo dixerat *O Patrue mi PATRVISSIME*. At verò compoſitè *Benemeritiſſimus*, *benemerentiſſimus* nuſquā apud boni ſeculi Auctores, quod adhuc ſciam, reperitur. Imò nec ſimplex ſuperlatiuum, *Merentiſſimus.* Corruptelae igitur dūdum aetatis barbarae. & ab huiuſmodi vocibus, vt à ſcopulis cauendum ex monito Iulij Caeſaris. Subſcripſit nobis Octauius Ferrarius Mediolanenſis, Humaniorum literarum Profeſſor in Gymnaſio Patauino, cuius ſumma auctoritas fruſtra à nobis teſtimonium quaerit, quae ab editis eruditiſſimis operibus iam habet à publica fama elogium in poſteris duraturum.

Haec inter dictandum ſubit in mentem diſputatio ſcioli, qui occurrerat nuper cum ſimilibus, vt putabat, vocibus: *Beneficus* aiebat, *Beneuolus*, *Maledicus* formant comparatiua & ſuperlatiua, ſaluis aduerbijs poſitiuis, *Bene*, & *Malè*: Sic *Beneficentior*, *Beneuolentior*, *Maledicentior*, Et *Beneficentiſſimus*, *Beneuolentiſſimus*, *Maledicentiſſimus*: Cur non ſimiliter, *Benemerentior*, *Benemerentiſſimus*: & *Benemeritior*, Benemeritiſſimus? Verùm Grammaticorum rudimenta ipſa diluunt rationem: Quòd ea tantùm nomina formant eo modo Comparatiua, & Superlatiua, quae ex Verbis componuntur Dico, Volo, Facio. Praetereà Compoſita illa ſunt ex binis vocibus, quae diuidi haud poſſunt, cùm altera corrupta ſit, ideſt *Dicus*, *Volus*, *Ficus*: Non ita in noſtris, quae integrae ſunt, & meliùs diſiunctae leguntur, vt ſupra innuimus. Lege apud Gruterum pag. DCCCV. num. 8. *Piſſimae, Optimè de ſe meritae*. Et DCXXXVIII. 2. *Vxori ſuauiſſimae, & Optimè de ſe meritae*. At *Merentiſſimus* ſuſpectum eſt pluribus locis apud Grut. Item *Meritiſſimus* à poſitiuo *Meritus* actiuae vocis. Meliùs Grut. DCCCCXLVII. 9. *Coniugi ſuae optimae, & meritis ſuis Kariſſimae*.

Non nihilo plus negotij fecerit nobis auctoritas Pontani, qui Hadrianae coniugis Epitaphium ita claudit: *Ioannes Iouianus Pontanus Hadrianae Saxonae Vxori optimae, ac benemerentiſſimae poſuit*. Verumtamen etſi is fuit Pontanus, elegantia, & nitore ſtyli, qualem vèl liuentes Zoili ſignificabant, Ciceroni proximum, calumniantes nimirum, reperiſſe illum in monus Caſinatis non incelebri Bibliotheca volumina quaedam Ciceronis, quae mox paullùm, ſed (quod neceſſe fuit) in deteriorem partem commutata, vt ab ſe compoſita, ediderit: cùm hoc ipſo nos, quòd propria Pontanus, nec ſuppoſititia vlla ediderit, à Cicerone autem deerrauerit: tùm quòd eius aetas (nam tertio ab hinc ſeculo floruit) adhuc rubigine teneretur barbariſmi; niſi ex bona antiquitate promatur exemplum, mendoſam in hac parte locutionem Epitaphij propoſiti, certè quidem ſuſpectiſſimam exiſtimamus. Neque ideo deteritur à nobis quidquam, quod huic à Sebaſtiano Foxio tributum fuit (Elogio allegato ſuprà lib. II. Claſſe IV. Memb. V.) cùm ipſum maximè Ciceronianum iudicauit. Nam ſicut in Liuio deprehenſa Patauinitas, & in Roſcium cadens interdum cruditas, non propterea tantos viros principatu exuit; ita Pontanus & maximè Ciceronianus euadere potuit, vt illo ſeculo; & impuritatem aliquam ex ſeculo ſuo contractam praeſeferre.

CREATVRAE

Membrum V.

CREATVRAE è Graeco verſa vox, τὰ κτίσματα, Latio haud accepta, pro qua commodè redditur *Res creatae*; *Natura rerum*; *Res conditae*; *Dei opera*; *Naturae foetus*; *Rerum formae*; *Conditoris opera*; *Creata*; *Vniuerſitas rerum*; *Opificium Dei* &c. Magnificè Boëtius IV. 6.

Sedet interea Conditor altus
Rerumque regens flectit habenas.

Alibi

-------------- Tu cuncta ſuperno
Ducis ab exemplo, pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum mente gerens.

Rex pſaltes:

Videbo Caelos tuos opera digitorum tuorum.

Manlius I.

---------- Qui primus moenia Mundi
Seminibus ſtruxit minimis, inque illa reſoluit.

& mox:

Quis credat tantas operum ſine Numine moles
Ex minimis, caecoque creatū foedere Mundum?

Iuſtinus Hiſtor. lib. II. de Rege Xerſe: *Denique ante experimentum belli, fiducia virium, veluti Naturae ipſius Dominus, & Montes in planum deducebat, & conuexa vallium aequabat, & quaedam maria pontibus ſternebat* &c. Lactant. Firmianus lib. I. *At ſi concipiat animo, quanta ſit Diuini huius operis immenſitas, cùm antea nihil eſſet: tamen virtute, atque conſilio Dei ex nihilo eſſe conflatam* &c. Petrus Io. Perpinianus Orat. de Deo Vno & Trino, loquens de Patre, *Fons*, inquit, *non ſolùm omnium rerum, quae factae ſunt, ſed etiam Filij, & Spiritus ſancti.* M. Antonius Muretus Orat. I. de laudib. Theologiae: *Quis neſcit, quantopere ſe in perſcrutandis Rerum principijs veteres Philoſophi torſerint.*

FECIT FACERE, FECIT FIERI.

Membrum VI.

A Formula illa *Fecit facere*, *Fecit fieri*, Tabellionibus noſtratibus perquàm familiari, malumus Elogium ieiunum eſſe: Non quia omnino barbara Latinis, aut ſuſpecta, vt quidam contendunt, quia è Graeco petita (vt obſeruat Aldus in Incert. Sall.) ſiquidem hac de cauſa pleraque Latinorum nutauerint, inſititia ex Graecis. Verbum autem *Facio* cum alterius verbi modo Infinitiuo vice Subiunctiui cum *Vt* nonnunquam reperiri apud probatos Latinorum Scriptorum, monet eruditus Antonius Mucinus in ſua Syntaxi. Inde eſt illud Macrobij lib. I. Satur. *Menſe Martio mercedes exſoluebantur magiſtris, quas completus annus deberi fecit.* Et illud Tibulli:

Securum in tenebris me facit eſſe Venus.

& Salluſtij in Incert. *Quae audita Panhormitanos dedere Romanis fecere*: Et Ciceronis de Natur. Deor. *Plato facit Mundum aedificari à Deo.* Ibidem: *Quem* (Herculem) *tamen Homerus conuenire apud inferos facit ab Vlyſſe, ſicut caeteros, qui exceſſerant vita.* Etſi Ciceroni his locis verbum *facit* vſurpatur pro *fingit*: alibi tamen pro efficit: II. de leg. *Muſica incitat languentes, & languere facit excitatos.* Et II. Academ. quaeſt. *Facias eſſe ei locum.* Et de Optim. *Plato facit Iſocratem laudari à Socrate.* Quemadmodum ergo Verbum *Facio* cum alterius infinitiuo rectè committitur, cui non ſubeat ſuſpicio & cum proprio? Quare non auſim ipſe in propoſitis formulis *Fecit facere*, *Fecit fieri*, cenſuram interponere barbariſmi; ſed neque Latinitatis fidem, quouſque offendam bonorum auctoritatem, quam quidem hactenus deſidero. In Elogio autem multò ſecus; quippe niſi formulas in antiquis marmoribus florentis ſeculi vſitatas, nec Latinas tantùm, non admiſerim; cum certè occurrant permultae, quae phraſeos illius neceſſitate nos ſoluunt, & noſtrae ſententiae maiore ſimul cum dignitate expromendae modum ſuggerunt.

Siquidem duae illae à Grutero citatae, altera

pag.

pag. CLIX. num. 4. Altera pag. CLXIV. n.4. vbi retinetur verbum *fecit* auctoritatem exempli non facilè mereri produntur ipſa conditione ſeculi, quo natae ſunt. Vtramque citabimus totam, vt ſtudioſorum vtilitati fiat ſatis. Prior Emeritae legitur, videlicet:

CCCCLXII.

IMP. CAES. FLAVIVS
CONSTANTIN. AVG
PACIS . ET . IVSTITIAE
CVLT. PVB. QVIETIS
FVND. RELIGIONIS
ET. FIDEI . AVCTOR
REMISSO . VBIQVE
TRIBVTO . FINITIME
PROVINC. ITER
RESTAVR. FECIT
C. XIIII

Quod quidem ſeculum ab aureo quantùm receſſerit, nemo neſcit. Sed poſterioris ſeculum planè plumbeum indicat horror ipſe characteris, ne dum nota temporis

CCCCLXIII.

IVDICIO . PRINCIPALI . D. D. D. N. N. N
VALENTINIANI . VALENTIS . ET . GRATIANI
PRINCIPVM . MAXIMORVM . DISPOSITIONE . ETIAM
INLVSTRIS . VIRI . VTRIVSQVE . MILITIAE . MAGISTRI
COMITIS . FOSCANVS . PRAEPOSITVS . LEGIONIS . I
MARTIORVM . VNA . CVM . MILITIBVS . SIBI . CREDITIS
HVNC . BVRGVM . CVI . NOMEN . COMMERCIVM . QVA
CAVSA ET. FACTVS. EST. A. FVNDAMENTIS. ET. CONSTRVXSIT
ET . AD . SVMMAM . MANVM . OPERIS . XXXXVIII
CONSVLATV . D. N. GRATIANI . AVG. II. ET
PROBI . V. C . FECIT . PERVENIRE

Nitidius multò eſt marmor Hiſpanicum, quamquàm ſuſpectum de fide antiquitatis, quod inter Spuria refert Gruterus pag. XII. num. 1. videlicet:

CCCCLXIV.

C. TERENT. T. MAR. F. PATRI
CIA. ROMANOR. GEN. ORTVS
PROH. DOL. HEIC. TAM . LONGE
MALO . COELI . CONTAGIO . CE
CIDI . M. MART. P. MART. PA
TRVEL. PIENTISS. CVM . IN
FAMIL. TERENT. ADOPT
QVOD . EGREGIE . SVB . C. CAESA
RE . MILIT. ISTO . LOCARI . TVM ⋆ TVM. i. e. *Tumulo*
FEC. VIX. AN. XXXVIII ⋆ FEC. *Fecit*
M. IIII. DIES . X . HORAS . SCIT
NEMO

Vbi diſtractio verborum cum interpoſito *Tumulo* emollit phraſim, & oculis conciliat, vt in exemplum dignum ſit proponi.

Nos autem elegantiores, atque vſitatiores formulas ex antiquitate promamus. Sed prius neceſſum eſt, hoc ipſum verbum *Facio* cum Infinitiuo quid ſibi tandem velit, inſpicere: Non aliud profectò praeter operam quandam impenſam, vt aliquid efficeretur. Porrò, inquam, haec opera aut iuſſu conſtitit, aut tantummodò

cura : ipſa autem cura aut in conſilio poſita, aut amplius aere. Si ergo iuſſu (Principum virorum, aut Magiſtratuum, aut imperium habentium) commodius inſeruient Iubendi Verba, videlicet, *Iubeo*, *Mando*, *Impero*, *Praecipio* &c. vt *fieri iuſſit*, *refici mandauit*. Sin cura,ideſt conſilio ; ipſum equidem verbum *Curo* ſupplebit cum paſſiuo participio futuri temporis, aut infinitiuo paſſiuo praeſentis, *Faciendum curauit*, *Fieri curauit*. Tandem ſi aere, dic, *ſua fecit pecunia*, *impenſa*, *largitate*; *ſuo fecit ſumptu*, *aere*; *de ſuo fecit*, *de proprio*. Sin & iuſſu (cui ſubeſt conſilium) ſimul & ſumptu, abſolutè dixeris *Fecit*, *Refecit*, *Fundauit*, *Condidit*, *Reſtituit*, *Poſuit*, aut aliter pro qualitate, ac ratione Operis. Siquidem Architectorum ingenium, Fabrorum induſtria, labor Operarum in id genus monumentis ſubintelligitur ; neque qui feciſſe inſcribitur aliquid memorandum, creditur manus ipſe ſuas admouiſſe operi. Quòd ſi iuſſu vnius, alterius autem cura, rectè dicetur, ille iuſſiſſe, hic curaſſe, ſeu *hoc curante*, aut *curatore*.

PARADIGMATA ex antiquis Inſcriptionibus.

I. Et primò Verbi *Iubeo*. Apud Gruterum pag. CXLIX. num. 6.

CCCCLXV.

P. PVBLILIVS . ANTHVS
VI . VIR . AVGVSTALIS
CVRIBVS . SABINIS
TESTAMENTO . FIERI . IVSSIT &c

nam reliquum Inſcriptionis non neceſſarium ſupprimi iubet propoſita breuitas.

Apud eundem pag. CLII. num. 3.

CCCCLXVI.

ARIVS (&c.) TESTAMENTO . STERNI
IVSSIT . IN . QVOD . OPVS . EROGATA
SVNT . H-S. XXX

Et pag. CLIX. num. 9. citamus totam,

CCCCLXVII.

MELIA . ANNIANA . IN . MEMOR
Q. LAEPICI . Q. F. SER. BASSI
MARITI . SVI . EMPORIVM . STERNI . ET
ARCVM. FIERI . ET. STATVAS. SVPERPONI
TEST. IVSS. EX. HS. DCDXX. PR

* *teſt. iuſ.* ideſt *teſtamento iuſſit*

Item pag. CLV. num. 1.

CCCCLXVIII.

IMP. DOMITIAN. &c. OPVS
PATERN. NEQVITIA. PV
BLICANOR. INFECTVM. EA. GENTE
MALE. MVLCTATA. ET. OMNI. IN. PO
STERVM. MVNERE. PVBLICO. PRIV
CONFICI . IVSSIT
LXXXVIII

His ſequentes tres ſubijcimus è recentibus, nihilo minus probandas, quas citat Franc. Suueertius in Select. Chriſt. Orb. delicijs, ſub titulo Roman. In Capitolio ad Herculis ſignum

CCCCLXIX.

PAVLO III. Pont. Max. Bernardinus Victorius, Laurentius Vellius, Valerius Valentinus Conſeruatores ſignum Herculis in ruinis Tēpli HERCVLIS VICTORIS in foro Boario repertū Gloriae Populi Rom. Et memoriae veterum artificum hic reponi Iuſſerunt Anno Chriſti MDXLI

Ad Diuae Mariae Maioris Inſcriptio Obeliſci ante Aedem

CCCCLXX.

SIXTVS. V. PONT. MAX
Obeliſcum Aegypto aduectum
Auguſto in eius Mauſolaeo
Dicatum
Euerſum deinde & in plures
Confractum partes
In via ad S. Rochum iacentem
In priſtinam faciem reſtitutum
Salutiferae Cruci felicius
Hic erigi iuſſit
Anno MDLXXXIX. Pontif. III

Et ante Diuae Mariae de Populo nuncupatae, alterius Obeliſci Inſcriptio

CCCCLXXI.

SIXTVS. V. PONT. MAX. Obeliſcum hunc à Caeſare Aug. Soli in Circo Maximo. ritu dicatum impio miſeranda ruina fractum ob rutumque erui transferri Formae ſuae reddi Crucique inuictiſs. dedicari Iuſſit Anno Domini MDLXXXIV. Pontif. III

Addimus

Addimus recentiorem Franciſco Pola Auctore, Veronae poſitam ad alueum fluminis amplificatum prouidentia Praetoris: quae certè dignitatem proſae orationis cum amoenitate poetica temperatam exhibet, vt Elogium Epigrammatis cognatum vèl inde intelligatur

CCCCLXXII.

Qui iſtuc praeterfluis
ATHESIS
Liberiore poſthac pede
Currito
Io. Maripetrus PR. Veronae * i. e. *Praetor*
Sic iubeo

Sic Verbi *Mando*, Inſcript. antiq. apud Gruter. pag. CLXVIII. num. 4. Videlicet:

CCCCLXXIII.

IVL. NEMESIVS. NOMENTAN. VICE. M. AVREL
IMP. SACRA. BETICAM. GVBERN. PRAETORIVM
IN. VRBE. MVNDA. QVO. PATRES. ET. POP. OB. REMP
RITE. ADMINIST. CONVEN. FIERI. MAND * i. e. *mandauit*

Sic *Impero* in antiquo marmore, quamquàm non boni ſeculi; tolerando tamen, nec imitatione indigno; apud Gruter. pag. CLVIII. num. 9.

CCCCLXXIV.

GALIENVS. IMP. CAES
AVG. CLEMENS. PIVS
VRBE. AEDIF. RESTAVR
AD. BONVM. ITAL. GAL
HISP. PVBLICVM. CON
VERSVS. HOC. ITER. VA
RIE. PER. PROVINC
INTERRVPT. REFICI
IMPERAVIT
LXXXVIII

Item apud eundem, pag. XXV. num. 3.

CCCCLXXV.

SIL. PETRONILIA. M. AN. IANVARII
COIVX. GRAVISS. EX. TT. SS. HH....
VT. IVNONI. PRONVB. SVAE. VIRG
EREPTAE. PRIM. AEDES. MAR
CONSTRVATVR. IMP * i. e. *Vt conſtruatur imperauit*

Cum infinitiuo idem verbum vſurpauit L. Florus melioris ſeculi ſcriptor, lib. IV. ſuae Epitomes cap. vltimo, de Octauio Caeſ. *In hos (Illyrios) expeditionem ipſe ſumpſit, fierique pontes imperauit.*

Sic *Praecipio* apud eūdem pag. MLXXX. n. 4.

CCCCLXXVI.

NAERATIVS. SCOPIVS. V. C
CONS. CAMP
AD. SPLENDOREM. VRB
NOLANAE. CONSTITVI
PRAECEPIT

II. Secundò, Verbi *Curo*, vt Inſcriptione apud Grut. pag. CXLIX. num. 7. quae à nobis quoque lecta eſt, cum à Foro Sempronij Eugubium peteremus (itinere prorſum inauſpicato, ac Diris inſeſſo) quà mons excauatus à Caeſare Veſpaſiano ad paſſus ducentos in modum Arcus, ac fornicis, nomen vulgò horridum habet, *Forlo*, fortaſſis, vt ſentit Gruterus, quaſi *Forulum*. Ea verò eſt

CCCCLXXVII.

IMP. CAESAR. AVGVSTVS
VESPASIANVS. PONT. MAX
TRIB. POTEST. VII. IMP. XXVIII.
COS. VIII
CENSOR. FACIVND. CVRAVIT

Illa multò vetuſtior eſt, apud Grut. pag. CLX. num. 3. duobus abſoluta verſibus, hoc eſt:

CCCCLXXVIII.

L. FABRICIVS. C. F. CVR. VIAR
FACIVNDVM. COERAVIT

* *cur. viar.*, i. e. *curator viarum*
* *coërauit*, antiquis pro *curauit*

Similis altera ibid. CLII. 2.

CCCCLXXIX.

M. ARRIVS &c
M. SEXTIVS &c. DVOVIRI &c
VIAM. FACIVND. ET. REFICIVND
COERAV

* *faciundam, reficiundam*
* *curauere*

Eadem phraſis ibid. pag. CL. num. 1.

CCCCLXXX.

CRVSTIVS &c. L. OCTAVIVS &c
VIAM. INTEGENDAM
CVRAVER

* *curauerunt*

Hactenus *Curo* cum Participio futuri paſs. Deinceps cum Infinitiuo praeſentis paſs. Apud eundem Grut. pag. CL. 8.

CCCCLXXXI.

P. SCAPTIVS. P. P. GABINAM
VIAM. ORNARI. AC. REFICI
SVA. IMPENSA. CVRAVIT

Curantis eſt forma illa in Inſcriptione molis ſepulcralis Ceſtij Romae, in ea pyramidis parte, quae orientem ſpectat, videlicet:

CCCCLXXXII.

OPVS. ABSOLVTVM. EX. TESTAMENTO. DIEBVS. CCCXXX
ARBITRATV
PONTI. P. F. CLA. MELAE. HEREDIS. ET. POTHI. L

citatur à Grut. pag. CLXXXV. num. 2. Conſule Theſ. Ling. Lat. in voce *Arbiter*, vbi *Arbitrari*, inquit, *aliquando eſt conſtituere, modumque & rationem, quaſique formam operis faciundi delineare, & praeſcribere. Inde apud Comicos ſaepe Tuo arbitratu id fiat*, *i. e. vt tu formam operis faciundi dederis.*

III. Tertiò, quando cura cum aere committitur. Vt ibi CL. 4.

CCCCLXXXIII.

AVGVSTALES. VI. VIR. &c
VIAM. LONG. P. ∞CLXV. EX. D. D
OB. HONOREM. SEXVIRATVS
SVA. PECVNIA. SILICE. STERNEND
CVRARVNT

& MLXXVIII. 12.

CCCCLXXXIV.

L. POMPONIVS. L. F
ANNIANVS
VIAM. DE. SVA. PECVNIA
STERNVND. CVRAVIT

& illa cum formulae eiuſdem compendijs, pag. CLIX. num. 11

CCCCLXXXV.

P. M. SALONIEI. TI. F
AED
PAVIMENTVM
D. S. P. F. C

* *Aed.* i. e. *Aedilis*
* *D.S.P.F.C.* i. e. *de ſua pecunia faciendum curauit. ſunt hae notae ſolemnes*

Saepe

Saepe alibi occurrit F. C. ideſt *faciendum curauit*: Et P. C. *ponendum curauit*.

IV. Quartò, non priuato ſolùm aere, ſed quandoque publico, vt habetur ſequenti Inſcript. ex Grut. CLII. 7.

CCCCLXXXVI.

SENATVS
POPVLVSQVE
ROMANVS
CLIVOM
MARTIS
PECVNIA . PVBLICA
IN . PLANITIAM
REDIGENDVM
CVRAVIT

* *Cliuom* antiq. pro *cliuum*

V. Quintò, nonnunquam ſupprimitur Verbum *Curo*, vt Opus dicatur factum pecunia. Probant marmora bonae notae ex Grut. pag. CLXXII. 14.

CCCCLXXXVII.

CN. SVLPITIVS . CN. F. RVF. IIIIVIR
IVR. DIC. SVBLAQVEAVIT . TRABES.
TECTI . FERRO . SVFFIXIT . LAPIDE
STRAVIT . PODIO . CIRCVMCLVSIT
SVA . PECVNIA

Item CL. 5.

CCCCLXXXVIII.

IMP. CAESAR . &c. SEPTIMIVS . SEVERVS . &c
IMP. CAESAR. M. AVRELIVS. ANTONINVS . &c
VIAM . QVAE . DVCIT . IN . VILLAM . MAGNAM
SILICE . SVA . PECVNIA . STRAVERVNT

& DCCCIII. 5.

CCCCLXXXIX.

MAECILIAE . P. F. HERENNIANAE
T. AELIVS . CLODIANVS . VXORI
CARISSIMAE . ACCEPTO . LOCO
AB . SPLENDIDISS. ORDINE
SIARIENSIVM . PECVNIA
SVA . POSVIT

Inter Inſcriptiones ſacroſanctae vetuſtatis editas Ingolſtadij Anno MDXXXIV. occurrit haec apud Faliſcos reperta, quam Franciſcus Suueertius in Select. Delic. teſtatur in Via Flaminia legi, ſupra Fontem. Videlicet:

CCCCXC.

LYMPHAE . MATRI . SACRVM
SI . HVMANO . INGENIO . PERPETVO
VIATORIBVS . PARARI . VINA
POTVISSENT . NON . AMOENVM
QVEM . CERNITIS . FONTEM . AQVARVM
C. LEPIDVS . MAGNA . IMPENSA
ADAVXISSET
POTA FELIX

Hanc etſi forte ſpuriam, & ſuppoſititiam Gruterus cenſet, exemplum tamen agnoſcimus imitandum. Adde & illas, quae multiplicem modum tractandae eius ſententiae ſuppeditabunt. Apud Grut. pag. CCXLVII. num. 6.

CCCCXCI.

IMP. CAESARI . DIVI . NERVAE . F. NERVAE
TRAIANO . OPTIMO . AVG. GERMANIC
DACICO. PONT.MAX. TR. POT. XVIIII. IMP
COS.VI. P. P. PROVIDENTISSIMO.PRINCIPI
SENATVS . P . Q. R. QVOD . ACCESSVM
ITALIAE . HOC . ETIAM . ADDITO . EX
PECVNIA . SVA . PORTV . TVTIOREM
NAVIGANTIBVS . REDDIDERIT

& ibid. pag. CCCCXXII. num. 9.

CCCCXCII.

IVLIAE . LVCILIAE
L. IVLI. IVLIANI. FIL
PATRONI . MVNICIPI
CVIVS . PATER
THERMAS . OCRICVLA
NIS . A . SOLO . EXTRVCTAS
SVA . PECVNIA . DONA
VIT
DECVR. AVG. PLEPS
L. D. D. D

* municipi, i. e. *municipij*; *I.* pro *II.*

Illuſtrat memoriam noſtri temporis vetus Inſcriptio in baſi marmorea è ruderibus nuper effoſſa ad radices Pyramidis ſepulcralis C. Ceſtij in Vrbe ad Portam vulgò Diui Pauli, cùm iuſſu ALEXANDRI VII. Pont. Max. (cuius Regnum diuturnum, fortunatumque vouemus) altè

altè egeſta humo perquireretur ſtereobata eius Pyramidis in angulo, qui intra Vrbis moenia procurrit. Tres enim reliqui ambitu moenium excluduntur. Eſt autem huiuſmodi;

CCCCXCIII.

M. VALERIVS. MESSALLA. CORVINVS
P. RVTILIVS. LVPVS; L. IVNIVS. SILANVS
L. PONTIVS. MELA. D. MARIVS
NIGER. HEREDES. C. CESTI. ET
L. CESTIVS. QVAE. EX. PARTE. AD
EVM. FRATRIS. HEREDITAS
M. AGRIPPAE. MVNERE. PER
VENIT. EX. EA. PECVNIA. QVAM
PRO. SVIS. PARTIBVS. RECEPER
EX. VENDITIONE. ATTALICOR
QVAE. EIS. PER. EDICTVM
AEDILIS. IN. SEPVLCRVM. C. CESTII
EX. TESTAMENTO. EIVS. INFERRE
NON. LICVIT

VI. Sextò, Pecuniae mentio fit interdum cum verbo *Facio*. Sic apud Grut. pag. CLI. num. 3.

CCCCXCIV.

. . . . VIAM. SVESSANIS
MVNICIPIBVS. SVA. PEC. FECIT

ibid. num. 2.

CCCCXCV.

IMP. CAESAR &c. NERVA. TRAIANVS &c
VIAM. A. BENEVENTO. BRVNDVSIVM
PECVN. SVA. FECIT

& CLXXXII. 6.

CCCCXCVI.

L. GRAVIVS. SEIO
LACVM. IMPENSA
SVA. FACTVM. DEDIT
DONAVIT

& CLXVIII. 10.

CCCCXCVII.

ATTIA. SACRATA
C. F. PROSCOENIVM
VETVSTATE. COR
RVPTVM. DE. SVO
RESTITVIT

Digna, quae inter haſce cenſeatur Graeca Inſcriptio (citatur inter Sacroſ. vetuſt. Inſcript.) videlicet:

CCCCXCVIII.

ΘΕΟΙΣ
ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ. ΚΑΙ. ΤΩΙ
ΤΙΩΙ. ΕΡΩΤΙ. ΔΙΟΝΥΣΟΣ
ΚΑΙ. ΔΗΜΗΤΡΑ. ΕΚ
ΤΩΝ. ΙΔΙΩΝ. ΜΗΤΡΙ
ΣΥΜΠΑΘΕΣΤΑΤΗΙ

ideſt

DIIS
VENERI. ET
FILIO. CVPIDINI. BACCHVS
ET. CERES. EX
PROPRIIS. MATRI
DILECTISSIMAE

VII. Quoniam verò opera huiuſmodi non manu, ſed cura ſimul, & pecunia memorati hominis ſubintelligimus facta, elegantiùs idcirco exprimetur ſententia per abſolutum actionis Verbum, vt ſubiecta docent exempla ex antiquitate lecta, videlicet

Primò per verbum *Facio* apud Gruterum pag. I. in fronte celeberrimi Templi, cui nomen *Pantheon*, pedalibus literis ita inſcriptum legitur

M. AGRIPPA. L. F. COS. TERTIVM. FECIT

& pag. CLII. num. 5. apud eundem

CCCCXCIX.

HANC. VIAM
AVG
L. LVCRETIVS. DENSVS
FECIT

pag. item CLV. num. 9.

D.

IMP. CAESAR. NERVA. TRAIANVS &c
FECIT
AB. AVGVSTOBRIGA

nomen hic Vrbis indicat, à qua duxit, muniuitquè viam. Pagina verò CLI. num. 1. participio vtitur verbi *Facio* in ſuperiorem ſenſum, videlicet

DI.

NVMINI. AVGV
STORVM
VIA. FACTA. PER
C.. VIR.... VM. PATERNVM
II. VIR. COL. HELVET

Deinde

Secundò per *Reficio*, apud Gruterũ pag. CLIV. in Columna Milliaria primi lapidis, Romae

D I I.

IMP. NERVA . CAES.
REFECIT

& pag. CXCV. n. 11.

D I I I.

P. POMPONIVS. CORNELIANVS
ET . IVLIA . MAGIA . CVM
IVLIANO . ET . MAGIANO
FILIIS
A . SOLO . REFECERVNT

Tertiò per *Reſtituo* ibid. pag. CLI. num. 4.

D I V.

IMP. CAES. &c. M. AVRELIVS
ANTONINVS . PIVS &c. VIAM
INVNDATIONE . AQVAE . IN
TERRVPTAM . . RESTITVIT

Ita alibi VIAS . HERCVLIS . OB . TERRAEMOTVS . EVERSAS . RESTITVIT A . FVNDAMENTIS.

Quartò per *Reficio*, & *Reſtituo*, ibidem pag. CLIII. num. 3.

D V.

TI. CAESAR . DIVI . AVG. F. PONTIF
MAX. TRIB. POT. XXI. REFECIT
ET . RESTITVIT

Vt autem haec duo diſtinguantur alterum ab altero, conſule Theſaurum lin. lat. Hìc certè ſynonyma haud quaquam cenſenda eſſe breuitas ipſa Inſcriptionis perſuadet.

Quintò per *Facio*, ac *Reſtituo*, ibi paſſim, ſed praecipuè pag. CLXXVI. num. 5.

D V I.

TI. CLAVDIVS . DRVSI . F. CAESAR . AVGVSTVS . GERMANICVS
PONTIFEX. MAXIM. TRIB. POTEST. V. IMP. XI. P. P. COS. DESIG. IIII
ARCVS . DVCTVS . AQVAE . VIRGINIS . DISTVRBATOS . PER . C. CAESAREM
A . FVNDAMENTIS . NOVOS . FECIT . AC . RESTITVIT

Sextò per *Orno*. ibid. pag. CLXXIIX. num. 4.

D V I I.

CONSTANTIVS . ET . . MAXIMIANVS
INVICTI . AVGG
SEVERVS . ET . MAXIMIANVS
CAESS
THERMAS . ORNAVER. ET
ROMANIS . SVIS . DEDICAVER

Septimò per *Praeſto*, & *Do*. ibid. pag. CLI. num. 6.

D V I I I.

CL. POSTHVMVS . DARDANVS . VI. NP. ET . PA
TRICIAE . DIGNITATIS . EXCONSVLARI . PRO
VINCIAE . VIENNENSIS . EX . MAGISTRO . SCRI
NI . LIB. EXQVAEST. EXPRAEF. PRAET. GALL. ET
NEMA . . . . . GALLACIAE . ET . INL. FEM. MATERFAM
EIVS . LOCO . CVI . NOMEN . THEOPOLI . EST
VIARVM . VSVM . CAESIS . VTRINQVE . MON
TIVM . LATERIBVS . PRAESTITERVNT . MVROS
ET . PORTAS . DEDERVNT . QVOD . IN . AGRO
PROPRIO . CONSTITVTVM &c

Octauò

Octauò per *Amplio*, *Termino*, pag. CXCVI. num. 4.

D IX.

TI. CLAVDIVS . DRVSI . F. CAISAR &c
AVCTIS . POPVLI . ROMANI . FINIBVS
POMERIVM . AMPLIAVIT . TERMINAVITQ

Nonò per *Erigo*, pag. CLXXXV. num. 6. Eſt Tetraſtichon Graecè inciſum Columnae, ſeu Obeliſco, Conſtantinopoli, de ſeculo quidem plumbeo, ſormula tamen loquendi aurei tenax ſeculi, certè quidem in rem noſtram. Eius interpretationem ad verbum ſic habe:

D X.

COLVMNAM . QVADRILATERAM . HVMI . SEMPER . IACENS . PONDVS
SOLVS . ERIGERE . THEODOSIVS . IMPERATOR
AVSVS . ET . PROCLVS . ACCERSITVS . AC . TANTA . ERECTA . EST
COLVMNA . INTRA . DIES . TRIGINTA . DVOS

Videſnè, vt actio erigendi per Architectos, fabros, operas praeſtita attribuitur illi, cuius fuerat iuſſus, & impenſa? Eodem modo procedunt aliae Inſcriptiones per alia verba, vt illa apud Gruterum pag. CLII. num. 6.

D XI.

CLIVVM . MARTIS . PER . PVBLICA.....
IN . PLANITIEM . REDEGERVNT
S . P . Q . R

Et pag. CLXXX. num. 3.

D XII.

C. MARIVS . DRVSVS . C. F. PR. PR
DICTVS . EX . PROVINCIA . DACICA
TRIBVNVS . LATICLAVIALIS . PRAEF
LEG. XIII. G. FONTIVM . AQVARVMQ
COELESTIVM . EX . MONTIB. DELABEN
TIVM . TORRENTI . SVFFLAMEN . HIS
MVRIS . FOSSAQ. OPPOSVIT . ET . AD
PLANA . PERDVXIT

Licet hanc formulam ex Poëtis addiſcere, vt Aeneid. lib. VI. de Miſeno

At pius Aeneas ingenti mole ſepulcrum
Impoſuit, ſuaque arma viro, remũque, tubamque
Monte ſub aërio, qui nunc Miſenus ab illo
Dicitur, aeternumque tenet per ſecula nomen.

& quidem imponere ſine aliena non poſſet opera, mole quippe ingenti; cùm idem ipſe per ſe Caietae ſuae componere valuerit aggerem tumuli. Hinc in monumentis defunctorum ſolemne eſt verbum *P.* aut *Poſ.* aliquando *Poſs.* ideſt *Poſuit*, *Poſuerunt*, per manus certè alienas, non ſuas: Neque enim par negotium ex Pario marmore immanem attollere Pyramidem ſepulcralem, atque ramis buxi fragilibus, palmitibuſue, aut hedera tumulum leuis ceſpitis adornare, vt in Alcimum canit Martialis.

VIII. Quemadmodum exprimitur nonnunquam, priuata, an publica pecunia ſtet opus; ita ſi aliena intercedat cura, ne debitus cuique honor denegetur. Probat Inſcriptio vetus, quamquam non boni ſeculi apud Gruterum pag. CLI. num. 5.

D XIII.

IMP. CAESAR . C. IVLIVS . VERVS . MAXIMINVS . PIVS &c
ET . C. IVLIVS . VERVS . MAX . NOBILISSIMVS . CAESAR &c
VIAS . ET . PONTES . TEMPORE . VETVSTATIS . COLLAPSOS
RESTITVERVNT
CVRANTE . Q. DECIO . LEG. AVGG

IX. *Facere per aliquem*, hoc eſt alicuius curâ, ſeu, vt in ſuperiore marmore, curante aliquo, habetur apud Gruterum pagina XIII. num. 11.

D XIV.

IOVI
IMP. VESPASIANVS
AVG
PER . COLLEGIVM . PONTIFICVM
FECIT

X. De

X. De his,qui nihil praeter curam ex officio attulerunt, ſic habent ferè marmora, vt apud Grut. pag. CXCIII. num. I.

DXV.

POSTVMIVS
LAMPADIVS
V. C. CONS. CAMP
CVRAVIT

Ibid. num. 7.

DXVI

FABIVS . TITIANVS
V. C. CONSVL
PRAEF. VRB
CVRAVIT

Veterum imitatores non paucos è recentibus Elogiaſtis euaſiſſe ad inuidiam antiquitatis, ſi quis auet cognoſcere,adeat Franciſcum Suueertium in Selectis Chriſtiani Orbis Delicijs, in primis ſub titulo primo Romanorum monumentorum. Alias verò ſubijcere delicias hoc loco haud pigebit, nondum praeſertim (quod ſciamus) publicae luci expoſitas, ne latitent, aut pereant dignae oculis poſterorum. Videlicet.

Mediolani in tranſitu Sponſae Regiae

DXVII.

SERENISS . MARGARITAE . AVSTRIAE
HISPAN . MAXIMAE . REGINAE
INTER . NVPTIALES . POMPAS . ET MVLTIPLICATA . OBSEQVIA
TEMPVS . ETIAM . CEDERE . IVSSIT
IOANNES . FERNANDEVS . VELASCHIVS . CASTELLAE . COMESTABILIS
LXIII . DIERVM . SPATIO
EXTRVCTO . AMPLISSIMO . THEATRO
RECONCINNATA . DOMO . REGIA
DVCTIS . FONTIBVS
AEDIFICATIS . PORTICIBVS
APERTISQVE . VIIS
VT . NON . SOLVM . CORPORIS . OCVLIS
SED . ETIAM . ANIMI
MOLIVM . MAGNITVDO . HOSPITII . MOLES
HOSPITVMQVE . PRINCIPVM . MAIESTAS
DVM . MAXIMA . IPSE . MOLITVR
AB . OMNIBVS . COMMODE . CONSPICI . POSSET
ANNO . MDXCVIII

En tibi hic tam multa iuſſu illius, ſed opera aliena, *extructo*, *reconcinnata*, *ductis*, *aedificatis*, *apertis*. Ibidem ad matrem Sponſae.

DXVIII.

IN . COMMENDATIONE
SERENISS . MARIAE . BAVARIAE
ARCHIDVCI . AVSTRIAE
PROPRIA . ET . TANTAE . FILIAE . PIETATE
FELICIS
MAXIMAM . GLORIAM
MEDIOLANENSES . CONSEQVI . POSSE
STATVA . PVBLICE . POSITA
TESTATI . SVNT

Et ad Diuum Celſum in Auguſta aede Diuae Mariae, Vrbis patronae contrà eius Aram magnificum monumentum eſt his literis conſpicuum, Auctore Io. Iacobo Reſta Seniore

DXIX.

ANNIBALI . FONTANAE
MEDIOLANENSI
SCVLPTORI . SVMMO
QVI
VEL . MARMORA . STVPENTE . NATVRA
IN . HOMINES . MVTAVIT
VEL . HOMINVM . SIMVLACRA
IN . MARMORIB . SPIRARE
IVSSIT
FABRICAE . TEMPLI . HVIVS . PRAEFECTI
QVOD . ILLE . SCVLPTILIBVS . SIGNIS
MIRABILITER . ORNAVIT
B. M. POSS
VIXIT . ANN . XXXXVII . OBIIT . AN
∞ DXXCVII

* *Iuſſit* elegantiùs, quàm *Fecit*
* ſua ipſe *ornauit* manu
* *Poſuerunt* pro *Poni fecerunt*

Allaturus

Allaturus hoc loco Inſcriptionem Arcis Fonteiae in faucibus Volturrenae Vallis ad Lacum Larium in Inſubria, praeferendam quaſi facem adputamus eiuſdem Deſcriptionem, quam habet Sigiſmundus Boldonius in ſuo Lario ad ſuccinctae Epigraphes normam, videlicet: *Illum vnum* (tumulum) *arduum prae caeteris, ac difficilem, qui mediam Vallem obſidet, Petrus Enriquezius Mediolanẽſis prouinciae Regius adminiſtrator impoſita munitiſſima arce, quam ex ſuo nomine Fonteiam appellauit, & latè obſtructo molibus aditu aduerſus irrumpentes in Italiam Barbaros firmiſſimum propugnaculum eſſe voluit.* * *Voluit* autem nitidiùs, quàm *Fecit*. Iam accipe Marmoris ipſum monumentum, ex Arcis area ad aedes Praefecti, proſpectuque ſuperbo.

DXX.

D. PETRVS
* ENRIQVEZ. AZEVEDIVS. COMES
* DE . FVENTES
BELLI . DECVS . PACIS . PRAESIDIVM
BELLICIS . TRIVMPHIS . PRISCORVM . DVCVM
AEQVATA . GLORIA
IMMINENTIBVS . ITALIAE . GALLORVM . ARMIS
PACE . FIRMA . REPRESSIS
IMPERII . SVI . DITIONE . AD . TYRRENVM . MARE
NOBILI . ACCESSIONE . PROMOTA
HISPANIS . LEGIONIBVS . NOVO . AD . BELGAS . ITINERE
HELVETIO . FOEDERE . APERTO
EXORTA INTER . FINITIMOS . PRINCIPES . BELLI . FLAMMA . FELICITER . EXTINCTA
HEROICIS . FACTIS . NOMINIS . IMMORTALITATE
PARTA
QVASI . FASTIGIVM
TRANSALPINIS . IRRVPTIONIBVS . QVA . FACILES . PER . RAETIAM
PATEBANT . ADITVS
AVERTENDIS
MVNITISSIMAM . ARCEM . SCOPVLIS . FELICI . CONATV
IMPOSVIT
ANNO . MDCIII

*Expunge τὸ D. & inflecte *Enriquezius*
* Dic *Fonteius*, vel *Fontanus*.

vbi nulla tam grandi Elogio clauſula nobilior, quàm in *Arcem ſcopulis impoſuit*, non ſuis iam manibus, quaſi Gyges centimanus, & quaſi Oſſam Olympo ſuperimpoſuerit: ſed opera aliena; ſuo autem ingenio, conſilio, imperio.

Huc facit, quod Mantuae ſtetit in ludis nuptialibus Eleonorae deſponſae Caeſari ſimulacrum Aethnae montis (qui mons cum Ara Fidei ſummum tenet in gentilitio ſtemmate Ducis Gonzagae) argumentumque fecit, efferens ex multis has etiam Epigraphas duas. Prior erat:

DXXI.

FELICISSIMAE
E L E O N O R A E
AVGVSTARVM . FORTVNATISSIMAE
IN . SVBLIMI . IMPERII . FASTIGIO . OMNIVM . MAXIMAE
MOLEM . HANC . IMIS . TARTARI . FOETAM . IGNIBVS
CAELO . SVBLIMEM
INVICTISSIMVS . MANTVAE . DVX
F E R D I N A N D V S F R A T E R
ARDENTISSIMI . AMORIS . TESTIMONIVM
PONIT

Altera

Altera verò in ſimilem formam deſinens, videlicet:

DXXII.

ELEONORAE . INCLYTAE . FLORENTISSIMAE
QVAE . SVA . FELICITATE . ORBEM . FORTVNAT
AMORE . BEAT
MONTEM . HVNC . TYPHAEI . FLAMMIS . LOCVPLETEM
AMORVM . REGIAM
LVMINOSVM . SVO . SOLI . THEATRVM
AMANTISSIMVS . MANT. DVX
COLLOCAT

Pernobilis illa quoque videtur, & bella in rem noſtram, Auctore Marcello Buttilio, de Raynutio Parmae Duce in nuptialibus ludis,

DXXIII.

BELLONAE . AC MVSIS . THEATRVM
RAYNVTIVS . FARNESIVS
PARMAE . AC . PLACENTIAE . DVX . IV . CASTRI V
AVGVSTA . MAGNIFICENTIA . APERVIT
ANNO . MDCXIX

Nec minus quae in agro Veronenſi ad Atheſim fluuium expoſita fuit Auguſtae tranſmittenti, erecto ad pontem Arcu magnifico, Franciſco Pola auctore; videlicet:

DXXIV.

QVOD . FELIX . FAVSTVMQ. SIT
ELEONORAE . GONZAGAE
AD . AVGVSTAS . NVPTIAS . PROPERANTI
RESP. VENETA
CONSTRVCTO . PONTE . ITER
APERVIT

Operam verò alienam indicat luculenter illa de Coſmo II. Magno Etruriae Duce, Butilio memoratis in Ludis Auctore

DXXV.

ADRVMETVM . APHRICAE . OPPIDVM
NOSTRA . AETATE
MAOMETAM . A . NON . PAVCIS . NVNCVPATVM
QVONIAM . PIRATARVM . ESSET . ASYLVM
EGREGIA . EQVITVM . SANCTI . STEPHANI . VIRTVTE
COSMVS . II
DIRIPVIT . AC . INCENDIT

XI. Elegantiae habet plurimum modus ille metonymicus Adiuncti pro ſubiecto, ſeu (ma-uis) Abſtracti pro Concreto, quem vſurpat in hiſtoria Larij ſui Sigiſmundus Boldonius de Villa Capuana; quam periodum in formam epigraphes compoſitis verſibus ita citamus

DXXVI.

AD . LAEVAM
ELEGANTISSIMOS . RECESSVS . OPPORTVNO . SITV
CONSTRVXIT
ERVDITA . HERCVLIS . SFONDRATI
MAGNIFICENTIA

Non abſimilis fuit dedicatio Regij funeris, Mediolani à Patribus Societatis Ieſu adornati in ſummo Templo, videlicet:

DXXVIII.

ISABELLAE
MAGNAE . HISPANIARVM . REGINAE
REGALIS . MAGNIFICENTIA
HANC . MOLEM
M . P

* *Moeſta Poſuit*

Habet in hanc formam Suueertius in Selectis Delic. ſub titulo Baſilienſium clauſulam Epitaphij metrici proſa perfectam,

DXXIX.

PARENTI . CHARISS
MOESTA . LIBERORVM . PIETAS
AD . DEFVNCTI . MEM
LVCTVSQ. SVI . SOLATIVM
POSVIT

* *Memoriam*

Finitimus ille modus in recenti Epitaphio (citat Suueertius ibi inter Lauretana) ad Sacram Aedem Nazarethanam Virginis Deiparae

DXXX.

PAVLO . V . PONT . MAX
QVOD . OPTIMI . PRINCIPIS . PROVIDENTIA . AQVA . EX . AGRO . RECINETENSI
PVRISSIMIS . EX . FONTIBVS . OPERE . SVBTERRANEO . ET . ARCVATO . IN . VRBEM
LAVRETANAM . DVCTA . EST . SCIPIO . S . R . E . CARD . BVRGHESIVS . DOMVS
LAVRETANAE . PROTECTOR . MONVMENTVM . P
ANNO . MDCXX . PONTIF . XVI

Hic obiter controuertes, an Latinè dixerit Auctor huius Inſcriptionis *Protectorem* Domus Lauretanae: & quidem appellationem ſecutus vulgarem eſt. Nos libentiùs Patronum, aut Praeſidem. Adi infrà Claſſem VII. Tit. *Protectio*, *Protector*.

XII. Tandem ſupprimitur meliùs Verbum, atque adeo nomen operis, nam & illud de facili ſubintelligitur, & hoc praeſens offertur; praeſertim vbi preſſa intenditur breuitas. Eiuſmodi eſt marmor apud Gruterum pag. CXCV. num. 3.

DXXXI.

L. MANLIVS . C . F
FABIANVS
II VIR . D . S . P

* *Duumuir*, *De Sua Pecunia*

Ibidem num. 14. in antiquo Epiſtylio

DXXXII.

ARBITRATV
C. BETVLI . M . F . OVF . ET
ALFI . P . L . PHILOMVSI

* M. F. OVF. *Marci filij Ouſentinae (tribus)*
* P. L. *Publij Liberti*

E recentibus accipe, quemadmodum inſcripſit ſacrum tribunal Confeſſionum è marmore magnificè ab ſe extructum Hieronymus Mercurialis de Ordine noſtro bene meritus in Diui Frigdiani Piſis:

HIERO-

DXXXIII.

HIERONYMVS . MERCVRIALIS
FOROLIV
SVPRAORDINARIVS . MEDICINAE . PROFESSOR
PECCATORVM . EXPIATIONI . D
ANNO . MDCV

Subticuit *hanc Aediculam marmoream*. Sed de hoc infrà copioſiùs lib.IV. de Breuitate Memb.XX.

ROTAE IVDICES & AVDITORES

Membrum VII.

ROTAE IVDICES, & AVDITORES Primùm anceps eſt, tueri in Latinis poſſimus. Itaque ſic putamus diſtingui poſſe: Tribunalia Iudicum ſi alia extent in Ciuitate, pari virorum numero, neque ij certa appellatione ab his diſcreti, admitti quidem licere; vt efferas *Rotae Iudices*, vocem nimirum rei nouae propriam, & ex neceſſitate nouatam. Huic autem ſententiae fauerit Inſcriptio Florentina in Diui Marci, videlicet

DXXXIV.

IO. MARIA . PANLOTIVS . HIC . SITVS . EST . DOMO . EVGVBIA . I. C
CELEBERRIMVS . QVI . CVM . OPERAM . DIV . NAVASSET . DVCI
VRBINATI . PRINCIPI . SVO . ET . IN . ALIIS . ITALIAE . VRBIBVS
PLVRIMORVM . CONTROVERSIAS . SVMMA . CVM . LAVDE . DIIVDICASSET
ACCERSITVS . POSTREMVM . A . COSMO . MEDICE . DVCE
FLORENTINOR . ET . SENENS . PRIMVM . IN *IV . ROTAE . IVDICIB
FVIT . DEINDE . CAVSIS . AVDIENDIS . PRAEPOSITVS . EO . IN
MVNERE . CVM . VALDE . PROBATVS . FORET . OMNIB . VITAM . AMISIT

ANTONIA . BERNA . MOERENS . CONIVGI . CARISS . POS. Θ. IV. KAL.
IANVAR. AN. DOM. MDLXV. VIXIT . ANN. LXII. M. II. D. XX.

Sin minùs, petendum exemplum ex inſcriptione Ferrarienſi apud Suueertium in Select. Delic. poſitam CLEMENTI VIII. Pont. Max. quae eſt Vrbis receptae, atque ordinatae memoria, vbi inter alia habetur: *Quinque Virorum tribunal ad lites iuſte, ac celeriter dirimendas ſtipendijs praeſcriptis erexit*. Multò autem magis abſtinendum à *Rotae* appellatione, ſi, vt monuimus, horum Iudicum numerus alius ſit ab alterius Tribunalis: Nam commodè dicentur V̄. VIRI. IVD. ideſt *Quinqueuiri Iudices*, V̄I. VIRI IVD. *Seuiri Iudices*. Ita I̅I̅I̅. VIRI. I̅V̅. VIRI. *Triumuiri*, *Quatuoruiri* &c. Seu V̄. VIRI. LIT. IVD. ideſt *Litibus iudicandis*. Seu V̄VIRI. IVR. DIC. vel I. D. ideſt *Iuri dicundo*, vel *Iuris dicundi*. Ac modo non abſimili efferri reperimus in Romana Memoria pro *Protonotario participante* (apud Suueert. in Sel. Del.) *Franciſco Barberino VII. VIRO Protonotario* &c. In ſubſtantiuo autem *Quinqueuiratus Iudicum*, ſeu *Litibus Iudicandis* &c. Extat, quam nobis imitandam proponamus, vetus memoria apud Auctorem Inſcriptionum Sacroſanctae vetuſtatis, citata quoque à Grutero pag. CCCLXXV. num. 2.

DXXXV.

L. BELLICIO . L. F. QVARTIONI . DECV
RIONI. IVVAVENSIVM. II. VIR. IVRIS
DICVNDI . VIX. ANN. LVII. SAPLIAE
BELLATVMARAE . CONIVGI
AN. LXII. BELLICIVS . SECCIO . ET
BELLICIVS . ACHILLES . CVM . CON
IVGIBVS . EX . TESTA
MENTO . FACIVNDVM . CVRAVERVNT

Dices itaque *Iuris Dicundi Duumuiros*, *Triumuiros* &c. pro Rotae Iudicibus. Niſi peculiarem id Tribunal poteſtatem habeat, aliam ab veteribus, ſicut fortaſſis habent haec noſtra; proinde adiecto opus eſſe arbitramur *in Rota* puta *Romana*, *Florentina*, &c. Quod didicimus ex marmore recenti, Romae in Diui Ioannis Florentinorum ſub medio Tholi ita deſcripto

DXXXVI.

ALEXANDRO . IVSTO . FLOREN
IN . ROMANA . ROTA . LITIBVS
IVDICANDIS . XII. VIRO
SACRAE . POENITENTIAE . PRAEPOSITO
A . SVMMIS . PONTIFICIB. AD . SVMMAS . RES
FELICITER . ADHIBITO
QVI . CVM . LX. AETAT. ANN. VIXISSET
XL. IN . ARDVIS . APOSTOLICAE . SEDIS
MVNERIBVS . CONSVMPSIT
OBIIT . III. ID. OCT. AB . HVMANA . SAL. MDCIX.

Niſi ſubintelligatur ex loco, vbi monumentum poſitum, aut ex eo, qui munus detulit. vt in Ara Caeli Romae (apud Suueert.) de Nicolao, & Matthaeo *à PAVLO. II. & INNOCENTIO. VIII. Pontiff. Maxx. litibus iudicandis inter Rotae XII. Viros adlectis*.

Auditores autem *Rotae*, & quidem *Romanae* (aliud ab alijs in Orbe Chriſtiano Tribunal, vt curiae Romanae periti docent) Latinè dici videntur poſſe, quamquam ſuperior Memoria Alexandri Iuſti à voce Auditoris abſtineat. Quod nobis probatum facit recens memoria in Templo Diui Philippi Nerij Romae, charactere, vt in Eccleſiaſticis, puro, nec non limato, Quam ex Florauante Martinello in ſua Roma ſacra exſcriptum ita reddimus

DXXXVI.

D . O . M
HIERONYMO . CARD. PAMPHILIO . ROMANO
A . GREGORIO . XIII. INTER . AVDITORES
ROMANAE . ROTAE . ADLECTO
ET . EX . EIVSDEM . TRIBVNALIS . DECANO
AC . POENITENTIARIAE . REGENTE
A . CLEMENTE . VIII.
OLIM . ROTAE . COLLEGA
IN . PVRPVRATORVM . COLLEGIVM . ADSCRIPTO
ET . A . PAVLO . V. AD . VICARII . MVNVS
QVOD . IPSE . PROXIME . GESSERAT . ASSVMPTO
GRATVLANTE . SIBI . VIRTVTE
CVI . DABATVR . QVIDQVID . CONFEREBATVR . IN . VIRVM
QVI . INCORRVPTA . INTEGRITATE . INTIMAQVE . LEGVM . SCIENTIA
HONORES . ET . MERITVS . PRAEVENERAT . ET . PAR . ADMINISTRABAT
OBIIT . AN. DOM. MDCX. AET. SVAE . LXVI
IN . SACELLO . S. PHILIPPI
QVEM . VIVVM . COLVERAT . TVMVLATVS
IO. BAPT. PAMPHILIVS
AB . VRBANO . VIII
CARDINALIS . CREATVS
ET . PAMPHILIVS . FRATRIS . FILII
MONVMENTVM . P. P

Membrum

PRIVILEGIATVS

Membrum VIII.

PRIVILEGIATVS pro eo ſcilicet qui habet priuilegium, impurè effertur. Sicut autem cui Beneficium confertur, Beneficiarius Latinè eſt, vti docet Laurentius Valla lib. I. Cap. VI. ita prorſus cui *Priuilegium*, *Priuilegiarius*: Sed Voſſius aliunde petit analogiam, vtrùm appoſitè, alienum fuerit iudicium. Pro ea tamen voce citat locum Vlpiani L. X. D. De pactis, ſic habentis: *Sed an & priuilegiarijs abſentibus haec pactio noceat?* & alterũ L. XXIV. §. Vltimo D. de rebus auctor. iud. *Eorum ratio potior eſt creditorum, quorum pecunia ad Creditores priuilegiarios peruenit.* Hinc dicti ſunt Milites priuilegiarij, qui nimirum officio vacabant. *Priuilegia* quoque pro priuilegiarijs creditoribus efferri poſſe obſeruat Voſſius ex L. VII. §. *Quoties D. Depoſ.* & aliunde. Cui formae ſuffragabimur nos perſimilibus alijs; nam *Seruitia* Latinè & nitidè vſurpamus pro Seruis, & *Myſteria* pro Myſterij miniſtris, ſeu Sacerdotibus. Haec autem plurali dumtaxat numero: aliud namque eſt Priuilegium, ſicut & ſeruitium & Myſterium. *Operas* autem, & aliquando *operam* dicimus, cum operarios ſignificamus. Ac de *Operis* quidem extat memoria ſequioris ſeculi apud Gruterum pag. CLXIV. num. 4., quam ſuperiùs Membro VI. citauimus IVDICIO PRINCIPALI. &c. De *Priuilegiario* autem *milite* habes epitaphium apud Gruterum pag. DLI. num. 3.

DXXXVII.

C. LVCILLIVS . C. F. VEL . VINDEX . MILES . COHOR. VI. PRAET
VIXIT . ANN. XXX. MILITAVIT . ANN. XII. PRINCIPALIS
BENEFICIARIVS . TRIBVNI . DEINDE . OPTIO
IN . CENTVRIA . HOC . TESTAMENTO . FIERI
IVSSIT . HONORIS . PIETATISQVE . CAVSA
SIBI . ET . C. LVCILLIO . SECVNDO . PATRI . ET
FLORENAE . FELICITATI . MATRI . ET
LVCILIAE . SVAE . AVIAE . EX . H. S. ∞ ∞ . PRAELEGATIS

* VEL. id eſt Velinae tribus

PATRIOTA, COMPATRIOTA

Membrum IX.

PATRIOTA, COMPATRIOTA Graecè inſcripturis vſurpabuntur, tametſi illud Graecè aliter deſinat, hoc eſt πατριώτης; hoc aliter componatur, συμπατριώτης. Latinis ergo vtraque peregrina adhuc vox, ſed & altera hybris, vt liquet. Pro ijs erit *Popularis*, *Conterraneus*, & (ſi è Ciuitate) *Ciuis*. De voce *Popularis* monumentum ſuggerit Gruterus, boni ſeculi, pag. CCXLVII. num. 3.

DXXXVIII.

IMP. CAES. NER. TRAIANO
AVG. GERM. DAC. PARTH. PON
MAX. TR. P. XV. COS. VI. P. P. DE
ROM. IMPERIO . DE . PATERNA
ET . AVITA . HISP. PATRIA. ET. DE
OMNI . HOMIN. GEN. MERITISS
POPVLARES . PROVINC
AREVATVM
OPTIMO . PRINC

Conterraneum legimus in recenti Dedicatione, in Vrbe Ticino, Auctore Sigiſmundo Boldonio, videlicet

DXXXIX.

S. SIRO . TVTELARI
QVI . PVER . CHRISTO . PANES . ET . PISCES . AD . TVRBARVM . ALIMENTA . PORREXIT
VIR. AVTEM. ACCEPTA. A. CHRISTO. CAELESTIS. FIDEI. NVTRIMENTA.TICINENSIBVS
PRIMVM . DEINDE . FINITIMIS . NATIONIBVS . DISPENSAVIT
S. PETRI . A . QVO . TICINENS . SACRATVS . EPISCOPVS . INSTITVTIONE . DISCIPVLO
PATRIA . CONTERRANEO . SANCTITATE . IMITATORI
HVIVS . POPVLI . PIETATE . PATRI . MVNERE . PASTORI . TVTELA . PATRONO
IMAGO . HAEC . POS . EST

COAEVVS, COAETANEVS, CONTEMPORALIS, CONTEMPORANEVS

Membrum X.

COAEVVS, COAETANEVS, CONTEMPORALIS, CONTEMPORANEVS, controuerſae quidem voces; ſed nobis haud ita refractarijs eſſe libet, vt non doctorum quorumcumque iudicio deferendum, in neminem iurati, exiſtimemus. Itaque ſi quis Coaeuum dixerit, nequaquam damnabimus, quando in quibuſdam legitur vetuſtis Codicibus Orationis in Vatinium; videlicet: *Hunc tu morem ignorabas? nunquam epulum videras? nunquam puer, aut adoleſcens inter coaeuos fueras?* Scio Doctos quoſdam pro *coaeuos* legere hic *coquos*, vt obſeruat Auctor Theſauri Lat. lin. Scio Voſſium (lib.III.de Vitijs ſer. Cap.XXVI.) ampliata allegatione ex genio ſuo, meliores pene omnes codices dicere. An propterea vetuſtati venerandae omnis auctoritas abrogata? An euictum, ſic eſſe Ciceronem locutum? Praeſertim quia lectioni antiquae accedit ratio analogiae, quae auctoritatem addit quantam maximam. Nam ſi Latinae ſunt voces, & quidem ſeculi aurei *Longaeuus*, & *Grandaeuus*, vſitatae nimirum Virgilio, & alijs notae ſimilis Scriptoribus, quidni quoque *Coaeuus?* An tu, quaeret aliquis, citra ſuperſtitionem vſurpabis? Ego verò, fateor, non notam reueritus, ſed inimicus controuerſiae, ſeu (meliùs) ſtudioſus purioris elegantiae loquar potiùs cum Cicerone in Bruto: *Poëtas nobiles poëtarum AEQVALIVM morte doluiſſe.* Et cum eodem I.Diuin. *Philiſtum AEQVALEM temporum illorum.* Aequalem itaque dicam pro eo, qui eodẽ aeuo, ac tempore vixit, ſeu eiuſdem fuit aetatis, & paris annorum numeri. Cur autem refugiam à *Coaeuo*, quo vſus eſt è recentibus multis eruditiſſimis Io. Andreas Albertus è Societ. Ieſu, Elogio de Diuo Baſilio, num. III. *Religioſiſſima indole; genioque COAEVIS ſpecimen modeſtiae, ac probitatis exhibuit ſingulare*: Cuius item extant ſuffragia vetuſtatis in marmore apud Gruterum pag. CCCIV. num. 1. vbi legitur: *Siquid oblectaneum apud Manes eſt pro nequitijs, iociſque, quibus COAEVOS capiens me oblectare ſolebat.* Vide Inſcriptionem totam infrà lib. V. de Venuſt. Elogij, Membro III. Cuius eſt initium SEX . VALERIVS . MERCVRIALIS.

COAETANEVS ſuſpecta vox eidem Voſſio, loco ſuprà citato, quòd petat auctoritatem a Porcio Latrone, oratione in Catilinam, vbi ſic habetur: *Marco ſiquidem Catoni, aut Scipioni COAETANEO ſuo.* Porrò hic Porcius habetur Voſſio ſuppoſititius, aliuſque ab illo antiquo, quem ſaepe commendat Marcus Seneca Philoſophi parens: quippe in eo multa, inquit, ſunt declinantis Latinitatis argumenta; non ita tamen ſibi videri fatetur inſubidus, vti Ludouico Carrioni, qui ſophiſtam appellat ineptiſſimum. Haec autem cùm ita ſint, cùm nondum iudicio communi damnetur hic Auctor tamquam impuriſſimus, cùm & citetur quaſi germanus Porcius in Theſauris ling. Lat. Cùm praeſertim fatente Voſſio ipſa vox *Coaetaneus*, peruulgata ſit vſu doctorum, quid eſt, quamobrem inter barbaras perpetua cum nota reiectetur? Erit quidem ſanioris conſilij, illas efferre, quae bono ſeculo citra controuerſiam cuſae ſunt, vt non *Coaetaneus* dicatur Ciceronis, ſed *Aequalis Ciceronis*, vel *eiuſdem* cum *Cicerone aetatis*, aut *temporis*. Audiri hoc loco poſtulat Iacobus Gaddius Elogio de Io. Barclaio; cuius commendans Argenidem; *Haec*, inquit, *ſtylo exarata ſolido, politicis documentis, & ſingularibus elocutionis formis radiante, quem toroſa, & grandia carmina intertexta nobilitant, vnicum Auctorem*

rem declarat Ioannẽ Barclaium AEQVALIVM *ingeniorum amabile portentum.*

De CONTEMPORALI iudicium ferè idem eſto. Vocem in alijs integram tuebimur, nobis immutabimur omnis munditiae ſtudioſis. Namque eam Analogia probat, vt placet Voſſio, vſus autem antiquorum non probat; vſus verò (ſuſcipimus ipſi) nobis cognitus; neque enim extant ſuperſtites à veterum Scriptorum caſu & fato, quaecunque in vſu tunc erant voces, & loquendi formae. Ac Conrado quidem reparatori copiae Latinitatis haud dubiè legitimum fuerit *contemporalem* dicere (conſule eius librum II. num. XXVI.) nec ſatis habebit vno, aut altero modo, *Aequalem*, aut *eiuſdem temporis ſcriptorem* dixiſſe.

Similiter CONTEMPORANEVS eidem ipſi Conrado probabitur, ac dum ſimplicem *Temporaneum* admittit, cur compoſitum expunget? Nos autem nouando non ita prompti, & faciles vel modis continebimur ſuprà traditis antiquorum (ſunt enim haec quatuor propoſita ferè ſynonyma) vel Graeca vox magis placebit, nimirũ *Synchronos*, à quibuſdam doctis viris Latinè accepta; auctoritatem ſecutis Diui Hieronymi; imò, ſi credimus Auctori Theſ. Lat. ling. ipſius Varronis, Homerum, & Heſiodum, qui aliquo tempore eodem vixerunt, ſynchronos fuiſſe teſtantis. Lege Encomia Io. Baptiſtae Maſculi è Soc. Ieſu, vbi de Synchronis ſacrae, & prophanae hiſtoriae.

P A L A T I V M

Membrum X I.

PALATIVM. Ne quis hoc vocabuli attribuat Ciceroni, eo quòd in vetuſtis quibuſdam codicibus legatur, citatum apud Ciceronem, dictum ab Ennio *Caeli Palatium*; ſiquidem apertum euincitur mendum tùm ex cenſura Hieronymi Columnae in fragmentum illud, quod eſt è minutioribus Ennij, tùm ex continuato loco Ciceronis in II. de Nat. Deor. vbi ſententiam expendens Epicuri, ſic habet: *Sed dum palato quid ſit optimum, iudicat, Caeli palatum, vt ait Ennius, non ſuſpexit.* Intellexit autem Ennius Caeli ſuperficiem interiorem.

Iam *Palatium* ſi pro aedibus priuatorum magnificè extructis vſurpetur, ex vſu vulgi, barbarum omnino eſt: Pro Principum autem quorumcunque, ſuſpectum: Vnius enim propriè videtur eſſe Imperatoris, idque figuratae dumtaxat locutionis vſu à bonis Latinis recepto, quem ad alios transferrinè liceat, hic quaerimus. Palatium, inquit Caſaubonus In Suetonij Octauium, tùm regionem in Vrbe interdum deſignat, tùm ſaepius domum Principalem, quae ex pluribus domibus minoribus in vnius maximae ſpeciem fuerat constructa. Notat autem ille ex teſtimonio Seruij, Auguſtum aedificatam à ſe domum feciſſe publicam. Porrò Suetonij locus eſt: *Habitauit* (Octauius Auguſtus) *primò iuxta Romanum forum ſupra ſcalas anularias in domo, quae Calui Oratoris fuerat. Poſteà in Palatio, ſed nihilominus Aedibus modicis Hortenſianis, & neque laxitate, neque cultu conſpicuis, vt in quibus porticus breues eſſent Albanarum columnarum, & ſine marmore vllo, aut inſigni pauimento conclauia.* Auctori verò Theſauri ling. Lat. *Palatium dicitur etiam Domus Imperatoria ſuperba amplaque à Palante gigante, qui primus Palatium ob magnitudinem ſui feciſſe dicitur*: Citatque locum Suetonij de Claris Grammaticis: *Quare* (Verrius Flaccus) *ab Auguſto quoque nepotibus ſuis praeceptor electus transijt in Palatium cum tota ſchola* (continuandus omnino locus eſt) *verùm vt ne quem amplius poſthac diſcipulum reciperet: docuitque in atrio Catilinae domus, quae pars Palatij tunc erat.* Itaque Suetonij verba bene pendenti fit planum, ſolam Auguſti domum primùm nomen Palatij ſortitam fuiſſe: id autem non ab ipſo Auguſto; ſecus & illam conſequens eſſet ita appellatam, quam antè habuit iuxta forum Romanum, quod nemo rerum Romanarum conſultus aſſeruerit: Non etiam à regione, in quam dehinc migrauit, quaſi totam Auguſti vna domus occuparet: Contrarium enim non ambiguè indicant citata verba: *poſteà in Palatio, ſed nihilominus aedibus modicis* &c. Sed & de pòſt amplificatis idem Suetonius in Veſpaſiano Cap. XXV. pro Palatio dicit domum

mum Palatinam: *Dicitur etiam vidiſſe quondam per quietem ſtateram in media parte veſtibuli Palatinae domus* &c. Praetereà quod à Palante ſit vocatum Palatium, vbi habitauit, hoc ipſo tantùm probatur, regionem eam propria origine Palatium appellatam; domum verò ipſam Augusti tam multis pòſt ſeculis ibi exaedificatam metonymicòs primùm, hoc eſt ſumpto toto pro parte; dehinc antonomaſticòs ex praecellentia inter alias domos eiuſdem regionis id nomen contraxiſſe. Quò ſpectat Ouidius (I. Metam.) vbi ad Lycaonis fabulam accedens, de Regali domo Iouis metaphoricòs ita canit:

Hic locus eſt, quem, ſi verbis audacia detur,
Haud timeam magni dixiſſe Palatia Caeli.

Locus autem citatus de Verrio, qui tranſijt in Palatium cum tota ſchola, ſi cenſoriâ penſetur trutinâ, ipſam indicat regionem, cuius etiam partem Catilinae domo teneri Auctor expreſſit, non quidem quod à Palatio, quaſi Auguſti domo ſeparata deinde ſit, ſed quod Catilinaria domus in regione Palatij ſita, euerſa poſtmodum, ac deleta eſſet, quo tempore Suetonius ſcribebat.

Caeterùm domui Imperatoriae id, quod vſus conceſſit boni ſeculi, non facilè adducimur, vt ad aliorum Principum domos transferamus ſine bonorum Scriptorum exemplis, quibus repertis, adhuc diſtinguendum eſſe cenſemus, vt quae ſedes eſt ſummi Principis, Palatij donemus nomine; quae verò Praetoris tantùm, aut Vicarij, aut Legati, aut quocunque nomine Praefecturae vice Principis, id Praetorium dicamus; hoc autem dictum volumus, dum probati Scriptoris auctoritas non refragetur. Nullum ergo faceſſit nobis negotium Petrus Victor (ab Onuphrio Panuinio citatus) de Regionibus Vrbis Romae, qui titulo illo, *Regio X. Palatium*, recenſet poſt Aedem Apollinis *Aedem Deae Viriplacae in Palatio*, nam vel hoc eſt totum Deae nomen, *Viriplacae in Palatio*, ſicut in ſimili, ſub titulo ſuperiore, *Regio VIII. Forum Romanum* cenſetur *Templum Iulij Caeſaris in Foro*: Vel ſi domum Auguſti deſignat, iam huic nomen Palatij inde ab antiquis legitimè conceſſum fuit, & conſenſu poſterorum firmatum; non idcircò tamen tranſmittit exemplum domibus aliorum Principum, multoque minus hominum priuatorum, ampliſſimae licet eae ſint, ac magnificentiſſimae. Neque etiam vrget multum Iſidorus, cùm lib. XV. Origin. Cap. III. Palatium à Palante Principe Arcadum deriuat, in cuius honorem Arcades Palanteum oppidum conſtruxerint, & Regiam in eius nomine conditam appellarint Palatium. Nam quis hoc ipſum iureiurando ſtatuat, factum eſſe, vt appellatio Palatij Romae ab Arcadibus, quàm aliunde potiùs manauerit, ab ijſque non vti palantibus, hoc eſt errantibus, aut alia de plurimis allatis cauſis, ſed quod illi in patria aedificatam Regiam Palatium dixerint, & ſermone incorrupto nomen ab illa Regia ad hanc tranſtulerint regionem; dehinc à regione reddiderint Regiae; eoque pacto ab Arcadibus ad Latinos, à Latinis ad Romanos per variantem cùm barbarie tot ſuccedentium ſeculorum linguam inuariatum ad vſque aetatem auream id vocabulum perduraſſe? Fuerit hoc licet. Cum autem affirmetur, Domum Imperatoriam id ſibi iuris vendicaſſe; adhuc reſtat, vt de alijs domibus proferantur auctoritatis paris exempla. Ac quemadmodum hoc iuris eſt factum Imperatoriae domui, etſi hodie non in Palatina regione, atque adeo ne in Vrbe quidem ſedeat Imperator; Ita nec Pontificiae domui hoc attribuerem, Imperium licet Vrbis Romano Pontifici ceſſerit Imperator. Tota enim ratio rectae locutionis ab vſu pendet Latinis accepto. Ergo nihil perficit ratio ab Inſcriptione Salisburgenſi petita, in ſepulcro Sebaſtiani Hoflingeri Bauari (apud Suuertium in Select. Delic.) quae tota ſcatet barbarie, vt legenti cuiuis patet; illudque *Vtriuſque tam Caeſarei, quàm Pontificij Palatij Comiti* molliùs fortè, ac nitidiùs dixerit *Palatino Comiti Caeſareo, Pontificio*, retenta appellatione *Palatini Comitis* vti nouae dignitatis, quae nouam vocem poſtulat, cùm praeſertim *Palatini* à Regione Palatio Latinè dicatur. Neque Ferrarienſis illa apud eundem Suueertium (cuius initium: *In Aſylo. Memoriae D. Herculis Eſtenſis*) plurimùm habet ponderis in hac parte, quouſque auctoritatem veterum repererit, quae illud tueatur. *Belliguardi Palatium auxit, atque exornauit*, ne quid in praeſens dicamus de nota illa D, praefixa nomini Herculis, hoc eſt *Domini*, vel *Don*: nam ſatis agitata eſt quaeſtio ſuprà, Membro II. huiuſce Claſſis. Vbi enim nomen Palatij datum aptiùs fuiſſet, quàm vbi Pontifex Maximus vnà

& Imperator

& Imperator ampliſſimo recepti hoſpitio egiſsét menſes totos complures? Sed Praetorium dixiſſe contentus fuit Elogiaſtes hiſtoricus ſatis elegans; ea quippe ſedes erat Legati Pontificis Maximi, eiuſdemque Principis Bononienſium. Lege apud Suueertium in Del. inter Bononien. Memoriam facti, cuius initiũ eſt: *CLEMENS VII.* vbi haec habentur: *Cum ambo* (Clemens VII. Pont. Max. & Carolus V. Caeſar) *in eodem Praetorio totam hyemem coniunctiſſimè de ſumma rerum deliberantes egiſſent* &c. Miramurque Auctorem libri, vt ſignaret locum memoriae poſitae, illum praefixiſſe titulum: *In Palatio Bononienſi. Clementis VII.* &c., cùm ex hac ipſa, quam putabat mereri locum inter Selectas Delicias, diſcere potuiſſet, aut certè ſuſpicari, pro Palatio tutiùs Praetorium vſurpari.

Pateſcit hinc, quid ſentiendum de illo titulo ſacri Miniſterij in Vrbe *Sacri Palatij Magiſter*; ſola enim neceſſitate interueniente tueri illum poſſumus, qua ſublata tutiùs ſubſtitueretur: *Apoſtolicae*, vel *Pontificiae Aulae Magiſter*: Ea propter cenſuram refugit Epitaphium honorarium in Nicolaum Riccardium (cognomento Monſtrum) Auctore Valentino Petronio Humanarum literarum profeſſore publico Romae, videlicet:

DXL.

NICOLAI RICCARDII GENVATIS
Ord. Praedicatorum
VRBANO VIII. A Concionibus
Sacri Palat. Apoſtol. Magiſtri
Clariſſimae ac ſempiternae memoriae
Quicunque ſepulcrum vides
Sepultum ne quaere.
NICOLAVS RICCARDIVS
Nec obijt, nec abijt
Pietate, cultu, probitate viuit
Inter Beatas Aeternaſque Mentes.
Apud nos verò manet
Manſurus in aeuum
Memoria, fama, gloria
Humanae Diuinaeque
Monſtrum
Eloquentiae
Vixit Ann. LII. Obijt Prid. Cal. Iun.
MDCXXXIX.

Praeſertim, vt diſtinguatur ab altero munere in Aula Pontificia, & longè diuerſo, & magis honorifico, quod vocant *Magiſtri domus Pontificiae*. Itaque admittamus oportet eum titulum citra vllius impuritatis ſuſpicionem.

Pro Palatio, vèl ſi hanc vocem bonam ſuſtineas, nitidiùs tamen dices *Domum Auguſtam*, ſi Caeſaris eſt; *Regiam*, vel *Domum Regiam*, ſi Regis; & *Domum Principalem*, ſi Principis, cuius hic cumque ſit tituli. De Domo Auguſta praeſto ſunt marmora antiqua complura, vt illud apud Gruterum pag. MXXXIII. n. 8.

DXLI.

D . M
TIB . CLAVDIO . AVG . LIB
HERMETI
* M . PVEROR . DOM . AVGVST
ET
CORNELIAE . MODESTAE
MATRI . B . M
ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQ
POSTERISQ . EORVM

* ideſt *Magiſtro Puerorum Domus Auguſtae*

De Domo Regia repete ſup. Elogium Membri VI. num. X. *Sereniſs. Margaritae* ibi *Reconcinnata Domo Regia*. Animaduerſione digna eſt Inſcriptio recens Florentina (quam habes citatam infrà, lib. IV. de Elogij Breuitate, Memb. II. Cuius initium CAROLVS . V. CAESAR) vbi dicitur Carolus V. *illuſtri apparatu*, *Regali Hoſpitio Mediceas in Aedes acceptus*. Pro *in Aedes* quiſnam recentiorum non poſuiſſet *in Palatium* & quia hae Mediceae magnificentiſſimae, & quia magni Principis? Neque hìc citrà piaculum omitti putamus binas (ex Sel Del. apud Suueert.) Inſcriptiones Florentinas, Alteram in Aula Magna, inquit Suueertius, Palatij poſitam, videlicet:

DXLII.

HAS . AEDES . ATQ. AVLAM . HANC TECTO . ELATIORI . ADITV . LVMINIBVS PICTVRIS . ORNATVQ. AVGVSTIORI . IN AMPLIOREM . FORMAM . DECORATAM DEDIT . COSMVS . MEDICES . ILLVSTRISS FLORENT . ET . SENAR . DVX . EX DESCRIPTIONE . ATQ. ARTIFICIO GEORGII . VASARII . ARETINI . PICTORIS ATQ. ARCHITECTI . M . D . LXV

Alteram inquit ſupra Portam Magnam, Ad Sponſam Auſtriacam,

INGREDERE

DXLIII.

INGREDERE . OPT . AVSPICIIS . FORTVNATAS . AEDES . TVAS
AVGVSTA . VIRGO . ET . PRAESTANTISS . SPONSI . AMORE
CLARISSIMIQ. DVCIS . SAPIENTIA . CVM . BONIS . OMNIBVS
DELICIISQ. SVMMA . ANIMI . SECVRITATE . DIV . FELIX . ET
LAETA . FRVERE . ET . DIVINAE . TVAE . VIRTVTIS . SVAVITATIS
FOECVNDITATIS . FRVCTIBVS . PVBLICAM . HILARITATEM
CONFIRMA

Nae hic recentiores imminutam maieſtatem nobis obiecillent, niſi *Palatium* dixiſſemus, vbi Magni Ducis amplificatae domus, vbi Auguſtae in eam Virginis ingreſſus mentio facienda foret.

Obiter autem illa videtur ſequioris ſeculi memoria, quae extat Mediolani in Diui Ambroſij, citata à Grutero pag. CXCIII. num. 11. videlicet:

DXLIV.

ATITIVS . CRESCENS
V. P. EX . TABVLARIO
PALATII

non quia *Palatij* vſurpat vocem fortaſſis legitimè, cùm de Domo Imperatoris, qui Mediolani aliquando conſedit, intelligi liceat; ſed quia haec eadem tabula mutila perhibetur, citata à Grut. inſ. pag. MXLIX. num. 7. variata literarum diſpoſitione, & aucto verſuum numero, vt vt diſſideant ſuper eam Apianus, & Alciatus obſeruatores marmoris, quod tamen ambo concordant vnum idem extare in Diui Ambroſij, videlicet:

DXLV.

ATILIVS . A. F. CRESCENS
V. P. EX . TABVLARIO . PALATI
QVI . VIXIT . IN . HOC . SAECVLO
ANNOS . XXVII . MEN . . . .
. . . .

Ea verò formula *vixit in hoc ſaeculo*, quod ſeculum oleat, iudicent Antiquarij, de voce ſimul *Palatij* facilè odorabuntur.

Priuatorum tandem Aedes, quas vulgus per Catachreſim, hoc eſt abuſionem, vocat Palatia, Latinè, & purè reddes *Aedes magnificas, amplas*. Cicero in Paradox. *Tecta*, *Aedificia magnifica*: Suetonius *Praetoria*, ſic enim in Auguſto Cap. LXXII. *Ampla, & operoſa praetoria grauabatur.* In quem locum Philippus Beroaldus: *Villas elegantiores, cultioreſue Praetoria appellauerunt*. *Palladius in I. de Re ruſtica ſcribens, quomodo aedificium inſtitui in agro oporteat, ſic ait: Ipſius Praetorij ſitus ſit loco aliquatenus erectiore, & ſicciore propter iniuriam fundamentorum & vt laeto fruatur aſpectu*. Et Marc. Donatus in eandem ſententiam: *Praetoria dicta ſunt haec ruri magnificè extructa aedificia; quaſi talia eſſent, quae à Principibus viris incolerentur. Sic Praetorium vocata Principis domus, quam alias Palatium dixere, vnde & Cohortes Praetoriae appellatae.* Hinc idem Suetonius in Veſpaſ. Cap. VIII. *Vrbis* inquit *incendio nihil niſi ſibi publicè periſſe teſtatus, cuncta Praetoriorum ſuorum ornamenta operibus, ac templis deſtinauit*. Quibus ex locis colliges emendationem Inſcriptionis Ferrarienſis ſup. citatae de *Belliguardi Palatio*, quam nos interpretamur Villam Ducis amoeniſſimè cultam: ſolaque aedificia ruſtica; non verò vrbana, quae priuatorum ſunt, quantumcunquè ſumptuoſa & magnifica dici poſſe Praetoria; praeterquàm ſi per exaggerationem, non per hiſtoricam proprietatem ſit ſermo.

NEPOS EX FRATRE, NEPOS EX SORORE

Membrum XII.

IAm modum illum loquendi *Nepos ex Fratre*, *Nepos ex Sorore*, in eum ſenſum, in quem vulgò vſurpatur, non dubitamus cenſura perſtringere vti nouum in Latio, pluribus autem hodie familiarem, ſed perperàm. Sic ergo ſtatuimus: Nepotis nomen abſolutè poſitum referri ad Auum, vel Auiam, illumque adſignificare, qui ex horum filio, filiaue eſt natus. Similiter

Neptis

Neptis ex horum filio filiauè nata, pro qua & Nepos genere tam foeminino, quàm maſculino (vt in antiquo marmore, apud Grut. pag. DCLXXVIII. n. 11.) Ita loquitur Cicero pro Rege Deiot. *Qui nepos Auum in diſcrimen capitis adduxerit*: Et I. Tuſcul. quaeſt. *Metellum enim multi filij, filiae, nepotes, neptes in rogum impoſuerunt*: Et III. de Nat. Deor. *Ferretnè vlla Ciuitas Latorem iſtiuſmodi legis, vt condemnaretur filius, aut nepos; ſi pater, aut Auus deliquiſſet?* Et de Clar. Orat. *Ex filia nepos*. Liuius quoque lib. I. Dec. I. *Numae Pompilij Regis nepos, filia ortus Ancus Martius erat*. Sic Auiam ad Neptem referri, & Neptem ad Auiam, vt ex vetere Inſcriptione apud Gruter. DCLXXXIII. 5.

DXLVI.

DIS . MANIBVS
FLAVIAE . APOLLINARI
NEPTI . SVAE . VIX. A. VIII
QVOD . NEPTIS . AVIAE . FACERE
DEBVIT . AVIA . FECIT . NEPTI
SVAE
SACR

& Auiam ad Nepotem probat vetus Inſcriptio, ibi DCXCV. 14.

DXLVII.

DIS . MANIBVS
L. MEMMIO
L. FIL
CASTORI
AEMILIA . AVIA
NEPOTI
DVLCISSIMO
ET . L. MEMMIO . L. LEIB
POSTVMIO

Quod autem Nepos propriè ſit Filij filius, liquet ex modo loquendi Suetonij in Tiberio: *Cum ex Germanico tres Nepotes, Neronem, & Druſum, & Caium; ex Druſo vnum Tiberium haberet, deſtitutus morte liberorum, maximos natu de Germanici filijs Neronem, & Druſum P. C. commendauit* &c. Liberos porrò hic intelligit ipſos Druſum, ac Germanicum, de quibus paulò antè idem Suetonius: *Filiorum neque naturalem Druſum, neque adoptiuum Germanicum patria charitate dilexit*.

Collectum hoc habes in veteri Inſcriptione apud Gruterum MCXXV. 1. Videlicet:

DXLVIII.

D . M
* POMPONIS
CRESCENTI
RHENO . DANVVIO
NEPOTIBVS
ET. * EVPHRATE . PATRI
EORVM . FILIO . HOMINI
SIMPLICISSIMO . * POMP
RHENVS . PATER . FECIT
QVI . ME . NON . MERENTEM
PRAEOCCVPAVERVNT

* ideſt *Pomponijs*
* pro Euphrati (antiquitus) vt *ſibe*, *Helpide*, & paſſim, pro Sibi, Helpidi &c.
* Pomponius

Ecce primo Nepotes, inde eorum Pater, qui & Filius Rheno natus, qui idcirco Nepotes illos Auus reſpicit. Auiam autem, ideſt, quae filios habet filij, indigitat ſepulcrale marmor Romanum apud Grut. MCXXVII. 2.

DXLIX.

PATREM . MATREM
LIBEROS
VNA. LVES. SVSTVLIT
LACRVMIS
CONFECTA . CYPRIS
FILIO . ET . NEPOTIBVS

Vbi Cypris Mater eſt Patris, cuius liberi nepotes Cypridis.

Hinc illa ſeries natalium in antiquis Inſcriptionibus, cuiuſmodi infrà lib. IV. de Breuitate Elogij cap. 1. IMP. CAESARI. D. MARCI &c. vbi L. Aelius Aurelius Commodus appellatur M. Antonini Pij filius, Diui Pij Nepos, Diui Hadriani Pronepos, Diui Traiani Abnepos, Diui Neruae Adnepos, quaſi recta per Patres deducta linea: Quaſi inquam, nec enim verè deducta, cùm (vt eruditè diſſerit Cyprianus Boſellus ſacrae Oliuetanae familiae decus, & ſolers antiquitatis indagator, libello mihi porrecto) M. Antonini Pij nec natura filius, nec adoptione ſit L. Aelius Aurelius Commodus; ſed vſurpata duntaxat per ambitionem, & faſtum appellatione. Accipe ſimilem Romanam citatam à Grutero CLXXXVII. 3.

IMP.

DL.

IMP· CAES· DIVI· M· ANTONINI ......
PII . GERM. SARM. FILIVS . DIVI . COMMODI ......
FRATER . DIVI . ANTONINI . PII . NEP. DIVI ....
HADRIANI . PRONEP. DIVI . TRAIANI ....
PARTHICI . ABNEP. DIVI . NERVAE . ADNEPOS ....
L· SEPTIMIVS · SEVERVS · PIVS ......
PERTINAX . AVG . ARABIC . ADIAB . PARTHIC
MAX. PONT. MAX. TRIB. POT. VIIII. IMP. XI. .....
COS . II . P . P . PRO . COS . ET
IMP· CAES· L· SEPTIMI· SEVERI· PII...
PERTINACIS . AVG . ARABIC . ADIAB ....
PARTH . MAX . FIL. DIVI . M. ANTONINI
PII . GERM .. SARM . NEP. DIVI . ANTONINI
PII . PRONEP . DIVI . HADRIANI . ABNEP . DIVI
TRAIANI . PARTHIC. ET . DIVI . NERVAE . ADNEP
M· AVRELIVS· ANTONINVS· PIVS
FELIX . AVG . TRIB . POT. IIII . PRO . COS
ARCVS . COELIMONTANOS . PLVRIFARIAM .....
VETVSTATE . CONLAPSOS . ET . CONRVPTOS ...
A . SOLO . SVA . PECVNIA . RESTITVERVNT

Ad eius exemplum lecta eſt Mediolani in fronte Templi Maximi ad Ferdinandum Auſtrium Cardinalem in eius aduentu haec Inſcriptio :

DLI.

SERENISS. FERDINANDO . AVSTRIACO . CARD
Prudenti Pudico Pio
Ab longa Caeſarum, & Regum
Stirpe procreato
PHILIPPI . III. FILIO . PHILIPPI . II. NEPOTI
CAROLI . V. Pronepoti. MAXIMILIANI Adnepoti *
Renouaturo virtutes, & decora Auorum
Superaturo famam
ECCLESIA MEDIOLANENSIS
Exhilarata tanti Principis inceſſu
Quem Potentiſſimus Rex
Alterum ſe Italo Caelo donat
Hos aditus . Haec publica
Monumenta adornauit

Aſteriſco autem occupauimus quaeſtionem : Cur Adnepos ille dictus, non (ſerie continente Auorum) Abnepos ? Namque Abaui correlatiuus Abnepos. Sed conſtat Carolum V. Philippo I. genitum, Philippum autem Maximiliano. Hinc Gregorius Brunellus Elogium ſuum de Carolo V. ita exorditur: *Carolus Quintus Maximiliani ex Philippo nepos. Primus Maximi nomen obtinuit* &c. Idcirco verò ommiſſum hic putem Philippum, vt Caeſares duo ex Patribus Ferdinandi connumerarentur. Non immeritò ingeret ſeſe huic loco Iacobus Gaddius cum Elogio Laurentij Medicei.

LAVRENTIVS

D L I I.

LAVRENTIVS MEDICES MAGNVS
Magni COSMI Patriae Patris EX Petro FILIO, Et Lucretia. Tornabona NEPOS. Pater Leonis X. Literarum. Eruditorumque Virorum Illuſtri Patrocinio. Exculti Ingenij Ac Iudicij Grauiſſimi Praeſtantia. Sapientia. Virtutibus Animi Summis. Ac Fortunae Dotibus praefulſit adeo, vt exiſtimatione Regibus penè par, Reip. Princeps, Italiae arbiter euaſerit rerum geſtarum gloria immortalis. Laurentio nullum ſere togatum parem inuenies, qui Reges non paucos magnitudine animi vel aequauit, vel anteceſſit. In hoc exornando feliciter conſpirauit raro foedere iuncta Virtus, ac Fortuna, quae Laurentium nunquam oppreſſit; ſed aliquando preſſit, vt altiùs attolleret.

En hic Nepos ex filio, hoc eſt filij filius. Idipſum & Filiae.

Seriem ergo geniturae rectam deſignat Nepos, non tranſuerſam, qualis foret, ſi referretur is ad Patris, Matriſuè fratrem, aut ſororem. Reſtituenda igitur genuina, & vetus phraſis, vt nequaquam *Nepos ex fratre*, aut *ſorore* dicatur, ſed *fratris filius*, *ſororis filius*, ſeu *fratre*, aut *ſorore genitus*. Ita namque habet Cicero III.Offic. *Cùm Baſilus M. Sarrium ſororis filium nomen ſuum ferre voluiſſet, eumque feciſſet heredem.* Liuius quoque Decade I. lib. I. *Fratris filiae Rheae Siluiae per ſpeciem honoris cùm Veſtalem eam legiſſet, perpetua virginitate ſpem partus adimit.* Id. ibid. *Comes his* (Tito ſcilicet,& Arunti filijs Tarquinij Regis) *additur L. Iunius Brutus Tarquinia ſorore Regis natus.* Rurſus Cic.IX. Verr. *C. Cato duorum hominum clariſſimorum nepos L. Pauli, & M. Catonis, & P. Africani ſororis filius.* En vt apertè hic diſtinguitur nepos, & ſororis filius. Secùs dictum eſſet, hìc Ex ſorore nepos,& illic Ex fratre nepos. Item Plinius lib.XXXV. cap.IV. *Proximè celebrata eſt in foro Boario, Aede Herculis, Pacuuij Poëtae pictura: Ennij ſorore genitus hic fuit.* Addamus Romanae legis formulam, quam citat M. Zuerius Boxhornius, videlicet: *Si filius meus me viuo morietur, Nepos ex eo poſt mortem meam natus heres eſto*, ideſt filius filij illius mei. Dicitur autem *nepos ex eo*, vt excludatur Nepos ex filia, ne hoc herede, ſub aliena nempe poteſtate (quia ſub Patris, non Matris) ad alienos hereditas deflueret, vt Iuriſconſulti interpretantur.

Extat Romae vetus Inſcriptio (teſte Grutero CCCXII. 1.) in eandem formulam

D L I I I.

TERENTIAE
FLAVVLAE
* V. V
* MAX. SORORI
TERENTIVS. GENTIAN
VS. FIDIALIS. V. C. PR
TVT. CVM. POMPONIA
PAETINA. VXORE. ET
LOLLIANO. GENTIANO
FILIO. FRAT

* *Virgini Veſtali*
* *Maximae*

Alia ibidem (Grut. CCCX. num. 5.)

D L I V.

FL. MANILIAE. V. V. MAX
CVIVS. EGREGIAM. SANCTIMO
NIAM. ET. VENERABILEM
MORVM. DISCIPLINAM
IN. DEOS. QVOQVE. PERVIGILEM
ADMINISTRATIONEM
SENATVS. LAVDANDO
COMPROBAVIT
AEMILIVS. FRATER. ET
RVFINVS. FRATER. ET
FLAVII. SILVANVS. ET
EIRENEVS. SORORIS. FILII
A. MILITIIS. OB. EXIMIAM
ERGA. SE. PIETATEM
PRAESTANTIAMQVE

Cui congruit illa ad Viam Flaminiam, citata à Grut. DCXI. 5

DLV.

DIS. MAN
FLAVIAE . CHARIDIS
SORORIS . FIL *Filiae
CVPITVS . AVG. LIB

& DCCCLXIII. 13.

DLVI.

D . M
SER. CALPHVRNIVS
CLEOMBROTVS
SECVNDO . SORORIS
FILIO
B. M. FECIT
T. A. III. M. X. D. XXII.

* *Vixit* vel (Antiqu.) *Vitxit Annos III. Menſes X. Dies XXII.*

Vtque gratiam demereamur tuam, ſtudioſe Lector, promimus hoc loco, erutum nuper è tenebris marmor vetus in agro Lumellino Prouinciae Mediolanenſis, cuius exemplum à Puccinellio ad nos tranſmiſſum ſic habet:

DLVII.

VIVI . FECERE
P. GAVIVS . P. F. SALVIVS
L. GAVIVS . P. F. IVSTVS . IIII. VIR
SIBI . ET
P. GAVIO . P. F. SALVIO . PATRI
CARPEIAE . T. F. MITELLAE . MATRI
C. GAVIO. P. F. MODESTO. VI. VIR. FRATRI
GAVIAE . P. F. MAXIMAE . SORORI
P. ANTONIO . P. F. SENIORI . IIIIII. VIR
P·ANTONIO.P.F.SECVNDO.SORORIS.FILIIS

Recentes hinc normam petierunt. Sic Romae (quod citatur à Franciſco Suueertio in Selectis Orbis Chriſtiani delicijs: nos fragmenta damus, vt molem vitemus) legitur hoc Epitaphium:

DLVIII.

Quiſquis Sepulcrum vides ALEXANDRI BVRGII Mutilianenſis Burgenſium Epiſcopi &c. Philippus, & Claudius Fratris filij maiori pietate, quàm pompa moerentes Poſ. Obijt MDCXVIII.
Ibidem *FRANCISCO COMO &c. Martius Elephantuccius Sororis F. Auunculo optimo, de ſe optimè merito cum lachrymis Poſ.*

Sororis F. ideſt Filius, quem rectè conſtituit Auunculi correlatiua appellatio.

Hinc Patrueles, ad Patruum quiſque ſuum relati proprio nomine dicentur Fratrum filij, vt ſequens indicat marmor Romanum (apud Suueertium)

DLIX.

D . O . M
IACOBO . SADOLETO . EPISCOPO . CARPENTORACT . S. R. E. PRESB
CARD. VIRO . MORVM . GRAVITATE . PRVDENTIA . ET . VITAE
INTEGRITATE . PRAESTANTISS. DOCTRINA . ET . ELOQVENTIA . CVM
IIS . QVOS . MIRATA . EST . ANTIQVITAS . COMPARANDO . PAVLVS
SADOLETVS . EPISCOPVS . CARPENTORACT . ET . CAMILLVS . SADOLETVS
FRATRVM . FILII . MOESTISSIMI . MVLTIS . CVM . LACHRYMIS . PATRVO
B. M. PRO . TEMPORE . POSS . VIXIT . ANN. LXX. M. III. D. VI.

Vbi legis non *Nepotes ex Fratribus*, ſed *fratrum filij*.

Luculentiùs in Tumulo Florentino ad Diuae Mariae Nouellae, vbi nomina memorantur Fratrum eiuſdem Patrui: niſi quod in fronte corruptelam ſeculi praefert proſcriptus à nobis in ſuperioribus Titulus, videlicet:

DLX

Reuerendiſs. Domino ALEXANDRO STROZZAE Matthaei Fil. Epiſcopo Volaterrano, moribus ac doctrina inſigni, Cammillus Strozza ſuauiſſimo fratri pon. cur. Quo extincto vt ſibi poſteriſq. eſſet commune Alphonſus, & Laurentius Caroli, Et Bernardinus, & Alexander Cammilli Fratrum Filij optimo Patruo, ac de ſe opt. mer. poſ. An. Sal. MDLXXVIII. Idib. Januar.

Quemadmodum autem Latinè dicitur *Fratris Filius*, & *Sororis filius*: ita & *Fratris nepos*, *Sororis nepos*. Atque hic ſenſus eſt Suetonij in Iulio cap. LXXXIII. *Sed nouiſſimo teſtamẽto tres inſtituit heredes, Sororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, & L. Pinarium, & Q. Pedium ex quadrante reliquo.* Cùm autem nepotes ſororum Iulij dicit, ipſas vtique ſorores Auias infert (ſiquidem Nepos Aui, & Auiae correlatiuum) & Iulium horum nepotum Auunculum magnum. Ac ne quis ea in re ſcrupulum premat, ſciat oportet, ſeriem generis (quam etiam obſeruat eruditiſſimus Voſſius, & Io. Caluinus, aliàs Kahl in Lexico Iuridico, ſub voce *Nepos*) in hunc modum: Iulij ſororem Iuliam Attio Balbo fuiſſe nuptam, quo ex connubio nata Atia (non Accia, vt loquitur Io. Kahl) nupſit Octauio, & hinc Caeſar Auguſtus. Teſtem habemus Suetonium in Auguſto (cap. IV.) ſic habentem: *Octauius morte obijt repentina ſuperſtitibus liberis; Octauia maiore, quam ex Ancharia, & Octauia minore, item Auguſto, quos ex Atia tulerat. Atia M. Atio Balbo, & Iulia Sorore C. Caeſaris genita eſt.* Haec Suetonius. En verò Iuliam Iulij ſororem, Iuliae filiam Atiam, Atiae filium Auguſtum, nepotem hunc ergo Iuliae, Iuliam huius Auiam, fratrem Auiae Iulium, Auguſti Auunculum Magnum. Sic enim is cap. VII. *Caij Caeſaris cognomen adſumpſit teſtamento maioris Auunculi.* Et cap. VIII. *Duodecimum annum agens Auiam Iuliam defunctam pro coneione laudauit.*

Quonam ergo iure nuper intruſum, vt Latinè ſcribendo, aliter quàm Latinis mos eſſet, proferatur pro filio fratris, aut ſororis *Nepos ex fratre, aut ſorore*? Voſſius de vitijs ſermonis, & Gloſſematis Latino-barbaris cap. XXVII. obſeruat, cognatione vulgaris linguae factũ eſſe, vt vèl doctiſſimi decepti vſurpauerint *Nepotem*, *Neptemuè* pro fratris ſororiſuè filio, vel filia. Notat autem in primis Sebaſtianum Foxum Hiſpanum, philoſophum caeteroqui elegantiſſimum doctiſſimumque, qui Ethices compendio lib. III. cap. XXVII. Plinium iuniorẽ Plinij ſecundi nepotem dixit. Sed hoc iniuria: Cùm certũ ſit, Plinium Veronenſem Naturalis hiſtoriae ſcriptorem Nouocomenſis Plinij, cuius Epiſtolas, & Panegyricum habemus, Auunculum fuiſſe. *Nullus autem* (ſubdit Voſſius) *Patrui, vel Auunculi Nepos dici poteſt fratris, vel ſororis nepos, quia ex illorum filio, filiaué ſit prognatus.* Diluitque ibi Voſſius argumentum, quo modus hic loquendi corruptus facilè irrepſit in mentes eruditorum. Nimirum citat locum Plautinum in Amphitr. Act. IV. Scen. V. Vbi extat: *Ego idem ille ſum Amphitruo Gorgophones nepos, Imperator Thebanorum.* Quo quidem loco vulgarem noſtrorum vſum (meliùs corruptelam) tuetur Guillelmus Ranchinus I. C. Nam *Gorgone*, inquit, *non Auia, ſed Amita Amphitruonis fuit, ſoror Alcei, qui parens Herculis. Hoc de Gorgone ita eſſe liquet ex ſecundo Apollodori. Verùm* (ſuſcipit acutiſſimè Voſſius) *vnde haec adducta non ſunt Plauti. Nam ſcenae tres, quae Actus Quarti Scenam II. proximè in pleriſque libris conſequuntur, etſi non recentia, ſed vetera ſunt; à Plauti tamen dictione abeunt, quippe magis tumentia, ac omnino ſunt ſequioris aeui.* Quid ſi igitur dicamus, errorem Scriptoris ſiue in re, quòd Gorgophonem Auiam putarit; ſiue in ſermone, dum Nepotis vocabulo abutitur? Ego verò errorem in re ſuſpicor magis; nam in ſermone intolerabilior ac foedior, & communi veterum vſu reclamante damnatus adeò, vt ab Auctore Scenarum illarum vetuſto diſſimulari haud potuerit.

Hinc quis non doleat elegantiſſimam illam inter recentes Romanas Inſcriptiones eiuſdem teredinis vitio laborare, quam à Suueertio citatam in Selectis Chriſtiani Orbis delicijs meritò nos quoque recitamus. Eſt autem:

DLXI.

INNOCENTIO . VIII . CYBO
PONTIF. MAX . ITALICAE . PACIS . PERPETVO . CVSTODI . NOVI . ORBIS
SVO . AEVO . INVENTI . GLORIA . REGI . HISPANIARVM . CATHOLICI
NOMINE . IMPOSITO . CRVCIS . SACROSANCTAE . REPERTO . TITVLO
LANCEA . QVAE . CHRISTI . HAVSIT . LATVS . A . BAIAZETE . TVRCARVM
IMP . DONO . MISSA . AETERNVM . INSIGNI . MONVMENTVM . E . VETERE
BASILICA . HVC . TRANSLATVM . ALBERICVS . CYBO . MALASPINA
PRINCEPS . MASSAE . FERENTILLI . DVX . MARCHIO . CARRARIAE
★ PRONEPOS . ORNATIVS . AVGVSTIVSQVE . POS . ANNO . MDCXXI

Debuiſſet autem non Pronepos, ſed fratris Nepos dici, alioquin Auus fuiſſet Pontifice ipſo genitus, Cùm tamen nihil tale conſtet. Imò id ſi daretur, fuerat exprimendum *Ex legitimo matrimonio filius Pontificis*, ne qua eius dignitati afflaretur indignitas, vt prudenter praeſtitum obſeruamus in Inſcriptione Florentina (quam citat Ciacconius) huiuſcemodi

DLXII.

ANGELO . NICOLINO
MATTHAEI . FILIO . ANGELI . NEPOTI
I. C. D. AC . SENATORI . CLARISSIMO
COSMI . ETRVRIAE . MAGNI . DVCIS . CONSILIARIO
QVI . PRIMO . AD . PAVLVM . III . PONT . MAX . ET . CAROLVM . V . IMP
LEGATIONIBVS . EGREGIE . FVNCTVS . DEINDE . SENARVM
GVBERNATIONI . PRAEPOSITVS . ITEMQ . PISANAE . ECCLESIAE . ARCHIEPISCOPVS
POSTREMO . A . PIO . IV . N . CARDINALIVM . COLLEGIVM . COOPTATVS
INTEGRITATEM . ET . INNOCENTIAM . SVAM . OMNIBVS . PROBAVIT
OBIIT . AN . SAL . MDLXVII . AETATIS . LXVI
IOANNES . FILIVS . LEGITIMO . MATRIMONIO . PROCREATVS
PATRI . OPTIMO . POS

Hoc autem quod filius expreſſum debuit, & nepos in Epitaphio Mediolanenſi; apud Ciacconium, videlicet:

DLXIII.

IOANNI . ARCIMBOLDIO
PRESBYT . CARDINALI . AVO . PATERNO . LEGITIMO . ET . GVIDO
ANTONIO . ARCIMBOLDIO . PATRVO . MAGNO . ARCHIEPP . MEDIOL .
ET . SIBI . IOANNES . ANGELVS . ARCIMBOLDIVS . AB . EPISCOPATV
NOVARIENSI . CVI . XXIV . ANNOS . PRAEFVERAT . AD . ARCHIEPISCOPATVM
MEDIOLANENSEM . TRANSLATVS . V . FEBRVARII . IDEM . ANNOS . LXX
NATVS . MORTEM . OBIIT . III . ID . APRIL . MDLV

Si ergo Cardinalis ſanctitudini debebatur illa expreſſio, quò magis Summo Pontifici, Patris Eccleſiae SANCTISSIMI nuncupati?

Haec quidem de vſu peruerſo vocis *Nepos* pro *Filio fratris*, aut *Sororis*.

Qui verò iſta ampliùs commiſerit, *Nepos ex fratre*, *Nepos ex ſorore*, quo ſignificet filium fratris & ſororis, perquàm recens ſit, oportet, nec is ineruditus, qui ambiguitatis tollendae gratia Nepotem ex fratre dixerit, vt ab Nepote altero, ideſt filio ſororis diſpeſceret, & contrà. Paſcaſius Groſippus, ſeu reſoluto Anagrammate (quamquàm autem ſuperſit luſui SVS, in hac quidem parte Minerua eſt) Gaſpar Scioppius notat Neoteriſmo huiuſmodi phraſim, eiuſque vitij Auctorem deprehendit Iuſtum Lipſium, à quo fortè (quis autumet) mendoſè inciſa ſunt plura caeteroquì bona marmora Romae & alibi, quae citantur apud Sueeitium in ſelectis Chriſtiani Orbis delicijs. Nam ſi tempora ſupputes, cum eius iam grandis natu concurrunt aetate. Natus eſt Lipſius Anno Chriſtiano MDXXXXVIII. defunctus MDCVI. Annos natus LIIX. Menſes V. Itaque ab eo facilè dictata fuit Inſcriptio illa Romae

IOANNI

DLXIV.

IOANNI . BAPTISTAE . PALLAVICINIO
GENVENSI
S. R. E. AD . TITVLVM . S. APOLLINARIS
CARD. CAVALLICENSI
ANTONIOTTI . CARD. S. PRAXEDIS
* EX . FRATRE . NEP
EXIMIA . IVRIS . SCIENTIA . ET . BONARR. LITERR
COGNITIONE . PRAESTANTI
PER . OMNIVM . FORENSIVM . DIGNITATVM . GRADVS
AD . CARDINALATVM . EVECTO
A . LEONE . X. HADRIANO . VI
CLEMENTE . VII
AD . SVMMAS . RES . ADHIBITO
IN . MEDIO . HONORVM . CVRSV
IMMATVRA . MORTE . PRAEREPTO
IO. BAPTISTA . VTRIVSQVE . SIG. REFER. ET
BABILANVS . PALLAVICINII. FRATRES
PATRVO . MAGNO
BENE . DE . FAMILIA . MERITO
MEMORIAE . CAVSA . P. P
M. D. XCVI. VIXIT . &c. OBIIT . &c

Illa quoque Inſcriptio Romana (citat Suueertius ibidem) foetus haud dubiè eſt iam tùm florentis Lipſij, videlicet:

DLXV.

SIXTO . V. PONT . MAX . EX . OR
DINE. MINORVM . ALEXANDER
PERRETTVS . S. R. E. CARD.
VICECANCELLARIVS
EX . SORORE . PRONEPOS . FECIT

Quod quidem mendum Auctore ipſo (vt reor) Iudice damnatur alterâ Inſcriptione Romana (citata à Baldo Catanio) anno 1591. in Regio Coenotaphio translatis cineribus ipſius Sixti V. quae erat huiuſmodi. *ALEXANDER PERRETTVS . S. R. E. CARD. Vicecancell. Magno Auunculo* &c. Nam ſi Magnum Auunculum fatetur Sixtum, ergo Sororis nepos arguitur Alexander: fluxiſſet autem faciliùs oratio, ſi dictum foret, *Sororis Nepos fecit* (praeterquàm quòd ſanctiùs, & verè Latinè) quàm *ex Sorore Pronepos fecit*. Lipſium haud dubiè imitatus eius aequalis Hieronymus Columna in Vita Ennij Poëtae: *Reliquit*, inquiens, *tenuium ſuarum facultatum heredem Pacuuium Poëtam Tragicum ex ſorore nepotem*, *vel*, *vt ait Plinius*, *ex filia*: citatque in margine locum Plinij lib.XXXV. cap. IV. Atqui ſi locum attendiſſet Columna, nec ex filia nepotem, contra quàm Plinius tradit, dixiſſet; nec ex ſorore nepotem contra Latinam conſuetudinem, didiciſſetque modum loquendi ex ipſomet loco, vbi ſic habetur: *Pacuuij poëtae pictura. Ennij ſorore genitus hic fuit*. Neque ait, Ennij ex ſorore Nepos hic fuit.

Ciacconius Lipſij aequalis, etiam Diſcipulus extitiſſe arguitur, cùm de Vita Pij V. haec habet. *F. Michael Bonellus Papae ex Gardina ſorore Pronepos*, *Boſchi Dioeceſis Dertonenſis natus*, *honeſtiſque moribus imbutus*, *in ipſo iuuentutis flore Magni Auunculi ſui Fr. Michaelis Ghislerij veſtigia ſectari cupiens* &c. *Michael nomen Pio V. cùm degeret in ſacra Dominicanorum familia*. En igitur mendum alieno Cenſore non indigens, praeterquàm ſuo ipſius Authore, qui Pronepotem ex ſorore opponit Magno Auunculo, cùm ille rectiùs dicendus Gardinae ſororis nepos: Vt euincit Inſcriptio poſt Lipſij obitum optima, & purgata, eiuſmodi

DLXVI.

D . O . M . S
FR. MICHAELI . BONELLO
Ord. Praedicatorum . S. R. E. Card. Alexandrino . Epiſcopo Albanenſi PII. V. ex eodem Ordine Sanctiſs. Pontif. Sororis Nepoti . Ab eoque ad grauiſſima Sed. Apoſt. negotia moderanda adhibito . Legato ſacri foederis icendi cauſſa ad Reges in Galliam , Hiſpaniam , Luſitaniam cunctis à ſe pro Repub. ſuſceptis ſtrenuè , ac feliciter perſuncto Religionis , Prudentiae , Integritatis , eximiaeque virtutis laude praeſtantiſſimo . Vixit &c

Et illa, quae infante Lipſio nata Mediolani, eius contagionem praeuertit . Videlicet :

DLXVII.

Roberto Archinto Patricio , Decurioni ,
Pietate , Moribus , Literiſque clariſſimo
Io. Baptiſta Fratris Filius ex aſſe heres
ſibi poſteriſque ſuis P. XIII. Kal. Ian.
M. D. LII

Legitur haec (teſte Puccinellio in ſuo Zodiaco) in Diui Euſebij Mediol.

Trahit oculos elegantiſſimum Epitaphium poëticè , quod obſignat ſubſcriptae proſae puritas , & in rem controuerſam proprietas . Citat inter Peruſina Suueertius in Sel. Delic.

DLXVIII.

BLANCAE . MARIAE . BEVILAQVAE
BLANCA mihi nomen, Comites vtrumque parentem
COLLALTVS Matrem dat, BEVILAQVA Patrem
Gignor ad Eridanum , praebet cunabula Tybris ,
Menſes vix quini dant , rapiuntque diem .
Et cado , Bethlemius cùm crebrior occidit infans
Candida purpureis mixta puella choris .
Obijt anno MDCI
BONIFACIVS Card. Leg. Fratris
Filiae poſ

Caeterùm ea corruptela quàm latè ſerpſerit , docent Inſcriptiones alibi paſſim expoſitae , è quibus duae nos continebunt ; Florentina in Diuae Virginis Annuntiatae , quae Sanctimonialium eſt ; videlicet :

DLXIX.

IACOBO . GRIFONIO . CAROLI . F . NOBILI
Diui Stephani Equiti Flor
S. Pauli Piſarum Primo Commend. Erga
Suos , & Pauperes pio , ac liberali
Cuius corpus ipſo ſic diſponente
Hic fuit conditum
Vgolinus Griſonius ex Ioſepho Fratre
Nepos monumentum hoc
Patruo optimo Pon. Cur

Et Mediolanenſis , in Diui Franciſci Baſilica (quam citat Puccinellius in calce Zodiaci ſui num. 143.) plena ſpiritu , niſi eodem vitio tabeſceret , quae eſt huiusmodi

DLXX.

D . O . M
Si aut à fortibus vinci , aut à liberalibus placari Mors poſſet , hoc non iaceret in ſaxo Vincentius Caſtruccius Lucenſis Cardinalis , Io. Baptiſtae Caſtruccij EX FRATRE NEPOS , Qui poſt egregiè defenſam Rem Patriae , parem Regi Catholico operam nauaturus Loricatorum Equitum Ductor ſtrenuiſſimus , Vbi immortalitatem quaeſierat , mortem inuenit Die I. Septemb. An. MDCXV. Aetatis ſuae XXXVIII Luxit Caſtruccius Caſtruccij moeſtiſſimus Filius ſepultus cum Patruo fortunam ſuam , & iuſtiſſimi aeternitatem doloris hoc teſtatus eſt monumento . Bellatori proſtrato precare Pacem , Viator . Minùs viues , ſi viuis ſolum , non & mortuis viuas

Mirandus

Mirandus quoque eſt Franciſcus Pola in Elogijs ſuis, Vir antiquitatis ſitientiſſimus, vt eandem recentem corruptelam imbiberit, Elogio ad orationem Valerianam ſcribens: *De tuo agunt patruo, quo tu dignus nepos*: ſibi autem non conſtans (quippe duodecimo antè anno) inſcripſerat ad Aedes Caballinas Veronae: *Octauius Caballius FR. F.* ideſt fratris filius.

Declinauit prudens ſcopulum Author Epitaphij ad Diui Caij, ſuburbium Florentinum, certante elegantia literarum cum operis magnificentia. Videlicet Defuncti marmorea effigie togata inter lugentes binos Genios ita ſubſcripta:

DLXXI.

BARTHOLOMAEVS . CORSINIVS
AN . AET. SVAE . LXVII
OBIIT . XIII . KAL . FEBRVARII
A . D . M. D. C. XIII

Porrò in Obeliſci gemini hinc inde baſibus diſtribuitur ſcitè Epitaphium:

DLXXII.

BARTHOLOMAEO
CORSINIO
BERNARDI . F
SENATORI . FLOREN
IN . PATRIAM
SVOSQ . CIVES
BENEFICENTISSIMO

Hoc in baſi dextera, deinde in laeua

DLXXIII.

NERIVS . PHILIPPVS
CAMILLVS . ET . OCTAVIVS
CAM . APOS . CLERICVS
CORSINII . FRATRES
TEST . HAER
GRATI . ANIMI . MON
PATRVO . POSVER

Vides, vt illum Patruum dixerint, non ſe Nepotes? Vt autem hoc falsò, ita illud ſatis ad gradum cognationis explicandum. Quod de filio fratris, hoc etiam de alio conſanguinitatis gradu intelligendum eſt. V. g. *Nepos meus ex conſobrina*, malè, pro conſobrinae meae filio, vt neque *Nepos meus ex fratre patruele*, pro filio fratris patruelis mei.

Lipſio occaſionem erroris fortè praebuit locus ille Domitij Vlpiani: *De inofficioſo Teſtamento. Nepos contra Patruum ſuum, vel alium ſcriptum heredem proportione egerat* &c. L. *Si Inſtituta de Inofficioſ. teſtament.* Vbi tamen interpretantur Doctores, Nepotis appellationem in ea ſpecie ad Auum, de cuius teſtamento agitur, referri.

Alio itàque ſenſu, & ipſo germano veteribus *Nepos ex fratre* vſurpabatur pro fratris ipſius Nepote, ideſt Filio Filij eiuſdem fratris. Sic obſeruat Ioannes Kahl in Lexico Iuridico, citans Caium in L. 7. ff. *de leg. tut.* Vbi habet: *Veluti frater eodem patre natus fratris filius, nepoſue ex eo*. Item in L. Nemini 17. *C. de Nupt. Nemini liceat contrahere matrimonium cum ſorore, ſororis filia, & ex ea Nepte: praeterea fratri cum filia, & ex eo Nepote. Vt facilè appareat* (ſubdit Kahl) *Nepotem ex fratre eundem omnino eſſe, qui Nepos fratris dicitur*: ex quo eadem ferenda videatur interpretatio (ni meliùs animaduerſio, quia exemplis caret boni ſeculi) Inſcriptioni, caeterà etiam impurae, inter Brabantinas à Sueertio inſertae ſub titulo Syluaeducenſium, nimirum

DLXXIV.

Venerabili D. & Fratri ARNOLDO AB AGGERE, aliàs FOLCARTS, olim Campenſium, & VVeertenſium Guardiano, pòſt huius Conuentus Vicario anno 1572. piè hic mortuo * *EX. VXORE. PATRVO. GVILIELMVS de REIS huius Ciuitatis Conſiliarius, & Syndicus Poſ. & anno 1607. renouari curauit*. Latinè autem, & quidem nitidiùs *Vxoris Patruo*.

Et illam ſimilis cenſura caſtigat, Valentiniano cuſam ſeculo, iccirco barbaram (quam citat Gruterus MLIX. 1. cuius initium eſt: *RVSTICVS Epiſcopus Epiſcopi Bonoſi Filius, Epiſcopi Aratoris de Sorore Nepus* (*u* pro *o* antiquis) vbi intellige Nepotem Sorore Epiſcopi Aratoris genitum.

Nepotis ergo, & *Neptis* germanam ſignificationem petere licet ex antiqua vnius Arcae Inſcriptione gemina (quam adducit Gruterus pag. CCCLX. num. 3.) quae ex vno latere ſic legitur

P. AQVIVS

DLXXV.

P. AQVIVS . SCAEVAE . ET . FLAVIAE
FILIVS
CONSI . ET . DIDIAE
NEPOS
BARBI . ET . DVRICIAE
PRONEPOS
SCAVRA
QVAESTOR . DECEMVIRATIVM
LITIVM . IVDICANDARVM
TRIB . PLEB . AEDIL . CVRVL
IVDEX . QVAESTIONIS. PRAETOR . AERARI
PRO . CONSVLE . PROVINCIAM
CYPRVM . OBTINVIT . VIAR . CVR
EX . VRBE . EX . S. C. IN . QVINQVE
COS . ITERVM . EXTRA . SORTEM
AVCTORITATE . C . CAESAR . ET . S. C.
MISSO . AD . COMPONENDVM . STATVM
IN . RELIQVVM . PROVINCIAE . CYPRI
FECIALIS . CONSOBRINVS . IDEMQ.
VIR. FLAVIAE . CONSI . FILIAE . SCAPVLAE
NEPTIS.BARBI.PRONEPTIS. SIMVL.CVM
EA . CONDITVS

Ex altero Arcae latere

DLXXVI.

FLAVIA . CONSI . ET . SIMIAE . FILIA
SCAPVLAE . ET . SIMIAE . NEPTIS . BARBI
ET. DVRICIAE. PRONEPTIS . CONSOBRINA
EADEMQ. VXOR . P. AQVII . SCAEVAE
CONSI . NEPOTIS . BARBI . PRONEPOTIS
CVM . EO . CONDITA

Appendicem damus è recentibus Epitaphium ſimplex & purum,ſed hoc ipſo ſanum,à Suueertio citatum inter Brabantina monumenta, huiuſmodi

DLXXVII.

D . O . M . S
MARIAE . PIPELINGIAE
PRVDENTISS . LECTISS . FOEMINAE
QVAE . MATRIMONIO . IVNCTA . FVIT
IOANNI . RVBENIO . I. C. ET . SENATORI
ANTVERPIENSI . EOQVE . ORBATA
VIDVITATEM . AD . DIEM . FATI . PER
ANNOS . XXII. RELIGIOSE . COLVIT
PHILIPPVS . ET . PETRVS . PAVLLVS
RVBENII . CVM . NEPOTIBVS . E FILIA
BLANDINA . PIAE . MATRI . ET . B. M. F.
VIXIT . ANNOS . LXX. M. VI. D. XXIX.
OBIIT . XIV. CAL. NOVEMB. A. M.DC.VIII.

Vbi perſpicuè vſurpat Nepotum è filia nomen pro filijs filiae, rectò more, & antiquis trito.

Reſtat, vt quaerenti ſatisfiat: Ecquod vocabulum Latinè reſpondeat vernaculo noſtro Italorum, cùm Fratris filium vna efferimus voce *Nipote*? Nullum, aio, dictione vnica extat Latinis, quemadmodum, vt ſimili pugnemus, neque quod reddatur Italico noſtro *Cognato*, pro Vxoris, vel Mariti fratre, vel *Cognata* pro Fratris vxore, aut ſorore Mariti. Vt ergo exploderetur è medio, ſi quis *Cognati* Latinam appellationem tribueret Vxoris fratri, *Cognataeuè* Fratris Vxori; Quippe Latinis ſecus ab Italis *Cognatus*, quaſi vnà natus, ſeu eodem progenitore natus,quod in Vxore omnino diuerſum, niſi Iuno aliqua fuerit ex poëtarum fabulis, *Iouiſque, & ſoror, & coniux*: & ex dicterio Ciceronis in Antonij ſororem: *Iuno eſt, hoc eſt ſoror, & coniux* (etſi non negem, inter cognatos, multiplici tamen gradu diſiunctos contrahi quandoque poſſe matrimonia) Haud ſecus ſi quis Latinè eandem, quam vulgus hodie Italorum vocem Nepotis, Neptiſuè ſenſu eodem, ac ſignificatione reddiderit.

Siquidem in voce *FRATRIA*, quam pro Fratris Vxore protrudunt aliqui, non conuenit inter Iuriſconſultos; nec de *GLOS* pro Viri Sorore, nec de *LEVIR* pro Viri Fratre, nec de *SORORIVS* pro Sororis Viro; Vt propterea Inſcriptiones binae apud Gruterum, in queis legitur *SORORIVS* ſuſpectae videantur barbariſmi, altera quidem Tranſyluanica, pag. CCCCLXXXII. num. 1. Altera MLII. n. 11. quae inter Chriſtiana cenſetur, & apertè barbaram arguit tum abuſus vocis *Cognatus* pro fratre Vxoris, tum ſeries tota, & forma inſcribendi, vt legenti patebit: Eſt autem huiuſmodi

DLXXVIII.

B . M . IN . PACE
FLANIGGO . SCVTARIVS
SCOLA . TERCIA . QVI
VIX . ANN . L . M . XV
MILITAVIT . ANN . VI
COGNATVS . DVLCISSIMVS
SORORIO . AMANTISSIMO

Ipſe titulus *B. M.* ideſt Bonae memoriae,quàm longè abeſt à Latinorum vſu? Se verò appellare *dulciſſimum*, alterum *amantiſſimum*, praepoſterum videtur. Ita haec vna ex illis Inſcriptionibus fuerit, quas vti purgamenta infelicium ſeculorum meliùs reiectarit Gruterus, ni altiore

forte

forte conſilio reliquias omnes, & quaſi rudera fugitiuae vetuſtatis colligere; prudéti autem poſteritati ſecernenda committere ſtatuiſſet.

Adhuc purgata ſuſpicione Inſcriptionis Tranſyluanicae, illa tamen voce *Sororius* abſtinerem, quando teſte Mario Nizzolio ſignificat Sororis ſimul & Virum, & Fratrem, & Filium. Ita declinari ambages errorum iubet propoſita elogio, in hiſtoriali praecipuè, Perſpicuitas: quam quidem deſiderat Epitaphium illud Mediolanenſe in Diui Franciſci apud Puccinellium in ſuo Zodiaco, videlicet:

DLXXIX.

PAVLVS . RAYMVNDVS . VIR
NOBILIS . . . . HOC . SAXO
TEGI . A . IO. IA. BALSAMO . I. V. C
SORORIO . ET . HEREDE . IVSSIT
SPIRITVM . DEO . REDDIDIT . AN. SAL
M. D. VIII. DIE . XX. FEBR

Iam quod vulgò appellant Itali *Cognato*, Latinè eſſe *Fratrem Vxoris*, probat ex Antiquis Inſcriptio penes Gruterum pag. DLXVIII. num. 5.

DLXXX.

C. VIBIVS . T. F. CLV
PANSA . TR. MIL. BIS
DOMITIAE . L. F. MAXIMAE
VXORI . ET
L. DOMITIO . L. F. OVF * ideſt *Ouſentina tribu*
LIBERALI
FRATRI . VXORIS

Quod imitatus eſt in recentibus Bartholomaeus Comes in Epitaphio Maioragij Mediolani in Porticu Ambroſiani Templi, teſte Primo Comite ad Petrum Galeſinium, videlicet:

DLXXXI.

M. ANTONIO
MAIORAGIO
DICENDI . MAGISTRO
SINGVLARI
LATINIS . GRAECISQ. LITERIS
PERPOLITO
ET . LIBRIS . EDITIS . ILLVSTRI
QVI.PVBLICE.DOCVIT.ANN.XIIII
VIXIT . XLI
BARTHOLOMAEVS . COMES
VXORIS . FRATRI
B. M. POSVIT

Digna etiam quam citemus (eſt ex Selectis Delicijs apud Suueertium) Inſcriptio Brugenſis:

DLXXXII.

IO. LVDOVICO . VIVI . VALENTINO
OMNIB. VIRTVTVM . ORNAMENTIS . OMNI . DISCIPLINARVM . GENERE
VT . AMPLISS. IPSIVS . LITERARVM . MONVMENTIS . TESTATVM . EST
CLARISSIMO
ET . MARGARITAE . VALDAVRAE
RARAE . PVDICITIAE . OMNIB. Q. ANIMI . DOTIBVS
MARITO . SIMILLIMAE . SEXVSQVE . FOEMINEI . ORNAMENTO
VTRISQVE . VT . ANIMO . ET . CORPORE . SEMPER . CONIVNCTIS
ITA . HIC . SIMVL . TERRAE . TRADITIS
NICOLAVS . ET . MARIA . VALDAVRA
SORORI . ET . EIVS . MARITO . B. M. MOESTISS. POSS

Tandem Nepotis vocabulum, vt principio innuimus, de foemina quoque dici, praeter teſtimonium Nonnij ex Ennio, confirmat vetus Inſcriptio Romana apud Gruter. pag. DCLXXVIII. num. 11.

DLXXXIII.

D . M
CORNELIAE . CASTAE . QVAE
VIX . ANN. X. M. V. FEC
ETEREIA . FORTVNATA . NEPOTI
SVAE . ET . ETEREIO . PRISCO . LIB. SVO
B. M. ET . SIBI . ET . SVIS . LIB. LIBQ * *Libertis libertabuſque*
POSTERISQ. EORVM . &c.

Haec

Haec dum praelo committimus ad aliam properantes materiam, ecce nobis nouae intelligentiae occaſio, corruptelae nimirum vulgaris in hac locutione, *Nepos ex fratre*, *ex ſorore*, altiorem exiſtere aetate Lipſij originem: fortaſſe agentibus tanti Viri Manibus, ne praeclariſſima eius merita de Re literaria ob admiſſam vitio illius aetatis aliquam barbariem Scioppiana calumnia delerentur. Namque ad manus noſtras nunc quidem commodùm tranſmittit faſcem Inſcriptionum Mediolanenſium Placidus Puccinellius ſtudioſiſſimus veterum memoriarum, quas ipſe coràm, & manu ſua exſcripſit, & magnam partem dederat in lucem coactas ad calcem libri, quem inſcripſit Zodiacum Eccleſiae Mediolanenſis. In ijs hanc reperimus poſitam in Diui Antonij apud Patres Clericos Regulares Theatinos, videlicet:

DLXXXIV.

ANTONIO . TRIVVLTIO . CARDINALI . INTEGERRIMO
SACRATISS. HVIVS . AEDIS . CONDITORI . MVNIFICENTISSIMO
AVGENDORVMQ. EX . SACERDOTIO . PROVENTVVM . AVCTORI . ET
VINDICI . SOLERTISSIMO
PETRVS . TRIVVLTIVS . EX . FRATRE . NEPOS
CVI . ILLE . VIVENS . HAEC . OMNIA . RESIGNAVERAT
AD . AETERNAM . GRATIAM . MONVMENTVM
M . D . X

Sed huius Inſcriptionis antequam iudicium interpoſuerimus noſtrum, fieri voluimus certiores de ipſo cognationis nexu inter duos hos Triuultios; Et ipſe quidem Puccinellius huiuſce memoriae conſultiſſimus, rem nobis expingens: Is, inquit, Antonius Petri quondam Triuultij ex Laura Boſſia Filius, Ioannis frater fuit, à quo ex Angela Martinenga hic Petrus quintogenitus. Ita illud exploratiſſimum effecit, locutionem in marmore allegato, *Ex fratre nepos* ex interpretatione vulgi corrupta fuiſſe allatam. Porrò ſubſcriptus annus, quo poſitum monumentum, hoc eſt M D X euincit, praeceſſiſſe natalem Lipſij, ne dum profeſſionem, qui natalis, vti praenotauimus, incidit in MDXLVIII. Mecum igitur plaude, quiſquis es, lector candide, plaude Lipſij Manibus de Scioppio aduerſario in hoc certamine triumphantibus.

Id quod praeiudicare videtur alteri memoriae antiquiori ex faſce nobis allato, quae extat Mediolani in Diui Franciſci in haec verba:

DLXXXV.

D . M
NICOLAO . SOVICO
QVI . PRO MERITIS . A . MARCO . ET . GABRIELE . FR. GALLARATIS
EX . SORORE . NEPOTIBVS . GRATIA . RELATA . T. T. POSVIT
AC . PRO . SE . POSTERISQ. N. S. OBIIT . IV. SEPTEMB . AN . SAL
MCCCCLXXIV.

Suadet enim conditio illius temporis, vt formulam illam ſumamus, non ex recondita interpretatione Ioannis Kahl in Lexico Iuridico ſup. citata, ſed magis ex ignorantia vulgi pinguiſſima, quā ne euicit quidem perſpicaciſſima Lipſij mens: ſi modò verum eſt admiſiſſe huiuſmodi mendum, cuius certè Auctorem immeritò conſtituiſſe deprehenditur Scioppius.

CASTELLVM, PAGVS, VICVS, OPPIDVM, VRBS, MVNICIPIVM, VILLA, PROVINCIA, REGNVM, BVRGVS.

Membrum XIII.

HAE ſaepe voces in hiſtoricis Inſcriptionibus obuiae; quas ita eruditi deſcribunt, atque diſtinguunt:

I. *CASTELLVM* diminutum à Caſtro. Eſt

Eſt autem *Caſtrum* locus muris munitus, à cuius ſimilitudine vocatur, vbi milites tentoria figunt, foſſam & vallum quaſi murũ circumducentes; tametſi diſtinctionis gratia numero multitudinis, *caſtra, -orum* efferant, quae etiam dicuntur caſtra militaria. A Caſtello *Caſtellanus*, i.e. Caſtelli habitator. Hodie vulgus, ſed impropriè Caſtellanum vocat, qui Latinis Praefectus Arcis, de quo repete ſup. Claſſem III. membr. XVII.

II. *PAGVS* interdum plures ſignificat ruſticanas domos in vnum coagmentatas, abſque moenibus: interdum tractum, ditionem, agrumque vnius iuriſdictionis, ex multis vicis conſtantem, ſicut Vicus ex multis conflatur caſis. Priore ſignificatu interpretanda eſt Inſcriptio Meſſanenſis, citata à Suucertio in Delicijs ſelect. Videlicet

DLXXXVI.

CHRISTOPHORO LAVRO PERVSINO I. C. & Equiti Hieroſol. Qui à Laurentio Celſo tùm Peruſiae Vmbriaeque Gubernatore adoleſcens ad Romanam Aulam tranſductus, fide, prudentia, integritate, varijſq. ingenij ſuauitatibus tres ſibi ampliſs. Principes inprimis conciliauit, Vincentium Laurum Tropienſem, Siluium Sabellum Romanum, Bonifacium Beuilaquam Ferrarienſem Cardd. Flamen deinde, depoſita Vicarij Mamertini perſona, in itinere Melitenſi, difficillimo contracto morbo, ſexagenario maior, ignobilem PAGVM ſua ſepultura illuſtrauit. Julianus Caſtaneaceus popularis, nunc, & Mamertinus Amico opt. Poſ. Anno MDCXVII

III. *VICVS* aut extra Vrbem eſt, conſtans ex caſis pluribus nulla munitione ſeptus; aut in Vrbe, eſtque ſeries aedium continuata; non autem Via ipſa. Sic loquitur Cicero III. offic. *Omnibus*, aiens, *vicis ſtatuae factae ſunt*. Neque enim media via, ſed prope aedes ponuntur ſtatuae. Vici in Vrbe memoria legitur Romae, citata à Iano Grutero pag. CCCCLXXVIII. num. 1. huiuſmodi

DLXXXVII.

M. VALERIO . M. F. PAL
AMERIMNIANO
VIXIT . ANNIS . XVII . MENSIB
VIII . DIEBVS . DVOBVS . HOR. X.
M. VALERIVS . M. F
AMERIMNVS
PATER . INFELICISSIMVS
FILIO.SANCTISSIMO.ET.PIENTISSIMO
FECIT
NATVS . EQVES . IN . VICO . IVGARIO

In Vico autem natus, in aedibus intellige, non in via. Item altera Romana apud eundem pag. CCCXCIIX. n. 5.

DLXXXVIII.

L. CORNELIO . L. F
SVLLAE . FELICI
DICTATORI
VICVS . LACI . FVND * i.e. *Fundani*

Interpretare habitatores Vici, per Metonymiam Continentis pro Contento.

Vna vero & eadem Via Vicis conſtabat pluribus, ſicuti aedium tractus tranſuerſis alijs vijs paſſim abrumpitur.

Vici extra Vrbem (vnde Vicani, qui in vico ruſtico habitant) exemplum praebet Gruterus pag. CCCCXXIII. n. 1. in marmore agri Tudertini, in Vico hodie Caſſigliano

DLXXXIX.

L. IVLIO . L. F
CLV . MARCIANO
AED. II. VIR. TVDER
VICANI . VICI . MARTIS
TVDERT . EX . AERE . COLL
OB . MERITA . EIVS . L.D. D. D
CVRAM . AGENTIBVS
L. IVLIO . PRIVAT . PATRE
ET. IVLIO . PRIMINO . AMICO

IV. *OPPI-*

IV. *OPPIDVM* aliquando infra Vrbem eſt, vt apud Cic. lib. V. Epiſt. X. Aliquando pro Vrbe vſurpatur, vt apud eundem Ad Attic. lib. III. Epiſt. VII. & lib. IV. Epiſt. V. Sulpitius. Hinc *Oppidani*, oppidi habitatores, cùm infra vrbem eſt: *Ciues*, cùm Vrbem indicat. Ex recentibus exemplum offert, & quidem Oppidi infra Vrbem, Sigiſmundus Boldonius in ſuo Lario, Qui cum dixiſſet: *Vncam vero ſequitur clariſſima toto Lacu, & Vrbi ſimillima Garbedona*, proximè meminit Inſcriptionis in marmore lucullaeo aureis literis, poſitae in fronte Regiarum Aedium ad Larium Lacum, videlicet:

DXC.

Ptolemaeus Gallius S. R. E. Cardinalis Comenſis Trium Plebium Grabedonae, Surici, Dongi Comes, & Dominus, Aëris temperiem, Loci amoenitatem ſequutus, Oppidum nobile Gradebonam, ampliſſimis Aedibus, Hortis, Fontibus exornauit, & nobilius reddidit

V. *VRBS* Oppido praecellit, vel cùm pro ea hoc vſurpatur. Nam ſicut Graecis Ἄστυ Athenae, ita Latinis Roma Vrbs κατ' ἐξοχὴν dicebatur. Sonat itaque nomen Vrbis quiddam ſingulare, ac praeſtans, Et, cùm multae terrae, aut oppida memorantur, Vrbis nomen Principi datur, cuius ſub ditione illa ſunt. Hinc P. Iouius in Deſcriptione Larij Lacus, de opportunitate ſitus Vrbis Comi diſſerens, *Quidquid enim*, inquit, *mirum in modum excultae montium radices ferunt, quidquid ſyluoſa, excelſaque nemora humanis vſibus praebent, quidquid in herbidis, ac inſertis Caelo Alpium iugis armenta progenerant, ſubiectus, & ſeruiens Lacus excipit, VRBIQ. Dominae facili conuectione dilargitur.*

VI. *MVNICIPIVM* Ciues habebat Romana donatos Ciuitate, ac participes cum ciuibus Romanis omnium rerum ad munus fungendum, quandoque etiam ferendi ſuffragia, magiſtratuſque capiendi. Conſule Onuphrium Panuinium Veronenſem in Commentario Reip. Romanae lib. III. de Municipijs, vbi maximè de Municipio Tuſculo. Eiuſque incolae *Municipes*. Ita non quaeuis ciuitas municipij nomen habet, nec, vt quidam falsò autumat, ſynonymum eſt oppidi. Municipes Veronenſes dixit Pola, quod intelligat, neceſſe eſt, capaces munerum Venetae Ciuitatis Dominae. Sic enim inſcripſit:

DXCI.

HABES POSTERITAS
Quod per tua ſecula glorioſè narres
MVNICIPES VERONENSES
Ex vſu Publicae Rei, Diuinaeque dignitate
Iudaeos per Vrbem palantes
Nunc in locum ſeptum
Certis legibus, ſanctionibus
Concluſerunt
Haud illubentes
Anno MDIC
Iulio Caeſare Nogarola Comite
M. Ant. Fontanella Iuriſconſ. Curant
Gratiadeo Rambaldio.
Factum hoc immortale
Auſpicijs, Conſilijs, Praeſent aeq.
Auguſtini Valerij Cardinalis
Patris Veronae
Acceptum referto

VII. *VILLA* domus eſt extra Vrbem aedificata; Eſtque alia ruſtica (ideſt ea pars villae, quam colonus habitandam ſibi obtinet) alia vrbana, etiam Praetorium dicta (i. e. ea pars, quam Dominus ſibi recepit) elegantiùs, amoeniùſque aedificata ad nitorem vrbanum potiùs, quàm ruſticum. Elegans, morata, caſtaque Inſcriptio legitur apud Octauium Ferrarium, in hanc formam

NICOLAVS

DXCII.

NICOLAVS LEVCIVS
Villam à Parente inchoatam
Laxiùs ac Magnificentiùs inſtruxit
Agri limites innocenter extendit
Documento poſteris
Augendi per honeſta Patrimonij

Eadem *Suburbanum* nomen habet, cuius extat exemplum apud Octauium Ferrarium de Benedicto Siluatico Bartholomaei Filio, cuius Elogij accipe fragmentum in rem praeſentem, vitandae molis gratia, videlicet:

DXCIII.

Paternum Suburbanum mòdico lare, ac tecto, & anguſto per obliquos tramites acceſſu in commodum laxatis veteribus, nouis adiectis cubiculis, porrecta fronte ſurgentium pinnarum coronamento antiquum tholum cingente in ampliorem & auguſtiorem hanc formam redegit. Et vt mollior aditus eſſet, collis dorſo clementer accliui ſcalas ſupino aſcenſu, vagoque per amoena deſpectu ſuſpendit. Praeterea obiacentem colli planitiem directa area explicuit, & diductis hinc inde riuis, placidè alluentis fluminis commercio aditum aperuit, ac totius aedificij proſpectum nauigantibus propiùs admouit

Eandem aliter expreſſit idem Ferrarius in ſuperioris ſenſum de Nicolai Leucij Villa.

DXCIV.

PATERNA RVRA
Aedibus Vrbanae magnificentiae
Sine ſtrepitu aemulis
Excoluit
Latifundijs extendit
Ac priuatum Pomoerium
Produxit
Incitamento minoribus
Vt rem per honeſta meliorem
Faciant

VIII. *PROVINCIA* bifariam vſurpata. Primò veteribus erat Regio longè ab Italia, bello acquiſita, cui regendae mittebantur Conſulares, aut Praetorij. Hodie ſi quis non bello, ſed voluntaria deditione receptam regionem nomine Prouinciae donet, haud ineptè, credo, dixerit. Nam ſi ſecundò id nomen ad quoduis onus, ſeu munus conſignificandum traduxere veteres ex ſimilitudine Praefecturae, atque adminiſtrationis Prouinciarũ, quid ni regionem quoque omnem, quòd per Praefectos regi poſſit, commoda trãſlatione notemus? Hoc vnũ ex ijs vocabulis eſt, in quo (vt Quintilianus loquitur lib. I. cap. V.) audendum eſſe docuit in primis exemplo ſuo recens Elogiaſtes magni nominis Io. Andreas Albertus è Soc. Ieſu, Elogio de Sereniſs. Io. Baptiſta Lercario Genuẽſium Duce, ſic habens:

DXCV.

Libertatis in primis appetens libera in prouincia
Honeſtum nec reputaſſet vèl honoribus ipſis ſeruire
Cùm ingenuitati, tum pietati ſatis vt faceret,
Honores etiã ipſos patriae vtilitati famulares deuouit.
Quae ſola ſeruitus illuſtris eſt.

ſcilicet Rempublicam Genuenſem, quam iuſtè dixiſſet, Regnum, maluit Prouinciam dicere, & ipſam liberam, nedum armis ſubactam, aut imperio, ne ſponte quidem, parentem alieno. Superiùs autem adoleſcentiam illius ornans eadem voce, translatione alia vſus, *Principem*, inquit, *ſi mores faciunt, Princeps hic fuerat, Vèl ſine veſtris ſuffragijs, Genuenſes. Dignam ſe nactus PROVINCIAM ſenſus ſuos. Sibi nunquam non imperans adoleſcens, Imperij poſuit tyrocinia.*

IX. *REGNVM* propriè Regio eſt, quae à Rege poſſidetur: Trãslatè verò quidquid locorum à quoquam poſſidetur. De Dynaſta, qui Rege inferior eſt, & eius ſupremo imperio ſubditus (quem hodie Feudatarium vocant) extat pernobile exemplum apud P. Iouium in deſcriptione Larij Lacus, vbi alloquens Franciſcum Sfondratum, de ipſius inibi Ditione, ex qua Comes Riperiae nuncupatur, ait: *Ab hoc verò Plonae Promontorio REGNA TVA panduntur, in quae peruenimus*. Cyrenes quoque nymphae ſub aquis ſedem vocat Regnum Virgilius

Iamque domum mirans, genitricis, & humida Regna. IV. Georg.

Et Apum ſedem, vbi mellificant, idem

......*Ipſae Regem, paruoſque Quirites*
Sufficiunt, aulaſque, & CEREA REGNA
refingunt. ibidem.

Plura petentur ex Theſ. ling. Lat. in Voce *Regnum*.

X. *BVRGVS*, ſiue congregationem domorum ſignificet, quae muro non clauditur, ſiue cum muri, ac turrium munimento; ſiue oppidum munitum; ſiue caſtra; ſiue caſtellum paruulum, ſiue quid aliud, vox quidem certè in Germania natales habuit, minimè idcirco Latinè adhibenda, praeterquàm vbi vel ſimplex, vel compoſita rationem habet nominis proprij. Simplex, vt quae in Sardinia locum indicat numero pluratiuo: Compoſita, vt Aſciburgi oppidum, & alia plura in Germania. Tunc enim omnino tenenda. Hinc P. Iouius in Deſcriptione Larij Lacus de Volturrena Vrbe diruta: *Viſunturque*, inquit, *hodie veſtigia dirutae vrbis ad Burgum-Franconem*. Caeterùm ſubſtituenda genuina appellatio, ac barbarae habendae Inſcriptiones, in queis Burgus legitur, vt illa Auſtriaca Viennae, quam citat Auctor Inſcript. ſacroſ. Vetuſtatis pag. CCCCII. videlicet:

DXCVI.

D. D. D. N. N. N. VALENTINIANI . VALENTIS . ET . GRACIANI PERENNIVM . AVGVSTORVM . SALVBERRIMA . IVSSIONEM . HVNC BVRGVM . A . FVNDAMENTIS . ORDINANTE . VIRO . CLARISSIMO EQVITIO . COMITE . ET . VTRIVSQVE . MILITIAE . MAGISTRO . INSISTENTE ETIAM . LEONTIO . PP. MILITES . AVXILIARES . LAVREACENSES . CVRAE EIVS . COMISSI . CONSVLATVS . EORVNDEM . DOMINORVM . PRINCIPVMQVE NOSTRORVM . TERTII . AD . SVMMAM . MANVM . PERDVXERVNT PERFECTIONES

Quam multa alia hic cernis corruptelae illius ſeculi veſtigia?

DECAPITATVS & SVB REGE PHILIPPO

Membrum XIV.

CEnſorem inſcriptionis ſacrae, corrupto ſeculo cuſae (quae & hodie legitur Mediolani prope Arcem) nihil in ea ſanum, ac purum reperiri contendentem, excuſſis bonae notae ſcriptoribus coarguimus: Inſcriptio eſt huiuſmodi

DXCVII.

In hoc loco, vbi fixa eſt haec Columna decapitatus fuit Sanctus Protaxius Anno ab Incarnatione Domini LVII. Die XVIIII. Iunij ſub Comite Aſtaxio

Barbaram illae quidem voces demonſtrant; *Decapitatus* à Voſſio expuncta lib. IV. Cap. V. de Vitijs Serm. cui ſubſtituit *Decollatus* Tiberij aeuo nouatam; puriùs tamen *Securi percuſſus*: Item *Incarnatio Domini*, quam nos ſuprà animaduertimus Claſſe IV. Membro XXIV. Dierum quoque Menſis numerandorum ratio Romanis priſcis incognita *Die XVIIII.* Iunij pro quo XIII. Cal. Iulij: Verùm cur illa clauſula *ſub Comite Aſtaxio* barbarie notaretur, niſi fortè abuſus literae X in Aſtaxio, pro s, Aſtaſio, quod vltrò admittimus, vti ſuprà *Protaxius* pro Protaſius, non videmus: Cùm locutio *Sub Comite*, quae illius indicat tēpus Regnantis, Imperantis, Adminiſtrantisve prouinciam, nota ſit boni ſeculi ſcriptoribus. Quintilian. Orator. Inſtit. lib. V. Cap. X. *Prius*, inquit, *illud eſt Nunc, Olim, ſub Alexandro, cùm apud Ilium pugnatum eſt*. Iuſtinus quoque Hiſtor. lib. II. *Per ordinem deinde ſucceſſionis Regnum ad Erichibeum deſcendit, ſub quo frumenti ſatio apud Eleuſin à Triptolemo reperta eſt*. Suetonius quoque in Veſpaſiano Cap. XIV. *Trepidum eum interdicta Aula ſub Nerone, quaerentemque quidnam ageret, aut quò abiret, quidam ex officio admiſſionis ſimul expellens, abire Morboniam iuſſerat*. Quibus ex locis liquet Latinè inſcriptum ibi fuiſſe, *Sub Comite Aſtaxio*, qui ſcilicet nomine Caeſaris prouinciam Mediolanenſem

diolanenſem regebat.

Non negamus dictum iri elegantiùs per Ablatiuum Abſolutum, vt *Comite Aſtaſio*, quemadmodum *Cicerone Conſule*, *Carolo V. Caeſare*, *Philippo Rege*, *Alexandro VII. Summo Pontifice*: eſt enim *Comes* dominantis nomen, vt adnotatum ſup. Claſſe III. Membro IV. de voce *Feudum* §. *Comes*: Seu mauis *Aſtaſio gubernante*, vt in ſimili Inſcriptione Neapolitana, ex Delicijs Select. Apud Suueertium, videlicet:

DXCVIII.

PHILIPPO · REGNANTE
IOANNES . ZVNIGA . PROREX . VT . AFFECTI . MORBO . CVSTODIA
NON . COMMODIORI . MODO . SED . AMOENIORI . ETIAM . LOCO
CVRENTVR . VALETVDINARIVM . QVOD . MVLTI . ANTE . PROREGES
DESTINARANT . EFFLAGITANTIVM . ASSIDVIS . PRECIBVS . PRAEFECTOQVE
OPERI . CL. EQVITE . IOANNE . NICOLAO . MINATVLO . FELICITER
EXTRVXIT . QVO . TEMPORE . PHILIPPVS . REX . CATHOLICVS . ET
IDEM . DOMINVS . NOSTER . DEVICTOS . BELLO . LVSITANOS . IN
SVAM . DITIONEM . REDEGIT . ANNO . MDLXXX

Ita pariter dicemus, *Alexandro VII. ſedente*, nam Sedes de Pontifice Max. vſurpatur, quia Sedes eſt Apoſtoli Petri. Et *Ferdinando II. Medice M. Duce Etr. dominante* &c.

COLLEGIATVS

Membrum XV.

COLLEGIATVS pro eo, qui de Collegio eſt, vox nouata ſequioribus ſeculis, quam etſi Voſſius non planè barbaram eſſe dicat, quippe in Codice Theodoſiano allatam (lib. V. de locat. fundor. iur. emphyteut.) vbi habetur: *Municipes Collegiati, & corporati Vrbium*: tamen ſufficit eſſe ignotam Scriptoribus claſſicis, Voſſio ibidem teſte, ac aliquatenùs notatam barbaria, vt ab ea ſtudioſus purae Latinitatis abſtineat; praeſertim cùm ipſius primitiua vſum omnem praebeat. Nam ſiue de externis agatur, *Collegium* dices pro Collegiatis, vt apud Gruterum pag. XII. num. 6.

DXCIX.

I . O . M
PRO . S. IMPERA
TORIS
COLLEG. AVRA
RIORVM. L
CALPVRNIVS
D . D

Aut eius ſynonymon *Corpus* adhibebis, Vt apud eundem CCCXCI. num. 1.

DC

TI. CLAVDIO . ESQVIL. SEVERO
DECVRIALI . LICTORI . PATRONO
CORPORIS . PISCATORVM . ET
VRINATORVM.QQ.III.EIVSDEM.CORPORIS
OB . MERITA . EIVS . &c

Siue ad ipſos homines è Collegio reciprocetur, vox ipſa quadrabit, vt CLXXV. 8.

DCI.

TI. CLAVDIVS
CHRESIMVS . OB. HON
QVINQVENNALITATIS
COLLEGIO . DENDROPHOR
ROMANOR. QVIBVS . EX
S. C. COIRE . LICET. ARGEN
TI. P. X. ET . H. S. X. MILLIA . N
REDDEDIT

Siquidem is accepto in quinquennium honore praſecturae in ſuo Collegio, gratum animum largitione illa prae ſe tulit.

Siue etiam vnum ex ipſis compellare opus ſit, Collegam dicent, ipſi autem Collegae; nunquàm verò Collegiatum Collegiati. Quare quae duo marmora à Grutero referuntur, cenſuram vtique poſcunt non boni ſeculi: alterum pag. CCCCXLIX. num. 6. videlicet. In agro veronenſi, Piſcheriae.

DCII.

G. PETRONI . C. F
POP. MARCELLINI
INTER. PRIMOS . COLLEGI
ATO . IN . COLLEGIO . NAVICVLA
RIORVM . ARDELICENSIVM . CVI
COLLEGIO. DEDIT. LEGAVITQVE
SS. N. II. AT. SOLEMNIA. CIBVS
ƎT. ROSARVM . SIBI. ET. CONIVGI
PETRONIA . PIA . PATRI
PIENTISSIMO

Vbi *Inter primos collegiato in Collegio Nauicula-riorum* puriùs dictum foret; Inter primos adlecto in Collegio &c. Sed prima ipſa litera G pro C contra veterum communem vſum index eſt reliquae impuritatis. Simile eſt alterum marmor Brixianum apud Grut. pag. DCCC. num. 13. videlicet:

DCIII.

AVR. VIVI. QVI
VIXIT. ANN. XLV
COLLEGIATI. EIVS
AMICO . KARISSI-
MO . PRO . MERITIS
EIVS . FECERVNT

COLLEGAE vox nondum inter vetuſta marmora oblata eſt nobis; ſed quod antiquis in rem noſtram probetur, fidem facit ſuperioris ſeculi monumentum Romae (citatum à Suuertio in Select. Delicijs) & quidem optimae notae, quod citare hic quoque non pigeat. Eſt autem

DCIV.

HADRIANVS . VI. PONT. MAX
Ex Traiecto inſigni inferioris Germaniae vrbe
Qui dum rerum humanarum maximè auerſatur ſplendorem
Vltrò à Proceribus ob incomparabilem ſacrarum diſciplinarum
Scientiam, ac propè Diuinam caſtiſſimi animi moderationem
CAROLO V. Caeſari Auguſto Praeceptor
Eccleſiae Derthuſenſi Antiſtes
Sacri Senatus Patribus Collega * Collega
Hiſpaniarum Regnis Praeſes
Reipublicae denique Chriſtianae diuinitùs Pontifex abſens
Adſcitus Vixit Annos LXIV. Menſ VI. D. XXIII. Kal. Octob.
Pontificatus ſui Anno II.
VVilhelmus EnKefortius illius benignitate & auſpicijs Tit.
SS. Joan. & Pauli Presbyter Card. Derthuſenſis fac. cur.
Quo Romanorum Sextus Pater atque Sacerdos
Hoc etiam Pietas conditur in tumulo.

PROH . DOLOR . QVANTVM . REFERT . IN . QVAE . TEMPORA . OPTIMI
CVIVSQVE . VIRTVS . INCIDAT

COLLEGIALIS FIDES occurrit in Ara Marmorea peruetuſta (de qua Gruterus pag. CCCXXII. num. 4.) Saſſinae in Flaminia, cuius in ſiniſtro latere ità inſcriptum:

DCV.

CAPVT . EX . TESTAMENTO
CETRANIAE . SEVERINAE
COLLEGIS . DENDROPHO
RORVM . FABRVM . CENTO
NARIORVM . MVNIC. SASSI
H. S. SENA . MILLIA . N̄. DARI
VOLO . FIDEIQ. VESTRAE . COL
LEGIALI . COMMITTO . VTI
EX . REDITV . H. S. QVATERN. M̄
N̄. OMNIBVS . ANNIS . PRID
IDVS . IVN. DIE . NATALIS
MEI . OLEVM . SINGVLIS
VOBIS . DIVIDATVR . ET
EX . REDITV . H. S. BINVM
MILIVM . N̄. MANES
MEOS . COLATIS . HOC
VT . ITA . FACIATIS . FIDEI
VESTRAE . COMMITTO

STATVS

STATVS

Membrum XVI.

STATVS, ſi pro conditione, Fortunauè ſumatur, tantumdem Latinè vſurpatur; quantùm barbarè, ſi pro terris ditioni, atque imperio alicuius Principis ſubiectis. Non aggeramus veterum Scriptorum exempla de priore ſignificatione, ad Theſauros linguae Lat. Lectorem remittentes. Recens autem dabit optimum ex Elogiaſtis Petrus Labbè de Ludouico XIII. Gall. Rege, Elog. XXV. vbi Rupellam contumaciter obſiſtentem obſidioni Regiae ſic alloquitur: *Quid expectas infelix Rupella? Diſce toties ſuperata, ſemel vinci.* (& poſt pauca) *Iam tredecim tuorum ciuium millia fames abſumpſit. Si longiùs reſiſtis, Braui hic te STATVS excipiet, In quo nec vinci poteris, nec ſeruari.* De poſteriore autem ſignificatione ad cenſuram vocabimus Inſcriptionem recentiſſimam rudi Minerua excuſam, Mediolani in Aede Diui Franciſci, Sacello S. Antonij Patauini in has literas; vti ad nos tranſmiſit Placidus Puccinellius; videlicet:

DCVI.

*IO. BAPTISTA. FINALIS. COMMISSARIVS. GENERALIS. REGIS PRAESIDIORVM. TOTIVS. * STATVS. MEDIOLANENSIS. INEVITABILE MORTIS. FATVM. COGITANS. SIBI. HOC. LOCO. VIVENS. POSTERISQ. SVIS. MONVMENTVM. ELEGIT. ANNO. MDCXLIX. DIE. XXIII. MAR*

Et alteram in D. Alexandri apud Ordinem noſtrum Mediolani

DCVII.

FERRANDVS. DOSSENA
REGIVS. FISCALIS
GENERALIS
** STATVS. MEDIOLANI*
SIBI. ET. POSTERIS

Pro ſtatu repone hic *prouinciam*, ſeu *ditionem*. Prioris vocabuli occurrunt paſſim exempla: poſterioris autem legitur in Sel. Del. apud Suueert. inter Vrbinatia in Arce.

FEDERICVS. VRBINI. DVX. &c *Italicae confoederationis Imperator hanc domum à fundamentis erectam gloriae ac poſteritati ſuae exaedificauit. Qui bello pluriès depugnauit, ſexiès ſigna contulit, octiès hoſtem profligauit, omniumque praeliorum victor DITIONEM auxit. Eiuſdem Iuſtitia, Clementia, Liberalitas, & Religio pace victorias aequarunt, ornaruntq.*

Neque refragatur placito noſtro Iuſtini locus hiſt. lib. VII. vbi haec legimus: *Vt eſt ingreſſus* (Philippus Macedo) *Imperium, magna de illo ſpes omnibus fuit, & propter ipſius ingenium, quod magnum ſpondebat virum, & propter vetera Macedoniae fata, quae cecinerant, vno ex Amyntae filijs regnante florentiſſimum fore Macedoniae ſtatum* &c. haud namque obſcurum eſt ſignificari hic pro ſtatu conditionem, opes, fortunam, rerumque ſiue ciuilium, ſiue bellicarum prouentum. In quem ſenſum legitur Romae in Baſi columnae prae foribus S. Mariae Maioris purgata aequè, ac elegans memoria, videlicet:

DCVIII.

PAVLVS. V. PONT. MAX
Columnam veteris magnificentiae monumentum informi ſitu obductam neglectamque ex immanibus Templi ruinis, quod Veſpaſianus Auguſtus acto de Iudaeis triumpho, & REIP. STATV CONFIRMATO Paci dicauerat, in hanc ſplendidiſſimam ſedem ad Baſilicae Liberianae decorem augendum ſuo iuſſu exportatam, & priſtino nitori reſtitutam
BEATISSIMAE. VIRGINI
EX. CVIVS. VISCERIBVS. PRINCEPS. VERAE
PACIS
GENITVS. EST
Donum dedit, aeneamq. eius ſtatuam, eius faſtigio impoſuit
AN. DOM. MDCXIV. PONT. IX

Hinc illa quoque barbaries in appellatione *Secretarij Status*, quem nos Latinè dixerimus *A ſecretis ciuilibus*, ſiue *Politicis*, vt ab altero diſtinguatur *A ſecretis bellicis*, de quo ſuprà nonnihil libatum Claſſe III. Profan. Magiſtrat. Memb. VII. Et quod legiſſe nos meminimus in recenti marmore apud Suueertium, *Ad rerum ſtatus Belgici conſilium adſcitus*, Latinitatis munditіes exigit, vt legatur *Ad conſilium Belgij politicum*. Obſeruanda eſt formula illa vetus, ad quam (teſte Roſino de Romanis Antiquitatibus lib. X. Cap. XXIX.) Imperatores triumphaturi poſt diſtributa militibus ſpolia, remque ſacram peractam, currum conſcendebant ita precati:

DCIX.

DII . NVTV . ET . IMPERIO . QVORVM
NATA . EST . ET . AVCTA . RES . ROMANA
EANDEM . PLACATI . PROPITIATIQVE
SERVATE

Pro Re Romana Ditionem, & Imperium intellige. Concordat memoria recens Romana (apud Suueert. iu Select. Delic.) de PIO II. Pont. Max. *Rem Eccleſiae auxit*. Quia occupatas antè Vrbes, ac Terras manibus Tyrannorum eripuit. Itaque rectè dicetur *A Conſilijs rerum ciuilium*, *rerum militarium*.

DESCENDENTES

Membrum XVII.

DESCENDENTES notiſſima vox Vlpiano, & Iureconſultis, aeneo nata ſeculo, pro quibus Virgilio III. Aen.

Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis;

ſicut *Deſcendere* pro Naſci, Oriri: quibus opponuntur *Aſcendentes* recta nimirum linea. Sed aurea aetate, cuius ſanè ſectanda eſt elegantia, fuerunt pro *Aſcendentibus* Patres, Aui, Maiores: proquè Deſcendentibus Nepotes, Poſteri, Poſteritas. Non ergo planè damnanda barbariſmo, ſed polienda dumtaxat Inſcriptio ſepulcri familiae nobilis Mediolani in Diui Franciſci, cuius exemplum ſubminiſtrauit Puccinellius, videlicet:

DCX.

IO . PETRO . MANTEGAZIO . PATRI . CARISS . V . OPT
FILII . MOESTI . CAETERISQ . ASCENDENTIBVS . ET . SIBI
SVISQ . DESCENDENTIBVS . POSS . MDCIV

Cui normam praebuerit alterum Epitaphium ibidem in Diuae Mariae Scalenſis:

DCXI.

FRANCISCO . LATVADAE . PARENTI . OPT. REGIO . QVONDAM . QVAESTORI
CAETERISQ . MAIORIBVS . HIC . QVIESCENTIBVS
CONSTANTIAE . ITEM . PVTEAE . CONIVGI . CARISS
AC . SIBI . POSTERISQ . SVIS
IO . BAPTISTA . F . MON . HOC . INSTAVRATVM . POS
ANNO . DOM . M . D . C . XVI

TOTALITER

Membrum XVIII.

TOTALITER, & malè deriuatur à *totus* (vt obſeruat Voſſius de Vitijs ſerm. lib. I. cap. XXV.) & inſulsè aliquando vſurpatur. Itaque pro ratione materiae varianda eſt elocutio. Vt ſi de aedificio ſermo ſit, non illud *totaliter aedificatum* feratur, ſed *A fundamentis excitatum*, ſeu *A ſolo extructum*, & *abſolutum*, ſeu *terminatum*, ſeu *ad faſtigium perductum*, &

huiuſmodi

huiuſmodi alia forma loquendi probata. Haec adnotauimus moti barbarie ſepulcralis Epigraphes, quam citat ſtudioſus hiſtoricae veritatis Puccinellius, lectam ſibi Mediolani in Diui Franciſci de familia Taberna pernobili in hanc formam: Legitur autem in fronte Sacrarij:

DCXII.

MCCCLII. IACOBVS. DICTVS. COMELLVS. DE. TABERNIS. FECIT. FIERI TOTALITER. HANC. ECCLESIAM. SEV. SACRISTIAM. AD. HONOREM SANCTISSIMI. CORPORIS. ET. SANGVINIS. DOMINI. NOSTRI. IESV. CHRISTI

Repete Membrum VI. vbi expenditur formula illa *Fecit fieri*.

CONSISTORIVM

Membrum XIX.

CONSISTORIVM ſi neceſſitas abſit, libentiùs excluſerim, contentus illis vocibus boni ſeculi, *Conſeſſus Senatus* & huiuſmodi. Auctor quidem Theſauri ling. Lat. notat barbarie; nos verò non ita tetrici vocem nouatam quidem, ſed ferrei ſeculi auctoribus vtcunque permittimus, quippe natam nondum conclamata Latinitate, nec dum planè barbara. Vſus illa eſt Auſonius, vt obſeruat Voſſius, cuius Auctoritas nonnullum habet pondus: ſic enim loquitur in Actione gratiarum pro Cõſulatu ad Gratianum Auguſtum: *In illa verò ſede, vt ex more loquimur, conſiſtorij, vt ego ſentio, ſacrarij tui nullus vnquam ſuperiorum aut dicenda penſiùs cogitauit, aut conſultiùs cogitata diſpoſuit, aut diſpoſita maturiùs expediuit.* Nouiſſimè vſus eſt Ioannes Roſinus Roman. Antiq. lib. VII. Cap. V. *Hoc*, inquit, *Conſiſtorium ſiue Concilium Senatum appellauit.* Vbi vides ad vulgi morem potiùs, quàm veterum boni ſeculi illud dixiſſe, & barbaro vocabulo Latinum protinus ſubdidiſſe. Nam quod citat Gruterus pag. XXXVIII. n. 2. vbi legimus; *Et in conſiſtorio Principum*, de eius ſeculi conditione ambigere non ſinit lectorem notatis in extremo Conſulibus Valente, & Valentiniano Iuniore Auguſtis. Et quidem ſi Corradum audimus (lib. I. de Cop. Lat. Ser. n. V.) id vocis legitimè nouatum videbitur: nobis autem ingeritur inde ſolùm ſcrupulus, quòd eius ſignificationis praeſto ſunt ex bono ſeculo, vti indicauimus, ſynonyma plura: meritò vt dicere nequaquam audeamus, Cardinales cum Pontifice Max. conſiſtorium habere, neque Conſiſtorium Cardinalium; ſed eius loco *Senatum habere*, *& Cardinalium conſeſſum*, aut *conuentum*, aut aliter. De PIO III. Pont. Max. in Sel. Del. Epitaph. Rom. *In dicendis in Senatu ſententijs liber & grauis.* vbi de Cardinalium conſeſſu haud dubiè fit mentio, cùm is nondum Pontifex eſſet & adhuc in Purpura. Excipimus neceſſitatem, cùm nimirum rem proprio quaſi nomine indicare opus eſt, vt in ſubiecto Epitaphio Romano in Diuae Mariae ad *Portam Populi*

DCXIII.

VINCENTIO. PARENSIO. PATRICIO. LVCENSI
CIVI. ROMANO. SACRI. CONSIST. ADVOC ★
OB. SVMMAM. HVMANI. DIVINIQVE. IVRIS. SCIENTIAM
SINGVLAREMQVE. MORVM. SVAVITATEM. ATQVE. INNOCENTIAM
OMNIS. AEVI. MEMORIA. DIGNISSIMO
POMPEIVS. PARENSIVS. FRATRI. ET. COHER. EX. TEST. PP
OB. AN. LXVII. AET. SAL. MDXC. VI. KAL. OCT

★ i. e. *Sacri Conſiſtorij Aduocato*

Eſt enim ita vulgaris, & vſu firmata appellatio *Aduocati ſacri Conſiſtorij*, vt aliter ſalua intelligentia, & concinnitate efferre vix ſuccurrat. Locus autem in quo Cardinales, cum Pontifice deliberant, quin more Romano Senaculum dici debeat, dubitauerit nemo, qui Varonem legerit, & caeteros ſcriptores.

LOCVM

LOCVM TENENS

Membrum XX.

LOCVM TENENS, ſicut *locum tenere* Latinum eſt, non tamen in ea ſignificatione, qua vulgò iactatur, nimirum de eo, qui Principis, Magiſtratus, aut alterius Praefecti, Miniſtriuè fungitur vice. quo ſenſu haud foret Participium, ſed nomen ex Participio, compoſitumque cum caſu *Locumtenens*: ſed barbarè in vſu poſitum. Pro eo Latinè eſt *Vicarius*, cuius fere perpetuum munus; Aut *Legatus*, cuius eſt temporarium. Caſtigari igitur poſcit Epigraphe Pontis, quam citat in Select. Delic. Suueertius, cuius initium: *Henricus Ranzouius Ioannis filius, Regis Daniae in Ducatibus ſuis locum tenens* &c. Neque cenſorem alium damus, praeterquam ſubſequentem ibi citatam Inſcriptionem tumuli Caij Ranzouij, cuius pariter initium eſt: *Subſiſte Viator, & Henrico Ranzouio Trium Daniae Regum in Ducatibus Vicario Viro opt. Patri moeſtiſs. pro pietate tua condoleto* &c. Nos certè condolemus, adhuc tumulatam Latinitatem in vſu prauo verbi *Condoleo*, quaſi idem ſit, atque *Miſereor*. Verùm haec obiter. In rem noſtrã caſtigãdus ſe offert Lucenſis Tumulus in D. Auguſtini, caeterà quidem mundus, videlicet:

DCXIV.

NICOLAO . PVCCIO
PATRIC . LVC . QVI . CVM . XXI . VIX . AN . EGRESSVS
PRIMVM . IN . PICENO . MOX . BONONIAE . GEN . AVDIT
TVM . ROMAE . CARD . CAMERAR . * LOCVM . TENENS
SEDI . AP . PER . DECENNIVM . INSERVISSET
DEMVM . IN . PATRIAM . REVERSVS . VIGINTI
FERE . PRO . EA . LEGATIONES . OBIISSET
POSTREMO . IN . OTIO . LITERARIO . ITA . VIXIT
VT . MORI . NON . PIGERET . A . D . M . D . C . XV . PRID . NON . MART
PETRVS . HERES . PONENDVM . CVRAVIT

dic ergo *Vice agens*, vt in notis antiquis A. V. P. Q. S. ideſt *Agens Vice ProQonSulis*, ideſt Proconſulis, Q. pro C. more veterum.

Haec in ciuili adminiſtratione; Adde & militari, vbi vulgaris eſt appellatio *Locumtenentis*; emendanda ad exemplum Epitaphij Mediolanenſis in D. Euſtorgij, apud Puccinellium in ſuo Zodiaco, videlicet:

DCXV.

BARTHOLOMAEO . CAIMO
PIETATE . BENEFICENTIA . MAGNIFICENTIAQ. CELEBRI
ET . FRANCISCI-FERDINANDI . DAVALI . PISCARIAE . MARCHIONIS
IN . CATAPHRACTORVM . EQVITVM . DVCATV . VICARIO
HIC . VNA . CVM . IOANNE . GASPARE . ET . HIERONYMO . FRATRIBVS
MILITARI . VIRTVTE . INSIGNIBVS
ACTIOQ. ATAVO . QVI . AZIVS . DICTVS . EST . AVRATI . ORDINIS . EQVITE
CAETERISQ. SVIS . CONDITO
MARGARITA . ABDVA . VXOR . ET . FILII . P . VIXIT . ANN . XLVI
OBIIT . PRID . ID . FEBR . MDLXXI

Repete è Claſſe ſuperiore, *Eccleſiaſt.* Memb. V. vbi de voce *Vicarius Generalis*. Deterior illa corruptela, cùm non Principis, cuius locum quis tenet, ſed Ordinis dumtaxat fit mentio, vt in Romano Epitaphio (apud Suueert. in Sel. Del.) *Paulo Antiſtiti Foro-Sempronienſi*, vbi is memoratur *Sacrae Rotae locum tenens*, quaſi vnum eſſet caput pro toto Magiſtratu Sacrae Rotae. Non ergo Rotae, ſed in Rota dicendus Vicarius; vel Agens in Rota vice Principis, eius ſcilicet Magiſtratus. Hanc ſuggerit animaduerſionem ſequens apud Suueertium Inſcriptio: *Franciſcus Oranus* &c. qui dicitur *In Duodemuirali Rota Senator*, quòd Rota ſit quidam quaſi Senatus; dici autem ex vſu veterum Principem Senatus, non Praeſidem, vt hodie, alibi obſeruauimus.

PROCES-

PROCESSVS CRIMINALIS

Membrum XXI.

NVlli hominum aequè amuli, ac ij, quos vulgus noſter ineptè Notarios, priſci Tabelliones vocitabant. De omni quippe ligno facti nil habere poſſunt cum Mercurio, cui tamen deberent omnia, in ſuis paſſim tabulis perſcribendis, dicam, an perlinendis? Foedas verò inter multas, quibus Latinè ſimulando, Latinitatem calumnijs onerant, facilè enumerabis appellationem *Proceſſus Criminalis*: etſi illi ſimilis in Marmor ſuperiore ſeculo literatum irrepſerit, ſcalpro caeterà non ignobili. Sic enim refert Suueertius in Sel. Delic. inſcriptum Neapoli in *Aula Magna ad imaginem Iuſtitiae Caecae*, videlicet:

DCXVI.

CVM . AETERNI . TRIBVNAL . IVDICIS . ILLVM . REVM . NON . HABEAT QVEM . INIVSTE . REVS . CONDEMNAT . TESTANTE . PROPHETA . NEC DAMNABIT . ILLVM . CVM . IVDICABITVR . EI . CAVEANT . IVDICES ET . PRVDENTER . ATTENDANT . VT . IN . * CAVSARVM . * PROCESSIBVS NIL . VINDICET . ODIVM . VEL . FAVOR . VSVRPET . TIMOR . EXVLET ET . PRAEMIVM . AVT . EXPECTATIO . PRAEMII . IVSTITIAM . NON EVERTAT . SED . STATERAM . GESTENT . IN . MANIBVS . LANCES APPENDANT . AEQVO . LIBRAMINE . VT . IN . OMNIBVS . QVAE . IN CAVSIS . AGENDA . FVERINT . PRAESERTIM . IN . CONCIPIENDIS SENTENTIIS . ET . FERENDIS . PRAE . OCVLIS . HABEANT . SOLVM DEVM . QVI . EST . LAVDABILIS . ET . GLORIOSVS . PER . INFINITA SECVLA . SECVLORVM

quam tabulam vt purges, reponas neceſſe eſt pro *Proceſſibus cauſarum*, vocem hanc boni ſeculi *Cauſarum quaeſtiones*, vel *diſceptationes*, vel *iudicia*, vel *cognitiones*. Ita etiam loco *proceſſus ciuilis*, & *criminalis* dic cognitionem, vel &c. cauſae ciuilis, & cauſae criminalis.

Nam quem vocant Proceſſum, faſcem tabularum, & libellorum de ijs, quae pro Tribunali ſunt acta, Latinè quidem ſunt *Acta, orum*.

SYNDICATVS

Membrum XXII.

QVoniam vox primitiua *Syndicus* translata è Graeco, haud improbatur pro illo, qui ſiue eandem cauſam iudicat, ſiue publicae à ciuitate electus patrocinatur: non video, quamobrem deriuatiua *Syndicatus* inijciat Voſſio ſuperſtitionem, qui eius loco (lib. III. de Vitijs ſerm. cap. LI.) reponit *Syndici munus*, ſeu *dignitatem*: Nam & analogiae ſeruatur ratio, quemadmodum à Tribuno Tribunatus, à Conſule Conſulatus, à Clero Clericatus; Et breuitati ſimul, ſi quando eſt opus, conſulitur. Quamquàm in marmore ſepulcrali Cremenſi (apud Suueert. in Sel. Delic.) quod legitur in Cathedrali, *Gaſpari Erico*, laxioris fortè, quàm par erat, ſtyli, vocem imcomptè ingeſſerit, ibi; *Qui Syndicatus munere praeclarè defungendo, reliquiſque grauiſſimis rebus pro Veneta Rep. ſummo cum labore obeundis* &c. Alterutrum autem inſcribi poſcebat caſtitas Elogiaſtica: Aut: *Syndicatu praeclarè defungendo, reliquiſque grauiſſimis muneribus*: Aut: *Syndici munere, reliquiſque* &c.

Non eſt reticenda hoc loci obſeruatio Voſſij in Appendice ad libb. de Vitijs ſerm. nimirum pro Penſionario Syndicum ab elegantioribus vſurpari. Eſt autem Penſionarius (ſeu puriùs ex Latinitate *A penſionibus*) is, qui penſiones ſoluit, ſeu, vt ex Cicerone ibi in corpore lib. III. allegato, id eſt penſio, quòd, qui agrum conduxit, quotannis domino annumerat. Id etiam de domi, aliuſuè rei vſu intellige. Sed viderit Voſſius, quomodo dictum probet: ſubdit enim in Appendice extare apud ſe Gloſſas in membranis exaratas in haec verba: *Syndicus, qui ſtipem petit*. Quid autem Penſionario cum Syndico, ſi quidem ille ſoluit, hic petit?

CLASSIS VII.

DIDASCALICA VOCABVLA

Colligit haec Claſſis miſcellas voces Antiquas, Nouatas, ad Inſcriptionum praeſertim atque Elogiorum vſum. Sunt enim quaedam à doctis Scriptoribus nondum benè tractatae, malè intruſae aliae, aliae peruersè vſurpatae, In ipſo autem hoc limine occurrit illa maxima apud Grammaticos, nec inutilis apud Elogiorum Auctores quaeſtio de Cognominum quinto caſu à recto in ius *deſinente, cui idcirco primum locum concedimus*

Cognominum in *ius*, Quintus Caſus An in; *ie*?

Membrum I.

NOminum Gentis, ſeu Familiae (Cognomina vulgus vocat) quorum nominatiuus caſus in *ius* terminatur, Vocatiuum in *i* vſurpant nonnulli: Vtrum autem rectè? Nam etſi propria hominis in *ius* omnia, & appellatiuum vnum *Filius*, dempto *us* de nominatiuo Vocatiuum forment, vt *Valerius*, *ò Valeri*; *Filius*, *ò Fili*: Gentilia tamen, & familiaria quidni canonem obſeruent appellatiuorum, quo ab hominis proprijs nominibus diſtinguantur? Sic quemadmodum *Fluuius*, *ò Fluuie*, ita *Valerius*, *ò Valerie*, ſi non ſit hoc hominis, ſed Gentis; namque à Valerio deducta Valeria Gens inter Romanas clara. Illum ergo hominem licebit compellare, *ò Valeri*; eius porrò filium, nepotem, gentilem ab ipſo principe ſortitum nomen, aliter: verbi causâ, Valerium Coruinum Meſſalam, *ò Valerie Coruine Meſſala* (ordine à noſtro, praepoſtero; cùm nomen gentis praeponerent antiqui proprio, nos autem contrà) Hinc Liu. Andronicus Odyſſea:

Neque te oblitus ſum, Laërtie noſter.

& Sereno:

Cura nunc Laërtie velle: para ire Ithacam.

Siquidem à Laërte patre tractum eſt appellatiuum epitheton *Laërtius* ad normam Cognominum gentis, & familiae. Militat praeſertim haec oratio, vbi proprium nomen, & gentile conueniunt. Quis enim aequis auribus ferat, *ò Corneli Corneli*, *ò Luci Luci*, *ò Valeri Valeri*? Ergo omnino aliter, *ò Corneli Cornelie*, *Luci Lucie* &c. ſi proprium à gentili diſpeſces: ſic Latinè demum appellabis *Alexander Alexandrie* pro *Alexander ab Alexandro*. Concordat nobiſcum Ant. Mucinus in ſua Syntaxi, docens reperiri quintum caſum *Euandrie*, haud dubiè ab Euandro proprio hominis deductum ex recto nominis gentilis, ſeu Cognominis *Euandrius*, quod ſignificat Euandri domum,

. . . & Euandri totam cum ſtirpe videbit
Procubuiſſe domum.

Nec illa terret nos ratio, quòd antiquiſſimi Latinorum Graecos imitati Vocatiuos ab *ius* recto ſecundae declinationis promiſcuè in *ie* inclinarent tam in appellatiuis *fluuius*, *ò fluuie*, quàm in proprijs hominis, *Mercurius*, *ò Mercurie*; poſteri autem in aetate aurea exemerint propria omnia vnâ cum appellatiuo *Filius*, ſic *ò Mercuri*, *ò fili*. Quod ſi *ò Geni* dixere à *Genius*, hoc ideo, quia quaſi Deum appellarent non ſecùs, ac reliqua Numina, vt, *Mercuri facunde nepos Atlantis*. Horatius Carm. I. & Virgilius Georgic. Larium Lacum quaſi hominem, vel Deum, *Te Lari maxime*: Haec inquam ratio nihil terret; quando ex Grammaticis tum antiquis, tum recentibus, qui flores aureae aetatis ſuis collegere praeceptis, ſuffragia pro nobis prompta ſunt, ſi ſenſa intendimus. Eſt autem operae ipſamet verba in medium afferre. Ac primùm Seruius Marius Honoratus in ſecundam Donati editionem ſic habet: *Vocatiuus ſingularis ſecundae declinationis tùm in, i, exibit, cùm nominatiuus ſingularis in ius fuerit terminatus in genere maſculino in proprio nomine, vt hic Mercurius, ò Mercuri. Hoc enim nomen ius terminans nominatiuum & maſculinum eſt, & proprium. Si autem Nominatiuus, vs, terminatur, vt hic Doctus, Vocatiuum facit ò Docte: Et, ſi appellatiuum ſit, licet, ius, terminatur, vt hic Impius, ò Impie; hic Egregius, ò Egregie.* Hactenus Seruius: qui,

vt liquet, appellatiuis in *ius* dat quintum in *ie*. In hoc igitur quaeſtionis noſtrae vertitur cardo, vt nomina gentis, ſeu familiae, vulgò Cognomina, appellatiuis quidem, non verò proprijs accenſeri oportere decernamus. Et certè appellatiuum nomen, vt tradit Iſidorus (lib. I. de Origin. Cap. VI. de partib. orat. & nomine) *inde vocatur*, inquit, *quia commune eſt, & multorum ſignificatione conſiſtit*: Et vt Cledonius Grammaticus (in Donati artem primam) *eſt commune cum multis*: Et vt Diomedes Gramm. (lib. I. de Nomine) *quod generaliter, communiterque dicitur*. Iam ergo rem propiùs inſpiciamus, & quid ſit cognomen, ſeu Gentis, aut familiae nomen, planè dignoſcemus; nihil profectò aliud, praeterquam vnum ex appellatiuis nominibus; quippe quod eſt commune gentis; & multorum, gentilium ſcilicet omnium ſignificatione conſiſtit: Eſt commune cum multis eiuſdem cognationis: Dicitur generaliter, communiterque de omnibus, qui ex vno ſunt principe gentis propagati. Huic aſtipulatur luculenter Priſcianus (lib. II. de Nomine) *Cognomen*, dicens, *eſt cognationis commune, vt Scipio*: quid eſt autem cognatio (ſuſcipimus nos, & quidem naturalem volumus) niſi communio ſanguinis, quam inter ſe habeant multi ex eodem orti progenitore? Conſequens illud erit, vt, ſi dicimus *ò fluuie*, etiam *ò Corneli Cornelie*. Iam in cauſam recentes Grammaticos accerſamus. Et Primùm Emanuel Aluarus in ſua Inſtitut. Gramm. quae mole voluminis maiore primùm prodiuit (edita Venetijs an. ſal. MDLXXXV.) pag. CXV. §. *Varro*, in eandem cum antiquis ſententiam pro nobis etiam planiùs ita diſſerit: *Propria nomina ſunt finita, ac ſignificant res proprias, vt Paris, Helena: Appellatiua ſunt infinita, ac res communes deſignant, vt Vir, Mulier*: & infrà: *Nomen fuit totius familiae commune*. Et cùm illa quatuor explicat ex ſententia Varronis, ac Ciceronis in *Publius Cornelius Scipio Africanus*, inquit: *Publius praenomen, propriumque eſt: Cornelius nomen eſt gentilitium, totique Corneliae familiae commune: Scipio cognomen eſt hereditarium, nam id Publius ab Auo ſuo accepit, qui Scipio cognominatus eſt, quòd Parenti caeco pro bacillo fuiſſet: Africanus agnomen eſt, quod Publius ſibi deuicta Carthagine peperit*. Quòd ſi in Claſſe propriorum nominum cenſetur Cognomen, hoc fit, quia ſimul cum tribus reliquis ſuprà numeratis conſpirat ad hominem ſingularem indicandum ex more veterum trito. Itaque in ſignificatione quidem conuenit, in declinatione autem recedit; ſequutum Canonas nominum appellatiuorum, ſeu Communium, vt quod eſt multis eiuſdem gentis ſingularibus hominibus commune. Haec enimuerò fuerint obſeruanda Auctori *Donati Reſtituti* (&, qui verba ipſa exſcripſit ex eo Bonciarius in ſua Grammatica pag. V. in Notis) vbi decernit, Nomina propria & Cognomina in ius, quorum eſt Genitiuus per duo *ij*, habere Vocatiuum per vnum *i*: Nec ibi tamen exemplum idoneum de Cognominibus allegant, nec vllius veteris nituntur auctoritate. Nam quod primo loco ponunt *Cai* pro exemplo, hoc praenomini magis congruit, vt in Caio Iulio Caeſare: Nec ſuffragatur Martialis lib. II. Epigr. XXX.

Quod peto, da Cai, non peto conſilium

Siquidem ibi nomen eſt proprium, vt & alloquitur nepotem ſuum Caium Caeſarem Diuus Auguſtus (apud Gellium lib. XV. Cap. VII.) *Aue mi Cai, meus ocellus iucundiſſimus*. Secùs autem cùm in cognomen migrat, quia tunc habet *ò Caie*. Accidit enim ſaepe, inquit Priſcianus loco memorato, *vt in alijs loco Cognominum aliorum agnomina vel nomina fiant, vel contrà*. Diximus *o Caie* triſſyllabum à recto *Caius*, quemadmodum vſurpat Martialis lib. IX. Epigr. XCIV.

Caius à prima tremebundus luce ſalutat

nam de diſſyllabo nemo diffitetur, quin efferatur *ò Caie*, vt *ò iuſte*, nimirum facta *i* conſona ex vocali: quo modo extra carmen vix aliter videtur pronuntiari praenomen *Caius*. Sed & Calepinus praenomen facit, ac diſſyllabum, nec niſi per diaereſim triſſyllabum apud poëtas commoditate metri. Hinc abſolutè Vincentius Gallus in ſua Inſtit. Grammat. quae prodijt plenior, & locupletior Mediolani anno MDCIX. praecepit inflecti Vocatiuum *ò Caie Iuli Caeſar*. Quem etiam Virum in paucis aetatis noſtrae eruditum noſmet conſuluimus coràm in ſumma controuerſia Mediolani coorta intèr literatos, quo tempore de Caeſare Montio Archiepiſcopo recèns accepto multa à multis edita fuerant ingenij argumenta, Elogio praeſertim ſoluto ad exemplum veterum Inſcriptionum: & vbi

vbi neſcio quis illum compellans, *CAESAR MONTI* inſcripſit, ſimul campum patefecit diſputationi acerrimae: quam tandem arbiter factus Vincentius ipſe Gallus diremit, pronunciansque, *CAESAR* inquit *MONTIE* inuocandum eſſe, non *MONTI*, tùm ex formula, ſubdens, cognominis, quod etſi vnius gentis aut familiae proprium, multis tamen commune eſt, imò verò omnibus ex ea gente, aut familia hominibus (eo inquit modo, quo *haec Alpes* proprium eſt nomen Montium, qui à Gallia & Germania Italiam diſterminant; neque de Montibus alijs, niſi tropicè dicitur; eſt tamen commune nomen ſingulis ipſis Montibus cognominibus) tùm noua, & propria argumenti propoſiti ratione; nimirum quod (nec leuis quidem obſeruatio) à Monte cùm exiſtat cognomen Montiae familiae, non aliter profectò tractandum, quàm quae à regionibus nomina trahuntur. Atqui à Delo v.g. Inſula deductum *Delius*, procul dubio habet Vocandi caſum *ò Delie*, vt apud Statium V. Thebaid. verſu DXXXII. *donec tibi Delie, fixus*

Vexit arundineam centeno vulnere ſyluam

Quem enim appellat Horatius Carm. lib. II. Od. III. nomen eſt eius proprium

Aequam memento rebus in arduis
Seruare mentem: non ſecus in bonis
Ab inſolenti temperatam
Laetitia, moriture Deli.

Hactenus Vincentius Gallus; qui nos commodum fecit admonitos, cùm ipſum Caeſarem Archiepiſcopum paulò pòſt in Baſilica noſtra Alexandrina literario acciperemus apparatu varij generis argumentorum, Elogiorum praecipuè, quorum nonnulla damus in Operis huius Appendice. Neque tu porrò, ſtudioſe Lector, grauere, ratione, quae adhuc ſuppetit ex Ioanne Deſpauterio Grammaticorum recentium facilè Principe noſtram in tanta controuerſia fundari ſententiã. Is de nominũ declinatione praecipiens, hanc ſtatuit de Vocatiuo ſecundae regulam

Cùm propriũ dat ius, dempta vs, fit in i tibi Quintus

mox exponens carmen; *Nomina* inquit *Appellatiua, & Adiectiua in ius faciunt Vocatiuum in e.* Vbi nos ita ſuſcipimus: Atqui Appellatiuis iam Cognomen allegimus, quid reſtat, niſi vt etiam Adiectiuis? ſiquidem haec duo eodem in Canone committit Deſpauterius. An verò quiſquam neget, inflecti more Adiectiuorum cognomen *Montius*? Sic *Caeſar Montius filius*, *Anna Montia Mater*, *Genus Montium*. Non ſecùs atque dicitur antiquis de Caeſare *Iulius*, de filia Auguſti *Iulia*, de Sidere in illius obitu viſo, *Iulium*. Et quidem *Iulius* proprium Viri, in quinto eſt *ò Iuli*; proprium autem Gentis (quod & cognomen) *ò Iulie*; adiectiuum quippe, & appellatiuum. Id ipſum de Montio. Hic forte fortuna venit in manus Inſtitutio Gramm. Paſcaſij Groſippi, qui in ſecunda nominum declinatione pedarius videtur noſter, niſi quòd diſertis verbis, & auctoritate noſtram inculcat ſententiam. Nam probans cum Iulio Caeſare Stella rectè vocari *Caſtrie* Franciſcum Caſtrium, ſeu à Caſtro, allegat ex Priſciano lib. XVIII. *O Genitor noſter Saturnie Maxime Diuum*: Et *Euandrie fili*, & *Telamonie Aiax*. Idem repetit in ſua Grammatica Philoſophica §. *Paris ſtagitij eſt*: qui quidem loci omnino videndi.

Perorent exempla recentium Elogiaſtarum auctoritatis autem antiquae, ſi celebritatem pendimus. Et primùm Auctor Epitaphij Piſani in Diui Ioſephi, quod ſic habes.

DCXVII.

PAVLO . TRONCIO
MONVMENTA . SI . DESINT
DEERVNT . QVOQVE . PRETIA
MONVMENTI
VIR . MELIORIS . LITERATVRAE . APPRIME . GNARVS . VIX . SEXAGENARIO . MAIOR
VIXISSE . SECVLA . VISVS . EST . ANTIQVARVM . RERVM . PERITIA
INSIGNIORA . PATRIAE . DECORA . EDIDERAT . OMNIA . NISI . SE . VNVM
OCCVLVISSET . MODESTIA
DILIGENTIS.CALAMI.LVCVLENTOS.LABORES.NI.SIBI.VINDICET.IMMORTALIS.MEMORIA
IPSAM . SVI . OBLITAM . DICITO
PROTHONOT.APOSTOLICVS.CAN.PIS.IVLIANI.MEDICEI.ARCHIEP. OLIM. VIC. GENER
QVIBVS.VIRTVTIBVS.HAEC.PENE.OBRVIT.MVNERA.IMPLERE.MAIORA.POTERAT
SEPVLCRVM . HOC . ORNARI . VLTRA . NE . POSCAS
TIBI . IPSE . PAVLE . TRONCIE . MAVSOLEVM . ESTO

Scilicet

Scilicet non *Tronci* compellat; ſed, quia proprio appoſitum Cognomen, vti Commune, Appellatiuum, Adiectiuum tractandum putat. Fertur eius Auctor Philippus Riccaſolus Pauli Filius, Patricius Florentinus, Noſodochij ad Diuae Mariae Nouae Antiſtes, ac Praefectus Maximus, Vir ſanctitate morum, ac ſtyli munditiae nulli huiuſce aetatis ſecundus. Ac ne in tam graui controuerſia pateremur deſiderari viuentium ſuffragia (quando & Vincentius Gallus, & is, qui Iul. Caeſarem Stellā in ſui praeſidium profert, & Superioris Epitaphij Auctor è viuis exceſſere) conſuluimus per literas Peruſiam datas Felicem Verducciolum, Humanitatis publicum illa in Academia Profeſſorem veteranum, monumentiſque editis ex omni amoenitate literarum percelebrem, cuius conſulti oraculum placet ad verbum deſcribere, ſimul & adiunctum ſententiae ſuae exemplum ſubijcere. Ita verò ille:

P. Octauio Boldonio V. Cl.

F. Verducciolus S.

MOuit me iampridem inſignis tua auctoritas, Vir doctiſſime; &, quod tibi placeret, iudicioque iſti acerrimo probaretur, id ego optimum cenſui. Cùm illud primùm aſpexi *Theatrum* nobile, quod cultiſſima tua Pallas MONTIAE gloriae dicauerat, ſtatim deprehendi, vt in vita, ſic in ſtylo nonnulla interdum eſſe, parum accuratè animaduerſa; neque ſemper iri, quà eundum, ſed quà itur. Nimirum *ſi volet vſus, quem penes arbitrium eſt, & vis,* & *norma*. Vocandi nouitas, MONTIE Heros, nec tamen ſinè exemplo aliquo veterum, etſi recentiores aliter vulgò vſurpant, quam eruditiorum nec auris reſpuat, nec ratio damnet, mirum mihi quantùm arriſit. Itaquè deinceps imitator, nec ſemel in partes iui. Ac vide illam, Pater optime, quam volebas, ſi tanti eſt, de qua nuper nobis ſermo inciderat, quam Auunculo meo IO. NICOLAO LEONTIO olim ſcripſi, parentalem ac luctuoſam, ſiue Naeniam, ſiuè ad Elogij modum epigraphen, marmori incidendam. in qua fortaſſe nimius videar, & per liberos lacrymarum impetus dolori nimiùm indulſiſſe. Sed qui hominem nouere, & amicè adhuc loquuntur, condonare affectui meo aliquid poterunt; tuque in primis, Boldonie humaniſſime, qui propiùs cognitum ſpectatumque (vel vna illa laudum maxima, quod fundatori veſtri Collegij Magno NEAPOLIONI COMITOLO Epiſcopo vixit intimè carus) arctiſſima beneuolentia fueras, & familiaritate complexus, ab eo viciſſim, propter ſingulares tuas in omni genere virtutes, atque animi dotes, pariter dilectus, & cultus. Sed marmora valeant, atque aera: perenniores tuae paginae; quibus, inuidenda ſorte felices, qui commendantur, in longa annorum recordatione victuri. Auunculi quidē mei memoria, quod & de Auunculo ſuo, cùm ad Tacitum ſcriberet, auguratus eſt alter Plinius, quando ita liberaliter ſponte offers, imò amanter ſic cogis; calami tui beneficio tecum immortalis ibit ad poſteros; qui vnus maximè es immortalitate nominis, & tot monumentis Elogiorum dignus, quot tu egregia clarorum Virorum nomina interire non pateris, & producis ad gloriam; Elogiaſta ſummus, Elogiaſtis idem lex, exemplar, materies. Vale Vir Clariſſime.

Elogium

DCXVIII.

HEV . QVIS
TAM . IMMATVRE . TE . RAPVIT
LEONTIE . PATER !
QVIS . TE . PRAECIPVVM . SOLAMEN
AFFLICTIS . REBVS
QVIS . TE . PRAECIPVVM . SECVNDIS . DECVS
TVRBO . SVBDVXIT !
QVIS . TERRIS . EREPTVM . COELO . REDDIDIT ?
TVA . PIETAS .
DVM . TVVS . TE . DIVS . ARDOR
DEFATIGARI . NESCIVM . RAPIT . PER . OMNIA
ACCVRRENTEM . OMNIBVS
FACTVM . OMNIA . OMNIBVS
PROVIDVM . ALIORVM . IMMEMOREM . TVI
HEV . QVANTVM . TE . VNO . SVBLATO
NOBIS . CALAMITATVM . ET . FVNERVM !
VIX . TAMEN . AD . VLLA . PERICVLA
ET . DAMNA
PER . INFESTA . ET . INFAVSTA . BELLA
CASTRENSI . PROPE . LVE . GRASSANTE
AVGVSTA . ALTIVS . INGEMVIT
SED . TV
MORTALITATE . SOLVTVS
MORTALIBVS . CVRIS . MAIOR
AB . ILLVSTRI . SERENVS . LVCE
TVORVM . COMPESCIS . LVCTVM
SEDAS . GEMITVM

SIS . SOSPES
ET . LAETVS . VTI . SPES . CAPE
INTER . VERA . GAVDIA
INCOMPARABILIS
IVDICII . CONSILII . INTEGRITATIS
SAPIENTIAE
ET . RELIGIOSISSIMAE . VITAE
DIGNA . PRAEMIA
NEQVE . HANC . DESPICE
SEPVLCHRALEM . HONORARII . TVMVLI
MOLEM
QVAM . TEPENTEM . LACRYMIS
CALENTEM . OSCVLIS . DAMVS
PIETATI. MOERORI. MEMORIAE . SACRAM
HAVE . LEONTIE . AVVNCVLE
HAVE . LEONTIE . PATER
INGENS . MEVM . NVPER
DECVS . ET . COLVMEN
NVNC . DESIDERIVM . ET . DOLOR

IO: NICOLAO LEONTIO
CONGR. ORATORII. S. PHILIPPI. NERII
PRESBYTERO
PHILOLOGO . PHILOSOPHO . THEOLOGO
ORATORI . ECCLESIASTAE
CLARI . NOMINIS ;
AVVNCVLO . OPTIMO
AFFECTV . CVRA . VERIVS . PATRI
OPT. MERITO
FELIX . VERDVCCIOLVS . SORORIS . FILIVS
MOESTISS . P

VIXIT. AN. LX. M. VIII. D. XXIII
OB. XI. KAL. FEBR. MDCXLIV

Vix dum literas Verduccioli cum Elogio dederamus Peruſiam ad Typographum noſtrum, vt apponeret Diſſertationi noſtrae, vel ſubſidium, ſi illa adhuc laboraret; vel, ſi peruiciſſet, auctuarium: ecce participat nos Amicus, Elogij, quod per hoſce dies miſerat Peruſia ipſa ad Camillum Coppolium, Franciſci Marchionis, ac Praefecti Cubiculo Sereniſs. Magni Ducis Etr. Filium, cum adiuncto Panegyrico de laudibus Coppoliae familiae proximè habito Octauius Lancellottus Humanarum literarum in Athenaeo Peruſino Interpres emeritus. In eo autem Elogio iuuenem compellans, COPPOLIE inquit, nimirum per nomen familiae; bono omnino fato ſententiae noſtrae, cui ouanti haec quidem corona obuènit ſuperior votis noſtris. Quantae ſit enim Lancellottus auctoritatis apud eruditos, tu Lector vt cognoſcas, vel opera ab eo edita contemplare, vel certè famam conſule. Ne verò te interim morer, accipe eius Elogium.

DCXIX.

HEROS . ILLVSTRISSIME
HEROIS . HEROAS . INTER . MAXIMI
HEROIDIS . HEROIDAS . INTER . MAXIMAE
HEROICA . SOBOLES
OPTIMAS . COPPOLIE
HEROICO . LVMINE . EXCIPE
QVIDQVID . PER . ME
VEL . NON . HEROICE . DICTVM
HEROICO . IN . CONSESSV
CVI
HEROICO . CVM . PLAVSV
VEROS . INTER . HEROAS . VERVS . HEROS
HEROINA . TRIVMPHANTE . PERVSIA
TIBI
SI . MINVS . MATRE . CERTE . AVIA
ADSCRIPTVS . ES
HEROEM . MIHI . TE . PRAESTA
LEGE . PERLEGE
NORIS
HEROICO . COPPOLIO . GENTIS . NOMINI
ET . HEROPHILVM . ET . HERODVLVM
SIQVID . IN . PVTAMINE . RVDE
ET . HORRIDVM
LIBA . NVCLEVM
HEROICAE . TVAE . MENTI
SAPIET . AD . MIRACVLVM
INSIGNIA . HAVRIES . HEROVM
TVORVM . MIRACVLA
QVIDNI
ET . TV . MIRACVLO . SIMILIS
QVI
AEQVALES . INTER . XENOCRATES
GRANDAEVOS . INTER . NESTOR
EQVITES . INTER . CAMILLVS
PROH . QVAM . GRAPHICE . CAMILLVS
CAMILLE . COPPOLIE
CAMILLVM . TE . FACIT . PIETAS
FACIT . TE . STRENVITAS . CAMILLVM
HEROEM . FACIVNT . HEROINA . DECORA
HEROICVS . TIBI . ESTO . IN . ME . ANIMVS
MVNVS . AMA
HEROI . VEL . IMPAR
MVNERANTEM . AMA
OBSEQVIO . VEL . INDIGNVM . HEROICO
HEROICAM . COLE . GENEROSITATEM
COPPOLIE . HEROS
ET . AD . OCCIDENTEM
NON . ORIENTEM . SOLEM
SACRA . OLIM . HEROIBVS . FACTA
HEROICAE . MAIESTATIS . EST
ET . ILLA . BENIGNIVS . EXCIPERE
QVIBVS
EXQVISITA . VEL . OCCIDERINT
DISERTAE . VENERIS . LVMINA
SI . QVID . PANEGYRIS
DESIDERAT . LVMINIS
HEROICVS . AFFVNDAT

TVAE . CLARITATIS . SPLENDOR
HEROICA . HAEC . QVIDEM . ERIT
A . TE . LARGITAS
A . QVA . SPEREM
MIHI . BONORVM . PANEGYRIN
DVM . TIBI
CLARISSIMOQVE.COPPOLIO.TVO.GENERI
HEROICAM
NVNQVAM . NON . VOVEO
NVNQVAM . NON . VOVEBO
FELICITATEM

D O C T O R

Membrum II.

De illo, qui Doctoralem (vt Conradus diceret lib. II. n.XXVI.) laurum accepit, vulgò quidem familiaris eſt *Doctoris* appellatio, ſed auribus Latinis dura. Eſt enim propriè *Doctor*, qui munere fungitur docendi, non qui fungendi facultatē accepit à Doctorum Collegio: Hi quippe ipſi vocantur, quòd reapſe è Cathedris docent publicè, *Artifices dicendi, & Doctores Graeci,* vt inquit Cicero lib. I. de Orat. Et: *Neque diſiuncti Doctores, ſed ijdem erant viuendi praeceptores, atque dicendi*, ſubdit ibid. lib. III. Doctori autem opponitur idcirco Diſcipulus, eò quidem, quòd actu diſcat, non poteſtate: *Sed à Stoicis, vel principibus eius diſciplinae Poſſidonij Doctor, Diſcipulus Antipatri degenerauit Panaetius*, inquit ipſe I. de Diuinat. Ergo minùs commodè, qui ſtudiorum curſum emenſus approbatur Doctorum ſententijs, is vocabitur v. g. Iuris Caeſarei, ſeu Iuris Ciuilis Doctor; Iuris Pontificij, Iuris vtriuſque, Sacrae Theologiae, Philoſophiae &c. Doctor: Niſi cùm publica illa approbatione fultus, Cathedram eiuſce facultatis in Academia publica obtinuerit. Ita interpretari cogimur Epitaphium ſuperiore ſeculo cuſum Antuerpiae, & quidem de bona nota, citatum in Brabantinis apud Suueertium, videlicet:

DCXX.

FRANCISCO . SONNIO . BRABANTINO
EX . ACADEMIAE . LOVANIENSIS
DOCTORI . THEOLOGO
PRIMVM . SYLVAEDVCENSI . POST . ANTVERP . I . EPISCOPO
INVICTO . IN . HAERESES . ATHLETAE
HIC . SPE . RESVRRECTIONIS . QVIESCENTI
COLLEGIVM . CANONICORVM . ET
S . P . Q . ANTVERP
PARENTI . OPT . L . M . PON . CVR
VIXIT . ANN . LX . OBIIT . DAMNO . PVBLICO
PRID . KAL . QVINCT . CIƆ . IƆ . LXXVI

Quod non obſcurè comprobat Epitaphium recens Sentinenſe (citat Suueertius in Sel. Delic.) ita inſcriptum

DCXXI.

HORATIO VIMERCATO
Muſarum Amico
Omnis politioris doctrinae
Excultiſs. Viro
TORQVATVS PEROTTVS
Doctori olim ſuo, & Amico Opt
Grati animi monumentum
Poſ

ſcilicet olim Doctori, cùm actu docentem illum audiret. Vnde liquet ſatis, quae ſit noſtri temporis corruptela in appellatione Doctoris, vbi profeſſio Doctrinae nulla eſt, & nulla intenditur. Scimus poſteriorum ſeculorum hunc eſſe morem in Academijs: ſed veterum phraſibus contentos eſſe par eſt, vbi bellè recentia ſignificamus.

Dic ergo primùm pro Doctore, *Coronatum*, quemadmodum in vetuſto marmore apud Iacobum Philippum Thomaſinium in ſuo *Petrarcha Rediuiuo*, & ante eum citauerat Ianus Gruterus pag. CCCXXXIII. num. 3.

DCXXII.

L . VALERIO . L . F
PVDENTI
HIC . CVM . ESSET . ANNORVM
XIII . ROMAE . CERTAMINE
IOVIS . CAPITOLINI . LVSTRO
SEXTO . CLARITATE . INGENII
CORONATVS . EST . INTER
POETAS . LATINOS . OMNIBVS
SENTENTIIS . IVDICVM
HVIC . PLEBES . VNIVERSA
HISCONIENSIVM . STATVAM
AERE . COLLATO . DECREVIT
CVRAT . R . P

Pro quo & amoenius dicer *laureatum*. Promimus ex eodem Thomaſinio Epitaphium in Petrarchae Filiam:

DCXXIII.

FRANCISCAE . PARIENTI . PEREMPTAE
FRANCISCI . PETRARCHAE
LAVREATI
FILIAE
FRANCISCOLVS . DE . BORSANO
MEDIOLANENSIS . MARITVS

Horum ad exemplum audiet quis *Inter Iuriſperitos Coronatus*, ſeu *Laureatus*. Ita *Inter Theologos* &c. Preſſiùs quoque *Iuriſperitus Coronatus*, *Laureatus*, *Theologus Coronatus* &c. In panegyricis Elogijs laxiùs, *Iuris laurea donatus*, *Inſignitus*, ſeu *Inſignis*: *Iuris decoratus inſignibus*: *Theologica lauro redimitus*, *Doctrinales Iuris infulas conſecutus*. Extat ſuperioris ſeculi titulus ſepulcralis (apud Suueertium in Sel. Delic. inter Neapolit.) non illepidus, videlicet:

DCXXIV.

COLVTIVS COPVLA
Patric. Neapolitanus, Iuris Ciuilis, ac Pontificij in iuuenta donatus inſignibus. Cuius patrocinium omnis ſexus, omnis Ordo in Cauſis optauit. Hoc ſibi, ſuiſque poſteris viuus ſepulcri memor poſ. M. D. XXI

Quoniam verò conceſſio laureae ius tribuit docendi, appellari poterit, *Iura Doctoris adeptus*. Neque minus abſurdum, & pingue illud eſt *Doctor Collegiatus*: Pro quo eleganter erit dictum *E Collegio Iuriſconſultorum*, *Theologorum* &c. Accipe Petrarchae ipſius Epitaphium, quod extat in vicinia Patauij, Pago Arquato, in marmoreo tumulo, in quo eiuſmet Poetae cineres, vt refert Suueertius in Select. Delic. videlicet:

DCXXV.

FRIGIDA . FRANCISCI . LAPIS . HIC . TEGIT . OSSA . PETRARCHAE
SVSCIPE . VIRGO . PARENS . ANIMAM . SATE . VIRGINE . PARCE
FESSAQVE . IAM . TERRIS . CAELI . REQVIESCAT . IN . ARCE
MORITVR . ANNO . M. CCC. LXXIV. XIX. IVLII

VIRO . INSIGNI . FRANCISCO . PETRARCHAE . POETAE . LAVREATO
FRANCISCOLVS . DE . BORSANO . MEDIOLANENSIS . GENERE . INDIVIDVA
CONVERSATIONE . AMORE . PROPINQVITATE . ET . SVCCESSIONE . MEM

Doctorem autem, pro Docente, rectè vſurpatum, etiam *Profeſſorem* dicunt Claſſici. Octauius Ferrarius Elogio in Benedictum Siluaticum; *In patrio*, inquit, *Gymnaſio primarium Medici Profeſſoris munus vnico ad hanc diem exemplo adeptus* &c. Hinc ipſam Doctoris functionem *Profeſſionem* vocant. Ita in Auditorio inferiore Gymnaſij Bononienſis in Summa Caeſarei diplomatis haec legimus: *Legitimi publicarum profeſſionum dies diligentiſſimè obeantur*. Conſule Theſaur. Lat. ling. Conſonat Epitaphium Romanum Henrici Grauij (apud Suueertium in Sel. Delic.) *Quem poſt quatuor luſtrorum in florentiſs. Louanienſi Academia S. Theologiae publicam profeſſionem* &c. Nuſquam autem, niſi fallimur, occurrit apud probatos Scriptores vox *lectura* pro munere docendi: neque *legere* pro docere. Ita barbariſmo notatur Inſcriptio ſepulcralis Iuriſconſulti toto Orbe celeberrimi, quam inter Piſanas cenſet Suueertius, in Campo Sancto, ab ipſomet Iuriſc. viuente meditata, atque dictata, quam par eſt exſcribere hoc loco, vti ſcopulus indicetur.

DCXXVI.

PHILIPPVS . DECIVS . SIVE . DE . DEXIO . MEDIOLANENSIS
I. C. CELEBRI . FAMA . NOTISS
CVM . * PRIMVM . LOCVM . STVDII . IN . IVRE . CANONICO . ET . CIVILI
TENVISSET . PISIS . SENIS . FLORENTIAE . PADVAE . PAPIAE
ET . DEMVM . VLTRA . MONTES . IN . GALLIA
REVOCATVS . IN . ITALIAM . AB . EXCELSA . FLORENTINOR . REPVBL
* POSTEAQVAM . STIPENDIVM . MD . AVREORVM . IN . AVRO
PRO . LECTVRA . CONSECVTVS . FVISSET
DE . MORTE . COGITANS . HOC . SEPVLCRVM . SIBI . FABRICARI
CVRAVIT . NE . POSTERIS . CREDERET

Tu loco prioris aſteriſci repone *Cùm primo loco ius Canonicum, & Ciuile eſſet interpretatus*: Poſterioris verò : *Poſtquam M. D. aureos in auro pro ſtipendio conſecutus fuiſſet.*

Eadem laborat carie Epitaphium itidem Piſanum in Sanctae Crucis extra Portam, vt idem Suueertius citat de Nicolao Tignoſio , cuius clauſula eſt : *Deceſſit cùm Piſis legeret MCCCC LXXIV.* Tu lege *Cùm Piſis doceret*, vel *profitetur*. Interim damus recens Epitaphium , ipſumque mundum, à Suueertio in Sel. Delic. repoſitum inter Patauina

DCXXVII.

FRANCISCO . ROBORTELLO . VTINENSI . RHETORICAE . ARTIS . MORALISQVE
PHILOSOPHIAE. PROFESSORI. CLARISS. QVI. IN. FLORENTISSIMIS. QVIBVSQVE
ITALIAE . GYMNASIIS . MAGNA . FAMAE . CELEBRITATE . TRIGINTA . TOTOS
ANNOS. PVBLICE. DOCVIT. NATIO. GERMANICA. PRAECEPTORI. BENEMERITO
IN . PERPETVAM . GRATI . ANIMI . MEMORIAM . VNANIMIS. P. VIXIT. ANN. L
MEN. VI. DIES . IX . OBIIT . XV. KAL. APR. MDLXVII
CONSILIARIO . CAROLO . FROLICH . A . FLORIGHSBERG
PROCVRATORIB . GEORGIO . ROTMAIRO . ET . HVGONE. IACOBI. ROTERDAMO

Et illud non inelegans ibidem citatum

DCXXVIII.

FRANCISCO . CVRTIO . TICINENSI
SOLIVS . TEMPORIS . HONESTA . AVARITIA
EXTINCTO
VIXIT . ANNOS . LXX
IVS . PROFESSVS . PATAVII . ET . TICINI

Inter Florentina nec illud obſeruatione iudignum eſt:

DCXXIX

IVLIANO . PISTORIO . PRATENSI
Carmelitae Prouinciali ſuo opt. merito Lugentes Poſ. Qui quantum in Phyſica, ac Mathematicis diſciplinis omnibus, praecipuè in Aſtrologia valuerit, non Senae, Piſae, aut Florentia tantùm, vbi annis non minus XX. profeſſus eſt; verùm totus Terrarum Orbis agnouit. Vixit Ann. LXIV. ⊙. VII. Decemb.
M D L V I

Subnectimus, nō ab re noſtra, Inſcriptiones alias publicae luci nondum expoſitas , quibus nimirum Profeſſori Interpretis nomen datur. Et primùm Piſis in Diui Frigdiani apud Patres noſtri Ordinis ita inſcribitur Tribunal ſacrarum confeſſionum : innuit autem publicum in ea Vrbe Gymnaſium, videlicet:

DCXXX.

ALEXANDER . RHAVDENSIS . MEDIOLANEN
COMES . BVRGETI . ET
PRIMO . LOCO . LEGVM . INTERPRES
IN . PATRIAM . REVERSVRVS . AD . HONESTVM . OTIVM
VT . HINC . ETIAM . INNOTESCAT
EIVS . VERISSIMI . AMORIS . VESTIGIVM
F. C. ANNO . MDC

* *Familia Rhaudenſis cognomen habet à Rhaudo Oppido (vulgo Rhò) Ea Mediolani inter principes cenſetur. Alexander autem Pauli poſt Senatoris clariſſimi Pater amorem in ordinem noſtrum quotidianis officijs exhibitum, tandem Piſis obſignatum voluit, Tribunali illo marmoreo in Templo noſtro extructo.*

Repete è Claſſe III. Memb. III. §. *Dominus*. Epitaphium Piſanum in Ioannem Franciſcum Coſtaeum. Ticini quoque in Diuae Mariae vulgò *A Caneuanoua*, quae eſt Aedes Ordinis noſtri, decretum eſt hoc Epitaphium Nicolao Auo meo, Auctore Petro-Antonio Confalonerio eius tunc Aedis & Collegij Antiſtite, atque Ordinis ornamento eximio, Videlicet

DCXXXI.

N I C O L A O . B O L D O N I O
EQV. ET . COM. PALAT. PATRICIO . MEDIOLANEN EX . NOBIL. EIVS
VRBIS. PHYSICOR. COLLEGIO . PHILOSOPHO . AC. MEDICO . SVI . AEVI
FACILE . PRINCIPI . IN . CELEBERR. ITALIAE . ACADEMIIS . PRIMAE
SEDIS . INTERPRETI . MEDIOL. PROV. PROTHOPHYSICO . CVIVS
PVERITIA . MIRA . INDOLE . IVVENTVS . INGENTI . IN . REBVS
ADVERSIS . VIRTVTE . TOTA . AETAS . MAXIMA . GLORIA . AC. MAGNO
PER. EVROPAM. NOMINE. CLARVIT. QVI. A. SVMMIS. PONTIFICIB. CAESARIB
REGVLIS . AD . MIRABILIA . ARTIS . EXPERIMENTA. ACCERSITVS. FAMAM
ETIAM . SVPERAVIT . NE . CVM . EIVS . DOCTISS. MONVMENTIS. QVAE
RARA . MODERATIONE . SVPPRESSIT . TANTI . QVOQVE . VIRI . NOMEN
ABOLERETVR . CLERICI . REGVLARES . HVIVS . COLLEGII . B. M. POSS
VIXIT . ANN. LXXII. DECESSIT . MD . . . .

Ipſius porrò Sedis primae dignitatem non illepidè *Honorem primi ſuggeſtus* dixit Andreas Alciatus Epiſt. ad P. Iouium ad illius hiſtorias.

Caeterùm Laurea ſaepe ſubintelligitur, & Iuriſcõſultus abſolutè poſitus laureatum ipſum ſignificat, quèmadmodum ex Coenotaphio Piſano in Diui Frigdiani:

DCXXXII.

POLYDORO . RIPAE . MEDIOL. I. C. PHILOS. THEOL.
VITAE . INTEGRITATE . ET . MORVM . AMABILITATE . CONSPICVO
IN . TICINENSI . AC . PISANO . GYMN. I. C. PROFESSORI . ORD
IN . TAVRINENSI . PRIMARIO . ET . EIVSDEM . CIVITATIS . SENATORI
QVI . PISIS . MORIENS . TRISTE . SVI . DESIDERIVM . OMNIB. RELIQVIT
ANGELVS . FOELIX . FR. H. M. P. AN. DOM. M. D. XIV
AETATIS . VERO . EIVS . XLIV

En Iuris Conſultum, Philoſophum, Theologum, intellige triplici iſta laurea inſignitum. Profeſſorem verò Iuris Ciuilis Ordinarium, Primarium pro Doctore, ſeu Docente, velut rem aliam ab alia, diſtinctum à laurea.

Sunt quidem alicubi gentium alij laureati, alij titulo vulgari haud ita ſplendido *Licentiati*; proptereaquod honor laureae ob ſummam celebritatem & magnificenriam ſumptus exigit maiores, quàm poſſint, quibus ſunt tenuiores fortunae; at his quoque emeritis negari ſuum honorẽ nefas eſt. Latinè itaque inſcribentes prò licentiatis v. g. in Iure dicemus *Initiatos legibus*, *Iure Ciuili*, *Canonico*, *Sacra Theologia* &c. Vel,

ſi auctoritas

ſi auctoritas publica Collegij ſit exprimenda, *Ritè initiatos*, *legitime initiatos legibus*, *Iure Ciuili* &c.

E Doctoribus euadunt quidam (vulgò) *Iubilarij*, cùm nimirum longo docendi curriculo feſſis, optimèque de cathedra meritis datur vt ceſſent à negotio, retento ſtipendio, tituloque honorario. Hos Latinè nouata illa voce reiecta, *Rudiarios* dicemus, quaſi donatos rude, vt olim de munere gladiatorio: & honeſta miſſione miſſos, vt de militia. Expurgabis hinc titulum tumuli Brabantini apud Suueertium, caetera quoque impuri, videlicet

D. O. M. VNI. TRINOQ.
Et in ſui memoriam
F. Ioannes Antonl ex Eremitis S. Auguſtini
Louanij Iubilarius
Quondam Monaſtery Anghien. Prior
Praeſentis & futurae vitae non immemor
Viuens Hoc Mon. F. C. Anno Dom. MDXCVII

habes enim hic, quod emendes: & pro *Iubilarius* repoſito *Rudiarius*, illam notam F. pro *Frater*, tollas: Voci *Antonl* vel addas *F*, ideſt *Filius*; ſi patrem indicat; vel ſi familiam, aliter inclinet vt *Antoneius*: Pro *Prior* dicas *Antiſtes*, vt ſingula ſuis locis ſuprà tractauimus. Tandem rerum praeteritarum non immemor quis aptè dicitur, praeſentium verò, & futurarum nonniſi ineptè: vt menùs hic legeris, *Praeſentis vitae pertaeſus*, *futurae proſpiciens*: ſeu *praeſentem vitam expertus*, *futuram praecauens* &c.

Hic omnino monendus es de barbara appellatione vèl in celebres Academias grandioribus ſculptis literis admiſſa, vt *Iuriſta* vſurpetur. Nam neque pro Iuriſperito, neque pro Iuris profeſſore, aut interprete publico; neque pro auditore huiuſce doctrinae, quem leguleium dixere veteres, apud bonos, Latinoſque Scriptores reperias. Conſule Voſſium de Vitijs ſerm. lib. III. cap. XVII.

Tandem qui frequens eſt & ſermone, & ſcripto, titulus *Baccalaurei*, italicè *Bacciliere*, quem etiam crebrò oſtendimus in Monumentis Brabantinis apud Suueertium, non erit importunum de eo iudicium Voſſij lib. I. cap. XIX. de Vitijs ſerm. quòd ea vox malè putetur compoſita ex Bacca, & Lauro; ſed magis corrupta ſit ex *batualius* malè formata ab antiquo *Batuo*, ideſt Pugno, vnde Italica vulgaris *Battagliare*. Vt vt ſit, & nouatam fateri neceſſe eſt *Baccalaureus*, & cauendam quàm maximè Latinè ſcribentibus; ad ſummum, quaſi praefandam, exigere appoſitum aliquod, v. g. *Vulgò*, vel *Vt dicunt*, vel huiuſmodi.

B A S I L I C A

Membrum III.

NE cui ad ſacram Aedem dumtaxat ſignificandam contracta haec vox eſſe videatur, monent cùm Lexicorum Auctores, ad quos referimus Lectorem, tùm marmora quaedam literata apud Ianum Gruterum praeſertim pag. CCCCXLIIII. n. 2. & pag. CLXXI. n. 2. 3. 7. Eſt enim *Baſilica* è Graeco etymo primùm Domus Regia, inde quaeuis alia ampla cognitioni deſtinata cauſarum; propterea quod Reges eo venirent ad ius dicundum. Hac ſignificatione fas erit appellare Baſilicam, quae eſt hodie Neapoli *Regia Vicaria* barbarae quidem vocis, non tamen ineptae. Ibi namque per Iudices Vicaria Regis praeſtatur opera. Translatione demum eſt publica quaeque domus in Ciuitate, vbi Magiſtratus habitant, vbi Conſilia, Iudicia, Conuentus publicè celebrantur. Hinc ſacrae Aedes ampliores, ac magnificentioris ſtructurae

à Chriſtianis

à Chriſtianis Baſilicae nuncupatae ſunt, quòd ibi ad rem ſacram frequentior habeatur piorum conuentus. De ſacris ergo Baſilicis inſcriptiones afferre ſuperuacaneum eſt, quando eas Suueertius in Select. Delic. abundè ſuppeditat, praeſertim in Romanis. De Profanis verò, & quidem figurata ſignificatione ſuggerit idem Suueertius in Brabantinis hanc Antuerpienſem, videlicet:

DCXXXIV.

HAEC . MERCATORVM . BASILICA
CVM . FEBRVARII . DIE . XXIV . ANNO . MDLXXXIII
FORTVITO . CONFLAGRASSET . INCENDIO
EODEM . ANNO . A . S . P . Q . A . RESTAVRATA . FVIT
PHILIPPO . SCHOONHOVIO . ET . PETRO . ALOSTANO
COSS

Sed & ipſe Suueertius ibidem ſuperiori Inſcriptioni titulum congruentem hunc fecerat: IN MERCATORVM . BASILICA . VVLGO BVRSA. Eſt autem Inſcriptio huiuſmodi

DCXXXV.

S. P. Q. A
IN . VSVM . NEGOTIATORVM . CVIVSCVMQVE . NATIONIS . ET . LINGVAE
VRBISQ . ADEO . SVAE . ORNAMENTVM . ANNO . MDXXXI
E . SOLO . EXTRVI . CVR

Hinc illam, quam vulgus dicit, Plateam Mercatorum in quaque Ciuitate, nos Latinè reddemus Baſilicam, ſi tamen vndique murus ambiat inſtar Aedium; nam quae peruia eſt ex omni parte, ac porticu conſtat patente, Forum dicitur Mercatorum. Repete Florentinam Inſcriptionem ex Claſſe I. Membro II. de Nominibus Gentilitijs.

VECTIGAL

Membrum IV.

V*ECTIGAL* promiſcuè eſt nonnullis genus omne tributi à Principe impoſiti (de publico ſcilicet vectigali) ſed perperàm. De illo enim intelligēdum eſt dumtaxat, quod ex vectura Fiſcus exigit, barbarè *Gabellum*, vel *Gabella*. Inde eſt *vectigal vinarium*, *carnarium*, *ſalarium*, & huiuſmodi alia. Caeterùm quae ad tempus ſoluenda conſtituuntur lege Principis pro faciendis, reficiendiſue Operibus publicis; atque adeò, quae in perpetuum pro ſartis tectis praeſtandis, ea nequaquam Vectigalia Latinis erant, ſed Vltrotributa, quemadmodum ex Liuio obſeruat Obertus Giſanius. Quare impropriè locutus eſſe nuper arguitur Sacerdos Hetruſcus, Vir cùm à legum peritia, tùm à Latinis literis non obſcurus, qui Collegae criminationem in Principem, vt iniquam infringens: *Quidni*, ſuſcepit, *nos quoque Religioſos homines vectigales eſſe par ſit, pro inſtaurando Ponte Vrbis maximo, qui Pontis ipſius vſura fruimur non ſecus, atque reliquum vulgus profanum*? Sapienter is quidem; ſed, vti diximus, impropriè locutus. Siquidem propriè non vectigales ſe, verùm Vltrotributarios. Eiuſdem fortè ſunt generis, quae ex lege Florentinornm Municipali ſoluere iubetur Operae (vt aiunt) Diuae Mariae de Flore (quod eſt Templum Maximum) quiſquis inſtituitur heres Teſtamento: Id tùm eſt Patrum decreto cautum, cùm nouo moenium ambitu munita Vrbs fuit trecenteſimo circiter abhinc anno, vt & impenſis ſatisfieret, & ſarciendis in poſterum moenibus foret conſultum.

INSIGNIIS

Membrum V.

INSIGNIIS pro INSIGNIBVS, quod olim rudentes dixere Barbari, ludentes hodie ac laſciuientes fundere non verentur quidam malè augurati Elogiaſtae. Eſt enim in ſingulari numero *Inſigne* declinationis tertiae, minus quidem frequens, quàm in plurali *Inſignibus*; Claſſicis tamen ſcriptoribus cognitum: ſic Tacitus lib. V. dixit *Regium inſigne*: Et Cicero III. Philip. *Regni inſigne*: Ergo in plurali *Inſignibus*, vt apud Salluſtium in Bello Catilinario: *Cum faſcibus, atque alijs Imperij inſignibus in caſtra ad Mallium contendit*: & A. Gellium lib. V. Cap. V. *Conuertebatque exercitum inſignibus argenteis & aureis florentem.* Quos ſanè Scriptores, & ſimiles Latinitatis fontes adire par eſt, non neſcioquem Suenonem (in Compendio Hiſtoricae Danicae, quem citat Voſſius) aut riuulos huiuſmodi per lutoſum ſolum barbarici ſeculi deductos, quod egit Auctor recens, nobis quidem incognitus, ſed eius opus proferendum ad ſtudioſos, vt nouerint Acroceraunia iſta declinare, quae noſtrimet oculi, cum id Inſcriptionis expoſitum pateret, horruerunt. Erat in Caeſarem Montium Cardinalem, & Archiepiſcopum Mediolanenſem, cùm ad ſedem ſuam in ſacra pompa tenderet. Videlicet:

DCXXXVI.

*Ingredere Caeſar Cardinalis ampliſſime, * Archipraeſul vigilantiſſime*
Incoluit hunc locum Barnabas. Percoluit turba Sanctorum Martyrum
*Et Confeſſorum copioſa. * Praedeceſſores tui praeſentia decorarunt*
*Dum hic ſemetipſos * Inſignijs Epiſcopalibus exornarunt*
Ingredere. Erit tibi laus & omen
Nobis decus & nomen &c

Sic ab *Inſignium*, qui componebant *Interinſignium* aequales Suenonis, poſterioreſque illo non minus horrentis ſeculi Scriptores, quo fortè ſeculo pullulauit infelix ſoboles *Praedeceſſor*, quam in ſuperiore Inſcriptione notat aſteriſcus. Nam alteram ſic praefixam *Archipraeſulis*, vocem hybridam noſtris facile temporibus peperit nondum eradicata barbaries vetus vèl in tanta foetura florentium ingeniorum. Illa quoque ſimiliter deſinens alliteratio: *Erit tibi laus, & omen, Nobis decus, & nomen*, petulantiae puerili congruit, non matronali caſtitati, qualem poſcit Inſcriptio ſoluta numeris, & ipſo genere argumenti grauiſſima.

Minùs foeda redditur ab hac parte, quia nec tam adfectatae oſtentationis, ac publici conſpectus, Memoria Imolenſis, etſi aliàs etiam à Latini ſermonis munditie, ac dignitate recedens. Ea Bibliothecae priuatae inciſa ſic legitur, exſcripta à Vincentio Sauinio, in haec verba:

DCXXXVII.

BIBLIOTHECA . HAEC . QVAM . ANTE . ANN. CXXX. MICHAEL MACHIRELLIVS . C. PRIMAR. IMOLEN. ILLVSTRISS. ET . EXCELLENTISS D. GALEATII . SFORTIAE . DVCIS . MEDIOL. DOM . PRAEFECT . AERE PROP. CONSTRVEN. PICTVR. ET * INSIGNIIS . FAMILIAR. EXORNAN VOLVMINIB. Q. VAR. LOCVPLETAN. DEVOT . ANIMI . PROPENSIONE CVRAVIT . VETVST. AC . TEMPORVM . INIVRIA . PENE . COLLAPSAM IN . HVNC . HONESTIOR . ET . COMMOD. LOCVM . CONSENSVM . AD ID . PRAESTAN. ILLVSTRISS. D. EQ. IOSEPHO . MACHIRELLIO . EIVS GENTIL. ASPORTAVIT . R. P. F. FRANC. A . . . . . . PROV. PER. CVR TVNC . TEMPORIS . IST. COENOBII . GERENS . IVSSV . AD. R. P. F. STEPH MED. BONON. PROVINCIAM . ADMINISTRAN. SERVATA . TAMEN MVNIFICENTISS. AC . PIENTISS. VIRI . MEMORIA . ANNO . DOM. MDCIX SEPT. KAL. FEB

Exigit

Exigit eius Inſcriptionis lectio ex tot compendijs dura, & veluti confragoſa, vt integris vocibus explanemus, quo iudicium tuum, Lector, faciliùs euadat, hoc praemonentes, vſum illum vulgarem titulorum, quibus haec inmodicè fucata eſt; *Domini*, *Reu. Patris Fratris*; praeter damnatam vocem *inſignijs*, tuum ad exemplum ne transferas, vt nos ſupra ſuis quaeque locis tradidimus. Ita ergo lege: *Bibliotheca haec, quam ante annos centum triginta Michael Machirellius Ciuis primarius Imolenſis, Illuſtriſſimi, & Excellentiſſimi Domini Galeatij Sfortiae Ducis Mediolani Domus Praefectus aere proprio conſtruendam, Picturis, & Inſignijs familiaribus exornandam, voluminibuſque varijs locupletandam deuoti animi propenſione curauit; Vetuſtate, ac Temporum iniuria pene collapſam in hunc honeſtiorem, & commodiorem locum, conſenſum ad id praeſtante Illuſtriſſimo Domino Equite Ioſepho Machirellio eius Gentili aſportauit Reuerendus Pater Frater Franciſcus à . . . . . . Prouincialis Per . . . curam tunc temporis iſtius Coenobij gerens, iuſſu Admodum Reuerendi Patris Fr. Stephani Mediolanenſis Bononienſem Prouinciam adminiſtrantis, ſeruata tamen munificentiſſimi, ac pientiſſimi Viri memoria Anno Domini MDCIX.*

PROTECTIO, PROTECTOR

Membrum VI.

PROTECTIO, PROTECTOR, vſurpata vulgò ſignificatione, non eſſe haec boni ſeculi, argumento eſt, deſiderari à Voſſio (lib. III. de Vitijs ſerm. cap. XXXVIII.) Claſſicorum Scriptorum exempla. Is itaque loco *Protectionis* ſubſtituit *Fidem, Clientelam*, ex Cicerone: Sic *Eſſe in fide, & clientela alicuius*, pro Sex. Roſc. Amer. Adde *Patrocinium* ex eodem, Ita *Noſtri autem Magiſtratus, Imperatoreſque ex hac vna re maximam laudem capere ſtudebant, ſi Prouincias, ſi ſocios aequitate, & fide defendiſſent. Itaque illud patrocinium Orbis terrae veriùs, quàm imperium poterat nominari*. De Off. lib. II. *Protectori* autem ſufficit ille *Defenſorem*, *Patronum*. Hinc *Protectus* propriè dicetur *Cliens* nomen relatiuum ad *Patronum*. Ac immerito Ioannes Choler Auguſtanus in librum Inſcriptionum Sacroſanctae Vetuſtatis poſt Inſcriptiones Galliae Ciſalpinae Ad Lectorem habet: *Cùm Patronus non rectè Latinè, niſi reſpectu liberti, & è conuerſo dicatur*. Nam hoc aliquando verum eſſe non inficiamur: Sed plerumque Patronum ad Clientem referri in forenſibus cauſis, ciuilibuſque negotijs probant loci Ciceroniani non pauci de Patronis Coloniarum, Oppidorumque quibus libertinam conditionem abſurdè tribuas. Ad quos locos lectorem remittimus apud Theſaurum ling. Lat. in voce *Patronus*. Exempla verò in vetuſtis marmoribus extant apud Gruterum, & quidem in noſtram ſententiam, praeſertim pag. CCCLIV. num. I.

DCXXXVIII.

FL. ANNIO . ANNAEO . LEMONIA . FORTVNATO
PISCAT. VRINATORI . Q. Q. III. ET
Q. Q. P. P. PATRONO . DIGNISSIMO
HONORIBVS . OMNIBVS . PER . GRADVS
FVNCTO . QVOD . OB . HONOREM . PATRO
CINI . SIBI . OBLATVM . EIDEM . CORPORI
H-S. XII. N. DONAVERIT. VT . EX
VSVRIS . EIVS . DIE . NATALIS . SVI . III. KAL. MAIAS
SPORTVLAE . VIRITIM . DIVIDANTVR . ET . HOC . AMPLIVS
SIGILLVM . ARGENTEVM . QVOD . CVM . AVREL. PORTEN
SE . COLLEGA . SVO . POND . TERNA . D. D. ET . OB
DEDIC . EIVSDEM . STATVAE . PATRONIS . ET . Q. Q.
P. P. SOLID. DIVISIT . MAG. QVAE . AEGER. XXXV
CVR. AQV. AD. M. XXV. ITEM . PLEB. LXX. COR
PORIS . CVRAT . EX . AERE . COLLATO . DIGNISSIMO
POSVERVNT

Item

Item pag. CCCCLXX. num. I.

DCXXXIX.

L. SILANO . FLAM . MART
C. VELLAEO . TVTORE . COS
PRIDIE . NON . DECEMB
CIVITAS . APISIA . MAIVS . HOSPITIVM
FECIT . CVM . C. SILIO . C. F. FAB. AVIOLA
TRIB. MILIT. LEG. III. AVG. PRAEF. FABR
EVM . LIBEROSQVE . POSTEROSQVE . EIVS
SIBI . LIBERIS . POSTERISQVE . SVIS . PA
TRONVM . COOPTARVNT
C. SILIVS . C. F. FAB. AVIOLA . TRIB. MILIT
LEG. III. AVG. PR. FABR. CIVITATEM . API
SIAM . MAIVS . LIBEROS . POSTEROSQVE
EORVM . SIBI . LIBERIS . POSTERISQVE
SVIS . IN . FIDEM . CLIENTELAMQVE
RECEPIT. EGERVNT
HASDRVBAL . IVMMO . IADER . IVMMON
HASDRVBAL . HANNONIS . BANNO . GABALI
CHINISDO . SVFETES . ARISTO . APOI
SAEPO . CHANEBO . LEGATI

Bonam itaque, & puram hac in parte aſſeremus, Inſcriptionem recentem Inſubricam, quam exſcripſit Puccinellius, poſitam in Oppido Canturio, Dioeceſis Mediolanenſis: videlicet:

DCXL.

S. CAROLO
CVIVS . INCOMPARABILEM . SANCTITATEM . AVCTORITATE . APOSTOLICA
EXAMINAVIT . QVEMQVE . IN . SVVM . AC . FAMILIAE . PATRONVM
ADOPTAVIT . PHILIPPVS . ARCHINTVS . EPISC . COMENSIS . AC . SVMMI
PONTIFICIS . ASSISTENS . SACELLVM . HOC . A . FVNDAMENTIS . EXTRVXIT
MDCXVII

His accenſemus ex Macrobij teſtimonio Saturn. lib. III. cap. IX. ſynonymum *Tutelae*, ſic enim habet Carmen veterum Ethnicorum, quo Dij euocabantur, videlicet: SI. DEVS. SI. DEA ES . CVI. POPVLVS. CIVITASQ. KARTAGINIENSIS . EST . IN. TVTELA . TVQVE MAXIME . ILE . QVI. VRBIS. HVIVS. POPOLI . QVE. TVTELAM. RECEPISTI &c. Et pro auctuario damus Inſcriptionem Hiſpanicam (apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt.) quae Decurſae legitur in has notas:

DCXLI

TVTELAE . AVG. SACRVM
C. TERENTIVS
ONESIMVS . OB . HONOREM . SEVIRATVS
SVI . ET . IN . HONOREM . C. TERENTII . VRSI
FILI

Ex Elogiaſtis recentibus produci poſtulat vetuſtatis aemulator quandoque felix, Franciſcus Pola, de Auguſtino Valerio Cardinali, & Academiae Philarmonicae Patrono creato:

DCXLII.

AVDI . PATER . AVDITE . HOSPITES . AVDIAT . FAS
QVOD . BONVM . FAVSTVM . FELIXQVE . SIT . TIBI . NOBISQVE
QVANDO . HODIE . PRIMVM . ACADEMIAE . PHILARMONICAE
CLIENTELAM . AVSPICARIS
IPSAMET . AMPLITVDINI . TVAE . IN . PERPETVVM . COLENDAE
SE . SANCTE . OBLIGAT . VENERABVNDA
INGREDITOR
TVTELA . NOSTRA . ET . GLORIA

Ex quo

Ex quo manat *Tutelaris*, eiuſdem ſignificationis, ſed inferioris elegantiae, quippe hoc propriè vſurpatur, illud translatè; nam *tutela* pro *tutelaris*, metonymicòs eſt abſtracti pro concreto. Vnde ſicut Romanis erant Dij Tutelares (Macrob. Saturn. III. 9.) ita nobis fas dicere Diuos Tutelares barbara Protectoris voce expúcta: Simul vitabis impuram illam vocem *Titularis* pro *Diuo*, cuius titulo Templum erectum Deo eſt. Neque licet in verbis ludere *TITVLARIS TVTELARIS*, ſiquidem citra neceſſitatem vox nouatur, & vbi cùm dixeris *Templum ſub titulo*, v. g. *Diui Petri excitatum*, illum ex conſequenti Tutelarem arguis ſui Templi, cuius pietate, ac religione conſtitit. Si tamen inſiſtis quaerere vocem ſingularem Latinam, dicito pro Titulari (omninò barbara) *Praeſidem*: Sic Cicero; *Dij, qui huic loco, Temploque praeſident*; quos eos eſſe neceſſum eſt, quibus Templum dicatum. Accipe de hoc recentem Epigrapham Mediolanenſem in Diui Euſtorgij

DCXLIII.

D . O . M
DIVO . EVSTORGIO . QVI . HVIC . TEMPLO . PRAESIDET
COLVMNAM . HANC . PROPE . SVORVM . SEPVLCRVM . POSITAM
DANIEL . PLANTANIDVS . I. C. PLASTICE . EXORNANDAM
CVRAVIT . MDXCI

Sic dicitur *Praeſes Arae*, *Templi*, cui Ara, cui Templum dedicatum. Neque reſpuenda locutio veterum dicentium *Numen Tutelare*, ſi tamen diuos noſtros ita vocemus Numina, vti Chriſtus Deos *Ego dixi Dij eſtis*, nimirum Diuinae gloriae, poteſtatiſque participes; iuſtiùs certè, quàm Numen Caeſaris, Numen Auguſti: Huc ſpectat Inſcriptio Etruſca apud Gruterum pag. CXII. num. 11.

DCXLIV.

N . T . M
SAC
A . PASSI
DIVS
IVSTVS . EX
VOTO

* ideſt *Numini Tutelari Municipij Sacrum*.

Alio item ſynonymo *Cuſtodem* vocat Cicero III. Nat. Deor. *Apollinum antiquiſſimus is, quem paulò ante ex Vulcano natum eſſe dixi Cuſtodem Athenarum.*

Praeteriri non patitur digna vetuſtis marmoribus Dedicatio Bibliothecae Mediceae, quam citat in Select. Delic. Suueertius inter Florentin.

DCXLV.

DEO . PRAESIDIBVSQ. FAMILIAE . DIVIS
CLEMENS . VII. MEDICES . P. M. LIBRIS . OPT. STVDIO . MAIORVM . ET . SVO
VNDIQVE . CONQVISITIS . BIBLIOTHECAM . AD . ORNAMENTVM . PATRIAE
AC . CIVIVM . SVORVM . VTILITATEM . D. D
HANC . BIBLIOTHECAM . COSMVS . MEDICES . TVSCORVM . MAGNVS . DVX
PERFICIVNDAM . CVRAVIT . ANNO . DOMINI . M. D. LXXI
III. IDVS . IVLII

Hic nos praeſtolantur obtrectatores nonnulli, quibus aegrè ſonat vocem *Protectoris*, vt impuram excludi; cùm tamen, vnde ea deriuatur, Verbum *protego* nemo neget Latinum eſſe, auctoritate multiplici meliorum Scriptorum apud Theſauros ling. Lat. Et quidem ſi Marius Conradus conſulatur lib. praeſertim II. num. XL. minimè refragaturus ſit, vt qui Latinitatis fontes aperire largiùs contendens lutulentam ſaepè elicit venam. At nihil analogiae ratio efficit, vbi vſus communis repugnat. Promatur nobis, vel vnus boni Scriptoris locus, tùm illis manus

dabimus

dabimus. Non negamus quidem marmora antiqua nonnulla apud Gruter. vt pag. DXXXI. num. 2. vbi expreſſa vox legitur, videlicet:

DCXLVI.

D . M
ET . MEMORIAE . ATTINIAE
TIBERIAE . MAXIMAE . AVRELIVS
ROMANVS . PROTECTOR . DVCE
NARIVS . CONIVGI . INCOMPA
RABILI

Item pag. CCCLXXI. num. 6.

DCXLVII.

D . M
AVR. CLAVDIANO
EQ. R. QVI . VIX
ANNIS . III. M. X
DIES . XXVIII
FL. VIATOR *Viatorum
PROTECTOR
PATER
FILIO . DVLCISSIMO
B. M. FECIT

* Obſerua diſſonantiam caſuum in *Annis*, & *Dies*, vitionè ſeculi, an quadratarij?

Et alibi, ſcilicet DXXX. 9. DXLII. 7. DCXXVI. 8. MXXVIII. 2. vbi truncata eadem vox de more legitur. Verùm tamen haec marmora ſi attentiùs inſpectes, non niſi de militia, aut de pugnis Circenſibus, quae militiae ſpeciem habent, Vocem Protectoris vſurpant. Vt in priore liquet *Protector Ducenarius*, ideſt Duarum cohortium: in poſteriore autem *Protector Viatorum*, illorum ſcilicet, qui in factionibus, ludiſque Circi iuſſu Agitatorum curſitabant, opem pro tempore laturi. Caeterùm nec certum exhibent veſtigium boni ſeculi, & quaedam ſequioris notam habent apertiſſimam, vt MXXVIII. 2. in mentione *Augg. N. N.* ideſt *Auguſtorum noſtrorum*: & aliud marmor operoſum ex Alciati codice exſcriptum ſumma fide per Placidum Puccinellium, quod placet hic referre; vt, niſi alia nobis promantur ſeculi non ambiguè boni, iam nullum habere momentum citata ſuperiùs euincantur, & vocem *Protectoris* vèl in militia, & pugnis Circenſibus eſſe poſſe ſuſpectam. Ita verò habet (horrebis lector) adamuſſim cuſum:

DCXLVIII.

D M
BONAE . MEMORIAE . ET. DOMVI . MARTINIAN. EX . P
ROTECTORIBVS . ETERNAM . SECVRITA
TEM . CERMENDACIS . QVIS . IVSTVS
PIENTISSIMVS . BENEMERETVS . IN . SE
QVLVMANVS . MILITAVIT . XLV
ET . VIVET . ANN. N. LX . ETSPERO
ME . VIVERE . ADVCANVS . N. LXXXXVIII
MESES . VIDIES . III. ET . N. DEIN
ARCAE . HIC . SICISRE . MOVERE . VOS
QERET . AVT . APERIRE . AVT . VELLET . ALIVM
QVRPVS . DAVIT . INFESCV . AVRI . P. I

Ad latus

VERTVTEM
ET . GELORIAM
FELICE . MARTI
NIANO . EREDES
FACOLETATEM
VIVOS . SIBI
FECET . HOC

I nunc, & ex plumbeis, vt ita loquar, marmoribus, aurei ſeculi pretium exige. Quò tutius eſt, ac commendabilius quae indubiae ſunt, purae Latinitatis formas ſectari! Adijcere hic placet ſi quando extiterit probum exemplum huius vocis *Protector*; de militia tùm poſſe Protectorem inſcribi, verbi cauſâ Nationis Hiſpanicae Diuum Iacobum Apoſtolum, vt qui armatus ſaepe viſus in ſublimi praeire, ac protegere acies Hiſpanorum, nobileſque ijs Victorias in ſacris bellis conciliare. Addamus, licet, de illo quoque ſiue Mortali, ſiue Diuo, qui nos ab impendente calamitate tuetur, & quaſi ab intentis Fati vulneribus protegit, quemadmodum peſtis tempore, aut belli circùm vndique latè bacchantis, ac ſitam in medio regionem haud tangentis. Qui autèm ab illa Numinis ira protexit, dicatur licet Protector.

SIGNVM, STATVA, SIMVLACHRVM, IMAGO, EFFIGIES

Membrum VII.

VTi haec vocabula diſtinguantur inter ſe, audiendus primùm eſt Aldus Manutius (Tom.IV. Theſauri Critici de Quaeſitis per Epiſtolas lib.I. Q.V. de Signo,& Statua) cuius haec eſt de primis duobus ſententia; Latinis Signum fuiſſe è ſolida materia ſimilitudinem vel Dei, vel Hominis,vel Bruti: Statuam è ſolida itẽ materia ſimilitudinem vel Dei, vel Hominis dumtaxat: Sed Statuam quandoque nomen Signi ſubire;& contrà Signum Statuae: Signum autem Dei,vel Hominis, non item Bruti. Nam quae in foro eſt poſita, aut alio publico, & profano loco Statua dicitur, non Signum; quae verò in Domibus, aut in Templis, Signum potiùs, quàm Statua. Ita ſi è loco publico in priuatum ſtatua transferatur, nomen deponit ſtatuae, aſſumit ſigni: Si contrà è priuato in publicum, dicitur è ſigno ſtatua, dum tamen illud ſit integrum ſignum, vtque praefati ſumus, Dei, vel Hominis tantùm. Adde dum ſignum ſit expreſſum, nec in cauo latens, ſitque à materia, vnde factum eſt, diſiunctum. Siquidem appellatione ſtatuae prohibentur ſigna, quae haerent in eadem, ex qua educta ſunt, materie, vel in qua intùs inciſa ſunt, vt Rana & Lacerta inſculpta Romae in columnarum ſpiris (Plinio teſte lib. XXXVI. Cap.V.) in Porticu Templi Octauiae: Et quae in gemmis, aut alia materia pro anulorum vſu, idcirco per diminutionem Sigilla appellata. Neque refragari, inquit Manutius, Plinium libro XXXIV. Cap. IV. aientem, in domibus etiam priuatis ſtatuas fuiſſe, atque in atrijs: nam idem,ſignificatum voluit, eſſe id factum ad fori exemplum, in quo ſtatuae poni ſolebant ad prorogandam hominum memoriam;ſiquidem in earum baſibus honores inſcribebantur. Adeatur locus, qui eſt illius Capitis clauſula. Quare ſtatuae ſunt propriè in foro; ſigna vel in priuatis aedibus, vt ex Cicerone lib. VII. Epiſt. III. & ad Atticum lib. I. Epiſt. III. VI. VII. Vel in Templis, vt IV. in Verr. Porrò illud Plinij lib. XXXIII. Cap. III. *Iam verò etiam Harpocratem, ſtatuaſque Aegyptiorum Numinum in digitis viri quoque portare incipiunt*, non vt propriè dictum, inquit, accipiendum eſt, ſed hyperbolicòs ex indignationis motu:quippe ibi Plinius luxum ſui temporis, ac inſolentiam damnat,quòd figuras Numinum Aegyptiorum, eaſque ſolidas, atque immoderatè grandes geſtare inſtituiſſent in anulis. Haec ferè Aldus, qui tamen ſcrupulum ingeſtum relinquit legenti memorias veteres. Nam quod cenſet, in foro Statuas dici, docet Gruterus dici Signa, in marmore Hiſpanico, pag. CLXXIV. num. 8. Vbi ita legit:

DCXLIX.

IVNIA . D. F. RVSTICA . SACERD. PERP
ET . PRIMA . IN . MVNICIP. CARTIMITA
NOR. PORTICVS . PVBLIC. VETVSTATE
CORRVP. REF. SOLVM . BALINEI . D
VECTIG. PVB. VENDIC. SIGNVM . AERE
VM . MARTIS . IN . FO. P. ET . BALINEVM
SOLO . SVO . CVM . PISCINA . ET . SIGNO
CVPIDINIS . EPVLO . DATO . ET . SPECTA
CVL. EDITIS . D. S. P. D. D. STATVAS . SI
B. ET. C. FABIO . IVNIANO . F. SVO . AB
ORDINE . CARTIMIT. DECRET. REMIS
IMPEN. AENEA . STATVAM . C. FABIO
FAVIANO . D. S. P. D

Videlicet bis quidem ſignum Deitatis extra Templum, ideſt in foro, & in Balineo hic vſurpatur: Sed & ibidem ſtatua homini tribuitur, cùm Deo tributum ſit ſignum: In Templo contrà Deo poſita fuiſſe ſtatua memoratur apud Gruterum (pag. CIƆXII. num.5.) cùm

poni

poni ſignum contendat Aldus. Sic enim legimus:

DCL.

IMP. CAES. T. AELIO. HADRIANO ANTONINO. AVG. PIO. COS. II. P. P TEMPLVM. HERCVLIS. PRO. IMMVN PERPET. A. SOLO. EXTRVI. EX. AERE CONLATO. STATVAM. PONI. CVRAVER DECVR. MVNICIP. CAER

Statuam hic vtique Dei Martis intelligit, & *Poni in Templo extructo*. Certè neque temnenda eſt fides illius marmoris apud Gruterum pag. CCCLV. num. 6. cuius literae in illud deſinunt: AD. ARAM. CAESARVM. STATVAM EQVESTREM. PONENDAM. CENSVERVNT. *Tiberio*, inquit, *Antiſtio*: Alterius quoque ibidem pag. LXXXIV. num. 1. Vbi corrupta ſit, licet, ſyllaba praecedens, intelligitur abſque Oedipo legendum eſſe *Signa*, videlicet; .. GNA. DEORVM. ARGENTEA CASTRENSIA. quemadmodum ipſe Gruterus ſupplet in Operis Indice, cap. XVIII. Verb. *Signa*. Quòd ſi Caſtrenſia, hoc eſt profanum in locum producta ſiue è Templis, ſiue è domibus, iam non ſtatuae aſſumunt nomen, vt is certabat.

Nihilo tamen minùs tueri poſſumus, atque adeò debemus, Manutij placitum, ne refragari arroganter videamur tanto parenti literarum, ac nobiliſſimo vindici antiquitatis, vt, quod ipſe ſtatuit, id fere vſitatum antiquis, & quaſi ſolemne fuiſſe concedamus, ſtudioſis propterea, ac potiſſimè Elogiaſtis ad exemplum proponendum. De Signo, & Statua hactenus ſatis.

Nunc dicendum de Simulachro, quod quidem promiſcuè dicitur, ac indiſcretè de Deo, de Homine, de Bruto, dequè re inanima. Ac primùm de Deo Plinius lib. XXXIV. cap. IV. habet: *Romae ſimulachrum ex aere factum Cereri primùm reperio ex peculio Sp. Caſtij*. Horatius quoque Carm. lib. III. Od. VI.

. . . . donec Templa refeceris
Aedeſque labentes Deorum, &
Foeda nigro ſimulachra fumo.

Et Suetonius in Octau. Caeſ. *Ac die Circenſium proximo ſolemni pompae ſimulachrum Dei detraxerit*: Neptunum intelligit Beroaldus tanquam inimicum Octauij. Tandem Cicero II. Diuin. *Deorum ſudaſſe ſimulachra*. Pòſt de Homine Cic. IV. in Verr. *Effigies ſimulachrumque Mithridatis*: Et pro Domo ſua: *Mulieris ſimulachrum è marmore*. Deinc de Bruto Ouid. II. Metamorph. *Vaſta ferarum ſimulachra*. Tandem de re Inanima Quintil. lib. II. Cap. X. *Pugnae ſimulachra*, & Cic. in Orat. *Oratoris ſimulachrum*, ſcilicet ad formam perfectae eloquentiae formatum. Eſtquè ſimulachrum tam de ſculptura (ſi modum loquendi proprium ſpectes) quàm de pictura, & fuſoria. De ſculptura quidem eſt locus Ciceronianus pro Domo ſua allegatus. De reliquis eſt alter eiuſdem Epiſt. fam. lib. V. ep. XII. *Alexander ab Apelle potiſſimùm pingi, & à Lyſippo fingi volebat*: Pauloque poſt: *Atque illi artifices* (id eſt Pictor, & Fuſor) *corporis ſimulachra ignotis nota faciebant.*

Imago autem, cùm repraeſentationem ſignificet rei cuiuſcumque, non modò de Pictura vſurpatur; verùm etiam de Sculptura, & Fuſoria, & Figulina, vt liquet ex loco Ciceronis nuper allato Epiſt. XII. lib. V. vbi ſubditur: *Ageſilaus ille perhibendus, qui neque pictam, neque fictam imaginem ſuam paſſus eſt eſſe.* Fingi autem opere etiam fuſorio oſtendit locus Suetonij in Octauio: *Nactus puerilem imagunculam aeream eius veterem.*

Effigies denique ex Iac. Pontano eſt, quae fingitur, non quae pingitur, vt nomen arguit.

Corollarium fecerit obſeruatio illius formae ſtatuarum, quae corpore decurtato, Capite dumtaxat conſtant, & Pectore. Quas quidem ſtatuas vno vocabulo, & ipſo proprio, quamquàm è Graeco, ſequuti morem veterum indicabimus. Illud autem eſt varium, nimirum *Herma*, *Thoracides*, *Protoma*, ſeu *Protome*. Primum & alterum genere maſculino, tertium foeminino. Ac *Herma* quidem iam Latij iura obtinuerat florente ſeculo, vt liquet ex illo Ciceronis loco II. de Leg. *Lege ſanctum eſt, ne quis ſepulcrum faceret operoſius, quàm quod decem homines effecerint triduo: neque id opere tectorio exornari, nec Hermas hos quos vocant, licebat imponi.* In quem locum Aldus Manutius *Hermae* inquit *erant Mercurij ſtatuae truncae, quae ſepulcris imponebantur*. Tranſlatione igitur quamlibet ſtatuam truncam Hominem alium, ſeu Diuum referentem appellare Hermam licebit. Hoc magis, quod idem Manutius (in illud lib. I. Epiſt. III. ad Att. *Quod ad me de Hermathena*

ſcribis, per mihi gratum eſt ; & ornamentum Academiae proprium meae, quòd & Hermes commune omnium, & Minerua ſingulare eſt eius gymnaſij) inquirens, quale hoc ſignum Mercurij, & Mineruae (nã Graecè Ἑρμῆς eſt Latinè Mercurius, & Ἀθηνᾶ Minerua) quaque illud figura extiterit, vtrùm bicorpore, an bicipiti, aut bifronte: An etiã vna in baſi ſigna duo fuerint: is tandem ex antiquo numo induſtria Fuluij Vrſini adinuento quaeſtionem dirimit; Cuius numi aduerſa in parte cernitur effigies Hadriani Imperatoris, in auerſa verò Imago pectore tenus Mineruae inſtructae galea, clypeo, haſta: ſuſtentata autem ipſa imago lapide quadrangulari praelongo: Porrò figura quadrangula, cùm ſignificet Mercurium, qui propterea Ἑρμῆς τετράγωνος vocatur, extabat hinc Hermathena. Subiungitque Aldus *Quadratis enim lapidibus Mercurium ea figura referentibus capita vel Deorum, vel praeſtantium Virorum, qui de Rep. bene meriti eſſent, impo ere Athenienſes conſueuerunt, Mercurij nomine cum eorum nominibus coniuncto, quorum effigies quadrato lapide cernebatur.* Id quod infrà ex Cicerone Epiſt. VIII. eiuſdem libri facilè coniectamus, vbi habet: *Signa noſtra, & Hermeraclas, vt ſcribis, cùm commodiſſimè poteris, velim imponas* (ſubintellige) *in nauim.* Hermeraclas autem vult ſibi ſtatuas Mercurium ſimul & Herculem referentes (nam Ἡρακλῆς eſt Hercules) Vel meliùs quadrangulo impoſitum Herculis Caput. Siue igitur longus lapis, ſeu breuis ſit, modò is quadrangularis, Herma erit: Adde: ſiue etiam rotundum eum laſciuia Sculptoris effinxerit, non propterea appellationem reſpuet Hermae: Neque minùs Athenienſium vſus, vt non acceptus Latinis, coniungere coget, & componere Hermae nomen cum alterius vel Diui, vel Hominis, cuius effigies imponitur lapidi quadrangulo. Cuiuſcumque item materiae praeter lapidem fiat id genus ſtatuae, nihil intereſt, nam ipſum ſemper repraeſentat. Haec nobis mente voluentibus ſubit locus Macrobij celeberrimus lib. II. vbi de iocis M. Tullij Cic. ita loquitur: *Nec Q. Ciceroni fratri circa ſimilem mordacitatem pepercit. Nam cùm in ea prouincia, quam ille rexerat, vidiſſet Clypeatam imaginem eius, ingentibus lineamentis VSQVE AD PECTVS DE MORE PICTAM (erat autem Quinctus ipſe ſtaturae paruae) ait: Frater meus dimidius maior eſt, quàm totus.* Cui ſcriptori ſi ſubdas Iuuenalem, planum habebis, ſimulacra haec trunca fieri ſolita, Hermas fuiſſe appellata. Ait enim is Satyra VIII.

. . . . truncoque ſimillimus Hermae
Nullo quippe alio vincis diſcrimine, quàm quod
Illi marmoreum caput eſt, tua viuit imago.

Huius autem formae conciſae imagines ponere in ſepulcris, ſolenne fuit veteribus, vt indicat memoria Mediolanenſis in propyleo S. Ambroſij, vt citat Gruterus pag. CCCCXLIX. num. 5.

DCLI

PETRONIO . IVCVN
VIVIR . SENI
PETRONIA . MIRA . L. F. PATRONO
QVAE . H-S. CCCC. LEG. POSSESSORIB
VICI . BERDOMAG. IN . HERM
TVEND. ET . ROSA . QVODANNIS
ORNANDVM

Vbi illa compendia IN . HERM . TVEND exponimus *In Hermam Tuendum*; ideſt defuncti ibi humati imaginem iniurijs temporum corruptam, abſumptam, aut deiectam reparandam. Huic facem notitiae minimè diſſimulandae adiunxerit locus ſuprà allegatus ex Cicerone lib. II. de Legibus. Cui ſuffragatur Lex Athenis lata; qua Hermae omnes propter immodicam vel copiam, vel ſumptum, ſepulcris inibi adempti ſunt.

Protoma verò, aut *Protome* aequè domeſtica vox huic rei ſignificandae cenſeri debet, atque *Epitoma vel Epitome*, & huiuſmodi Latinis tritae.

Thoracides quoque haud ita peregrina: quippe adſcripta Latio parentem ſuum *thoracem* nouit. Haec ipſa tria vocabula probantur Ioſepho Laurentio in ſua Amalthea: Quamquàm *Herma* ſit vſitatius, vt probat optimorum auctoritas. Porrò eius formae Statuam, ſeu Picturam, Sculpturamuè, aut Celaturam exprimere nõ opus eſt mutilatam: licebit autem Imaginem appellare ad omnes illas ſpecies generatim, vti loquuntur, qui de Numiſmate diſſerunt: Videturque fauere Suetonius in Tito Cap. IV. ex codice emendatiore: *Sicut apparet*, dicens, *Statuarum, & Imaginum eius multitudine, ac Titulis per vtramque prouinciam.* Vti poteris etiam nomine *Effigiei*, & alio huiuſmodi. Mutilatam autem expreſſuro dicatur *Caput*, vel *Caput cum pectore*, vel *Imago pectore tenus*.

POTESTAS

POTESTAS, OFFICIALIS, POTENTATVS

Membrum VIII.

Latina ſunt, ſed haud Latinè vſurpata nonnullis, *Poteſtas*, *Officialis*, *Potentatus*.

I. POTESTAS, ſi pro illo tantùm, qui vulgò *il Podeſtà*, non alium herclè plauſum meretur, aut Elogium, quàm quod audit à Poeta noſtrate Alexandro Taſſonio in Poemate inſcripto *la Secchia Rapita*. Eſt ergo eius vocis ſignificatus petendus è Latinis fontibus. Propriè autem ſignificat facultatem, ſeu arbitrium. Hor. in Poet.

Pictoribus, atque Poetis
Quidlibet audendi ſemper fuit aequa poteſtas.

Et Vim: Cic. III. Catil. *Hanc Vrbem Deorum immortalium nutu, atque poteſtate adminiſtrari*. Hinc Philoſophātes Latinè dicemus *Ouum reapſe Auem eſſe poteſtate*, pro *Actu*, & *Potentia*, ſeu *Virtute*: Deinde tranſlatè ſignificat Magiſtratum, ſeu, vt vocant Officium ipſum, ac Magiſterium: Plin. in Panegyr. CXLII. *Ciuile hoc erat, & parenti publico conuenientiſſimum nihil cogere; ſemperque meminiſſe, nullam tantam poteſtatem cuiquam dari poſſe, vt non ſit gratior poteſtate libertas*. A magiſterio autem ad perſonam transfertur, Plin. hiſt. lib. XXIX. cap. IV. *Tribuunt ei & ſucceſſus petitionum à Poteſtatibus, & à Dijs etiam precum*: Et lib. XXVIII. cap. VI. *Ideo haec in Concilijs Ducum, Poteſtatumuè fieri vetuere Maiores*, i. e. Principum, Regumuè. Et quia Reges, & Principes antiquitùs iudicijs praeerant, pro quocumque homine, qui politicum Magiſtratum gerit, iudicijſque praeeſtet. Plin. lib. XXIX. cap. IV. *Mites praeſtare Dominos, Poteſtateſque exorabiles*. Horum ergo nomine venit, quem vulgus *il Podeſtà*: Apuleius *Sed iuſſit Poteſtas Officialem ſuum magna ſeueritudine coërceri*.

Hic autem Latinè etiam *Praetor Vrbanus*; &, quia Praetores hoc temporis non vocantur in re militari, abſolutè *Praetor*. Exceptum vult Octauius Ferrarius Elogio de Scipione Papafaua ſacram militiam Equitum Melitenſium, quam ſcitiſſimè vocat *Ordinem Chriſtiani nominis Praetorianum* ab antiquiſſima Romanorum conſuetudine, apud quos bellum adminiſtrabant Praetores, vnde tabernaculum Praetoris Praetorium dicebatur. Praetoris autem pro vrbano vſurpati occurrunt exempla in Elogijs recentibus: è quibus extat illud Franciſci Polae Veronae, videlicet:

DCLII.

PRAETORI
IOANNI . DANDVLO . AL. F *Aloiſij filio
PRAEFECTI
FRVMENTO . DIVIDVNDO
F *Fecerunt
QVOD . ANNONAE . VILITATEM . FECERIT
PERPETVAM
MDCVII

Iconem etiam Praetoris vrbani paucis expediuit Octauius Ferrarius Elogio de Andrea Legio, quod hic citare eſt curae praetium.

DCLIII.

ANDREAE. LEGIO. PRAETORI
Cuius Dijs aequa poteſtas
Solis beneficijs ſtetit
Maluitque mortales
Rubore ſuffundi, quàm ſanguine
Atque illuc currere lachrymas
Iuſſit
Qua cruor iturus erat
Non minus Legum, quàm Legij
Iuuentus ſtudioſa
Molliter ac liberaliter habita
Parenti optimo & indulgentiſſimo
Poſ

Hinc *Praetura* Praetoris dignitas, Cuius exemplum Auctore Pola, Piſcheriae Venetorum legitur

DCLIV.

VINCENTIVS . MANVELVS . IVRISC. V
Praeturam hanc
Aſpirante bina patronorum aura
Sylueſt. Valerij , Franc. Quirini
Prouiſorum
Iniui . geſſi
MDCIII

Et qui vulgò *Vicarius Poteſtatis* nitidiùs *Vicarius Praetorius*, cuius exemplum praebet Mediolani Inſcriptio inter recentes pura, videlicet:

DCLV.

DESIDERIVS . MERZAGORA . I. C. E . COLL. MEDIOL. PRIMVM . TICINI DEINDE . CREMONAE . VICARIVS . PRAETORIVS . TICINI . ITEM . III FISCI . ADVOCAT. MEDIOLANI . AD . SIGNVM . GALLI . BIS . IVDEX INDE . PRAETOR . POST . REBVS . CAPITALIB . A . REGE . SEMEL . ET ITERVM . PRAEFECTVS . EX . HISPANIA . REDIENS . FISCI . REGII PATRONVS . IN . PATRIA . VERO . SENATOR . FACTVS . DEMVM . A CAESARE . COMES . PALATINVS . CREATVS . DIGNITATVM . QVIBVS GRADATIM . FVIT . DECORATVS . M. H. P. ANNO . MDCIX

II. *OFFICIALIS*, epitheton eius, quod de Officio hominis tractat, nota vox Lactantio, qui lib. VI. Ciceronem laudat in ſuis Officialibus, h. e. libris de Officijs. Pro Miniſtro autem Magiſtratus, quòd obſeruat Voſſius de Vitijs ſerm. lib. III. cap. XXX. ignota eſt Claſſicis, quos inter Apuleius minimè cenſendus, cuius locum ſuprà citauimus, praeter quem citat Voſſius ibi. Aut igitur proprium efferatur nomen, aut genericum Miniſtri, cui Magiſter opponitur. Purgari itaque poſcit Inſcriptio apud Gruterum pag. CCCCXXII. num. 7. quae Romae legitur, cuius clauſula eſt; *Officiales eius Prouinciae Aquitaniae optimo Praeſidi, Homini bono*. Nam illa, pag. CCCCLXXIV. num. 4. ſuſpecta eſt Smetio, quòd nuſquam Latinè extet, ſed è Graeco tranſlata ſit.

III. *POTENTATVS*, etſi pro eo malit Voſſius (lib. III. cap. XXXVI.) *Poteſtatem*, *Dominationem*; occurrit tamen apud Caeſarem I. bell. Gall. *Hic cùm tantopere de potentatu inter ſe multos annos contenderent* &c. Verùm pro ijs, penes quos eſt potentatus, vt vulgus loquitur, durior videtur tranſlatio; ſufficitur autem *Dynaſtae*, *Proceres*, *Principes*, *Qui cum imperio ſunt* &c. Dignum eſt immortalitate Elogium, Octauio Ferrario Auctore, de Aloyſio Contareno, cuius principium eſt: *Aloyſius Contarenus cùm Venetam Maieſtatem ad Europae Principes Orator circumtuliſſet, demum ad Turcarum Imperatorem Legatus* &c. Vbi noſtras vulgus dixiſſet: *Cùm ad Europae potentatus*.

LITERATVRA, FACTIO

Membrum IX.

LITERATVRA eſt, inquit Giſanius, vox noua, qua vtitur Cuiacius L. XIV. obſer. X. pro literarum ſcientia: vtitur & Imp. Conſtantius L. I. Cod. Theodoſius, L. XIV. tit. de Decur. Vrb. Verùm *non omnis fert omnia tellus*: fugerat quippe Giſanium ſpatiantem per omnium Scriptores aetatum, quòd poſteriores obſeruauerunt impendio laboris minore; nempe pro arte, quae de literis tractat, cognitam hanc vocem eſſe Quintiliano lib. II. cap. XIV.

Martiano

Martiano lib. III. Ciceroni in Partit. Praeterea pro literarum cognitione, & ſcientia vſitatam Ciceroni Philipp. II. quos omnes locos citat Auctor Theſauri ling. Lat. quò ſtudioſum Lectorem libenter remittimus. Hinc *Literator*, qui literas nouit, vel docet: Interdum literato oppoſitus, i. e. qui non perfectus literis, ſed imbutus.

Non tamen reiectanda ſynonyma, quae Giſanius ſuggerit, pro *Literatura*, *Eruditio*, *Doctrina*. Illam interim vocem, vt in recenti marmore legas, accipe ex Suueertio in Select. Delic. inter Toletana.

DCLVI.

*IOANNES. VERGARA * Doct. Theologus. Canonicus Toletanus Vir prudentia incomparabili. Graeca & Latina Literatura nulli ſecundus. Quo quidem ſolo. Si exteras nationes doctiſſimor. hominum altrices Hiſpania in certamen vocet, Ingeniorum palmam feret. H. S. E*

* Doctor, quòd actu profiteretur, interpretari cogimur, ne barbarie notemus Auctorem.

Synonymicôs autem illa legas apud eundem Suueertium ibi, inter Patauina

DCLVII.

LAZARO. BONAMICO Baſſanenſi, in quo vno totius Antiquitatis memoriam eruditionem, iudicium, & eloquentiam ſibi redditam putans Europa, per annos XX & I. Patauij admirata eſt. Catharina Coniux. & Lucretia, Senis animula, benemerenti poſuere. Vixit ann. LXXIII. Obijt MDLII

FACTIO autem vox minimè noua Latinis boni ſeculi, non vſu ſolùm, ſed etiam ſignificatione ancipiti. Hoc volumus adnotatum, vt à praecipiti cuiuſdam cenſura vindicemus titulum Arcus Triumphalis erecti in Vrbe Conſtantino Magno (quem citamus infrà lib. IV. de Breuit. Elog. Membr. II.) vbi legimus: *Quod inſtinctu Diuinitatis, mentis magnitudine cum exercitu ſuo tàm de Tyranno* (i.e. Maxentio) *quàm de tota eius FACTIONE vno tempore iuſtis Remp. vltus eſt armis.* Nam quod in Salluſtio, cui de Bell. Iugurth. in partem malam vſurpatur vox *Factio*, reprehendi à Pollione potuerit affectata antiquitas, nihil ad rem facit; quin id cauſae noſtrae ſuffragatur, vt non contra antiquorum vſum, ſed ex recepto iam à bonis, vocem illam pro conſenſu, & conſpiratione improborum ſumere liceat. Fuiſſe autem bono ſeculo ita vſitatam probat fragmentum Ancyranum (apud Gruterum pag. CCXXX. num. 1.) exemplum ſcilicet Breuiarij Imperij Auguſtaei, de quo Suetonius in Auguſto cap. vltimo, cuius Auctor Auguſtus ipſemet fuit, idem qui & ſeculi aurei.

Nec obſtat Sexti Pompeij Feſti auctoritas, de Verborum ſignificatione, quod *Factio, & Factioſus initio honeſta vocabula erant; vnde adhuc factiones hiſtrionum, & quadrigariorum dicuntur: Modò autem nomine Factionis ſeditio, & arma vocantur.* Hoc enim & de Hoſte obiectari poteſt, qui principio dicebatur peregrinus, poſt ille, quocum publicè bellum habemus. Ac ſicut Auguſtaeo tempore in malam partem coeperat vocari Hoſtis, ita eodem tempore Factio. Conſulatur Cicero I. Offic. vbi de Hoſtis appellatione. Fuiſſe autem aequales Ciceronem, & Auguſtum nemo negauerit, auream etiam aetatem à Cicerone ad finem Auguſti obtinuiſſe, ſuprà monuimus.

MEMORIA

MEMORIA, VITA, AETAS, AEVITAS, ANTIQVITAS, GLORIA Numero pluratiuo

Membrum X.

IMmeritò his, & alijs nominibus quidam numerum pluralem detrahunt. Sed ſatisfiet primùm auctoritate A. Gellij in medium allata. Is ergo memoriam genit. plur. vſurpauit lib. V. cap. V. *In libris*, aiens, *veterum memoriarum ſcriptum eſt, Annibalem Carthaginienſem apud Regem Antiochum facetiſſimè cauillatum eſſe*. Vitam quoque & Aetatem Idem Gell. lib. XIII. cap. II. *Quibus otium, & ſtudium fuit Vitas, atque Aetates doctorum hominum quaerere, ac memoriae tradere*. Quintilianus lib. XII. cap. vlt. *Nec ſi Geometrae, & Grammatici, caeterarumque artium profeſſores omnem ſuam vitam, quamlibet longa fuerit, in ſingulis artibus conſumpſerunt, ſequitur, vt plures quaſdam vitas ad plura diſcenda deſideremus*. Et Cicero in I. Paradoxo: *Quid inter horum aetates interiectus Cato?* Aeuitatem quam antiqui pro Aetate vſurpabant, Cicero profert ex XII. tabulis, probat idcirco vſum ſaltem pluratiuum III. de legib. *Cenſores Populi aeuitates, ſoboles, familias, pecuniaſque cenſento*. Antiquitatem pariter idem Gell. ibid. cap. XII. *Ratum tamen, penſumque nihil haberet, niſi quod iuſtum, ſanctumque eſſe in Romanis antiquitatibus legiſſet*. Accedit de *Memoria* prima voce marmor antiquum Bergomenſe, quod citat Gruterus pag. DCCLIII. num. 4. Cuius initium: ALBINIAE. VETTI. FIL. & in corpore: *Item lectiſternium tempore parentaliorum ex denarij nummis CC. memorijs eiuſdem Valerianae, & Appi Valerian. Fil. eius per offic. teſſerarior. quodannis ponatur, & parentetur* &c. Tandem à communi canone obſeruat Antonius Mucinus in ſua Syntaxi, exceptam *Gloriam* ab A. Gellio, dum apud eum legit, *Glorias inanes flare*. Et ſanè haud ſatis intelligimus, cur non pluratiuè efferri oporteat, ſiue propriè accepta ſit vox pro laude bonorum conſentiente, vt definit Quintilianus; ſiuè translatè pro facto, vnde prouenit gloria: ſiquidem iterari, ac multiplicari contingit laudes bonorum ad factorum illuſtrium iterationem, ac multitudinem. Hoc à nobis idcirco obſeruatum eſt, vt vindicaremus à cenſura cuiuſdam eruditi Romanum Elogium M. Aurelij Antonini (citatum à nobis ſuperiore Claſſe, Membro I. in Voce *Praedeceſſor*) cuius clauſula eſt: *Quod omnes omnium ante ſe maximorum Imperatorum GLORIAS ſupergreſſus bellicoſiſſimis gentibus deletis, atque ſubactis*. Plurium enim gloriam, atque variam expreſſurus percommodè plurali voce complexus fuit, quod non ita ſucceſſiſſet per ſingularem. Deinde Elogij granditati, qualem illud prae ſe fert, congruit belle pluralitas illa numeri, vt cuiuis liquet. Nec parui fuerit locus Diui Cypriani, etſi occiduae Latinitatis, vbi de duobus appoſitè vſurpat Glorias, lib. II. cap. IV. Ad Moyſen, & Maximum Presbyteros, cuius initium: *Et cunctos vos pariter*: ibi: *Longoque temporum tractu glorias veſtras non ſubtrahitis, ſed augetis*. Alia id genus nomina modo ſimili. Vt Amoenitas: A. Gellius lib. VII. cap. VII. *Anianus poëta praeter ingenij amoenitates, literarum quoque veterum, & rationum in literis oppidoquam peritus fuit*. Liberalitas: Suetonius in Galba: *Liberalitates Neronis non plus decimis conceſſis* &c. Latitudo, & ſimiles. Cicero I. de Nat. Deor. *In hac immenſitate latitudinum, longitudinum, altitudinum*. Ergo cùm in ſectandis vocabulis cautus ipſe debes eſſe, ne ſis licentior; tùm maximè in reprehendendis, quae alij vſurpauerint; haec ſiquidem temeritas foedior.

SCLOPPVS, SCOPLETVS, BOMBARDA

Membrum XI.

SCLOPPVS (per ſimplex, aut duplex p) SCLOPETVS, BOMBARDA Voces nouatae ad leges Rhetorum, atque adeo Ciceronianas.

Et primùm *Scloppus*, prolatus legitur apud Perſium Satyra V. (etſi non deeſt, qui *Stloppus* legit) pro ſono, qui ex inflatione buccarum erumpit:

Nec

Nec ſcloppo tumidas intendis rumpere buccas. quem quidem crepitum cùm imitetur id genus tormenti, quùm igne admoto diſploditur, modeſtior proptereà redditur vſus eiuſdem vocis, quod ipſa penitùs non nouatur, ſed per ſimilitudinem dumtaxat à buccis ad telum trāsfertur. Probatur autem haec vox ſeuero cenſori Voſſio lib. I. cap. VII. de Vitiis ſerm. tanquam nouae prorſum rei ſignificandae legitimè nouata: Qui eam per geminum, aut vnicum p ſcribi permittit: Nondum enim inter eruditos conuenit. Niſi fortè auctoritatem fecerint Marmora quaedam, quale illud de Auguſtino Folieta à Petro Bembo inſcriptum, ac citatum à Suueertio in Select. Delic. inter Romana, quae in Diuae Mariae ſupra Mineruam leguntur:

DCLVIII

Te meritò, FOLIETA, tenent delubra Mineruae
Ipſe, hominum quiſquam ſi ſapit, vnus eras.
Huius obitum, cùm in miſerabili Vrbis direptione luctuoſo caſu, ſclopi ictu ſublatus eſſet, Petrus Bembus Card. elegantiſſimo hoc carmine deplorauit:
Non ſecus ac gelidi ſummis in montibus Haemi &c.

Extat Erycij Puteani in SCLOPVM declamatio apprimè elegans, quae eſt Oratio ordine Quartadecima.

Dein A *Sclopo* diminutiua vox *Sclopetus* legitur apud Suueertium in Brabantinis monumentis, quod marmor citari neceſſum eſt ad verbum, videlicet:

DCLIX.

SEYFRIDO . PFINTZING . AB . HESSEMFELT
PATRICIO . NORIMBERG
INGENVITATE . MANSVETVDINE . PRVDENTIA
AD . EXEMPLAR . VSQVE . LAVDATISSIMO
OMNIBVSQVE . CORPORIS . ET . INGENII . DOTIBVS . ORNATISSIMO
CVI
CVM . AETATIS . FLOS . FORTVNA . NATALIVM . SPLENDOR
DOMI . SVORVM . CHARITAS
CIVIVM . VERO . STVDIVM . ET . FAVOR
AC . CHARISSIMAE . DEPACTAE . SPONSAE . CONIVGIVM
SECVNDA . OMNIA . POLLICERENTVR
FATALIS . CASVS . GRAVIS . HEV . ET . MISERABILIS
PARANTI . REDITVM . IN . PATRIAM
ET . AD . EXOPTATAS . MATVRANTI . NVPTIAS
FORTVITO . ICTV . SCLOPETI . PER . ERROREM
SVA . MANV . EMISSO
INTERCEPTA . OMNI . SPE
CVM . MVLTORVM . LVCTV . ET . DOLORE
MAXVMO . SVI . RELICTO . DESIDERIO
A . SALVTIS . HVMANAE . M. D. LV. NON. KAL. NOV
VLTIMVM . VITAE . DIEM . ATTVLIT
PAVLVS . PFINTZING . AB . HESSENFELT . NATV
MAIOR . FRATER
CAROLO . CAESARI . A . CONSILIIS . ET . SECRETIS
PIETATIS . ET . AMORIS . ERGO . MOESTISSIMVS
TITVLVM . POS

Hinc idem Suueertius in iiſdem Brabantinis inſcribit *In Sacello Sclopetariorum*, nimirum à Sclopetariae cultoribus erectum, ex quibus inibi Collegium, ſeu Corpus inſtitutum. Eo item nomine in militia vti licet, vt quemadmodum Sagittarios, ita à telo parum abſimili Sclopetarios dicamus; &, vt à *falſus falſarius*, ita analogicòs à *ſclopetus ſclopetarius*.

Aliter

Aliter ictus Sclopi exprimitur in marmore Brabantino apud Suueertium

DCLX.

Generoſo Heroi ANTONIO ab Iſemburg. iuniori Comiti Budingen Annos nato plus minus XXVIII. ad V. Diem Nouemb Anno MD XLVIII. plumbo tormentario miſerè occiſo Rheinardus frater deſideratiſs. fratri dolens Poſ.

Aliter etiam in Select. Delic. quod lubenter citamus, vt copiam ſtudioſis paremus

DCLXI.

NOBILI . AC . STRENVO . VIRO
CATERINO . VRYTS
LEG . BVRGVND. IN . REGIA . MILITIA
CENTVRIONI
QVI . APVD . ARDRIAM . IN . PRAESIDIO
DVM . ANIMOSE . IN . HOSTEM . LACESSENTEM
EQVO . ERVMPIT
SOLVS . A . PLVRIBVS . CIRCVMVENTVS
ADVERSVS . RESISTENSQVE . CAEDITVR
GLANDE . PLVMBEA . CAPVT . TRAIECTVS
SED . SIC . QVOQVE . NEC . ENSEM . NISI . MORTVVS
ET . EXTORTVM . DIMISIT
CECIDIT . AETATIS . SVAE . ANNO . XXIX
CHRISTI . MDXCVII. NON. MART

Tertiùm *Bombarda* (telum de genere Sclopi maximum) probata vox eruditis, in primis Voſſio lib. I. de Vitijs ſerm. cap. VII. Et lib. IV. Inſtitut. Orator. cap. VII. Et ipſa nouata, cùm inuenta ſit tertio ab hinc ſeculo, ideſt Anno Chriſtiano MCCCLXXX. plus minus: Scitiſſimè autem per onomatopeiam, & imitationem ſoni, quem edit exploſa. Sed & belliſſimè ad ſignificatum; duo quippe miranda efficit; bombum videlicet, & ardorem. Quòd autem de genere Sclopi ipſam fecimus, fit, vt ſclopũ ipſum bombardam dixerimus cùm adiecto v. g. paruam, vti legitur in Brabãtino marmore apud Suueertium, videlicet:

DCLXII.

Hoc ſaxo tegitur COR cum inteſtinis ac viſceribus: Corpore in Patriam Parentumque monumentum delato, ingenio, moribus, & virtute verè ingenui adoleſcentis SEYFRIDI PFINTZING ab Heſſenfelt Patricij Noremberg. Qui crudeli & miſerabili fato plumbea glande ex parua bombarda ſua manu incautè emiſſa traiectus die XIV. menſ. Octob. Anno Redemptionis humanae MDLV. Aetatis verò ſuae XXV. diem ſuum obijt

STAPIA, STAPES

Membrum XII.

STAPIA, ſeu *STAPES* pro inſtrumento illo ferreo ab Equi lateribus vtrinque dependente, cui pedes innituntur equitantis. Nouitatem autem comenti fidem faciunt praeter citatum à Voſſio (de Vitijs ſerm. lib. I. Cap. VII.) Ioannem Tortellium Aretinum, & numiſmata vetera, equeſtreſque ſtatuas, ex aere, ex lapide, in primis Oliuarius Vredius I. C. Brugenſis in Sigillis Comitum Flandriae, in queis aere cuſis apparet per ſeriem annorum longam equitare

ſolito s

ſolitos veteres , nullo cum fulcimento plantarum. Itaque ſuaſit, imo adegit eruditos neceſſitas, vt & nomen comminiſcerentur nouum, quo quidem non commodius aliud ad huiuſce inſtrumenti vſum, quàm *Stapia, ae* (Italicè Staffa) vel *ſtapes, edis*, quaſi in quo ſtant pedes, vnde & *biſtapia* pro binis ſtapijs apud Diuum Hieronymum in Epiſt. Sunt quibus probatur magis *ſtrapes, edis*; quaſi *ſtratum pedum*. Budaeo dicitur periphraſticè *ſubex pedaneus*. Caeterùm de voce *Stapia* citat Voſſius ibi Inſcriptionem, quam vetuſtiorem Beato Hieronymo autumat, citatam aiens à Vvolphango Lazio, ac Hieronymo Magio (nobis autem lectam apud Scriptorem Inſcriptionum Sacroſãctae Vetuſtatis, opus editum Ingolſtadij An. MDXXXIV.) quam non ex parte, ſed totam citare hic placet, vt à nobis eſt lecta, atque hic obiter obſeruare, eam à Iano Grutero inter Spurias, & Suppoſitias recenſeri, qua certè cenſura haud dignam eſſe ſatis indicat, quòd à Voſſio impunè ſit memorata, imo cum opinione tantae antiquitatis. Eſt autem huiuſmodi:

DCLXIII
QVISQVIS . LEC
TVRVS . ACCEDIS . CAVE
SI . AMAS . AT . SI . NON . AMAS
PENSICVLA . MISER . QVI . SINE
AMORE . VIVIT . DVLCE . EXIT
NIHIL . AST . EGO . TAM . DVLCE . AN
HELANS . ME . INCAVTE . PERDIDI . ET
AMOR . FVIT . EQVO . DVM . ASPEC
TVI . FORMOSISS. DVRMIONIAE
PVELLAE . VIRGVNCVLAE . SVMMA
POLVORIA . PLACERE . CVPEREM
CASV . DESILIENS . PES . HESIT
STAPIAE . TRACTVS
INTERII

Periphraſticè inſtrumentum hocce nominatur Budaeo, *ſubex pedaneus*. Sed vbi vrget breuitas, periphraſis eſt eiectanda.

REATVS, SVPERIOR, SPONSVS, TENEOR

Membrum XIII.

VOces hae quidem Latinae, corrupto tamen ſignificatu nonnullis vſitatae. Itaque vindicandus eſt rectus earum vſus.

I. *REATVS* à Meſſala primùm dictus (vt notat Quintil. Inſtit. Orat. lib. VIII. cap. III.) pro Statu, & cõditione Reorum, ideſt habitu demiſſo, pannoſo, ſqualido, & miſericordiae aucupatore. Eſt ergo mirus error (obſeruat Budaeus) quòd Iuriſperitis, & alijs Reatus pro crimine exaudiatur. Meritò ſuſpectum venit de barbarie Epitaphium Toletanum (citat Suueertius in Sel. Del.) quod hic totum referendũ cenſemus. Videlicet:

DCLXIV
ALVARVS . GOMESIVS . CASTER . FVI
DIXERAM . DE . MEA . VITA . SATIS
SED . ADSTA . PAVLVLVM
NEMINI . VMQVAM . SCIENS . NOCVI
PRODESSE . QVAMPLVRIMIS . CVRAVI
VIRIS . PLACVI . BONIS . QVOS
POTVI . FALLERE
VERVM . QVOD . NONDVM . NOSTI
DE . ME . IAM . FECIT . IVDICIVM
IVSTVS . IVDEX
POSTEA . DE . OMNIBVS . PALAM . FACTVRVS
TV . INTERIM . ME . POSTVLA
* REATIBVS . EXOLVI
VALE
OBIIT . XV . KAL . OCTOBRIS . MDLXXX
ANNVM . AGENS . LXVI

Nec enim hic ſumitur Reatus pro ſtatu Rei, cùm dictum proximè ſit *de me iam fecit iudicium iuſtus iudex*: pro criminibus ergo, quòd & plurali numero *reatibus* effertur. Nam quod dicit Auctor Theſauri Lat. ling. *Hodie in reatu eſſe, qui vel carcere detenti ſqualore & illuuie conficiuntur: aut qui honoris cauſa cuſtodiae ſuae, aut apparitorum commiſſi, aut vadimonio, aut vadibus obſtricti ſunt, aut expromiſſoribus*, hanc inquam interpretationẽ nondum liquet eſſe ex vſu bonorum ſcriptorum; Eſto tamen: ſed conditionem Reorùm non tranſgreditur, de quibus nondum cauſa cognita eſt, ac lata ſententia. In ſuperiore autem Inſcriptione innuitur poena, quae peracto iudicio pro criminibus in vita admiſſis luitur in illis purgatorijs flammis.

II. *SVPERIOR* pro eo, qui Praefecturam gerit, aut cum poteſtate praeeſt, prauè hoc tempore auditur. Latinis ſiquidem fuit de eo, qui praeceſſit tempore, ordine, ſeu numero, cognatione, virtute, ſitu. Et quidem Tempore, vt ſuperior aetas, ſuperius ſeculum: Ordine, vt ſuperiore pagina: Cognatione, vt ſuperior cognatione, ſeu ſupra gradum, v. g. quartum cognationis: Virtute, vt qui praelio hoſtes vicit; ſuperior illo dicitur: Situ, vt de loco ſuperiore,

i. e.

i. e. ſuggeſto verba facere. Dicitur etiam Ciceroni, ſuperior loco, fortuna, fama. Verùm qui v. g. edendorum in lucem librorum poteſtatem faciunt in Ciuitate, eorumque praeſunt cenſurae, nequid aduerſus bonos mores, religionem, Principem euulgetur; quae quidem partes ſunt Quaeſitoris cauſarum haereticarum, Epiſcopi, ac Senatus; hos non ſatis aptè Superiores dixeris, cùm poteſtatem Magiſterij ipſorum haec vox minimè enunciet: quidquid ferat vulgaris Italorum locutio. Libentiùs ergo vſurpauerim genericum nomen, quod omnes, quorum eſt licentiam facere, compleĉtatur. Itaque pro *Superiorum permiſſu*, malim *Magiſtratuum*, *Poteſtatum*, *Praefectorum*, *Moderatorum*, *Patrum*, *Praeſidum*, *Cenſorum*, & huiuſmodi. Seu aliter expreſſum, vt *Auctoritate publica*, *ſolenni*, *legitima*: ſeu *Ex Indulgentia*, *Cum Venia*, *Arbitrio Principali*. Seù effuſiùs per ſingula capita (quod tamen in fronte Operum aegrè reperit locum) *Conſenſu Quaeſitorio*, *Epiſcopali*, *Regio*, ſeu *Caeſareo*. Adhuc aptiùs: *Sacro*, *Profanoque Magiſtratu approbante*.

III. *SPONSVS* propriè nuptijs praeit, à quibus non iam Sponſus, ſed Coniux dicitur. Idipſum & *Sponſa*. Ita qui celebratas nuptias perſequitur carmine, aut panegyrico, non niſi impropriè Sponſos compellauerit. In quo non raro peccatum eſt ab recentibus quibuſdam Elogiaſtis: praeterquàm ſi ad praecedens tempus alludant: nam & quod ſponſum ſeu promiſſum eſt, ſponſum & promiſſum dicendum: & quod iam praeſtitum, praeſtitum.

IV. *TENEOR* verbum barbarè ſcholaſticis noſtratibus ſignificat *Debeo*. *Tenetur facere* pro *debet facere*. Dicimus quidem *teneri* aliquem *furti*, *homicidij*, pro conuinci, & argui; item obligari poena furti, homicidij. Et *teneri de furto*, *homicidio*, pro Reum eſſe furti &c. Conſule A. Gellium lib. XI. cap. XVIII. *Qui alienam rem attrectauit, cùm id ſe inuito Domino facere iudicare deberet, furti tenetur*: inque eundem ſenſum proximè habet: *Qui alienum tacens lucri faciundi cauſa ſuſtulit, furti obſtringitur*.

S O N E C T V S

Membrum XIV.

SONECTVS, ſpecies carminis, *Sonetto* Italis, vocabulum à ſono inclinatum; Quibus eſt idem cum Latinorum, Graecorumque Epigrammate, praelicenter nouatum videri poteſt, & Latio interdicendum: ſiquidem ipſum iam ſuppetit Epigrammatis à Latinis probatum. Hoc facilè dixerit conſultus Gregorius Giraldius de Poëtis CVC. CCCLXIV. CCCLXV. Hoc Varchius in ſuis Lection. CCCCLXII. Hoc Academia ipſa Etruſca (vulgò *la Cruſca*) Verũ vt ab Vdeno Niſielio, Progymn. LXXIIX. Volum. IV. obſeruatur, longè eſt alius Sonectus ab Epigrammate: Quippe hoc interdum vno continetur verſu, interdum pluribus, nec modum habet finitum: praeterea in quolibet argumento verſatur, nobili, humili: At verò Sonectus quartodecimo ſemper verſu clauditur, ac fere minimè abiectis de rebus eſt. Faciliùſquè cum Epigrammate conferas ſpeciem alteram Italici poëmatis, *Madrigalem* vulgò; vt adnotauit Minturnus III. poët. ſuae. Ex quo haud dubiè colligas, Sonecti vocabulum legitimè Latinis additum fuiſſe, noui nimirum carminis, quod Dantis poëtae aetatem non praeceſſit. Nec abſonum eius etymon: quia de genere Lyricorum cùm ſit, & ad lyrae ſonum compoſitus; ſcitè Sonectus appellatus. Accedit Auctoritas vtriuſque linguae ſcientiſſimi Iacobi Gaddij in ſuis Elogijs oratorijs; videlicet Elog. de Claudio Ptolomaeo: *Siquidem auſpice, ac Duce Petrarcha ſtylum adhibuit in SONECTIS purum, dulcem, grauem*. Ibid. Elog. de Ferrante Carapha, & Iulio Caeſare Caracciolo: *Iulij verò SONECTI pauci, ſed elegantes, eruditi, faciles, ac numeroſi, quibus Petrarcham imitari videtur*. Ibid. Elog. de Rodulpho Campegio: *Tancredum Tragoediam Sophoclaeo nobilis cothurno edidit, ac Poëma de Virginis Deiparae luctu, quae tùm SONECTO, tùm epiſtolis à celeberrimo Grillo celebrantur*. In Corollario quoque Poëtico inter eos, qui de Hermathena ſua ſcripſere, cenſetur *FRANCISCVS-MARIA*

Gualterottus

Gualterottus Canonicus Florentinus in volumine Elogiorum hoc Elogio, & SONECTO. Mox Elogium ipſum refert, & Sonectum.

Eodem iure vſurparim vocabulum *Madrigalis*, quippe nouam carminis Lyrici notat ſpeciem, de quo, vt de ſuperiore adi Bembum II. lib. ſuarum Proſar. Etſi citra neceſſitatem abſtinuerim vtroque, contentus appellare genericè Carmen Etruſcum.

AVSVS, VS

Membrum XV.

AVSVS, VS, maſc. gen. & IV. declinat. apud recentiores quoſdam Scriptores non infrequens eſt. Franciſcus Pona in Apotheoſi: *Id quinimo fauſtis Numinibus referebat acceptum, vt ex hoc tam diae Amicitiae, tamque inſignis beneficentiae fama increbreſceret, & eluceſceret exemplum cunctis ſeculis inauditum, maiuſque mortali AVSV.* Franciſcus Maria Delmonacus Elogium de Paupertate B. Andreae Auellini, quod vena diuite fudit, totum cogit referri, ſic habens

DCLV.

ANDREAE . AVELLINO
SENI . MAGNO
DIVITIARVM . OMNIVM . APOSTOLICO . AVSV . CONTEMPTORI
IRRISORI . TERRENORVM
CVI . NVLLAE . RISERE . OPES . VT . POST . ILLAS . ABIRET
NVLLAE . ILLICIVM . FECERE . VT . CADERET
PRO . PALMATA
LACERNAM . SEMISVTAM . LACERAM
DEVICTAE . AVARITIAE . NEC . SATIATAE . CVPIDITATIS
SPOLIVM
INTER . ASTRA . COLLOCAT
PAVPERTAS . EVANGELICA

Sigiſmundus Boldonius Auctor LARII, deſcribens Pluuiernam fluuium ad Oppidum Bellanum, *In eas fauces,* inquit, *qua flumen in agrum erumpit, ac praecipiti ruens ſaltu frumentarias molas, ferrique fornaces agit, penetrauit felici AVSV Alexander Dentatus Cyprianus Bellanenſis, cymba vectus, atque impetu fluminis ſuperato ſe in eas ſpeluncas intruſit*: Paulum Iouium haud dubiè imitatus, cuius famae buccina excitatus iam tùm adoleſcentulus (ſcripſit enim impuber) ſcripta nobis teſtibus continenter terebat manibus. Nam cùm alibi ſaepe, tùm hiſtoriarum ſuarum lib. I. eam vocem vſurpat: *In Gallia autem,* inquiens, *longè lateque imperabat Carolus eius nominis Octauus, qui tametſi neque manu, neque conſilio multum valebat; tamen, vt mox dicemus, ampliſſimis maximi atque opulenti Regni viribus innixus, viginti trium annorum adoleſcens & pacem in Italia euertit, & rem Gallicam, quae nobis erat obſcurior, armis atque AVSV plurimùm illuſtrauit.* Id autem vocabulum non nouaſſe recentiores, ſed expiſcatos à priſcis tandem comperimus non dico corruptiſſimi ſaeculorum, quale Theodoſianum fere cenſetur, qui in Priuilegio Academiae Bononienſi conceſſo (citatur à Suueertio in Select. Delic. inter Bononienſia) dicit *Auſu temerario*; ſed ſuperioris adhuc ſeculi à bonis non ita remoti. Lege Gruterum, qui marmor (certè multò ante aetatem ſuam ſuppoſitum, ſi tamen eſt) ad calcem operis ſui de Inſcriptionibus antiquis totius Orbis Romani, accenſet Spurijs & Suppoſititijs, pag. XXIV. num. 6. cui initium eſt: O LECTOR INFELIX. quo quidem in marmore legitur HERCVLEO AVSV. Etſi Iuſtino in Trogum, in Praefatione ſuae Epitomes ad Antoninum Imperat. dicatui *Audacia Herculea*: Sed vtrùm pari cum Elegantia dictum ſit *Auſu*? Certè ex vſu

 communi

communi loquendi, vt Audentia fortitudini attribuitur, ita temeritati Audacia. Conſule Theſaurum Lat. ling. editum Lugduni anno MDLXXIII. Sed & Macrobius aequalis Iuſtini hiſtorici, libro VI. Saturnalium cap. VI. vſus eſt *Auſu poëtico*. Neque huic detrahit quidquam, quòd homo eſſet natione Graecus; nam ita ſimul erat Latini ſermonis ſuperſtitioſus conſectator, nedum religioſus, vt in alio damnaret (perperam tamen) *nox* pro *noctu* tanquam inuſitatiſſimè dictum. Ipſum idcirco Macrobium Coelius Rhodiginus Antiqu. lect. lib. VI. Cap. XIV. honeſtiſſimo elogio vocat *Virum memoriarum veterum exequentiſſimum, non citra dicendi mundicias*. Rhodigini autē auctoritas quanta ſit, non obſcurè probat Voſſij cenſura, cùm de eius opera in hiſtoriam Plinij naturalem haec habet: *Sed nobilis haecce opera, quae à genio ſuo facilè aeternitatem ſperabat, Libitinam effugere non potuit, negligentiùs habita in* βιβλιοτάφῳ *viri patricij, quemadmodum non abſque dolore cognoui ex literis, quas ad illuſtriſs. & aeternitate digniſſimum Dominicum Molinum ſcripſerat Coelij huius Ciuis Balthaſſar Bonifacius*.

Quid? Eſt obſeruatum Ian. Mellero Palmerio in Amphitruone Plauti (Act. III. Scen. IV.) Verſum illum vulgatae editionis

Nec quiſquam tam audax fuat homo, qui obuius obſiſtat mihi.

in Veteri Codice legi: *Nec quiſquam tam auſus fuat homo*: Certè autem, inquit, legendum eſſe:

Nec quiſquam tanto auſu fuat homo &c.

ſubditque: *Auſus & Auſum, Auctus & Auctum, aliaque talia dicebant. Gellius*. Et quamquam in Gellio non meminerim haec ipſiſſima offendiſſe verba; addam hic & Latinè dici *Mandatum, ti*, & *Mandatus, tus*, non ſolum Iuriſconſultis, quos citat Auctor Theſauri L. L.: ſed etiam hiſtoricorum optimis, vt Sueton. Tranquil. in Diuo Iulio: *Quaeſtori vlterior Hiſpania obuenit, vbi cum Mandatu Praetoris, iure dicundo conuentus circumiret, Gadeiſque veniſſet* &c. (ita in nupera editione an. MDCXXXXVII. Lugduni Batau. per Franc. HacKium cum comment. Io. Schildij) Praeterea in antiquis Lapidibus, qualis eſt, qui olim fuerat in Ponte ſupra Rubiconem fluuium (citatur inter Sacroſanctae vetuſtatis Inſcriptiones, in Italicis, pagina CLVIII.) Videlicet:

DCLVI.

IVSSV. MANDATVVE. P. R. COS. IMP. TRIB. MIL. TIRON. COMMILI
TON. ARMATAE. QVISQVIS. ES. MANIPVLARIAEVE. CENTVRIO. TVRMAEVE
LEGIONARIAE. HIC. SISTITO. VEXILLVM. SINITO. ARMA. DEPONITO &c

Memini autem apud Gellium lib. XIII. Cap. XIX. citari ſimilium vocum exempla probata vèl Principi Latinitatis Tullio; vt *fretus, vs*, pro *fretum, ti*; & *peccatus* pro *peccatum*. Sic In Verr. lib. V. Act. II. *Italiae conſpectus ad eam rem ab iſto delectus eſt, vt ille in dolore, cruciatuque moriens peranguſto FRETV diuiſa ſeruitutis, ac libertatis iura cognoſceret*. Quod & obſeruat ibi in Commentario ſuo Aldus Manutius. Et lib. II. Act. II. *Nemo ita in manifeſto PECCATV tenebatur, vt, cùm impudens fuiſſet in facto, tùm impudentior videretur, ſi negaret*. Sic enim Valerius Probus teſtatur ibi ſe legiſſe ex antiquiſſimo libro, quem Ciceronis libertus Tiro ſua manu ſcripſerat. Nec deſunt veſtigia alia ſermonis veteris in rem noſtram: *Caſtitas, atis*, & *Caſtus, tus*, teſte Varrone cit. in Theſ. l. L. dicebatur priſcis: Quod analogiam habet cum *Audacia*, & *Auſus*. Aduertenda autem eſt ratio, quam affert Gellius de recto vſu huiuſmodi vocum, qui totus pendet à ſoni iucunditate, ſolo aurium iudicio, quod aliam alibi vocem exigit. Id autem ſic interpretare, vt veteribus tantùm, & ijs Latinitatis parentibus licuerit de nouo declinare *peccatus, tus*; *fretus, tus*; *auſus, ſus*: poſtquam vſus iam obtinuerat, vt per ſecundam declinationem, ac neutro genere declinaretur *peccatum, fretum, auſum*. Ita Cicero, quia mollius, & teretius ſibi videbatur, maluit *fretu*, quàm *freto*: & ſimili vſus modulamine dixit *peccatu peccato*, vt texturam ſermonis attendenti facilè pro liquet. Legēdus omninò eſt locus Gellij totus, in hanc ſententiam ſcatens exemplis. Cùm ergò vocabulum *Auſus* ſubſtantiuum quartae veteribus boni ſeculi probatum eſſe conſtet, reliquum eſt, vt concinnitas orationis, aure noſtra (vt cum Probo Valerio loquar) interrogata, definiat, quando vtendum ſit *Auſu*, & quando *Audacia*.

Audacia. Et quidem locus Ponae primò propoſitus videtur numero illo diſſyllabo ſententiam viuidiùs obſignare (*maiuſque mortali auſu*) quàm quadriſyllabo (*maiuſque mortali audacia*) eſt autem hic finis cùm principio, & reliquo textu committendus, vt ferre iudicium aures queant. Locus etiam Delmonaci exemplo Ciceronis allato defenditur: Craſſiùs, ait Gellius, & vaſtiùs erat dictum *Peranguſto freto*, ita maluit Cicero *Peranguſto fretu*, nec ſimiliter cadere illa duo eſt paſſus. Multò quidem craſſiùs, multoque vaſtiùs, ſi *Apoſtolica audacia*: itaque maluit Delmonacus *Apoſtolico auſu*, abrupto hiatu illo gemini *A* coëuntis, & ſimiliter deſinentis. Iam locus Larij quantò elegantiùs & caſtiùs *felici auſu Alexander*, quàm *felici audacia Alexander*? Denique de Rege Carolo VIII. ſi Iouius dixiſſet, quòd rem Gallicam armis, atque audacia illuſtraſſet, adoleſcens praeſertim viginti trium annorum, & pacem in Italia per ſe euerſa, nae ea vox ingenium Gallicae nationis inquietum, turbulentum, & nobis Italis ingratum ſono ipſo praeferret: cùm tamen excuſſio Italici iugi nulli quàm Gallo illi tribui debeat. Tu modò indue Iuſtini perſonam, & aurium teſtimonio dictum quoque eius vocalius, & ex argumento rotundius iudicabis, cùm Trogi Pompeij coeptum extollens inquit: *Nam cùm pleriſque auctoribus, ſingulorum Regum, vel Populorum res geſtas ſcribentibus, opus ſuum ardui laboris videatur: nonnè Pompeius nobis Herculea audacia Orbem Terrarum aggreſſus videri debet, cuius libris omnium ſeculorum, Regum, Nationum, Populorumque res geſtae continentur?* Simili tractu granditatis decurrit reliquum, vt non bene potuerit auditus impleri, ſi *Herculeo auſu* pro *Herculea audacia* vſurpaſſet. Caeterùm legi dignum eſt Epitaphium in VValenſteinium Auctore Georgio BecKherio Elbigenſe in ſuo Oratore Extemporali, Parte II. Cap. VII. Quaeſt. III. quod in ſtudioſorum gratiam hic damus totum, vt quomodo vox *Auſus*, clauſulam Elogij bellam faciat, e textu ipſo demonſtretur. Videlicet:

DCLVII.

VVALENSTEINII MANIBVS
Hanc nec Molem, nec Pyramidem,
nec Sepulcrum
ſed exiguam ruderum
ſtruem
Ne deſpicias
Viator
Quam ingentis machinae ruinam
Ipſemet Iupiter Germanicus exhorreſcit.
Gigantem tegit,
Qualem Terram Parentem
ira Deorum irritatam
extremum Encelado fratrem
peperiſſe dicas;
Hunc
ex claris quidem, ſed modicè faſtigiatis
penatibus
ea Sors ſuſcepit, quae ligones ſceptris
vel gaudet, vel audet aequare
Quae ex Paſtoribus facit Heroës.
Nouum Herculem dixiſſes genitum
niſi ille ſerpentes in ipſis cunabulis necaſſet;
vt monſtris interficiendis adultus aſſueſceret;
Hic
ab incunabulis malos Genios fouiſſet, à quibus
aliquando monſtris interficeretur.
Iamque ita excreuerat
vt ipſum Iouem ſuam prolem
agnoſcere credidiſſes;
Ille
Supremus bellorum Miniſter
Summus Imperij Adminiſtrator
Olympum ſolus ſuſtinere videbatur
Cur autem in tanto culmine non validè
ſteterit, quaeris?
Ambitionis turbo eum deiecit.
Siquidem non ipſe, ſed fortuna fatigata
dum maius quod ſibi parabat pondus
leuis illa, detrectat
Degeneres ortus prodidit
Et ex filio Iouis
Rebellem indicauit
Vt quem ſimulata fides euexerat,
aperta perfidia deprimeret.
Religionis ſacra polluere
Imperij Maieſtatem euertere
tot Regum, tot Caeſarum, ipſique penè
Caelo cognatum ſanguinem innoxium

 profundere

profundere
Omnia ſuperbo pede calcare
Regem ſe facere
Sacrilegus moliebatur;
Verùm
Moles tanti furore ignis ante
tempus disiecta
Molitorem ipſum egit in cineres,
Sic Imperia iiſdem quibus parta ſunt
artibus, amittuntur.
TV
ante quàm abeas
Lapillum ſaltem congerere ne graueris
Vt in Gigantis olim excreſcat tumulum
Qui Gigantis nunc operit
AVSVS.

En vt non potuit non malle *auſus*, ne cogeretur numero multitudinis dicere *audacias*, ſcilicet audacius paulò vocabulum in ipſo caſu quarto.

Inter haec incidimus forte fortuna in Epitaphium ſuperioris ſeculi, citatum apud Auctorem Inſcriptionum ſacroſanctae Vetuſtatis, cum hac nota: *Hic lapis Tubingae apud Auguſtinenſes eſt, & Inſcriptionem fecit Philippus Melanchthon.* Quae quidem teſtificatio fidem nobis facit haud leuē ex Auctore Melanchthone, quàm contaminato dogmatibus fidei, tàm puro Latinitate. Eſt autem Inſcriptio:

DCLVIII.

Viator Huc Animum Preceſq diuortas
Auguſtini te VVaeceli rogant Manes
Sacris dicatus, lingua, literis florens
Inter Iuuentae mediam perij ſpem Diro
AVSV latronis. O tragica ſcelera.
Eito. Men. Nouemb. An. MDXVI

Eat nunc (liceat hinc obiter excurrere) eat, inquam Melanchthon Auſu diro, atque adeo temerario negare, quae duo hic vnà confitetur, dum quaerit Manibus defuncti preces: Niſi etiam ad Ethnicos tranſgreſſus Haereticus precandum vult, ſit Manibus Terra leuis. Ergo & purgantur poſt obitum animae, & precibus, ſacrificijſque viuentium iuuantur. Hùc iure etiam ingeritur auctoritas Vincentij Buttiglij eruditi à Latinitate, Viri, qui in pompa Nuptiali Sereniſs. Ducum Parmenſium expoſuit in Arcu triumphali inter alias Imagines Symbolicas; IVVENEM, ſtatura, & habitu corporis robuſto, membra caetera nudum, praeter dexteram manum, quam ferrea armat chirotheca, quâque reptabundo Leoni dum tenet iubas, laeua euellere linguam connititur. Cuius in baſi ſubſcriptum *GENEROSO AVSVI*. Vbi certè non orationis quidem concinnitas vlla interuenit, ni malis ad imaginem virilem referre delectum vocis maſculini generis, quàm foeminini, ideſt AVDACIA.

DEPVTATVS

Membrum XVI.

D*EPVTATVS*, eo ſignificatu quo vulgus accipit pro eo, qui ad negotium publicum peragendum mittitur, barbarum habetor. Pro quo Latinis eſt *Legatus*. Cuius nobile exemplum praebet Pola in ſubſcripto Elogio:

DCLIX.

GENIO
IOANNIS . NANII
QVI
AD . VRBEM . CREMENSEM . MVNIENDAM
TVTANDAM
IN . MINACI . RERVM . MOTV
LEGATVS
MILITARI . OMNI . PROVIDENTIA
INDVSTRIVS . IMPIGER . LABORIOSVS
EXPECTATIONI . OMNIVM . ET . VOTIS
SATISFECIT
HOSTILESQVE . CONATVS
ELVSIT
MVNICIPES . CREMENSES . SERVATI
P.
B . M

Interdum non Legatum, ſed *Praefectum* ſonat, quòd vulgò *Deputatus*. Ita vel generica appellatione erit *Praefectus*, vel ſpecifica, v. g. *Aedilis*, *Curator*, *Magiſter*, vt rei ratio poſtulabit: vel expreſſiùs per ſolennem phraſim *A frumento*, *Ab opera publica*: Ac ſi plures ſint, *IIVir à*

frumento (i. e. Duumuir) *IIIVir ab opera publica*. Sic *IVVir*, *VVir*, *VIVir* &c. Exempla veterum marmorum pete ex Grutero: Vt *Praefectus frumenti dandi* pag. CLXXXVIII. num. 1. *Aedilis annonae* CCXIV. *Curator Aluei Tiberis*, *& Cloacarum vrbis* CCCLXXXI. 3. *Magiſter Horreorum Fortunae Primigeniae* LXXVI. n. 10.

Ipſius verò prouinciae munus dicitur *Praefectura*, *Aedilitas*, *Cura*, *Magiſterium*: Vel *honor Praefecturae*, *gradus Aedilitatis*, *Aedilitia poteſtas* &c. Lubet ſubijcere recens exemplum marmoris Mediolanenſis in ſummo Templo (citat Puccinellius in ſuo Zodiaco) videlicet:

DCLX.

ERIGENDAE . TEMPLI . HVIVS . FRONTI . ATQ. ORNANDAE
IO. PETRVS. CARCANVS . MEDIOLANENSIS . CCXXX . AVREORVM . MILLIA . LEGAVIT
FABRICAE . CVRATORES . PIO . ET . MVNIFICO . VIRO . EX . TESTAMENTO . PP. AN.....

Alterum ex Franciſco Pola, quod adhibita paululùm lima politum omni ex parte euaſerit. Scripſit autem incidendum in Agro Rhodigienſi, videlicet:

DCLXI.

SECVRITATI . PERPETVAE
RHODIGINI . CHERONESI
HASCE . PILAS . HASCE . STRVCTVRAS
SVPERBVS . QVAS . ATHESIS
OLIM . IRRISIT . LIGNEAS . NVNC . INDIGNATVR . LAPIDEAS
AB . ACCOLIS
AERE . MVNICIPATIM . CONLATO
LOCARI . EXTRVIQVE
FECERVNT
THOMAS . MAVROCENVS , IO. DANDOLVS . HIERON. PRIVLVS
TRIVMVIRI . MOLI . FACIVNDAE
EX . VENETI . S. C.
CVRANTIBVS . ANDREA . STI PICINO . RHODIGIO . IAC. CATHAN. LENDEN
LVDOVICO . RECAMATO . IVRISC. ABBATIA
TRIVM . PENINSVLAE . MVNICIPIORVM
ACTORIBVS
MDCVI

Vbi porrò modum antiquum excedat numerus, loco nominis compoſiti (cuiuſmodi eſt *Duumuir*, *Triumuir* &c.) ſatius erit deſcriptione vti ad exemplum Epitaphij Florentini, apud Suueertium in Select. Delic. videlicet:

DCLXII.

ANTONIO VIDOTTO
OB . PACEM . INTER . ANGLOR . ET . FRANCOR . REGES . CONFECTAM
AB . EDOARDO . VI . EQVESTREM . GRADVM . AB . VTRISQVE . INSIGNIA
MVNERA . CONSECVTO . IN . PATRIA . AB . OPTIMO . DVCE . COSMO . IN
XLVIII . VIRORVM . NVMERVM . COOPTATO . VOLATERRIS . DEMVM
PRAETVRA . ET . VITA . FVNCTO . GENTILES . EIVS . ABSENTIBVS
FILIIS. PP. ☉. IV. KAL. DECEMB. AN. MDLV. VIXIT. ANN. LXIII. MEN. VI

Duriùs enim legiſſes XLVIII. VIRO CREATO (eſt autem ordo hic Senatorum Florentiae, ſicut Bononiae conſtat Quadraginta Patribus) quae durities in maiore numero fortè non cadet, puta Centeſimo, & Milleſimo. Nam licebit dicere C. VIR, *Centumuir*, M. VIR. *Milleuir*. Ita in marmore Ferrarienſi (apud Suueertium in Sel. Delic.) de Clemente VIII. *Centumuirale Conſilium*, ac *Decemuiralem Magiſtratum* &c.

Illa ergo Inſcriptio caeteroqui legenda cenſuram poſcit, cuius Auctorem facit Iulium Sanſedonium Petrus Iacobus Baccius Aretinus in Vita S. Philippi Nerij. Ea eſt

DCLXIII.

BEATO . PHILIPPO . NERIO

Florentino

*Vt vbi triginta tres annos eximiae ſanctitatis, & miraculorum laude claruerat, innumeriſque ad Chriſti obſequium traductis prima Congregationis fundamenta iecerat, ibi aliquod eius rei monimentum extaret, Templi huius, Domus, ac Sacerdotum * Deputatus Annuente pijſſima Congregatione Charitatis Parenti in ſpiritu optimo benemerenti Poſ. Kal. Septemb. M DC V*

Imitandum fuerat in hac parte, etſi caeteris leuidenſe marmor recens Mediolani, videlicet:

DCLXIV.

Montem Virginium, vnde Egeni aequaliter deligendi è ſex Vrbis regionibus gratis quotannis accipient veſtes pelliceas, operimenta Lectorum, pallia, tibialia, calceamenta, & certam pecuniarum ſummam ad aes alienum extinguendum, & captiuos redimendos. Virginia Spinula Matrona Genuenſis nobiliſſima & liberaliſſima fundauit, ac commendauit XII. VIRIS . PRAEFECTIS Piae Domus Miſericordiae, Gaſpare ex Capitaneis de Vicomercato publico tabellione Mediolani piam Teſtamenti voluntatem excipiente

AN. MDCXXVI. DIE . XXVII. Aug

Alterum quoque in Aede DD. Petri, & Pauli Ingeſſat. citatum à Puccinellio in ſuo Zodiaco num. 9.

DCLXV

PII . PRAESIDES . MISERICORDIAE . HOC . QVIDQVID . EST
AMBROSIO . GRIPHO . PROTONOTARIO . SENATORI . ARCHIATRO
PRO . MERITIS . PP

Viuo, licet iaceam. Tantum mors abſtulit oſſa.
Viuitur ad Superos. Gloria poſt cineres.

S E C V L V M

Membrum XVII.

SECVLVM non pro conditione ſtatus profani hoc loco vſurpamus, ſed pro tempore, ſeu curſu centum annorum. Ita alicubi in marmoribus recentibus pro ſolenni formula Anni Dominici, ſeu humanae ſalutis, legitur (verbi gratia) *ſeculo ſexto ſupra decimum ab Orbe ſeruato*, pro *Anno ſalutis MDC*. Id quod locum non habet, vbi annorum aliquid ſupra ſeculum numeratur, quia commodè cum ſeculo cenſeri non poteſt. Interdum pro aetate iuſta hominis. Ita ſeculi ſui decus, & ornamentum quis praedicatur. Audiendus ex Elogiaſtis eſt Octauius Ferrarius literaturae veteris Antiſtes, Elog. de Scipione Papafaua

Hoc

DCLXVI.

Hoc militari aſpectu, & feſtinatis ſenectutis honoribus aſperſa Caeſarie, Regiaq. totius corporis dignitate praecellit Scipio Papaſaua in Hieroſolymitana familia omnes honorum gradus emenſus, magnitudine animi, atq. egregijs factis SECVLVM exornans &c.

& Inſcriptione in aditu Academiae, quae in tutela Dianae:

DCLXVII.

Quos vides, nec ſe familiae, nec SECVLO indècores gerunt. Cum Fortuna ſaeuiente ita compoſiti, vt contrà ſtent, atq. in veſtigio haereant, nunquam animos ſubmittant, cùm non aliud ſibi ereptum ſentiant, quàm quod illa etiam largiri poteſt indignis &c

De hac voce alio ſignificatu ſumpta egimus ſuprà Claſſe V. inter Eccleſiaſtica, Membro XV. Vocem *Secularis*, & *Laicus* expendentes.

Illa verò formula quibuſdam in marmoribus ſuſpecta eſt nobis de barbarie, & quod illa ſint malo inſcripta ſeculo, quouſque exemplum occurrat probati Scriptoris. Legitur quippe apud Gruterum pag. MXLIX. num. 7. *Mediolani in D. Ambroſij*:

DCLXVIII.

ATILIVS . A. F. CRESCENS
V.P. EX . TABVLARIO . PALATI
QVI . VIXIT . IN . HOC . SAECVLO
ANNOS . XXVII. MEN . . . . . .

Quid enim ſibi amplius vult *Vixit in hoc ſeculo*, & *in ſaeculo*, quàm *Vixit* ſimpliciter?

Aliter, & rectè tractatur haec Vox in Monumento Antuerpien. ad D. Dominici (apud Suueert. in Inſcript. Brabant.) videlicet:

DCLXIX.

IACOBO . VANDEN . VVOVVVERE
IOAN . F. STEPH. N
PROBITATIS . ET . MODESTIAE . LAVDE
ORNATO . VIRO
EIVSQ. CONIVGI . CARISS
KATHARINAE . STRVYVE
PARENTIB . PIENTISS
HIC . SVORVM . APVD . OSSA . CVBANTIBVS
IOANNES . IACOBI . F
PIETATIS . ET . MEMOR . H. MON
REST
ISTA . E . VIVIS . DECESSIT . MDLXI
ILLE . EIVSDEM . SECVLI . LXXXII

In quo vox ſeculi proprio vſurpata eſt ſignificatu pro ſpatio centenario, cuius tunc octogeſima pars lapſa erat.

PATRES CAPVCCINI

Membrum XVIII.

VTrùm *Patres Capuccinos* Latinè dixerimus, an *Patres Cucullatos*, ſciſcitatur alumnus noſter, eruditorum quorumdam contentione diſtractus. Cui nos quidem aegrè iudicium noſtrum interponimus, neutram in partem pedarij, in alteram praeſertim, etſi vocis Latinae, & nitidae: Quippe non ſatis rem exprimentis, neque diſtinguentis id membrum Sacri Ordinis Franciſcani à tot alijs Sacris Ordinibus cucullatis; ſed ne ab alijs quidem eiuſdem Ordinis membris, quae iam quinque numerantur, cucullo, veſtitu, inſtituti rudimentis congruentia; diſciplina verò alia alijs ſeueriora. Itaque cùm Cucullatos appellaueris, adhuc incertum relinquis, quod membrum potiùs Franciſcanae familiae tibi velis; nec enim conſuetudo vlla eruditorum hactenus obtinuit, vt ij notentur potiſſimè, qui ſuperiore ſeculo ſpiritus Apoſtolicos aſſumentes Orbis Chriſtiani plauſum, admirationemque excitarunt. Sed & vox

Capuccinus

Capuccinus, etſi vſu vulgi celebris, aſſenſu etiam eruditorum quorundam non nihil mollita; durior adhuc videtur, & contumax in Latinorum canones. Siquidem nouata cùm ſit, ad aliquem ex illis quatuor modis neceſſum eſt redigi, quos nouandis ritè vocabulis retulimus ſuprà, in Paraeneſi ad Claſſem II. Hi ſunt Imitatio, Inflexio, Adiunctio, Translatio. E quibus duos poſtremos excludi perſpicuum eſt. Primo autem, ideſt Imitationi planè aduerſari quis neget? Nam denominatio à veſtibus in *atus* Latinè cadit, non in *inus*. Sic à *Cucullus* eſt *Cucullatus*; à *Pileus Pileatus*; à *Pallium Palliatus*; à *Toga Togatus*; à *Petaſus Petaſatus*; ab *Ocrea Ocreatus*; ab *Anulus Anulatus*; à *Torques Torquatus*; à *Cothurnus, atus*; à *Clamys, datus*; à *Thorax, catus*; ſic à *Penula*, *Trabea*, *Amiculum*, *Caliga*, *Crepida*, *Tunica*, *Lacerna*, *Solea* &c. Hinc vt à *Soccus* fit *Soccatus*, ita à *Socculus* dicendo *Socculatus*, expreſſum vellem nomen ſacrae illius familiae Franciſcanae, quos à Socculis vulgus *Zoccolantos* vocat, ego autem malim Patres Socculatos: Et quos à *Capitio* voce Latinis bona, vulgus Capuccinos, ego malim *Capitiatos*, quamquàm nec propterea aut diſtinctos ab alijs facerem, qui Capitium geſtant, nec vulgò notos. Nihilo tamen minus, quia non à Capitio dictos hos Patres credere eſt, idcirco, tanquam rei nouae, non alio, quàm nouo vocabulo ſignificandae, Cappuccinorum appellationem per p geminum, & c haud damnabo, maximè Franciſci Suueertij fretus auctoritate, qui & in Brabantinis citat ab ſe etiam titulo praefixo Inſcriptionem, mox referendam, & in Delicijs Select. titulum ipſe tantùm de ſuo inſcribit. In Brabantinis quidem ſic habet:

DCLXX.

Ad Cappuccinos In Templo

Antuerpia Cathol Relig. libertati reſtit Philippus II. Hiſpp Rex ac Belg Dominus P. P. CAPPVCCINIS Ord. B. Franciſci à SS. Apoſt. pio eius poſtulatu in Belg miſſis, primum hoc Coenobium F. I. Curante Philippo Veuſelio Conſil. Regio Anno Domini MDLXXXVI

In Delicijs autem inter Romana Albanenſem memoriam ſignat, ſic inſcribens: *In Templo Cappuccinorum*, vbi obſeruatu digna ſubiecta Inſcriptio, videlicet:

DCLXXI.

D . O . M
FLAMINIA . COLVMNA . GONZAGA
VT . VBI . OLIM . ERRABVNDI . TROIANORVM . PROCERES
FALSAM . RELIGIONEM . COLVERE
NVNC . HAERENTES . CHRISTO . PAVPERES
VERAM . FOVERENT . AVGERENT
TEMPLVM . AEDES . A . FVNDAMENTIS . EXTRVXIT
AC . D. BONAVENTVRAE . ALBANI
EPISCOPO . DICAVIT
ANNO . DOM. MDCXIX

Vbi vides genericè dici *Haerentes Chriſto pauperes* pro *Patres Cappuccinos*: idque rectè, quia oculi rem praeſentem diſcernunt. Caeterùm vbi ex adiecto nullo dignoſcere eſt, genericum dictum haud ſufficit.

Atque vt Cucullatorum nuncupationem genericam eſſe noſcas, quae adiecto aliquo definiri poſtulat, accipe, vt Paulus Iouius varios Ordines ſacros nominet in Deſcriptione Lacus Larij. Namque cùm Dominicanum, *Inde*, inquit, *recto litore Calaguritani Ordinis cucullatorum coenobium aditur*. Auguſtinianum verò, *Et paulò altiùs à litore Auguſtiniani Ordinis cucullatorum cum eximio Templo Coenobium*. Ciſtercienſem quoque vti membrum Coenobij Mediolanenſis ad Diui Ambroſij, *Inde Almonta, Ambroſianorum cucullatorum ſeceſſus, Liernae oppoſita*. Rurſus Dominicanum, *Inde Sancti*

Ioannis

Ioannis pagus, cucullatus Diui Dominici vberrimas vindemias reddens (& iterum Auguſtinianum ſubtexens) *In ceruice quoque Bilacij promontorij, quod pene praeterieram, quum à litore diſtet, Coenobium Auguſtinianorum cucullatorum conſpicitur, medicis arboribus, & cultiſſimis vinetis refertum, ita vt ſacratae Virgines Piſcalianae, Lopianaeque horum Coenobiorum ſeueritate, atque praeſidio pudicitiam commodiſſimè tueantur.* En vt vox Cucullatus genericè ſumitur pro eo ferè, qui hodie vulgò *Regularis Clerus*.

CHRISTIANITAS

Membrum XIX.

CHRISTIANITAS vox nouata, Vtrum verò legitimè? Statuo cum ea diſtinctione: Si pro Religione Chriſtiana vſurpetur, Latinè dici; nam vt à Latino Latinitas, ita à Chriſtiano Chriſtianitas. Suggeſſit nobis Inſcriptio Razeburgenſis in Saxoniae Prouincia, reperta in cippo, videlicet:

DCLXXII.

Temporibus Conradi Regis, & Henrici Ducis Saxoniae venit Henricus Comes Razeburgenſis, & ibi Chriſtianitatem primùm fundauit. Anima eius requieſcat in pace.

quae quidem Inſcriptio, etſi mali ſeculi; à barbarie tamen immunis in hac parte eſt, allata de cauſa bonae analogiae.

Sin verò *Chriſtianitatem* intelligas Rem Chriſtianam, ſeu vniuerſos Chriſti cultores, barbaram cenſemus locutionem. Imitanda eſt Romana Inſcriptio in Arcu triumphali expoſita Gregorio Summo Pontifici, ex illuſtriſſima Sfondratorum familia: Habetur apud Suueertium in Select. Delicijs. Videlicet:

DCLXXIII.

OPT. PRINCIPI . GREGORIO . XIV. P. M
AB . INEVNTE . AETATE
PER . GRADVS . VERAE . SAPIENTIAE
PIETATIS . BENEFICENTIAE
CAETERARVMQVE . VIRTVTVM
AD. APOSTOLICI. FASTIGII . GLORIAM . ET
MAIESTATEM . EVECTO
OB . FAVSTA . SACRI
AVGVSTIQVE . PRINCIPATVS . INITIA
ET . NON . DVBIAM . SPEM
RERVM . MAXIMARVM
REIPVBL . CHRISTIANAE . OBLATAM
S . P . Q . R .
FORNICEM . TRIVMPHALEM
PRO . TEMPORE . EXCITAVIT
M D X C

IMMACVLATAE VIRGINIS MARIAE CONCEPTIONI

Membrum XX.

VTrùm bene inſcribatur Ara, aut Templum: *Immaculatae Virginis Mariae Conceptioni*? Sic enim alicubi lectum iniecit cuidam ſcrupulum ambiguae ſignificationis, quaſi non de concepta, ſed concipiente intelligi poſſit. Haec autem inanis ſuperſtitio eſt; Elegantiùs quidem dixeris, vt in Titulo Mediolanenſi impoſito Aedi, quae ſic habet

B. V.

DCLXXIV.

B. V. MARIAE SINE MACVLA CONCEPTAE
Chriſtianae Doctrinae Campi Sancti
Patronae
Federicus Card. Borromaeus D

Ex quo obiter moneris abſtinere à Voce *Immaculatus* vti impura, quod adnotauit Voſſius de Vitijs Ser. lib. III. Cap. XV. Ita inſcribi licebit *B. V. Mariae ab Angelo ſalutatae* (non enim dicam *Nuntiatae*, multò minus *Annuntiatae*, quia res eſt, quae nuntiatur, & annuntiatur; non perſona) & *B. V. M. Purificatae, & in Caelum aſſumptae*. Ita non *Chriſti Natiuitati, Circumciſioni, Paſſioni, Reſurrectioni, Aſcenſioni*, ſed elegantiùs *Chriſto Nato, Circumciſo, Patienti*, ſeu *Morienti, Reſurgenti, Caelum repetenti*. Repete Elogium ſepulcrale *Angelus Ganuccius* &c. in Claſſe I. Nominum Propriorum, & Gentilit. Habes hinc iudicium de ijs titulis ſaepe obuijs apud Suueertium in Brabantinis. *In S. Circumciſionis ſacello, Reſurrectioni ſacrum*, & huiuſmodi. Inter haec offertur nobis ex Roma Sacra Flaminiis Martinelli haec Inſcriptio in rem noſtram

DCLXXV

FR. ANTONIVS . BARBERINVS
VRBANI . VIII. PONT. MAX. GERMANVS
TIT. S. ONVPHRII . PRESB. CARD. M
POENIT. ET . S. R. E. BIBLIOTHEC
AEDEM . HANC . CHRISTO . INFANTI
A . MAGIS . ADORATO . DICATAM
COLLEGII . AD . PROPAGANDAM . FIDEM
INSTITVTAM . VSVI
A.FVNDAMENTIS . EREXIT . CONSTRVXIT
EXORNAVIT
AN. SAL. MDCXXXIV.

CVIVS NOMEN PRIORE INSCRIBENDVM LOCO

Membrum XXI.

VTrùm in Inſcriptionibus praemittendum ſit nomen; Eius, qui inſcribit, an, cui inſcribitur? Si mori antiquo Romanorum inſiſtere velimus (quae quidem inſcribendi Latinè norma eſſe debuerit) vtrumque in antiquis marmoribus reperimus, & ijs boni ſeculi. Inſcribentis nomen praecedit in dedicatione ſtatuae aeneae, quae Seruio Sulpicio Senatus decreto poſita in Roſtris fuit, quam citamus infrà lib. V. de Elogij Venuſtate Cap. I. Membro I. cuius initium: SENATVS . POPVLVSQ. ROMANVS . SER. SVLPICIO . QVINTI . F. &c. Nec ſolùm vbi inſcribitur inferiori, & ſubdito; ſed & vbi dominanti; vt probat Ara marmorea Romae (citata à Grutero pag. CCXXVI. n. 1.) his literis cuſa:

DCLXXVI.

SENATVS . POPVLVSQ
ROMANVS
IMP. CAESARI . DIVI . F. AVG
PONTIF. MAXVM
IMP. COS. TRIB
POTESTAT

Non enim derogari dignitati, quòd dedicantis nomen priorem locum occupet, eius, cui dedicatur, liquet tùm ex hoc marmore, tùm ex more Pliniano in Epiſtolis ad Traianum Imperatorem, ac rerum dominum: vbi paſſim legis: *C. Plinius Traiano Imp.* Adde alia id notae marmora, v. g. illud parium, quod (teſte Grutero pag. CCXXVI. num. 5.) intùs abierat in cryſtallum longum pedes IX. latum III. paſſum II. ad tres columnas Templi Iulij in foro Romano, à nobis citatum lib. I. de Elogij Etymo. n. IV. Elog. XXXVIII. Et apud eundem Gruter. eadem pag. num. 2. Et pag. CCXLIV. num. 3. qui eſt titulus in Arcu Triumphali Romae (quod maximè obſeruandum) Tito erecti poſt Hieroſolymorum excidium, ſic habens:

DCLXXVII.

SENATVS
POPVLVSQVE . ROMANVS
DIVO . TITO . DIVI . VESPASIANI . F
VESPASIANO . AVGVSTO

Et pag. CCXLVII. num. 4.

Vt

Vt hinc intelligas, non vitioſè (vti recens Cenſor animaduertit) ſed rite inſcriptum in Baſi Columnae Traianae: SENATVS . POPVLVSQ. ROMANVS . IMPERATORI CAESARI . DIVI . NERVAE . FILIO ſcilicet mutatis vicibus, nomine Principis ſubdito, ſubditorum nomini.

Non tamen negamus contrarium quoque vſurpatum antiquis reperiri, vt apud Gruterum pag. CCXLIV. num. 6. à nobis citatum infrà lib. IV. de Breuitate, Memb. II. IMP. TITO. &c. Et apud eund. Grut. pag. CCLX. num. 4. à nobis ibidem exſcriptum. IMP. CAES. DIVI. ANTONINI. F. &c. Item apud Auctorem Inſcript. Sacroſanctae Vetuſtatis, vt ſup. Lib. I. de Elogij Ethymo, n. IV. Elog. XXXVI. Et apud Gruter. pag. CCXXVI. n. 7. ibidem à nobis citatum, Elog. XXXIV. Praeterea titulus in Arcu Traiani adhuc integer, vt obſeruat Gruterus pag. CCXLVII. num. 6. & nos ipſi vidimus in Portu Anconitano: & alter ibidem cit. num. 5. in Arcu eiuſdem Traiani, Beneuentano. Alibique paſſim.

Ex quo moderationem illam adhiberi placet nobis, vti vbique ſemper decorum ſeruetur; ij quidem, qui dignitate praeſtant, dignitatem tueantur, ſuo praemiſſo nomine: pares verò, aut inferiores, poſtpoſito; hi honoris gratia, illi popularitatis, ciuilitatiſque.

GRATITVDO, ET INGRATITVDO

Membrum XXII.

QVod ſpopondimus ſuprà Lib. I. in Definitione Elogij, & Lib. II. in Paraeneſi ad Claſſem II. vbi de Imitatione, ſuper vocibus *Gratitudo* & *Ingratitudo*, hoc modò ſoluimus. Vocem *Gratitudo*, eiuſque contrariam *Ingratitudo* haud Latinè efferri, quidquid contendant malè auſpicati nouatores. Ratione nos primùm congredimur, tùm auctoritate. Et primùm nullus eſt analogiae locus, vbi nulla nouandae vocis intercedit neceſſitas. Itaque à *Gratus* deriuari poſſet *Gratitudo*, ſi defuiſſet veteribus nomen *Grati animi*, *Gratae mentis*, *Gratae voluntatis* (ſic *ingrati* &c.) *Gratiae* quoque, vt apud Cic. II. de Inuent. *Gratia eſt, in qua officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur* (Et *Ingrati*, vt apud eundem in Topicis: *Cùm tu mihi meiſque multa ſaepe cauiſſes; veritus ſum, ne, ſi ego grauarer, aut ingratum id, aut ſuperbum videretur.* Ita interpretantur eruditi omnes.) Repetendum eſt autem graue monitum Quintiliani ſuper Analogia allatum à nobis in Paraeneſi; quod hercle oppugnatorum machinas nullo conſiſtere loco patitur. Neque Q. Marius Conradus, tantus licet adfectator Copiae Latini Sermonis; audet tamen fines neceſſitatis tranſilire, ſemperque vrget nouandi fontes alios atque alios indicare, vbi quidem rerum nomina ex Latinis haud ſuppetunt: tùm autem Analogiae rationē haberi oportere. Iam Scriptorum auctoritate contēdamus: Quorùm autem Scriptorum? niſi veterum boni ſeculi, aut (demus hoc licet) proximè elapſi, nec dum (vt aiunt) elato Latinitatis cadauere. Nullum porrò ex his habet, quem proferat propugnator acerrimus illarum vocum Q. Marius Conradus (Lib. II. num. XXXV. de Copia Serm. Lat.) qui factum ſuſtinere cùm nequeat, fatum diuinus interponere conatur ridiculo plane argumēto: ſic enim habet: *Gratitudinis verò nomen & Ingratitudinis Auctores noſtri vſu terere potuiſſent, quod ſacramento contendam, caſu potiùs relictum à vetuſtioribus, quàm voluntate, & conſilio vitatum.* Subdenſque dicti ſui rationem, *Quid enim erat*, inquit, *cur vitari deberet, ſi auctores omnes inſolentiora, duriora, & minùs etiam neceſſaria triuerunt?* Iam cùm hocce vocabuli vitatum à vetuſtioribus ſit, nihil dicimus amplius: Cauſa dicta eſt: tota enim loquendi ratio, & linguae mundities in vſu, & conſuetudine eſt poſita: vt, quae acceptae vtcunque fuerunt voces, illae demum bonae cenſeantur; malae, quae repudiatae; quae verò vitatae, atque neglectae; eae quidem externae, peregrinae, atque barbarae. Cur autem tantum audeant Auctores noſtri voces

ces

ces huiuſmodi vſu terere ? auſum enimuerò (niſi cogat neceſſitas) tùm temerarium , tùm ſtultum , quaſi Latinus eſſe poſſit ſermo ab vſu Latinorum alienus , atque reiectus : Eſſet hoc, quis non videt , Latinè inclinare , non eloqui ; crepitare , non fari : Hoc herclè modo tu Latinam efficies , ſi modò teras , vel ipſam ſcurrilitatem Theophili Pholengi Mantuani ; contrà quidquid ſancti ac venerabilis in quocumque eleganti ſermone ad pegmata agyrtarum , ad ſcenas mimorum traxeris , profanabis . At inquies tu , qui noſtram hanc legis paginam, non defuiſſe Auctores noſtros , Viros cultiſſimos , qui Gratitudinem , atque Ingratitudinem intruſerunt , ſed & hodie familiam ducunt . Hic eſt Iuſtus Lipſius tanti nominis Scriptor , tamquè nitidi characteris . Sed obſerues, oportet , Conradi placitum, Auctorum conſenſum id eſt ſummorum exigentis , non vnius profectò ſenſum , qui pedarios habeat de grege grammaticos in ſui verba iuratos . Quare non audimus ſuper inſtituto Lipſij cenſuram Gaſparis Scioppij , tetrici nimirum, & faſtidioſi plus iuſto in omnem aetatem Latij , in ſummum quemque linguae magiſtrum ac principem ; ſed Gerardi Ioannis Voſſij, candidi obſeruatoris ac vindicis corruptelae poſteriorum temporum . Hic libro I. de Vitijs Sermonis , Cap. XVI. notans quàm modeſtiſſimè Lipſium controuerſiam omnẽ ad vſum reuocat , ipſum vtique boni ſeculi ; Expendenſque Ciceronianum locum I. de Legib. *Quae autem natio non comitatem , non benignitatem , non gratum animum , & beneficij memorem diligit?* vulgò planiùs dictum iri , obſeruat , *Comitatem* , *Benignitatem* , *Gratitudinem* : Et illum lib. IX. Ad Att. Epiſt. II. Ingratitudinem periphraſticè efferri , vbi ſtylus compendium vrgebat : *Sed quia ingrati animi crimen horreo* . Sed & eodem Lib. Epiſt. VI. Graecam praetuliſſe vocem: *Sed ita meruiſſe illum de me puto , vt* ἀχαριςίας *crimen ſubire non audeam* : nimirum magis Latinum ſonare Graecam vocem , minuſque barbarum , quàm ex Latina ipſa origine deriuatam contra conſuetudinem Latinorum , etſi analogia ſeruata . Ibidemque tacitae rationi occurrens Iuſti Lipſij , ſuſpectam de Impuritate reddit lectionem Valerij Maximi Lib. V. Cap. II. in lemmate *De Gratitudine* , & Cap. III. *De Ingratitudine* ex ipſiuſmet Lipſij cenſura in Prologo Auctoris, cui quidem Lipſio locus ille: *Mea paruitas eò iuſtiùs ad fauorem tuum decurrerit* ſermonis videtur ſeruilis atque cellarij , neque ab illo aeuo profecti , Itaque codicem corruptum ratus ita emendat: *Ego iuſtiùs ad fauorem tuum decurrero.* Sed illa ex noſtro ſenſu ratio meridiano Sole liquidior , quòd totis ijs duobus capitibus Valerius virtutem illam & vitium in exemplis aggerandis ſaepe appellaturus, ſynonymaque conſectaturus, ac varias formulas, vt ſatietatem vitans ſimul elegantiam tueatur ; ne ſemel quidem tamen voces de Lemmate, ſi bonae forent , & ab ſe inditae , vſurpauerit , vbi maximè curſus deſcriptionis , & tenor periodi poſcere videbatur : vt in Exemplo I. Domeſtico de *Gratitudine* : *Memorem beneficij animum exquiſito religionis cultu teſtando* : Vulgò fuiſſet dictum congruentius per ſubſtãtiua duo compoſita *Gratitudinem animi exquiſito religionis cultu* . Et exemplo externo III. *Itaque nec huius munificentia , nec illius tam memor beneficij animus tot verbis laudari poteſt* &c. expeditiùs profectò ita : *nec huius munificentia , nec illius tanta gratitudo* . Atque vt de conſenſu in his vocibus vſitandis , Summorum Auctorum illud etiam ſubiungamus , Iulius Caeſar Scaliger Lib. de Cauſis linguae Lat. haec habet : *Illud ſcimus à probatis Authoribus, Ingratum vſurpari , Ingratitudinem explodi* : vt vèl hac maximè de cauſa ſubſcribendum nos putemus Iano Grutero , cùm inter Spuria , & Suppoſititia reiectat Decretum Meſſanenſe pagina VIII. num. I. cuius initium eſt : *S. P. Q. R. APPIO CLAVDIO . Q. FABIO . COS .* &c. in haec deſinens verba : *ROMANAMQ. GRATITVDINEM . MERITO* . Sed Conradi ipſius confeſſionẽ audire eſt multo luculentiſſimam , loco eodem factam: *Eius tamen* (vocis gratitudò , & contrariae .) *in libris omnibus aut nullus , aut rariſſimus, aut non valde grauis eſt vſus* ; mox rem eleuans ſubdit: *non quia ſit vitioſum à doctis exiſtimatum , ſed quia hic etiam fortuna dominata eſt* . Fuerit ergo fortunae , fuerit imprudentiae, fuerit ſtudij & voluntatis , nos in hac parte neque audere debemus, quod Principes Latinitatis auſi non ſunt ; neque cogimur , vbi illi modis & formis pluribus rem eandem nominatam & laxae, & preſſae orationi reliquerunt . Omnino perlegendus Valerius Max. locis ſuprà citatis , qui laborare nos inopia non ſinent . Et qui

nobis

nobis commodùm offertur locus Senecae de Beneſ. Cap. XVI. *Quis non*, inquit, *recuſans*, *quis non gemens exit ? Atque ingrati eſt, non eſſe contentum praefato temppre*. (praefatum interpretare *fato praedeſtinatum*) vulgus autē promptiùs effutiſſet: *Atque ingratitudo eſt, non eſſe contentum* &c.

Ne tibi ingrata ſit, Lector, obſeruatio non incurioſi hominis, cui probabile videtur, fuiſſe in vſu veteribus Latinis pro *ingratitudine* duo alia ſynonyma, nimirum *Ingratiam*, & *Ingratificentiam*. Siquidem, vt Gratia (ex allato Ciceronis loco II. de Inuent.) continet memoriam officiorum alterius, & illius remunerandi voluntatem: ita vbi abeſt ea memoria, ac voluntas, quod quidem vulgò eſt *ingratitudo*, voce contraria, ſeu negatiua exprimetur *Ingratia*, cuius adhuc in vſu eſt ablatiuus *Ingratijs*, aduerbialiter ſumptus, ſignificans *praeter gratiam*, *praeter voluntatem*. Vt etiam à *Munificus* eſt *Munificentia*, ita *Ingratificentia* ab *Ingratificus*; habes quippe apud Ciceronem pro Sextio: *O ingratifici Argiui, inanes Graij, immemores beneficij*. Reſtat, vt Gratiam pro Gratitudinis pleno, & integro ſignificatu ſump*t*am ex Ciceronis mente probemus recente Inſcriptione ſubiecta in Diuae Mariae Latae, Romae, videlicet:

DCLXXVIII.

SERENISSIMO . PRINCIPI
MAVRITIO . A . SABAVDIA
HVIVS . TIT . DIAC . CARD
QVI . REGVM . SATV . ORTVS . REGIA . LIBERALITATE
PRINCEPS . ET . ABSQVE . EXEMPLO
PRETIOSISSIMA . SACRARIVM . SVPELLECTILE . INSTRVXIT
ET . ECCLESIAE . MAIORA . IN . DIES . ORNAMENTA . MEDITATVR
CANONICI
AETERNVM . STATVVNT . GRATIAE . ET . HONORIS . MONIMENTVM
ANNO . SAL . MDCXXXVII

vbi quis barbarè dixerit *aeternum ſtatuunt gratitudinis, & honoris nonim.* Alius Latinè, ſed laxius *Grati animi, & honoris*; ſeu *grati, & obſequentis animi*. Omninò autem lepidiùs, & preſſiùs *Gratiae, & honoris*.

SVPERIORVM PERMISSV

Membrum XXIII.

SVPERIORVM PERMISSV. Quae formula, vt ſanctiſſimis legibus Conciliorum, caeterorumque Principum in Republica pareamus, in editione librorum apud nos obſeruatur, cùm in marmoribus nonnunquam adhiberi contingat, an ea Latina ſit, ad diſquiſitionem iure vocamus. Et quidem ſecundum vocem illam dumtaxat *Superiorum*, quam pro ijs, qui rempublicam adminiſtrant, abſolutè ſumi, nullo adhuc exemplo boni Scriptoris condidicimus. Itaque libentiùs dixerimus *Maiorum permiſſu* ex Horatio Serm. lib. I. Sat. V.

---------- *ab his Maioribus orti*
Ad pugnam venere.

Nam vt obſeruat Auctor Theſ. Lat. L. Videtur Horatius intelligere, eos maiores noſtros vocari, non quicumque aetate nos anteceſſerunt, ſed tantùm qui in honore aliquo, & dignitate fuerunt, nam & hoc loco manifeſta ironia eſt. Et infrà Sat. VI. id apertiùs indicat, quoſdam dicens etiam nullis maioribus ortos eſſe, ideſt obſcuris parentibus natos, & nouos homines. Quod ſi durior forte videtur haec forma, dic, *Magiſtratuum*; vna quippe hac voce comprehendes & ſacros & profanos, quorum cenſurae ſubijciuntur libri publicandi. Ita interpretandum Elogium Marcelli à Matre Dei, Carmelitae diſcalceati, in Beatam Tereſiam

DCLXXIX

Carmeli cultricem egregiam omni gloria cumulato. Quot exhauſtis difficultatibus Quot exantlatis laboribus. Inſtaurationis ampliſſimae fundamenta iecit? In Vrbe quidem natali aduerſantibus MAGISTRATIBVS. Reluctantibus Proceribus. Furentibus plebeijs. Calumniantibus omnibus. Et quòd mirum, Bonis pleriſque nequaquam probantibus. In Europa verò exclamante Hiſpania, audiente Roma. In rerum denique vniuerſitate coniurato, & obſiſtente Tartaro, ſuſpenſo, ac ſtupente Mundo. Sed opitulante, & applaudente Caelo tantum opus Inchoauit intrepida. Promouit indefeſſa. Abſoluit glorioſa

Vel dic *Principum permiſſu*: hi enim & principem tenent locum, & Summi Principis nomine, id munus obeunt. Dic etiam Praefectorum, dic Procerum, dic Cenſorum; dic Patrum; ſeu per aliam id genus formulam.

QVANTVM FVIT CARISSIMA

Membrum XXIV.

QVANTVM FVIT CARISSIMA! Vtrùm probè inſcriptum? Haec enim locutio apud Gruterum inter monumenta Spuria, & Suppoſititia cùm fortè in oculos quorundam Grammaticorum nobis praeſentibus incidiſſet, grauem exciuit de bonitate formulae quaeſtionem. Ita verò legebatur

DCLXXIX.

D . M
VIRGINIVS
FILIAE . MEAE . CARISS. VIRGINIAE
NIMIAM . OB . PIETATEM . PROPRIIS
MEIS . MANIBVS . INTEREMPTAE
PRO . DOLOR . QVANTVM . FVIT
CARISSIMA
VIX . ANN . XVI . IVVENTVTIS
EIVS . MENS . V . D . III

Siquidem facilè conuênit inter omnes, exclamatione illâ (*Pro dolor*) comprehendi ſubſequens membrum *Quantum fuit cariſſima*; punctumque (vt aiunt) admiratiuum, ſi alibi, quàm in marmore ſcribendum fuiſſet, debuiſſet affigi pone vocem *cariſſima!* Ad eam quoque ſpectare aduerbium *quantum*. Hoc itaque vniuerſis concepto ſenſu, plerique improbare, vt aduerſantem Grammaticorum placitis eam formam loquendi, productis ad hoc centenis locis optimorum Scriptorum, vnde aduerbia in *um* finita nominibus Poſitiuis ſaepe, Comparatiuis perrarò, Superlatiuis omninò nunquam adhaereſcere monemur. Et illa quidem vox *quantum* loco aduerbij poſita illorum canonas ſequitur: Nam ſecùs nominis loco, vt apud Plinium Epiſt. LXV. *Dedit enim mihi quantum maximum potuit*: Et apud Columellam lib. XII. cap. XXI. *Exploratum habeat, quantum plurimum ſalſae aquae vinum, quod fecerit, ſine offenſa guſtus pati poſſit*. Et Senecam de Benef. lib. VII. cap. XXIII. *Quod non poterat fieri, dixit, vt crederetur, quantum plurimum poſſet*. His (aiebant) & id genus in locis vox *quantum* habet vicem nominis, nec reſpuit cum Superlatiuo item nomine cohaerere; ad eum modum, quo ſcribit Liuius lib. XXVII. *C. Arunculeio imperat, vt Equites quanto maximo impetu poſſit, in hoſtem emittat*. Sed ex aduerſo obſiſtere alij, allegantes ex Theſauro ling. Lat. ipſum Liuium lib. V. Bell. Pun. ita ſcribentem: *Simul altitudinem muri, quantum proximè coniectura poterat, permenſus*: Quo certè loco vocem *quantum* Aduerbij vicem tenere, vèl inde eſt intelligere, quod ex arte Grammatica cùm ſuo ſit inſtructum caſu Participium *permenſus*, nec alterum proprium patiatur, Adiunctum ſuperueniens neceſſariò reſoluit in aduerbium: Ita *quantum* eo ſenſu praefigitur ſuperlatiuo *proximè*. Ad haec protrudere non poenitendas illas coniecturas de Aduerbijs *Tam*, & *Quam* non reſpuentibus ſuperlatiua. Nam de *Quam* tritior eſt vſus, quàm

vt à nobis (inquiunt) exempla exigantur: ſic *quàm maximis itineribus, quàm celerrimè* &c. De *Tam* obſeruat Giſanius dictum à Cicerone cum ſuperlatiuo non ſemel: II. de Finib. *dolorem tam maximum*, Et in Lucul. *rei tam maximae*; ſubditque ille, elegantiae tantùm causâ eam vocem additam ſuperlatiuo. Quid ſi etiam (addemus ipſi) energiae? Ita namque oſtendit obſeruatus à nobis idem Cicero Philipp. XII. aiens: *Nondum erat veſtris tàm grauiſſimis, tamque multis iudicijs, ignominijſque conciſus*. Vbi equidem reſpondent ſibi mutuò duo membra *tam grauiſſimis*, & *tam multis*, eandemque intendunt energiam: Vtrumuis admittatis (aiunt) quemadmodum datis *Tam*, & *Quam* ſuperlatiuo, quidni illa quoque *Tantum*, & *Quantum*? Et fortè, quia Comparatiuis, etſi raro, praeponitur *Quantum*, fortè (inquimus) ſuperlatiuis nonnunquam. Et, ſi nos coniectura non fallit, Epigramma illud ſepulcrale, quod arenam hanc diſputationi nobis aperuit, non propterea à Grutero reiectum fuit inter Spuria, & Suppoſititia, quia ſpiret barbariem ſequioris ſeculi (quàm multa autem huius notae Gruterus ſciens, & libens admiſit in corpore ſui Operis, boniſque admiſcuit?) Verùm quia falsò antiquis ab recenti Auctore intruſum, affectato locutionis antiquae cultu; ſanae proinde Latinitatis, atque authoritatis proponendae. Porrò orationi huiuſcemodi occurrere Aduerſarios; inficiari, eandem eſſe, & parem harum vocum rationem, ac in vſu demum loquendi veterum omnem conquieſcere quaeſtionem oportere; atque praefigi quidem poſſe aduerbium *Quàm* ſuperlatiuis, quandoquidem veterum extant exempla; quae quia nuſquam apparent de *Quantum*, non ſine crimine violatae Latinitatis id poſſe. Quae ſanè ratio tam robuſta viſa fuit Antonio Mucino, Viro inter Grãmaticos noſtri temporis maximè inſigni, ſuper hac controuerſia mox conſulto, vt ſibi eam loquendi formam reſponderit aut non Latinam, aut valde ſuſpectam videri.

Nos tamen, à quibus inſtituti ratio cenſuram exigit, nihil territi iudicio tanti Viri, audebimus medij conſiſtere inter diſſidentes partes, quando nos arbitros eae popoſcerunt: Et quo ſtudio Gruterus conceſſit huic Epigrammati locum, nè ſaltem ingenij (ſi minùs fidei) elegantem foetum intêrmori pateretur, eo nos modum eloquendi, ſtructuramque tutabimur: Id quod ex facili conſequemur, ſi aliter, quàm Mucino voce tenus propoſitus locus eſt, inſpectemus. Siquidem bina ibi membra diſtinguimus, vnum, quo continetur Exclamatio; alterum, quo ſubiecta ratio: nimirum vt acerbitas doloris ſumma indicetur, allegatur, quia cariſſima erat filia: Sunt quippe ſententiae diuerſae, ac ſenſa duo. Itaque nequaquam ad ſuperlatiuum nomen, ſed ad Verbum referri volumus Aduerbium illud *Quantum*: ruitque propterea controuerſia omnis: Sitnè probè additum Superlatiuo nomini *Quantum* Aduerbium. Quemadmodum autem rectè dicimus *quantum fuit in me*, cur non pariter *quantum fuit cariſſima* rectè dictum cenſebimus? Neque patitur, interpretari nos in hac formula vicem habere nominis vocem *quantum*, ſi locum totum Ciceronis excutiamus lib. IX. ad Attic. Epiſt. IX. ſic loquentis: *Populum noſtrum ſeruandum ad immortalitatem, quantum in nobis eſſet, putabam*. Quo loco certè ſi ſupplendo conſtructionem illius membri legimus: *quantum in nobis eſſet ſeruare populum noſtrum ad immortalitatem*, iam nolumus eam vocem fungi, niſi vice Aduerbij ſubſtantiuo Verbo appoſiti. Eandem vim, per diuerſam tamen particulam ſentire eſt in marmore altero praecedente apud Gruterum, ideſt pag. XIII. num. 7. quod huic noſtro praeferre facem videtur. Eſt autem huiuſmodi:

DCLXXX.

COLLATINVS . TARQVINIVS
DVLCISS . CONIVGI . ET
INCOMPARABILI
LVCRETIAE
PVDICITIAE . DECORI
MVLIERVM . GLORIAE
VIXIT . ANN . XXII
MENS . III . D . VI
PRO . DOLOR
QVAE . FVIT . CARISSIMA

Et hoc Spurijs adnumerauerat Gruterus, tametſi duritiem nullam praeſeferat, ſubmotaque ſit illa particula, quae in poſteriore marmore turbam conciuit. Non ergo ob vitium aliquod locutionis, ſed ob ſuſpectam vetuſtatis affectationem.

VICTORIOSVS, SECRETARIVM

Membrum XXV.

VICTORIOSVS, SECRETARIVM. Faſtidioſus neſcio quis Antiquitatum Lector apud Gruterum, cùm frequens adeſſet in coetu profitentium literas, multa identidem ex eo carpebat, nonnulla temerè: non tam (credo) inuidia Scriptoris, aut ambitione gloriolae, quàm proprij adulatione ſenſus. Ex his produxit aliquando, quae eſt de Honorio, ac Theodoſio memoria pag. CLXX. num. 5. dignam, inquiens, quae cum alijs impuriſſimis à Grutero promiſcuè aggeſtis expungatur: Recitauitque fideliter in haec verba:

DCLXXXI.

SALVIS . DOMINIS . NOSTRIS . HONORIO . ET . THEODOSIO . VICTORIOSISSIMIS PRINCIPIBVS. SECRETARIVM. AMPLISSIMI . SENATVS. QVOD . VIR . INLVSTRIS FLAVIANVS . INSTITVERAT . ET . FATALIS . IGNIS . ABSVMPSIT . FLAVIVS ANNIVS . EVCHARIVS . EPIFANIVS . VC. PRAEF. VICE . SACRA . IVD REPARAVIT . ET . AD . PRISTINAM . FACIEM . REDVXIT

Porrò vitia hic duo obſeruabat corrupti ſeculi in vocibus *Victorioſus*, & *Secretarium* tamquam inauditis Latio, ac malè nouatis: Quam quidem Cenſuram cenſura dignam adiudicantes, qui tùm aderant iudicij ſanioris homines, contumeliam illam praeſenti actione facilè propulſauere. Quod primùm, Vir doctiſſime, tibi putet Vox *Victorioſus*, vt, inquis, malè nouata; qua ratione nitaris, non liquet. Certè Q. Marius Conradus vindex Latinitatis à nemine hodie eruditorum non laudatus, lib. I. de Copia Lat. ſerm. ita praecipit: *Vt ſcias autem, hanc apertam à veteribus viam, ac legitimam fingendi nomina eſſe habitam; à ficis etiam, & à victoria, & à literis docti quondam homines non contra Latinitatem fecerunt, vt Ficoſos, Victorioſos, Literoſoſquè dicerent.* Neque auctoritatem Conradi, eſt, quamobrem eleues, vt qui recentior ſit, & vix elapſi ſeculi ſcriptor; namque non ipſe nouauit vocem, ſed monet nouatam à doctis quondam hominibus; ijs autē ne ignores boni ſeculi, Aulum Gellium conſule lib. IV. cap. IX. qui vocis huius *Victorioſus* Authorem primum facit Catonem. Eat nunc Pollio aliquis, & ex genio prauo irrideat quaſi inſolētia, quae à grauiſſimo quoque, ac eruditiſſimo Viro ſcitè, ac legitimè excogitata vocabula ſunt, ad patrium ſermonem ditandum. Hinc meritò Voſſius de Vitijs ſermonis lib. IV. cap. XXXVI. oblatum Aduerbium *Victorioſè* ad cenſuram cogens, *non admodum*, inquit, *diſplicet*, *cùm Victorioſus dixerit Cato apud Agellium*. Quod ſi Poſitiuum tuemur, etiam Superlatiuum *Victorioſiſſimus* cur reſpuamus? Non ergo eradenda Inſcriptio propoſita, quae eſt ab Auguſto quarti dumtaxat ſeculi, ſiquidem à ſeculo ſuperiore, hoc eſt propius Auguſtaeum, exemplum habet, teſte Grutero pag. CCLXXVIII. num. 1. videlicet:

DCLXXXII.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI . IVVENT. * *Iuuētutis*
M. AVRELIO . CARINO
NOBILISS. CAESARI
COS. PRO . COS

DCLXXXIII.

VICTORIOSISSIMO
PRINCIPI . IVVENTVT
M. AVR. NVMERIANO
NOBILISS. CAESARI
PRO . COS

Id repetitur num. 2. ac 3. Non negem, iucundiùs legi, vt apud eundem pag. CCLXXXV. num. 6. & alibi. VICTORIIS. TRIVMFISQ. MAGNIFICO. VALENTINIANO &c. At barbarum illud ſtatuere nefas planè videtur.

Reſtat expendenda vox altera *Secretarium*, nouata procul dubio, idque ſeculo, niſi aliter conſtet, barbaro; An verò etiam nouata barbarè

barè? Et hoc à nobis inueſtigandum. Quamquam huiuſce orationis vitium propalam eſt, cui reclamant, quae ſuprà lib. II. in Paraeneſi ad Claſſem II. iacta fuerunt ex Cicerone fundamenta de Vocibus Latinè nouandis; nimirum *Imponenda nouis rebus noua nomina*. Rem ergo priùs intendamus, quae ſit; tùm vtrùm noua Latio, cui proinde ſignificandae nouum naſci debuerit vocabulum.

Secretarium (inquit Voſſius de Vitijs ſerm. lib. III. cap. XLVIII.) eſt conclaue, vel locus, vbi Reorum Cauſa à Iudicibus expenderetur, ac tandem ſtatueretur, qualis de Tribunali pronuncianda eſſet ſententia. Hic locus ſaepiùs velo ſeparabatur à Tribunali, ad quod Tribunal Praeſes ſe conferebat pronunciaturus, quid interiùs de Iudicum ſententia foret decretum. Haec Voſſius: qui cùm nullam reponat vocem Latinam huiuſce loco, quid aliud,quàm rei nouae nullam ex antiquis vocibus ſignificandae reperiri concedit? Vis tu autem noſſe rem nouam? Recole ex Antiquorum ſcriptis formam Iudiciorum veterem apud Romanos. Nam,vt refert THOMAS DEMPSTERVS A MuresK I. C. Scotus in lib. cui titulus: *Antiquitatum Romanarum Corpus abſolutiſſimum* (edit. Coloniae MDCXX.) lib. IX. cap. XXIV. Coram Praetore, conſilio Iudicum coacto, peracta Accuſatione, ac Defenſione, ipſis praeſentibus Accuſatore, ac Reo, vbi vtriuſque partis Orator ſe dixiſſe ſignificaret, Iudices iuſſu Praetoris Tabellas accipiebant, & in vrnas mittebant, quam quiſque ferendam eſſe iudicabat, ſiue Abſolutionis, ſiue Condemnationis, ſiue Ampliationis, Reis interea ſeſe proijcientibus ad pedes Iudicum. Coniectae inde in vrnas tabellae promiſcuè, dirimi ſolebant, vt numerus Abſoluentium, & Condemnantium, & Ampliantium Iudicum conciperetur. Poſtquam autem diremptis tabellis Praetor Iudicum cognouit iudicium ex numero maiore tabellarum, tùm id pronunciabat. Haec itaque omnia in oculis fiebant Accuſatoris, & Rei: Actio, Miſſio in conſilium, Collectio Sententiarum, Summae iudicij pronunciatio. Quae quidem cum ſubſequuta poſterioribus ſeculis ratione iudicij tantùm conueniunt, quantum cùm ſecreto publicum: Nam pòſt inuectum eſt, in loco à Tribunali ſecreto, Iudicum rogare ſententias, quibus poſteà cognitis, quae maiore extaret è numero, Praeſes egreſſus loco, & in Tribunal ſubiens pronunciabat. Iam de re noua tam liquet, quàm de luce in meridie. Sicut autem à Tabula (qua ſignificatur Inſtrumentum, Literae, & Actus publicus) rectè fit Tabularium, pro loco vſurpatum, in quo eae tabulae reponuntur, vſitata vox Virgilio, & Ciceroni non ſemel; Ita à ſecretis ſententijs Iudicum rectè per Analogiam dicetur Secretarium, locus vbi eae ſecretò conferuntur. Nam vox *Secretum,ti*, vſitata Plinio in Epiſt. ſignificat generali appellatione receſſum. Talem autem receſſum Iudicum non ſatis ea vox per ſe indicat. Quae cùm ita ſint, intentata à Cenſore Accuſatio in illam Inſcriptionem, quid niſi C literam, Condemnationis ſcilicet, ab eruditorum Senatu expectet? Alio autem ſenſu *Secretarium*, vt affert Voſſius, Templis, ac Monaſterijs adiectum pro loco, in quo Theſaurus reponitur, & Sacri Codices, in praeſentem diſputationem non cadit.

ORIGINALE, MORTALE, VENIALE

Membrum XXVI.

FVgerant Obſeruationem noſtram in Claſſe ſuperiore, Peccatum *Originale*, *Mortale*, *Veniale*. In his peccatum ſi aues effugere barbariſmi, nitoremque Latinitatis Elogio contrahere, aliter ſic loquèris. Pro Originali nitidius erit *Originarium*, *Labes hereditaria*, *Communis lues humani generis*. Emanuel Theſaurus in Noua Mundi Aetate, Elogio de Sancta Maria Virgine Ioachimi Filia, Chriſti Matre, cui titulus *Sculptura*, immunem ab Originaria labe deſcripturus: *Nullum*, ait, *in hoc typo peccatum culpes*, *Nullum in Prototypo*: *Nec illud quidem MVNDO COGNATVM. Nam ſola Maria ADAMI LVTVM non oluit*. Pro Mortali dic *Mortiferum*, *Lethiferum*, *Capitale*: aut cum Iuglari, qui titulum Elogio XXXII. de Ludouico Rege Gall. hunc fecit: *Ludouici in lethales noxas odium*

immortale: Conſentit Petrus Labbè de eodem Rege, Elog. VIII. *Talis erat Diuus Ludouicus, cùm adoleſceret: ſola aetas vtrumque diſcriminabat Si ambo ſimul vixiſſent, vix vtrumque diſcerneres Vt ſimul credas vtrique LETHALIS NOXAE tantum in ea aetate odium, Vt ſi alterius morte ſcelus extinguendum eſſet.* Tandem pro Veniali meliùs ſonabit Latinis auribus *Leuius, Minus, Minimum peccatum.* Vel vti Ioſephus Silos Bitontinus, Elogio Gentis Caracciolae VI. de Nicolao A Coſmonibus Catharinae Virginis Senenſis: *Illibatae*, ait, *Virginis illius Senenſis excepit aure labeculas, concepit pectore vim Numinis* &c. Et vti Iuglaris allegato Elogio de Ludouico: *A minima quoque nequitiae larua deterritus: ſecuritatem ſuam ſolo Dei timore fundauit.* Praeterea pro mortali, ac veniali peccato dic *Piaculum maius & minus.*

B E N E D I C O R

Membrum XXVII.

BENEDICOR malè dixeris Latinè profeſſus: propterea quòd *Benedico* verbum ſit Neutrum ordinis III. neque idcirco formetur ex eo perſonale paſſiuum. Barbarum ergo quis neget *benedicere aliquem*, ſiquidem Graeca phraſis, & eo ſeculo tentata Latinitas, quo maximè ibat peſſum, videlicet anno à reparata ſalute DCCLII. vt perſpicuè monſtrant Verſus Metelli Monachi Tegerenſis, ac Poëtae in ſuis Quirinalibus

Peregrini venerantes loca ſancta
Adierunt prece Papam reuerenter
Humiles tùm pauimento cecidere
BENEDICI cupientes ab eodē Patre ſūmo

Neque vacat barbarie *Benedico* neutrum cum tertio caſu, pro *Laudo*, vſitatiſſimum Theologis, qui hac in parte phraſi Hebraicae ſacrorum voluminum inſtiterunt; quoquè idiomate verbum eſt tùm actiuum, tùm neutrum, vt liquet ex translatione Cantici trium puerorum (Danielis Cap. III.) vbi Sacro Interpreti aliud fuit propoſitum multò ſanctius, multoquè religioſius, quàm vt puritatem affectaret Romani ſermonis. Sed & Graeca verſio genuinam conſtructionem perpetuò ſeruat: Vt vbi modò per neutrum verbum Latina dicit ex Hebraica, *Benedicite omnia opera Domini Domino*; modò per actiuum ex Graeca, *Benedicat Terra Dominum*, haec vbique ſibi conſtans habet, εὐλογεῖτε πάντα τὰ ἔργα Κυρίου τὸν Κύριον: Et εὐλογείτω ἡ γῆ τὸν Κύριον. Hinc malè quoquè dictum erit Latinè profeſſo *Benedictus* Participium paſſiuum, nam ſubſtantiuo tantùm nomine *Benedictum* Romanum eſt, imò Ciceronianum. Hoc ipſum cenſendum de Oppoſitis *Maledicor*, *Maledico*, *Maledictus*, *Maledictum*.

Opportunè hic ſe offert luſtrandus lapis Mediolani inſcriptus, de quo Giuſſanus in vita Diui Caroli, videlicet:

DCLXXXIV.

D . O . M
CAROLVS . BORROMAEVS . S. R. E. PRESB. CARDINALIS
Archiepiſcopus Mediolani in hac Diui Fidelis Martyris Aede reſtituenda
*lapidem hunc à ſe ritibus Eccleſiae * benedictum primò poſuit III. Non. Iulij*
M D L X I X

Latinè autem ſtudenti dictum fuiſſet pro *Benedictum* Luſtratum, vel Initiatum, vel ritè Auſpicatum, vel (melius) ſolemni cum precatione inauguratum, vel ſolemni ritu ſacrum, vel Ceremonijs ſolemnibus conſecratum.

Purgabis itidem memoriam Cimbricam, quam legis apud Suueertium in Select. Delic.

HENRICI

DCLXXXV.

HENRICI RANZOVII
PERPETVVM . DE . BIBLIOTHECA . SVA
DECRETVM
QVAE . INFRA . SCRIPTA . SVNT . HVNC . IN . MODVM . SANCITA . SVNTO
INVIOLATEQVE . OBSERVANTOR
RANZOVII . NEC . QVISQVAM . ALIVS . HANC . POSSIDENTO
HEREDES . EAM . NE . DIVIDVNTO
NEMINI . LIBROS . CODICES . VOLVMINA . PICTVRAS
EX . EA . AVFERENDI . EXTRAHENDI . ALIOVE . ASPORTANDI
NISI . LICENTIA . POSSESSORIS . FACVLTAS . ESTO
SI . QVIS . SECVS . FECERIT
LIBROS . PARTEMVE . ALIQVAM . ABSTVLERIT
EXTRAXERIT . CLEPSERIT . RAPSERIT . CONCERPSERIT . CORRVPERIT
DOLO . MALO
ILLICO . * MALEDICTVS
PERPETVO . EXECRABILIS
SEMPER . DETESTABILIS
ESTO . MANETO

Tu igitur protruſo *maledictus* repone *Diris deuotus*, aut quid ſimile. Nam illud Epitaphium, quod ad nos trāſmiſit Maximianus Dezza Clericus Lucenſis è Congreg. Matris Dei, non ferreo ſolùm, ſed rubiginoſo natum ſeculo facilè deprehenditur, quod hic producimus magis loco monſtri, quam exempli.

DCLXXXVI.

Hic iacet Todericus vltimus Rex Gothorum MALEDICTVS. Furor impius Iuliani, quia pertinax, & indignatio, quia dura. Veſanus furia, Animoſus indignatione, Impetuoſus furore, Oblitus fidelitatis, Immemor religionis, Contemptor Diuinitatis, Crudelis in ſe, Homicida in Dominum Hoſtis in domeſticos, Vaſtator in Patriam, Reus in omnes. Memoria eius in omni ore amareſcet, Et nomen eius in aeternum putreſcet

An in hoc veſtigium illum apparet dignitatis antiquorum marmorum? Hoc citat (inquit Dezza) Gueuara lib. III. literar. repertum in Portugallia.

Omninò dignus eſt audiri Q. Marius Conradus de Copia Lat. Serm. lib. V. Qui cùm ad voces nouandas indulgentiorem multò ſe praeferat, in controuerſia noſtra hoc habet: *Quare etiam precationibus, quae cum Trinitatis imploratione fiunt, nec benedicendi Verbum, nec benedictionum deeſſe debet*. Cùm nihilominùs idem Conradus multò ante de Cereo, quem vulgus *Benedictum* vocat, ab ea voce abſtinens ita ſcripſerit: *Illud quoque eſt in more poſitum religionis, vt ineunte Februario inauguratum eo die à Sacerdote in ſacris Cereum quiſque accipiat*. In quo ne ſibi ipſum repugnare putes, eſt animaduertere, Verbum quidem *benedicendi*; & nomen *benedictionis* admittere; non ita participium *Benedictus* quaſi à *benedicor* paſſiuo, ſed ei ſubſtituere *Inauguratus*. Quamobrem nos Conrado refragari minimè audentes, & verbum (in ſacris dumtaxat ritibus) approbamus, vt neutrum tamen: Et nomini concedimus patrium caſum, non quidem rei, quae inauguratur, ſed Agentis.

Porrò *benedicere* homini verbi gratiâ, bifariam vſurpat vulgus, ſcilicet aut Deum, aut hominem alterū. Et quidem Homo tùm benedicit, cùm benè precatur; Deus autem, cùm, vt benè ſit, praeſtat. Nam hominis ſermo ſignificatiuus, Dei verò operoſus, cuius & ipſum dicere facere eſt. *Ipſe dixit, & facta ſunt*, ait Rex Pſaltes: *Dixit Deus, Fiat lux, & facta eſt lux*, refert Moſes. Itaque Sacerdos benedicens Populo, aut locis, aut fructibus intelligitur benè precari à Deo, ſiue conceptis verbis, & expreſſa formula

formula : ſiue ſigno Crucis facto, in quo tacita eſt precatio.

Quam verò communiter appellant *benedictionem Sacerdotalem*, aut *Pontificiam*, Latinè ſic poteſt deſcribi, Formula ſolemnis precaria cum ſigno Crucis per Sacerdotem, aut Pontificem pronunciata (dicit enim *Benedictio Dei Omnipotentis Patris, & Filij, & Spiritus Sancti deſcendat ſuper vos* &c. Aut per Graecam conſtructionem, *Benedicat vos omnipotens Deus, Pater* &c.) Preſſiùs : Precaria Sacerdotis Crux ritu ſolemni:ſeu Solemnis ritus Crucis precariae per Sacerdotem.

Aquam itidem non *benedictam* efferes, ſed *ſacram* (nomine quidem generico ad illius virtutem multiplicem :) vel *Sacram Lympham*, vel peculiari effectui ſignificando, Aquam *Piacularem*, *Luſtralem*, *Baptiſmalem* &c.

Neque *benedictum* de Numiſmate, ſed piaculare. Id ipſum de Granis, ſeu calculis, aut globulis, aut orbiculis, quos vulgus *Grana benedicta*.

Neque de Ieiunio poſt Domini Epiphaniam apud Ordinem ſacrum Diui Franciſci: ſed *Eſuriales ferias arbitrarias*, quarum celebritas voluntati cuiuſque, & arbitrio permittitur. Sed quia non ita exprimitur ſignificatus vulgaris, dic pro arbitrarijs *gratioſas*, quandoquidem gratiam Diui Franciſci Patriarchae conciliant obſeruatoribus ſuis, quibus ille pollicitus eſt, vt vulgò dicitur, benedictionem, ſeu Latinè, ſe benè precaturum à Chriſto IESV.

CAELVM, TERRA, QVO NVMERO EFFERENDA?

Membrum XXVIII.

EXciuerat de priore Voce cõtrouerſiam Gerardus Ioannes Voſſius, quam nobis quoque ſubortam inter varias lectiones facilè compoſuit, eandem nobiſcum in obſeruationem conueniens. Quocirca vel noſtram hoc loco cum illius ſententia conſpirantem proferemus, vel illius cum noſtra, vti ſtudioſorum ſcrupulo praeuertamur. Ergo ita ſtatuimus, Vocabulum *Caeli* numero pluratiuo difficiliùs dimitti proſae, faciliùs carmini. Namque vnicus locus Seruij in I. Aeneid.

Et quo ſub Caelo tandem, quibus Orbis in oris
Iactemur, doceas:

vbi ab illo ferunt haec ita ediſſeri: *QVO SVB CAELO*] *aut ſub qua parte Caeli, aut ſecundum Epicuraeos, qui plures eſſe volunt Caelos, vt Cicero in Hortenſio.* [*TANDEM*] *hoc loco vacat; ad ornatum autem pertinet* ; *Aut tandem doceas, quod vix* * *qq contigit* : *Aut tandem pro expletiua particula eſt.* Hic, inquam, Seruij locus cùm ex alijs multis coniecturis, tùm quod repugnat ſententiae Ciceronis, meritò corruptus coarguitur, & mentio Ciceronis de loco ſuo deturbata : Ita verò reſtituendus : *QVO SVB CAELO*] *aut ſub qua parte Caeli; aut ſecundum Epicureos, qui plures eſſe volunt Caelos.* [*TANDEM*] *hoc loco vacat, ad ornatum autem pertinet, vt Cicero in Hortenſio; aut tandem doceas, quod vix quoiquam contigit.* Ergo quod vnum ponebant fundamentum Ciceronianae locutionis in Seruio de *Caeli* pluratiuo ex vſu aurei ſeculi ruit, iubetque ſtudioſos puri ſermonis efferre Caelum, non Caelos in proſaico Elogio. Hoc melioribus Elogiaſtis obſeruatum ſcimus. Ita enim Marcellus de B. Tereſia alludens ad illud Euangelicum : *Regnum Caelorum vim patitur*, à pluratiuo ipſe abſtinens ita inſcribit:

DCLXXXVII.

CAELVM . DESIDERIIS . AESTVANTIBVS
MVRALIBVS . QVASI . TORMENTIS
VEL . DVM . VIVERET
APERIENTI

Iuglaris Elog. XCIII. de Chriſto I. titulum, de quo Apoſtoli in Symbolo : *Aſcendit ad Caelos*: ita ipſe cõponit: *Aſcendit Triumphator in Caelum*, Ciceronem imitatus in Paradox. *Quibus tandem gradibus Romulus aſcendit in Caelum?* Repete de Claſſe IV. Chriſtian. Membrum XVII. in Voce *Paradiſus*.

De TERRA vix quidquã opus eſt hic praecipere: Calepinus ſatis indicat, quando ſingulari numero, quando plurali, efferenda vox : Ne tamen ſtudium Lectoris fraudemus, ex Elogiaſtis

ſtis haec damus exempla : Iuglaris vno in allegato Elogio : *Ne qui ignem miſſurus in terras venerit*, *Poſſet argui furaturus veniſſe*. Vbi eſt maximè obſeruandum, alluſiſſe eum ad illud Euangelicum ex teſtu Graeco, ideſt autographo Diui Lucae : *Ignem veni mittere in terram*, cap. XII. num. 49. Item eodem Elog. *Iam non futurus Viator, Ipſos in terra propemodum oblitus eſt pede*. Ibid. *Ea ſcripta lex homini*, *Vt Caelum, niſi Tellure calcata non ſperet*.

COMMODARE AN DE PECVNIA?

Membrum XXIX.

CEnſorem egit, meliùs autem hoc loco certè cenſuram ſibi arrogauit Voſſius I. de Vitijs ſerm. cap. XXXXIV. decernens, *Commodare*, cùm de pecunia dicitur, alijſuè non ijſdem reddendis haud eſſe Latinum. Scilicet corruptum legi contendens locum Plauti, qui allegabatur ex *Aſinar.* Act. III. Sc. III. & Ciceronis IV. Verr. Eſto vterque locus corruptus: quamquàm ſuſpecta haec cenſura, & vana ſuſpicio videri poteſt, cum & ex Plauto alibi, & ex Cicerone ſimilem locutionem in minimè ſuſpectis codicibus reperiamus. Nam ille in *Rudente* Act. II. Sc. IV. facit ita loquentem Ampeliſcam:

Cur tu aquam grauare (amabo) quam hoſtis hoſti commodat?

huic etiam ita ſubijcientem Sceparnionem:

Cur tu operam grauare mihi, quam Ciuis Ciui commodat?

Iam Cicero Orat. etiam pro Caelio ita habet: *Quare* (Clodia) *ſi ſe aurum Caelio commodaſſe non dicit*. Adi lectionem Paulli Manutij, quae concordat. Atqui rariùs forte dictum conſentimus cum Grammaticis *Commodare* de pecunia, de tritico, ac caeteris, quae non redduntur eadem: vſurpari tamē poſſe abſque ſuperſtitione, quando res tulerit, meritò aſſerimus, cùm Ciceronem ita locutum conſtet, ſaepiùs fortaſſe (neque enim eius opera extant omnia) & quem locum Voſſius caſtigare tentat, integrum iuſtiùs putamus auctoritate Emanuelis, & Mucini, aliorumque inſignium Grammaticorum eundem allegantium.

SICARIVS, AN QVI BARBARE ASSASSINVS?

Membrum XXX.

ALiud Malefactorum genus indicari dubium non eſt vocabulo *Aſſaſſini*, aliud Sicarij. hoc enim Latinè generaliter dicitur de eo, qui ſicam gerit maleficij patrandi cauſa. Illud autem Turcicum eſt, de hoſtibus Chriſtiani nominis primùm vſurpatum, qui vel precibus conſilijſque, vel mercede pacta ad caedē Chriſtianorum inducebantur. Pòſt ad quoſcunque translatum, qui ad aliquem interimendum, praeſertim Virum Principem, conducuntur. Conſule Thomam de Vio Caietanum in ſummula ſua, V. Aſſaſſinus: Et Voſſium de Vitijs Serm. lib. II. Cap. II. Hinc, niſi alius vſus ſit Italicae linguae, haud rectè apud Onomaſtica traditur in Voce *Aſſaſſinare*, *Aſſaltare alla ſtrada i viandanti per vcciderli, e tor loro la robba Lat. Graſſor*: Et in Voce *Aſſaſſino*, *Graſſator*. Propriè enim intercedit ibi pactum, vtque ſicarius operam ſuam locet pecunia. Proinde Innocentius IV. Pont. Max. in Concil. Lugdunen. Anathema intentat in Chriſtianos, qui opera vterentur Turcarum illorum ad caedem alicuius ex Chriſtianis, vt habetur in Sexto de Homicid. Sed vſus quoque vulgaris non poteſt alius eſſe, quàm, vt ſignificat Caietanus, Iuriſconſultis acceptus, vt *vulgariter dicantur Aſſaſſini, qui pro pecunia occidunt hominem ad alicuius* (ita Caietanus dicit) *inſtantiam*. Latinè ergo dices Conductitium Sicarium, vel percuſſorem. Non longè abeſt ab hac ſignificatione vox *Latro*, ſaltem ex vſu antiquorum: A quibus Latrones dicebantur conducti milites, à Graeco λατρεύω, Lat. *Inſer-*

uio, quòd mercede ſeruirent: Moriſque erat (inquit Ambr. Calep.) vt hos Imperator & circa ſe haberet, & primos mitteret ad omne diſcrimen. Varro autem putat huiuſmodi ſtipatores Latrones dictos, quaſi Laterones eò quòd circa latera eſſe ſoleant, quos nunc Satellites vocant, qui Principis alicuius latus tuentur, qui & Laterani, & Stipatores vocantur. Obſeruatu dignum eſt fragmentum Epitaphij in Gulielmum Naſſouium, quatenus locutionem diſcas: nam dictum cum facto pugnat, vt candidi teſtantur hiſtorici. Ita verò legitur de illius caede: *Quem Philippus II. Hiſp. Rex, Ille Europae timor timuit: Non domuit, Non terruit. Sed EMPTO PERCVSSORE fraude nefanda ſuſtulit.* Frit ergo etiam Emptus Sicarius, Conductus percuſſor &c.

INDIGETES. INDIGITARE

Membrum XXXI.

AD Caelites referuntur ambo haec vocabula *Indgetes* (penultima per *e*) & *Indigitare* (antepenult. per *i*) vtique vario etymo. Siquidem ab *Indigeo* dicti *Indgetes*, Dij ex hominibus aſſumpti, per antiphraſim, quia nulla re iam indigeant Immortales, ac Beati effecti: nobis autem Chriſtianis *Indigetes* dici poſſunt Homines conſecrati, ſeu Pontificio ritu in Diuos relati. *Indigitare* autem non eſt quaſi *Indigetare*: neque vt falſo autumat Calepinus *à digitis*, quaſi indicitare, & digito indice monſtrare: nihil enim habet cum ea, quam mox ſubiungit, ſignificatione, *Voco, Nomino*. Eſt ergo Indigitare propriè Inuocare, vt apertè monſtrat locus Macrobij apud Calepinum; *Namque Virgines Veſtales ita Apollinem indigitant; Apollo Medice, Apollo Paean*: Et: *Ita ab incolis indigitantur*. Manat porrò hoc vocabulum à praepoſitione *Indu*, antiquis pro *In*, & *Citare*, hoc eſt Vocare, vt obſeruat Voſſius de Vitijs ſerm. lib. I. cap. XXXIV. Hinc *Indigitamenta* apud ipſum Calepinum erant priſcis libri Pontificales, in queis nomina Deorum,& rationes ipſorum nominum continebantur; vtique non ad notitiam duntaxat vulgi; ſed ad ritum, quo inuocandi forent ab hominibus Dij. Nobis hodie Indigitamenta fuerint libri Rituales, & Pontificales,in quibus Formulae cùm inuocandi opem Dei, ac Diuorum, tùm adminiſtrandi Sacramenta,Initiandi Aquam,Fruges &c. Item conſecrandi Sacerdotes, Templa, Altaria &c. Placuit in hunc locum afferre huiuſmodi obſeruationē, ſimul auferre Lectoribus noſtris offendiculum,quod & nobis olim obiecerat Calepinus, aliorum is quoque eruditorum errore deceptus.

DEMERITVM AN DE PECCATO?

Membrum XXXII.

OPponitur à nonnullis *Meritum Demerito*, quaſi illud de benefacto dicatur, hoc autem de peccato. Sed contra quàm Latini loquuti ſint, & qui hodie puritatem linguae ſectantur. Eſt ergo *Mereor*,à quo *Meritum*, vox media, ſumiturque pro Aliquid facio, quamobrem aut praemium accipere dignus ſum, aut poenam pati. Idcirco admittit Aduerbia *Benè*, & *Malè*, vt etiam eius participia. Hinc in marmoribus frequens eſt *Benemerenti*, *Benemerito*. Hic *Optimemerito*, & *Peſſimemerito*. Vtrum autem rectè *Benemerentiſſimo*, diſſeruimus ſuperiore Claſſe, Membro IV. in V.*Benefactor*. Haud aliter *Meritum* tam praemio dignis, quàm poena congruit. Eius autem ſignificatus vtram in partē ſumendus, declarat ipſa verborū continuatio. In malam partem pro *culpa* eſt locus Vatinij ad Ciceronem:*Scis meam fortunam:neſcio quo modo facile obtrectatores inuenerim, non meo mehercle merito*.In bonam autem pro benefacto,ne te Lector morer, accipe ex alijs Elogiaſtis Maximianum Dezzam in ſuo Theatro Lucenſi,Elog.XI.

NICOLAVM

DCLXXXVIII.

NICOLAVM . SANDONNINIVM
Quale de optimo Ciue, Parente, Pontifice
Patriae votum eſſe poterat
Talem DEVS. Opt. Max. Reip. dedit.
Vnus eſt, in quo cohoneſtando
Ciues, Exteri, Duces, Reges, Pontifices Maxx
Virtus, Fortunaque conſenſerunt.
Quod Purpura careret, miratus eſt Orbis
Ipsàque Purpurà neſcio quid auguſtius habuit
Haec Admiratio.
Inter inſtructas Acies, iamque conferenda Signa
Tam bene Paci militauit
Vt ab Ludouico Rege, Caroloque Burgundo
Quò à Chriſtianorum terris Arma in Barbarorum Caput
Auerteret, Nouennales Inducias impetrauit.
EO * MERITO Rex Carolus VIII.
Gentilitium Stemma
Commune ſibi cum Sandonninio voluit
Cognationem teſtatus, non Sanguinis, ſed Virtutis.
Difficillimis Reip. temporibus
Romae in Orbis fronte quaſi Lucenſium oculus
Nequid Patria detrimenti caperet, vigilantiſſimè circumſpexit.
Illi Rerum tantarum ergo
S. P. Q. L
An. A Par. Virg. MCDXXX. Petro Cenamio X Virorum Principe
Manſurum Poſuit cum Seculis Monumentum.

At verò *Demereor* compoſitum non modò non aduerſatur ſimplici *Mereor*; quaſi, *De*, particula detractiua ſit: quin bonam ſemper in partem ſumitur, eſtque *Demereor* bene de aliquo mereor, Beneficijs mihi aliquem obſtringo. Nuſquam magnificentiùs tractatum id Verbum reperies, quàm apud Octauium Ferrarium Elogio hic ſubſcripto.

DCLXXXIX.

IOANNI. DOMINICO. SALAE. Medicorum praeſtantiſſimo, Qui antiqua Artis miracula reuocans, non ſemel fugientes Animas repreſſit, membriſque ſuis haerere compulit: Et ad DEMERENDOS laude poſtera Mortales per ſex, & triginta Annos Salutis arcana florentiſſimo Gymnaſio euulgans, id plures docuit, quod pene ſolus poterat. Iacobus, & Franciſcus Filij Parenti Opt. non tam Medicae facultatis, quàm Familiae veteris, ac probae Reparatori feliciſſimo PP

Iam ne manans inde Nomen *Demeritum* eadem ſignificatione donemus; nondum enim apud bonos Scriptores contigit obſeruare vſum illius. Vt propterea & negemus ſignificationẽ à vulgo huic Voci attributam, & eam quidem à Verbo aliquando deriuatam.

MAIOR DOMVS

Membrum XXXIII.

HVic Miniſterio ſignificando, qui munditiem ſermonis conſectantur, expuncta Voce *Maior Domus*, ſubſtituunt illam *Praefectus Domus*, exemplo Suetonij in Gal. Non tamen hoc ſatis, vbi gemina eſt, & varia Praefectura. Namque in Aula Summi Pontificis eſt, qui vulgò *Maior Domus*, & qui *Magiſter Domus*, Maiori illi ſubiectus; hoc tamen repugnat vſui veterum, apud quos Magiſter non patiebatur ſubeſſe alteri in eodem magiſterio. Ita Magiſtro Equitum ſumma erat in Equites poteſtas: id fere Magiſtro Libellorum, Epiſtolarum, Sacrarum Cognitionum, Puerorum, Memoriae &c. In Aula quoque Etruſca Sereniſs. Magni Ducis triplex numeratur gradus, ſcilicet Maior Domus, cui ſubeſt Magiſter Domus, & praeeſt Maior Domus maior; haec autem prouincia omnium eſt honeſtiſſima in Aulicis. Iam in Aula Pontificia ita duo illa miniſteria diſtinguere erit, vt *Maiorem Domus* reddamus Latinè Domus Praefectum; *Magiſtrum* verò *Domus* Oeconomum. In Aula Etruſca ſupremus erit Aulae Magiſter; proximus gradus Domus Praefectus; Poſtremus Oeconomus.

Percommodè cadit hic obſeruatio Voſſij de Vitijs ſerm. de barbaro quorundam vſu, appellandi *Maiorem Ciuitatis*, pro eo, qui regimen in Ciuitate obtinet. Nam ſi neceſſitas in ſermone, aut hiſtoria coegerit, vtendum ſaltem eſt praemunitione, vnde barbariem illam quamminima offenſione aures excipiant. V. g. *Maior (vt vulgus dicit) Ciuitatis*. Citra neceſſitatem erit Princeps, aut Praefectus Ciuitatis. Haud ſecus quem Patres Camaldulenſes Maiorem vocant, eſto Sacri Camaldulenſium Ordinis Antiſtes, aut Praeſul Maximus. Quorum ad exemplum, quae inter ſepta Sacrarum Virginum alicubi eſt *Maioriſſa*, eſto Praefecta, aut, ex Cicerone, Antiſtita (Gellium conſule lib. XIII. cap. XIX.) An verò etiam Sacerdos more veterum, vt eo loco innuit Cicero, & frequenter Virgilius: nequaquam placet: quippe veteribus Virginibus ſacris poteſtas erat operandi ſacris, noſtratibus autem interdicitur operari, arceturque ſequior ſexus ab Altaris miniſterio.

MATERIALE

Membrum XXXIV.

IN aedificijs, quà materia conſideratur, id Latinè haud dixeris *Materiale*, nempè nulli boni ſeculi Scriptoris voce vſitata. Nouata verò deprehenditur obtinente barbarie, quod ſatis conſtat ex marmore Mediolanenſi ad Diui Stephani, teſte Puccinellio in ſuo Zodiaco, in hoc carmen exarato, quòd vltrà allegamus, quia quàm horridum ſtylo eſt, tam ſpirans pietatis, videlicet,

DCLXXXX.

Flamma vorax priſci conſumpſit culmina Templi,
Quod ſpecie formae nulli cedebat in Orbe
Temporibus multis fuerat decus iſtius Vrbis
Omne manufactum recipit poſt tempora caſum
Corruit omnino collapſum ſurgit ab imo,
Sed primi cultum nequit aequiparare ſecundum
Plebs ſpectando time: Peccatum cauſa ruinae
Te prius aedifices, tũc *MATERIALE *reformes,*
Sic Templum Domini placet illi fabrica Templi
An. Dominicae Incarnat. MLXXV. Indict. XIII Kal. April. Feria II

Pro *Materiale* autem repones *Materiatum*, ita namque loquitur Cicero III. off. Aedes vocans malè materiatas, quae ex mala, & improba materia ſunt confectae.

Reclamet hic, licet, Conradus de Copia Lat. Ser. lib. II. num. XXVI. vbi nouandi nomina in *alis* finita copioſam venam conatur detegere: increpans quaſi ſuperſtitioſos, qui contaminari putant his vocibus antiquum illum nitorem Latinitatis, omnemque auertens inſolentiae ſuſpicionem. Id quidem rectè, vbi vrget neceſſitas, & quibus quid exprimatur, adhuc deſiderauit Antiquitas. At hic ex aureo vſque ſeculo praeſto eſt Cicerone probante vocabulum.

ELOGII

ELOGII PERSPICVITAS LIBER III.

PROLVSIO.

PErſpicuitatem Venuſtas non ſecus, ac ſuum, in quo benè ſpectetur, lumen poſtulat. Nam ſi ex Tullio *Narratio obſcura totam obcaecat orationem*, quid (cedo) venuſtatis Elogium referet, ſi fuerit imperceptum? Certè rerum formas, ſpecies, colores, & ſi quod eſt aliud elegans in Natura, vna indicat lux, & commendat. Tolle lucem, nil vſquam parebit formoſum, ipſumque è Mundo Mundum ſuſtuleris. Sic planè in rem noſtram. Conde intelligentiae obſcurioris Elogium: etſi omnes eò congeſſeris Lepores, omnes Veneres, caecultet illud, & caliget, neceſſe eſt. Id meritò fuit tanti Epicuro, vt libro de Oratoria ſcriberet (Laërtio teſte in eius Vita) *Nulli rei magis eſſe ſtudendum, quàm orationis perſpicuitati*. Lucianus autem, vt obſcuri ſermonis ſectatores ad ſanitatem reuocet, Dialogum inſtituit, quo Lexiphanem quendam recitantem obſcuritate affectata ad riſum adſtantium primùm, tùm ad nauſeam, Pharmaco propinato per Siſipolim Medicum euomere cogit abſurditatem illam locutionis, ac ſanatum praemunit in poſterum Antipharmaco grauis illius moniti: *Praecipuè autem* (inquiens) *Gratijs, & PERSPICVITATI ſacrifica, à quibus pluſquam nimis à tergo relictus es: Faſtus autem, & iactantia, & mala iſta ſcribendi cupiditas; praetereà & tumidum iſtud, atque inſolentem te gerere, verbaque plus aequo dilatare procul abſit; & acerbum illud irridere aliorum ſcripta, & putare, quod tùm demùm primus ipſe futurus ſis, vbi aliorum omnium verba, & orationes calumnioſè reprehenderis* &c. Dignuſque omninò videtur Dialogus, qui totus perlegatur; adeo non vitium modò ipſum delineat, quod hic nos quidem vrgemus; ſed ingenium quoque, & mores eo morbi laborantium; vt, ſi ſemet ita inſpexerint, nae ij horrore correpti illicò ad bonam frugem ſe recipiant. Notat autem Lucianus verba Antiquata, Diſtorta, Peregrina, quae (inquit) conſuetam, atque receptam monetam ſermonis adulterant. Verùm de his ſuo loco.

Vehementiùs rem inculcat Quintilianus Inſt. Orat. lib. II. cap. III. An protinus Praeceptore optimo ſit vtendum. *Quid ſi* (inquit) *plerumque accidit, vt faciliora ſint ad intelligendum, & lucidiora multò, quae à doctiſſimo quoque dicuntur? Nam & PRIMA EST ELOQVENTIAE VIRTVS PERSPICVITAS, & quò quiſque ingenio minus valet, hòc ſe magis attollere, & dilatare conatur. Vt ſtatura breues, in digitos eriguntur, & plura infirmi minantur. Nam tumidos, & corruptos, & tinnulos, & quocunque alio cacozeliae genere peccantes certum habeo non virium, ſed infirmitatis vitio laborare. Vt corpora non robore, ſed valetudine inflantur; & recto itinere lapſi plerumque diuertunt. Erit ergo OBSCVRIOR etiam, quò quiſque DETERIOR*. Vtque planior fiat hoc loco ſenſus Quintiliani, Quid ſit Cacozelia, audire ab ipſo oportet lib. VIII. cap. III. De ornatu: *Eſt autem* (ait) κακόζηλον *vtique falſum, etiamſi non omne falſum κακόζηλον; vt cùm dicitur aliter, quàm ſe Natura habet, & quàm oportet, & quàm ſat eſt*. Peruerſum ergo dicatur, neceſſe eſt, inſtitutum huiuſmodi hominum, & inimica rationi oratio, vt quae Naturae impugnat leges. *Quid enim?* (ſubderet hìc Hadrianus Cardinalis Epiſt. de Serm. Lat.) *Quid deteſtabilius, quàm id, quod omnium praeſtantiſſimum à Natura accepimus, & quo ſolo à caeteris animalibus differimus, ita corrumpere, ac deformare, vt iam neque effectum ampliùs ſuum habeat* (*quem enim moueant, aut doceant non intellecta?*) *neque ad id adhiberi queat, ad quod ab initio comparatum eſt*.

Hoc vitium Obſcuritatis quàm foedum haberetur, cui in ſumma potentia minimum fuiſ-

ſet laudem Eloquentis promereri, probat Suetonius in Auguſto: *Genus* (aiens) *Eloquentiae ſecutus eſt elegans, & temperatum, vitatis ſententiarum ineptijs, atque inconcinnitate, & RECONDITORVM Verborum, vt ipſe dixit, FOETORIBVS, praecipuamque curam dixit, ſenſum animi quàm APERTISSIME exprimere.*

Nec deeſt his ingenijs cenſura cauillantium Poëtarum in Heracliti perſona, in quem ita ludit Lucretius Carus lib. I.

Heraclitus init, quorum Dux praelia primus
CLARVS OB OBSCVRAM LINGVAM magis inter inaneis
Quamde graueis inter Graios, qui vera requirunt
Omnia enim STOLIDI magis admirantur, amantque
INVERSIS quae ſub VERBIS latitantia cernunt.

Clarus, inquit, *ob obſcuram linguam*, Vide quid hoc Elogij! Id nimirum non ex ipſarum obſcuritate rerum, quae ad orationem redundet, ſed ex verborum quaeſita, & in primis affectata obſcuritate, quoniam Heraclitus (vt de eo teſtatur Tullius III. finib.) quid ipſe diceret, intelligi noluit. Quocirca cùm de induſtria loqueretur obſcurè, Σκοτεινὸς cognomento (vt eſt etiam teſtis Vitruuius lib. II. cap. II.) donatus à Graecis fuit. Ecquid ex his conſectarium eſt, quàm quòd huiuſmodi ingenia ſtolidorum demum capitum fauorem, plauſuſque colligant debitam tali ſtudio mercedem?

Neque praetereundum eſt Rhetoris recentis graue iudicium, Nicolai ſcilicet Cauſſini de Eloquentia Sacra, & Humana lib. II. cap. XXVIII. ſuper Perſpicuitate ſic diſſerentis: *Haec virtus iure prima ſtatuitur ab Hermogene, & maioris eſt momenti, quàm quiſquis putet. Dici non poteſt, quàm multa alioqui induſtriorum hominum ingenia, dum hanc virtutem quaſi plebeiam, atque abiectam deſpiciunt, auia (vt ait ille) Pieridum loca luſtrantes, à limine verae, & germanae eloquentiae aberrent.* In ſumma (vſurpabo illud Quintiliani Oratorem formantis lib. VIII. cap. II.) id eſſe debet Elogiaſtae propoſitum ſtudium inſcribendi perſpicuè; vt, ſi fieri poſſit, in mentem legentis ſententia, vt Sol in oculos, etiamſi in eam non intendatur, incurrat.

Colluſit Princeps Etruſci Parnaſſi Baptiſta Guarinus (aurei illius Auctor Operis: *Il Paſtor Fido*) qui datis literis ad Carolum Boſſium Ordinis noſtri alumnum, cenſuram ſuam rogatus tulit in Argumentum Academicum ex ijs, quae vulgus *Impreſias* vocat: atque vbi eius figuram, ſeu corpus excuſſit, accedens ad alteram partem, ideſt Epigrapham, ſubobſcuram illam notauit: quoniam, inquiens, huiuſmodi ſymbola nata ad vmbram ſunt potius, quàm ad Solem; tu tamen ſi de nocte incedere velis, haud ſanum probo. Amant ea quidem recondita fieri, non obſcura, vt oraculo ſit opus interprete. Hinc quid de aperta Scriptura ſentias, vides: ſi ſymbola penè muta, & quae ex vno aliud volunt intelligi; reſpuunt ea nihilo minus ambages: Et ſententiam velatam exigunt, ipſo tamen velo haud denſo, ſed magis pellucido. Deuelatum ergo Inſcriptionis argumentum eſſe debet, perque ſe ipſum patens: De die incedens, in Sole expoſitum; non vmbris vllis obductum, aut tactum. Extant literae Guarini cum alijs in vnum corpus collectis, editum Venetijs per Io. Bapt. Ciottum An. Sal. MDCXV. in ea parte, quae Officioſas compraehendit.

Iam Elogij Perſpicuitatem tractaturi, ne per caecos feramnr anfractus, placet inſequi facem Theonis Sophiſtae praelucētem in Progymnaſmatis, cuius eſt illud praeceptum: Ἀσαφὴς δὲ γίνεται διήγησις, παρὰ τὴν ἔλλειψιν ὧν ἐχρῆν ἀναγκαίως μνήμην ποιήσασθαι, καὶ παρὰ τὴν τῶν ἀποκεκρυμμένων ἱστοριῶν ἀλληγορίαν. Κατὰ δὲ τὴν λέξιν φυλακτέον τῷ σαφηνίζοντι τὰ ποιητικὰ ὀνόματα λέγειν, καὶ πεποιημένα, καὶ τροπικὰ, καὶ ἀρχαῖα, καὶ ξένα, καὶ ὁμώνυμα. Hoc eſt: *Obſcura autem ſit Narratio propter defectum eorum, quorum oportebat neceſſariò fieri mentionem, & propter abſconditarum hiſtoriarum allegoriam. Secundùm verò locutionem cauendum Perſpicuitatem affectanti, Poëtica nomina dicere, & factitia, & tranſlata, & priſca, & externa, & aequiuoca.* Haec Theon. Porrò membra huius Praecepti ſingula diſcutienda ſunt nobis, vt ad ea, ex quibus conſletur Orationis Perſpicuitas, indicatis priùs, quae obſcuritatem offundunt, commodior fiat acceſſus. Sunt autem Obſcuritatis octo illi quaſi ſcopuli ex Theone. Nimirum I. Defectus Narrationis rerum neceſſariarum. II. Allegoria abſconditarum Hiſtoriarum. III. Poëtica nomina. IV. Factitia. V. Tranſlata. VI. Priſca. VII. Externa. VIII. Aequiuoca.

Membrum

Membrum I.

Primus Obſcuritatis in Oratione Scopulus ex Theone.

PRaetermittendum primò nihil in Narratione neceſſarium, quo res perſpectā fiat. Quamdiù enim aliquid eius latet, haeret animus, nec iudicare quidquam tutus valet. Cuius contrarium efficit rei ad amuſſim expoſitae perſpicuitas, quae à Scaligero in Poët. lib. IV. Cap.I. finitur *Facilitas orationis ad rem intelligendam*. Hoc cùm in omni Inſcriptione vèl ſimplici & pura ſolenne eſſe debet, tùm in ornata, illuſtri, & illa praeſertim, quae Panegyrica dicitur, in qua perpetua eſt exornatio, atque amplificatio. Nam quid abſurdius, quàm ſi theſauros, & gazas inter horrores noctis explices, quò viſus nullus pertingat? Sic ergo ratio poſtulat, tam in re Elogiaſtica, quàm Oratoria, vt non antè rem aggrediaris ornare, atque amplificare, quàm expoſueris. Docet hoc Cicero II. de Orat. *Omnis*, inquiens, *orationis reliquae fons eſt Narratio.* Conſpirat Ariſtoteles III. Rhetor. Cap. XXXIV. *Sunt autem Orationis partes duae. Neceſſe eſt enim rem primò, de qua agitur, exponere: deinde illam argumentis confirmare. Quare nemo vel narrare, niſi poſteà confirmet; vel confirmare, niſi priùs narrauerit, commodè poteſt.* Huius praecepti ſi quaeris exemplum ab Elogiaſta, damus Albertum Elog. de Diui Bonauenturae obitu: *Gregorius* (ait) *Romanus Pontifex audito nuntio dediſſe lachrymas perhibetur* (& mox) *Eccleſia fleuit oculum, caput Orbis.* En primùm Narratiuncula, tùm decòra exornatio per metaphoras binas. Locus alter extat apud eundem Oratori congruentior, quàm Elogiaſtae, (quamquam etiam Elogio ex ijs, quae ſunt Oratoria) quia eſt laxior aliquantò numeris: Elog. ipſo de D. Bonau. num. XIX. XX. XXI. vbi Narrationem ſubſequitur Illuſtratio, Videlicet:

I.

ROMA . CAREBAT . PONTIFICE
ORBIS . CAPITE
TRADITA.VNI.BONAVENTVRAE.COMITIA
ILLI.OMNIVM.DECRETA.SVFFRAGIA
VT . IS . SIT . PONTIFEX . QVEM . ILLE
DECREVERIT.VTIQVE.ETSI.DECREVERIT
SEMETIPSVM

Hactenus Narratio, ſeu rei expoſitio: Deinde Illuſtratio

QVI.DE.SANCTITATE.FERRET SENTENTIAM
TVNC . VNVS. VISVS. IDONEVS. BONAVENTVRA.
VNI.VOTA.COMMISSA.OMNIVM.QVIA
VNVS . EST . SINE . VOTO .
SVI . DVM AXAT IVDEX ESSE . NON POTEST
QVEM . PROSEQVITVR . ODIO .
QVID.HIC.AGES? AN.QVOD.ALIVS.QVISQ.
IN . RE . PRAECIPVE . TANTA . FECISSET ?
ES . CAPVT . ORBIS . SI . VOLES .
VELLE . HAVD . POTERAT . CAPVT . ESSE
DESIERAT CAPVT ESSE.ET VELLE.EX QVO
COEPERAT . OBEDIRE .
PONTIFICIAM . DIGNITATEM
TENES . IN . SINV
PROCVL . TAMEN . A . CORDE .
VENENVM . REPVTAS . TIBI :
HOC. MORI. NEMINI. NON. VOTVM. EST.
NVNQVAM IPSE TIBI IN MENTEM VENISTI
ITA . PROCVL . RECESSERAS A . TE . IPSO.
SI . DE . CREANDIS . PEDIBVS
ACTVM . FVISSET
VTIQVE . ADFVISSES

Adhuc exemplum non minus luculentum Albertus offert eodem Elogio, cuius Narrationem ſuperiori loco ſubtexit in hunc modum:

II.

IN . THEOBALDVM . VICECOMITEM
GREGORIVM . SVBINDE . X. CONSPIRASTI

Mox illuſtrationem

HABERES . IMITATORES . AC . SOCIOS
SI . DE . TE . DECREVISSES .
INVENISTI . QVO . SOLVS . ESSES
VT . GLORIOSIVS . FECERIS . SVPREMVM
REGIMEN . CVM . HABVERIS. DECLINASSE
QVAM . CVM . MERVERIS . ADMISISSE.
INDIGEBAT . QVIDEM . ECCLESIA
TE . PONTIFICE
PLVS.TAMEN ARBITROR.HOC.EXEMPLO
ERIS . ET . AMBIENTIBVS . FRAENVM
ET . NORMA .
COMITIIS BONAVENTVRA
QVI . TVA . PRODIGIA . DESIDERABIT . IN
HOC . OMNIA . ESSE . SCIET

Narrationem porrò illuſtrationi praecedere ita

ſanctum

ſanctum habetur Ariſtoteli, vt is cap. XXXIX. ampliùs ita praecipiat: *Narratio verò in exornationibus non perpetua eſt, ſed in plures partes diſtincta. Nam actiones, & res geſtas commemorare opus eſt, ex quibus omnino conſtituitur.* Quem locum interpretans M. Antonius Maioragius *Actiones*, inquit, *& res geſtae commemorantur, & ſingillatim amplificantur. Ex eis enim tota conſtituitur oratio. Quò fit, vt ſaepiùs narrandum ſit: & quò plures ſunt res geſtae, magiſque diuerſae, eò plures etiam narrationes erunt.* Inſiſtit iiſdem veſtigijs Cicero in Partit. ſic habens: *Conficitur autem genus hoc dictionis* (exornatiuum) *narrandis, exponendiſque factis.* Et paulò poſt: *Nam tota ferè exornandi ratio conſtat ex Narratione, & Amplificatione, vt ex Helenae encomio, & Euagora Iſocratis intelligi poteſt.* Exemplum nos reperimus luculentiſſimum ex recentioribus, ſcilicet *Vitã, & Elogia Ludouici XIII. Regis Chriſtianiſſimi, Petro Labbè è Societ. Ieſu Auctore*: Quae etſi Panegyricam orationem Laconicè dectam referre magis videantur; non diſplicuerit tamen appellare Elogiorum ſeriem filo vitae contextam. Certè ibi eſt obſeruare, vt caeſim narretur, vt deinceps argutijs, & ſalibus ludatur per Elogia ſingillatim (quae ad ſeptem, & triginta trahuntur) vt etiam plures interdum vno in Elogio Narratiunculae ſuis mox illuſtratiunculis adiectis perſtringantur. Ne verò Lectoris ſtudium fraudemus, ſubdimus exemplum recentis Epitaphij in Equum, Auctore Valerio Chimentello Florentino, dignum aere, videlicet:

III

VBERI Perniciſſimi Equi Reliquiae
Feſtinum Te Iubent Viator.
Raptim Lege, Et Curriculo Abi.
In Celebrioribus Italiae Hippodromis Compluries Victor
Dùm Contentiſſimè Fertur, Fracto Crure
Ad Mortem Cucurrit.
Vitae Nimirum Taeduiſſet Deſiturum Currere Si Viueret
Leuem Precare Terram, Cui Ille Numquam Grauis
Currendo Extitit.
Heu Sua Arte Periit, A Quo Tempus Volitare
Mors Momento Repere Didicit
IACOBVS DVX SALVIATVS MOESTISS. HERVS
Cineres Mobilitate Suſpectos
Lapide Cluſit

Ecce narratio gemina cum ſua quaeque ſubiecta illuſtratione. Altera quidem eſt: *VBERI Perniciſſimi Equi Reliquiae*, qua ex narratione deducit argutè, Vt feſtinus ſit Viator, vt raptim legat, vt curriculo abeat: Altera verò: *In Celebrioribus Italiae Hippodromis Compluries Victor Dum Contentiſſime Fertur Fracto Crure Ad Mortem Cucurrit*; Vnde ingenioſè haurit, quae in corpore Epitaphij ad finem vſque habentur.

Conſentimus quidem cũ Cicerone de Orat. citato; ſi nota res eſt, nec ſi dubium, quid geſtum ſit, haud eſſe opus narrari, ac poſſe rebus vix libatis interſeri argutias, inſpergi ſales, ita vt narrationis munus, illuſtrationiſque colludat; quemadmodum ferè procedit Panegyriſtes, de quo Maioragius in Ariſtotelem citatum. *Licet enim* (inquit) *in Demonſtratiuo genere ſit perpetua quaedam narratio rerum laudabilium cum amplificatione; tamen huiuſmodi narratio non poteſt dici pars orationis demonſtratiuae, ſicut iſti volunt* &c. Exemplum haud obſcurum dat Iuglaris Elogio de Chriſto Ieſu LXXIII. Cui titulus: *Queritur ſe deſertum à Patre*, quod ille aggreditur vix libato argumento, notiſſimo quippe, illuſtrare; Videlicet: *Quamdiù tibi Mater adſtat Quid te quereris derelictum à Patre? Plena Deo Maria eſt. Ea praeſente Deus abeſſe non poteſt* &c.

Intereſt tamen, quòd Orator in Exornationibus Narrationem tametſi per partes diſpoſitam, ac ſingillatim amplificatam, magis tamen ab ipſa amplificatione diſpeſcit, quam praeſtet Elogiaſtes, qui, quòd breuitati ſimul ac venu-

ſtati

ſtati ſtudet, induſtria opus habet maiore, quò vtramque ſic corporet, atque temperet quaſi operis textum verſicoloris. Quod quidem non eſſe cuiuslibet vèl amoeni ingenij, indicat ex corruptela ſui temporis Quintilianus lib. IV. Inſtitut. Orat. Cap. II. de Narratione grauiter ita diſſerens: *Maximèque haec* (ideſt Perſpicuitas, Breuitas, Probabilitas, tres Narrationis virtutes) *in ea parte cuſtodienda ſunt, quae prima Iudices docet; in qua ſi acciderit, vt aut non intelligat, aut non meminerit, aut non credat, fruſtrà in reliquis laborabimus*: Et paulò poſt: *Rem indicare ſermonis quotidiani, & in quemcumque etiam indoctiorem cadentis exiſtimant. Cùm interim quod tamquam facilè contemnunt, neſcias, praeſtare minus velint, an poſſint. Neque enim aliud in eloquentia cuncta experti difficilius reperient, quam, quod ſe dicturos fuiſſe omnes putant, poſtquam audierunt, quia non bona iudicant eſſe illa, ſed vera. Tùm autem optimè dicit Orator, cùm videtur vera dicere. At nunc velut campum nacti expoſitionis, hìc potiſſimùm & vocem flectunt, & ceruicem reponunt, & brachiũ in latus iactant, totoque & rerum & verborum, & compoſitionis genere laſciuiunt: deinde id quod ſit monſtro ſimile, placet Actio, Cauſa non intelligitur. Verùm haec omittamus, ne minus gratiae praecipiendo recta, quam offenſae reprehendendo praua mereamur.* Hactenus Quintilianus; Cuiùs quidem cenſura probat, quantum ſibi laudis concilient, qui Perſpicuitatem in Elogio cum amoenitate curant, ſimulque & docent, & delectant: Contrà, quàm monſtroſam in mente ideam gerant noſtrates quidam, praecelſi alioquin ingenij, ac ſummae eruditionis, in quos tamen, cùm ſcribunt Elogia (ſcribunt autem volumina iuſta) facit illud Martialis in Cariſianum

Nil laſciuius eſt Cariſiano
Saturnalibus ambulat togatus

Scilicet horum Elogijs nihil laſciuius, nihil exquiſitius ad amoenitates, ad argutias; ſed eas quidem tenore perpetuo ſic adfectatas, & preſſas, vt vſum narratiunculae, vbi opus eſt, planè ignorent: Cariſiani planè aemulatores, qui ſemper incedebat in Toga, Syntheſi veſte verſicolore in Saturnalibus deferri ſolita, ob rei familiaris inopiam deſtitutus. Ita hi homines, quaſi è ruderibus exeſae vetuſtatis eruta ſint, quae ipſi fabricant Elogia, totos opplent margines ſcholijs, atque gloſſis, quibus particulatim ſententias, velut poſcentia Oedipum aenigmata, & gloſſemata interpretentur, quos egregiè vellicat Quintilianus (lib. VIII. cap. II. Inſt. Orat.) ſic habens: *At peruaſit iam multos iſta perſuaſio, vt id iam demum eleganter, atque exquiſitè dictum putent, quod interpretandum ſit.* Qui etiam lib. I. cap. VI. ſic habuerat: *Oratio verò, cuius ſumma virtus eſt perſpicuitas, quàm ſit vitioſa, ſi egeat interprete?* Cùm ergo ſit Elogiaſtae conſectanda in primis Perſpicuitas, hanc ſeruet legem, oportet, vt ignotis de rebus (ſiue quia nouae, ſiue quia vetuſtate obrutae) narrationem inſtituat, preſſiorem illam quidem multò, quàm ſoleat Orator, neque inelegantem; puram tamen, & nitidam ad Lectoris docilitatem: Mox flores fundat ad expolitionem, & ſales pro Elogij decoro conquirat: Atque id, vti diximus, ſiue vniuerſim, ſi res ſimplex; ſeu particulatim, ſi multiplex. Neque verò tota ſemper praeſtruenda Narratio eſt, ſed argutijs interdum praeuijs ita ineunda, vt quà narrando, quà illuſtrando Perſpicuitas ornatum, ornatus Perſpicuitatem fulciat. Quo in genere feliciſſimus ſuſpectus eſt Iuglaris, Cuius haec damus ſpecimina: Elogio XLIX. de Iuda cum facibus, & laternis Chriſtum Dominum adeunte, vt proderet. *Nae tu planè caecus es Iuda, qui cum laternis & facibus Solem quaeras. Tribus Erebi Furijs addidiſti te Quartam. Habes & tu tedas tuas, quibus Mundi lucem non augeas, ſed extinguas. Hac pompa luminum Funus tuum deducis mortuus Deo* &c. Et Elogio LXXV. cui titulus *Mortuo tota parentat Natura*, ſic habet: *Noctem hanc ne ſomno natam putares, Corpora, quae dormierant, ſurrexerunt. Peracta tragoedia ſua Deus lumina ſubtrahit Non vltrà ſpectatoribus profutura. Ex orcheſtra tantus Actor egrediens Vèl à ſaxis plauſum extorquet. Ambierant omnia nouum hoſpitem monumenta. Ad hoc aperta ſunt. Et quia conſortes illum nolle praenouerant; Mortuos, quos acceperant, eiecerunt.* &c. Expende hìc quàm argutè ad narrationem, & eam quadruplicem praeludat illuſtratio.

Interdum diſpertienda narratio, vt eius primùm pars afferatur, tùm illuſtratio ad reliquam Narrationis partem aditum faciat. Hoc feliciter perfecit Albertus de Diuo Antonio, Elog. I. num. XVIII. vbi ipſum è cauea eremi ingredientem

rem ſepulcrum ita deſcribit : *Erat ſepulcro proxima cauea. Hic, ait, Erit gymnaſium vitae, vbi mortis eſt cathedra. Nec vſpiam tutiùs viuitur, Quàm in cinere. Igitur viuus ſepulcro conditus: Si tamen viuus, qui toties iam obierat. Viuere cœpit in tumulo, & fragrare. Extra tumulum olebat ſibi ipſe grauiter Vt cadauer.* Ecce hic inita narratio : *Erat ſepulcro proxima cauea*, cui ſuccedens illuſtratio inſinuauit reliquam dictionem ibi : *Igitur viuus ſepulcro conditus* : Inde rurſus illuſtratio.

Porrò hiſtoriale Elogium, ſi modò poſteritati ipſe ſtudueris, nequaquam eſſe debebit contentum praeſenti conſuetudine loquendi, cùm pòſt voluentibus ſeculis, ac ſeneſcentibus ipſe quoque rerum ac temporum vſus exoleſcat. Ita niſi Interpretum ope, qui veteres memorias obſtinata inquiſitione eruderent, Inſcriptionum notitiam poſteri aſſequentur. Profero in argumentum Epitaphium vetus repertum Parmae, cuius meminit Hieronymus Mercurialis de Arte Gymnaſtica lib. III. Cap. XII. & citatur à Grutero pag. DXIX. num. 3.

IV.

D . M

L . AEMILI . VICTORIS
QVI . PRIDIE . NATALEM . SVVM
VICESIMVM . ET . SECVNDVM
PRVNA. IN . PENSILI . POSITA . VR
GENTE . FATO . SANVM . IPSE
NECAVIT SE . L . AEMILIVS
VICTOR. PRINCIPALIS . ET. AELIA
VENERIO . FILIO . PIENTISSIMO
ET . SIBI

Quo loco quid ſit *pruna in penſili poſita*, haudquaquam exploratum habebit, niſi qui repetat deſuetam noſtris temporibus exercitationem priſcorum gratia valetudinis, ac voluptatis in penſilibus lectis, & balneis (de qua Plinius lib. XXVI. cap. III.) ab Aſclepiade excogitatam, à Galeno autem, Herodoto Medico, Aetio, Auicenna commendatam. Itaque haud damnandus videtur Auctor eius Epitaphij : Admonendus quidem Elogiaſtes, vt in rebus ſui temporis exponendis, ſi modò aeternitatem intendit, obliuioni, atque ignorationi poſteritatis, quoad eius fieri poſſit, conſulat.

Locus hic ſuadere videtur, vt à Cenſoria animaduerſione vindicemus titulum illum Exequiarum Philippi III. Hiſpan. Regis, Mediolani expoſitum in fronte Summi Templi, videlicet:

V.

EXEQVIAS . MOESTISSIMAS . PARENTI . VESTRO
O . CIVES
HVC . VOTA . HVC . LACHRYMAS
QVI . MAGNA . DABAT . HOC . PARVVM . PETIT

Duas namque Ecclipſes (aiebat Cenſor) habet hic titulus : Poſterior dumtaxat tolerabilis. In illo ſiquidem *Huc vota, huc lachrymas*, haud procul eſt fortaſſe, vnde ſuppleas *Afferte*: In altero verò *Exequias moeſtiſſimas* peregrinandum eſt, inquit, vltra Herculis metas, vt verbum, cui innitatur, exquiras. Sed liberior enimuerò caſtigatio, & huida cenſura. Meminiſſe enim oportebat Cenſorem perſimilis loci Ciceroniani ad Poetum lib. IX. Epiſt. XXII. ita ſcribentis: *Ego ſeruo, & ſeruabo (ſic enim aſſueui) Platonis verecundiam. Itaque tectis verbis ea ad te ſcripſi, quae apertiſſimis agunt Stoici : ſed illi etiam crepitus aiunt aequè liberos, ac ructus eſſe oportere. HONOREM igitur KALENDIS MARTIIS. Tu me diliges, & valebis.* Intendenda enim primùm acies in huius loci ſententiam, tùm in compoſitionem verborum, in parte illa : *Honorem igitur Kalendis Martijs.* Conſtat enim, vt ex dicto ſuperiore de ſuae verecundiae ſtudio deducit Cicero, Honorem ſe (ſubintellige) habere voluiſſe Kalendis Martijs, quae nimirum Iunoni, & foeminis dicatae erant. Conſule Paulum Manutium in hunc locum. Verùm Ecclipſeos huiuſce ſupplementum vndenam fuerat petendum? An ex ſuperioribus? minimè, vti patet; nec enim vllum praeceſſerat verbum. Ex ipſa ergo natura phraſeos, & ex vſu communi loquendi. Haud ſecus herclè in propoſito Membro : *Exequias moeſtiſſimas parenti veſtro*, quis non facilè ſubaudiat *celebrate*, aut verbum aliud huiuſmodi ex Latina conſuetudine? Ne tu tamen Momos excites, liberiore Ecclipſi abſtinere curabis, ni fortè putes, quod minimè

nimè damnabimus, eos latratus tibi flocci pendendos, exemplo contentus veterum Latinorum, & obfirmato vſu eruditis notiſſimo; ex quo praeiudicata iſta quaeſtio eſt; videlicet in Funere Indictiuo, ad quod inuitare populum ſolebat Praeco per illam formulam, tametſi vocibus nonnullis ſitum olentibus:

VI.

T. LIVIO . T. F. EXEQVIAS
IRE . QVEIS . COMMODVM . EST . TEMPVS . EST
OLLVS . AEDIBVS . ECFERTVR

Quamquam enim ibi ad Philippi Regis exequias Auctor inuitet Ciues, nec Latinè doctos dumtaxat compellare, ſed vniuerſos promiſcuè videatur; quia tamen compellat Latinè, Latinorum ritum teneat, licebit; nec, ſi quis fortè ſciolus non capiat, quidquam curet.

Reſtat, vt alteram Ecclipſim probandam maximè, ne dum tolerandam indicemus exemplo recente, ac quia poſteriore, aemulo fortè illius, & ad eius imitationem eleganter expreſſo. Eſt enim inuitamentum ad funus Iſabellae Reginae Hiſpaniarum, quod item pependit in fronte Templi Maximi Mediolani anno MDC XLIV., Auctore ex Societate Ieſu, quemadmodum ſuperius ad funus Philippi Soceri, videlicet:

VII.

SISTE . CIVIS . INGRESSVRO . PAVCA
I S A B E L L A E
PARENTAT . HIC . AMOR . ET . PIETAS
VTRIQVE . LACRYMIS . AC . VOTIS . OPVS
SI . AMAS . HVC . LACRYMAS
SI . PIVS . ET . VOTA

Nihil certè aut ad perſpicuitatem hoc liquidiùs, aut preſſiùs ad breuitatem: vbi ipſa Eccliпſis cum decore lucem adiungit.

Membrum II.

Secundus Obſcuritatis in oratione Scopulus ex Theone.

CAecas locorum latebras vtique praeuia face luſtramus. Facis verò appellationem non ineptè Tropis attribuas, quos lumina orationis, & gemmas ſcitè vocant eruditi. Atqui Allegoriae, quae Troporum eſt Princeps, facem accendere nequaquam valet Hiſtoria, ſi fuerit obſcura, aut minùs nota. Obſcuram interpretare, quibus Elogium, quae eſt res nobis propoſita, legendum exhibetur. Fieri ſiquidem poteſt, vt, cuius hodie narratio trita eſt, atque vulgata, ſucceſſu temporum longo abolente peregrina reddatur, atque idcirco interpretes ſibi quaerat, & notas. Hìc verò exigo ab Elogiaſta prudentiam, vti legentium habeat rationem. Nam vbi eruditis ſolùm inſeruit, memorias rerum plures enarratione perſequi commodè ſuperſederit, libauiſſe contentus: Rudibus autem, vel etiam promiſcuae multitudini, niſi in vulgaribus, omninò narrandum, breuitate quidem quàm collectiſſima, ſed ea perſpicua. Atque de vulgaribus ipſis ſic ſtatuere videtur nobis: Si exponendum ſit Elogium eo tantùm loci, vbi illa notitia vulgata habetur, rem & factum curſim tangi oportere: Sin alias in terras tranſmittendum (quod ferè de Elogijs accidit & huiuſmodi amoenis ſcriptis) rem aut impoſito titulo comprehendi totam, aut appoſitis membratim narratiunculis in margine declarari. Quare immeritò perſtringit neſcio quis Iuglarem, quòd Elogium ſuum, cui titulus *AMORI LVCENSIVM CRVCIFIXO TRIBVTVM*; concionatorem ſacrum tùnc

agens in Vrbe Luca, in gratiam religioſae ciuitatis conſcriptum, pòſt exoratus ab exteris putauerit ſibi eſſe dilucidandum appoſititijs notis ad marginem. Scilicet ad obſcurum alibi terrarum argumentum cùm eò vocaretur, an poterat citra vitium praetermitti interpretatio? Quod maximè cauere debuit Typographus Genuenſis, dum tanti Elogiaſtae lucubrationes belliſſimè facturũ ſe putans, ſi epitoma perexiguae molis vniuerſas comprehenderet, omiſit notas ſaltem praeſcribere, quas adſcribere margini vetabant pagellarum anguſtiae. Atque hunc ſcopulum idem ipſe vitauit, ſed imprudens in altero Lucenſi Elogio, cui titulum & argumentum admiſit fortè fortuna breuitas paginae, quae in lateribus non ferebat. E re autem noſtra eſt, vt citemus id Elogium, & quidem reiectò ſtudioſè ad calcem titulo illius & argumento, vt inter tenebras, lucemque Lector diſcernat, ſimulque perſpiciat, quanti ſit tandem in Elogio Perſpicuitas. Ita igitur Iuglaris Elogium ingreditur:

VIII.

Lucenſium Terra Vt Quaedam Caeli Pars Eſt
Luciferi alterius perduellione grauata dehiſcit
Et ſcelera malens deglutire, quàm regere
Vbi vni ad inferos, multis ad ſuperos viam pandit
Hiatum quid hunc exhorres Viator?
Nuſquam arctiorem videris ad Erebum ianuam.
Tam multi non intrarent per illam
Niſi apud alios pateret ampliſſima, qnae apud Lucenſes anguſtiſſima eſt.
Periurus Aleator vnà cum induſio humanitatem omnem exutus
Nudum Deum, nudus laceſſit ad luctam
Et VERBVM quod verba non proſternerent, adortus manu
Duritiam ſuam omnem obuio iaculatur in ſaxo
Vrbis ſibi commiſſae muro Filium Maria non paritur excubitorem perire
Quem olim ſubduxerat Herodis gladio Puerum
Laedi ſaxo non vult
Indignum reputans, ſi qui apud Lucenſes vel ipſo
* Crucis * viuebat in ligno
Apud eoſdem ſpectaretur mortuus Matris in gremio.
Omnem igitur miſerationem in laeuam exonerans
Dexteram expedit in vltionem
Et ſe vnam vulneri aperiens, illud è damno lucrum reportat
Quod dato etiam pro Chriſto ſanguine vera Virgo Martyr iam eſt.
Periclitante iam non Dei ſolùm Filio, ſed & Matre
Par fuit iterum ſcindi petras, & monumenta laxari.
Caeli ruentis iras impiata praeuenit tellus
Et quae ſaxum miniſtrauerat culpae, hiatum commodans poenae
Seu hauſtura non iam Abelis ſanguinem, ſed Dei Matris,
Seu in tam execrandam aeternùm declamatura proteruiam
Nunquam claudendum aperit guttur.
Abit in locum ſuum
Non tam Deum fugiens, quàm ſe ipſum Blaſphaemus
Et igneo nudus balneo merſus iam diſcit
Patêre Lucam miſeris ad Aſylum, perditis ad ſepulchrum.
* Fugite Vrbem, in qua Chriſtus * omni regnat in ſolio, Chriſti hoſtes
Sola vos alibi iura, hic ipſa etiam vos puniant Elementa

Solitarium

Solitarium hoc, Lector, inſpexiſti Elogium: Fatere: Caecum vidiſti. Iam dabo titulum Auctoris, & argumentum, quod praemiſſae facis miniſterium ſupplebit obſcuritati tollendae. Priùs tamen Aſteriſcos duos ſtudio noſtro aſſignatos interpretamur, quò pleniorem adhuc intelligentiam aſſequare. Nam per illud *Qui ipſo Crucis viuebat in ligno*, indicatur illa Chriſti imago Auctore Nicodemo viuentis in Cruce, quam imaginem caeleſti olim prodigio acceptam Lucenſes ſumma cum religione cultam aſſeruant in Templo Maximo; & in quam luſit Iuglaris Elogio ſuperiùs memorato. Illo verò *Chriſtus in omni ſolio regnat*, ſignificatur, in omni ſolio Vrbis Lucenſis apparere eiuſdem Chriſti Crucifixi depictam effigiem. En tibi modò Titulum: *Lucenſium pietati pro Deiparae imagine olim ab Aleatore perditiſſimo ſauciata SOLATIVM*. En ſimul Argumentum: *Affixa ſupponitur haec Inſcriptio Lucae in Sacello B. Virginis A Saxo dictae, vbi profundiſſimus adhuc extat hiatus deſcenſuro vix patens homini, quo merſus olim perditiſſimus Aleator, dum ipſiuſmet iacturam induſij aduerſo ſibi imputans Chriſto, eundem Vrbis in muro pictum iacto contriuerat ſaxo; niſi Deipara à dextera in laeuam Filium transferens excepiſſet pro eo vulnus, quod etiam dato ſanguine propalauit*. Relege modò Elogium hac praelucente notitia, quàm fiet perſpicuum, quod antè pene imperceptum!

Placet ſubnectere Franciſcum M. Florentinium, Ciuem Lucenſem, Scriptoremque aetatis noſtrae eruditum. Hic exemplo Iuglariano excitus in hoc ipſum argumentum Elogiaſticè ſcripſit, ac eidem Iuglari nuncupauit elegantiſſimo Epiſtolio. Tu prudens Lector contemplare, quanti is fecerit Perſpicuitatem; vt, qui experimentum hoc ingenij intra fines Patrios concludere, homini longè conſultiſſimo dedicare, ſuper argumento autem vulgari, ac trito deſtinabat; nihilo tamen minùs praemuniendum eſſe putauerit Titulo, indice rei luculentiſſimo, videlicet:

Ad Aram Virginis
Saxo in vetuſtiſſima Icone cruentatae, ac proxima voragine vindicatae
ORANTIBVS MONITVM

IX.

Barathro immines, Viator. Gradum ſuſtine
Et in apertis adhuc Erebi faucibus tumulatum
Blaſphemum Aleatorem exhorre.
Hic iacta in aeternum alea decoctor perditns
De calculis demiſſus ad lapides
Lapideum in corde reliquum abiuratae pietatis igniculum
Vnica etiam dilapidauit in ſilice.
Nequiſſimus nimirum perduellis colluſori Satanae foederatus
Dum Chriſto ſaxa magis obtrudit, quàm exhibet
Pro Lucenſibus in Deipara Stationarium
Aggreditur ſaxo de murorum pinnaculis deturbare.
Communem deſignata Mater ad ictum
Dexterum in pectore vulnus Filio geſtiens praeguſtare
Reſeruatam in dextera mucronibus prolem
Repente ſubducit in laeuam.
Directè Iuſtitiae Solem videres illapſum in Virginem
Prodigioſè ſubitò in Leonem retrogradi
Et ſiccatis irato Deo clementiae fontibus Terram in hiatus diſcindi.
Saturatus vtique iam opprobrijs
Lapide petitus vt Canis
In durum contumeliae genus mitiſſimus Agnus exarſit

Ac

Ac voluntarios beneficentiae fructus
Praetereuntibus elargiri ſuetus Caeleſtis Agricola
Acerbiorem, ex vbere nempe Virginis, ſanguinem
Excuti lapidibus indignatur.
Vt qui proprias ferre iniurias placidiſſimè aſſolet
* Concluſo impunè inſultari non ſufferat * Horto ſuo.
Senſit irati Numinis poenam diſciſſa tellus
Et quae ſaxum piaculo dedit
Abominandum ſceleſti capitis ferculum cogitur deglutire.
Hinc diducta telluris latera turpiſſimo foedata contactu
In ſe mutuò renuentia recurrere
Metuendas Orci formantur in fauces
* Adeſt tamen Erebi caput * conterere aſſueta MARIA
Et qua DEVM expedita dextera ſuſtinuerat
Adaperta iam penitùs compreſſiſſet, & guttura
Ni viam blaſphemis tantùm hactenùs peruiam
Arctare magis ad exemplum putaſſet, quàm obſtipare.
Vbique facilem, Viator, time deſcenſum Auerni
Nullibi anguſtiorem inuenies, quàm propè Virginem.

Quia verò vt in moribus, ita in literis, quae ſunt in ſummis Viris virtutes, trahimus peruerſis ſtudijs ad noſtra vitia: Et Iuglarem quidem Elogiattarum facilè principem non rectè quidam interpretantes, putant extremam inducere lineam ſuis Elogijs, ſi totos margines notis occupent clarandis obſcuris locis: commonendum te, ſtudioſe Lector, putamus, vt, qui laudem affectas Elogiaticam, ne ſinas errorem huiuſmodi in mentem irrepere tuam: quin magis quidquid aperiendae ſententiae, & rebus exprimendis ad captum legentium exterorum, poſterorumque neceſſum eſſe duxeris, id totum inſeras in ipſo Elogij corpore, ſeruato etiam (quod de facili ſuccedet, ſi aduertes) praeſcripto Breuitatis. Ne verò traharis exemplo nuperrimi Elogiaſtae, qui Elogium meditans Poſteritati deſtinandum (nam & praefatus Poſteritati ipſi nuncupat) maluit fatigare notis margines, quàm ſuis quaſque res locis diſponens liberum legenti curſum remittere; hoc ampliùs, quod *Elogium* inſcripſit, ſeu *Hiſtoriae compendium*. Quid autem rationi minùs conſonum, quàm caecam proferre hiſtoriam, adſcititijs luminibus indigentem?

Iam hiſtoriae omnibus notiſſimae, qui vèl tantulùm Latinè ſunt aſperſi, exemplum promimus ex Emanuele Theſauro in Elogijs Nouae Aetatis de Diuo Ioſepho Sponſo Deiparae, cui titulus eſt *TITVLI*. *Nec minor Dauide Ioſephus. Auitum Regnum gerit in officina. Stant illi ſua Imperij ſigna Fabriles ſecures, & Lignei faſces, Quos puer alligat.* Anteà ſiquidem Fabrum lignarium deſcripſit, & genere ortum Dauidis Regis. Quis autem ignoret, inſignia Imperij in Conſulatu extitiſſe Faſces ac Secures? Itaque Allegoriam hanc Tyronibus in Latinitate adducere ſine vitio obſcuritatis potuit. Illa verò aliquantò prouectioribus, Eodem ipſo Elogio: *Fortunatum coniugium, Cui dexter Ales Angelus*, ideſt bonum auſpicium fecit Angelus, alluſione ad Ethnicorum auguria ex opinione Barbarorum. Similiter qui ſacros Codices ſemel inſpexerunt, facilè ex Geneſi allegoriam percipient, quam Theſaurus itidem profert eo ipſo Elogio de Mariae Sponſo: *Iugalia haec vincula nihil ſtrinxere praeter animos: Nec vltra amorem iuere amantium vota. Non nouum Ioſepho Dominae nolle miſceri.* Quis autem Poëſeos elementa dumtaxat imbibit ex Virgiliana Aeneide non ſtatim attingit Allegoriam illam in Ethopeia de Mantuano excidio, aetate noſtro facto: *Steti tot menſibus, quot annis Ilium: Et adhuc ſtarem, ſi foederatorum copijs inſtructus, mucronibus inſidiantium obſtitiſſet Hector meus.* Cui Allegoriae aditum fecerat ſuperiùs dicens: *Reuiuiſcant ſaltem, & heroico gemitu defleat Vates meus Troiae recentioris incendium. Vlyſſem dedit Saba udia*

baudia, Liguria Achillem, Aiacem Forum Iulij, Helenam ego ipſa ruinis meis. Nec deſuit ſcelerum calcar Calchas doloſus . . . . qui me nefando . . . . . tumulo conſuluit immolandam.

Pona quoque eruditis ingenijs Elogia exhibens Caeſarum, percipi haud difficulter potuit ex notiſſima hiſtoria ludens in Tiberio: *Similis Aeſchilo caluitie diſſimilia inuenit fata: Reuerita eſt Aquila Imperium, non Imperantem.* Nimirum trita mors eſt Aeſchili ex Aquila teſtudinem ſupernè dimittente in eius caput, rata fortaſſe ſaxum glabrum, quod illa referebat caluities. Non piget Elogium totum inſerere, Auctore nobis incerto, Elegantiſſimum, quamuis in truci argumento; hiſtoria autem Aulicis notiſſima, Videlicet:

X.

Heu rerum vices
GALLICVM SEIANVM
Regno propinquum, Regi proximum
Poenitens aut fatigata
Fortuna deſtituit. Principum inuidiae
Victima mactatur.
Vt ſacer Homo ſaginatus publico
Galliam expiet.
Ferrum expertus, malè qui concupiuit aurum
Regnum qui viuus
In partes ſecauit, Mortuus ſecatur
In fruſta
Aequiùs, an immaniùs?
Diris ſibilis, inclamationibus Plebs
Furens iuſta fecit
Tracto, Diſcerpto
Nuſquam, aut Vbique ſepulto.
Heu quàm diſſimili
Exitu clauditur Aulicorum fabula
O rerum vices
O fata!

De Seiani primùm potentia, tùm triſti exitu celebris memoria extat apud Suetonium in Tiberio. Accipe breuiorem Epigrapham, nec ſuperiore minùs magnificam, Mediolani noſtro expoſitam ſeculo:

XI.

KAROLI . V. IMP. VIRTVS . INCOGNITAS . TERRAS
OCEANVMQVE
PHILIPPI . II. IMPERIO . SVBIECIT
VT . ALEXANDRO . MAGNO
LONGE . MAIOR . PHILIPPVS . IVNIOR
VNIVS . MVNDI . NON . CAPERETVR
ANGVSTIIS

Nulli ſiquidem non decantatur tùm de Philippo Macedone Regni amplificatore, tùm Alexandri filij libidine dominandi, maeroreque concepto ob Orbem vnum à ſe vix occupatum, cum extare plures audiret. Quare ſubobſcura videri poteſt Allegoria Epitaphij Ferrarienſis ad Sancti Spiritus, mediocriter nimirum eruditis aegrè percepta: Videlicet.

XII.

Franciſco Calcetto Claro I. C.
Qui in Forenſi ſtadio magnis opibus liber
Innocentiae, & Gloriae ſuſcepit triumphum
Qui Doctor & Orator celebris
Haſtatus, ſeu Triarius miles Togatas duxit victorias
Inde fuſo per Italiam nomine
Conſilio, Reſponſis priſca aemulatus oracula
Excuſſo carnis iugo ad Caeli libertatem euolauit
Indicem lapidem merito patruo Carolus poſuit
Anno funebri MDCXXXIV

Nam

Nam quis fuerit Haſtatus, quis Triarius in Romana militia praenoſcere eſt opus, tum ad propoſitum argumentum accommodare, vt ſenſus deprehendatur.

Iuglaris autem planè mirus Elogio de Chriſto Ieſu LXXIX. cui titulus EPITAPHIVM SEPVLTO, Vbi Hiſtoriam eruditis notam citra narrationem ſic tractat, vt ineruditis quoque fiat nota Allegoria. *Felleis* inquit *lautitijs Vſque ad horam nonam meridiatus, Praecipitato in noctem die, Ne Sibaritam crederes, ſi ſomno ſe daret ante Solem; Auerſatus vbique mollitiem, Saxeo ſopitus in ſtrato recubuit.* Ex quo quidem nutu facilè inſcius quiſque coniectat Sybaritarum delicias, luxum, mollitiem, perinde quaſi Elogiaſta narrationem inſtituiſſet conſuetudinis & morum eius gentis. Non abſimilis eſt Allegoria Emanuelis Theſauri, qui Elogijs de Aetatibus Mundi finem facit alloquens Chriſtum Ieſum, in quem & illud poſtremum ſcribit, aienſque: *Hic feſtiuo celeuſmate Stationem occupans, Foliorum carbaſa complico: Et pro Anchora emeritum calamum figo Anno tuo MDCXXXIV.* Qua certè Allegoria nihil clarius ad intelligentiam imperitis licet rei maritimae.

Hùc ſpectat Tractatio propoſitionis ſubobſcurae, cui ſuccedere poſtulat fax Expoſitionis, vt egregiè perfecit Theſaurus Elogio de Chriſto Dei, ac Virginis Filio: *Matris annos in proauis numeraturus, Trium & ſexaginta Patriarcharum ſtemma claudis.* Nam quis aſſequi poſſet audito principio numerum annorum Matris in proauis, niſi mox ſequentia expreſſiſſet? Ibidem in illa propoſitione: *Tu temporum meta*, cuius latentem ſententiam illicò aperit ſubdens: *Summo Solſtitio, nocte media, anno extremo natus, Solis fugam, vmbrarum incrementa, anni lapſum inhibuiſti*: Hae namque conditiones temporis, quo natus in humanis eſt Chriſtus Ieſus, ipſum denunciant Temporum metam. Sic Pona Elogio de Caeſare Iulio: *Saeuus ab vtero*, quam poſitionem ſtatim illuſtrat: *Quo non niſi caeſo erupit lethalis genitrici vipera.* Et de Tiberio: *Suorum nox ſcelerum, Aeterni Solis aſpexit lumen, Redemptionis acceſſum.* Nam quis ille Sol aeternus aſpectus ſit, exponit, Redemptionis acceſsum, per mortem Chriſti, Tiberio Auguſto Regnante.

Membrum III.

Propagatur Theonis praeceptum de Allegoriae obſcuritate

Ad Hiſtoriam Naturalem, Fabulam, Adagium, Auctoritatem.

Hiſtoriae, ex qua quomodo Allegoriam peti oporteat, hactenus demonſtrauimus, ſunt veluti traduces Naturalis Hiſtoria, Fabula, Adagium, Auctoritas. Notitiam ergo haec quoque poſtulant, quò ſalua ſit in alluſione Perſpicuitas.

Ex Naturali Hiſtoria prompſit allegoriam Franciſcus Pona in fine ſuperioris membri citatus, de Iulio Caeſare, qui cùm in lucem erupeｒit caeſo matris vtero, meritò praedicatur *lethalis Genitrici Vipera*: Quem enim hominum lateat catuli viperini proprietas è ſciſſo vtero perempta matre naſcentis? Effectus quoque naturales Planetarum in hominis vitam ab Aſtrologis vulgò traditi praebuere argumentum Elogio Auctoris incerti in Triuultium Sacri Rom. Imperij Principem, pòſt etiam S. R. E. Card. atque Apoſtolicum Legatum, videlicet:

XIII.

THEODORVM TRIVVLTIVM
Vraniae delicias
Sidera vniuerſa decorarunt
Opibus SATVRNVS & Potentia
Religione IVPITER & Purpura
Fortitudine MARS & Militari gloria
Magnanimitdte PHOEBVS & Principatu
Comitate VENVS & pulchra Prole
Ingenio MERCVRIVS & Facundia
Varijs LVNA incrementis &
LEGATIONE
Tot illuſtratus ſplendoribus
Aethera tandem colluſtraturus
Orbi diù vt affulgeat
Diù Viuat, Viuat Diù

Amoenior

Amoenior redditur allegoria virginis temeratae in Ethopeia ſuprà allegata de excidio Mantuano, vbi poſt exordiolum ita proximè ſuccedit: *Illa ego fatidicae Mantus Nepos, Ochni filia, Maronis parens, Formoſa quondam, Potens, Celebris, Illibata : Nunc rigens cladibus, euerſa ſpiritu, plena funeribus, laſſata viris, DefloRata, Deplorata, Compreſſi cordis effundo reliquias, Et fractum Eugium fractis oculis ingemiſco* &c. Eſt enim propria, & naturalis defloratae pudicitiae fractura eugij ex vulgari opinione.

Prolixam, ac frequentatam Allegoriam à re Naturali, ideſt à procella maritima habes in Elogio Theſauri de SS. Bapanthero Pantheri filio, ac Iacobo Mathani filio, cui titulus: *NAVFRAGIVM*, trahiturque perpetuo filo rei nauticae, & nauis naufragae ſinceriſſima cum Perſpicuitate ad vulgi rudis intelligentiam.

Huic placito fauent, qui de Symbolo Academico praecipiunt, Quale, quibus ex Poëtis decerpendum ſit, lemma eidem praefigendum. Ex celebrioribus, aientes, poëtis: Lemma verò non truncum ac mutilum; ſed ſi Monoſtichon vti prolixum non admittitur; ſit certè hemiſtichion, ſenſu haud obſcuro, vt vel verbis ipſis expreſſis comprehendatur, vel ſubintellectis conſequentibus inſinuetur: Cuiuſmodi in illo *DVRATE*, quod continuò vel tyronibus in lectione Virgiliana ſuggerit reliquum carminis ex Aeneidos lib. I.

DVRATE, & voſmet rebus ſeruate ſecundis. Fabula verò non ſecus atque Hiſtoria Allegoriam conſtituit. Nam non minùs enarratur figmentum, quà tale putatur, quàm ſi verum factum. Habet & fabula ſuam veritatem ſub commenti cortice latentem, ac dulci, quod ſapit illa narratio, miſcet vtile, formatque faciliùs hominum mores, praecipuè adoleſcentum. Amat itaque fabula eſſe nota nihilo minùs, quã Hiſtoria, vt inde Allegoria reddatur perſpicua. Notiſſima, vulgatiſſimaque ex fabula, de Parcis humanae vitae ſtamina tractantibus, ducta eſt vetus Inſcriptio apud Gruterum, inter ſpurias allegata, pag. X. num. 7.

XIV.

L. CORN. LEG
SVB. FAB. COS. VIVIDAM
NATVRAM. ET. VIRIL
ANIMV. SERVAVI
QVOAD. ANIM. EFFL
TAND. DESERT
OPE. MEDICOR. ET
AESCVLAPII. DEI
INGRATI. CVI. ME. VOVERAM
SODALEM. PERP
FVTVR. SI. FILA
ALIQVANTVLVM. OPTATA
PROTVLISSET
L. FAB. COS. HEIC
ME. CONDD

Vt ex recentibus exempla aliqua adducamus, peruagata plurimùm eſt fabula, ex qua luſit Theſaurus Elogio de S. Ioſepho almae Virginis Sponſo: *Vnica haec Hymenaei teda fumo caruit, Virgineo candore non denigrato.* Ita Hymen habitus in veterum figmentis Deus, Praeſes nuptiarum in ipſis quoquè triuijs hodie Mediolani à plebe decantatur voce corrupta, ac ſenſu idcirco impercepto: *All'Aminè*, quotiès in conſpectu contingit traduci ſponſam ad virum. Nec illa quidem peregrina fabula eruditis, in quorum gratiã prodijt nuper memorata Ethopeia de Mantuano excidio: *Quid non immoderatè lugeam, ſi me ſub Heliadum oculis certatim lachrymis grauidarunt Iſter, Renus, Iberus.* Scilicet ad Padum flumen, vbi adiacet Mantua, Heliadas Phaëtontis mortem inſolabiliter flentes, verſas in populos arbores helectrum lachrymantes, comminiſcuntur Poëtae.

Contrà verò vix tueri poteris ab obtrectatoribus expoſitam populo (non tantùm doctis, quia in publica populi ſupplicatione) Mediolanenſem tabulam palmaribus literis ex Romanarum dignitate: Cuius quidem Auctorem, quiſquis ille fuerit, fuiſſe conſtat eruditum; En ipſam:

X V.

Quod olim auertendae peſtilentiae
Deſodiebantur ſimulacra magicis praecantata carminibus
Nunc ſaniore voto, ac conſecratione
Quod reliquum ſanctiſſimae mentis ſimulacrum
Ecfertur
Non Inferni Charontis erecta ſtatua
Sed Caroli mortalibus exuuijs
Ad morbi pertinaciam flectendam circumlatis.
Actum de te Vrbs eſt
Niſi Diuinus hic Vlyſſes
Orienti Solis noxis tuis infenſo
Non Hecatombis, ſed precibus
Lethales ſagittas excuſſerit

Opus hic fuerit, qui populo enarraret fabellam hanc de Vlyſſe, non ſatis expoſitam.

Illa enimuerò vel nota ineruditis fabula; vel ſi ignota, clareſcit ſatis ex ipſo attextu in Epigrapha, quae fontem exornat in Auguſtali Florentino, Franciſco Rondinello Auctore amoeniſſimo, videlicet:

X V I.

Ad Fontem tenui vnda pellucidum Hoſpes accede
Curas edaces, quae cor ſauciant, pone.
Naiadum pulcherrima loci cuſtos
Vultuoſos, Inuidos, & omnia adunco naſo ſuſpendentes
Procul arcet
Hilares, Candidos, & amara lento riſu temperantes
Obuijs vlnis excipit
Aulae Portus hic eſt
Vbi Princeps poſitis radijs, & fulmine mentem leuet
Animum recreet.

Ioannes Paſta Inſcriptionem dictauit duplici Allegoria Hiſtoriae, & fabulae, vtriuſque ſatis notae, ſed limam non admiſit. Ait enim de Caeſare Montio Card. Archiep. Mediolanenſi:

X V I I.

Silebis Caeſarum Auguſtiſſime Octaui
Caeſare vincendus Auguſtiori
Qui
Non marmoream, quam lateritiam
Inuenit
Sed auream, ſi ſaxeam
Non muris, ſed moribus
Relinquet Vrbem praeſtantior Mida.

Vulgaris nempe eſt tam hiſtoria Octauiani Auguſti, qui ſe iactabat, Romam lateritiam inueniſſe, marmoream reliquiſſe; quàm fabula de Mida Rege, qui ab Ioue impetrauit, quidquid tangeret, vt efficeret aureum. Sed minùs fortaſſis incomptè dixiſſet:

Aliter:

XVIII.

Silebis aliquando Auguſtiſſime Caeſarum Octaui
Caeſare vincendus Auguſtiore
Lateritiam Tute Vrbem inuicti
Reliquiſti Marmoream
Moribus hic ſi non muris ſaxeam
Efficiet auream alter Midas
Sed felix.

Eſt illa paris perſpicuitatis, ac dignitatis Inſcriptio expoſita noſtro ſeculo Mediolani, dignaque oculis eruditorum, quam idcirco damus:

XIX.

PHILIPPI. II. REGIS. MAX. RES. GESTAE
SICVT. IISDEM. TERMINIS
QVIBVS. SOLIS. CVRSVS. CONTINENTVR
ITA. IMPERII. FINEM
NON. TERRAE. SED. CAELI. REGIONIBVS
RELIGIO. ILLIVS. SVMMA
TERMINAVIT

Neminem enim non caecum latet curſus naturalis Planetae Maximi Ob Ortu in Occaſum, ex quo liquidè percipiat res immortales ab eo Rege geſtas, quà patent terrae ab Oriente Sole ad Occidentem.

Haud aliter Adagium alluſionem non patitur, niſi vel tritum vulgò, vel mediocriter doctis planum fuerit. Id quod in re Oratoria praecipit Quintilianus lib. VIII. cap. VI. *Caeterum*, dicens, *Allegoria paruis quoque ingenijs, & quotidiano ſermoni frequentiſſimè ſeruit. Nam illa in agendis cauſis iam detrita Pedem conferre* (id eſt accedere ad confutanda argumenta aduerſariorum) *& Iugulum petere* (i. e. potentiſſimum omnium argumentorum inuadere, & Aduerſarium premendo quaſi iugulare) & *Sanguinem mittere* (i. e. teſtis potentiam, authoritatemque imminuere) *inde ſunt, nec offendunt tamen*. At vbi Adagia ex re ſunt minùs nota legentibus, ad quos exponitur Inſcriptio, obſcuritatis profectò contrahitur vitium. Quocircà iudicent Conſulti de Inſcriptione illa in Caeſarem Montium Archiep. Mediol. *Actum eſt, Ni ſpiritus ardens, viuida ni virtus Paſtoris Montij vigilantiſſimi, Herculis clauam extorquet, Ignauos excitat, Aethiopes dealbat, Res ad Triarios redijt. Iſta ni flamma cales, Actum eſt*. De alia ſimiliter ſuper argumento, eodem Auctore:

XX.

Dextera ſi fortuna
Dexter oculus cuique ſalit
Cur ſilet?
Inſonet apertis tibijs
Laureum geſto baculum
Vberrimo in hoc Monte
Montis Idae teneo
Innumera bonorum gargara.

Nam vix menti ſuccurrit ſenſus Adagij, *Dexterum alicui ſalire oculum*, quamquam interpretatione praemiſſa *Dextera fortuna*: non enim an ſextus potiùs ſit, exprimitur, quàm rectus caſus. Deinde alterum Adagium *Laureum geſto baculum*, num ſatis & loco congruens, & apertum legentibus?

Interdum ſermonis contextu explicatur Adagium, caeteroqui minùs notum, vt in Auſpicio Summi Pōtificatus ad Caeſarem Montium Cardinalem, & Archiepiſcopum Mediolanenſem, cùm inuiſeret Seminarium Clericorum ad Diui Ioannis; In quo & habetur egregium exemplum propoſitionis Allegoricae tùm per ſe apertae, tùm ſubiecta illuſtrationis multiplicis ſerie luculentiſſimè expoſitae, videlicet:

XXI.

Nondum aperuit tibi omnem lucem Phoebus
Ampliſſime Praeſul
Inſigne hoc patrij Imperij clauus eſt
Maximi CLAVES erunt
Si moram operis des.
Caeſarum dominium finibus claudi neſcit.
Patriae te commodauit Roma, non dedit.
Quod ſuum eſt, maturo Imperio repetet
SYBILLAE FOLIVM EST
Superiorem Caeſar neminem habere ſolet.

Scilicet id Adagium ex more Sibyllae Cumanae in folijs Palmae perſcribentis oracula; etiamſi neque Varronis teſtimonium, neque Virgilij alluſio teneatur; per ſe tamen legenti innoteſcet.

Tandem Auctoritas Scriptorum, atque ſententiae ſint, oportet, celebres, vt clara exiſtat Alluſio; ad illum planè modum, quo ſtatuunt eruditi, Academicis Symbolis, ſeu Inſignibus (Impreſias vocat vulgus) inſcribi lemma è Principibus Poëtarum, ac locis vſu tritis delectum. Franciſci M. Florentinij venuſta fuit Alluſio in clauſula Elogij Membro II. citati: *Vbique facilem, Viator, time deſcenſum Auerni* &c. ſtatimque ſuccurrit menti Virgilianum illud Aeneid. VI.

Tros Anchiſiade, facilis deſcenſus Auerni.

Vbi & Aſteriſcis notauimus locos binos è ſacris codicibus, alterum è Canticis Canticorum cap. IV. *Hortus concluſus, ſoror mea ſponſa*: Alterum è Geneſeôs cap. III. *Inimicitias ponam inter te, & inter mulierem: Ipſa conteret caput tuum*, ambos à SS. Patribus ad Virginem Deiparam translatos.

Em. Theſaurus, vt alibi ſemper, argutus eſt in Elogio de Chriſto Domino, cui titulus *META*, & Principium: *Siſtimur ò tandem tibi Clementiſſime Aſſertor, Sacri Voluminis Alpha & Omega*, ad Apocalipſeos tritiſſimum ſpectans: *Ego ſum Alpha & Omega, Principium & Finis.* Lepidè porrò literae vſurpatae de volumine, ac Vaticinijs ſcriptis: voluminis autem Sacri Meta, prima literarum Alphabeti, & poſtrema. Inter haec venit in manus tranſmiſſa per Vincentium Sauinium Imolenſem, Virum de literis benemeritum, Inſcriptio Sepulcralis perbreuis, ſed ab hoc loco perelegans, videlicet:

XXII.

D . O . M.
CAESARI . FRANCISCHINO
QVI . DVM . IN . ARMIS . MORI
PVLCHRVM . PVTAVIT
APVD . PARMAM . SIBI . MORTEM
PATRIAE . GLORIAM
PEPERIT
PATER . MOESTISS . POS

Ante tulit Bellona faces, Chariteſque feretrum,
Mors cecinit laudes, ac Patria exequias.

Cui enim vel tyroni non illud Virgilianum ex I. Aen. ſuccurrat?

Pulchrumque mori ſuccurrit in armis.

Erit laboris pretium, ſi recens Elogium de Mantua poſt excidium, ad Sereniſs. Ducem Gonzagam ſcriptum, totum hìc recitemus, quippe ab huiuſmodi alluſione per quàm inſigne.

XXIII.

Victor, & Proditus
Inter geminas noctis, ac perfidiae tenebras
Defenſam diù virtute Vrbem
Infenſam ſemper hoſti, nec vnquam offenſam
A bellico fulmine, ab inſtructa acie
Inuictus, & inuitus, alieno ſed ſcelere coactus
Caecae Barbarorum fortunae
Deſeruiſti
Fortunis omnibus barbarè expoliandam
Infortunijs omnibus pro libidine explendam.
O nos verè miſeros Te olim abeunte
Nunquam tulit ſors documenta meliora
Quàm fragili loco ſtarent
Munitiſſimo quamuis
Sine ſuo Principe Ciues!
Sed ò nos hodie multo magis Te redeunte
Beatos
O niueum fauſtumque diem
Nunc ſolùm Sereniſſime Princeps
Erigimur deiecti, Beamur miſeri
Reuiuiſcimus mortui.
Serenabitur,
Exultes, Italia.
Alemanicae fugerunt in ſua clauſtra
Procellae.
Non in hac noſtra ſe Aeolus iactabit Aula:
Pyrennaei tenent immania ſaxa
Quem Deus?
Tibi Aſtraea defendente
Manſit hoc Imperium, manebitque perpetuum
Ad

Ad perennem huius Populi felicitatem
Aeternam familiae dignitatem
Immortalem nominis tui celſitatem

Viden' alluſum ad illud Virgilij, omnibus decantatiſſimum de Aeolo Rege Ventorum, quos ſuprà dixerat *circum clauſtra fremere?* Aeneid. I.

Tenet ille immania ſaxa
Veſtras, Eure, domos: illa ſe iactet in Aula.

Grauem quoque Inſcriptionem ab hoc loco duxit Franciſcus Rondinellus in funere Mariae Auſtriae Auguſtae ex abortu extinctae, quam lubet afferre, Videlicet:

XXIV.

O Viri Ad Vos clamito
Et Vox mea ad Filios Hominum
Auguſta Terram implebat
Nunc Cinis eius vix totam implet Vrnam
Filius antequam naſceretur
Mortuus eſt

Petitum ex Sacris Prouerbijs, Cap. VIII., ex Sacris (inquam) vt exigebat decorum ſacri Apparatus in Templo Diui Laurentij Florentiae. Quo in genere ſapit idem Auctor palato maximè literatorum in Epitaphio honorario ex verbis Taciti concinnato

XXV.

COSMVS . II. MAGNVS . DVX . ETR
HIC . SITVS . EST
Apud quem Pietas ſemper valuit
Caetera vt inania tranſmiſit
Id in ſumma fortuna pulchrius, quod aequius
Suaque retinere, priuatae domus
Magna largiri laudem Regiam duxit
Procliuis, vt benefacti, quàm errati vicem
Exolueret
Nam vltionem oneri, Gratiam in quaeſtu
Habebat

Ne faſtidias, Lector, Sigiſmundo meo locum hìc dare, qui Exequias Areſij vario proſequens argumento ita inſcripſit pro Foribus Templi

XXVI.

IVLII . ARESII
PRINCIPIS . SENATVS
OPERA . ET
DIES

Scilicet Mediolani, vbi copia literatorum, nemini illorum non recurrebat titulus tritus Heſiodi Poëtae ex Graeco tranſlati. Ita facilè transferebatur alio ſenſu ad Funeris titulum in quo de more celebrarentur defuncti Opera clariſſima, & Dies mortalitatis operoſiſſimè obiti.

Quae verò ſententiam imitatur dumtaxat, ſuppreſſis verbis Auctoris, ea non Allegoriam conſtituunt, ſed imitatione (de qua luculentiſſimè Vincentius Gallus in Rhetore, lib. I. Cap. IV.) cuiuſmodi eſt altera Inſcriptio in memorato Auguſtae funere, eodem Rondinello Auctore:

XXVII.

Hoſpes Ingredere, & Diſce
Ad ſcopulum Mortis Caeſarũ triremes aeratas
Et Piſcatorum cymbas aequè allidi
Hoc diſcrimine
Quod illae maximo fragore
Hae ſilentio demerguntur

Conijcere eſt enim haud difficulter expreſſum hunc locum imitatione illius Horatiani lib. I. Carm. Ode IV. vbi cecinit:

Pallida mors aequo pulſat pede pauperũ tabernas
Regumque turres

Imitatio illa haud dubie extitit Epitaphij Enniani in Veneto Foſcarino quod refert in ſelect. Delic. Suueertius, in hunc modum: *Accipite, Ciues, FRANCISCI FOSCARI Veſtri Ducis imaginem &c.* Sic enim habet Epitaphium, quod ſibi vetuſtiſſimus Poeta Ennius inſcripſit metro.

Adſpicite, ò Ciueis ſenis
Ennij imagini formam &c.

Ac ſicut hìc, ita ibi defunctus loquens inducitur.

Ecce autem dum iſta diſſerimus, inſerit ſe coronae Ioannes Baptiſta Manzinus, coronandus plane Vir inter paucos noſtri ſeculi eruditos: Ecce foetum proponit ingenij ſui recentem, multò ſpecioſiſſimum, nouum ſcilicet exemplum condendi Elogij in Icone ſua Parentali ſereniſs. Franciſci Eſtenſis, cuius initium: *O quanta populorum calamitate Princeps optimus* moritur! Qua in Icone obſeruare praecipuum eſt, notis perpetuis oppleri margines nominibus Auctorum & locis, vnde petita ſingula dicta. Ne tũ

tamen cum placitis noſtris pugnare ipſum putes, qui notas damnauimus in marginibus. Nihil eae ad captum Elogij. Adime illas, & rem diſpicies. Nihil autem toto illo textu per ſe apertius, quem crebris compactum ſententijs non minus quàm gemmis perſpicuum, lucentiſſimumque aeſtimabis maiorem omni pretio. Augent nihilominùs pretium literati illi margines, & arguunt operoſiſſimum Elogium; ſingula namque membra flores ſunt varij è ſcriptis alijs atque alijs excerpti, & ordine miro ad argumentum aptati, atque conſerti, vt non malè Iconem hanc ſpeciem nouam Centonis appellauerimus vaſto concinnatum labore. Quare vel hinc perſpicuè arguitur Manzinus miriadas euoluiſſe Auctorum, theſauros exhauſiſſe, quorum opibus innocenter diues ſit factus. Ergo id genus Elogij inter Centones μοναδικὸν eſt, ſuoque iure poſcit adſcribi dictis ſingulis Auctores. Nam ex Virgilio ſolo, v. g. aut Homero, qui poëma totum teneat, Centone oblato, admoneri de locis non eget; quippe è theſauro memoriae promptus quiſque offertur: quemadmodum & Diuum Bernardum loquentem audiens, non eget indicari, quibus ille totos fere texit ſermones, artificio quodam caeleſti, quiſquis ſacris in literis eſt verſatus. Ex Scriptoribus autem tam multis, omniſque aeui, ordinis, materiae, ſtyli, Cuinam licet verſatiſſimo ſubeat ſtatim ſententiae cuiuſque Auctor, & locus? Proinde neceſſe eſt adnotari hos ſingillatim, ne videri velit Elogiaſtes tentandis potius atque torquendis Lectorum ingenijs, quàm delectandis ſimul & docendis opificium ſuum per vanam famae affectationem publicauiſſe.

Haec de Elogijs ferè dicta ſunto, quae fiunt ad pompam quaeſito extrinſecùs fuco. Nam quae domeſtica ſupellectili contenta ſunt, & genuina, illuſtri tamen narratione continuantur, hoc eſt aliqua admixta amplificatione, vnde mira adnaſcitur Perſpicuitas, illa enimuerò videntur ad Inſcriptionum veterum magnificam rotunditatem propiùs accedere. Dabimus exemplum ignoti nobis Auctoris, probatae tamen notae, niſi noſtrum nos fallit iudicium, videlicet:

XXVIII.

DOMINICO PANDOLFINIO
Magni Etruriae Ducis A Secretis
Viro in negotijs tractandis
Conſilio, Dexteritate, Induſtria Praeſtantiſſimo
Quòd Vrbem hanc
Externo circumuallatam exercitu
Ab interno denudatam milite
Propugnantis aequè ac oppugnantis
Impugnatam vexationibus
Formidantem in dies ſingulos
Supremam ab Hiſpanis cladem
Suſtinentem in horas ſingulas grauiores
A Gallis calamitates
Breui ſeu hoſtis potentia
Seu famis impotentia caſuram
Spe pacis diù ſuſtentauit
Pacis nuntio ad vltimum confirmauit
Pacis confector, ac nuntius
Noſtra commoda ſuis mercatus incommodis
Perfrigidam tempeſtatem
Ardentiſſimo benemerendi ſtudio ſuperante
Per inuias niuibus ac gelu vias
Viam ſibi aperuit
Crebro, celerique itu, ac reditu
Impedita itinera expeditiſſimè conficiens
PLACENTIA
Tantum ſe debere gratiſſimo animo teſtatur
Quantum ipſomet teſte
Gratam ſibi fuiſſe allatam pacem
Teſtata eſt.

Elegantioris Inſcriptionis exemplum, vt in recentibus, conciſae verò numeris, & ſtyli ſublimioris offertur ab Aloyſio Nouarino in Diuam Theodoram criminis virilis accuſatam, cùm poenitentiae cauſa Coenobium Monachorum habitu virili ingreſſa, ſexumque diſſimulans, vitam incognita viueret.

XXIV.

Situs, an Sita iacet hic?
Quiſquis es, effare.
Theodora ſum anceps.
Mater foeminam genuit
Culpa Dolorque marem.
Sceleri ſuccubuit foemina
Succubui, & exhorrui
Medioque ſcelus auerſata in ſcelere
Repente

Repenre Vir
Memet, tunicamque,
Animumque exuta foemineum
Sexumque, habitumque mentita
Non ementita mares animos.
Moribus adſcripta Coenobitis
Virilis accuſata criminis mulier
Vltore Deo
Nec Virum me, nec Crimen negaui;
Verum ficto compenſans ſcelere
Vitam exui, non exui probrum.
Intuleram in Vrna indecoros artus
Ni labem elueret
Poſtremus abluendi corporis labor,
Extitit hinc caſtus intemeratae mentis nitor:
Iam Theodora pudens
Theodorus habitus impudens:
Suumque corpus terrae
Meum mihi nomen
Sua mens reddita Caelo eſt.
Caelatum lapidi carmen;
Hic Theodora cubat innocẽs, Vir credita nocens
Ignoratum crimen falſi luit fama criminis
Debitas Deo poenas poena exoluit indebita
Mulier genere, Vir animo
Viri virtute maior

Certè non hic deſideratur cum elegantiae flore collucens Perſpicuitas, in ſylua praeſertim argutiarum denſa.

Membrum IV.

Tertius obſcuritatis in oratione ſcopulus ex Theone.

HActenùs quae ſecundùm Inuentionem offundunt narrationi caliginem: deinceps quae ſecundùm locutionem. Ac primùm Voces Poëticae, quae ſcilicet Poëtis dumtaxat in vſu ſunt, propterea interpretationem poſtulant: Cuiuſmodi, inquit Theon, Graecè κρήγυον pro *verum*, ſeu *bonum*, & *idoneum*: ἀντιφερίζειν pro *aduerſari*, μάρνασθαι *bellare*: Latinè autem (inquit Fab. Quintilianus) *Puppis* pro Naui; *Abies* pro tabellis; *Quadrupes* pro Equo. Haec enim & ſimilia obſcuritatem gignere. Hinc non facilè probata fuit ex hac parte erudito cuidam Inſcriptio Neapolitana, Franciſci Polae, videlicet:

XXX.
Marmoreas ſtatuas
TYNDARIDARVM FRATRVM
Ignara quos Antiquitas
Alterna immortales morte
Credebat
DIVVS PETRVS
Signo Crucis facto
Deiecit, deturbauit, proſtrauit
Ipſoſque aeterna mortuos morte
Probauit
Mira dictu, Aio, Vera dictu

Puriùs fortè ad intelligentiam cum Hiſtoricis vſurpauerit Auctor voces *Caſtoris, & Pollucis*, quàm cum Poëtis *Tyndaridarum fratrum*. Et illud obiter *Mira dictu Aio, Vera dictu*, quid ſi preſſiùs ita: *Mira dictu, ſed vera*? Sic enim magis decorè ſupprimitur perſona prima *Aio* in marmoribus ad aeternitatem, & magnificentiam poſitis: Et ſubticetur, quae minùs erat neceſſaria, repetitio vocis *dictu* &c.

Excipe iocoſa Elogia, quae ſuopte iure ſibi vendicant vſum poëticarum vocum, & in gratiam eruditorum ferè cuduntur, vt obſcuritatis meritò declinent ſcopulum. Ita Volumnius Bandinellius de Titta eximio venatore: *Hunc*, aiens, *ſi Erymanthus habuiſſet, Amphitryoniadem ſecula nouiſſent inglorium*. Vocabulo ſcilicet ſeſquipedali, ac terrifico vaſtatorem ſaltuum, trucemque ferarum debellatorem exprimebat. Caeterùm in ſerijs, ijſque puris narrationibus cum Oratore eſt concordandum.

Adde in rem ſuprà expenſam, eiuſdem Polae exemplum alterum cenſura dignum de Iano:

XXXI.
Ianuariae tuae quae prope ſunt Kalendae
Mihi illuceant cupienti
Saluae, ſoſpites, lucrificabiles
Et ſi quid inſtat mali, propitius auerruncato
Et Dij omnes nuptiales nunc adeſte, ſi quando
Conſentes, Hilari, Propitiati.

Puriùs

Puriùs ſuppleret pro lucrificabiles vox lucroſae minimè poetica. Sed illa, inquies, haud obſcura, id quod ſolum curat Theon. Eſto: At illam *Conſentes* pro *Aſſeſſores*, & *Conſiliarij* & poeticam fatearis oportet, ne dicas barbaram, & vnà perobſcuram.

Nõ minùs autem quàm voces, cauere oportet locutiones poetarum proprias, & ad perſpicuitatem minimè conducentes. Cuius generis eſt Virgiliana illa, Ecloga II.

Aſpice: aratra iugo referunt ſuſpenſa iuuenci.
pro *Nox aduentat*. Et *Iam proximus ardet Vcalegon*. Aen. II. pro *Domus Vcalegontis*. Et illa Horatiana lib. I. Carm. Od. XX.

Caecubam & praelo domitam Calaeno
Tu bibes vuam.

pro *bibes vinum Caecubi oppidi*. Et Ibid.

ſimul & iocoſa
Redderet laudes tibi Vaticani
Montis imago.

Vide Quintilianum lib. VIII. cap. VI. Vbi quae Oratori Tranſlata permiſſa ſunt, quae vetita, hoc tu ad Elogiaſten trahes. Vide etiam Macrobium Saturnal. lib. VI. cap. VI. Vbi de figuris dicendi proprijs Virgilij Maronis, à quibus vtique abhorrebit Elogium ſolutum. Vide etiam Vinc. Gallum in ſyntagmate de Lyr. poem. cap. XVI. de fabuloſa locutione, & Helleniſmo.

Membrum V.

Quartus obſcuritatis in oratione ſcopulus ex Theone.

FActitia verba à narratione proſcribit Theõ, quia vt minùs vſitata, ita minùs nota, proinde obſcura: Nos ab Elogio quia etiam ſaepiùs indecora. Ea verò ſunt, quae ad alicuius ſimilitudinem formantur, vel vt docet Vinc. Gallus lib. III. cap. IV. Rhetoris, Per onomatopeiam formata, ſeu per imitationem ſoni, vociſue animalium. Cuiuſmodi Graecis, ait Theon, κέλαδος pro *ſibilus*, κόναβος pro *ſtrepitus*, κελαρύζειν pro *clamare*: Latinis autem ſunt *Taratantara* vox ſeu ſonus tubae; *Mu facere* pro *haeſitare loquendo*, & *vix loqui audere*, Item *mutum loqui conantem imitari*; *Syllaturire* pro *Syllae mores imitari*: Porrò horum verborum pleraque minùs nota ſunt, quia in vſu raro, Vt *Blaterare* de Ariete, *Gratilare* de Anſere, *Bombilare* de Ape, *Drenſare* de Cycno, *Trinſare* de hirundine, & huiuſmodi. Alia verò, vti innuimus, indecora (praeterquàm in iocoſis, vbi maior licentia) vt *Pipire* de pullis gallinaceis, *Gannire* de Vulpe, *Coaxare* de Rana, *Grunnire* de Sue, *Grillare* de grillo, *Oncare* de Aſello, & ſimilia. Quare illud ſiue Elogium, ſiue Satyra ſoluta de Armis Gallicis Italiae illatis ſub Imperio Richileio, quemadmodum immodicè liuens eſt, ita neſcia decori ſui ipſomet principio: *Quando inter arma trepidi muteſcunt Cycni, Argutus aliquis inter Cycnos cinguat Anſer. Nam Gallis Capitolium incurſantibus animoſiores fuere Anſeres, quã Cycni.* Vox enim *Cinguere* Anſeri attributa ſignificatum quidem prodit ſuum, ſed impurum efficit ſtylum, ac Elogio minùs dignum.

Quaedam conſenſu eruditorum, & vſu probata nequeunt, neceſſitate poſcente, excludi ab Elogio. Nam ſicut vox *Bombarda* (exempli cauſa) factitia eſt, & compoſita ſonum referens, naturamque eius tormenti, legitimè autem nouata (quippe rei nouae tanta poſt ſecula bona latini ſermonis) ita illius libratores, vulgò Bombardarij, ſi nominandi occurrant Elogiaſtae, hoc hercle ipſo nomine proprio vtendum fuerit, vt egit prudenter Franciſcus Pola in dedicatione Enſis donati, videlicet:

XXXII.

HIERONYMO . PRIVLO
PRAEFECTO
D . D
BOMBARDARII . VERONENSES
HONORIS . CAVSA . ET . MERITI
MDCIIX

Membrum

Membrum VI.

Quintus obſcuritatis in narratione ſcopulus ex Theone.

TRanslatis quoquè turbari perſpicuitatem narrationis interpretamur cum Quintiliano lib. VIII. cap. VI. quùm dura ſunt, hoc eſt à longinqua ſimilitudine ducta; vt Graecè, inquit Theon apud Herodotum τεῖχος τριτογενεῖ ξύλινον δίδοῖ εὐρύοπα Ζεύς, id eſt *Murum Tritogeniae ligneum dat latè ſonans Iupiter*. Innuit autem ibi Pythius Athenienſibus, deſerta vrbe inſcendendum eſſe in naues, & eas vice murorum fore. Latinè autem dura ſunt per Catachreſin *Niues capitis* pro canitie, vt obſeruat Quintil. ex Hor. Et *conſternere animum* pro conſternare, vt adnotauit in Thucidide Commentator: Vel per Antiphraſim, vt ſi cum Varrone dicas *Noctis meridies* pro Nocte concubia; Et cum Iuuenale voces *Nanum Atlanta*, *Aethiopem Cycnum*; Et cum Horatio Carm. lib. I. Ode II.

Heu nimis longo ſatiate ludo

Pro bello: Vel per Metalepſin, cùm ex vna ad aliam ſignificationem gradatim aſcendimus, ſublatenter idcirco, & procul oppido à Perſpicuitate. Cuiuſmodi in illo Eclogae VI. Virgil.

Ilice ſub nigra pallentes ruminat herbas

Nigra, hoc eſt denſa; nigra enim, quia tenebrioſa: tenebrioſa autem, quia denſa.

Excipe voces Antiphraſticas (quae nimirum pro contrarijs vſurpantur) quoties communis vſus ſenſum illis iam fecit apertum: Vt *Caelum*, quia minime caelatum ſeu abſconditum: *Lucus* quia minimè lucet: *Pontus*, quia ponte committi non poteſt: *Sacer* pro execrando, quia minimè ſacer, & huiuſmodi alia. Ad ſummam Translatis, docet Voſſius, non eſſe vtendum in Narratione, niſi non minùs clara, notaque ſint quàm propria & natiua. Et hoc quidem in Elogio purè Narratiuo, nam Panegyrico, Poetico, Ioco ſo tam Tranſlata admittuntur, quàm aliud genus vocabula, ſalua vbique Perſpicuitate decente, quae duritiem excludit è translatione nimium longinqua petitam. Itaque illa dura cenſentur, atque petita longius in recentioribus quibuſdam Elogiaſtis: *Coelum ſidere lactat agros* pro ſiderum benignitate agros foecundat: Et *fumus viridantium lignorum nutrit lachrymis oculos*, pro ſoluit in lachrymas. A cenſore item nouo perſtrictus eſt, qui Principi in ſuos prouidentiſſimo tribuit *foecundiſſimos oculos*, à quo etiam dicitur *Vna manus Regis euomere diuitias duplicis Orbis, aurato ſemper imbre foecundior*. Namque is Claudianum tùm fortè, inquit, claudum, ne dum cum Ennio podagrum, poetantem videtur imitatus: Et cui dicti ſunt *Orbes nati Philippo Regi Hiſpaniarum*, quod haùd dubiè accepit à Guarrino ita canente:

Alla cui Monarchia naſcon' i Mondi.

Sed haec poetica planè translatio eſt, & à decoro Elogij ſoluti aliena. Item cuius Elogio Vir clariſſimus celebratur *Saxis cunctis, ac titulis maior*: Nam ſaxum pro monumento perenni, vt eſt fortè Poëtae ſplendidum, ita Elogiaſtae libero durum, atque adeo ſaxeum. Is quoque cui eſt *Atlas liquidus* pro mari Atlantico, quòd Atlas Mons eam Oceani partem ſpectet.

Eiuſdem ſunt notae, quae à rebus obſcurioribus transferuntur. Sic Cicero III. De Orat. mauult *Scopulum patrimonij*, quàm Syrtim; Et *Voraginem bonorum*, quàm *Charibdim*; propterea quòd illa ſunt omnibus nota, haec paucis. Hinc Martianum Capellam, & Sidonium Apollinarem carpit Voſſius, quòd alter dixerit *Aſtrorum populus*, alter *Scelerum populus* pro multitudine. Optima verò illius eſt ratio. Nam vox *Populus* ſcitè de Apibus à Columella, de Auibus, & Piſcibus à Manilio vſurpatur; ab Animatis quippe ad Animata facto gradu. Atqui ad Inanimata translatio longior. Melior tamen Maioragij de Apuleio cenſura, quàm Voſſij ibi: *Ipſa vocis immutatio deſultoriae ſcientiae ſtylo reſpondet*. Hinc etenim etſi quadret proportio inter deſultorios Equos, & Apuleij ſcientiam; nimirum quia, vt in Circenſibus ex Equo vno in alterum ſubitò deſiliebatur; ita Apuleius ſubitò à Philoſophicis ad ludicra ſtudia ſe receperit. Nihilominùs vel quòd ab Animato, nimirum Equo ad Inanimatum, nimirum ſcientiam tranſitus fiat; vel quòd paucis admodum notus ille Circenſium mos, & appellatio Equorum illorum,

rum, vel ex loquendi modo Apuleij, cui demum non redditur durior ea metaphora? Idem de Elogiaſte quodam Etruſco iudicium: Qui ſcripta praedicans Poëtae noſtri temporis eximij, hanc protrudit ſententiam: *I cui inchioſtri formano vna pretioſa palude, dentro la quale i nomi, che ſi tuffano, riſorgano inuulnerabili* &c. Neque eſt enim literario atramento vlla cum palude proportio: nec ſatis patet, vnde eruditio eiuſmodi petita ſit.

Eſt igitur opus non tam ingenio, quàm iudicio, quò Translatis quaſi pigmentis animemus Elogium, non obruamus; ſententiam illuſtremus, non diſſipemus. Hoc praeſtitit cum laude Theſaurus Elogijs nouae Aetatis de S. Ioſepho fabro lignario, Sponſo Virginis, & Chriſti Patre nuncupato: *Non alienum*, ait, *à Chriſti patre miniſterium. Quid enim Deus, niſi Faber? Tornare Orbem, inſpicare montes, dolare campos, excidere homines, fabrilia ſunt.* Haec autem nequaquam cenſeri debere Allegoria, etſi Metaphora multiplex (non enim conſtructione continuata) in extremo maximè periodi declaratur, *fabrilia ſunt*; vt liquet attentiùs rem pendenti.

Quin aliqua Translata, ſi delectus habeatur, Perſpicuitati magis fauent, quam voces propriae. Probant hoc antiqua Elogia purae narrationis. apud Gruterum in Spurijs pag. XXIV. num. 6. DVVM. CINIS. HIC. AMANTIVM. EST. QVI. DVDVM. MVTVO CVM. PRVRIENTI. AMORE. INSOLENTER. EXARDESCERENT. IMPROBO. VOLVPTATIS. IMPVLSV. EFFRENI DESERTA. CONVENIVNT. IN. LOCA &c. En duobus in verſibus Translata tria, *Prurienti*, *Exardeſcerent*, *Effreni*, quibus vtique magè clareſcit Narratio. Ibidem LACHRYMIS. IDENTIDEM. IRROGANTIBVS, translatum à rore clariùs profectò, quàm *Decidentibus*. Ibid. pag. XV. num. 1. CLODIVS RABIA. CIVIVM. INVIDIA nonne haec Metonymia mirè exprimit in iſtud hominis commune odium Ciuium? Quid illa liquidius Metonymia LVCE. INVISA pro Vita inuiſa? Gruterus in Spurijs ijſdem pag. XIII. num. 1.

XXXIII.

FAB. METELLO. M. F. QVI. LABEN
TE. REP. ROMANA. CVM. PATRIA
CEC. MORTE. OPTATA. LVCE. IN
VISA. DVM. OMNIA. TRADERET
CVM. AMISSA. IAM. LIBERT. ROM
INTVER. P. SERVILIVS. P. F
CIPPVM. A. L. D

* i. e. Cecidit
* intueri
* animo libens dicauit

Quid autem perſpectius hyperbole, *innumeris vulneribus occidi*? Gruterus inter Spuria pag. XIII. num. 9. hoc marmor recenſet:

XXXIV.

D. M. S
QVEM. VIDES. VIAT. PVTABIS
CINEREM. ESSE. VERVM. ERRAS
VIDES. L. COMINIVM. CAMERTEM
BELLO. FORTEM. NEC. FALSO. GLO
RIOR. SVB. CN. POMP. MAGNI. F
OCCIDI. PRO. LIBERT. ROM. IN
NVMERIS. VVLNERIB. NEC. HER
CVLES. QVEM. GADES. COLVNT
ERIPERE. ME. A. MORTE. NEC. BEL
LONA. QVAM. CAMERTES. ADORANT
NEC. DEI. OMNES. ROMANI. POTV
ERE. QVIN. CADEREM. CADA
VERE. NON. COGNOSCENDO. VVLNE
RIBVS. MILITES. CAVSA. PIA
HIC. ME. POSVERE. VALE

Translata ſuboſcura, expolitione mox ſubiecta clareſcunt, non ſine compendio venuſtatis. Vt in Metaphora praeſtitit Valerius Chimentellus ad Caenotaphium Danielis Heinſij: *Nubilem Caelo Animam prope octuagenarius dimittit.* O vtinam (hic ego) non Orco nubilem animam, quae vulgò credita eſt à vera religione abhorrere.

Quaedam malè translata, quae veriùs diſtorta dixeris, quia ſenſu non ſuo vſurpata, cauenda ſunt. Qualis eſt vox *Zelotypia* in Elogio Caeſaris Montij Archiep. de eius cura Paſtorali: *Conſurget in omnium curam, Vim ſuſcitante zelotypia.* Quae vox praeterquàm quod ex Theonis placito damnata vt externa, cum Latina non deſideretur (vt ſupra traditum eſt libro II. de Elogij charactere, Claſſe IV. Chriſtian. Membr. XI. in Voce *Zelus Dei*) vix tamen, quis hic eius ſignificatus ſit, tenetur. Certè *zelotypia* Ciceroni (Tuſcul. quaeſt. IV.) eſt aegritudo ex eo

quod

quòd alter quoquè potiatur eo, quod ille ipſe concupierit. Ergo ſi *zelus* hic Deum dicatur reſpicere, ſignificabit inuidentiam in Deum, non ſtudium cultus illius: Sin verò ad Cacodaemonem referatur, vt ita interpretemur inuidentiam, ſeu aegritudinem in hoſtem humani generis, quòd is honores Deo debitos captet, & quos Deo iure ipſi optamus, verus equidem extabit ſenſus. nimis autem abſtruſus, atque obſcuritatis olens ſitum.

Obſignamus recenti exemplo, vnde petere licebit Perſpicuae non modò Translationis, ſed Alluſionis quoquè documenta. Iulius Perottus Collega meus ac politae ſatis literaturae Vir, inſcripturus ſacrum Theatrum, in quo Chriſti Domini cunabula, & è Caelo Genij Paſtoribus viſi, ac nuncij ſalutis, imaginibus ad viuum expreſſis referebantur, hoc Elogio perfecit:

XXXV.

O qui ſedetis in tenebris Mortales
Ecce Sol nouus
Dei Patris ex vtero ante Luciferum genitus
Aurorae Matris Mariae productus gremio
Orientem ſe praebet in nocte media
Heu facturus Occidentem in meridie
Dieſcens vobis, Noteſcens ſibi.
Vos O nunc certè
Sole in Virgine
Concreta gelu pectora iam ſoluite

Fit enim Alluſio ad illud tritiſſimum oraculum è Cantico Zachariae: *Illuminare his, qui in tenebris, & in vmbra mortis ſedent*. Item è Pſalmo CIX. *Ex vtero ante Luciferum genui te*. Ad hiſtoriam quoquè Mortis Dominicae, quae hora diei nona obita eſt: Tandem ad naturalem hiſtoriam ex Aſtronomia vulgatiſſimam, de Aeſtu in terris, Sole in Zodiaco luſtrante Virginem proximè poſt Leonem.

Membrum VII.

Sextus obſcuritatis in narratione ſcopulus ex Theone.

CErtant de obſcuritate inter ſe Translata duriùs, & Priſca Verba: haec tamen vincunt; vt quibus ſuo horrore, quaſi religione praetenta, tam multa hodie magna ingenia captiua ducuntur. Verùm nec recens quidem id vitium, in quod Sophiſtae priſci acriter inuexere: Vt probat vox Graeca à Theone in exemplum allata, ἄτονα pro *pecuniae* antiquitùs vſitata, ſed bono pòſt ſeculo obſoleta. Latinarum eius notae, in Plauto multae, in Ennio & Catone, plures, nonnullae quoquè in Terentio, & Salluſtio à Grammaticis obſeruantur. Hinc illud Quintiliani placitum (Inſtit. Orat. lib. VIII. Cap. II. de Perſpicuitate) *Obſcuritas*, inquit, *fit etiam in verbis ab vſu remotis, vt ſi Commentarios quis Pontificum, & vetuſtiſſima foedera, & exoletos ſcrutatus Auctores, id ipſum petat ex his, vt quae inde contraxerit, non intelligantur. Hinc enim aliqui famam eruditionis affectant, vt quaedam ſoli ſcire videantur*. Idem ſuprà (lib. II. Cap. V. de Lectione Oratorum, & Hiſtoricor.) ſic monuerat: *Duo autem genera maximè cauenda pueris puto: Vnum ne quis eos antiquitatis nimius admirator in Gracchorum Catoniſque, & aliorum ſimilium lectione dureſcere velit; Fient enim horridi atque ieiuni: Nam neque vim eorum adhuc intellectu conſequentur, & elocutione, quae tùm ſine dubio erat optima, ſed noſtris temporibus aliena, contenti, quod eſt peſſimum, ſimiles ſibi magnis viris videbuntur* &c. Et paulò inferiùs: *Multa ergo oportebit eligere* (ex antiquis illis) *ſed curandum erit, ne ijs, quibus permiſta ſunt, inquinentur*. Ex Quintiliani itaque ſenſu antiquitas verborum obſolitorum non tam obſcurat orationem, quàm inquinat: Vt meritò aucupatores huiuſce generis loquendi cum M. Antonio increpandi ſint, quòd ea ſcribant, quae mirentur potiùs homines, quàm intelligant: Et Symmacus lib. III. Epiſt. XLIV. Odioſum ἀρχαϊσμῶ ſectatorem cum riſu ad Saliorum verſus inuitet dicens: *Si tibi vetuſtatis tantus eſt amor, pari ſtudio in verba priſca redeamus, quibus Salij canunt*. Pulchrè autem Nicolaus Cauſſinus de opt. charact. Elog. lib. II. cap. XXVIII. contra huiuſmodi affectatores ex Luciano in Lexiphane (à nobis citato in huius libri Proluſione) ſimilitudinem

dinem hanc monetae decerpens, *Res*, inquit, *perinde ſe habet, ac in nummis: Si quis iis, qui lege, ac conſuetudine recepti ſunt, repudiatis, veteres Caeſarum nummos intrudat, iure ridiculus videatur: Ita profectò explodendi ſunt, qui ab vſitato dicendi genere digreſſi nouas & obſcuras Parnaſſi vias meditantur*. Haec Cauſſinus.

Diſtinguimus autem cum Vincentio Gallo in Rhetore lib. III. Cap. III. Priſca ſeu Antiqua verba ab Antiquatis. Illa nimirum in vſu adhuc ſunt tametſi rarò apud Poëtas, in grandibus plerumque poëmatis, vt apud Virgilium, cui dictum fuit *Olli*, *Actutum*, *Fuat Quianam* & ſimilia; Ab Oratore nonnunquam, multò tamen rariùs, & parciùs admiſſa. Antiquata autem, quae ſcilicet vſitata antiquis fuere, poſteris verò obſoleuere Vt *Antigeriò* pro ſubitò, *Cluere* pro pugnare, *Hoſtis* pro hoſpes, & peregrinus, *Ruſpor* pro Crebrò quaero, *Vitulantes* pro gaudentes, *Bouinari* pro tergiuerſari, & alia ex XII. Tabulis, Ennio, Naeuio, Lucilio, Pacuuio colligenda: Haec neque poëtis ipſis, ne dum Oratoribus conceduntur. Elogiaſta verò vel ab antiquis abſtineat, oportet: non enim cum Epico congreditur, grandis poematis ſcriptore; ſed cum Epigrammatario; hoc tamen minùs adhuc licenter, quum inſcribit proſâ: Et Polam ille iure perſtrinxit in Inſcriptione Veneta, in Auditorio Praetoris, videlicet:

XXXVI.

Apud hoſce magiſtratus
Innocentia ſemper fuat tuta
Siue poteſtas ſanciat, ſiuè concordia componat
Siue Aequitas
Vana repellat, referat dubia:

Multò iuſtiùs carpitur Voſſius Inſtit. orat. lib. IV. cap. VI. vbi ſectioni XV. titulum facit in haec verba: *Mantiſſa de tralatitia ſignificatione* &c. cum priſco vocabulo *Mantiſſa* ſuppreſſo vulgatum & luculentius repoſuiſſet *Additamentum* de &c. Niſi fortè propoſitum ſit referre ex ingenio vetuſtatem, vt egit Iuglaris in funere Victoris Amedei Ducis Sabaudiae: qui alluſurus ad priſcum morem Romanorum in magnatum funeribus, euocandi per Praeconem homines ad honeſtandum funus (vt meminere Varro, & Feſtus) iis fere verbis;

XXXVII.

OLLVS. QVIRIS. LETO. DATVS. EST
AD. EXEQVIAS. QVIBVS. EST
COMMODVM. VENIRE. IAM. TEMPVS.
EST. OLLVS. EX. AEDIBVS. EXFERTVR

ſimul vt indicaret morem condiendi pretioſis vnguentis cadauer; (quod munus erat priſcis *Pollincere*) ipſumque aſperſum lacte & vino ſuper pyra tandem admotis tedis cremandi: ita ille ex antiquorum ſtylo inſcripſit.

XXXXVIII.

Ollus letho datus eſt Princeps
Optumus.
Adeſto Ciuis & lacruma
Par fuat illum ita pollincere
Qui hoc vnum ita peccauit in ſuos
Quod mortuus eſt
De aſperſione & rogo ne cures
Illam à CHRISTINAE * oculis
Hunc habet à corde
*** Nomen Sereniſs. Coniugis viduae**

Ingenioſè verò ſuppleuit Auctor literis priſcis hiſtoriam hanc priſcorum Romanorum, quae ſecùs narranda fuerit, vt foret perſpicua accommodatio ad Chriſtianae viduae lachrymas, & pectus accenſum. Caeterùm ne in multiplici quidem pompa inſcriptionum fas eſt ingeri temerè huiuſmodi Archaiſmum; niſi fortè, vt in Theatris, & in Aulis Principum, mimos hìc etiam ſuos, hìc ſcurras, & moriones adeſſe oportere quis velit.

Exigit autem haec Inſcriptio è regione alteram eiuſdem characteris, ne ordo turbaretur, & ipſam Allegoriae inhaerentem ab hiſtoria eadem antiquorum; quae quidem eruditis, in quorum gratiam excogitata fuit, perſpicua commodè reddebatur, alluſione ſimplici, in hanc formam

XXXIX.

Nulli hìc Manes, aut Medioxumi
Placandi ſunt
Adhuc tamen Denicales ferias
Indicunto Pontifices
Leſſum habento Matres
Patres Purpuram exuunto
Iuſtitium eſto toti Vrbi
Victoris oſſua vt bene ceſquant
Adhuc cor eius remanet
Inſepultum.

Hoc

Hoc ſanè poſtremum de Corde tùm ex ſuperiore Inſcriptione patuit, tùm ex fama communi, Ducem defunctum appellare conſueuiſſe cor ſuum Coniugem Chriſtianam. Hinc ergò facilè refricata eruditis memoria priſci vſus de placandis in funere Dijs infimis, & medijs, de ferijs purgandae familiae, ex qua erat defunctus, deſtinatis; Ciuitate hìc loco familiae, quòd Princeps pater communis defunctus; denique de continuando luctu, translato in Patriam oſſe, aut cadaueris particula illius, qui peregrè obijſſet, quouſque inhumaretur.

Aliàs autem obſoleta Inſcriptionem foedant, & ſimul notant Auctoris leuitatem, quòd illud fingat vetuſtatis exactiſſimae, cùm maximè recentis fidem vult haberi. Id obſeruare eſt in Franciſco Pola, cuius hoc Elogium de re non recente modò, ſed praeſente, videlicet:

XL.

CATHARINA DIA SENENSIS
Cape tibi, Cape Chriſto
Hanc Virginem puram putam
Ioannam Ponam Primigeniam
Cuius
Sanctimoniam morumque diſciplinam
Peregregiam
Nomen quoquè tuum in futuro comprobabit
Vti circa ſe breui ſenſerunt
Parentes
Qui
Lubentem volentem
Offerunt tibi, Offerunt Chriſto
Religioſiſſimi Ioannes Pona, Camilla Geſſia
Sacra endogreſſa eſt penetralia
VIII. Kal. Iun. MDCV
Solenni pompa
Franc. Pola Iuriſc.
F.
Affini merenti
Amoriſque Honoriſque cauſa

vbi non legitur illaeſo oculo; *Vti circa ſe breui ſenſerunt* pro erga ſe &c. Et *ſacra endogreſſa eſt penetralia* pro ingreſſa eſt.

Sed & huiuſmodi Antiquarium arguit adfectata Antiquitas (abſit verbo iniuria) iniurium in Rempublicam, & pene reum perduellionis; quaſi deteriora faciat temporibus priſcis recentia, quae tamen obſeruatione, & vſu (quòd eſt fere vnicum temporis beneficium) illorum horrorem, auſteritatemque cultu mitiore inuecto caſtigarunt. Hoc de ſeculo certè aureo Auguſti nemo illorum non fatetur, quos locutionis politae Magiſtros, & Principes poſteritas vnanimis veneratur. Miretur igitur quis iure Gaſparem de Simeonibus in tres Gratias Antonij Bruni Poetae Etruſci Elogium illud fronte rugoſa mucidum proferre videlicet:

XLI.

S. G * Sacrum Genio
Ad amaena Poeſeos lubens qui diuertis, Aduorte
Muſas hic hominum vel inſcitia vel flagitio diù inuiſas
Antonius Brunus Muſarum vindex
Gratijs litare docet, vt placeant, dignus, cui Gratiae litent.
Phoebo auſpice Templa Charitum non tam Graecis ruderibus
Quàm rudibus ingenijs obruta
Doctus mortalitatem fallere cantu, calamo excitat, dicat
Etheocle maior, Pampho, Alcmane
At is cum Phidia Horas Gratijs haud appinxerit
Horarum qui temnit vices
Charitum numerum Pithûs nomine non auxerit
Facundior ſuo ipſe aucturus
Gaſpar de Simeonibus
Immortalem apud Charites poſitam Muſarum operam
Amico Vati gratulatur C 9. PP. X9

Quid enim gratiae, (amabò,) habet vox Aduorte. Cur non & praecedentem eiuſdem originis more priſco formaret, diceretque Diuortis. Scilicet quia Cyclopes vno oculo Vetuſtas finxit, alterum tibi effodi oculum, ſpecioſius duxeris, quàm ambos more noſtratium oſtentare. Exemplum autem antiquitatis imitatus fuiſſes apud Gruterum (inter Spuria pag.II. n.7. Spuria inquam ſi fidem ſpectes inciſi marmoris, non ferè ſi Latinitatem) cui eſt initium: HOSPES.TE.QVID. AVORTIS.ADVORTITO &c. Iam ſi licet quodque priſcum conſectari, praeſtabit etiam cum priſcis illas tractare foeces locutionis *Alium corpus* pro aliud, *aliqui* pro alicui, *A latus* pro à latere, *Af Capuam* pro ab Capua, *Con quem* pro cum quo, cum alijs pluribus: Et qui ſpecioſum putant cum priſcis vſurpare *Optumus*, *Maxumus*, cur non ſimiliter cum ijſdem *Subi* pro ſibi, *Tutulus* pro titulus? Si *Epiſtula*, quidni etiam *Sacerdus*? Et qui malunt cum illis *Coniunx*, etiam cum ijſdem *coiux*, & *coius* pro coniux? Cur de ſtatu locali magis *Romae*, quàm *Roma* cum illis? Aut ergo Antiquitas vniuerſa approbanda, aut cum recentibus eiuranda iudicio ſcriptorum boni ſeculi, & vſu ceu incerniculo certo adhibito: Nec, ſi Virgilius Ennianae lectioni vacans, Amico ſciſcitanti quid ageret, reſpondit ſe aurum ex Ennij ſordibus colligere, iſti contrà malè conſulti, ex auro tàm Ennij, quàm caeterae antiquitatis, malint ſordes colligere:

Caeterùm imitatio priſcorum marmorum illa maximè probatur, quae formam, puritatem, maieſtatemque conſequitur, (vt ſapiunt pleraque à Grutero in numerum ſpuriorum reiectata) non quae ſitum obſoletae locutionis. Quocirca Elogiorum, & Inſcriptionum volumen, magnae illud molis, Franciſci Polae defaecari poſtulat pari ſtudio, atque fuit ab Amico collectum & publicatum. Quam quidem cenſuram vt nos debita caeteroqui laude compenſemus, iudicamus omnino probandam Vocem *Manes* Ethnicis antiquis tritam, ab ipſo verò Pola ad vſum Chriſtiauorum traductam, non iam vt Dij Manes memorentut, ſed vt Animus piè ac religioſè defuncti ſignificetur: nec enim praeter attributam epitheto appoſititio Diuinitatem, quidquam nos à priſco deflectimus vſu. En ergo Inſcriptio Polae ternum in campum diſtributa.

XLII.

MARIA. VIRGO. FRANCISCE. SERAPHICE
Tutelares mei
Hāc vobis Aedem, Aramque Dico, Dedicoque
Vti Placati, Propitiati
Me, Familiamque meam
Et Poſterios
Foueatis, Seruetis, Protegatis
Ded. ſexto Id. Sept. & IV. Non. Oct.
MDCIV
Qui Dies Anniuerſarij ſunto

XLIII.

Heres teſtato, inteſtato, Quiſquis eſto
tres frumenti modios, ſex vuarum diotas
Nigrarienſi Eccleſiae
Ea conditione
Vti Sacerdotes eius ſingulis diebus feſtis
Rem ſacram hic patrent
Soluito Pendito

XLIV.

Ni Heres Sacerdoteſque
Vti dixi, faxint
MANES MEI
Ad impietatem contra heredes, Sacerdoteſque
Vlciſcendam
DEO OPTIMO MAXIMO
Opem imploranto.

Membrum VIII.

Septimus obſcuritatis in narratione ſcopulus ex Theone.

EXternae, quae & Peregrinae voces, non ſecus ac hominem ipſum externus cultus corporis, ſenſum Narrationis obſcurant. Vt Graecè, inquit Theon, Theſſalis ἀγορὰ, pro λίμνη vſitatum

vſitatum erat, id eſt nomen fori ad Portum ſignificandum. Latinè pariter illa vti Peregrina nomina vitabit Elogiaſtes, videlicet *Caſcus*, pro Vetulus (Sabinorum fuit) *Vngulum*, pro Annulus (Oſcorum) *Merga*, pro medulla, ſeu adeps terrae, qui effoditur ad agros laetificandos (Gallorum) *Paraſanga* ſpatium triginta ſtadiorum (Perſarum) *Nonnus* & *Nonna* Sanctus & Sancta (Chriſtianorum veterum) pro quo latinè commodè vſurpatus Diuus Diua, Sanctus Sancta, Beatus Beata. Repete ſup. lib. II. Claſſe IV. Memb. V. in Voce *Diuus*.

Quaeres, num è Peregrinis Graecas ſaltem voces admittat latinum Elogium; Num amplius eas literis Graecis exaratas, vt in alijs ſolutae orationis generibus frequens occurrit apud tùm veteres, tùm recentes ſcriptores? Nos quidem Elogij ſoluti dignitatem circumſpectantes aegrè adducimur in hanc ſententiam. Siquidem aliud eſt Epiſtolas dictare, in queis ludere ſaepe accidit; aut Commentaria, quae eruditione varia farciuntur, quaeque energiae maioris voces ex abditis theſauris peregrinorum idiomatum, Graeci potiſſimùm, vnde eruditio penè omniſmanauit, exquirunt. Atqui nihilo minùs elegans & magnificum habetur Elogium, quàm Oratoria Dictio, à qua ſanè alienum eſſe vſum peregrinae vocis docet Phaleraecus lib. de Elocut. Voſſius quoquè, Vir eruditorum noſtri ſeculi princeps, in ſua Inſtitut. Orat. diſputans, Vtrùm Graeca latinis aliquando interſerantur, decerint, habere id quidem locum primùm in Epiſtolis, ac potiſſimè ſi is, ad quem ſcribimus, magnopere hac afficitur lingua; Aut ſi quid ſcribamus, quod eſſe occultum velimus; Aut ſi quid elegantiùs Graecè ſonet, quàm latinè; Aut ſi Graeca vox habeat ἔμφασιν; Aut ſi Graeci ſcriptoris afferamus verba. Aut denique ſi ad illa fiat illuſio. In Orationibus autem parcè admodum vtendum Graecis, vt quae coram multis habentur, quorum fortaſſe bona pars Graecè neſcit. Qua ex Voſſij cenſura conſectaneum illud videtur, cùm & Inſcriptio oculis omnium exponatur, ſitque propterea popularis, ipſa quoque Graecis vacua eſſe poſtulet. Niſi quidem fuerit ex Genere Panegyricarum, eruditorum duntaxat oculis deſtinata; ſimulque alludat ad celebre dictum, vel Adagium: Cum hoc tamen, vt niſi literis latinis locus non fiat, neque Graeca locutio niſi vſu nota afferatur. Nam quae publico conſpectui exponuntur, mediocriter ſaltem eruditis aperta ſint, oportet, neque exigant, vt habeantur ad manum lexica abſtruſioribus vocibus perquirendis.

Itaque ſicut Poetae vſurpatum fuit *Alpha penulatorum* (Martial. lib. II. Epigr. LVII. & lib. V. Epigr. XXVII.) pro Principe penulatorum, cùm tritus fere ſit ſenſus, non negabitur in Iocoſis Elogiaſtae (nam in ſerijs eſt proſa verecundior carmine) & quidem ſcriptum latinè quaſi vernaculum, non peregrinum. Vt vſurpauit Valerius Chimentellus Elogio de Franciſco Maſſelio paraſito, cui nomen dat *Catillonum Alphae*. Ita orat. pro Sex. Roſcio Amer. dixit Tullius *Nigrum illud Theta* pro damnatione capitali (cùm Graeca litera Θ prima ſit in voce Θάνατος, quae Mortem ſignificat, quaequè Iudicibus Graecorum nota erat Condemnationis,) qua item voce vti licebit in Elogio. Non ſecus probabimus dici neceſſitate poſcente, *Sacram Synaxim*, pro Sacra Chriſtianorum Communione, cùm vox *Communio* in eum ſenſum minimè quadret; & iam ſynaxis appellatio vſu mollita eſt, & quaſi vernacula effecta. Neque erit nobis tanta religio, quanta fertur olim Tiberio abſtinēti in Senatu à voce *Emblema*, quam tamen ſuadebat neceſſitas: Vtinam & à barbarie morum, vbi ius faſque reclamitabat.

Adde Graecas voces apud Romanos vſitatas, & iure Latij idcirco donatas. Vt

I. *Poluandrion* (quinqueſyllabum) ideſt Caemeterium, vbi multa ſepulcra; ſic Romae legas in Inſcriptione vetere, citata inter Sacroſanctae Vetuſtatis memorias

XLV.

D . M . S
CADAVERIBVS . AMORE . FRVENTIVM
MISERABVNDIS . POLVANDRION

Cui ſimilis in Hiſpania, etſi à fide vetuſtatis reiecta inter ſpurias à Grut. pag. XII. num. 7. ab vſu tamen vocis legitima, & veterum aemula

XLVI.

FORTISS. MIL. V. ET. XIX. LEG
QVORVM . OPERA . FORTITER
VETERA . CASTRA . DEFENSA . SVNT
POLIANDRION

Sed nos alio ſenſu à Gruteriano ſpuriam dixerimus, quae non ex antiqua, & recta pronunciatione literae Y per quaſi V, ſed ex poſteriore corruptela per I Latinè redditā, hic videmus Graecè ΠΟΛΤΑΝΑΡΙΟΝ.

II. *Dendrophorus*, ideſt *ligna*, vel *arbores*, vel *materiam ad machinas deferens*. Vt in marmore Comenſi ad Aedem (vulgò) Aſcenſionis; citata à Grut. pag. CCCL. num. 6.

XLVII.

MEMORIAE
L. ALFI. L. F. O. V. F. MARCELLINI
VI. VIR. AVG. PATRON. COLLEGI
DENDROPHOR. COMENS
IN. PRIMO. AETATIS. FLORE. PRAEREPT
AELIVS. RESTITVTVS. PATER
MISERRIMVS. ET. SIBI

item Romae in marmore liminari, vt apud eundem Grut. pag. LXIV. num. 7.

XLVIII.

SILVANO. DENDROPHORO. SACRVM
M. POBLICIVS. HILARVS. MARGAR. Q. Q. P. P. CVM. LIBERIS
MAGNO. ET. HERMONIANO. DENDROPHORIS. M. D. M. DE. SVM. FECIT

III. *Archiatros* terminatione quidem Graecà (Latina foret Archiatrus) legitur Romae ad Diui Sebaſtiani, apud Gruter. DCXXXII. 4.

XLIX.

M. LIVIO. CELSO. TABVLARIO
SCHOLAE. MEDICORVM
M. LIVIVS. EVTHYCHVS
ARCHIATROS. OLL. D. II
IN. FR. PED. IIII

ſignificat autem non Principem Medicorum, ſed (vt obſeruat Caſaubonus in XV. Strabonis, & Voſſius de Vitijs ſerm. lib. I. cap. XXXIII. Medicum Principis.

IV. *Phonaſcus* Pro Vocis, ac Pronunciationis Magiſtro, aut Moderatore. Vtitur Quintilianus lib. XI. cap. III. *Sed cura non eadem Oratoribus, quae Phonaſcis conuenit.* Suetonius etiam de Auguſto cap. LXXXIV. *Pronunciabat dulci, & proprio quodam oris ſono, dabatque aſſiduè Phonaſco operam. Is enim vocem intorquere, remittere, lenire, exaſperare docebat.* Et Varro ὄνος λύρας: *Phonaſcus adſum vocis ſuſcitabulum, cantantiumque gallus gallinaceus.*

V. *Diaetarchus* pro Praefecto Diaetae, ideſt Caenationis, ſeu Caenaculi, in quo aeſtate ad vmbram, hyeme ad Solem caenare veteres inſtituerunt. Extat praeter locos nonnullos Plinij, & Suetonij de Diaetis Regijs ab Auguſtis, & praepotentibus Equitibus ſtructis ad delicias, & luxum, etiam marmor vetus citatum à Ioſepho Caſtalione I. C. in Varijs Lection. cap. L. quod eſt huiuſmodi

L.

DIS. MANIBVS. DEXTRI
CAESARIS. SERVO. DI
AETARCHO. DOMVS
AVG. TREBONIA. LAV
DICE. FEC. CONIVG. B. M
CVM. DVABVS. FILIS. FOR
TVNATA. ET. FELICE

VI. *Agoniſtarcha*, eſt Praefectus certaminum publicorum, vt apud Mercurialem de Arte Gymnaſtica lib. I. & Gruterum pag. XXXVIII. num. 5.

LI.

APOLLINI. INVICTO
SACRVM
M. AVRELIVS. M. AVG
LIB. APOLLONIVS
AGONISTARCHA. COM
MODIANVS

VII. *Pantheum*, Dijs omnibus ſacrum, Templi titulus magnificentiſſimi, Romae à M. Agrippa conſtructi, vbi ſub imaginibus Martis & Veneris ibi collocatis omnium imagines Deorum affictae putarentur. Quamquam ſaepiùs pro Templi mole vſurpata vox, vt in ipſius fronte Inſcriptio altera probat in has notas: huiuſmodi

LII.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS. SEVERVS. PIVS. PERTINAX. ARABICVS. ADIABENICVS
PARTHICVS. MAXIMVS. PONTIF. MAX. TRIB. POT. XI. COS. III. P. P. PROCOS. ET
IMP. CAES. M. AVRELIVS. ANTONINVS. PIVS. FELIX. AVG. TRIB. POTEST. V. COS. PRO
COS. PANTHEVM. VETVSTATE. CORRVPTVM. CVM. OMNI. CVLTV. RESTITVERVNT

Interdum

Intordum pro ſigno gemino Martis & Veneris, vt in Neapolitano marmore citato apud Gruter. pag. I. num. 6.

LIII.

L. VESTORIVS . ZELOTVS
POST . ADSIGNATIONEM . AEDIS
FORTVNAE
SIGNVM . PANTHEVM
SVA . PECVNIA . D . D

Quod ſignum inſtar vnius Diui amentia Ethnicorum coluit; vt apud Grut. ibi. num. 4.

LIV.

HERCVLI . MERCVRIO
ET . SILVANO
SACRVM . ET
DIVO . PANTHEO . EX . V
* ex voto

VIII. *Dodecatheos* nomen Coenae ſecretioris Octauij Auguſti inditum à vulgo Romano, non inſcriptum, iuſtò metu prohibente; ſcilicet à Conuiuis duodecim, Maribus ſex, Foeminis totidem in Deorum ac Dearum habitu, quos Electos vocitabant priſci Ethnicorum. De hoc Suetonius Tranquillus in Diuo Octauio Caeſ. Aug.

IX. *Philomuſus*, i. e. *Muſarum amicus* pro literato, ac literatorum patrono vſurpatum recentibus exemplo veterum, vt apud Gruterum pag. CXCV. num. 14.

LV.

A R B I T R A T V
C . B E T V L I
M . F . O V F . E T
ALFI . P . L. FILOMVSI
★ OVF. Ouſenae, i. e. tribus
★ P. L. Publij Liberti

X. *Dromus* Latinè curſus cicurem in Latio vocem indicat lapis Tiburtinus apud Gruterum pag. CCCXXXIX. num. 2.

LVI.

Q. RAPIDIO . Q. F. LEM
SEPVLLIO
PROCVRATORI
DROMI . FACTIONIS
VENET
Q. RAPIDIVS . XENODOTVS
ET . RAPIDIA . IVVENTINA
PAR . FECERE

XI. *Agon*, i. e. *Certamen*, & locus certaminis Romae, alio nomine erat Circus Flaminius. Quam vocem ſcitè tranſtulit Linus Vacchius ex Ordine noſtro Vir eruditus, qui cùm Peruſiae transferrentur ad Templum nobis attributum ſacrae Reliquiae Diui Herculani Epiſcopi & Martyris, erecto Arcu ad eam partem Aedium continentium, in qua ille Martyrium conſummauerat, ita frontem inſcripſit.

LVII.

HERCVLANO . II. CHRISTI . MARTYRI . INVICTISSIMO
SACROSANCTAE . PERVSINAE . ECCLESIAE
PASTORI . INCOMPARABILI
POST . MVLTA . SECVLA . IN . LOCVM . AGONIS
TRIVMPHANTI
AD . TEMPLVM . NOMINI . SVO . DICATVM
AB . OPTIMO . SVCCESSORE . RESTITVTVM
NOVOQVE . RELIGIOSORVM . ORDINE
ET . COENOBIO . AVCTVM
REVERTENTI
CLERICI . REGVLARES . S. PAVLI
EIVS . PERPETVO . OBSEQVIO . ADDICTI
EXVLTANTIS . LAETITIAE . SIGNA
P . P
ANNO . MDCIX

XII. Dictiones illae ſimplices, & compoſitae, vulgares tituli locorum in Vrbe, *Theatrum*, *Amphitheatrum*, *Thermae*, *Nymphaeum*, *Baſilica*, *Subbaſilica*, *Obeliſcus*, *Naumachia*, *Hermaeum*, *Pentaphyllon*, *Gynecaeum*, *Aſilum*, *Septizonium* &c. Adde ſcriptis Latinorum Graecos titulos; Poëtarum cuiuſmodi ſunt, *Poëma*, *Epigramma*, *Eidyllion*, *Epodus*, *Ecloga*, *Metamorphoſis*, *Elegia*, *Comoedia* &c. *Bucolica*, *Georgica* &c. Hiſtoricorum, *Decades*, *Epitome*, *Polyhiſtor*

lyhiſtor &c. Oratorum, *Encomion*, *Icon*, *Panegyricon* &c. Philoſophorum, *Topice*, *Aphoriſmi*, *Paradoxa*, *Sophiſma*, *Elenchus*, Et aliorum innumerae voces Graecae vulgò Latinorum vſitatae, vt *Idea*, *Sphaera*, *Ephemerides*, *Proſodia*, *Coſmographia*, *Apologia*, *Cyclopaedia*, *Symbolum*, *Lexicon*, *Chronicon*, *Theoricè*, *Praxis*, *Stemma*, *Crypta*, *Threnodia*, *Monomachia*, *Scholion*, *Paradigma* &c. Hae ſiquidem atque id genus aliae, vt Latinis tritae ſunt, ita non videntur obſcuritatem Inſcriptioni protrudere: praeſertim cùm obſeruatum ſit Varroni (is aetatis aureae Scriptor fuit) omnia in Vrbe nomina indumentorum ac ſuppellectilium, quae neceſſitatis gratia atque ad modeſtiae Legem vſitata erant, Latina tunc extitiſſe; Graeca autem, quae luxus dumtaxat inuexerat, & pompa ſuperuacua.

Hoc itaque iacto fundamento, quid ſentiendum, facile intelligis, de Voce *Lipſanum*, *ni*, & *Lipſana*, *orum* pro reliquijs: qua Voce vſus eſt non nemo de ſacris Diuorum reliquijs. Nimirum non niſi bene eruditis Graecè aliquando audita, gregi autem literatorum, quod ſciam, ignota penitùs, ne dum inuſitata. Et ſi verſanti Gruterũ occurrerit alicui Inſcriptio Graeca pag. DCCCII. num. I. Burdigalenſis, videlicet:

L V I I I.

ΛΕΙΨΑΝΑ . ΛΟΥΚΙΛΛΗC . ΔΙΔΥΜΑΤΟΚΟΥ
ΕΝΘΑΔΕ . ΚΕΙΤΕ
ΗC . ΜΕΜΕΡΙCΤΟ . ΒΡΕΦΗ . ΖΩΟΝ . ΠΑΤΡΙ
ΘΑΤΕΡΟΝ . ΑΥΤΗ

ideſt

Oſſa gemelliparae Lucillae hic ſunt ſita, cuius
Secta fuit proles, viuens patri, & altera matri

Proinde videtur haec vox, vſu rara ab Elogio excludi poſſe, niſi eruditioribus Graecè exponatur. Contrà verò conuerſio illa ex Graecis conflata, ſed notis Latio vocibus Inſcriptionis Graecae in Vrbe (quam citat Gruterus pag. CCCXIII. num. 10.) probatiſſima cenſeri poteſt, quam etiam iure quis praetulerit conuerſioni purè latinè ibidem appoſitae. Quod vt perſpectum fiat, exigit, Graeca primùm, deinde vtraque latina recitetur. Et illa quidem eſt huiuſmodi:

L I X.

ΔΗΜΗΤΡΙΟΝ . ΕΡΜΟΠΟΛΕΙΤΗΝ
Αλεξανδρεα . Παγκρατιαστην . Περιοδονεικην
Παλαιστην . Παραδοξον . Αλειπτον
Τον . Αρχιερεα . Του . Συνπαντος . Ξυστου
Διαβιου . Ξυσταρχην . Και . Επιβαλανει
Ων . Σεβ . Τον . Πατερα
Μ. Αυρ . Ασκληπιαδης . Ο . Και . Ερμοδωρος
Νεωκορος . Του . Μεγαλου . Σαραπιδος
Αλεξανδρευς . Ερμοπολειτης . Παγκρατιαστης
Περιοδονεικης . Αλειπτος
Ασινεξωστος . Ανεκκλητος . Ευσταρχης
Διαβιου . Ο . Υιος
Ο . Αρχιερευς . Του . Συμπαντος . Ξυστου . Διαβιου
Ξυσταρχης . Και . Επιβαλανειων . Του . Σεβαστου

Latinitate autem pura donatur à quodam hoc modo:

DEMETRIVM . HERMOPOLITAM
ALEXANDRINVM . OMNIS . LVCTAE . PERITVM . VNDIQVE
LVCTATOREM . ADMIRABILEM . INDEFESSVM
PONTIFICEM . VNIVERSAE . PALAESTRAE
AD . VITAM . PALAESTRAE . PRAEFECTVM . ET . IN . BALNEIS . AVG . PATREM
M . AVR . ASCLEPIADES . QVI . ET . HERMODORVS
AEDITVVS . MAGNI . SERAPIDIS
ALEXANDRINVS . HERMOPOLITES . LVCTA
TOR . VNDIQVE . VICTOR . INDEFESSVS
INEXPVLSVS . NON . INCLINABILIS . PALAESTRAE . PRINCEPS
AD . VITAM . FILIVS
PONTIFEX . VNIVERSAE . PALAESTRAE . AD . VITAM
PRINCEPS . PALAESTRAE . ET . IN . BALNEIS . AVGVSTI

Hactenus prior translatio: deinceps altera Graeciſſans, & ad decorum melior. Videlicet:

L X.

DEMETRIVM . HERMOPOLITEM
ALEXANDRINVM . PANERATIASTEM . PERIODI . VICTOREM
PALAESTRITAM . ADMIRABILEM . ALIPTAM
PONTIFICEM . TOTIVS . XYSTI
PERPETVVM . XYSTARCAM . BALNEIS . AVGVSTI . PRAEFECTVM . PATREM
M . AVREL . ASCLEPIADES . QVI . ET . HERMODORVS
ALEXANDRINVS . HERMOPOLITA
MAGNI . SERAPIDIS . AEDITVVS . PANCRATIASTES
PERIODI . VICTOR . ALIPTA . QVEM . NEMO . DETRVDERE . POTERAT
INCVLPATVS . XYSTARCA
FILIVS . PONTIFEX . TOTIVS . XYSTI . PERPETVVS
XYSTARCA . ET . BALNEIS . AVGVSTI
PRAEFECTVS.

Obſeruare licet hic voces *Pancratiaſtem*, *Palaeſtritam*, *Aliptam*, *Xyſtarcham* è Graecia in Latium accitas, & vſu domiſticas perinde atque genuinas, vt probant Lexica.

Quoniam verò vocum Graecarum vſus latinis acceptus clarum efficit ipſarũ ſignificatum, conſequens eſt, vt in Inſcriptionibus demus locum literae compendiariae ϴ, cuius appellationem *Theta* vſurpatam Romanis coniectamus ex allegato ſuperiùs loco Ciceronis orat. pro Sex. Roſcio Amer. Et quidem in forma ipſa Graeca, ϴ quae (prima in dictione θάνατος, lat. *Mors*) antiquitùs adſcripta nomini alicuius militis in communi cenſu, cùm illum defunctum adſignificaret, ſicut è diuerſo litera, T, ſuperſtitem; factum inde eſt, vt & in Epitaphijs poneretur paſſim loco Verbi *Obijt*. Quod eſt obſeruare apud Gruterũ pag. DCCCXLI. n. 11.

L X I.

D . M
V O L T A N I
O P P A O N I S . F
ϴ . AN . LXX . ET
ENNEAE . RVF . F
V X O . AN . L X
F F . SVRO . VOL

★ ideſt *Obijt Annorum LXX.*

Pagina item ſequenti, num. 2. & alibi paſſim, à quibus ſuperſedemus, pertaeſi prolixitatis, duabus illis contenti, in queis ea nota geminata offenditur, apud Gruterum, Videlicet pag. DCCCLIV. num. 9.

L X I I.

AEL . GANNA . LON
ϴ . ANN . LXX . ET
AEL . SECVND . CON
ϴ . ANN . XL
AEL . CI . DIDVS

Et pag. DCCCLVIII. num. 4.

L X I I I.

AQVILIAE . ϴ . AN . LXV
AQVILIAE . GALLAE . ϴ . AN
LX
A L B I A . M E L I T A N A
B E N E M E R E N T I B V S . P

Id quod eruditis poſteriorum temporum exemplum praebuiſſe declarat Franciſcus Suueertius in Select. Chriſt. Orb. Delic. in Epitaphio Patauino Aluarottorum ad Diui Antonij, vbi de Iacobo Aluarotto notatur tempus mortis hoc modo: ϴ. XVIII. Iulij MCCCCLIII.

Caeterùm vt obſcuram, & barbaram illam Epigrapham nemo nõ proſcripſerit, quae Graecis notis Latinè loquitur apud Gruterum pag. MCXLIV. num. 10.

L X V.

Δ . M . ΓN . ΠOMΠEI . IΣMHNI
IOTΛIA . TYXH . OYIPω . BENE
MEPENTI

ideſt

Dijs Manibus Gnei (Cn.) *PompeI Iſmeni*
Iulia Tychc Viro Benc
merenti

Fortaſſe (inquies) illam excipit religio Numinis, quam habes apud eundem pag. XXI. n. 12.

L X I V.

Δ I I . Π A T P I ω
EX . ORACVLO

★ Δὶι πατρίῳ, id eſt *Ioni Patrio*

Eſto: Sed iuſtiùs tuebere morem Chriſtianis

acceptum

acceptum in auguſtiſſimo Seruatoris nomine Graecis fere notis compendioſè ſcribendo: IHS. XPS. IESVS. CHRISTVS; imò plus neſcio quid religionis conciliat, praeſertim vox purè Graeca *Chriſtos*, ſi Graecè pingatur, vt in Epitaphio apud Suueertium in Brabantinis, cui hic praefigitur titulus.

LXVI.

XPΩ
Primitijs Rediuiuorum.
Pijſque Manib. Seuerini Van Vſſele &c.

Vtrũ verò inſcripſerit rectè *Theſaurus* in *Mundi Senectute* Elogium quoddam *DIALOGISMVS. Solue Hoſpes hos logos* &c. pro ſermones, Eſt, cur in quaeſtionem vocetur. Notus eſt locus Ciceronianus pro Gallo: *Ego certe credo, te hos omnes logos animaduertiſſe, qui ludis dicti ſunt*. Praeterea Turpil. Canephoro: *Teſtamentum ergo celabis? Logi*. Item Plaut. Perſa: *Dabuntur, inde do tibi, ſexcenti logi*. Eiuſdem Sticho. *Non vendo logos*. Et: *Vaenales ſunt logi iſti, quos negabam vendere*. At, liquet, in his locis nihil hac voce ſignificari praeter ſermones ridiculos, & contemnendos. Dignus nihilominùs eſt tantus Elogiaſta, à quo nos potiùs auctoritatem petamus, quàm cenſurae materiam. Itaque vocem *logos* ibi bonam in partem poſſe accipi ſuadet Titulus conſonans ab ipſa coniugatus, & compoſitus. Sunt enim & aliae voces in vtramque partem rectè vſurpatae Latinis, Cuiuſmodi *Fabula*, quae cum rumorem populi vèl de re vera ſignificet, de re tamen falſa pariter, imò ſaepiùs vſurpatur, vt ex Apuleio ſuccurrit locus lib. I. de Aſino aureo: *Nihil hac fabula fabuloſius, nihil iſto mendacio abſurdius*: Idipſum, de Voce *logos* ſuſpicari fas eſt. Nec officit infrequentia vſus, vbi eſt mediocriter doctis cognita.

Ioannes Baptiſta Maſculus Epitaphium Zachariae Vatis ſacri voce Graeca ita clauſit: *Sanctiſſimo Sacerdoti ac Vati, Hieroſolymitani Templi Aeditui, ac Hierodùli monum. Dedicauerunt.* Item Elogium D. Ianuarij Martyris: *Tibi Ianuari Antiſtes magne Neapolis* &c. ita terminat *Vti ſe in poſterum quoque incolumem ſerues. Praecipuo Patrono ſuo. Apotropeo. M. D.* Et in Adamo vtitur vocibus *Matheſis*, *Parazonium*, *Acroama*, *Syrma*, & alijs alibi: Vtrum autem rectè? Lydium tibi, lector, lapidem, quo probes, iam porrexi. Tantum hoc pende, non in Solem vulgi ineruditi encomia ea data fuiſſe, ſed in vmbram dumtaxat literatorum. Ne igitur praeceps ferto ſententiam.

De Franciſco Pola non eſt ita promptum iudicium, dum Epigraphae vulgi oculis deſtinatae, nimirum, qua aedes indicantur, vbi publicè aluntur pauperes, Graecam vocem, nec eam admodum notam inſerit, ſic inſcribens:

LXXII.

LILIATA. DEIPARA. MARIA
Hanc Tibi Aedem
Liberalitate Veronenſium Eximia
Exaedificatam
Derelictae. Foeminae
Quae in Hac PTOCHIA agunt
Dicant, Dedicant
Deuotae Numini, Maieſtatique Tuae
Vti Sis Eis Semper Propitiata
Anno MDCV. Kal. Aug.

Mediolanenſium certè vulgo abſtruſa non eſſet vox; maternae quippe propinqua *Pitocho*, quae egentem mendicum indicat. Vtrum id quoque Veronenſium, ipſi dixerint. Aegrè etiam probamus lemma illud Epitaphij citati à Suuertio in Select. Orbis Chriſt. delicijs, inter Luneburgenſia: *Caelum Politeuma Piorum eſt*. Nam quid ſit Politeuma hoc loci, non ſuccurret Lectori, ni Feſtum adeat, qui *Municipatum* interpretatur. Vtinam hic è contextu ſaltem aliquis huiuſce vocis illuceret ſenſus. Et hoc promiſcuè omnibus proponitur legendum. Fortè ſe ſubtrahit huic notae Auctor Epitaphij Baſilienſis (citat Suueertius in Select. Delic.) Nicolai Irmij vbi is dicitur: *Helueticorum ſub Henrico II. Galliarum Rege, ex foed. Archiſtrategus*: quòd ea in Vrbe florente Graeca literatura vox *Archiſtrategus* nota ſit: ſed ſatiùs profectò fuiſſet poſteritati omni conſulere: adeoque dignitati latini Sermonis, quam praetuliſſet meliùs inſcriptio, ſi Latinam vocem repoſuiſſet *Imperator maximus*, plenam vtique maieſtatis.

Vtrum autem citandae dumtaxat auctoritatis gratiâ proferre liceat Graecam vocem, quae in eam incidat, liquet reſponſio, quoties nimirum

Auctoritas

Auctoritas illa non fuerit ignota. Sic egit Cicero in Senatu Piſonem accuſans, allegansque Senarium Plautinum haud certè obſcurum Patribus; imo etiam tritum in vlgo; Videlicet

Ratio quidem hercle apparet, argentum οἴχεται in *Trin.* Eademque ratione fatetur de ſe Cicero Philippica I. initio; *Athenienſiumque* aiens, *renouaui vetus exemplum*, *Graecum etiam verbum vſurpaui, quo tùm in ſedandis diſcordijs vſa erat Ciuitas illa, atque omnem memoriam diſcordiarum obliuione ſempiterna delendam cenſui,* Porrò verbum iſtud fuiſſe ἀμνησία putat P. Manutius in illum locum. Scilicet notiſſima Romanis conſuetudo Athenienſium, & eius vocis ſignificatio vulgatiſſima ecquid obſcuritatis inſpergeret orationi Latinae, in Senatu potiſſimùm habendae?

Porrò inſolentia Graecae vocis miteſcit ſatis ſubiecta ſententia expoſitiua. Ideoque tuemur Albertum de Diuo Antonio ex antro prodeunte: vbi ait: *Ridente prae laetitia vultu-Prodit ab antro-Tales reddit amabiles carceres-Haud poſt hac carceres, ſed ornithones-In quibus Diuinae menſae altilia ſaginant.* Vbi vox *Ornithon* non omnibus nota Latinè doctis, è ſubſecuta mox ſententia illuſtratur. Quamquam nos libentiùs Latinè locuti eſſemus *Auiaria*, vocem nimirum haud humilem, ac indecoram.

Quandoque materiae ratio externas dictiones alioquin obſcuras clarat: Cuius extat ſcitiſſimum paradigma apud Theſaurum, Elogio I. in Mundi Pueritia, de Adamo: *Quatuor Mundi plagarum ab Graecis pete: Anatole, Dyſis, Arctos, Meſembria, Abſciſſa nominum capita iunge, Nomen habebis.* Nam etſi ſolitariè haud ſcierim, quid ſit Graecè *Anatole*, quid *Dyſis*, *Arctos*, *Meſembria*, ex praecedentibus tamen interpretatio promitur de quatuor Mundi plagis.

Interdum locus obſequitur; Ita nitimur tueri Vocem *Orthodoxus* in Epitaphio Aquiſgranenſi in Baſilica B. Mariae: quod ita habet:

LXVIII.

Sub hoc conditorio ſitum eſt corpus Caroli Magni, atque Orthodoxi Imperatoris, qui Regnum Francorum nobiliter ampliauit, & per annos XLVII. feliciter tenuit. Deceſſit Septuagenarius Anno Domini DCCCXIIII Indictione VII. Quinto Kal. Febr.

Nam vox illa Graeca *Orthodoxi* non conſtaret pertinere ad Chriſtianam religionem, niſi Religio ipſa loci vbi tumulus eſt, indicaret, praeſertim cum praecedat in Epitaphio quod ſenſum vocis genericae ad Religionem magis, quàm ad alia contrahat. Siquidem *Orthodoxus* Graecè eſt Latinis homo rectae opinionis. Cōmodiùs tamen dictum foret: *Corpus Caroli Magni Imp. Orthodoxae fidei propugnatoris*, aut *cultoris*. Niſi tamen tueri velimus vocem conſuetudine receptam, ſicut apud B. Hieronymum in Dialogo inter Luciferianum & Orthodoxum.

Quod de Graeco idiomate decernimus, id etiā de alio quocunque cuiuſcunque nationis. Syriacum eſt (aiunt aliqui) *Meſſias*, ex Diuo autem Auguſtino Hebraicum, idem, quod Graecè *Chriſtos*, Latinè *Vnctus*. Id quia vulgo vſurpatiſſimum, idcirco re poſcente non excluſeris ab Elogio. Theſaurus in Mundi ſenectute, Elog. cui titulus *Dialogiſmus*: *Donec* (ait) *ab arcanorum Praefecto Matthaeo de Caeli Archiuis tranſcriptum cum rediuiuo MESSIA reuixit.* Eſt enim loco nominis proprij, hiſtoria quoque de homine Hebraeo congruente. Nomen verò Hebraeis ſacroſanctum, IEHOVA, ſi vti proprium ſumatur, inuiolatum retulerim Latinis notis, & terminatione, quamquā vbi vſurpatur (citatum à Suueertio in Select. Chriſt. Orb. Delic. inter Cimbrica, In Sacello prope Segebergam) otioſè videatur illud appoſitum IEHOVAE. DEO. SACRVM. cum ſatis foret IEHOVAE SACRVM. Eſt enim appellatio Dei antonomaſtica, nihil ſignificans aliud, vi Ethymologiae, quàm *Qui Eſt*, *Fuit*, *Erit*; Aeternitatem videlicet, quae vni competit Deo, ex definitione, ſeu malis deſcriptione Ioannis in Apocal. Cap. I. n. 4. ὁ ὢν, καὶ ἦν, καὶ ὁ ἐρχόμενος, *qui eſt, qui erat, & qui venturus eſt.* Hebraicè autem exarari in contextu Latinae Inſcriptionis citra monſtruoſitatē non licet: vt affert Suueertius inter Pariſiēſia apud Templarios Epitaphio *Philippi de Villiers.*

Haec autem & alia externa vocabula ita quidem admittimus in Elogio, quòd & notae ſignificationis ſunt, & vſu propè familiaria, vt non Perſpicuitati ſolùm velimus conſultum, verùm etiam dignitati. Nam vbi Latine commodè poſſunt, nec vlla nos premit neceſſitas, ab his etiam quàm fieri poteſt, abſtineamus.

Tandem

Tandem vtrùm Latinis Inſcriptionibus congruat ſiue in fronte, ſiue in calce, ſeiunctum illud quidem à corpore, quaſi parergon, aliquod lemma, aut Sententia externo ac peregrino ſermone? Nos eodem ſiſtentes in cardine, ſi vbi, aut quibus exponitur Inſcriptio, ſermo ille appoſititius minimè obſcurus ſit, concedimus: dum id tamen non fiat temere, ſed ſuadente ratione: puta ob alluſionem ad graue dictum alicuius Auctoris, aut vulgatum Adagium. Habemus de hoc cùm vetera, tùm recentia exempla. Apud Gruterum inter Spuria pag. XVI. num. 5. citatur Arelatenſis memoria ſepulcralis Puellae trimulae, Latina, cum ſubiecto Graeco lemmate ΑΡΩΜΑΤΙ : ΤΑΥΤΑ. *Arationi Haec*. Nec tu, quia cenſeam inter ſpurias, indecoram propterea ſuſpicere: quia & inter legitimas apud eundem Gruterum exempla reperis, vt pag. CLXXIII. num. 8. vbi habes reliquias iuſtae Inſcriptionis geminae, Graecolatinae. Item pag. XCVIII. num. 6. Romae extat marmor Graecè inciſum cum abrupta Latina voce, videlicet:

LXIX.

ΘΕΟΙϹ . ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙϹ
ΓΛΥΚΩΝ . ΚΑΙ . ΗΜΕΡΑ
| EX VOTO | | EX VOTO |

* *Dijs Inferis Glycon, & Hemera*

E recentibus autem apud Suueertium in Select. Delic. lemmata Graeca Latinis appoſita marmoribus alia in fronte, alia in calce: quaedam trunca in breue dictum morale, quaedam fuſa in Diſticha, & Tetraſticha: Alia Gallica, Alibi Latina ſimul & Graeca: Gallica & Latina alibi. Vide ibi in Romanis in Templo XII. Apoſtol., & D. Chryſogoni: In Ticinenſibus ad D. Epiphanij: In Alexandrinis ad D. Bernardini: In Mutinenſib. ad D. Petri: In Vratislauianis ad Muſaeum Monauianum: In Friburgenſibus, In Patauinis ad D. Franciſci, & D. Antonij: In Tornacenſib. apud Minores: In Vuitebergenſibus: In Pariſienſibus lemma geminum in ſummo, in imo tabulae ad Coemeterium D. Mariae (nā intra Aedem titulus ſine ſale Graecus legitur: In Baſileenſibus autem Epitheta illa bina Graeca in corpore, *Io. Frobenius* ὁμότεχνος, ϗ ὁμόπατρις *Patrono B. M. ponendum curauit*, haud facilè probauerimus; vt quae Latinè enunciari perbellè poterant *eiuſdem Artis opifex, eodem patre genitus*.

Caeterùm aliud eſt ſuprà, infrauè Elogium adſcribere lemma, aut ſententiam peregrini ſermonis: Aliud in corpore ipſo, ac textu Elogij. Hoc ſicut excludimus, ita illud admittimus. Dum enim Latina Inſcriptio minimè temeretur, parum eſt, vt Matronam principem comitetur cum reliquo famulitio exoticus puer in habitu patrio, aut ſeruili cultu mancipium. Siquidem in antiquis, & ijs proſa exaratis monumentis frequens occurrit ſubiectum carmen; quidni etiam lemma peregrinum? Peregrinum quidem Latio, genuinum autem, vel ſaltem non ignotum regioni, vbi exponitur marmor. Non deſunt apud Gruterum exempla ex antiquis Romanorum, quorum vnum illud eſt pag. DCXV. num. 2.

LXX.

C. IVLIO . AVG. LIB. PHOEBO
RVFIONINO
CESTVS . DE . SVO . FECIT
ΤΟΥϹ . ΑΓΑΘΟΥϹ . ΚΑΙ . ΘΑΝΟΝΤΑϹ

* Latinè eſt: *bonos, & mortuos* (ſupple) *beneficio afficere oportet*.

Si quaeris à recentibus, dabit non pauca Suueertius in Select. Delic. Vt in Vratislauianis inſcribitur Muſaeum Monauianum cum ſubdito Monoſticho Graecae:

Θυμὲ βλέπτον ἄνω: χθονίων δ᾽ ἐπιλήθεο πάντων.

* ideſt:

Erige mentis oculos ſurſum, ac terrenorum obliuiſcere omnium.

In Friburgenſibus cum Diſticho item Graecè

πολλὰ καμὼν, καὶ πολλὰ παθὼν ἐν παιδοδιδάσκειν
ἐνθάδε νῦν κεῖμαι σὺν θεῷ ἡσύχιος.

* ideſt:

Multa fatigatus, & multa paſſus in docēdis pueris,
Hic nunc iaceo Dei ope quietus.

Quippe vtrobique locorum Muſaeum adornans Inſcriptio florentem habebat vſum literaturae Graecae. Et ab Epitaphijs Chriſtianorum referentia pietatem dicta è quotidianis precibus Graecè haud quidem diſcordant, vt in Mediolanenſi ad D. Mariae Coronatae, videlicet:

Toga

LXXI.

Toga & Armis
Vale Tydea Coniux
Valete Liberi
Nec tu deinceps Coniux,
Nec vos eritis Liberi
IOANNIS . TOLENTINATIS
SEN . COM . EQ. Q.
MDXVII
ΚΥΡΙΕ . ΡΥΣΑΙ
ΨΥΧΗΝ . ΕΜΗΝ,

ideſt: *Domine libera animam meam.*

In Pariſienſibus autem quis carpat ſermone ibi vulgari ſubſcriptum carmen Epitaphio Ioannis Delaſallae?

LXXII.

De mon ſalut les erres pourſuiuant
Dans ce deſert, iay mis fin à ma Vie.
Monde trompeur, te ſay-ie point d'enuie?
Vif tu, te meurs, & mort ie ſuis viuant

Ibidem neque damnandum aliud Graecè inſcriptum Θεὸς ἐνέλπιδι, i. e. *Deus in ſpe*; è ſacris quippe literis petitum lemma non dedecet ſacrum Coemeterium: idemque ſubſcriptum Gallicè CRAIN. EN. ESPOIR, hoc eſt: TIME. IN. SPE; tùm quòd reſpondet ſententiae Graecè in fronte Elogij, tùm quòd vulgaris eſt idiomatis, cur damnetur? praeſertim cum literae ipſae Graecae perinde ferè domeſticae ſint genti illi ſtudioſiſſimae, ac ſermo genuinus.

Hinc liquet de barbarie illius Epitaphij, quod inter Brabantina citat Suueertius, videlicet:

LXXIII.

D. Helenae de l'Eſpinee matronae tàm genere quàm moribus lectiſſimae coniugi. Illuſtris D. Ioan. Bapt. de Taſſis Eques Ac ordinis D. Iacobi de l'Eſpada, Commendator delos Sanctos, Philippi II. Hiſpaniarum Regis Status per Belgium Conſiliarius. Philippi III. Regis Catholici apud Henricum IV. Galliae Regem Legatus P.C. Inter viuos eſſe desijt Anno MDXCVIII. IV. Non. Decembris Aetatis LXIV.

Nam cui non puteant intruſa Latinis Hiſpanica, quae citra vllum incommodum Latinè ſic reſtitui poſſent: *Helenae ex Eſpineis*, vel *Eſpineae*: Et *ordinis Diui Iacobi de ſpatha, Commendatoris Sanctorum* &c. Praeterimus voces alias inibi ſpurias, de quibus ſatis ſuperiore libro.

Membrum IX.

Octauus obſcuritatis in narratione ſcopulus ex Theone.

AEquiuocis, vt biuio incertus homo, ita perplexa efficitur ſententia. Theonis exemplum idem Graecè quadrat, & Latinè. Nam παῖς (inquit) ſignificat & τὸν υἱὸν, & τὸν καθ' ἡλικίαν παῖδα, & τὸν δοῦλον, planè quidem vt nobis *Puer* & Filius eſt, & aetate puer, & ſeruus. Adde illud quoque *Canis* nunc membrum Sclopi, nunc terreſtre animal, nunc ſignum caeleſte. Et verbum *Inuidere* modò eſt inuidentia laborare, modò intueri nimis, vt III. Tuſcul. interpretatur Tullius Actium in Menalippo: *Florem quis nam liberum inuidit meum?*

Vt igitur, ambiguitas tollatur, ſerueturque ſarta tecta Perſpicuitas locutionis, indicandus eſt aequiuocae vocis certus ſignificatus, bifariam; ſcilicet aut Complexu ſeu continuatione ſermonis, aut Epitheti appoſitione. Priore modo ſuppeditat Theſaurus aureum ſanè exemplum in Mundi Adoleſcentia, Elogio de Iacobo Iſaci Filio, Eſau Fratre, cui titulus MONITA: *Rixantur* (ait) *Pueri antequam prodeant: Et Gladiatoria palaeſta Vterus eſt. Tumulus eſſe poterat, ſi magna odia poſſent latere. Diſce, quàm praematurè ſe prodant pupillorum ingenia. Ergo ex pellibus in aciem deſcendunt: Ex vtero in Orbem* &c. En tibi dictum aequiuocè *ex pellibus*, quaſi ex

tentorijs

tentorijs caſtrenſibus ; verùm ex materni vteri clauſtro intelligendum eſſe definit continuatus ſermo *Ex vtero in Orbem*. Iuſtum quoque fert Paradigma Inſcriptio funebris expoſita Mediolani in exequijs Iſabellae Hiſpp. Reginae, nomine Flandriae, quae cum alijs regijs prouincijs tributum doloris pendebat. Stetit autem eius funeris apparatus totus ingenio, & eruditione Patrum Societat. Ieſu, regia plane dignus magnificentia. Hìc ergò aequiuoca vox *Palmaris* ad *Palmam* potiùs, quàm ad *Palmum* referri oportere definit cùm praecedens vox *Palma*, tum ſubſequens *Triumphet*, videlicet:

LXXIV.

Aſſueta funeribus Flandria
Et aſſiduis erudita praelijs
Palmam ſibi poſcit
In arena doloris
Si turpe eſt ferro vinci
Turpius eſt in Amore cedere
Vt itaque palmari dolore triumphet
Lachrymatur ſanguine
Et tot oculis quot vulneribus
Vnum hoc grande Orbis vulnus
Deplorat

Nec inutilis fuerit obſeruatio tituli Exequialis Alexandriae apud Inſubres, ſoluta Vrbis obſidione, in haec verba

LXXV.

Accurrite Ciues
Luctibus gaudia immiſcentes
Laetitiam modò haud ſupprimit
Lethalis apparatus
Publicae libertatis reſtituae prae gaudio
Iam profugo graſſante Gallo
Grati vota Deo ſoluentes
Auguſtiſſimi ſacramenti Sodales
Propugnatorum * Manibus
Alexandrino in tantae molis obſidio
Vita functorum
Proprio inſtinctu
Iuuante Piorum ſubſidio
Ferunt ſoluentes Inferias
Vos intereà fundite preces
Vt qui libertatis fores
Suo cum interitu
Nobis praeliantes aperuere
Aditus eiſdem glorioſus
Vt par eſt pateat
Ex Caſtris ad caeleſte Capitolium

Vox enim Manibus tota maiuſculis in tabula marmorea deſcribenda, non vti hic à nobis, prima dumtaxat Maiuſcula, niſi ſermo continuus (ſi bene attendis) Manes inter & Manus diſtinxiſſet. Cauenda porrò eſt licentia liberior in Aequiuocis, etiam ſi continuatio Inſcriptionis praefiniat ſenſum. Debet enim Elogiaſtes pudorem in primis & verecundiam prae ſe ferre. Itaque non videtur in Inſcriptione adhibendum Verbum *Profano* pro *Dedico*, aut *Conſecro* (cum ſit oppoſitae omnino ſignificationis) vt egit citatus apud Macrobium (lib.III. Saturn. cap.VI. *Maſurius Albinus Memorabil. lib.I. Marcus*, inquit, *Octauius Herennius prima adoleſcentia Tibicen, poſtquam arti ſuae diffiſus eſt, inſtituit mercaturā, & bene re geſta, decimam Herculi profanauit*.

Altero modo lucem deſiderat Inſcriptio Mediolanenſis in ingreſſu Caeſaris Montij Card. & Archiepiſcopi, quam non ſinè pretio operae allegamus, videlicet:

LXXVI.

FVERIT . CAESAREAE . PRODIGIVM
Imperante portentoſo Gregorio
Montem ceſſiſſe loco
Quem ſacra occuparet Aedes.
Aliud in Caeſare miraculum
Volente ſupremo in terris moderatore
VRBANO . VIII
Translatus huc Mons
A quo regatur Eccleſia.
Abſcondi forſan haec poterit
Poterit ruinoſa nutare
In Monte poſita?

Certè vocem *Caeſareae*, vbi maximè de Caeſare ſcribitur, quiſnam primo aditu diſtinxerit, in penultima produci magis, quàm corripi? Cuinàm ſubeat repentè, haud eſſe adiectiuum nomen Latinum, ſed Vrbis deflexam Graecè appellationem per diphthongum *α* in penultima? Vnius itaque epitheti adſcriptio ambiguitatem omnem ſubmouebit, ſi dicas, *Fuerit Caeſareae in Vrbe prodigium*: Ita dicitur *Solea piſcis*, *Turdus piſcis*: nec ſinè adiecto illo intelligitur, cùm genus item calceorū ſit *Solea*, & *Turdus Auium*.

Interdum quidem ſupplet Epitheti verbalis vicem Pictura, aut huiuſmodi appendix. Cuius placiti occurrit exemplum in Marcello Buttilio de nuptijs Ducis Parmenſis cum Principe Medicea. Is imagini pictae fluminis vulgò *Lenza* hanc appoſuit in formam Elogij, ſalutationem, Deorum ruſticanorum nomine, Videlicet:

LXXVII.

SALVE
Margarita Medicea
Odoardi Farneſij
Vita, Iucunditas, Delicium, Suauium
EN
Vitae Mater, Iucunditatis Pater
Deliciarum Nutrix, Suauitatum Tutrix
Prima
Parmenſis foecunditatis cum Parente
ENTIA
Tibi gratulantur, Te munerantur

Porrò vocis *Entia*, quae fortè ſuggerit pluratiuum participij *Ens* definitur ſignificatio fluminis ex adiuncta eiuſdem pictura facillima cognitu incolis loci, quem alluit Entia. Simul obiter obſerua, nomen fluminis in, a, deſinens, genere vſurpatum faeminino, quemadmodum de ſimilibus plurimis obſeruat erudititiſſimus noſtri ſeculi Voſſius cōtra Grammaticorum communes Canonas.

Aliter occurri poſcit Aequiuoco Inſcriptio Mediolanenſis ad tempus expoſita pro foribus Aedis Diui Sebaſtiani mart. vbi in ipſius perſona compellantur Ciues, Caeſare Montio Card. ad Archiepiſcopalem ſedem tùm primùm accedente: Ea fuit huiuſmodi

LXXVIII.

Expugnate Ciues Caelum
Capiendum eſt vi
Mihi non ante fuit patefactum
Quàm telis apertum corpus
Totum fere pateret
* Pugnate cum Caeſare, Vincetis
State in Monte
Arduum contingetis, tenebitis
Commentitijs Gigantibus feliciores
Caeſar Deo charus,
Ac prope * Carolus
Olympus eſt
Quem fulminator non ferit

* *Alluſio ad ſuperiorē Archiepiſcopum ſāctitate percelebrem*

Cui autem non in diuerſa trahat mentem locutio illa aſteriſco praenotata *Pugnate cum Caeſare, Vincetis?* Si quidem pugnatur cum hoſte, certè aduerſus hoſtem: Cic. pro Corn. Balbo: *Qui cum hoſte noſtro comin⁹ in acie ſaepe pugnauit*. Idem II. de Finib. *Et pugnant Stoici cum Peripateticis*. Et alibi ſaepe. Hoc verò loco Praepoſitio *Cum* non vtique oppoſitionem, ſed opem, praeſidiumque ſignificat, vt ferè Cicero pro Cecinna: *De ſe autem hoc praedicat Antiocho Ebutij ſeruo imperaſſe, vt in Cecinnam aduenientem cum ferro inuaderet*. Fuerat ergo ſententia clarè & explicatè promenda, v. g. *Pugnate Caeſare Duce: Vincetis* aut aliter.

In illo quoque argumenti eiuſdem vix effugitur ex ambiguo Obſcuritas: Habet enim: *Montij Eminentiſs. Nixu virili nitens Nexus quis timet Daemonis? Tanti Viri infractae vires Vel ſontico morbo laborans Laborabit* &c. vbi ſenſus prioris poſterioris ſenſum obruit, vt hoc etiam deteriorem in partē ſumi primo auditu credatur.

Et quando aliena in facie naeuus facilè notatur, dabitur nobis venia, vt in gratiam ſtudioſorum proferamus ad cenſuram ex Polae I. C. Veronenſis Elogijs, quod legitur Rauennae ad Aedem Clericorum Reg. Theatinorum, monumentum rei inſignis; Eſt autem huiuſmodi:

LXXIX.

Sancta Aura, Flamma Sancta
Amor Paracletus
Qui
Candentis in faciem Columbae
Mutatus
Caelo veniens alto
* Principes priſcos duodecim Pontifices
Humeris cuiuſque inſidens
Vobis, Rauennates Vobis
Indicauit, Delegit, Dedit
Hoc in marmore perſancto
Alis nitens paribus
Semper conſiſtebat primùm
Iam ſi ſapitis, ſcitis
Quam debeatis religionem
Fragmento huic feliciſſimo
In quo
Spirat, Ardet, Flagrat
Amor Paracletus
Sancta Aura, Flamma Sancta

Quos namque ſibi velit Auctor pro principibus priſcis, non ita eſt promptum interpretari, vulgò certè inerudito, cui publicè expoſitum id marmor.

Reſtat haud minùs alijs neceſſarium praeceptum, vt eorundem continuatio caſuum, vnde ſententiae oboritur perplexitas, intercipiatur, ſcilicet alicuius caſus variatione. offenditur id vitium in recenti marmore (quod citat Suuertius in Select. Delic. inter Brixiana) cuius eſt hoc fragmentum: *Ad tuendam, amplificandamque Brixianorum ſocietatem Sanctorum Fauſtini & Iouitae nomine in Vrbe nuper inſtitutam, Pro ſacris, diebus ſingulis in ea faciendis mille aureos nummos moriens legauit* &c. Non enim bene cohaerent hae voces: *Pro ſacris diebus ſingulis*, et ſi interpuncto dirimantur, ſiquidem antiquo more voces ſingulae puncto diſtinguuntur, non commate; & eae maiuſculae exiguntur, non minuſculae. Clareſcet ergo ſenſus, ſi legas *Pro ſacris per dies ſingulos in ea faciendis*, ſeu *Pro ſacro diebus ſingulis* &c. (Nam illa ſumma mille aureorum vni dumtaxat ſacro conſtituendo par eſt) aut aliter ſermonis formula variata.

Membrum X.

Propagatur Theonis placitum de Aequiuocis ad Aenigmata.

SI abditae Hiſtoriae Allegoria hoc ipſo proſcribitur à vulgari dicendi, inſcribendiuè genere; quia minus perſpicua; quid magè abditum Aenigmate? Nam,vt tradit Voſſius lib. IV. cap. V. Inſtit. Orat. *Nihil in Aenigmate vitioſus, quàm Perſpicuitas*. Meritoque reprobatur à Quintiliano Inſtit. Orat. lib. VIII. cap. VI. in haec verba,digna quidem bipedalibus literis: *Haec*, inquit, *Allegoria, quae eſt obſcurior, Aenigma dicitur; vitium meo quidem iudicio, ſi quidem DICERE DILVCIDE, VIRTVS; quo tamen & Poëtae vtuntur*

Dic, quibus in terris,& eris mihi magnus Apollo,
Treis pateat Caeli ſpatium non ampliùs vlnas.

& Oratores nonnunquam, vt Caecilius quadrantariam Clytemneſtram in triclinio coam, in cubiculo nolam. Namque & nunc quaedam ſoluuntur, & tum erant notiora, cùm dicerentur, & aenigmata ſunt tamen; nec ea, niſi quis interpretetur, intelligas &c. [Quadrantariam dixit à permutatione quadrantis, tùm quia viliſſima erat, & quadrantarium ſcortum pro viliſſimo: tùm quia ab amatore decepta nomen ſortita quadrantis: Coam verò in triclinio, ideſt bibacem, quae vno ſpiritu exiccant Coam, menſuram vini praegrandem: Nolam autem in cubiculo, vbi ſilentij vſus, garrulam ſcilicet, ac ſonoram inſtar campanae] quo ex loco doceris, etſi allata quandoque à Poëtis & Oratoribus, nec tùm ita obſcura; eſſe tamen Aenigmata, id eſt ſignificatus abſtruſioris, quàm patiatur locutio, quae dilucida amat eſſe, non ſolum in Oratoria, quae popularis eſt, & motum intendit (nam ex re ignota quem tu affectum elicias?) ſed etiam in Poëtica, quae vtique nec docere poteſt, nec delectare,niſi rebus antè perceptis. Neque ſi Aenigma propoſitum continuò interpretere, vacabis culpa perditae operae in proponendo, ſi fuerir indicta breuitas, vt fere in Elogijs, quidquid ſit in Oratione, de qua Voſſius, & Quintilianus ſuprà.

Poetae quidem, ac Elogiaſtae bifariam tantùm congruere videtur Aenigma: Priore modo, cùm res, cui aenigma inſcribitur, intelligentiam illius iuuat, quemadmodum Romae in Noſodochio ad Diuae Mariae vulgò de Conſolatione,vbi Sceleto humano expoſito ita inſcribitur:

LXXX.

Quod hoc vides Amice
Corpus ſine corpore
Ne ſtupeas, aut damnes
Quiſquis es.
Teſtamento ſic ipſa caui
Vt hoc quod cernis fierem
Philoſophis ac Medicis ſacr.
Horum ſi es de numero
Sacro Legato vtitor
Sin profanus, indoctus
Hinc ocyùs abſcedito

Videlicet Corpus ſine corpore aenigmaticum licet,clareſcit illicò ipſius obiectu Sceleti: eòque magis,quòd hanc Epigrapham proſaicam praeit

altera

alterá metrica rem totam explanans ; haec nimirùm :

L X X X I.

Carnibus orba ſuis cur ſint haec, fortè requiris
Iuncta tamen iuſſo corporis oſſa ſitu?
Sic mandata dedi viuens ANTONIA quondam
Et moriens eadem iuſſa ſuprema dedi.
Vt SCELETOS fierẽ, Medici quò diſcere poſſint
Quanta forent, quot, quo quaelibet oſſa loco.
Quod iuſſi, fecit GISBERTVS: gratia magna
Huic maneat, ſatis eſt lux mihi perpetua.

Idem fere intellige de Symbolo Academico, cuius interpretatio ex Epigraphe ſimul & Figura colligitur. Vel ſi à re tranſportetur Aenigma conſcribendum alibi, vt paſſim fit, clareſcet ibi facilè praeſcripto titulo. Damus exemplum Auſonij, cuius tale extat aenigma :

L X X X I I.

Habet Sepulchrum, non id intus Mortuum,
Habet nec ipſe hic Mortuus buſtum ſuper,
Sibi ſed eſt ipſe hic Sepulchrum & Mortuus.

Hoc apud Auſonium ipſum de facili ſoluitur, praefixo non ſolum titulo illo: *In Signum marmoreum Niobes*, ſed & Tetraſticho huiuſmodi:

L X X X I I I.

Viuebam, ſum facta ſilex, quae deinde polita
Praxitelis manibus viuo iterum Niobe.
Reddidit Artificis manus omnia, ſed ſine ſenſu:
Hunc ego, cùm laeſi Numina, non habui.

Mox namque, memorata Niobe ſaxea, ſuccurrit fabula vulgatiſſima de huius mulieris metamorphoſi, in quam tanto antè luſerat Agathias Graecus conſimillimo aenigmate, vt ab hoc accepiſſe Auſonius meritò credatnr.

L X X X I V.

ὁ τύμβος οὗτος ἔνδον οὐκ ἔχει νεκρόν,
ὁ νεκρός οὗτος ἐκτος οὐκ ἔχει τάφον,
ἀλλ᾽ αὐτὸς αὐτοῦ νεκρὸς ἐςὶ, καὶ τάφος.

Ita Epigrámma hoc aenigmaticon interpretem habet titulum ſuum, qui & ipſe Epigramma eſt, quia Inſcriptio, & vicem ſupplet rei, in quam eſt excogitatum aenigma. Quo quidem modo Perſpicuitas ſarta & tecta videtur tam carmine, quàm Elogio proſaico. Quamquam vt rem planiùs exponamus, nec Auſonius ab Agathia, latinus à Graeco, ſed Graecus ab Hebraeo didicerat aenigma, quod, vt habemus ex ſacris literis, non Niobae competit, ſed vxori Lothi in ſtatuam verſae vltore Deo, cuius illa imperium violauerat. Nam teſte Palaefato Prienenſe, qui Artaxerſis Regis aequalis fuit (lib. de Non credendis fabuloſis narrationibus) Niobe re vera nihil ampliùs quàm mortuis omnibus liberis, lapideam ſibi imaginem conſtituit ſupra natorum ſuorum ſepulchrum ; fortè vt extremum dolorem orbitatis ſuae ſaxeo illo, hoc eſt ſtupido ſui ſimulacro teſtaretur. Coniux autem Lothi caeleſti prodigio & in ſaxum diriguit, & ſtetit nunquam non poſtea ab illa aetate vetuſtiſſima ad hanc vſque noſtram, immobili metamorphoſi ad probrum fabulae, ad terrorem humanae impietatis ; ſpectaturque oculis hodie inter Engaddim, & quod vocant, Mare mortuum, ab omni prorſus iniuria vel temporum, vel viatorum Diuinitùs ſeruata, vt de aetate ſua teſtes ſunt Ioſephus I. Antiqu. Cap. XII. Poſt quem Brocardus Itin. VI. Inde Breidenbachius ibid., tum Saliniacus To. IX. Cap. VI. Nouiſſimè Andrichomius Delphus, qui ſuperiores ſcriptores citans, teſtes appellat oculatos. Vt iam mirum non fiat, tantùm prodigij fuiſſe iam inde à principio iactatum communi dicterio, quod poſtmodum tranſtulit Agathias, & ab Agathia Auſonius ita canens :

L X X X V.

Cadauer, nec habens ſuum Sepulcrum,
Sepulcrum, nec habens ſuum Cadauer,
Sepulcrum tamen, & Cadauer intus.

Quod etſi ſpeciem Aenigmatis habeat ; tamen ſi vel baſi ſtatuae eiuſdẽ prodigioſae inſcriptum fuerit, vel deſcriptum alibi praeuio facti titulo, ab obſcuritatis nota egregiè vindicabitur. Quemadmodum ex recentibus fecit Theſaurus Elogio de Adamo principe humani generis, cui titulum indidit AENIGMA : Cuius Elogij intelligentia vel citra indicẽ tituli patuiſſet. Quem enim hominum lateat de communi parente hiſtoria?

Secus cenſendum de Epitaphio, quod Gruterus citat pag. DCCCXCVII. num. 3. cui nequicquam

quicquam praefigit illum titulum: *Polae in Iſtria Aenigma in quodam tumulo* : videlicet

LXXXVI.

PATER . CVM . FILIA
FRATER . ET . SOROR
SOCER . ET . NVRVS
HIC. TANTVM.DVO. IACENT

Nam quis non abſque titulo Aenigma id eſſe cognouerit? Debuerit nomina prodere, quorum ex fama facile ſuppeteret ſolutio. Patet hinc autem, vt poſteriore modo à nobis ſuprà poſito permittitur Poëtae, ac Elogiaſtae vſus Aenigmatis; cùm etſi non omnibus, ijs ſaltem eſt intellectu facile, ad quos deſtinatur. Neque enim omnia palam legenda exhibentur, ſed quaedam priuatim dumtaxat, alia alijs. Ergo ſuperiorem tumulum noluit, credo, Auctor communem facere, ne vulgi impotentis mores contaminarentur inauditae Veneris exemplo palam poſito: eruditioribus idcirco, & prudentioribus ingenijs inſcriptum voluit, quibus haud arduum foret, rem (vt aiunt) acu tangere in hunc ſenſum: *Hoc in tumulo iacent duo tantùm, quorum alter alterius eſt ſimul Pater, & Frater, & Socer: Altera Filia, Soror, Nurus.* Rem nefandam! Copulatus cum Matre Filius ſuſcipit Filiam: Quà ſuſcipit, Pater fit, illa Filia: Quà Mater communis vtrique, hic Frater, illa Soror: Denique Mater Filio in matrimonium tradens hanc & Sororem, & Filiam, hanc ſibi facit Nurum, illum Socerum.

Cauit hoc conſultiùs auctor antiqui Epitaphij, quod legitur Romae iuxta Portam (vulgò) S. Pauli extra muros, & citatur ab Auctore Inſcript. Sacroſ. Vetuſtatis, videlicet:

LXXXVII.

SEMICAPRI . QVICVNQVE . SVBIS
SACRARIA . FAVNI
HAEC . LEGE . ROMANA
VERBA . NOTATA . MANV
HERSILVS . HIC . IACEO . MECVM
MARVLLA . QVIESCIT
QVAE . SOROR . ET . GENITRIX . QVAE
MIHI . SPONSA . FVIT
VERA . NEGAS . FRONTEMQ. TRAHIS
AENIGMATA . SPHYNGOS
CREDIS . SVNT . PYTHIO . VERA
MAGIS . TRIPODE
ME . PATER . E . NATA . GENVIT
MIHI . IVNGITVR . ILLA
SIC . SOROR . ET . CONIVX
SIC . FVIT . ILLA . PARENS

Nam hic ſimul aenigma proponit, & deuelat, quin ſuſpicionem praecludit aenigmatis, ſubiecta expoſitione.

Pateſcit hinc cenſura aenigmatici dicti: *Alexander Macedo currebat Matris ſuae nomen* (de curſu, ſeu certamine Olympico vſurpati, quòd nomen Matris Olympias) Fuerit licet hoc dictum tunc temporis perſpicuum; at certè leuidenſe nimis, nec dignum, quod Elogio cum alijs eiuſdem notae inſeratur.

Caeterùm aenigmate etſi proſcripto, quia plerumque obſcuritate laborat, erit nihilominus pretium operae citare hoc loco Inſcriptionem aenigmaticam monſtroſiſſimam, quae nobiliſſima ingenia nouitate ſua laceſſiuit, ambiguitate fatigauit, quo veluti Pharo praelucente inſidioſum vadum cautiùs declinent rei Elogiaſticaecae ſtudioſi adhuc peregrini. Legitur id Aenigma ad Bononiam Italiae Vrbem extra Portam Maſcharellam, primo lapide, non procul à Villula M. Antonij Voltae, inſertum parieti Templi cum Villula coniuncti, literis exeſis, & prae vetuſtate fugitiuis. Eſt autem huiuſmodi:

LXXXVIII.

D . M
AEL . LAELIA . CRISPIS . NEC . VIR
NEC . MVLIER . NEC . ANDROGYNA
NEC . PVELLA . NEC . IVVENIS . NEC
ANVS . NEC . CASTA . NEC . MERE
TRIX . NEC . PVDICA . SED . OMNIA
SVBLATA . NEQVE . FAME . NEQVE
FERRO . NEQVE . PESTE . NEQVE . VENENO . SED
OMNIBVS
NEC . CAELO . NEC . AQVIS . NEC
TERRIS . SED . VBIQVE . IACET
LVC . AGATHO . PRISCIVS . NEC . NE

CESSARIVS

CESSARIVS
NEQVE . MOERENS . NEQVE . GAV
DENS . NEQVE . FLENS
HANC . NEC . MOLEM . NEC . PYRA
MIDEM . NEC . SEPVLCRVM
SED . OMNIA
SCIT . ET . NESCIT . CVI . POSVERIT

Hoc tu, Lector, Aenigma Aenigmatum rectè dices, deſiderabiſque (digreſſus raptim à diſſertatione Elogiaſtica) Oedipum aliquem ex multis, qui rem planè aſſequatur. Erit is conſenſu meliorum Caſperius Geuartius, cui de Amore interpretari placet: cùm alij aliter; hoc eſt de Aqua pluuia, de Materia prima, de Niobe, de Anima, de Idaea, denique de Mercurio Chymico. Eſt igitur Geuartio Epitaphium hoc Amoris, ex ſcriptis veterum Platonicorum potiſſimè decerptum in hunc ſenſum: *Aelia Laelia* nuncupatur Amor, quia ſub hoc nomine mentio fit de faeminis apud Poetas, quà Vxoribus, quà Scortis. *Criſpis* quaſi patronymicè à *Criſpo*: Criſpitudo autem capillorum tribuitur Amori à Poëtis; & *Criſpa*, *Criſpilla* vulgò ſcortorum nomina *Nec Vir*, *nec Mulier*, *nec Androgyna*; *ſed Omnia*. In vtroque enim ſexu Amor; tum quia Virilis eſt illi audacia, Muliebriſque timor; tum quia aequè in vtroque dominatur ſexu: Sed & Venus in Cypro barbata colebatur.

Nec Puella, *nec Iuuenis*, *nec Anus*, *ſed Omnia*: ſunt enim qui Amorem vetuſtiſſimum Deorum vocent, & qui Deorum maximè iuuenem.

Nec caſta, *nec Meretrix*, *nec Pudica*, *ſed omnia*: Pudicum & Bonum Amorem ſignificat ἔρος per *o micron*; Impudicum autem, & flagitioſum ἔρως per *ω mega*.

Sublata neque Fame, *neque Ferro*; *neque Peſte*, *neque Veneno*, *ſed omnibus*. Amantium exitus infelices varij; Fame, Ferro, Peſte, Veneno periere.

Nec Caelo, *nec Aquis*, *nec Terris*, *ſed vbique iacet*. Amoris vis, & poteſtas per elementa omnia, Mundumque vniuerſum protenditur. ἔρως Θεῶν, καὶ Ανθρώπων τύραννος apud Euripidem.

Luc. Agatho Priſcius. Alluſio eſt ad Agathonem nobilem Athenienſem, ac iuuenem formoſiſſimum, qui Sympoſium à Platone deſcriptum celebrauit, vbi de Amoris vi, ac natura à doctiſſimis Graecorum copioſè fuit diſputatum. Hic autem erat ſua aetate delicium Graecorum, certatimque ob formam, ac ingenium ſingulare à multis amabatur.

Nec Maritus, *nec Amator*, *nec Neceſſarius* (ſubaudi ex ſequentibus *Sed Omnia*) Potuit enim ſimul eſſe Maritus vxoris ſuae, & praeterea alterius Amator Veneris. Vrbanè autem non neceſſarius, & neceſſarius; propterea quòd multi ſub nomine familiaris, ac neceſſarij ſoleant furtiuis amoribus indulgere.

Neque Moerens, *neque Gaudens*, *neque Flens* (ſubintellige *Sed omnia*) Omnes in Amantibus cientur affectus, Gaudium, Dolor, Spes, Metus.

Hanc neque Molem, *neque Pyramidem*, *neque Sepulcrum*, *ſed omnia*. Tumulorum ſpecies omnes complectitur Auctor, quibus defunctorum carorum cineres committi ſolent.

Scit, *&* *Neſcit*, *cui Poſuerit*. Scit quidem, ſe Amori poſuiſſe; neſcit autem ex ſuprà propoſitis, quis Amor ſit, Vir, an Mulier, an &c.

Membrum XI.

Propagatur Theonis placitum de Aequiuocis ad Amphibologica.

EX Homonymia, ad Amphiboliam tranſgredimur. Saepe enim cadit obſcuritas in verbis non modò ſingulis, ſed etiam contextis: non ſolùm, vt ait Quintilianus lib. VIII. Cap. II. cùm incertum facit intellectum, vt *Chremetem audiui percuſſiſſe Demeam*; ſed, etiam ſi

ſi turbare ſenſum non poteſt, cùm in idem verborum incidit vitium. Vt ſi quis dicat (ait Quintilianus) *viſum à ſe hominem librum ſcribentem*. Nam etſi librum ab homine ſcribi pateat; malè tamen compoſuerat, feceratque ambiguum, quantum in ipſo fuit. Porrò hoc vitium oritur ex concurſu ſimiliter cadentium, ac deſinentium dictionum diuerſi ordinis. Quod contigit nobis obſeruare in recente Inſcriptione de Caeſare Montio ad honores Romanae Purpurae, ac Mediolanenſis Infulae euecto. Ita verò habebat: *Giganteo inceſſu Honorum laborum comitum immenſum iter emenſus--Tui ad montis apicem rediſti* &c. Inſpecta illud, *honorum laborum comitum*, cui nec ſatis eſt recta & naturalis collocatio, ni locutionem ſimul varies & ſententiam: v. g. *laboris honore comite immenſum iter* &c. Vel: *Honoris ſimul ac laboris*, Vel *Honoris per laboris callem*, vel aliter. Huius placiti religioſiſſimus omninò obſeruator fuit Auctor Epitaphij Romani in Aede SS. Trinitatis Angelorum, videlicet:

LXXXIX.

Ioanni Gilio Lucenſi Epiſcopo V Vigornien. I. V. conſ. conſummatae virtutis Viro. Sereniſs. Henrici VII. Anglorum Regis apud Pont. Oratori. Silueſter Regia liberalitate dignitatis ſucceſſor patrueli benemer. Poſ. Obijt An. Sal. MCCCCIIC menſe Aug. Aetatis ſuae LXIIII.

Vbi dicere maluit *Regia liberalitate dignitatis ſucceſſor*, quàm *Regis liberalitate*: ne ſcilicet continuatio illa ſimilium caſuum, ſimiliterque cadentium, *Regis dignitatis* ſpeciem inciſorum aliquam praetendens, nitorem ſententiae, perſpicuitatemque perturbaret.

Sed prioris modi obſcuritatem ex Amphibologia cenſor quidam audientibus nobis notauit, è Brabantinis monumentis allegans Dedicationem Hortorum, & Aedium Franciſci Suueertij, quam dum ille recitat, recordamur perſimilem à nobis alibi lectam: & nae tu (ſubdimus) aut varias Auctorem, aut locum. Sed ſubſiſte parumper, dum refricamus memoriam: Vix, cùm ſuccurrit nobis alter à Brabantinis & ſcriptor, & locus, ipſeque prorſùm tractus Inſcriptionis. Sed priuſquam è penu memoriae noſtrae promeremus, rogantibus vt planè quod legerat ille, & notauerat, perſolueret, ita primum recitauit ſuam, videlicet Antuerpiae lectam

XC.

FRANC. SVVEERTIVS F.
Aedes, & Hortos Muſis dedicat
ratus
Eas hilari huiuſce Caeli poſitione
Allicere atque ita fortaſſis
Amicas fore
Sub. Alb. & Iſab. Auſtr.
Nouit paucos ſecura quies

* quia in Horto Paterno Filius inſcripſit
* ſub Alberto & Iſabella Auſtrijs regnantibus.

Nos ad haec haeſimus, plurimùm mirantes, potuiſſe fieri, vt vna & eadem fere Inſcriptio haud veteris operae, atque adeò memoriae noſtrae duobus aequalibus viris, principibus Reip. literariae, tam graui hinc inde teſtimonio attribueretur. Nam quae modò recitata eſt, eam Suueertius ipſe ſuam facit in Volumine ab ſe edito Antuerpiae, anno MDCXIII. (aſſerit Cenſor) apud Gaſparem Bellerum Typographum, cui titulus eſt: *Monumenta Sepulcralia & Inſcriptiones Publicae Priuataeque Ducatus Brabantiae. Franciſcus Suueertius F. poſteritati collegit*. Porrò nos meminimus, dum verſaremus Dialogum Scipionis Ammirati Florentini vernacula lingua ſcriptum; cui titulus *IL RVOTA, o vero dell' Impreſe*; incidiſſe (in alteram dicemus Inſcriptionem, an illam ipſam? adeò cum altera conuenit & conſilio Auctoris & conceptione & phraſi) in alteram certè, eo ſignificatu, quo apud Liuium bello Pun. dictus *Pater ipſe Amilcar, Mars alter*. Erat autem haec:

XCI.

BERNARDINVS. ROTA
Muſis Hortos dicauit, ratus eas
Hilari huiuſce Caeli clementia allicere, atque ita fortaſſe Amicas fore

Audiſtinè? I nunc, & nega, demitti è ſideribus tum caeterarum rerum omnium formas, tum maximè ingeniorum, vt ſaepe hominibus multis eadem vis mentis & intelligendi vigor vnius modi obtingat; vnde & ſententia vnius

inſcio

inſcio altero ſaepe concurrat, & orationes amborum concordent ipſis pene numeris, haud ſecus ſi forent ijſdem ipſis typis excuſae: Id quod arguit apertè Inſcriptio ipſiſſima fere vtriuſque Auctoris: quamquam Rota, ſi aetatem computes, aliquantò ſuperior fuerit Sueertio. Sed (in rem noſtram) vt cognata illa duo ingenia dicamus & vno ſtillata ſidere, en eadem cenſurae materies in vtraque: Notauit is ſiquidem quaſi amphibologicòs dictum illud: *Ratus eas &c. allicere*: cùm vter ſit, qui alliciat, dubitari poſſit; & eas quidem eſſe, ordo ſtructurae ſuggerere videatur: ambiguitatem verò ſublatum iri, ſi paſſiuè redderetur, *Ratus eas &c. allici*, vel *allectum iri*; nam concordaret inſequens membrum; *Atque ita fortaſſe Amicas fore*.

Huc pertinet, cùm contrarium pariter ex eadem ſententia colligi poteſt: Vt quidam Elogiaſtes ex recentibus de Diuo N. optante Martyrium, ait: *O dulcem vitam, cui mors conceſſit in votum*. Poterat aequè inferri contrarium ita: *O amaram vitam, cui mors conceſſit in votum*. Nam vitae miſerae leuamentum, & ſolatium Mors eſt. Quod certè Auctor ipſe comprobare videtur paulò pòſt dicens; *Lubens mortem accepiſſet in praemium, qui vitam egiſſe videbatur ad poenam*.

Membrum XII.

Propagatur Theonis placitum de Aequiuocis ad Biſquaeſita.

Biſquaeſitum (Italicè *Biſticcio*) quod etiam Alliteratio, & Aſſonantia nonnullis dicitur, narrationem perſaepe obumbrat, non rarò foedat. Fit tribus modis, videlicet In Elementis, Syllabis, Dictionibus.

In Elementis eſt illud Gerberti de ſe ipſo canentis:

XCII.

Scandit ab R Gerbertus in R: poſt Papa viget R.

Quis porrò attinget ex poſteris ſenſum huiuſce carminis, niſi priùs ex eius ſeculi monumentis, non Aerei tantum, ſed (RR geminato) Ferrei, hoc eſt Anno DCCCCIC ab Orbe ſeruato, intellexerit, eum Virum Roberti Francorum Regis Magiſtrum, ac Inſtitutorem ſapientiſſimum, ad Rhemenſem primùm ſedem Epiſcopalem aſſumptum, poſt ad Rauennatem traductum, tandem euectum ad Romanam Apoſtolicam, vbique reliquiſſe veſtigia ſanctitatis expreſſa?

Fuit id genus Inſcriptio indita libro Eraſmi Rotherodami à Pariſienſe quodam eruditiſſimo, cui perlegendum ille miſerat, rogabatque affectator laudis, reſcriberet, quid in eo tandem obſeruaſſet. Ergo is librum remiſit inſcriptum ſolitariè litera illius patria R Latinè, Graecè, & Hebraicè, hoc pacto (R, P, ר) pro Elogio Cenſuram ſtringens, acriorem fortè, quia tectam: quàm ſi pro idiomate legeris, deteges, er, ro, res; ſi quidem Cenſor rogatus, non niſi errores offendiſſe ſe dixit in libro. Rem aliter deſcribit Em. Theſaurus in ſua Idea Heroicar. Argutiar. Inſcriptionem illam conſtitiſſe non Clementis pictis, ſed Carmine exarato videlicet

Ee habet Auſonium liber hic; habet Erque Pelaſgum,
ER habet Hebraeum, praetereàque nihil.

An verò reprobemus eruditiſſimi viri tale inuentum? Haud quaquam. Imo & acumen commendare licet, & prudentiam corripientis deſipientem Haereticum, plenum arrogantia, & ambitione diſtentum. Non debet proptereà trahi in exemplum Elogiaſtae: & quod priuato capiti exhibitum, facile captu, locum non reperit in publicis Epigraphis, quae conſpectibus omnium, vt percipiantur, proponi poſtulant.

Deinde Biſquaeſitum in ſyllabis eſt illud Virgilij Aen. III. *Caſus Caſſandra canebat*: Vtrum verò, cùm Poetae concedatur, id etiam Elogiaſtae? Vix enim cauetur durities, qua robur, & forma Elogij quodammodo ſideratur; vt in illo de Iulio Caeſare interfecto *Ceſſit Ciuibus Caeſar Caeſus*. Tolerabilius alterum de Caeſare Montio Mediol. Archiepiſcopo, quia parcius: *Aurea redibunt ſecula, PEreamque, ſi PEiero.*

Illud

Illud verò minimè tolerandum : *O felix fortunae aſpiratio Mediolani : Filia cui PARet, dum PARit : PARens vſque, Nouerca nunquam* &c. At illud : *PATer PATriae Caeſar* bonae alliterationis typus eſt, quia modicae, & priſcis probatae. Ibi autem : *Furore charitatis abreptus in publicam exurgit ſalutem* (benè hactenus, ſed deinceps infauſtè) *benignè PArens PAreamus illi, PAternae incrementa pietatis ſentiamus*. Illa quoque infelicia : *Quolibet ONeratus ONere, Condecoratus HONore*. Et: *Perge enimuerò non CLAVdicante Fortuna, Merito CLAVdente, CLAVes accipies*. Item : *Quàm laetabundus ecce PAtriam PAtriae PArens ingreditur!* Et hic quidem impendio minore ſententiam prompſiſſet dicendo *Patriam Parens ingreditur*.

Tandem in Dictionibus ne ſit obſcurus, & inſulſus, vix poterit euitari, cuiuſmodi locus ille in Elogio de Caeſare Montio Cardinali : *O quantam charitatis ſegetem Non SOLVM in ſuum SOLVM, ſed & in alienum EFFVſiſſimis EFFVndet animis Montius Purpuratorum Eminentiſs.* &c. quo loco alterum in ſyllabis biſquaeſitum obſerues. Illud etiam de Eodem Montio cui non puteat? *Pulchrior ecce Sol ſole ſolus Tenebris offundes tenebras, Lucem infundens luci Occaſus neſciam*. Vix vnum & alterum exemplum proferre nobis licet ex multa lectione Elogiaſtarum, in quo Biſquaeſitum ſit caſtum : Ideſt Franciſcum Polam de Hieronymo Bonio Praetore Vallis Pulicellae, videlicet :

XCIII.

HIERONYMVS . BONIVS
BONIS . MALIS
SEMPER . BONVS

Alterum in Elogio de Aduentu Caeſaris Montij Cardinalis ad ſedem Archiepiſcopalem in patria : *Vt Caeſar, vigilantiſſima cuſtodia tuto ſceptro firmata, Aras ſartas & tectas feret : Vt Montius, Auorum geſta congeſta teſtatus gloria, ſua geſta linquet Nepotum calamis teſtanda*.

Cauenda porrò eſt Charybdis, dum Scylla declinatur, ideſt ne ſalis gratia, ac perſpicuitatis dictio aliqua intrudatur improprio, aut nouo ſignificatu. Veluti quùm de Septuaginta interpretibus Sacrorum voluminum in Erythraeo litore diſcretis domicilio, ingenio tamen & ſenſu conſpirantiſſimis dixit recens Elogiaſtes : *Vnilingues fuere, quia concordes. Pretioſorem VNIONEM nuſquam viderat illud Mare VNIONVM ferax*. Siquidem priore loco *Vnionem* pro Concordia nequaquam latinum eſt, vt ſuperiore libro indicauimus in Claſſe IV. de Nouatis Vocibus Chriſtianis.

Membrum XIII.

Propagatur Theonis placitum de Aequiuocis ad Notas ſingulares.

SI Perſpicuitati officiunt ſenſa verbis aenigmaticis abſtruſa ; etiam verba literis. Quamobrem Elogio iniurij videntur, qui notis, aut elementis praeter communem legem ſolitarijs inſcribunt, quò tùm maximè ſuam inuoluant ſententiam, cùm prodere profitentur. Magna verò ac minimè ferenda audacia, tentare ineptijs ſuis (nam id ineptientis demum eſt) alienam peritiam, fraudare legentium ſtudium, ludere curioſorum induſtriam, exigere notis ignotis tanquam Pythios ſuorum deliramentorum interpretem. Arrogabit, (credo), ſibi humuncio è plebecula, quod ſacroſanctis olim oraculis datum audiuit; datum videlicet Sibyllae, quae Romae fornicem Arcus in Ianiculo his literis inſigniri creditur iuſſiſſe :

XCIV.

P.P.P.E.S.S.S.E.V.V.V.V.V.V.V.F.F.F.F

Quas literas ita conſenſus communis eruditorum exponit.

Pater . Patriae . Profectus . Eſt . Secum
Salus . Sublata . Eſt . Venit . Victor
Validus . Vicit . Vires . Vrbis . Veſtrae
Ferro . Flamma . Fame . Frigore

Aut fortè affectabit inſtaurare ſibi Delphos, &

Apollinem

Apollinem, vt alterum E I aureum, aereum, ligneum inſcribat in fronte molis, quo Plutarchum fatiget in referendis ſuper ea vel litera, vel diphthongo, vel dictione ſententijs deſſidentium inter ſe, aut melius ſomniantium Sophorum, qui nihil demum poſt longam diſſertationis periodum ſtatuunt, rem autem implicatiorem, quàm ante, diſerunt. Sed enimuerò inſcribitur docendis lectoribus, non mente deturbandis.

Audio has ſibyllas, hos Apollines naeotericos proferre quaſi rei tritae doctis ingenijs apud veteres non pauca monumenta; Videlicet Vrnam in cippo quadrangularem, cuius meminit Gruterus pag. XVII. n. 4. & eam ſolitarijs tantùm hiſce notis inſculptam

XCV.

I. O. M
M. I. V
V. S. L. M

At quis ita imperitus eſt antiquitatis, vt ſaltem non aſſequatur, eo temporis compendia illa literarum ex vſu frequenti ita nota fuiſſe, ac integras dictiones. Itaque nemini non erat promptum ſic legi oportere:

XCVI.

Ioui. Optimo. Maximo
Marcus Iunius Valerius
Votum Soluit Libens Merito

Illam quoquè non abſimili ratione tuemur Inſcriptiunculam apud Grut. eodem loco num. 3.

XCVII.

I. O. M
SACRVM
C. C. S

Nam vulgi conſuetudo ipſa interpretabatur hoc modo.

Ioui. Optimo. Maximo
Sacrum
Curauerunt Communi Sumptu

Quae verò ibidem proxmo numero citatur, inciſis notis in aenea lucerna, quemadmodum tunc temporis explicatio haud obſcura eſſe debuit; ita nunc lucernam poſcit Pythagorae, vt illuſtretur. Ea eſt:

XCVIII.

L. C. I
C. I. C
I. O. M. S

Cuius poſtremam quidem partem facile legas: *Ioui Optimo Maximo Sacrum* vel (ſi ad lucernam ipſam referas) *Sacra*. reliquum ſententiae adhuc incompertum eſt nobis, ignaris & loci, & conſuetudinis, & temporis illius. Id quod cautos nos iubet eſſe, vt formulas inſcribendi facilè exoleſcentes ab Elogijs excludamus, dum rerum memoriam molimur poſteritati aequalem efficere. Quare ijs dumtaxat notis antiquorum vti hodie cum laude fas eſt, quae & vſitatiores erant Romanis, & ſunt ab eruditis noſtratibus reſtitutae, ſeu modico flexu ad mores noſtros accommodate. v. g., pro I. O. M (*Ioui Optimo Maximo*) dicimus D. O. M. vel D. Opt. Max. (*Deo Optimo Maximo*) pro D. M. (*Dijs Manibus*) nos P. M. (*Pijs Manibus*) & ſimilia. Rarae verò priſcis Romanis, hodieque reconditae iubebunt Iani Gruteri *de Inſcriptionibus antiquis totius Orbis Romani* Volumen non minus pretio, quàm mole metuendum cuique ſtudioſo comparatum ac promptum geſtari.

Erit è re noſtra, vt obſeruentur Notae numerales veterum monumentorum, vt quas conſuetudo noſtri temporis tenuit, admittamus, quas deſuetudo aboluit, reſpuamus. Eas ſubiecta tabula notat, carmen explicat: hoc autem elegantiùs concinnauit Petrus Adrianus Vanden Broeche Flandro-belga, Amicus noſter, quàm quod citat Baronius ex vetere ſcriptore, infelicis ſeculi

CCCCC

CCCCC	CCC	C 100	CCCCC	
A	B	C	D	
CCL	XL	CCCC	CC	C 100 cum circulo mill.
E	F	G	H	I CIƆ
CL	L 50	CIƆ mille	CCIƆ 900	XI
K	L	M	N	O
VII	CCCCC	XXC	VII	CLX
P	Q	R	S	T
V 5	X · 10	CLIX	CIƆ CIƆ 2000	
V	X	Y	Z	

Numeri Litterarum Militaris pompae Simulacro expreſsi.

A Quingentena numerorum prole ſuperbit.
B Pone ingreditur numeris ſtipata trecentis.
C Socijs centum incedit, pompaque minore.
D Paribus numeris cum prima aequabitur Alpha.
E Sibi dimidio Delthae ſatis agmine gaudet.
F Maeret, deniſque quater ſuccedit Alumnis.
G Quadringentos pulchro trahit ordine ciues.
H Bis centeno ſua pandit milite ſigna.
I Et C centeno iunctae gradiuntur honore.

Circulo obi verſo, numeros tunc mille videtis.

K Quinquagena ter caſſide tempora velat.
L Denis quinque audaci ſe miſcet arenae.
M Domina eſt, equites hanc mille ſequũtur euntem.
N Quoque non gentis properat defenſa Miniſtris.
O Trepida vndenis inuoluitur vndique Scutis.
P Simili cum S numero contenta quieſcit.
Q Similes Alphae numeros, Delthaeque repoſcit.
R Denos octo lateri ſubcingitur enſes.
S Vocem tollit, ſeptenaque ſibila campo.
T Sexaginta, centena, & Tympana pulſat.
V Quinque Ancillae trepidãtem in praelia ducũt.
X Cauta in vallo, deniſque in ſcrobibus haeret.
Y Quinquagenos ter habet, Clypeoſque nouenos.
Zeta omnem claudit ſignis bis mille phalangem.

Conſule Valerium Probum, Petrum Diaconum, Caeſarem Baronium & alios, qui de antiquis notis ſcripſere.

E quibus quidem notis Alphabeticis illas tantùm ſecepit vſus, nempe C (pro 100) D (pro 500) L (pro 50) M (pro 1000) pro quo melius CIƆ, V (pro 5) X (pro 10 Ⓘ nonnullis placet, nec perperam: Caeteras autem ſalua perſpicuitate non admiſeris.

Iam vetus conſuetudo, in latinis marmoribus cudendi *Senatus, Populuſque Romanus* effecit clarum ſignificatum ſingularium literarum S.P.Q.R. Ex quibus ipſis Aenigma nuper excogitatum, atque expoſitum Romae, vnius tamen Auctoris interpretatione innotuit. Siquidem Pontifice Maximo poſt Vaticana comitia capeſſente Vrbis imperium, inter pompae ſolemnis feſtos apparatus pependit ad aedes Ciuis priuati Tabula ijs inſcripta literis, ſed ordine duplici, ac recurſu praepoſtero, interpoſita interrogationis nota, hoc pacto

XCIX.

S . P . Q . R ?
R . Q . P . S

Mens erat alludere ad Pontificem ipſum, quà genio hilaritatis iam cognito, quà ſenſu laetitiae publicae, inter acclamantium, & ſalutantium feſtiſſimas voces praeferentem ore riſum. Sed

ſoluit

ſoluit re ipſa ad riſum ſcitanti facta ſolutio Aenigmatis, huiuſmodi

Summe Pontifex Quare Rides?

Rideo, Quia Pontifex Sum.

Ridendum quippe inuentum, ſed ridendus iuſtiùs quiſquis ei numeros, aut formam bonae Inſcriptionis ob inuictam obſcuritatem tribueret, quidquid ſe purget alleganda vetere hiſtoria, Romanorum, qui contrà Sabinorum inſignibus ita literatis S. P. Q. R. ideſt *Sabinis Populis Quis Reſiſtet?* obiecere ſimilia S. P. Q. R. quaſi ſubiectum interrogantibus reſponſum *Senatus Populus Que Romanus*. Nihil autem expurgabit memoria, vbi interpretationem longè aliam poſcunt eae notae, ad rem inopinatam, nimiſque remotam traductae.

Eximenda videtur ab hac cenſura Inſcriptio, Auctore Io. Ambroſio Mazenta, in Xyſto noſtrarum Aedium Mediolani ad Diui Barnabae, ſub imagine Diui ipſius, quem Ciuitas fundatorem Chriſtianae religionis, & Archiepiſcopum Primum colit. Inſcripſit autem cum tergemina litera

C.

DIVVS . BARNABAS
APOST
P . P . P

Haud quaquam obſcura Mediolanenſibus ex vſu vetere, nec hodie ignoto, Romanorum, vt facilè quiſquis legat:

Diuus Barnabas
Apoſtolus
Primus Pater Patriae

Quid porrò de illis iudicabimus, qui literis ſolitarijs nullo tempore, nullo vſu perceptis commendare inſtituunt rerum memorias poſteris? Citat Gruterus exemplum, & quidem ſuo loco, hoc eſt inter Spuria, pag. XXI. Bracteam ex auro puriſſimo in peruetuſto ſepulcro, ſuperpoſitam humano cadaueri, qua parte cor ſedet. Ea erat longior, quàm Latior, Graecè autem exarata in hunc modum

CI.

Α Ε Η Ι Ο Υ Ω
Ω Υ Ο Ι Η Ε Α
Ε Η Ι Ο Υ Ω Α
Υ Ο Ι Η Ε Α Ω
Η Ι Ο Υ Ω Α Ε
Ο Ι Η Ε Α Ω Υ
Ι Ο Υ Ω Α Ε Η

Hae ſunt (vt etiam obſeruat ibi Gruterus) Vocales ſeptem Graecorum, totidem repetitae verſibus, ſed ordine ſemper alio; ex quo vel arcanum aliquid Pythagoreus diuinauerit, vel prudens quiſque per ſe iudicauerit, declinare ſe oportere notam inſaniae, ſi ſuper nugis huiuſmodi tempus terat, repertrurus pro Theſauro concepto vix nudos in vrna cineres.

Neque porrò dignam putamus maieſtate Elogij ſimilem illius Epigrapham cum expoſito ſimul aenigmate, quam habet Suueertius inter monumenta Brabantina (pudet referre, ſed vincimur gratia tyronum, vt excernere faeculenta nouerint, & florem tenere) cuius eſt titulus *Quomodo bibendum muſicaliter*, cuius barbaries in vocibus praeſertim *Muſicaliter* pro *Muſice* & *lacrimabiliter*, pro *cum lachrymis* ſatis indicat notam argumenti, quod erat huiuſmodi:

CII.

VT	hoc eſt		*Vtiliter*
RE			*Regaliter*
MI			*Mirabiliter*
FA			*Famosè*
SOL			*Solenniter*
LA			*Lachrymabiliter*

Haec enim praeterquamquòd Popinae nata eſt, ne formam quidem praefert Inſcriptionis, cùm neceſſariò praeſcribat titulum. Ita Inſcriptio potiùs Inſcriptionis monſtroſa eſt; Niſi quis eam conſignandam dolijs, aut cantharis putet.

Ex his, quae hactenus tradita ſunt, haud difficilis exiſtet cenſura de Sepulchrali Elogio in Vrbe Bruxella, quod in Appendice Brabantinorum citatur apud Suueertium, oratione ſcriptum mètrica, proſaica, compendiaria. Dabimus

CIII.

In Diuae Gudulae

Hoſpes ergo infelix, infleti corporis vmbra
Itala per Belgas nocte ſilente vagor.
Et ſaxum hoc volitans circumſum terror, amatam
Quaerens qui cinerem hanc transferat in patriam
Nec ceſſem, donec lachrymis defleta meorum
Quae tulit, haec eadem Parthenope oſſa tegat.

Antonio

Antonio Doſae Neapolit. I. V. L. Patrit.
Qui Homo Italus
In Belgis morte importuniſs. raptus
Dum gradum ſibi ad ſummos honores
Faceret apud Regem Suum Philippum Auſtrium
Acerbiſſimam ſui memoriam
Reliquit Amicis ſuis.
Vixit Ann. XXXIX. Obijt MCCCCCLVII.
O Fall. H. S. Frag.
Q. F. E. T
In N. L. Q. Im. S. S. Frang.
Et L. Eta. I. I. I.
O Quam P. L. P

Mediolani autem Sacellum illud in Diui Franciſci, familiae cognomine Mirabilis aere conſtructum, quid niſi mirabile iubet eſſe id epigramma, ſingularibus ſubſcriptum notis, quae Lectoris procul intelligentiam fugiunt? Videlicet:

CIV.

D . O . M
Ludouicae Dugnanae Vxori Dilectiſſimae
Caeſar Mirabilis Poſuit
Obijt XV. Kal. Decemb.
O.A.N.A.T.O.Q.T.H.Z.H.Z.Y.X.I.A.H.Z
E.N.E.T.H.P

Contrà verò inſulſum eſt ſingularium literarum expoſitionem apponere: quo de genere cenſetur Marmor reiectum à Grutero inter ſpuria, pag. III. num. 2. idque in orbem deſcriptum, ordine duplici: primo & ampliore in haec verba:

CV.

PACE . POPVLO . ROMANO
VRBIQ. PACE . IANVM . CLVSIT

Altero autem & breuiore, intrinſecùs literis ſolitarijs recta linea ſubiectis P. P. R. V. P. I. C. vt has illis exponi vel caecis appareat, rediculè omninò, ne dum inſulsè.

Membrum XIV.

Quas Notas, ſeu literas ſingulares ex Antiquitate vſus hodiernus probet.

Acceptae atque vſitatae illae ferè obſeruantur hoc tempore in marmoribus, alijſque id genus tabulis: Videlicet

A. ſeu AN. pro *Anno*: A. M. D. *Annos, Menſes, Dies*: A. F. A. N. *Antonij Filius, Antonij Nepos.*

B. M. *Bene Merenti*, ſeu *Bonae Memoriae.*

D. *Dicatum* D. D. *Dedicauit*, vel *Dedicarunt*, vel *Dedicatum*, vel *Dedit Donauit*, vel *Diui*, vel *Diuae* (ſicut Ethnicis fuit *Dea Dia*) pro *Sancti*, & *Sanctae* ſic D. *Diuus*, vel *Diua*: D.D.D. *Donum Dedit, Dedicauit*: D. N. *Dominus Noſter* (vox ſequioris ſeculi) D. N. M. Q. E. *Deuotus Numini Maieſtatique eius*: D. O. M *Deo Optimo Maximo* (ethnicis *Deae Optimae Maximae*) DD. NN. *Domini noſtri.*

F. *Filius*, vel *Filia*. Item *Fecit*: F. C. *Faciendum curauit*: F. I. *Fieri iuſſit.*

H. S. E. *Hic ſitus* (vel *ſita*) *Eſt*: H. M. H. N. S. *Hoc monumentum heredes non ſequitur.*

I. *Semel*: II. bis &c. I. C. (*Iudex cognitionum* priſcis) *Iuris conſultus*: I. V. C. *Iuris vtriuſque conſultus*: I. V. D. (minimè Latinum, vt vulgus vſurpat) *Iuris vtriuſque Doctor*. I. *Primus*: II. *Secundus*: K. *Kalendae.*

L. M. *Libens, merito*. L L. M. *Libentiſſimè merito*. LL. *Leges*, vel *Legum.*

M. *Magiſter, Mater, Monumentum, Marcus*, vt *M. Antonius*: M. D. M: *Magnae Dei Matri* (erat antiquis *Magnae Deum Matri*:) M. E. *Monumentum erexit*: M.F.C. *Monumentum fieri curauit*. M. *Merito*: M. M. *Meritiſſimo*: M. P. *Monumentum poſuit*: M. H. *Monumentum Hoc.*

N. *Nepos, Noſter, Natione, Numero*. N. M. Q. E. *Numini Maieſtatique eius.*

O. M. *Optimus Maximus.*

P. *Pater, Pontifex, Patria, Poſuit*: P. C. *Ponendum curauit*. P. F. *Pius, Felix*. P. M. *Pontifex Maximus*: P. P. *Pater Patriae*: P. R. *Populus*

pulus Romanus (& in vnaquaque ciuitate ſimiliter) P. P. *Pedes*.

R. P. *Reſpublica*.

S. *Soluit*, *ſepulcrum*. S. C. *Senatuſconſulto*. SS. *Sanctiſſimus*. S. *Sanctus*. SS. *Sanctis duobus*. SSS. *Sanctis tribus*. S. P. *Sibi poſuit*.

V. *Vir*. V. C. *Vir clariſſimus*. V. A. L. *Vixit annos quinquaginta*. V. E. *Vir egregius*. V. V. C. C. *Viri clariſſimi* (numero multitud.) V. V. E. E. *Viri egregij*. V. N. *Quinto Nonas*. V. K. *Quinto Kalendas*.

X. *Decimus*. XVIR. *Decemuir*.

Sunt & aliae ſingulares notae, quas res ipſa interpretatur, mediocriter ſaltem eruditis, videlicet:

In Ara A. F. inſcriptae facile offerunt legenti ARA FACTA: H. A. F. C. *Hanc Aram Faciundam Curauit*.

In Donarijs, rebuſue votiuis & huiuſmodi, V. S. *Voto Suſcepto*, vel *Votum Soluit*: S. L. M. *Soluit Libens Merito*: A. L. *Animo Libens*: A. L. V. S. *Animo Libens Votum Soluit*: A. L. F. *Animo Libens Fecit*: D. D. *Dono Dedit*: vel *Dederunt*: L. M. D. *Libens Merito Dedit*: D. D. L. M. *Donum Dedit Libens Merito*: & L. L. M. *Libentiſſime Merito*: V. *Votum*: V.S.L.M. *Votum Soluit Libens Merito*: D.P. *Donum Poſuit*: D. P.P. D. *De Pecunia Propria Dedicarunt*: D. S. D. *De Suo Dedit*: D.S.D.D. *De Suo Donum Dedit*: D. S. I. F. *De Sua Impenſa Fecit*. D.S. I. P. C. *De Sua Impenſa Ponendum Curauit*: D. S. P. *De Suo Poſuit*, vel *De Sua Pecunia*: D. S. P. F. C. *De Sua Pecunia Faciundum Curauit*: D. S. S. *De Suo Sumptu*.

Vbi Aetas indicatur: A.P.M. *Annorum Plus Minus*: AN. V. P. M. II. *Annos Vixit Plus Minus Duos*.

Poſt memorata beneficia, ſi gratus memoriam poſuit, B. M. *Bene Merenti*: B. D. S. M. *Bene De Se Merenti*: D. S. B. M. *De Se Bene Merenti*: B.M.F. *Bene Merenti Fecit*: B.M.P. *Bene Merenti Poſuit*: B.M.F.C. *Bene Merenti Faciundum Curauit*: B. N. M. *Bene Merito*: B. N. M. F. *Bene Merenti Fecit*: O. D. S. M. *Optimè de Se Merito*.

Vbi genus deducitur, F. *Filius*: N. *Nepos*: PRON. *Pronepos*: ABN. *Abnepos*.

Praecedente alicuius Viri nomine, V. C. eſt *Vir Clariſſimus*: & contrà C. V. *Clariſſimus Vir*: E.M.V. *Egregiae Memoriae Vir*: Summi autem Viri P. P. *Pater Patriae*.

In mentione patriae C. R. & C. ROM. *Ciuis Romanus*: C. FLOR. *Ciuis Florentinus*.

De rei chronico AB. V. C. *Ab Vrbe Condita*.

Sepulcrales Epigraphae ſaepe habent, H.M.P. ideſt *Hoc Monumentum Poſuit*. H. S. E. *Hic Situs Eſt*: H. S. S. *Hic Siti Sunt*: S. ET. S. *Sibi Et Suis*: V. F. *Viuens Fecit*: V. P. *Viuus Poſuit*: V. C. *Viuens Curauit*: S.V.P. *Sibi Viuus Poſuit*. Obſeruanda eſt memoria ſepulcralis apud Gruterum pag. MCLXXVIII. num. 5. videlicet:

CVIII.

C. MAVCELLIVS . C. L. ZOSIMVS
ET
MAVCELLIA
C. L. REGILLA
V SIBI . ET SVIS F
IN . FR. P. XII
IN . AG. P. XIV

Operis materia interpretatur notam; vt ſignum M. lege *Marmoreum*: ſignum ARG. *Argenteum*: Baſis M. *Marmorea*. Auctoris verò mentio, H. C. *Heres Curauit*: P. S. F. *Pecunia Sua Fecit*: S. P. F. *Sua Pecunia Fecit*: S. P.F.C. *Sua Pecunia Faciundum Curauit*: S.P.P. *Sua Pecunia Poſuit*.

Facta Collegij mentione, H. C. D. D. *Huic Collegio Dedicarunt*. Curiae verò, vbi Magiſtratus, IN. H. M. *In Hoc Magiſtratu*.

In lapide Milliario, A. M. XX. *Ad Milliare Viceſimum*: M.P. *Millia Paſſuum*: AB. V. M. P. XX. *Ab Vrbe Millia Paſſuum Viginti*.

Pecuniae ſumptus, M. N. indicat *Mille Nummum*: M. N. X. *Millia Nummum Decem*.

Caeterùm Vetuſtatis Romanae, quia mores plurimi, & leges aboletae, ita & plurimarum vſus notarum; è quibus non paucas incompertas eſſe Iano Grutero ipſi Antiquariorum Principi liquet ex eius Indicis Capite XX. ad Volumen Inſcriptionum Antiquarum totius Orbis Romani, vbi praeter inſtitutum ſuum interpretationem ſupprimit nonnullarum. Itaque formula illa compendiaria hodie inſolens obſcura foret in Conſultationum ac Decretorum tabu-

lis Q. D. E. R. F. P. D. E. R. I. C. ideſt *Quid De Ea Re Fieri Placeret*, *De Ea Re Ita Cenſuerunt*. E. R. E. V. *E Republica Eſſe Videbitur*. A. A. S. E. V. *Alter Amboue, Si Eis Videbitur*. Dedicationum ſimiliter, quia Ethniciſmus exciſus, B. D. D. *Bonis Deabus*. D. D. O. *Dijs Deabus Omnibus*. D. P. *Dijs Publicis*. D. M. *Dijs Manibus*. Ita ſacrificiorum illius gentis B. F. A. *Bouem Foeminam Albam*. B. M. *Bouem Marem*. Et religionis, D.S.I.V.I.S.L.M. *De Sua Impenſa Votum Iure Soluit Libens Merito*. I. D. *Iuſſu Dei*. D. M. *Diuino Monitu*. O. I. B. Q. C. *Oſſa Illius Bene Quieſcant Condita*. S.T.T. L. *Sit Tibi Terra Leuis*, & S.T.T.G. *Sit Tibi Terra Grauis*. S.A.D. *Sub Aſcia Dedicauit*. V. V. *Virgini Veſtali*, & ſimiles formulae, vt in Grutero ibidem.

Peregrinitas quoque hoc temporis Latinae linguae, infrequentiaque Inſcriptionum multas ſuper alijs argumentis notas huiuſmodi reddit ignotas, mediocriter ſaltem Latinè doctis, quas, qui vulgò inſcribit, ſtudioſus Perſpicuitatis malit idcirco proſcribere. Aliter, ſi eruditis tantùm inſeruiat: Cuiuſmodi ſunt A. A. A. F. F. *Auro, Argento, Aere, Flando, Feriundo*. B. *Beneficiarius*. B. F. & BF. *Beneficiarius*. B. B. *Bene Bene*, ideſt *Optimè*, *Feliciter*. B. P. D. *Bono Publico Dedit*. B. R. P. *Bono Reipublicae*. C. *Coniux*: & *Cohors*. C. K. *Coniugi Kariſſimae*. C. B. *Ciuis Bonus*. C. C. C. *Calumniae Cauendae Cauſa*. C.C.S. *Curatum Communi Sumptu*. C. R. *Curauit Refici*; C.S.F. *Communi Sumptu Fecit*. C. S. H. S. S. *Communi Sepulcro Hic Siti Sunt*. C. V. P. V. D. D. *Communi Voluntate Publicè Votum Dedicarunt*: D. D. *Decreto Decurionum*: D. V. *Deuota Virgo*: E. *Erexit*: E. S. *E ſuo*: E. T. F. I. S. *Ex Teſtamento Fieri Iuſſit ſibi*: F. *Filia*: F. F. P. P. F. F. *Fortiſſimi Piiſſimi Feliciſſimi*: F. I. D. P. S. *Fieri Iuſſit De Pecunia Sua*. H.B. *Homo Bonus*: H. M. G. N. S. *Hoc Monumentum Gentiles Non Sequitur*. I. *Imperator*: I. D. *Iuri Dicundo*: I. S. S. *Infrà Scripta Sunt*: I. S. V. P. *Impenſa Sua Viuus Poſuit*: L. D. *Larum Diuinorum*, ideſt *Domus Diuinae*, ſeu *Auguſtae*: L.L. *Libentiſſimè*: M. C. D. *Memoriae Cauſa Datum*: M. C. P. *Memoriae Cauſa Poſitum*. M. S. B. M. *Magiſtro Suo Bene Merenti*: O. H. S. S. *Oſſa Hic Sita Sunt*. P. C. *Patronus*, vel *Praefectus Corporis*: P. F. V. *Pius Felix Victor*: P. M. *Poſt Mortem*: P. P. *Pater Patrum*, vel *Praepoſitus*, vel *Praefectus*, vel *Pecunia Publica*: vel *Pro Praetore*: vel *Pro Portione*, vel *Perpetuus*: P. P. P. *Publica*, an *Propria Pecunia Poſuit* incertum. Q. V. A. I. *Qui Vixit Annum Vnum*: R. R. *Ruderibus Reiectis*: S. C. D. S. *Sibi Curauit De Suo*: S. D. S. *Soli Deo Sacrum*. S. P. Q. S. *Sibi Poſteriſque Suis*. T. *Tribunus*. T. F. *Teſtamento Fecit*. T. L. *Teſtamento Legauit*: T.P. *Titulum Poſuit*. V.V. *Vt Vouerat*.

Membrum XV.

Vſitata Dictionum Compendia, & Inuſitata ex Antiquitate extantia.

VSitata volumus nobis, non tam conſuetudine recepta, quàm interpretatione facilia. Cuiuſmodi ſunt ſequentia:

AVG. *Auguſtus*.

AVGG. *Auguſti duo*.

AVGGG. *Auguſti tres*.

AVR. *Aurelius*.

CAES. *Caeaſar*: CAESS. *Caeſares duo*: CAESSS. *Caeſares tres*.

CES. *Cenſor*: COS. *Conſul*: COSS. *Conſules*. Ita nobis Chriſtianis AP. *Apoſtolus*: APP. *Apoſtoli*.

CO. *Coniux*: COM. *Comes*.

DEDD. *Dedicauerunt*.

DN. *Dominus*.

EQ. *Eques*: EQ. RO. *Eques Romanus*.

EQ. MELIT. *Eques Melitenſis*.

EX. D. ORD. *Ex Decreto Ordinis*.

EX. S. C. *Ex Senatus Conſulto*.

EX. V. *Ex Voto*.

FABR. ideſt *Fabrùm*, vt COLL. FABR. *Collegium Fabrùm*.

FEC. *Fecit*, vel *Fecerunt*.

FIN. POMER. TERMIN. *Fines Pomerij*

Termi-

Terminarunt.

FL. *Flauius*, vel *Flauia.*

HIC. ADQ. *Hic Adquieſcit*: HIC.SIT.E. *Hic Situs Eſt.*

HERED. EX. T. F. *Heredes Ex Teſtamento Fecerunt.*

II. VIR. III. VIR. *DuumVir*, *TriumVir*: IIIIVIR. *QuatuorVir*: IIVIR. I. D. *DuumVir Iure Dicundo.* Ita IIIVIR. I. D. &c. II. VIR. CAP. *Duumuir Capitalis.*

ID. *Idibus*: IV. ID. *Quarto Idus.*

IMP. *Imperator* : IMP. N. *Imperator Noſter* : IMPP: *Imperatores duo*: IMPPP. *Imperatores Tres.*

IND. *Indictione*: IVR. DIC. *Iure Dicundo.*

KAL. *Kalendis*, vel *Kalendas*:

LEG. *Legatus*, vel *Legauit*, vel *Legio.*

M. COH. *Miles Cohortis.* MAG. *Magiſter*: MAG. EQ. *Magiſter Equitum.*

MAR. (praecedente, vel ſubſequente voce *Signum*, aut *Columnam*) *Marmoreum.*

MERV. *Meruit* : MIL. *Miles*, vel *Militauit.*

MM. *Memoriae*: MON. *Monumentum.*

N. ME. VI. *Nata Menſes ſex*: NAT. *Natione*: NVM. *Numen.*

OB. *Obijt.*

POS. *poſuit*: POSS. *poſuere*, de duobus, aut pluribus: POSS. S. *poſuere*, de tribus expreſsè.

PATR. *Patronus*: PEC. vel PEQ. *Pecunia*: PONT. MAX. *Pontifex Maximus*: PED. X. *Pedes Decem.*

PR. AER. *Praefectus Aerario*: PRON., & PR. N. *Pronepos.*

PRAEF. *Praefectus*: PRO.COS. *Proconſul*: PRO. PR. *ProPraetore.*

RESP. *Reſpublica*: REST. *Reſtituit*, vel *Reſtituerunt.*

SAL. *Salutem*: SVM. MAG. *Summus Magiſter.*

TR. MIL. *Tribunus Militum.*

V. VIRI. *Quinqueuiri.* VI. VIR. *Seuir*: VI. VIRI. *Seuiri.*

VIX. *Vixit.*

XV. VIRI. *Quindecemuiri*: XV. VIR. *Quindecemuir.*

Inuſitati nexus hoc tempore videri hi poſſunt, aut minùs explicabiles, etiamſi eruditioribus viris aperti, videlicet:

ABD. ideſt *Abdicauit* : AD. AVGVST. TEMP. C. P. *Ad Auguſtale Temperamentum Comprobatum Pondus*: ADTR. IVD. *Adtributus Iudicio*: AM. P. *Amator Patriae*: APP. E. *Appellatus Eſt*: ALL. *Allectus.* AVG. P. *Auguſti Puer*: AVGVST.ET. POP. *Auguſtales Et Populus*:

CENS. *Cenſores* : CEN. *Centurio* : CI. *Circiter*: COL. *Collega*: COM. *Comparatum*: CON. V. P. *Coniugi Viro Probo*: COR. TR. *Cornicularius Tribuni*: CONC. *Coniux.*

DCRM (ſine interpunctis) *Decurionum*: DE. *Defunctus.*

EG. *Erga*: EM. *Emeritus*: EX. A. D.C.A. *Ex Auctoritate Diui Caeſaris Auguſti*: EX. B. S. *Ex Bonis Suis* : EX. C. C. *Ex Conſenſu Ciuitatis* : EX. D. D. *Ex Decreto Decurionum* : EX. TT. HH. *Ex Teſtamentis Heredum.*

FEC. *Fecialis.*

IM. S. *Impenſa Sua* : IMM. *Immunis*: IN. H. D. *In Honorem Dei*: IN. PR. O.E. *In Praelio Occiſus Eſt*: INC. *Incolae*: IT. *Iterum*

MS. *Maieſtati.*

PER. *Permiſſum*: PR. *Praefectus.*

QQ. *Quoque*: QS. *Quaſi.*

TR. *Traiectus*, vel *Tranſlatus.*

His adde nexus quoſdam, qualis eſt apud Gruterum pag. DXLVII. num. 1. Vbi litera O praegrandis conceptas in corpore ſuo habet literas quatuor H. L. S. T. quas ille ex antiquo vſu interpretatur non ſecus, ac ſi ſolutè, ordinatimque forent inciſae: *Hunc Locum Sibi Teſtamento Ordinauit.* Ad cuius exemplum viſitur nexus ſacer Chriſtianis inuectus (apud eundem Grut. MCLXII. 5.) nimirum X Graecum à ſummo interſecatum litera P, quae & duplex munus agit, nimirum P conſonantis Graecae, & I vocalis, quam virga ipſa, ſeu haſta praefert: vt CHRISTI vocem Latinè facilè interpretere.

Membrum XVI.

Additamentum de Perſpicuitate totius ſtructurae Inſcriptionis.

DE Hiſtorica hìc volumus, & ferè vnius facti expoſitione; Cui perſpicuitas contrahetur, ſi totum in partes diſtributum per totidem membra aut inciſa omiſſis coniunctionibus, hoc eſt adhibita diſſolutionis figura decurrat. En tibi in exemplum recentem memoriam Lucae in Diui Auguſtini, veteres alias toto hoc opere non deſiderabis. Videlicet:

XIX.

SIMON . BOCCELLIVS
VIR . INGENIO . REBVS . GERENDIS . ILLVSTRIS
A . M . CCCLXIX
REMPVBLICAM . PECVNIA . *MVTVATA
INTESTINO . VINDICAVIT . INCENDIO
PACEM . RESTITVIT
GLORIAM . SIBI . CONSTITVIT . INGENTEM
SACELLVM . HOC . DEIPARAE . EREXIT
CVIVS . PATROCINIO . ITER . SIBI . DIREXIT
AD . SVPEROS

* Repone *mutuo data* aut *commodata*. Repete de lib. II. Membrum XXIX. Claſſis VII. De voce *Commodare*

Extremum eſt, vt moneamus, quae de Breuitate ſubſequenti libro IV. traduntur, ad Perſpicuitatem quoquè non mediocriter conferre, praeſertim quae Membro IV. obſeruantur.

ELOGII

ELOGII BREVITAS LIBER IV.

PROLVSIO.

Breue autem generatim exiſtet Elogium, ſi caſtigata, ſi preſſa decurrat oratione, numerorumque compendio ſententiam promet. Et id quidem conſequetur, ſi I. parcum ſit epithetis: ſi II. ieiunum à Synonymis: III. à Repetitionibus: IV. Coniunctionibus: V. Tranſitionibus: VI. Expletiuis particulis, & ſi quae aliae ſermoni ſaginando notae. Praeterea VII. ſi voces dumtaxat neceſſarias admittat: VIII. ſi nudas, & proprias afferat, ſi orationis membra in Inciſa contrahat; atque id IX. per Participia: X. per Gerundia: XI. Verbalia: XII. Epitheta adiectiua: XIII. Subſtantiua, quae & continuata: XIV. Praepoſitiones: XV. Aduerbia ſine caſu: cum caſu: XVI. Ablatiuos abſolutos: XVII. Alioue modo pauciores ex pluribus dictiones, aut etiam vnam efficiat. Haec autem fere officiunt Breuitati: XVIII. Parentheſis, ſaltem longiuſcula: XIX. velut etiam Periphraſis: Conducunt porrò Figurae: XX. Ellipſis: XXI. Zeugma: XXII. Syllepſis: XXIII. Prolepſis: XXIV. Emphaſis: XXV. E Synonymis breuiora, minore nimirum ſyllabarum numero, literarumuè conflata: XXVI. Ad pauciores numeros declinans ſententiae expolitio. Ad ſummam eſt comes Elogij indiuiduus Laconiſmus, ſeu Breuiloquium, non tam quòd periodos amet breuiuſculas, quàm quòd perpaucas: id in compoſito praeſertim, ac illuſtri Elogio, in quo crebritas argutiarum, & lepor frequens, ni breuitas compenſet orationis, hoc ipſum efficit legenti, quod epulanti liberalior ſalis & piperis manus per tota fercula. Et verò quis breue dicat Elogium, cuius metam non niſi fatigatus tenuerit? Facit in hanc rem dictum Tullianum (de Clar. Orat.) *in hiſtoria pura, & illuſtri nihil eſſe breuitate dulcius.*

Hinc erit cenſura facilis de illis, quae Paulus Iouius inſcripſit Elogia, florenti illa quidem ſtylo ad Elogiaſticum nitorem, laxiore tamen, & numeroſiore, quàm ferat ratio Elogij: Hiſtorias ergo iuſtiùs praenotauerit, ſcilicet breuitatis ferè ſimilis, ſi moles attenditur, cuius extant aliae tam multae veterum Scriptorum ac recentium. Cuiuſmodi ſcripſit Cornelius Nepos Vitas Imperatorum Graecorum, Suetonius Tranquillus Vitas Horatij Poëtae, C. Plinij Hiſtorici, Illuſtrium Grammaticorum, Clarorum Rhetorum: L. Florus de Septem Regibus, totaque fere Epitoma Res Romanas: C.Plin.Caecilius Secundus de Viris illuſtribus: Aelius Lampridius de triginta Tyrannis, & alij huius inſtituti complures, etiam recentes, vt Io. Baptiſta Egnatius de Romanis Principibus, quo non alius forte inter ſuperiores preſſior hiſtoricus, cui proximè ſuccedit Horatius Turſellinus Auctor Epitomes Hiſtoriarum, ex noſtratibus quoque Italis idiomate communi nonnulli; è quibus Scipio Ammiratus Senior in ſuis Iconibus (vulgò *Ritratti*) inſigninm Virorum, ac foeminarum, ſtylo hiſtorico, puro, nitido ad omnem lautitiam.

P. Iouium deinde ſecuti veſtigijs intentis Neoterici, veluti Iacobus Cauatius de Illuſtribus Anachoretis, Caeſar Alexius de Ciuibus Peruſinis, qui Patriam rerum pace ac bello geſtarum gloria illuſtrarunt; Iacobus Gaddius patritius Florentinus in Adlocutionibus & Elogijs; Auctor (quiſquis fuerit) Faſtorum Marianorum cum Diuorum Elogijs in ſingulos anni dies. M. Antonius Scipio Florentinus, Monachus Caſinen. In Elogijs Abbatum Sacri Monaſterij Caſinenſis.

Inde quoquè coniectare fas eſt, quid illa ſapiant ſanioris palati eruditis, quae paſſim circumferuntur praefixa titulis Elogiorum, plus forte ingenij olentia, quàm iudicij, ac fermè ſimiliora Iliadi; adeò in immenſam tendunt magnitudinem

 gnitudinem

gnitudinem, tractuque per lepores & ſales nunquam intercepto. Non iſta nos, quaſi illis inuideamus excitatos iam vulgi rudioris plauſus; verùm vt ſtudioſis tyronibus, quae vera ſit, & ſincera quaſi idea Elogij, proponamus. Sed de Elogij mole & quantitate ſatis ſuperiore lib. I. diſſertum. Reſtat, vt quae ad breuitatem conferunt, nuper à nobis libata, perſequamur, exemplis petitis (vt noſtri eſt inſtituti) ex antiquis, recentibuſque marmoribus.

Membrum I.

Elogium ſit parcum Epithetis.

DE ijs interpretamur Epithetis, quae amplificationi inſeruiunt, vt ab Oratore Elogiaſtes, & ab effuſo ſermone caſtigatus ſecernatur. Nam quae ad docendum valent, ea vtique frequentari non erit oneroſum: quod quidem probant in antiquo illo marmore Aretino in Tuſcia plura illa congeſta epitheta: *Q. Fabius Maximus, Dictator bis, Conſul V. Cenſor, Interrex, Augur* &c. haec namque ſimpliciter docent, quos geſſerit Fabius magiſtratus. Hoc marmor citatur ab Auctore Inſcriptionum Sacroſ. Vetuſt. vt alterum ſimile Romanum, in baſi Obeliſci Campi Martij *Caeſar Diui Iulij Filius* docet proſapiam. Et illud, ibidem citatum, in Arcu S. Viti in Macello: *Gallieno clementiſſimo Principi* &c. hoc virtutem inſignem. Ita ad docendum non excludit breuitas Epithetorum frequentiam, vt liquet totum legenti marmor illud ibi citatum, quod extat Romae in Arce S. Angeli:

I.

IMP. CAESARI . D. MARCI . ANTONINI . PII . GERMA
NICI . SARMATICI . FILIO . DIVI . PII . NEPOTI . DIVI . HADRIANI
PRONEPOTI . DIVI . TRAIANI . PARTHICI . ABNEPOTI . DIVI
NERVAE . ADNEPOTI . L. AELIO . AVRELIO . COMMODO
AVG. SARMATICO . GERM. MAX. BRITAN
NICO . PONT. MAX. TRIB. POT. XXVIIII. IMP
VIII. COS. VIII. PATRI . PATRIAE

Cernis hìc Marco Antonino Patri vix vnum *Pij* Epitheton ad commendationem virtutis eſſe tributum; quamquam & id cognomenti loco iam delatum poſſit cenſeri inter propria, ad docendum ſpectantia. At Laelio Aelio Aurelio Commodo Filio vnum modò ad commendationem, *Patris Patriae*, ipſum etiam ex vſu Caeſarum iam quaſi proprium: plura verò ad notitiam hiſtorialem; Ac primùm Proſapiae, Cuius ſit Filius, Nepos, Pronepos, Abnepos, Adnepos: tùm rerum bellicarum *Sarmatico*, *Germanico* &c. (haec enim nomina ex debellatis prouincijs eſt adeptus) nec illud *Germanico Maximo* amplificationi dicitur, ſed notitiae: cognomentum quippe vulgò datum, quo poſteriores Imperatores à ſuperioribus in Germania clariores victorijs diſtinguebant. Ita L. Aurelium Verum in marmoribus inuenies appellatum *Parthicum Maximum*, & alios ſimiliter. Tandem Magiſtratuum, *Pontifex Max. Tribunitia Poteſtate, Imperator, Conſul*. Nae iſta Inſcriptio tot diues Epithetis longior cenſenda eſt illa, quae nuda prodit, apud Gruterum pag. II. num. 10. eſt Comenſis:

II.

DIIS
DEABVS
QVE . CVM
IOVE

& illa, quae amplius caeca, miſeram ethnicis cultus ſui conditionem exprobrat pag. I. num. 7. eſt Romana:

III.

SIVE . DEO
SIVE . DEAE
C. TER . DEXTER
EX . VOTO
POSVIT

Ad exornandum verò, vbi aliter argumentum

non

non exigit, parſimonia mirificè commendatur, praeſertim ſi epitheta ſpiritu plena & grauitate ſeligantur. Cuius notae eſt Baſis Romana, citata à Grutero pag. CCXXXIV. num. 4.

IV.

C. CAESARI . AVGVSTI . F
PONTIFICI . COS
DESIGNATO
PRINCIPI . IVVENTVTIS

Vides, vt ex quatuor epithetis quartum modò eſt encomij gratiâ, ſed tantae dignitatis, ac ponderis, vt vnum turbam referat. Habet noſtram quoquè admirationem marmor ibidem inſcriptum (pag. CCXLVIII. num. 8.) eundem in modum, vnico epitheto ad laudem, in extremo Panegyrici totius locum implens, videlicet:

V.

IMP. CAES. DIVI
TRAIANI . PATRICI . F
DIVI . NERVAE . NEP
TRAIANO . HADRIANO
AVG. PONT. MAX
TRIB. POT. III. COS. III
IMP. II. P. P
RHODANICI
INDVLGENTISSIMO . PRINCIPI

Ita auguſta opera in ſingulari epitheto prae aggeſtis pluribus magnificentiam tueri, oſtendimus exemplis adhuc antiquorum ſelectis. In baſi, quae ſignum Iouis ſuſtentat, cui titulo

VI.

IVPPITER
CVSTOS
DOMVS . AVG *Auguſtae
P. MALVGINENSIS . D . D

eſt Romana, quam citat Gruterus pag. XX. n. 1. ſimilis altera baſis Romae, vt ibid. pag. XXVI. num. 9.

VII.

CERERI . AVGVST
MATRI . SACR

& illa imagini Iouis ſuppoſita, vt Gruterus teſtatur pag. XXXVI. num. 1.

VIII.

SOLI . SANCTISSIMO . SACRVM &c

Arae praeterea duae Romae, Latinè altera, altera Graecè ſpectandam exhibent eius normae inſcriptionem. Videlicet apud Grut. XXXIII. 10. Latinè

IX.

DEO
INVICTO
MITHRAE
C. LVCRETIVS . MNESTER
M. AEMILIVS . PNILETVS
&c
D . S . D . D
* *De ſuo dedicauerunt*

Graecè ibid. 9.

X.

ΗΛΙΩ ΜΙΘΡΑ ΑΝΙΚΗΤΩ * ideſt SOLI. MITHRAE. INVICTO

Ita legas Caeſaribus commendandis vnico Adiuncto ſatisfactum, vt in baſi marmorea Romae IMP. CAES. &c. NERVAE. TRAIANO &c. OPTIMO. PRINCIPI. Quod imitatus Marcellus Buttiglius duas inſcripſit baſes, alteram DIVO. THOMAE. PARMENSIVM SERVATORI. Alteram: DIVO. HILARIO PARMENSIVM. TVTELARI. Nec ſatis mirari poſſumus in hanc rem Epitaphium vetus extans Venetijs, apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſtatis, vnico epitheto immenſum claudens encomium:

XI.

L. HERENNIVS . AESOPVS
CARVS . AMICIS

Quandoque per metonymiam apponuntur, abſtracta pro concretis. Sic Romae: PIETATI. IMP. CAESARIS. DIVI. NERVAE. F. NERVAE. TRAIANI. Ad cuius exemplum Buttiglius allegatus ſub Statuis baſes ita exarat. RAINVTII. FARNESII. PROVIDENTIAE. & FERDINANDI. PRIMI (Magni Ducis Etr.) MAGNANIMITATI. & COSMI. SECVNDI. CONTINENTIAE.

Caeterùm concreto vnico obſignatur multi-

plex

plex laus in recenti marmore, quo inſtaurata memoria eſt trium Cardinalium magni nominis Romae in Diuae Mariae vulgò de Populo, videlicet:

X I I.

MAGNIS . PATRVIS
IO. ANT. AB . ALEX. VI
AVGVST. A . LEONE . X
CARD. AMPLISS
THEODORVS . CARD
TRIVVLTIVS
MDCLIV

nam in *Card. Ampliſs.* compendium laudum vtriuſque fecit, quas iuſtè congeſſiſſet ſingulis. Nec illud *Magnis patruis* quidquam affert, praeter notitiam gradus cognationis. Illa verò ſepulcralis Inſcriptio Mediolani in Aede Diuae Mariae (vulgò) Gratiarum, in qua plura ad notitiam perſonae faciunt, vnum ad laudem, artificium oſtentat dignum exemplo. Auctore eius nos gloriamur, Aymone Corio Collega noſtro, & quondam alumno in Claſſe Rhetorices, nunc Scriptore celebri, & ſacrorum librorum illuſtratore. Ita verò tumulum inſcripſit

X I I I.

MARIA . ALDOBRANDINA
IO. FRANCISCI . PRINCIPIS
FILIA
CLEMENTIS . OCTAVI
FILIA . FRATRIS
IO. PAVLI.SFORTIAE. MARCH. CARAVAGII
CONIVX
ORSINAE . TRIVVLTIAE
ET
OLYMPIAE . GONZAGAE
PRINCIPVM . MATER
MASCVLA . PROLE
VIDVA
NON . VIRTVTE
CVIVS . TYPVM . GESSIT
VIVENS
HIC . MEMORIAM
EXTINCTA
ANNO . DOMINI . MDCLVII

Geminantur interdum epitheta, vbi dignitas perſonae, aut affectus auctoris poſtulat. Dignitas, vt in Dedicatione Romana, apud Gruterum pag. XXXIV. num. 2.

X I V.

SANCTO . INVICTO
MITHRAE
TVLLIVS . TROPHIMIANVS

ibidem XLVIII. 1.

X V.

SANCTISSIMO
HERCVLI . INVICTO

& quae Caeſari dedicatur in Hiſpania, Gruter. pag. CCXLVII. 2. IMP. CAESARI. DIVI NERVAE . F. NERVAE . TRAIANO AVG. GER. DACICO . &c OPTIMO MAXIMOQ. PRINCIPI . NESCANIENSES. Cui ſimilis, quae Emeritae legitur teſte Grut. CLVIII. 9.

X V I.

GALIENVS . IMP. CAES
AVG. * CLEMENS . PIVS
VRBE . AEDIF. RESTAVR &c

attulimus totam lib. II. in Claſſe Hiſtorialium. Membr. VI. Elogio CCCCLXXIV. Hùc ſpectat ſolemnis appellatio Iouis *Optimi Maximi*, quam & Caeſarum fuiſſe probat exemplum lapidis nuper eruti, oblatum nobis à Sigiſmundo ex nobili, & vetuſtiſſima Familia Marchiſiorum, patritij Foroliuienſis, & Equitis ſacrae Militiae Sancti Stephani in Etruria. Quod placet hoc loco referre, videlicet:

X V I I.

M O M
AVRELI . ANTONIN
AVGVSTORVM
LEG. XXII. PRIMIG
IVSSVS
CVM . AEDIFI

cuius & interpretationem, quam is dedit, reddimus;

Memoriae Optimorum, Maximorum
Aurelij Antonini
Auguſtorum
Legionis Vigeſimae ſecundae Primigeniae
Iuſſus, ideſt *Electus Legionis Dux*
Cum aedificaret id eſt ad aedificandum:

Fuit

Fuit repertus lapis Foroliuij, anno ſal. MDC LIII. quem ſi cum alijs monumentis componamus, liquet, eam Vrbem, vt vnam è quatuor Romanorum foris, eorum legione munitam, ibique ad Ius dicundum extructam fuiſſe Baſilicam. Haec Marchiſius. Sed nos in rem noſtram adnotabimus bina Caeſaribus ſuppoſita ad laudem nomina, *Optimorum*, *Maximorum*, quae Ioui dabantur.

Illa ad Encomium planè ſuperba, quae geminis epithetis, nec ijs ſimplicibus, ſed exaggeratis inchoatur, tùm ſubdit alia ad hiſtoriam. Grut. CCLVIII. 6.

XVIII.

DEVICTORI . OMNIVM . GEN
TIVM . BARBARARVM . ET . SV
PER . OMNES . RETRO . PRINCI
PES . PROVIDENTISSIMO
IMP. CAES. MARCO
ANTONINO . VERO
INVIC. AVG. P. M. TR. POT
P. P. COS. II. PROC
VAL. IVLIANVS . V. P
P. P. H. TARRAC. NVMI
NI . MAIESTATIQVE . EIVS
SEMPER . DICATISSIMVS

In Affectibus autem geminari epitheta creberrimum eſt antiquis, cuius haec habe exempla. Epitaphium Nolae, teſte Grut. pag. DCLVII. num. 5. ſic legitur:

XIX.

AVR. RVFINAE
ALVMNAE . PIENTISS.
ET . INCOMPARABILI
QVAE . VIXIT . ANNOS &c

Dignus, qui antiquis inſeratut recens Elogiaſtes Franciſcus Suueertius, cuius affertur Epitaphium in Monumentis Brabantinis à Franciſco Filio collectis, Vxori inſcriptum, & Familiae, Videlicet praemiſſis carminibus, proſam hanc dictat:

XX.

FRANCISCVS . SVVEERTIVS . GERTRVDI . VAN. OS
VXORI . OPT. CARISS. POS. DEINDE
ET . SIBI . NEC . NON . VXORI . SECVNDAE . ISABELLAE
DE . SORBRVECQ. VT . QVISQVE . AD . METAM
VENERIT
SED . ET . FILIIS . POSTERISQVE . SVIS

Duplicari quandoque epitheta ſolent, abſtracto (vt loquuntur) pro concreto poſito. Quod indicant illa; apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. Epitaphium

XXI.

L. SPERATI . DESIDERATI . ADVLESCEN
TIS . SPEI . ET . PIETATIS . INCOMPARABI
LIS . SPERATI . HERMODORVS . ET . IVLIA
NA . PATRES . MALE . IVDICANTIBVS
FATIS . SVPERSTITES . POSVERVNT

vbi iuncta ſunt *ſpei & pietatis incomparabilis*. nam illa *Sperati Deſiderati* propria ſunt hominis nomina, vt ex Gruteri indice liquet, qui idem Epitaphium refert ſplẽdidius in Epitaphio apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. inter Germana, pag. CCCCLXVI.

XXII.

PEREGRINIO
HELIODORO
CONSVMMATAE
PERITIAE . MEDICO
ET . MIRAE
PIETATIS . IVVENI
COMINIA . FAVSTINA
MATER . INFELICISS
F . C

Illud quò preſſius, eò magnificentius apud Gruter. pag. CCXXV. num. 6.

XXIII.

IVSTITIAE
ET
CLEMENTIAE
C. CAESARIS

Et ibid. CCXLVI. num. 4.

PIE-

XXIV.

PIETATI . ET . FELICITATI
IMP. CAES. DIVI. NERVAE. TRAIANI. AVG &c

Quaeres, An ſupra duo frequentari epitheta patiatur Elogio amica Breuitas? Ita planè, dum aliunde tamen breuitas ipſa conſtet: nec enim capita in Proluſione cenſa in ſingulis Elogijs vniuerſa concurrant oportet; ſed in alijs alia, & pleraque in ſingulis: quod in breuiſſimis obſeruare eſt, & quidem antiquis. Et primum tergeminum epithetum habetur in Epitaphio Fetentino apud Gruterum pag. DCLXXI. n. 15.

XXV.

D . M
AVRELIAE . LVCIDIAE
GRATAE
DVLCISS. ADOLESC
INTEGERR. VENVSTISS. Q. &c

Expende ſingula. *Aureliae Lucidiae Gratae* Praenomen, Nomen, Cognomen. *Adoleſcentis*, ad notionem aetatis, reliqua tria ad encomium. Nobiliſſimus eſt titulus Templi Romae, cui nomen Pantheon, ille inquam literis digitalibus compoſitus, de quo Gruterus pag I. videlicet

XXVI.

IMP. CAES. L. SEPTIMIVS . SEVERVS
PIVS . PERTINAX

(& poſt interpoſitos titulos gentium ſubactarum) P. P. lege *Pater Patriae*. Nimirum Pius in Deum, Pertinax, ſeu repugnans diù accipere oblata ab Senatu inſignia Imperij, tandem Pater ſumma in Patriam charitate: quae tria cùm numeros abſoluant omnes optimi Principis, preſſum efficiunt Elogium, & ad ſummam collectum breuitatem.

Tria quoque ad ladem congeſta legimus in Ara marmorea, Romae, ſub ſigno Herculis Victoris:

XXVII.

HERCVLI . VICTORI
POLLENTI . POTENTI
INVICTO . D. D. L. M
C. VLPIVS . FRONTO &c

Cuius extitit imitator inter Elogiaſtas recentes Franciſcus Pola Veronenſis ad Diui Georgij Martyris.

XXVIII.

NVMINI . SANCTO . PROPITIATO
DIVI . GEORGII
POLLENTIS . POTENTIS . INVICTI
PIE . RITE . SOLEMNITVS ✶
SACRVM . DICATVM . ESTO
M . D . C . II

✶ *Solemnitus* Antiquatum eſt.

Hinc ſolemnis illa formula ad nomina Caeſarum apponendi ternam vocem, *Pio*, *Felici*, *Auguſto*; vel *Pio*, *Felici*, *Inuicto*; vel *Fortiſſimo*, *Inuictoque Principi ſemper Auguſto*; vel *Inuictiſs. Principi*, *Victori*, ac *Triumphatori* &c. apud Antiquarios paſſim occurrunt. Quo ex genere eſt monumentum Graecum in Achaia, ad Vrbem Delphorum, citatum apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. videlicet:

XXIX.

ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ . ΚΑΙΣΑΡΑ
ΜΑΡΚΟΝ . ΑΥΡΗΛΙΟΝ . ΚΑΡΟΝ
ΕΥΣΕΒΗ . ΕΥΤΥΧΗ . ΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΙΕΡΑ . ΔΕΛΦΩΝ . ΠΟΛΙΣ
ΕΔΟΚΕΝ

id eſt *Imperatorem Caeſarem Marcum Aurelium Carum Pium Felicem Auguſtum Sacra Delphorum Ciuitas Dedit*. En tria, Pium Felicem Auguſtum.

Nec reſpuet Breuitas congeſta quatuor, quae ſe aliunde ſaluam videat. Vt in Marmore apud Tuſculanum, citatum inter Inſcript. Sacr. Vet. Itemque Gruterianas pag. CCLXXV. num. 8.

XXX.

IMP. CAES
M. AVR. CLAVDIO
PIO . FELICI . INVICTO
AVGVSTO
BENACENSES

Alia id genus inuenies in Indice ad Gruterum Cap. XIII. Ad vocem *Pio Felici*, *Inuicto Auguſto*. Obſeruandum verò in antiquis non continuari ſemper Epitheta ad encomium, ſed quandoque diſtribui interiectis alijs ad notitiam, vt apud Gruterum pag. CCLVIII. n. 7.

XXXI.

IMP. CAES. M. AVR. ANTONINO
AVG. PIO. FELICI. INVICTO. PAR
THIC. MAXIMO. BRITANNICO. MAX
TR. POT. VII. COS. III. P. P. PROCOS
FORTISSIMO. PRINCIPI
MAG. QVIN. COLL. AVRIFICVM
D. D.
CVR. P. VALERIVS. P. P. BENEDI
TVS. ET. C. AVRELIVS. CARPVS
QQ. II. S.

Erit autem opus trutina, vt bonum ſeculum à corrupto internoſcatur, neque irrepant in exemplum incautis barbarae Inſcriptiones, quas epitheta immodica farciunt veriùs, quàm diſtinguunt. Ex his cenſetur, quam refert Gruterus pag. CCLXXIX. num. 4.

XXXII.

AETERNO. IMPERATORI
NOSTRO. MAXIMO. O
PTIMOQVE. PRINCIPI
AVRELIO. VALERIO
DIOCLETIANO. PIO
FELICI. INVICTO
AVGVSTO
PAETVS. HONORATVS.... VIR
CORRECTOR. ITALIAE
NVMINI. EIVS. DICATISS

Illa verò obeſa, & ſaginata magis, quippe degenere aetate, apud eundem pag. CCLXXXI. num. 1.

XXXIII.

PIO. ADQVE. INCLITO
DÑ. CONSTANTIO. NOBI
LISSIMO. AC. FOR
TISSIMO. ET. FELICIS
SIMO. CAESARI
BADIVS. MACRINVS
V. P. P. P. H. T. NV
MINI. MAIESTATIQ
EIVS. SEMPER
DEVOTISSIMVS

Mitior paulò in epithetis eſt Inſcriptio Columnae, quamquam ſequiore ſeculo, indita, quam idem citat pag. CCLXXXV. num. 3.

XXXIV.

IMP. CAES
DN. FL. CL. IVLIANO
P. F. VICTORI. AC
TRIVMPHATORI
SEMPER. AVG. P. M
IMP. VII. CONS. III
BONO R. P. NATO
PATRI. PATRIAE
PRO. CONS

* id eſt *Imperatori Caeſari Domino Flauio Claudio Iuliano Pio Felici Victori ac Triumphatori ſemper Auguſto, Pontifici Maximo Imperatori ſeptimùm, Conſuli tertiùm Bono Reipublicae Nato, Patri Patriae Proconſul* ſupple *Poſuit*.

Ad veterum boni ſeculi normam prodiuit recens Dedicatio Arcus in modum Triumphalium, Mediolani, quam totam citat Franc. Suueertius in Select. Delic. Nos hic partim. In altera verò Operis parte, totam. Videlicet:

XXXV.

INGREDERE. LAETA. SERENISS
MARGARITA. AVSTRIACA
MAXIMA. PIA. FELIX. AVGVSTA
AMPLISSIMAM. ITALIAE. VRBEM
FREQVENTISSIMO. EXVLTANTE. POPVLO
MAIESTATISQ. TVAE. PRAESENTIA
TAMQVAM. EXPECTATISSIMO. TRIVMPHO. GESTIENTE &c

Adhuc plura fas erit Epitheta conglobare, ſi aliàs tamen Breuitati ſtudueris. Ita non reprobat conſentientibus eruditis VV. Ianus Gruterus Epitaphium (in quo Epitheta coacta quinque) nomine Tarquinij Collatini inſcriptum Lucretiae coniugi, quaſi malae ſit notae, minùſque dignum accenſeri Romanis marmoribus, ſed potiùs quod haud ſimile vero ſit, ſeculo horrente florem illum dictionis natum eſſe. Reiectat ergo ipſum inter ſpuria, & ſuppoſititia, quae antiquitate per miram calliditatem ſimulata, tam indigna ſunt fide veri, quàm

digna

digna honore nitoris: Qua quidem captus Auctor Inſcript. Sacr. Vetuſt. non dubitauit in ordinem ſuarum tranſcribere, obuias quaſque excipiens, prout ſe dabant vera Vetuſtatis, vel vana ſpecie. Sic autem habetur.

XXXVI.

D . M . S
COLLATINVS . CARISS. DVLCISS
MEAE . CONIVGI . INCOMPARABILI
LVCRETIAE . PVDICITIAE . DE
CORI . ET . MVLIERVM . GLORIAE
QVAE . VIXIT . AN. XXII. MENS
V. D. XVI

En quingemina ipſaepitheta; *Cariſſimae*, *Dulciſſimae*, *Incomparabili*, *Pudicitiae decori*, *Mulierum gloriae*. Illa olet Inſcriptio ſuum ſeculum, ſcilicet faſtum barbaricum magis, quàm Latinam veterum temperantiam; non tamen excernenda penitus, quam legis apud Gruter. pag. CLX. num. 4.

XXXVII.

DOMINI NOSTRI IMPERATORES CAESARES
FL. VALENTINIANVS. PIVS. FELIX. MAXIMVS. VICTOR.AC.TRIVMF. SEMPER. AVG. &c
FL. VALENS. PIVS. FELIX. MAX. VICTOR. AC. TRIVMF. SEMPER. AVG. &c

quo cum honore nominat FL. Gratianum, vbique quinis titulis, imò & ſenis.

Bonum ſeculum imitari ſtudet Inſcriptio recens Mediolani, ſimplicitatem, cum dignitate coniugans. Eam quia nemo (quod ſciamus) adhuc vulgauit, libenter referemus:

XXXVIII.

PHILIPPO. II. AVSTRIO. REGI. MAXIMO
IVSTO. FORTI. PIO. POTENTI. FELICI
PROPVGNATORI. INVICTO
MEDIOL. CIVITAS. LIBENS. MERITO
PVBLICE. POSVIT.

Ab Elogijs autem hiſtoricis, quàm debeat procul abeſſe exaggeratio epithetorum, & ſordes adulationis, docet nos abundè ſimplicitas antiquorum, quam tu ſubiectis in Epitaphijs contemplare. Apud Grut. pag. DCCCLXXXIII. num. 13.

XXXIX.

L. PETRONIO
CANDIDO
HOMINI
OPTIMO. AMICI
FECERVNT

& ibid. DCCCLXXXV. 2.

XL.

C. POMPONIO
RHENO
HOMINI. OPTIMO
HEREDES

Simile, ſed maximè obſeruandum in rem noſtram, pag. DCCLXXI. num. 3.

XLI.

D . M
TI. CLAVDIO. PROCLO. FECIT
FLAVIA. PRIMITIVA
CONIVGI. SVO. BENEMERENTI
HOMINI. BONO

Cui enim non mirabile videatur, affectum coniugis, & ipſum foeminae poſitiuo in epitheto contineri potuiſſe? Nec illud praetereundum, quod pag. DCCCLXXXIX. num. 9. ibidem refertur

XLII.

D . M
SEX. SASSINATIS
GRATI
P. PETRONIVS
PROCVLVS. ET
SEX. TETTIVS. STEPHAN
HEREDES
HOMINI. ET. AMICO
OPTIMO

Erit ergo Elogiaſtae in illud praecipuè ſtudere, vt Epitheta non tam ſelecta ad elegantiam, quàm appoſita ad iuſtam laudem, veritatemque rei exponendam afferat.

Elogium

Elogium
Sit ieiunum à Synonymis.

Membrum I I.

HOc intellige, vbi ſumma breuitas conquiritur, & caſtigatiſſimè prómenda ſententia. Sunt autem Synonyma, quae idem vnum ſignificant diuerſis vocibus; ijs autem ſiue Verbis, vt apud Ciceronem pro Archia Poëta: *Tot annos ita viuo, Iudices, vt ab illo me nunquam tempore aut commodum, aut otium abſtraxerit; aut voluptas auocarit; aut denique ſomnus retardarit*: Siue Nominibus, vt I. de Nat. Deor. *Aër immenſus, & infinitus*; Et ad Heren. *Immenſa, infinita, immoderata cupiditas*: Siue Aduerbijs, vt Liu. I. Bell. Maced. *Bene, ac feliciter euenit*. Porrò ſi reſpuit Orator ſynonyma, quae non aut augeant orationem, aut minuant, aut diſcernant: quantò iuſtiùs Elogiaſtes, cui ne propoſita quidem eſt ad perſuadendum amplificatio, aut extenuatio, quomodo Oratoris eſt propria? Id quod obſeruare eſt in antiquis Inſcriptionibus, boni in primis ſeculi, in queis conglobatae voces diuerſarum rerum ſignificationis ſunt. Eiuſmodi legas apud Gruterum pag. CCXLIV. num. 6.

XLIII.

IMP. TITO. CAESARI. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVG. PONTIFICI. MAXIMO
TRIB. POT. X. IMP. XVII. COS. VIII. P. P
PRINCIPI. SVO. S. P. Q. R
QVOD. PRAECEPTIS. PATRIS. CONSILIISQVE. ET
AVSPICIS. GENTEM. IVDAEORVM. DOMVIT. ET
VRBEM. IEROSOLYMAM. OMNIBVS. ANTE. SE
DVCIBVS. REGIBVS. GENTIBVSQVE. AVT. FRVSTRA
PETITAM. AVT. OMNINO. INTENTATAM. DELEVIT

Expende illum aggeſtum *Praeceptis Conſilijs Auſpicijs*, quis enim ſynonyma iſta dixerit? Item *Ducibus Regibus Gentibus*, & *Domuit Deleuit*, quae ſingula vt patet peculiarem habent ſignificatum. Erit & operae contemplari marmor Romanum, apud Grut. pag. CCXLIX. num. 7.

XLIV.

IMP. CAESARI. DIVI
TRAIANI. PARTHICI. F
&c
COLONIA. OSTIA
CONSERVATA. ET. AVCTA
OMNI. INDVLGENTIA. ET
LIBERALITATE. EIVS

Nec putes geminari illas voces *Conſeruata*, & *Aucta* ſynonymicôs. Plus eſt enim ſtatum rei nouis augere incrementis, quàm ſimpliciter priſtinum conſeruare. Item *Indulgentia*, & *Liberalitate* aliud atque aliud ſonant: nam indulgere inferius eſt, quàm liberaliter agere; quemadmodum minus eſt lenem eſſe & facilem ad obſequendum, quàm largum & profuſum rerum ſuarum. Sic vbi Inſcriptio Hiſpanica ad caſtra Caecilia (refert Gruterus pag. CCLXIII. n. 5.) tergeminam tribuit laudem Imperatori Lucio Septimio Seuero OPTIMO. FORTISSIMO PROVIDENTISSIMOQ. PRINCIPI, A diuerſis ſcilicet dotibus, Ab indole, A militari virtute, A ciuili prudentia. Et quod legis Romae (cit. ibid. CCLXXXV. 6.) VICTORIIS TRIVMPHISQ. MAGNIFICO. VALENTINIANO. INCLYTO. PRINCIPI. SEMPER. AVGVSTO &c. diſtingue à Victorijs Triumphos non ſecus, atque à Merito Praemium: hinc & (ibidem num. 2.) habes: IMP. CAESARI. VICTORI. AC. TRIVMPHATORI. SEMPER. AVG. Dignum omnino eſt oculis tuis, ſtudioſe Lector, marmor Romanum, quod hodie extat ad ſeptem Lucernas, teſte Grutero pag. CCLX. num. 4. quod exſcribi totum exigit, quippe tum vetuſtate, tum

 magnificentia

magnificentia, & priſca Romanorum maieſtate prorſus dignum, quod inter abſolutiſſima exempla numeretur: quidquid obiurget malè auſpicatus Cenſor, vt ſuprà animaduerſum eſt lib. II. In Claſſe Didaſcal. quae eſt poſtrema, Memb. X.

XLV.

* tempore eraſum

IMP. CAES. DIVI . ANTONINI . F. VERI . PARTH. MAX . . . .
DIVI . HADRIANI . NEP. DIVI . TRAIANI . PARTH. PRON. DIVI . NERVAE . ABN
M. AVR. ANTONINO . AVG. GERM. SARM. PONT. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. VIII
COS. III. P. P
QVOD . OMNES . OMNIVM . ANTE . SE . MAXIMOR. IMPP. GLORIAS
SVPERGRESSVS . BELLICOSISS. GENTIB. DELETIS . ATQVE . SVBACTIS
S P Q R

Cuius in extremo ne quis imprudenter miſceat velut ſynonyma *Deletis* atque *ſubactis*. Vult enim alias deletas eſſe, ſubactas alias: ſiue ex gente eadem, rebellantes & iam in armis, deletos ad internecionem; inermes autem, ſed genio ſimili ad arma faciles, praeuentu Caeſaris compreſſos, ac ſubactos.

Praeiudicium iſta fecerint Hiſpanicae Inſcriptioni, quam affert Gruterus pag. CLIX. n: 4. ipſo damnatae charactere. Sic enim habet: *Imp. Caeſ. Flauius. Conſtantin. Aug. PACIS. & IVSTITIAE. Cultor. PVBLICAE. QVIETIS. Fundator. RELIGIONIS. &. FIDEI Auctor. Remiſſo. Vbique. Tributo. Finitimae Prouinciae. Iter. Reſtaurari. Fecit. CXIIII.* Digna, dixerimus, illo ſeculo memoria; niſi quod Latinitate ferreum, aureum moribus Chriſtiano cultu propagato, haud aegrè iugum ferebat barbarae locutionis. Nam praeter inuſitatam antiquis marmoribus clauſulam illam *Reſtaurari Fecit* (de qua nos copioſè ſuprà lib. II.) & verbum *Reſtaurari* impurum pro *Inſtaurari*, quod obſeruat Voſſius de Vitijs ſerm. Quemnam praeterit importuna illa ſynonymia iterata *Pacis* & *Publicae quietis*; *Religionis & Fidei*? Chriſtianae interpretor fidei, quam Conſtantinus Caeſar primus lege lata firmauit, propagauitque caecitati Ethnicae infenſus. Eſſent alibi quidem certè hae voces ad energiam ſimul & ad amplificationem; ſed hic planè feriantur. Ponenda ob oculos in exemplum caſtitas Inſcriptionis Interamnenſis relata à Grutero pag. CCXLV. num. 1.

XLVI.

PROVIDENTIAE . TIBI . CAESARIS . NAT
AD . AETERNITATEM . ROMANI
NOMINIS . SVBLATO . HOSTE . PER
NICIOSISSIMO . P. R
FAVSTVS . TITIVS . LIBERALIS
VI. VIR. AVG. ITER. P. S. F. C

Quo quid lautius, ac magnificentius? quid ſimul ieiunius, & emunctius? Tribus illis vocibus ſingularibus *Prouidentia*, *Nati ad aeternitatem*, *Perniciosiſſimo* aequatur vis quaeque Oratoria, & grauitas ex conglobatis ſynonymis pluribus.

Excipe, vbi res eadem iteranda, vt variatione tollatur taedium. Hoc obiter obſerua in Inſcriptione antiqua apud Gruterum pag. DCCCXXXII. num. 8.

XLVII.

D . M.
L. TERENTII . ASCLEPI
ADIS . ET . L. TERENTII
FELICIS . FILII . MISERRIMI
QVI . FATVM . PATRIS . IMMA
TVRA . MORTE . SVBSECVTVS
EST . HELLANICA . MATER
MOESTISSIMA . POSVIT
ET . LAELIAE . TERENTIAE
FILIAE . INNOCENTIS
SIMAE . ET . SIBI

Nam mortem ne iterùm diceret, primùm dixit *Fatum Patris*, pòſt *immatura morte*.

Aſſecuti ſunt priſcos non pauci recentium. Ex quibus offert ſe Franciſcus Pona ad Apotheoſim Viuentium Amicorum Heroum Nicolai Barbadici, Marci Triuiſani (edita eſt Veronae ann. ſal. MDCXIX.) cui hoc Elogium praemittit nuncupatorium.

VNI

XLVIII.

VNI . TIBI
VIRGO
AETERNITAS
HEROVM
NVNCVPO
APOTHEOSIM.
TV
SINV . EXCIPE
ET
PER . FAMAM
SEROS . AD . NEPOTES
TRANSMISSAM
A . SECVLORVM . EDACITATE
VINDICA

Ac maius quidem negotium, vbi ſeges multa, ſynonymiam declinare: ſed prudentem fecerint optima exemplorum inter recentes Elogiaſtas. Inter quos numerarius minimè eſt Auctor Epigraphae in Porta Vrbis Florentinae, quà Senas iter eſt, videlicet:

XLIX.

CAROLVS . V. CAESAR. AVG
CVM . INSIGNI . OMNIVM . CHRISTIANORVM . BENEFICIO . IMMANEM ARCHIPIRATAM . REGNO . TVNETANO . PEPVLISSET . FVGASSETQVE SICVLO, NEAPOLITANO . SVIS . REGNIS . CONSTITVTIS . ROMA . PROFECTVS . FLORENTIAM . HANC . PORTAM . CVM . MAGNA . POMPA . INGRESSVS POPVLO . CVNCTO . PRAE . LAETITIA . GESTIENTE . AB . ALEXANDRO . MEDICE . CIVITATIS . DVCE . CVI . MARGARITAM . FILIAM . DESPONDERAT ILLVSTRI . APPARATV . REGALI . HOSPITIO . MEDICEAS . IN . AEDES ACCEPTVS . EST . ANNO DOMINI . M. D. XXXV. ID. MAII

Ne tibi hic ingerant ſcrupulum illa: *Pepuliſſet Fugaſſetque*. Et *Illuſtri apparatu*, *Regali hoſpitio*: Cùm *pellere* ſit loco mouere, & exturbare; quo maius eſt aliquid *in fugam conijcere*. Itaque vt Archipirata euaderet, effecit exercitus Caeſaris validiſſimus, cui haud licuit obſiſtere; Vt autem procùl fugeret, metus effecit internecionis. Porrò *Apparatus illuſtris*, & *Regale Hoſpitium* diuerſis competunt: illud ad epulas refertur, miniſtros, ſuppellectilia & huiuſmodi; Hoc ad Aedium magnificentiam, vt ſubiecta mox expoſitio *Mediceas in Aedes* planum facit: Synonymiae ſyrtim declinauit feliciter Auctor Epitaphij Antuerpienſis a Suueertio inter memorias Brabantinas relati, videlicet:

L.

D . O . M . S
IOANNES . MIRAEVS
EPISCOPVS . ANTVERPIENSIS
QVARTVS . H. S. E
QVI . OBLATAM . SIBI . FAMA . VIRTVTIS . DIGNITATEM
CVM . DIV . RECVSASSET . SIC . VT . COGENDVS . FORET
EA . VIGILANTIA . MAGNANIMITATE . INTEGRITATE
BENIGNITATE . AC . PRVDENTIA . GESSIT
VT . VIRVM . MVNERI . NON . MVNVS . VIRO . DATVM
APPARERET
SED . HEV . FIDEM . SORTIS . HVMANAE
VIX . DVM . SEPTIMAM . TVRBIDIS . TEMPESTATIBVS . MESSEM
HOC . COLONO . PERINDVSTRIO
ANTVERPIA . GVSTAVERAS
CVM . SERENATO . PER . INDVCIAS . TANDEM . REIP. CAELO
INFELICI . CATARRHOSAE . GVTTVLAE . DEFLVXV
TV . SPE . VBERIORIS . FRVGIS . IPSE . VITA . EXCIDISTI
IANVARI . DIE . XII. AN. SAL. MDCXI
SVO . LII. INEVNTE
OMNIBVS . ETIAM . HOSTIBVS . LVCTVOSVS

Vides, quàm multa ibi perſtricta, *Vigilantia*, *Magnanimitate*, *Integritate*, *Benignitate*, *Prudentia*? Haec verò diuerſa omnino, aliud ab alio.

Synonyma ad expreſſionem parcè adhibita non damnantur, vt probant aliquae ex antiquis memorijs citatae ſuperiori capite, vbi de frequentatis Epithetis, tametſi pleraeque pluribus haud ſynonymis conflentur. Praeterea ex ſolemni illa formula veterum Romanorum, cuius habes exemplum in Inſcriptionibus Fratrum Arualium apud Gruterum pag. CXX. in fine:

LI.

QVOD . BONVM . FAVSTVM
FELIX . FORTVNATVMQVE . SIT

Amplius è recentibus accipe Epitaphium

LII.

D . O . M
LAVRAE . NASIAE
VIRGINI . ORNATISSIMAE
QVAE
IN . AMBIGVO . RELIQVIT
VTRVM . CORPORIS . FORMA . ET . VENVSTATE
AN . ANIMI . MORIBVS . ET . VIRTVTIBVS
ESSET . AMABILIOR
LVDOVICVS . NASIVS . TAVRINEN
EMANVELIS . PHILIBERTI . SABAVDIAE . DVCIS . SERENISS
BIBLIOTHECARIVS
FILIAE . AMANTISSIMAE . H. P. MONVM
MOESTISS. P. C
RAPTA . EST . HEV . FLORENTI . AETATE
AN. AGENS . XVIII
IDIB. MAR. M. D. XXIV
SVMMO . SVI . DESIDERIO

Geminantur ibi haud dubiè ſynonyma ad expreſſionem, *Forma* & *Venuſtate*; quamquam & venuſtae interdum contingat eſſe, non formoſae. Item *Animi Moribus* & *Virtutibus* &c.

Non erit, credimus, iniucundum, quod ſeriae Inſcriptioni ſubnectamus ludicram, tantò artificioſiorem, quantò vberiorem Epithetis citra vllum ſynonymiae vſum. Auctor eſt recens, Humaniorum Literarum Profeſſor in Gymnaſio Piſano, omniſque cultor amoenitatis, Valerius Chimentellus, qui diffamata morte (quamquam falsò) Franciſci Maſſellij in Aula Etruſca Paraſiti, atque Armentis nobiliſſimi, hunc illi honorarium compoſuit tumulum.

LIII.

FRANCISCO . MASSELLIO
Manduconi, & Biboni omniuolo
Catillorum Alphae
Lurconum Roſcio
Helluonum Homero
Phagonum Herculi
Dentium Euryſteo
Quos viuens perpetim exercebat; dubium, an nunc
Etiam in tumulo.
Magno orexeos columini
Vltimae quadrarum ruinae
Ollarum gurgiti
Cupediarum barathro

Obſoniorum

Obſoniorum Charybdi
Tarpeio buccearum ſaxo
Aſſa, Elixa; Fricta, Toſta, Iurulenta perpeſſitijs faucibus
Aequaliter perdere nato
Bona fide manducanti, ſine reſpiratione bibenti
Lippientis ſemper gulae Eſurioni. Saturioni nunquam
Patinarum omnium albae lineae, Promulſis, Caput
Bellaria ſint
Rumen illi nullo tempore inuitum, Nullum ingratijs
Ferculum, Nullus Miſſus Dimiſſus, Tota Coena guſtatio
Pauciloquo, Multiuoro
Paraſitaſtro lepidè inſulſo, Morioni inſipidè faceto
Cui quam nidor ganearum, & fumus culinae
Sapiebat nihil
Nihil niſi Cacabi melos glocidantis, niſi amphorae
Murmur inuerſae ſaliuam mouebat
Muſcae, Vmbrae, Trechedipno impigro
Calceatis vſquè maxillis
Quem non ſcrupea via, aut longus trames, Non irati
Iouis manubiae, nec Caelùm ruens à Porediae, ac
Bibeſiae ſacris pedeſtrem domicoenij fugitorem
retardabant
Heu cum caſeatis offis manu, ventre, gutture
Fortiter rem gerens, diſtentus, nec tamen ſatur
Per indignam cruditatem maturiſſimè cadit
Glorioſus Degulator in ſua ſtatione
Anno MDCLII. frumenti caritate ſe ſe incendente
Commodùm extinguitur, Dijs volentibus, ne tanto
Infortunio ſuperuiueret
An incolumis ne totam annonam voraret
Fumidus Magirorum Senatus
Sordidata lixarum Plebs
Coquinariam ſupellectilem moeſtam, non ſine Iure
Tinctam nigredine, Eſuritionum Patri, Nepoti
Incomparabili, meritum Ingluuiei Anathema
Suſpendit

Elogium
Sit ieiunum à Repetitionibus.

Membrum III.

REpetitiones non facilè admittit Elogium, cui ſumma propoſita breuitas. Excludit namque Primùm figuram illam, quae peculiari nomine Repetitionis, ſeu Relationis donatur apud Rhetores, ſi frequens fuerit, quod ad amplificandum, ac mouendum ſit nata. Cuiuſmodi apud Ciceronem: *Multa memini, multa audiui, multa legi: nihil omnium ſeculorum memoria tale cognoui.* Vbi Elogiaſtes ita inſcripſiſſet: *Multa memini, audiui, legi, nihil omnium*

&c. Apud Poetas non ſine motu, & amplificatione, Vt Virg. El og. 10:

Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori,
Hic nemus, hic toto tecum conſumerer aeuo.

Excludit quoquè Conduplicationem (quam exigunt magni affectus) Oratoribus, & Poetis familiarem. Vt Cic. pro Fonteio. *Fuit, fuit illis Iudicibus Diuinum, ac ſingulare, Iudice, conſilium.* Sic Virg. III. Aeneid.

Italiam, Italiam primus conclamat Achates.

Quantùm verò motus vehemens ex huiuſmodi conduplicatione dedeceat elogiaſtam, planum habebit, qui legerit Epitaphium Antuerpienſe, *Ioannis Miraei IV. Antuerpienſium Praeſulis* &c. vbi poſt pauca pergit: *Ille eſt, Cuius in Deum pietas, Erga homines benignitas, In agendo Prudentia, Quae virtutes vnà cum eruditione ſummae in eo fuerunt, Apud nos poſteroſque Perenni Elogio celebrabitur* &c. Et quamquam inflatum videatur genus inſcribendi; ſedatè tamen ac citra extenuationem laudis legi commodè potuiſſet: *Ille eſt, Cuius in Deum* &c. habet enim alioqui magnificentiam ſuam, quàm vt in licentiam oratoriam tranſcurrat. Totum Epitaphium citat Franciſcus Suueertius in Appendice ad Monumenta Brabantina.

Excludit pariter Inuerſionem, qua praecipuè turpeſcit oratio. Vt *Poenos Populus Romanus iuſtitia vicit, armis vicit, liberalitate vicit.* Et Separationem, vt Cic. in Catil. *Viuis & viuis, non ad deponendam, ſed ad confirmandam audaciam.* Et Virg. in Georg.

Scis Protheu, ſcis ipſe, neque eſt te fallere cuiquam.

Nam hae omnes ſunt ſpecies Repetitionis, Rhetoribus figurae verborum. Multò magis excluditur ab Elogiaſte illa Repetitio, quae ad nullam ſpectat figuram, ſed ſimplex redundantia eſt, & mera verboſitas: Qualis videtur in Elogio de Eleonora Gonzaga nupta Caeſari. *Auſpicatiſſimis cuius nuptijs Italia tota priſca ſua maieſtate: Germania tota ſpe, laetitiaque noua augentur. O Glorioſum fataleque nomen. Eleonoram Auſtriaca domus Auiam tuam olim dedit: Eleonoram Auſtriaca domus te Neptem nunc recipit.* Quantò lepidiùs, ſi ita caſtigaſſet; *Italia priſca tua maieſtate, Germania ſpe, laetitiaqua noua augentur.* Et: *Eleonoram Auiam tuam Auſtriaca domus olim dedit, Eadem nunc Eleonoram te Neptem recipit.*

Caeterùm non interdicimus penitùs Elogio hanc figuram, etiam vbi propoſita breuitas, dum haec aliunde conſtiterit. Nos modò breuitatis limites indicamus, & vti arctentur numeri, ne liberè Oratorio more feratur Elogium. Ita quandoque Repetitionem ei permittimus; id verò pluribus de cauſis.

Primùm ad docendum, cùm ita exigit materies, vt in antiquo marmore apud Gruterum pag. DXLIV. num. 5.

LIV.

C. HOSTILIVS . ET . P. EGNATIVS
VEITOR . QVINTADECIMAE . LEGIONIS
TRIBVNVS . PRO . S. P. Q. R. CVM
BARBARIS . DIMICANTES . PARITER
OCCISI . PARITER . HIC . IACENT . SINGV
LARE . POSTERIS . EXEMPLVM . ET
CARITATIS . ET . FORTITVDINIS
NOREENSES . XXI. DIES . ATRATI
LVXERVNT

Et cùm Temporis ordo eſt indicandus, vt in veteri monumento Neapolitano, quod habes exſcriptum apud Gruterum pag. CCCCXXXIII. num. 4. Videlicet:

LV.

M. MAECIO . MEMMIO . FVRIO . BALBVRIO
CAECILIANO . PLACIDO . C. V
PONTIFICI . MAIORI . AVGVRI . PV
BLICO . P. R. QVIRITIVM . QVINDECEM
VIRO . SACRIS . FACIVNDIS . CORREC
TORI . VENETIARVM . ET . HYSTRIAE
PRAEFECTO . ANNONAE . VRBIS
SACRAE . CVM . IVRE . GLADII . COMITI
ORDINIS . PRIMI . COMITI . ORIENTIS
AEGYPTI . ET . MESOPOTAMIAE . IVDI
CI . SACRARVM . COGNITIONVM
TERTIO . IVDICI . ITERVM . EX . DE
LEGATIONIBVS . SACRIS . PRAE
FECTO . PRAETORIO . IVDICI
TERTIO . CONSVLI . ORDINARIO
PATRONO . PRAESTANTISSIMO
REGIO . PALATINA
POSVIT

Nam, vt, quoties Iudex fuerat, quoque ordinè diſtinctum fieret, repetenda fuit Iudicis appellatio. Etiam Comitis, quod non bene cohaeſiſſent *Ordinis primi, Orientis, Aegypti* &c.

Praeterea inſeruit Repetitio diſtributioni partium, ſi quando facienda, vt apud Delmonacum Elogio de PAVLO IV. Pont. Max. *Aeui ſui*, ait, *Triſmegiſtus nomen fecit Maieſtati ſuum, Sapientiae*

Sapientiae ſuum, *Virtuti ſuum*, *& Eccleſiaſticae triuit compedes libertatis*. Sic enim perſpicuitatis ratio dictabat.

In ſummo compendio Repetitionis copiam feliciter inſeuit Auctor Inſcriptionis Brabantinae (quam citat Suueertius) & nos hic recitandam ducimus

L VI.

MONVMENTVM . M. THEODORI . DVSSILVI
VIRI . A . MORIBVS . STVDIIS . AETATE . GRAVIS
HERENTALII . ET . IN . VRBE . VRBIVM . ANTVERPIA
IVVENTVTEM . QVA . LITERIS . QVA . MORIBVS
L. ANNOS . INSTITVIT
QVAM . BENE . TESTABITVR . QVI . OPTIMVS
QVI . DOCTISSIMVS . IN . ISTA . VRBE
DECESSIT . XVI. FEBR. A. CIↃ.IↃ.C. X

En iterata repetitio dictorum *Qua*, & *Qui*, ſimul & ſuppreſſio gemini verbi ad laconiſmum tuendum, videlicet *Quàm bene* (ſupple) *inſtituerit*: Et *Qui optimus*, *Qui doctiſſimus* (ſupple) *extat*, vel *eſt*. Hac repetitione ornauit titulum opuſculi ſui (in Titulis autem ſumma breuitas) Franciſcus Maria Delmonacus Clericus Regularis Theatinus: *ELOGIA Quatuordecim clariſſimorum Virorum eiuſdem Congregationis Quà Sanctitate*, *Quà Sapientia illuſtrium*:

Ad magnificentiam quoquè ſententiae facit Vocum repetitio, vt in vetuſta Inſcriptione, quam non ex inelegantia improbatam, ſed ex cõditione temporis ſuſpectam reiecit inter Suppoſititias & Spurias Ianus Gruterus pag. II. num. 2. Videlicet.

L V I I.

EMPORITANI . POPVLI . GRAECI
HOC . TEMPLVM . SVB . NOMINE
DIANAE. EPHES. EO. SECVLO. COND — * i. e. *condiderunt*
QVO. RELICTA. GRAECOR. LINGVA
NEC. IDIOMATE. PATRIAE. IBERAE
RECEP. IN. MORES. IN. LINGVAM — * *recepto*
IN. IVRA. IN. DITIONEM. CESSERE
ROM — * *Romanorum*
M. CETEGO . ET . L. APRO
NIO . COSS

quantum verò hìc maieſtatis oboritur Elogio, ex *In* Praepotitione repetita?

Ad Emphaſim in primis valet, vt apud Gruterum pag. DLXI. num. 2.

L V I I I.

L. SENTIVS . L. F. OVF
NIGER . SIGNIF. LEG. IIII
SCYTICAE . HIC . NATVS
HIC . SITVS . EST
M. SENTIVS . L. F. OVF
MACER . VETERAN. LEG
IIII. SCYTICAE . SIBI . ET
FRATRI . V. F

quis enim ſatis expreſſerit vim repetiti *Hic natus*, *Hic ſitus*? ideſt locus idem cunabula, & ſepulchrum; res ſanè memoranda. Quod bellè imitatus nuper videtur Marcellus Garzonius in ſuo Epitaphio Bononiae in Diui Pauli apud Patres Ordinis noſtri, ſic inſcribens:

L I X.

MARCELLVS . GARZONIVS
HIC . VBI . NATVS
SIBI
SEPVLCHRVM . ELEGIT
ANNO . MDCXI

elegantiùs forte *Hic cunabula ſortitus*, *Hic ſepulchrum elegit*, aut preſſiùs *Hic ſepulchrum*, *vbi cunas*, *Viuens elegit*, aut *Hic natus eſt*, *hic ſitus eſſe voluit*.

Ad inculcandum praeterea vtimur Repetitionibs, vt in Elogio Iuglariano de die Cenſorio,

nimirum

nimirum Iudicio extremo Dei in Genus humanum: Item ad Affectus ſiue lenes, ſiue concitatos, de quo adi librum V. de Venuſt. Elog. cap. III. De Lepore in Sententijs, Membr. II. & ſeqq. Concitatiſſimi motus eſt Bellicum Amoris, quod proſa inſcripſit Marcellus Buttilius in Regijs nuptijs Ducis Parmenſis, à nobis ſuprà citatum lib. I. vbi de Elogij definitione, cuius initium: *Ad Arma conclamat Amor*.

Ad rerum magnarum congeriem, quam motus neceſſariò comitatur. Cuius rei ſpecimen datur in fragmento marmoreae tabulae Aſſiſij in Vmbria aſſeruatae, teſte Grutero pag. CCCC. num. 7. videlicet:

LX.

P. DECIMIVS . P. L. EROS
MERVLA . MEDICVS
CLINICVS . CHIRVRGVS
OCVLARIVS . VI. VIR
HIC . PRO . LIBERTATE . DEDIT . HS. IↃↃↃ
HIC . PRO . SEVIRATV . IN . REM . P
DEDIT . HS. MM
HIC . IN . STATVAS . PONENDAS . IN
AEDEM . HERCVLIS . DEDIT . HS . CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ
HIC . IN . VIAS . STERNENDAS . IN . PVBLICVM
DEDIT . H. S. CCIↃↃ CCIↃↃ CCIↃↃ IↃↃ. MM
HIC . PRIDIE . QVAM . MORTVVS . EST
RELIQVIT . PATRIMONI
HS. M CCIↃↃ CCIↃↃ

* id eſt triginta millia, eſt enim ea nota decem millium, tertiùm multiplicata: Sicut IↃↃ quinque millium; IↃↃↃ quinquaginta millium; CCCIↃↃↃ centum millium, IↃↃↃↃ quingentorum millium; &, vltra quem numerum non procedebant veteres, CCCCIↃↃↃↃ decies centum millium.

Quare haud mirum, quòd frigeat Franciſcus Pola in Epigrapha Veronenſi ad Diuae Caeciliae, in qua ſcilicet Repetitionem protrudit, nulla interueniente cauſa, nullo vſu: è ſtyli dumtaxat luxurie. Sic enim habet:

LXI.

Tibi Altare Hoc Tibi
Lectiſſime Paule Apoſtole
Poſuit Dicauit
Paulus Strata
Hiſce legibus dictis
In vltima ſuae mentis teſtatione
Quàm emiſit &c.

Nonnè purè fluxiſſet & nitidè hoc fere modo? *Altare Hoc tibi Paule Apoſtole lectiſſime* &c.

Repetitionis illa ſpecies, quae Rhetoribus Traiectio, vocem cum quadam variatione repetens, ni parcè adhibeatur, non effugit notam. Hanc certè contraxit Auctor recentis Inſcriptionis in Caeſarem Montium Cardinalem, Mediolanenſium Archiepiſcopum, quam, vt ſcopulum declinandum indicemus, citandam hic ducimus:

LXII.

CAESAR
Purpuratus Montius
Flammis Diuini incenſus Amoris
Cupiditatum Flammas extinguit
Senſibus Flammas infundit
Ciues
Flammas Flammis agnoſcite
Flommantem Virum
Flammantia tollite ad Sidera

Eodem laborat vitio Mediolanenſe marmor in Atrio Pij loci, vulgò *Charitatis* in hunc modum inciſum.

LXIII.

**Charitate, & Nobilitate Inſignes Duodecim Ciues Loco opportuno electam Domum *Charitatis nomine nuncuparunt. Vbi egregiae *Charitatis opera exercentes clariſſima Caeleſtis gloriae praemia quaeſiuerunt *Charitatis eximiae Memoriam hodierni *Charitatis praefecti debita in Benemeritos *charitate ſpectari Hoc inſcriptam Marmore voluerunt Anno MDLXXXXIII*

Vbi

Vbi vox eadem ſexiès inculcata affectationem praefert pucrilis ingenij. Loco igitur primo ſubſtitui *Pietate*: loco quarto *Virtutis eximiae* vel *Eximij operis*. Quinto *Loci*, vel *Domus*: Sexto *Debito Benemeritis Elogio*. Dele etiam *inſcriptam*: Ita repurgatam fas erit legere.

Elogium
Sit ieiunum à Coniunctionibus.

Membrum IV.

COniunctionibus omiſſis breuior decurrit Inſcriptio. Eſt ergo cum primis vitanda earum, & quidem Copulatiuarum frequentatio, & adfectata iteratio. Rectè enim licuit Oratori dicere (In Verrem) *Neque priuati, neque publici, neque profani, neque ſacri tota in Sicilia quidquam reliquiſſe*. Cautiùs autem Elogiaſtes. Quin & Orator ipſe eas perſaepe reijcit, vbi celeritas facti, ſimulque breuitas temporis exprimenda fuerit. In Catil. *Abijt, Exceſſit, Euaſit, Erupit*. Et pro M. Marcel. *Conſtituenda iudicia, reuocanda fides, comprimendae libidines, propaganda ſoboles*. Congruunt Inſcriptiones veterum, & Primùm Triumphi Caeſariani VENI. VIDI. VICI. & quae à Grutero citantur marmora, pag. XCIII. num. 12. Eſt Romanum, videlicet:

LXIV

NYMPHIS. LOCI
BIBE. LAVA
TACE

& ad Triumphalis illius imitationem recèns Antuerpiana Inſcriptio in latere Arcus Ferdinando Auſtrio Infanti Cardinali erecti:

LXV.

AD. DIEM. II. SEPTEMB. VENIT. V. VIDIT
VI. VICIT. ET. DVCE. CAPTO. HOSTES
AD. INTERNECIONEM. DELEVIT

& quae in marmore affertur à Grutero pag. DCCCCXXV. num. 23.

LXVI.

D. M
VERVICIA. DEFVNCTA. AN
NORVM. XXX. PROCVRAVIT
MATER. SVA. DONAVIT. PO
SVIT

Hùc tendunt, vbi plura congeſta vel Epitheta, vel ſpecies rerum, vel partes totius, idque abſque Copulatiuis. Vt in Grut. pag. CCCCXLVIII. num. 6. videlicet;

LXVII.

PAVLLINAE. VALERIANAE
RARISSIMAE. SANCTISSIMAE
FOEMINAE. PATRONAE. F
L. PAVLLINVS, VOLVSIVS
V. C. PRAEF. VIGIL. ROM

& pag. CCCCLIV. num. 10.

LXVIII.

D. M. S
Q. PLOTIVS. Q. F. QVIR
ROMANVS
EXORNATVS. EQVO. PVBL
HONORIB. FVNCTVS
IN. COLONIA. HOSTIENSI
DECESSIT
SVPERSTIBVS. PARENTIBVS

& CCCCXLVI. num. 1. cuius fragmento in rem noſtram contenti erimus, cum totum ſuprà citauerimus lib. II. Claſs. VI. Hiſtorial. Memb. III.

LXIX.

M. OPPIO. CAPITONI &c
ORDO. ET. PLEBS. STREIENS
PATRONO. MVNICIPI
CVRATORI. DATO. AB
IMP. ANTONINO. AVG
L. D. D. D

Item CCCCXXIV. num. 5.

BONAE

LXX.

BONAE . MEMORIAE . ET . SPEI . AETERNAE
SPIRITV . QVOQVE . INCOMPARABILI . FE
LICIAE . MINNAE . FOEMINAE . RARISSIMAE
CASTITATIS . EXEMPLI . AFFECTIONIS . PLE
NAE . ERGA . OMNES . HOMINES . IVLIVS . PRI
MITIVS . DEC. CCC. AVG. LVG. CONIVGI . INCOM
PARABILI . QVAE . VIXIT . ANN . XXXII . MENS . V
DIES . IIII . SINE . VLLA . QVERELLA . SIBIQVE
VIVVS . FECIT . ET . SVB . HASCIA . DEDICAVIT

His addere ne pigeat, quod pag. CCCCXXVI. num. 3.

LXXI.

PERPETVAE . SECVRITATI
C. IVLIANIVS . IVLIVS . DEC
MVN. IIII. VIRALIS . SIBI . ET
SECVNDINIAE . PERVINCAE
CONIVGI . CARISSIMAE
ERGA . SE . DILIGENTISSIMAE
FOEMINAE . RARISSIMAE
SINGVLARIS . EXEMPLI
PVDICITIAE
QVAE . VIXIT . ANNOS &c

Species quoquè rerum multae, copulatiuis ſolutae leguntur apud eundem pag. CCCCXXIX. num. 1.

LXXII.

M. LICINIO . MVCIANO &c DONIS . DONATO
OB . VIRTVTEM . ET . FORTITVDINEM . . . .
BELLO . DACICO . AB . IMP. TRAIANO
CORONA . VICTRICI . PVRA . HASTA . TOR
QVIBVS . ARMILLIS . PHALERIS . &c

Repete Membrum I. ſub finem, vbi de frequentatis Epithetis. Adi item infrà Membrum XI. de Verbalibus. Pernobilis autem eſt Inſcriptio apud Grut. pag. CCCCLVIII. num. 5. quam non ſine piaculo ſuppreſſerimus. Ita verò legimus

LXXVIII.

L. PORCIVS . L. F. GALERIA . STILO
OBVLCONENSIS . ANN. LXV
AEDILIS . II. VIR. DESIGNATVS . P. I. S *Publica impenſa ſepultus*
H. S. E. S. T. T. L *Hic ſitus eſt. Sit tibi Terra leuis*
HVIC . ORDO . PONTIFICIENSIS . OBVLCONENSIS . LOCVM . SEPVLTVRAE
IMPENSAM . FVNERIS . LAVDATIONEM . STATVAM . EQVESTREM
DECREVER

Hic enim quatuor decretas honoris ſpecies defuncto percenſet, id autem ſinè copulatiuarum nexu. Atque ita fere Elogiaſtes ex Breuitatis praeſcripto.

Caeterùm ne illi putes interdictum planè vſum Coniunctionum, ſicut neque reliquarum Orationis partium, quoties neceſſitas exigit. Sic docet Inſcriptio illa vetus, hoc ipſo tamen pura, & nitida; quam memorat Auctor Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. (legi Romae Gruterus teſtatur pag. CLXXVI. n. 1. in Porta Naeuia mediam inter alias duas) quamquè tibi hic reddimus,

IMP.

LXXIV.

IMP. CAES. VESPASIANVS. AVG
PONT. MAX. TRIB. POT. X. IMP
XVII. P. P. CENSOR. COS. VIII
AQVAS. CVRTIAM. ET. CERVLEAM
PERDVCTAS. A. DIVO. CLAVDIO
ET. POSTEA. INTERMISSAS. DILAPSAS
QVE. PER. ANN. NOVEM. SVA
IMPENSA. VRBI. RESTITVIT

En tibi ternas Coniunctiones *Et*, *Et*, *Que*, cùm tamen inter praemiſſa illa Epitheta plura, *Pont.*, *Trib.*, *Imp. Cenſor*, *Coſ.* nullam ſimilem particulam interiecerit. Vtrumque verò commodè. Illa trita frequentandi forma, communis alijs, qua Epithetum poſtremum copulamus, prioribus ſolutis, vt apud Gruterum pag. CCCC XLVIII. num. 9.

LXXV.

MEMORIAE. CLA. FEM
L. PEDVCEAE. IVLIANAE
MORIB. NATAL. AC. PVD. PRISCIS
INLVSTRIBVSQVE. FEMI. COMPARANDA
QVAE. VIXIT. ANNOS. XIII. DIES. XLVII
CVM. MARITO. FECIT. ME. V. D. XX
L. NONIVS. VER

Repetenda ſepulcralis Inſcriptio, quam habuimus ſuprà lib. I. Elogio primo in ordine: vbi habetur: *Hortos donauit, vt ex reditu eorum Roſae & Eſcae patrono ſuo, & quandoque ſibi ponerentur.* Vbi duobus locis adhibita coniunctio, neutro ſupprimi ſalua perſpicuitate poteſt. Quippe ex diſparibus quiſque conſtat. Vim autem ſpirat non modicam parium copulatio apud Grut. pag. CCCCXXII. num. 3.

LXXVI.

C. IVLIO. AVGVSTI. L
HELENO
EX. DECRETO. DECVR
MVNICIPII. ALERTINAT
ET. POLLICITATIONE. SEVIR
ET. MVNICIPVM. ET. INCOLAR
OB. MERITA. EIVS

Illud contemplare ſiue legitimum marmor, ſiue ſpurium, viuax certè quidem, magnificum, iucundum, atque ab elegantia non indignum cenſeri inter ſelecta antiquorum, quod Gruterus ſpurijs ac cenſet pag. II. n. 1. Nos ex Auctore Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. pag. X. ipſa omnino verſuum forma, ac diſpoſitione referemus. Danij, inquit, in Hiſpania legitur, in Templo:

LXXVII.

PALLADI. VICTRICI. SACRVM
HIC. HOSTIVM. RELIQVIAS. PROFLIGAVIT
CATO
VBI. ET. SACELLVM. MIRO. ARTIFICIO
STRVCTVM. ET. AEREAM. PALLADIS
EFFIGIEM. RELIQVIT
PAREANT. ERGO. ET. NOSCANT. OMNES
SENAT. ET. POP. RO. IMPERIVM. DEOR
NVMINE. ET. MILIT. FORTITVDINE. ET
TVERI. ET. REGI

Septem ipſas copulatiuas hìc habes, quarum nulla otioſa, aut redundans, idcirco Breuitati epigraphes non repugnans.

Eſt omnino, quòd recitetur hoc loco vetus Epitaphium Neapolitanum, dignum admiratione P. Iouij Hiſtorici, vt refert Scipio Ammiratus Dialogo, quem inſcripſit *IL ROTA*. Et citatur apud Gruter. pag. DCXCVIII. num. 10. In quo ita crebrae ſunt Coniunctiones, vt earum vna omitti citra vitium ſermonis non poſſit; Breuitas tamen nec hilum violetur, Videlicet:

LXXVIII.

OPPIA. T. FIL. BASILLA
MATER. INFELICISSIMA
FECIT. BASSO. FIL. OPTIMO
ET. PIISSIMO. ET. SIBI. ET
AMANDO. AVG. L. CONIVGI
ET. LIBERTIS. LIBERTABVSQVE
BASSI. FILI. MEI. ET. MEIS. ET
AMANDI. ET. NATIS. NATAEVE
EORVM. LOCO. EMPTO
TERRAE. IVGERIBVS. TRIBVS
ET. AEDIFICIS. OMNIBVS
CIRCVMDATA. MACERIA

Vides

Vides hic copulatiuas numero nouem, diſiunctiuam vnam, quarum ſi vel vnam expungas, aut ſolueris compages, aut etiam confuderis ſenſum; ſimul & perſonas diuerſas miſcueris.

Iam Coniunctionum neceſſitas pendet ex intelligentia ſententiae, quae illis ſuppreſſis ſaepe obſcuratur. Hoc vt planius adhuc fiat, proponimus Inſcriptionem Florentinam, quam citat Franciſcus Suueertius in Select. Chriſtiani Orbis Delicijs,

LXXIX.

SILVESTER . MEDICES . H. ADQ. QVI . ITA . DE . REP
DOMI . FORISQ. MERITVS . EST . VT . ET . EQVESTRI . ORDINE
ET . AMPLISSIMIS . DONIS . ET . LOCO . SEPVLTVRAE
MAXIMO . CONSENSV . CIVITATIS . DECORATVS . SIT
ANNO . SAL. M.CCCLXXXVIII. VIXIT . ANN. LXII. M. VIII. D. XII

Atqui huic Inſcriptioni ſi demas intergeminam illam copulatiuam ET, tolles perſpicuitatem, nam ita legas oportet: *Equeſtri ordine, ampliſſimis donis, loco ſepulturae* (quodque ſubſequitur cohaerere videbitur) *maximo conſenſu Ciuitatis*, quaſi Conſenſu iſto, vt & illis honoribus intelligatur fuiſſe decoratus. Itaque coniunctio illa triplex ſimul tria illa connectit, hoc quartum diſtinguit. Adde energiam ſententiae extinguendam fore, quae tres vnà ſpecies honoris colligens amplificat Defuncti meritum, tantis aggeſtis praemijs publicè teſtatum. Idem intelliges in Sepulcrali, apud ipſum Suueertium, Volumine autem Inſcript. Brabantin. Videlicet

LXXX.

PETRVS . GRIMALDVS . DVRATVS
IOAN. F. NOBILIS . GENVENSIS . SPECTATISS. IN . MERCATVRA
ET . FIDE . ET . INDVSTRIA . FLORENTE . ADHVC . IVVENTA
ELATVS . HIC . SITVS . EST . TRISTE . AC . LACHRYMABILE . SVI
DESIDERIVM . PATRI . FRATRIBVSQ. RELINQVENS . VIXIT
ANN. XXXV. OBIIT &c

In tertio verſu geminae copulatiuae iniectae ſicut lucem afferunt ſententiae; ita ſublatae offundunt caliginem ob ſimilem caſum praecedentem, & ſuccedentem.

Haec nobis diſſertantibus offertur ad cenſuram Epitaphium Ferrarienſe in Aede interiore Sacrarum Virginum (vulgo) *Ad Corpus Domini*, quod malumus tibi, lector, exhibere, iudicium tuum priùs rogantes. Eſt autem huiuſmodi.

LXXXI.

D . O . M
ALFONSO . DVCI . FERRARIAE . MVTINAE . REGI . ET . MARDHIONI
ESTENSI . ET . COMITI . RODIGII . ET . PRIN. CARPI . ET . DOMINO . COMACHI
PROVINCIARVM . FRIGNANAE . ET . GARFAGNIANAE . IN . ROMANDIOLA
ET . ELEONORA . ARAGONIAE . MATRI . LVCRETIAE . BORGIAE . VXORI
ALEXANDRO . ET . ISABELLAE . FILIIS

Videor ex te audire redundantiam hic otioſam copulatiuarum, poſſeque commode ſic legi, & intelligi: *Alfonſo Duci Ferrariae, Mutinae, Regij, Marchioni Eſtenſi. Comiti Rodigij, Principi Carpi, Domino Comachi, Prouinciarum Frignanae, & Grafagnianae in Romandiola, Et Eleonora. Aragoniae Matri. Lucretiae Borgiae Vxori. Alexandro & Iſabellae Filijs.* Eſt autem intelligentia & perſpicuitas orationis quaſi lydius lapis, quo neceſſitas probatur coniunctionum.

Adhuc, vti energiae inſeruiat vſus coniunctionum, perſpicies in Alberti Elogio de Diuo Antonio, Membro VI.

Parentes

LXXXII.

Parentes Suos
Tunc primum Deſiderauit, & Fleuit
Reuocaſſet ad Vitam, Vt Linqueret
Mare, Nil Ratus Integrum
Mundi, Niſi Parentum Lacrymas
Tranſmiſiſſet, Quibus Non Mergi
Impietati Tribuitur. Et Eſt Pietas.

expende Membrum poſtremum quantum vibret in coniunctione, *Et*, energiae! *Et Eſt Pietas*. Inſignis verò energiae exemplum recens habes Mediolani ad Diui Satiri in Monumento Sepulcrali, quod citat Placidus Puccinellius in ſuo Zodiaco, videlicet:

LXXXIII.

IO. GEORGIO . GVASCONI . I. C. PRAEMATVRE
MORTVO . ET . HIERONYMO . EIVS . FRATRI . ET . FRAN
CISCO . PATRI . QVOD . NEC . FILIO . PATER . FECIT . VT
COGITABAT . NEC . FRATRI . FRATER . VT . DEBEBAT
EX . TESTAMENTO . PRAEFECTI . SCHOLAE . CHARI
TATIS . QVAM . SVIS . HEREDEM . SVBSTITVIT . MO
NVMENTVM . B. M. FECERVNT . AN. MDLXXI

Coniunctiones hic ſunt Copulatiuae affirmantes *ET*, negantes *NEC*, quae compages ſunt huiuſce elegantiſſimae, artificijque plenae Inſcriptionis.

Largior permittitur vſus Affectibus, vt patet in Epitaphio apud Gruterum pag. DCCXI. num. 4.

LXXXIV.

VALERIO . AVITO
VALERI . MARINI
FIL . ANN. XXX
VALERIA . FVSCILLA
MATER . FIL
CARISSIMO . ET
PIENTISSIMO
ET . OBSEQVEN
TISSIMO

At verò intelligentia ſalua, & affectibus integris familiarior profectò eſt Coniunctione Diſſolutio, longeque gratior Elogio, vbi Breuitati in primis ſtudetur. Eſt autem Diſſolutio Rhetoribus, Coniunctionum praetermiſſio. Eâ Diuus Iulius Caeſ. titulum compoſuit triumphi ſui à Victoria Pontica VENI . VIDI . VICI. quò clariùs celeritatem illius expeditionis expedito nodis Coniunctionum Elogio ſubijceret inſpectantium pompam oculis. Id quod in antiquis marmoribus obſeruare eſt. Apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. citatur Epitaphium prope Monaſterium Sublacenſe.

LXXXV.

ASCLEPIADES . VALERIAE . SABINIAE
CONIVGI . BENEMERENTI . ANIMAE
INNOCENTI . QVAE . VIXIT . ME
CVM . A. XXV. M. IIII. D. X
MONVMENTVM . FECI

Hûc ſpectat Epithetorum frequentatio abſque copulatiuis, ad quatuor, quinque, & plura, de qua nuper Memb. I. Exempla verò omnia, quae afferri ex antiquitate poſſunt, vincit illud dignitate, quod legitur Romae in Arcu Conſtantini, teſte Grutero pag. CCLXXXII. n. 2. & Auctore Inſcript. Sacroſ. Vetuſt.

LXXXVI.

IMP. CAES. FL. CONSTANTINO
MAX. P. F. AVG. S. P. Q. R. QVOD
INSTINCTV . DIVINITATIS . MENTIS
MAGNITVDINE . CVM . EXERCITV
SVO . TAM . DE . TYRANNO . QVAM
DE . OMNI . EIVS . FACTIONE . VNO
TEMPORE . IVSTIS . REMP. VLTVS
EST . ARMIS . ARCVM . TRIVMPHIS
INSIGNEM . DICAVIT
LIBERATORI . VRBIS
FVNDATORI . QVIETIS
VOTIS . X SIC . X
VOTIS . XX SIC . XX

habes hic Diſſolutionem iteratam, nempe in *Inſtinctu Diuinitatis, Mentis magnitudine*: Et in *Liberatori Vrbis, Fundatori quietis*; ex quibus mirum, quàm preſsè & expeditè decurrat Inſcriptio, nec ſine quadam magnificentia tanto digna argumento. Conciliauit hinc Elogio ſuo dignitatem Franciſcus Pona, ſic habens de Iulio Caeſare: *Aerario pecunias, Vrbi dignitates, Dignitatibus nomina, Matronis pudorem, Virginibus corporis ludibria extorſit*. Et Bouius de Diuo Ignatio Elog. C. *Aſylum haereſi, luſtra ſceleribus, ſuperſtitioni fana, thura idolis eripuit*. Inſcriptiones verò recentium temporum totas, diſſo-

lutione nobiles habebis paulò infrà.

Aduerbiales quoque dictiones duas continuat Diſſolutio, quae aliàs coniungi maluerint, vt in Votiuis memorijs Antiquorum intelligimus, vbi habetur LIBENS. MERITO. Sic apud Gruterum pag. LXXVII. num. 1. eſt Tibure in Ara marmorea

LXXXVII.

FORTVNAE
PRIMIGENIAE
SIGNVM. APOLLIN
TVTEL
L. HELVIVS. FELIX
PATER. CVM. FILIO
ET
CLAVDIA. SABINA
MATER
VOTO. SVSCEPTO
S. P. L. M

pro *ſua pecunia libens*, ac *meritò*: In quo ſaepiſſimè veteres his dictionum compendijs vtebantur, VOT. SOL. LIB. MER. ideſt *Votum ſoluit libens, merito*, vt videre eſt apud Gruterum, praecipuè pag. XIX. num. 3. Saepiùs tamen ſingularibus notis V. S. L. M. vt ſupra, & paſſim apud eundem. Nec ignoramus controuerti apud quoſdam, Vtrùm illa *Libens, merito* in ijs Inſcriptionicus Aduerbia putanda, an potiùs Nomina. Et quidem Paſcaſius Groſippus (is eſt reſtituto nomine Gaſpar Scioppius) in ſuis Inſtitutionibus Grammaticis aſſerit vocem *Merito*, quam vulgus pro Aduerbio vſurpat, planè eſſe Nomen adiectiuum, ac ſibi ſubintelligere ſubſtantiuum *Iudicio*, aut *Iure*: huic autem placito nullum adiungit rationis, aut authoritatis praeſidium. Neque enim id euincit, quòd extet apud Ciceronem I. de Orat. Vox eadem ſuperlatiuè prolata, cùm ait: *Quem omnes amare meritiſſimo pro eius eximia ſuauitate debemus*. Siquidem vt Auctor Theſauri Latinae linguae acutè interpretatur, vice ſubſtantiui gerit ibi vox *Meritiſſimum*, eſtque idem ac *Maximum meritum*. Quem in ſenſum dixerat Plautus in Aſin. Act. III. Sc. III. *Iube aduenire quaeſo; meritiſſimo eius quae volet, faciemus*: ſubſtantiuè profectò, vt ex ſubiecto caſu patrio ſit apertum. Neque eſt, quod premat hic Scioppius in ſubſtantiuis non dari comparationis, aut ſuperlatiuis gradus: Nam contra hos canones licuiſſe Plauto dicere reperimus in Poenulo, a *Patruo*, *Patruiſſimum*; & Catullo à Cinoedo *Cinoediorem*: licentia quidem poëtica; ſed ex qua tamen liquet poſitiuum *Merito*, cùm ſuperlatiuè patrium regat, ſubſtantiuè vſurpari ſolitum. Reſtat igitur, vocem *Meritò* ex nomine ſubſtantiuo aduerbium factum. Altera verò vox *Libens* in inſcriptionibus alibi Nomen, alibi Aduerbium. Nomen quidem, vt apud Gruterum pag. XXXXVI. num. 10.

LXXVIII.

HERCVLI. INVICTO
PRO. SALVTE &c
QVOD. PROFICISCENTES. EXPEDITIONIBVS. SACRIS. VOVERANT
REGRESSI. CVM. COMMANIPVLIS. LIBENTES. VOTVM. SOLVERVNT

quamquam ſi tota obſeruetur Inſcriptio, non optimi ſit ſeculi: Propterea cùm frequèns legatur ANIMO LIBENS, vt pag. CVIII. num. 6.

C. MARCIVS &c. ANIMO. LIBENS. ARAM. SVA. PECVNIA. POSVIT

& alibi paſſim ijſdem fere verbis, vel in notas contractis ARAM. ANIMO. LIBENS. S. P. P. & A. L. S. P. P. ideſt *Animo libens ſua pecunia poſuit*; conſequens eſt, vt vox *Libens* ſubiuncto Latino caſu *Animo* arguatur locum habere Nominis.

Aduerbij autem non ambiguè apud Gruter. pag. XLVI. num. 12.

LXXXIX.

HERCVLI
INVICTO
DEO
CVLTORES
V. SS. L. M

interpretare notas *Votum ſoluerunt libens merito*. Is enim erat vſus antiquitatis, vt litera geminata multitudinis numerum ſignificaret tam in

verbis

verbis (vt *Poſ.* Poſuit : *Poſs.* Poſuerunt) quàm in nominibus) vt *Coſ.* Conſul, *Coſs.* Conſules) quae ſanè formula loquendi alibi explicatis notis reperitur, pag. XLI. num. 7.

X C.

DIANAE
NEMORESI . VESTAI
SACRVM . DICT
IMP. NERVAE . TRAIANO . AVG. &c
P. CORNELIVS . TROPHIMVS &c
ET . LANIA . C. F. THYONOE . CONIVX
EIVS . VOTVM . LIBENS . SOLVERVNT

quòd ſi nomen hoc loci foret, non *libens* legiſſes; ſed *libentes*, vt in ſuperioribus. Luculentiùs adhuc fit ex alia Inſcript. apud eundem XXXVI. 1.

X C I.

SOLI . SANCTISSIMO . SACRVM ....
TI. CLAVDIVS . FELIX . ET ....
CLAVDIA . HELPIS. ET ....
TI. CLAVDIVS. ALYPVS. FIL. EORVM
VOTVM.SOLVERVNT.LIBENS.MERITO
CALBIENSES . DE . COH. III

Hinc dijudicata lis eſt, haſce voces Aduerbiales poni, & eas quidem nexu coniunctionis ſolutas breuitatis gratia, nec rectè extra Laconiſmum vſurpari : Sicut nec *Iure Merito*; hòc magis quòd ſynonyma ſunt ſubſtantiua ; ſed, quod adhuc legerimus, vſitatum *Iure ac Merito*; & aliter, alia autem ſignificatione, *Optimo iure*; quippe commiſſum ſnbſtātiuo Adiectiuum eſt. Habemus eaſdem voces ſuperlatiuè, in notis LL. MM. *Libentiſſimè Meritiſſimo* apud Grut. pag. LXXXIX. num. 10. & alibi.

Quoniam verò haec ipſa ad diuerſa referuntur, fit, vt alterum quandoque ſuperlatiuè componatur alteri poſitiuè; Non enim exigunt niſi ſynonyma eodem ſimul gradu collocari. Exemplum non vnum habes apud Grut. praeſertim pag. CIII. num. 8.

X C I I.

VICTORIAE
DE . MARCOMANIS
M. AVREL
V. S. LL. M

ideſt *Votum ſoluit libentiſſimè meritò*, quaſi ſtudium maius ſibi indicet fuiſſe, ſoluendi voti, quàm ex voto ipſo ſuſcepto obligaſſet promiſſio Numini facta.

Non ea tamen religio fuit antiquis in vſu figurae Diſſolutionis, quin aliquando à breuiſſimis Epigraphis excluſam vellent; cùm aliunde Laconiſmum ſeruarent. Huiuſmodi eſt, quam citat Romanam in Monte Caelio Gruterus pag. C. num. 6.

X C I I I.

S . P . Q . R
AEDEM. CONCORDIAE. VETVSTATE. COL
LAPSAM . IN. MELIOREM. FACIEM . OPERE
ET.CVLTV.SPLENDIDIORE.RESTITVERVNT

Hic coniunctione ET ſuppreſſa, haud conſtaret Elogij mundities.

Et quam legimus inter Inſcriptiones Sacroſanctae Vetuſtatis

X L I V.

TI. CLAVDIVS . DRVSI . F. CAISAR
AVG. GERMANICV. PONT. MAX
TRIB. POT. XII. COS. V. IMP. XXVIII. P. P
AQVAS . CLAVDIAM . EX . FONTIBVS
QVI . VOCABANTVR . CERVLEVS . ET
CVRTIVS . A . MILLIARIO. XXXVI. ITEM
ANIENEM. NOVAM . A. MILLIARIO. LXII
SVA . IMPENSA . IN . VRBEM
PERDVCENDAS . CV
RAVIT

hic enimuerò neceſſitas retinet coniunctionem, ſicut in alia apud eundem Auctorem :

X C V.

CLAVDIO . CAES
AVG . GERM . PONT . MAX
TRIB.POT. V. IMP.X. P.P. COS. DESIGN. IIII
OPTATVS . REBVRRI . L
I M A G
CAES . AVG . IMP
D . S . P . D
EAMQ. CVM . OPTATO . ET . REBVRRO
FILIS . DEDICAVIT
SENATVS . CENSVIT . PERPETVO

* *Optatus Reburri Libertus Imaginem Caeſaris Auguſti Imperatoris de ſua pecunia dedicauit* &c

nam quo pacto filios binos nomines, niſi intercedente *Et*? ſecùs dicente me *Cum Optato Reburro* vnicum ſuſpicatus fueris, cuius ſit Reburrus nomen, Optatus Praenomen, ſeu illud Nomen, hoc Agnomen. Accipe nunc ridiculam argumento Epigrapham. in qua tamen ſerium

rium inſpectes artificium ex vſu Coniunctionis ac Diſſolutionis opportuno, nec breuitatem deſideres neceſſariam. Citat Gruter. inter Spuria pag. XVII. num. 4.

XCVI.

DIIS . BELLVARVM
MARTINO . NOMINE . PATRIA . ILLYRICO . EPHIPPIFERO . AC. CLITELLIFERO DORSIGERO . AC. CLVNIGERO . CVRRENTI . SALTANTI . AC. VELOCITER AMBVLANTI . DEXTSORSVM . AC . SINISTRORSVM. FACILLIME.SE.VOLVENTI EQVARVM . ET . ASINARVM . ADMISSARIO . FORTISSIMO . QVI . NVNQVAM VLLIB . PEDEM . INCVSSIT . CVI . VT . ESSET . RATIONALIS . PRAE TER . VERBORVM . EXPRESSIONEM . NIHIL . DEFVIT . ARTEMON SVASIVS . MALE . MOERENS . EQVO . OPTIMO . B. M. POS. VIXIT . ANNOS VNDETRIGINTA . MENS . VI. DIES . VIII

Reliquum eſt, vt aliquot egregias Recentiorum temporum Inſcriptiones Diſſolutione nobiles ad antiquarum aemulationem ſtructas afferamus. Et primùm, quae ſunt à Coniunctione penitus purae, quarum aliquas in luce iam poſitas Orbis ſpectat, aliquas nos è tenebris nunc primùm vindicamus. Citat Romanam Franciſcus Suueertius in Selectis Orbis Delicijs, videlicet:

XCVII.

LEONI . XI. PONT. OPT. MAX
QVOD . GENTILITIAM . LEONIS . X
BENEFICENTIAM . PROPAGAT
VRBANAM . MAGNIFICENTIAM
ADAVGET
MEMORIAM . AVGVSTIOREM . FACIT
FLORENTISSIMVM . MEDICEAE . CVLMEN
GLORIAE
VRBIS . AETERNAE . ACCLAMATIONE
PERPETVAT
S . P . Q . R

Recens eſt Epitaphium Mediolani in Diui Victoris vulgò *Ad Corpus*, felici ſcalpro inciſum, & ad imitationem perbellum exemplum; ſic habens:

XCVIII.

M . D . C . XXXIII
COMITI . ROGERIO . MARLIANO
QVI
NATALIVM . SPLENDOREM
CLARITVDINE . STVDIORVM . DIGNITATE . VITAE
GRATIA . APVD . REGEM
AEQVAVIT
REGIS . NOMINE . LEGATVS
AD . LOTHARINGIAE . DVCEM . AD . SABAVDVM . AD . MANTVANVM
DENIQVE
AD . TVRCARVM . ETIAM . IMPERATOREM . DE . RE . MAXIMA . IVIT
EX . ARCANO . CONSILIO . FVIT
SIMVL . PRAEF . ALAE . EQVITVM
DECESSIT . ANNO . AETATIS . SVAE . LXXIII
IOANNES . ARIAS . MALDONATVS . REGIVS . SENATOR
SOCERO . GENER . TANQVAM . PATRI . FILIVS . P

Quod maximè eſt obſeruandum, vbi Inciſa longiora fiunt per eandem Diſſolutionem. Vt in recenti Epitaphio apud Suueertium in Brabantinis monumentis,

XCIX.

DIEGO . PARDO
CVI
PARENTES . HIERONYMVS . PARDO . ET . ANNA . DE . BEZAR
PATRIA . BVRGI . CASTELLAE . ILLVST. CIVITAS
FAMILIA . NOBILIS . PARDORVM . E . GALITIA . TRADVCTA
OBITVS . ANTVERPIAE . XVIII. OCT. CIↃ. IↃ. C

Limatiſſimum

Limatiſſimum eſt Elogium, quod nuperrimè ſcriptum edidit Alexander Bandinellius Abbas, Senenſis Patritius, & ex Academicis Intronatis nuncupatus DOCILIS, in publica laetitia ob renuntiatum Pontificem Maximum ALEXANDRVM VII. Ciuem ſuum. Quo in Elogio laudum Pontificis ſumma perſtringit capita citra vllam in tanta rerum ſerie coniunctionis particulam: Dignum planè lectione eruditorum, & in rem noſtram ſtudioſorum iuuenum imitatione, videlicet:

C.

ALEXANDER . VII. PONTIFEX
EX . FABIO . CHISIO . CARDINALE
Apagite profana Monſtra
Illex Ambitio, Praeſtrigiatrix Auaritia, Faſcinans Fauor.
Dignitatis pretium fecere Merita
Suffragium dedere Virtutes
Honorem detulit Fuga.
P O N T I F I C E M
Seruata in Septentrionalibus turbis Religio
O P T I M V M
Illibata à Puero Innocentia
M A X I M V M
Cumulata omnigena eruditione Prudentia
Inaugurauere.
FABIVM quis neget noſtri ſeculi MAXIMVM
Siue Laureas adhuc ephoebi miretur trinas
Philoſophicam, Theologicam, Legalem
Seu monumenta ingenij luculentiſſima
Quà ſpontè deuota tenebris
Quà luci caeca permiſſa.
Seu fato vſquè luctante, tot mente, tot corpore
Hauſtos labores.
CVNCTATOREM
Impigrum dicet
Qui ſui gloriam curriculi à Purpura ad Regnum
Triginta non ampliùs menſium
Comitio Purpuratorum longiùs tracto
Obſequente ſibi Numine
Temperauit Athleta Modeſtiae
Sed
Reſtituturus CVNCTANDO rem feliciùs
Imperij vice exemplo ſui propoſito
Hominis ad miraculum incorrupti aequè, ac munifici
Quem Hoſtes Catholici nominis
Admiratione victi coluerint
Sectatores nunc omnes
Vitam paciſcentes ſuam
Deprecentur obeundi Pontificij
CVNCTATOREM

Deinde accipe, quae interſertas habent, neceſſitate poſcente, nonnullas copulatiuas in inciſorum articulis, ipſa verò inciſa inter ſe diſſoluta, vt Romae ad ſtatuam marmoream, quam citat in Selectis Delicijs Suueertius:

OPTIMO . PRINCIPI . LEONI . X. MED
IOANNI . F. PONT. MAX
OB . RESTITVTAM . INSTAVRATAMQVE
VRBEM
AVCTA . SACRA . BONASQVE . ARTES
ADSCITOS . PATRES
SVBLATVM . VECTIGAL
DATVM . CONGIARIVM
S. P. Q. R

Et ad aeneam ſtatuam auro ſuperfuſam, Romae, quam idem citat:

SIXTO . V. PONT. MAX
OB . QVIETEM . PVBLICAM
COMPRESSA . SICARIORVM . EXVLVMQVE
LICENTIA
RESTITVTAM
ANNONAE . INOPIAM . SVBLEVATAM
VRBEM . AEDIFICIIS . VIIS . AQVAEDVCTIBVS
ILLVSTRATAM
S. P. Q. R

Plenior illa, & numeroſior, quae Romae viſitur, apud eundem Suueertium citata.

CI.

PIVS . V. PONT. MAX
RELIGIONIS . AC . PVDICITIAE . VINDEX
RECTI . ET . IVSTI . ASSERTOR
MORVM . ET . DISCIPLINAE . *RESTAVRATOR — ** puriùs reſtitutor*
CHRISTIANAE . REI . DEFENSOR
SALVTARIBVS . EDITIS . LEGIBVS
GALLIA . CONSERVATA
PRINCIPIBVS . FOEDERE . IVNCTIS
PARTA . DE . TVRCIS . VICTORIA
INGENTIBVS . AVSIS . ET . FACTIS
PACIS . BELLIQVE . GLORIA
MAXIMVS
PIVS . FELIX . OPTIMVS . PRINCEPS

Neceſſitas autem coniunctionis interuenit, cùm poſt enumeratas partes, ſeu ſpecies, ſubdendum eſt Totum, ſeu Genus quaſi clauſula; ea namque particulam aliquam deſiderat, qua diſtinguatur. Exemplum dabit memoria antiqua boni ſeculi Romanorum, nuper autem eruta Lucae, ea parte, vbi olim forum, quae etiamnùm viſitur columnae inciſa, teſte Tuccio Lucenſi in Hiſtoria MS. eſt autem huiuſmodi:

CII.

AVGVSTO . LIBERATORI . NATIONVM
ORBIS . ROMANI
INSTITVTORI . LIBERTATIS . HETRVSCAE . REIP
CONSERVATORI . MILITVM . TVTORI . LEGVM
ET . BONO . REIP. NATO
COLONIA . LVCENSIVM
DIVO . TIBERIO . CLAVDIO . QVARTO . EIVS AN
NERONI . INVICTO . PATRI . PATRIAE . ROMANORVM
SEMPER . AVGVSTO

Et

Et cùm diuerſa committenda, quae necti poſtulant, vt obſeruamus in vetuſto marmore, quod refert Gruterus pag. CCXXXVIII. num. 9.

CIII.

NERONI . CL. CAIS * Caeſari ai pro ae antiq.
AVG . PONT . MAX
OB . PROVINC. LATRONIB
ET . HIS . QVI . NOVAM
GENER . HVM . SVPER
STITION . INCVLCAB
PVRGATAM

Alij namque latrones, alij nouae ſuperſtitionis ſatores ſunt.

Elogium
Sit ieiunum à Tranſitionibus.

Membrum V.

TRanſitioni in Elogio locus, quà Elogium eſt, patere poſſe nullus videtur. Eſt enim Tranſitio duplex (vt in ſuo Rhetore obſeruat Vinc. Gallus lib. III. cap. XXIX.) Perfecta ſcilicet, & Imperfecta. Prior eſt rei iam dictae breuis oſtenſio, ſimul & dicendae propoſitio, vt: *In fratrem cuiuſmodi fuerit*, *habetis*: *nunc in parentes qualis extiterit*, *animaduertite*: Poſterior vel dicta ſolùm reſumit; vt Cic. pro Leg. Man. de Pompeio: *Fuit hoc quondam*, *fuit proprium Populi Romani*, *longè à domo bellare*: Vel ſolùm quae dicenda reſtant, proponit; Vt pro L. Flacco: *Venio ad Lyſaniam eiuſdem ciuitatis*, *peculiarem tuum*, *Deciane*, *teſtem*. Siue ergo tranſitio perfecta fiat, ſiue imperfecta; ſanè orationem arguit ita prolixam, vt ad euitãdam partium cauſae confuſionem (ad quod natam tradunt Rhetores) partem à parte, reſque dictas à dicendis ſecernere ſit neceſſe. Non autem cadere in Elogium poteſt, cui Laconiſmus eſt proprius.

Nihilò tamen minùs Tranſitionem admittet Elogium non ſingulare, ideſt ex quo cum alijs Elogijs vnum corpus efficitur. Nam quemadmodum Epigramma, cuius eſt cognatum, etſi prae ſumma breuitate quandoque Exordij eſt incapax; initio tamen libri, ſeu voluminis, plurium Epigrammatum, partes Exordij obire poſſe, obſeruat ex Catullo, & Martiale Vinc. Gallus opuſculo ſuo de Epigr. cap. III. Imò & clauſulae, ſeu Epilogi, vt à Martiale non ſemel factum. Ita non ſolùm vbi plura ſimul Elogia vno edenda volumine, aut exponenda Theatro ad multiplicem vnius Viri laudationem, aut explanationem argumenti; verùm & diuerſi generis atque argumenti codicibus, libellis, tabulis tam Exordium ipſum, quã Clauſula ſupplentur Elogio; Exordium autem dicimus non modò principale, ideſt totius corporis, ſed & partium ſingularum, cuius vicem in his propriè gerit Tranſitio, vt tradit idem Gallus in ſuo Rhet. lib. IV. cap. II. Idipſum de Clauſula partis, quae ſi perſtringat res tractatas ſimul atque tractandas, perfectae ſanè Tranſitionis implebit numeros.

Ad Elogiorum quidem volumen proluſit vice exordij Elogio Aloyſius Iuglaris de Vita & Virtutibus Ludouici Iuſti Regis Galliae, ad quem libentiùs te, Lector, remittimus.

Ante ipſum Henricus Farneſius Eburo in libello inſcripto: *Inſubriae fauſtiſſimi Plauſus. In auguſtum creati Praeſidis Iacobi Maynoldi Senatus Mediol. auſpicium*: *Siue Decem Ciuitatum*, *Muſis nouem*, *Phoeboque modulante*, *INSCRIPTIONES SOCRATICAE*: In hoc inquam libello tam Principij, quàm Clauſulae partes mandat Elogijs; ipſum verò corpus libelli Elogiorum decem textura componit ad numerum Ciuitatum Mediolanenſis Prouinciae.

Elogijs autem ſolutis immixto carmine vario,

rio, & argumento Academico inſcripſit ſoluto item Elogio, loco Exordij, ſeu principalis propoſitionis, quae tenet locum Exordij, Marcellus à Matre Dei in Conſecratione Tereſiae Virginis; videlicet:

C I V.

BEATA . VIRGO . TERESIA
CARMELITARVM . DISCALCEATORVM . FVNDATRIX
PRAEROGATIVIS . DVODECIM
LVCIDISSIMIS . VELVTI . SIDERIBVS
REDIMITA

Eius enim pompae argumentum fuit Allegoria Coronae, in ſpatia duodecim diſtributum, quibus ſumma capita laudum ipſius Diuae continebantur. Sed praeter Elogium totius pompae velut exordium per ſingula ſpatia, quaſi membra & partes argumenti (non ſecus ac in Oratoria cauſa obſeruatur) exordioli munus, atque Clauſulae obibant totidem ſoluta Elogia. Dignum eſt planè, quod legatur, opus editum hoc titulo: *De' noue Chori degli Angioli, cioè de' Componimenti poetici del P. F. Marcello della Madre di Dio, Carmelitano Scalzo. Choro Primo, che contiene la Corona della B. V. Tereſia Fondatrice de' Padri, e delle Monache Carmelitane Scalze, ouero Raccolta delle Compoſitioni, che per la feſta della ſua Beatificatione ſi poſero nella Chieſa della Madonna della Scala di Roma* &c. MDCXIV.

Poëſi item variae, & emblemati Academico Elogia ſoluta inſtar exordiorum fuere in bimembri Theatro, Peruſiae, quo Patres Societatis Ieſu veſtibulum Templi ſui adornauere in translatione Sacrarum reliquiarum; videlicet: In altera Theatri parte

C V.

SS. HERCVLANO . II . EPISCOPO . AC . BEVENIATI . MONACHO
QVOD . HIC . DIVINA . NOSCENDO
ILLE . HVMANA . ETIAM . GVBERNANDO
HVMANVM . GENVS . ABSOLVTE . PERFECERINT
MEMOR . POSTERITAS . GRATI . ANIMI
M . P . P.

In altera:

C V I.

S. HERCVLANVM . II . MARTYREM
S . PETRVM . ABBATEM
ILLVM . EPISCOPVM . HVNC . CIVEM . PERVSINVM
IN . QVIBVS . ORNANDIS
VIRTVTVM . CHORVS . CERTASSE . VIDETVR
ADOLESCENTES
E . DISCIPLINA . PATRVM . SOCIET. IESV
HIS . INGENII . MONVMENTIS . CERTATIM
ORNARVNT

Sed alio quoquè ſpatio inibi patefacto nouum exhibitum Theatrum, vbi labores duodecim Herculis Diuo Herculano aptati, Emblemati figurato cum carmine; egitque partes principij, ſeu Exordij Elogium liberum, videlicet:

C V I I.

HERCVLANO . II
INVICTISSIMO
PERVSINAE . ECCLESIAE
DVCI
QVOD . IN . MORTE . FORTITER . OBITA
LABORES . OMNES . HERCVLEOS
VNICA . VICTORIA . SIT . COMPLEXVS
GLORIAM
FABVLOSO . ALCIDI . OLIM . ASCRIPTAM
NOBILIORI . HERCVLI
RESTITVIMVS

Quemadmodum

Quemadmodum aſtrictae orationi, ita congruentiùs ſolutae, praeſertim fuſae pro exordio praecedet Elogium, & ipſum ſolutum, quale à Franciſco Pona praemiſſum Apotheoſi Viuentium Amicorum Heroum, citatum à nobis paulo ſuprà, Membro II. VNI. TIBI. VIRGO &c. quae quidem Apotheoſis fuſae eſt orationis, non laconicae. Marinus etiam ſcriptor amoenus, ac magni nominis poëta, Dictiones ſuas ſolutas, quaſi vulgari dictauit idiomate, inſcripſitque *DICERIE SACRE Del Caualier Marino*, non alio, quàm pleno dignitatis Elogio, quod habet ad ipſum opus ſpeciem Exordij, dedicauit. Cuius veſtigia legens Abbas Hieronymus Ghilinus Patricius Vrbis Alexandriae in Inſubria noſtra, eruditus & cultus noſtri ſaeculi Scriptor, Theatrum Virorum literatorum ſtylo vernaculo deſcriptum conſimili nuncupatione decorauit.

Verùm haec obiter. Cum enim Tranſitio relationem habeat Praeteriti, ac Futuri, ea certè Elogia tranſitionis ſibi vendicant nomen, quae dicta cum dicendis ſub nectunt, idque ſiue complexione amborum, quod eſt Perfectae tranſitionis; ſiue, quod eſt Imperfectae, propoſitione alterius poſt alterum. Quo in genere ſpectanda ſunt Elogia Ioannis Andreae Alberti in Duodecim Patres, quae cùm veriùs ſint Oratoria Panegyrica Laconicè compoſita ad pompam amoeniſſimi ingenij, in illo oratorio textu ſuas inſerunt, ita poſcente arte, tranſitiones à membro ad membrum, eas verò ſaltem imperfectas, vti magis accommodas laconiſmo. Sed vindicent ea licet ſibi Elogij titulum, affingatur patens Theatrum, in quo illorum quodque totidem in ſpatia diſtributum explicetur, quot cuiuſque ſunt membra; ſanè erit illud exemplar perbellum quaſi panegyris literariae ad explicandas Heroùm laudes. Itaque nexus illi, & compages membrorum inter ſe gerent munus tranſitionum ab vno Elogio ad aliud, ad concinnam veluti vnius corporis colligationem. Nec aberrat omnino ab hoc placito Emanuel Theſaurus in *CHRISTI Seruatoris Genealogia per Mundi aetates traducta*, vbi Iuuentutem latente Tranſitione adoritur, Virilitatem apertâ, Senectutem patentiſſimâ, nec Nouam Aetatem diſſimulata per gradus ferè ſingulos ad vſque metam. Refero te, Lector, ad fontem ipſum (namque omnibus patet) quò puriùs ebibas. Vt contrà placet alterum hic recludere, qui nuper priuatis typis, & turbidus primùm erupit, incuriâ operarum. Eſt autem in argumento mortuali, ſed digno immortalitate, quo nimirum celebratum eſt Mediolani funus Principis foeminae cum luctu communi, & Principali pompa. Eius adornandi prouincia commiſſa Aimoni Corio Collegae noſtro, qui capacitate Aulae inſpecta, ſimul & penſitata Herculis Triuultij Principis coniugis orbitate, ac tenebris, ob inconſolabilem moerorem perpetuis ex illa ſui quaſi Solis luctuoſa defectione, excogitauit labores duodecim Herculis, quos Soli aptabant priſci (Macrob. Saturnal. lib. I. Cap. XX.) repraeſentare Elogijs, ſigna percurrens Zodiaci, per ſpatia duodecim Aulae digeſtis. Pependit itaque pro foribus tabula index funeris, Elogio animata, quod Exordij, ſeu Propoſitionis partes gerebat, Videlicet:

CVIII.

FVNVS
PRINCIPIS . ORSINAE
SFORTIAE . VICECOMITIS . TRIVVLTIAE
HEV . CIVIS
TRIPLICIS . VNA . SOLIS . DEFECTIONEM . ACERBAM
INSPICITE . COMPLORATE
ILLI
AES . TRIPLEX . CIRCA . PECTVS
CVI . PELAGVM . FLETVS
DENEGANT . OCVLI

Ergo ſuccedenti pandebatur atrata circùm Aula, coronata Elogijs, & carminibus. Ac Elogiorum quidem alia propoſitionem argumenti praeferebant inſtar tranſitionis imperfectae, alia inſtar perfectae clauſulam ſuperioris cum poſterioris principio committebant, non ſine ele-

ganti varietate. Sed Solis figuram in ſigno caeleſti extulit Elogium vnumquodque ſupernè in clypeo expreſſam in Emblematis Academici, cui ſubiecta ſit expoſitio. Simul obſerua ſeriem laudationis, quae oeconomiam aſſequitur Oratoriae Panegyris. Primùm ergo occurrit Sol Arietem luſtrans cum ſubdito Elogio, videlicet:

CIX

Ingredere Spectator, Theatrum Caelo dignum. Vbi foemina Herculi, Hercules Soli fert lucem. Intuere in Ariete cum gloria naſcentis Anni certantia ORSINAE Cunabula. Aetatulae primae ſtoliditatem, primum Monſtrum obiectum ſequaci ſuperauit ingenio. Nondum firmatis ad greſſum plantis iam intendebat lacertos ad pugnam. Indulgentia Caeli, Induſtria culturae, indole ſoli mirum, quas edidit gemmas, quos flores fudit vernans in ſpem Regiae meſſis Infantula!

Inde Sol Taurum aſſequutus, cum hoc Elogio, in quo perfecta Tranſitio.

CX.

Plauſum O qui dederas Orſinae Infanti, iam Puellae paeana canito. Quae Taurum cautiùs Europe tractauit, Rhinocerote ſpecioſiùs luſit, Fabulae victrix, & Hiſtoriae, Deo, ne dum Caeſare digna ſpectatore. Quidni luxuriet ſubdita Tellus, laſciuiente Caelitùs Tauro? Sed Noſtra petulantiam neſciuit pecudis, cui Rationis Regnum coaeuum fuit. Puellarem continentiam infantilis vigor praecinuit. Tauro praeluſit Aries.

Exin Geminos viſens, cum Elogio, in quo tacitè Tranſitio Perfecta.

CXI.

En tibi nouum Laboris ſpectaculum, Monſtri genus. Apage horrorem Geminorum Sidus concordiae fraternae monſtrum dices tam Caelis clarum, quàm rarum terris: Ni oculos mox auocet ORSINAE lumen, concordiſſimae in Coniugem neceſſitudinis heu vix monſtratum Terris Monſtrum. Vinctos nexu gemino Sanguinis ac Partus vicit Haec alio edita partu, alio ſanguine. Illigata Viro irreſolubili vinculo, inuiolabili ſtudio. Quantumnàm fuit à Ioue impetratum dimidium vitae Pollucis Caſtori fratri demortuo? Viuit non alternis diebus, ſed continuis aut vitam Viri ORSINA in Terris, aut vitam ORSINAE in Caelo Vir, Maiore obiecta luce lucem occulens Geminorum.

Poſt Cancrum, cum Elogio.

CXII.

Cancrum qui negat cum Caelo coenum mutaſſe, illuſtria familiarum exempta ſordibus auaritiae vel iurat, vel vouet. Sed illum ſtellatam in ſedem reptaſſe, ſidereum in ignem arſiſſe, chelas luce parta auratas, luciſque auaras alienae tendiſſe, qui negat, lucem negat. ORSINAE ſumma temperantia inter fortunae blandimenta, munificentia inter domeſticum ſplendorem, HERCVLIS inſtar caeleſtis premit ſidus, pectoris humani Tyrannum ſacrae auri fame reſtincta enecat: plus luminis diſperſis colligens radijs, quàm contractis.

Dehinc Leonem, cum Elogio

CXIII.

Macte Titan. Inſtat tuo par labor robori, par domitori monſtrum. Seu horrida ſaltuum luſtres, ſeu ardua Siderum, Vtrobique teſqua inhoſpita Principis ferae rugitibus. Sed Claua domuerit, Sed Solſtitium vicerit. Principi Imperij ORSINAE trophaeum hoc ſurgit. Quid eius ortu generoſius? Quid vnà ingenio mitius? Principem in Homines Fortuna dederat, Humanitas coronauit. Imperium in Capita, non ſimul in Corda exercere, Principis ferarum eſſe declarauit digniſſima Principatu Imperij ORSINA.

Tùm

Tum Virginem, cum Elogio, in quo perfecta Tranſitio,

CXIV.

Iam ponat exuuias Leonis ORSINA, ſumat Virginis, quas ſua exhibet ſibi anhela Mens. Labentis in Caelum Aſtraeae ſequitur pijs votis veſtigia. Quò laborioſiùs, hòc Diuiniùs in Terris procul à Terris degere, Caelo frui procul à Caelo, Hominem caducum ſedibus Diuorum ingeri, diuerſari. An quiſquam locet in Terris Caelos? Poteſt ORSINAE pietas, per quam (licuit ex Oraculo audiri) ERIT FIRMAMENTVM IN TERRA. Erit Erit Aſtraea inter Mortales, quamdiù in Stellas Sex, & Viginti, Annorum vitae mortalis, Heu, nobis Mortalibus rapta, promeritam ſedem Aſtrorum petat.

Iam Libram ingreſſus, cum Elogio, & hìc Tranſitione perfecta.

CXV.

Triumphatam Aſtraeam Libra excipit, Opimum ſpolium vero Ioui ab ORSINA ſuſpenſum in Caeli Templo. Deſiderauit Heroina victricem Clauam, ſucceſſit Libra nobilius inſigne. Quid Principem à Tyranno ſanctiùs diſcriminat, quàm diſcrimine in ſubditos aequo Libra pendula? Orbem diuidit medium luci, ac tenebris: Diem Noctemque paribus diſpertit horis. Virtuti Iuſtitia, & Vitio intenta pariter, Honoris lucem, ac praemij, Dedecoris umbram, & ſupplicij aequata meritis lance tribuens. Denique Sidus Librae tepidum, ORSINAE temperatum in Terris, beatum in Caelis praedicat Regnum.

Ponè adiens Scorpionem, cum Elogio, quod cum praecedentibus copulatum particulà, habet tacitam quandam perfectae Tranſitionis ſpeciem.

CXVI.

ET hic, Mirum! ſine labore labor ORSINAE, cui Alcidae ceſſerint ne dum Oriones. Scorpium Pugnatorum monſtrum, Mirmillone trucius, Retiario vafrius, inſidiosè graſſans, non apertè; Caudà fallens, non ſcuto. Aculeum tendens, non rete; Vindictam vſquè anhelans; Arma expediens, Pugnam meditans, Tale monſtrum qui non horreat, dic Monſtrum Magni Animi. Hoc acceptis praeſtitit ORSINA iniurijs, Tam neſcia vltionis, quàm irae Domina. Geniti Terrà Scorpij genius ignobilis prauuſque parentem arguit. ORSINAE proximam Caelo proſapiam, & Caelo parem Chriſtianae mentis claritudinem Magnitudo animi omni ſuperior iniurià teſtatur.

Conſequutus Sagittarium Sol, ſubiecto Elogio.

CXVII.

Semiuirum vinci à Viragine, Inſania armatum Senem exarmari, pluſquàm virilis Foeminae ſapientia. Hoc citra miraculum ORSINA dedit ſpectandum. Incertas iactare ſagittas furentis eſt animi, Irritas peruerſi oculi, aut inertis manus. Prudentia ſingularis Heroinae noſtrae collimauit certas in album ſagittas, album ſibi non niſi clarum proponens, Diuinae gloriae, Publici boni. Denique Aſtrum formae bicorporis Sagittarius, Semiuir, Semiequus, totus exit in beluam. Sed & beluina eſſe conſilia docuit Princeps Noſtra, quae praua dictante libidine homini excidunt.

Succedens Capricorno Sol, cum Elogij expoſitione

Capricornum

CXVIII.

Capricornum Horoſcopi Dominum ſortiri mortales adorant, non ſortiti augurantur. Sidus tam inuidendae virtutis, vt quaſi anceps hic de victoria ſtet Sol, retrorſumque veſtigia relegat. Luſtrat tamen, & hoc monſtri non minore, quàm caetera domat conſtantia: nec feſſus reuerſurus, ſed nouos reparaturus labores. Hic planè Triumphus ORSINAE. Vitam imprimit Sidus bonam non immunis Iracundià, Cautione, Calliditate, Triſtitià. Tale hinc Noſtra temperamentum vitae collegit, Quale exigit Triumphator ab hoſte captiuo ſeruitium. Bonitatis totum expreſſit; Reliquorum, quantum abſoluendae numeris Chriſtianae ac Principalis vitae ſatis.

Migrans in Aquarium, cuius eſt index Elogium ſubſequens.

CXIX

Cedit ſanctiùs Ganimedes ORSINAE, quò profaniùs olim Hebe Ganimedi. Monſtrum Aquarij fabuloſum vno petitur telo veritatis, ac ſternitur. Non ſpecies Pincernatum Dei conciliat, ſed Pincernatus ſpeciem. Opus Diuino haud abſimile, In miſeros depluere beneficia. Studioſiſſima miſerorum ORSINA pluit aurum, vt non calicibus aquae frigidae, ſed aureae venae inexhauſtae reſupinatis vrnis demereret Caelum, functura Dei Pincernatu, quae toties Deo in egenis propinauerat.

Poſtremò Piſces permeans, cum Elogio, in quo non niſi Perfecta Tranſitio, & Epilogus argumenti. Sic Exordij & Epilogi partes bene obit Elogium non ſolitarium.

CXX.

Piſces coronis laborum ORSINAE, ſimul aditus ad coronas. Sidus morboſum, ſed foecundum: Mutum, ſed cautum: In pedes humanos dominans, ſed alatum, numeroſa Principis noſtrae imago morientis dicam, an Triumphantis? Tres (Heu) morbi ad necem coniurant, Puſtula, Maligna febris, Abortus: ſed ſobole quinta ſuperſtite. Lethales inter cruciatus obmuteſcit ad querelas, ad gemitus: Sed colligitur ad Tartari cauendas inſidias. Impeditur fato corpuſculum, ſed Animula in Alis expeditur ad ſuperos. Faceſſite Piſces: Sola vos Fabula, & Pictura. ORSINA ſpectaculum ſui, & miraculum. Obijt cum obeunte Sole, Hora Diei XXIV. Alterum cum Sole Diem, cum Hercule Triumphum Caelitibus illatura.

Niſi Epilogum feciſſe dicas, quae ad abſoluendum ornatum apparatus Elogia duo acceſſerunt in abſide hinc inde pendēte ſupra lectum emortualem, vbi depicta hinc quidem Galaxia (vulgò Via lactea) cum Epigrapha ſequente:

CXXI

HEM . PRINCIPIS . ORSINAE
TERRIS . EREPTAE . QVALIS . PANDITVR
AD . EMPYREVM . VIA
SEV . LACTE . FLVENS . GALAXIA
SEV . SIDERE . FREQVENTE . STRATA
TANTAE . ANIMAE
PEREGRINVM . VITAE . CANDOREM
FVLGOREM . VIRTVTVM . INNVMERABILIVM
CAELESTI . EXPINGIT . PENICILLO
PROCVL . HINC . SVPERSTITIO
HANC . VERE . HEROVM . VIAM
IN . COETVM . DEORVM . ABEVNTIVM
EXEMPLIS . SVIS . LEPIDIVS . MONSTRAVIT
ORSINA
QVAM . SVIS . OLIM . FABVLIS
VETVSTAS

Inde

Inde verò Iris, quae pictura eſt Solis, & luſus ſymbolici Herculis, cum Elogio

CXXII.

SAT . MOERORI . DATVM . CIVES
SAT . LVCTVI
EHEV . IAM . RIVOS . CLAVDITE
NEC . DESIDERIVM . MAIVS . VESTRO . NEC . MAIVS
PIGNVS . SOLAMINIS
SOLVIT . ORSINA . VECTIGAL
MORTALITATI
FRVCTVM . IMMORTALITATIS . EXACTVRA
IRIS . ROSCIDA . SED . NVNCIA . FOEDERIS
PLVVIAM . CIENS . SED . VETANS . DILVVIVM
VESTRAM . HACTENVS . DEFLESTIS . CIVES
ORBITATEM
FELICITATEM . NVNC . DEFVNCTAE . GRATVLAMINI
SIC . PRINCIPI . OPTIMAE . IVSTA
SOLVETIS

Haec fere eſt norma Tranſitionum inter plura Elogia, vt & Exordij, & Epilogi. Nec enim ad ſingula eodem gradu migrare neceſſe eſt, ſed variatione opus, vt Perfectae, ac Imperfectae fiant Tranſitiones, vti ratio argumenti ſuggeret. Nam illa forma quemadmodum artificioſior, & difficilior, ita non abeſt ab affectatione putida, vbi clauſula praecedentis Elogij fit aditus ſubſequentis. Quo in genere non facile commendamus Franciſcum Ponam in *Corona Illuſtriſſimorum Amicorum Heroum* poſt Apotheoſin Nicolai Barbadici, & Marci Triuiſani. Iiſdem namque ipſis verbis, eodemque ipſo Membro, quo terminat ſuperius, inferius inchoat, non ſinè impendio laboris, nullo autem cum venuſtatis compendio. Ita nouum Tranſitionis genus comminiſcitur ignotum Artis magiſtris. Et tibi ſpecimen, Lector. *ADAMAS* . hunc facit titulum principi Elogio, quod mox fundit in hunc modum.

CXXIII.

CONSCENDITE
IAM . ADDITI . SVPERIS
FRVSTRA . REMORANTE . ITER
INVIDIA . AEMVLA
HEROES . AMPLISSIMI
AMICI . OPTIMI
ARDVVM . AETHERA
VOS
MANET . SEDES
EDITISSIMA . FVLGENTISSIMA
MAIORIBVS . DISTINCTA . SIDERIBVS
QVA
VESTRO . GENIO
EREPTA . NVPER . AERVMNIS
AMICITIA
SVIS . LVMINIBVS . EMICAT

Deinde alterum ſubtexit Elogium, *Pyropus* inſcriptum, poſtrema ſuperioris verba ſuſcipiens, Videlicet:

CXXIV.

SVIS . LVMINIBVS . EMICAT
VIRTVS . FORTVNA . HONOR
VESTRIS . EX . MERITIS
AMICI
NVLLO . SAECVLO . IGNORANDI
VOS
AD . APICEM . GLORIAE
AMICITIAM
PVLCHERRIMO . DANDI . ACCIPIENDIQVE
MVNERE
APPLAVDANT . HISTORICI

Tertium autem, cui Sapphyrus eſt titulus, iteratis vocibus poſtremis ſic orſus eſt:

CXXV.

APPLAVDANT . HISTORICI
POETAE . APPLAVDANT
IMMORTALITATI . VOBIS
DEORVM . SENATVS . CONSVLTO
DECRETAE &c

Ita ſubinde in reliquis, quouſque Elogium poſtremum eadem, qua Primum omnium inchoarat ſententia; nam ita claudit

CXXVI.

MERITO . IGITVR
HEROES . AMICI
IAM . ADDITI . SVPERIS
ARDVVM . AETHERA
CONSCENDITE

Occurret aliquis, & in Elogio ſingulari cadere poſſe Tranſitionem ab vna ad alteram ipſius partem, producto loco Emanuelis Theſauri in *Mundi Adoleſcentia*, Elogio de Iacobo Iſaci filio, in quo poſtquam inuiſum eum fratri dixit, dicturus amantem Rachelis, vti videtur perfecta, etſi breui Tranſitione, ſic habens: *Magnus ex odio Iacobi labor: Maior ex amore.* Hanc verò Tranſitionem eſſe dicendam nos planè fatemur in corpore ipſo Elogij, à priore parte ad poſteriorem; ſi tamen illi nomen Elogij tribuendum, quod iuſtas quantitatis metas videtur tranſcurrere. Namque Laconicam potiùs Orationem Panegyricam praeſefert. Sin mordicùs tueberis illic nuncupationem Elogij, nos vltro manus dabimus, poſſe Elogium panegyricum, vbi multa laudum capita colligantur, Trinſitionem, eamque Perfectam admittere, quàm tamen breuiſſimam. Verùm vna hirundo non facit Ver.

Elogium Sit ieiunum ab Expletiuis Particulis

Membrum VI.

SAginatur cùm alijs particulis oratio, tùm maximè Expletiuis; nuſquam propterea minus, quàm in Elogio illas adhibebis. Hae ferè ſunt *Quidem*, *Equidem*, *Autem*, *Verò*, *Nam*, *Quoque* &c. Sed vox ipſa Expletiuarum ſatis indicat, ornatus gratià illas, non neceſſitatis vſurpari, adeoquè laxitati inſeruire, ac numeroſiori efficiendae orationi, non premendae ad iuſtam breuitatem.

Inter Expletiuas cenſemus, quae ſunt ſimilitudinis; Eas quippe amat Inſcriptio ſupprimere, ſaluà ſententiae intelligentià. Quod facile intelliges ex illa Berardini Rotae Epigrapha in porta Villae ſuae, quam ex cognomine ROTAM nuncupauit. Citatur apud Scipionem Ammiratum, Dialogo quem inſcripſit IL RVOTA, ſermone Italico nitidiſſimè textum. Videlicet:

CXXVII.

TV . QVISQVIS . ES
LAETVS . GRATVSQ . ADSIS
BERARDINVS . ROTA
ANIMI . RECEPTVI
POSVIT
VELVT . CVRARVM . REQVIEM
MVSARVM . LOCVM

Extere hic particulam *Velut*, numero vtique arctiore ſe prodet ſententia. Nam turgida nimis illa cenſetur in Elogio locutio, quam obtruſit recentiſſimus Auctor de Archiepiſcopo ſuo, in hunc modum: *Vt breuiter rem dicam: In Archiepiſcopali ſpecula veluti perpetua quadam erectae mentis ſtatione peruigilat: Quaſi rationem pro Animabus Deo redditurus.* Nihil autem hoc habet cum Laconiſmo; Oratoriumque omninò ſapit, niſi demas particulas *Veluti*, & *Quadam*, quae ſunt ſimilitudinis ad augendum numerum, ad ſenſum autem promendum ferè ſuperuacaneae. Ad ſummumque admittimus illam *Quaſi*, vt integra ſit alluſio ad locum Sacri Codicis, ideſt D. Pauli ad Hebr. cap. XIII. n. 17.

Interpretatiuas etiam quàm poſſumus, ſubticemus, vt bellè apud Gruterum pag. CCCC XVI. num. 1.

CXXVIII.

C . GAVIO . L . F
STEL . SILVANO
PRIMIPILARI . LEG . VIII . AVG
TR B . COH . II . VIGILVM
TR B . COH . XIII . VRBAN
TR B . COH . XII . PRAETOR
DONIS . DONATO . A . DIVO . CLAVDIO
BELLO . BRITANNICO
TORQVIBVS . ARMILLIS . PHALERIS
PATRONO . COLON
D D

ibi *Donis donato à Diuo Iulio Bello Britannico* (dixiſſet quis imprudens Laconiſmi) *ſcilicet Torquibus*, *Armillis*, *Phaleris*. E recentibus Elogiaſtis Theſaurus in Abelis Tumulo: *Mortalium innocentiſſimus, Artium innocentiſſimam reperit*, *Paſtoriciam*: non ait, *ideſt Paſtoriciam*. Idem paulò inferiùs de Sacrificio eiuſdem accepto: *Tales hoſtias vt voraret auidiùs Numen, Linguoſam in flammam deuolauit*: *Nec ſecundas menſas*

menſas curauit ; Caini fruges : neque dixit *ideſt Caini fruges*. Cauiſſet hoc Auctor Epitaphij Liburnenſis in Ioannam Bonellam

CXXIX.

Formoſiſſimae. Amantiſſimae. Caſtiſſimae. Amatiſſimae IO*ANNAE. BONELLAE Maritum ex Anglia. Per Maria. Per Terras. Liuornum vſque comitatae. Ibique mortuae. Vt oſtenderet * ſcilicet. Se ſe ab illo nulla alia. Praeterquàm omnipotenti manu diuelli, ac ſeparari potuiſſe. Samuel Bonellus Coniux M. P. Vale Anima dulciſſima. Et Sponſo aeterno Coniugis mortalis vice aeternùm fruere. XXIV. Nouemb. MDCXLVII.*

Deme particulam *Scilicet*, vt abundantem, tùm caſtigatum exiſtet Epitaphium ſenſu integro ſimul & perſpicuo.

Cauſales eundem in ordinem cogimus; hae ſunt *Nam*, *Quia*, *Quod* &c. quemadmodum in carmine; ita in eius cognato Elogio ſoluto. Nam vtrique pariter amica breuitas. Martialis in Tetraſtico ad Aeliam:

Si memini, fuerant tibi quatuor, Aelia, dentes:
Expuit vna duos tuſſis, & vna duos.
Iam ſecura potes totis tuſſire diebus:
Nil iſtic quod agat, tertia tuſſis habet.

Ecce verſus vltimus eſt penultimi ratio, ſeu cauſa, quod extra carmẽ deſideraret in fuſa oratione particulam cauſalem, *Quia Nam* &c. Par in Diſticho eiuſdem caſtitas.

Nil laſciuius eſt Cariſiano:
Saturnalibus ambulat Togatus.

Vbi poſterior prioris verſus rationem ſubdit: ſubintelligit autem ratio ſuam Cauſalem, vt ſuprà. Et quod paſſim Poëtis, id Elogiaſtis in vſu; Vt in antiquo monumento apud Gruterum pag. CCCXIX. num. 10.

CXXX.

IVLIA . ALPINVLA . HIC . IACEO
INFELICIS . PATRIS . INFELIX . PROLES
DEAE . AVENT . SACERD
EXORARE . PATRIS . NECEM . NON . POTVI
MALE . MORI . IN . FATIS . ILLI . ERAT
VIXI . ANNOS . XXIII

Nam *male mori* ratio eſt praecedentis propoſitionis: quaſi diceret; *Exorare non potui, quia ſic erat in fatis*. Luculentiùs expreſſum legis apud Gruterum inter Spuria, pag. XI. num. 6. in Epitaphio

CXXXI.

QVO . VADAM . NESCIO
INVITVS . MORIOR
VALETE . POSTERI
POSTHVM . EQ. ROM

Scilicet ad formam Epigrammatis vſitatã praemiſit pöeticè rationem: *Inuitus* inquit *morior* quia, *quò vadam, neſcio*. Deinde infert Ergo *valete poſteri*: Ita particulas Rationalem, ſeu mauis Cauſalem, & Illatiuam ſtudio breuitatis ſubticuit. Sed de Illatiuis paulò poſt. Ex recentioribus Elogiaſtis haec habe. Iuglaris de Maria concepto Deo in montana pergente: *Vbi* inquit *Deum conceperis, In montana abeas, neceſſe eſt. Altiſſimus pati valles non poteſt, Quas impleturus deſcendit* &c. Propoſitio fuerat: *Vbi Deum* &c. Poſt ſubintellige particulam, quae rationem illam conſequente *Altiſſimus* &c. Propoſitioni factae ſubnectat. Idem Iuglaris Elog. de Salute crucifixi Latronis ad dexteram Chriſti Seruatoris: *Incidiſti in Latronem, Viator. Siſtendus es. Caue fraudem. Latroni, ne bono quidem fidendum.* Obſerua binas propoſitiones, cum ſua quamque ratione; vtrobique autem ſuppreſſam particulam, ſed ordine alio. Namque propoſitio prior *Siſtendus es* rationem praemiſit ſuam, videlicet *Incidiſti in Latronem*: poſterior *caue fraudem*. ſuam contrà ſubiecit, *Latroni* &c. Alibi ab Elogio licuerit dici: *Quia incidiſti in Latronem, Viator, ſiſtendus es. Caue fraudem, nam Latroni ne bono quidem fidendum.* Pona mirus in huiuſmodi preſſa dictione, ſcilicet Elogio de Nerone: *Deterrimus vt haberetur mortalium, Vnum Incendiarij nomen deerat. Eſt adeptus. Vrbem incendit* &c. ideſt: *Hoc poſteà eſt adeptus, Nam Vrbem incendit.* Subticendas diximus Cauſales, vti tamen patitur Conſtructionis ratio. Nam ſi vnica periodo Elogium

 conſtet,

conſtet, membris autem pluribus, neceſſariae ferè ſunt eae particulae ad membra ſuſpendenda, & vnum in corpus periodi continenda, vt infrà, Parte altera Operis, cùm de Periodi ſtructura, demonſtrabitur.

Ad Cauſales refert Antonius Mucinus Coniunctionem *Vt* quae finē ſignificat, etſi quandoque ſenſu alio vſurpetur. Atque haec cùm alibi ſaepe in quocunque ſcribendi genere, tùm in Elogiaſtico eleganter ſubintelligitur, de quo habes apud Gruterum exemplum pag. DCXC IX. num. 1.

CXXXII.

D . M . S
OPPIA . CASSIANE . MA
TER . FECI . FILIAE . MEAE
QVOD . AEQVVM . FVERAT
FILIA . HOC . FACERET . MIHI
VITELLIAE . L. F. TALLIAE
Q. V. A. XXI

Quod aequum fuerat (ſupple *Vt*) *Filia hoc faceret mihi*. Id ipſum de Cauſali negatiua *Ne*, quae affirmatiuae *Vt* opponitur. Lege Albertum in tumulo S. Auguſtini, vbi claudit: *Caue, Fleas Viator : Ne flere poſſis aut debeas, ſuis ille lachrymis occupauit*. Vbi duplex negatiua, altera ſuppreſſa, *Caue fleas*, ideſt *ne fleas*: altera expreſſa, cùm aliter ſenſus non pateretur.

Illatiuis hìc locum damus, quas quomodo Elogiaſta ſuccinctus praetereat, extendit Martialis ad Velocem.

Scribere me quereris, Velox, epigrammata longa:
Ipſe nihil ſcribis. Tu breuiora facis.

Tu ſubſtitue *Ergo*, vel *itaque* tu breuiora facis. Eundem in modum Elogiaſta. Exemplum praebet Franciſcus Pona Elog. de Galba ad Imperium vocato, ac irridente (ait Suetonius) augurium ijs verbis: *Sanè imperabit Galba, cùm mula pariet*. Sic itaque Pona: *Volentibus arctiùs Aſtris potitur Imperio: Irridentem Tiberium irriſit euentus. Mula peperit. Galba Caeſar*. Interpretate: *Mula en peperit, ergo* (*inquit Galba*) *Caeſar euadam*. Quam certè illationem exponit Suetonius: *Nihil dicens aequè poſtea Galbam tentantem res nouas confirmauit, quàm mulae partus*: Hoc autem totum Pona quàm breuiter? *Mula peperit, Galba Caeſar*.

Auerſatiuarum eadem ratio. Albertus de Diuo Ignatio ſuo: *In ſumma rerum omnium egeſtate Artium curriculum repetens, Cynici diſcipulus creditus*. *Erat Chriſti*, hoc eſt *Sed erat Chriſti*. Idem de Diuo Antonio: *Pueritiam quaero. Geſta nil niſi virile obijciunt*. Supple *Sed geſta* &c

Non abhorret tamen Elogiaſta omnino ab huiuſmodi particulis, ſtructurae nitore ferente. Ita vno in Elogio Ponae binas deprehendes concinnè poſitas. Eſt id ad calcem Apotheoſeos, vbi fingitur Deorum Senatus conſultum, videlicet:

CXXXIII.

F . S . C
Amicitia Terris olim inuiſa
De adſcribendis inter Numina
Celſiora
MARCO . TRIVISANO
NICOLAO . BARBADICO
Patritijs Venetis
Mira animorum concordia
Conſpicuis
V . F
D . E . R
Senatus Numinum ita
Cenſuit
Summis Meritis Summa Praemia
Decernenda
AMICITIAM
Sanctiorem
Floruiſſe nuſquam, ipſa id
Profitente
Pilades, Oreſtes, Nyſos, Eurialos
Iuſſos de Hiſtorijs
Faceſſere
NICOLAI--MARCI
Amicitiam
Eandem cum Iuſtitia eſſe
* *Integram* * *nimirum Virtutem*
HOS . VNOS
In Amoris miraculum
Memorandos
Quorum exemplo ſinè exemplo
Par ſine pari
Praeteritis pariter venturiſque
Saeculis.
* *Hauſto* * *itaque vberrimè nectare*
Tranſcribantur inter mortales
Eorumque Nomina
Obliuionem ignorent
ET
AETERNVM
AMICITIAE . II VIRI
HABEANTVR

Hìc

Hic alter aſteriſcus particulam indicat interpretatiuam, alter illatiuam: quarum vnam ſi demas, trunca euadet conſtructio. Inter nuperrima verò nobile eſt Elogium Panegyricum Hierònymi Tancredi Senenſis, Academici inter *INTRONATOS Intonati*, de inauguratione ALEXANDRI VII. Pont. Max. Nos totum animo libentes citamus, vt in eo perſpectum fiat, quomodo breuitati nubat Pleonaſmus, ideſt vſus expletiuarum particularum, annotatis aſteriſco, vt ſuperiore Elogio, particulis ſingillatim. Sic ergo Tancredus praemiſſo inuitamento ad Vrbem inuiſendam, habet:

CXXXIV.

Effundere Totus Romam Orbis Terrarum
Viſurus non Hiſtoriae
Sed Omnium Parentem Optimum
Non Authorem, ſed Argumentum
Et in VII. ALEXANDRO
Miraculum Octauum
Dices Aduena
Purpuratos iterum Eminentiſſimos
Qui daturi Atlantem
Alcidae voluerunt imitari conceptum
In quo Sol ipſe ſtetit.
Dices
Plura trimeſtri ſpatio quotidie delineaſſe
Vt vnum darent perfectum exemplar.
Quàm benè impenſus trimeſtris labòr
Qui ſine labe Pontificem dedit!
Tam bene agitur, ſi maturè
Comitia feſtina minùs
Quò feſtiua magis
Et ex tarditate eligendi
Felicitas diuturnior
Dices
a *Cum CHISIIS Aſtris Aſtraeam rediiſſe*
b *Nam Princeps optimus*
Bonorum eſt initium, Malorum finis.
Augurium non fallax
Acclamatus ingemuit
A fletu auſpicatus Imperium
c *Ita Siderum inter lachrymas exoritur Sol.*
Hoc naſcente Alexandro
Non Dianae Templum, Sed ſola arſit Improbitas.
d *Quale verò exordium Regni?*
e *Extemplo recreatus Orbis, quia creatus Alexāder*
Qui hoc primum iuſſit, quod nouiſſimum
Aurea ſaecula medititus
Plumbeam parauit Vrnam
Feliciſſima Imperij auſpicia
Vbi monumentum Vitae
Eſt Vrna Mortis
Sint fauſta, ſint diuturna
Nec candidiori notanda lapillo
Quàm ALEXANDRO. VII
Faciliùs, ò Aduena, Accedes, quàm Recedes
f *Nam detineberis arcanis nodis*
Maieſtatis, Humanitatis.

Notas appoſitas ita interpretaberis.

a Alluſio eſt ad Aſtrum Chiſij ſtemmatis.
b Particula Cauſalis.
c Partic. Similitudinis.
d Expletiua.
e Cauſalis.
f Itidem Cauſalis.

Thomas quoquè Guidinius Senen. Academicus cognomento *Tepidus* venuſtiſſimum de eodem Pontifice Elogium texuit, cuius nos ſtudio breuitatis fragmenta duo afferimus, in queis Particula Cauſalis haud violat laconiſmum

CXXXV.

Felix Roma
Initium, & Incrementum ſortita
A Lupae filio
Sed hic Romulo dignior
*Non * enim parat Improbis Aſylum*
Sed Probis auxilium &c

Ad extremum autem ita claudit.

Non fatigandum alijs votis Caelum
*Omnia * enim in Alexandro*
Sena vetus Ciuitas Virginis
Nil antiquius habet
Quàm olim Filium, nunc Parentem
Virgini obſequentiſſimum venerari

nec particulam *Enim* his è locis tollere fas eſſet, ſalua ſententiae compage. Quamquam iudicio opus eſt, vt diſtinguantur ſpecies laconiſmi; In alijs quippe Inſcriptionibus requiritur ſumma breuitas, vt quae ad docendum natae ſunt; in alijs iuſta, & moderata, cuius modi ſunt nuper allata Elogia, ad ornandum ſcilicet, nec ſolum ad docendum inſtituta. Sed etiam ad docendum

dum ſunt quaedam laxiore ſtylo fuſa, particularum id genus capacia, quo de genere eſt Epitaphium Mediolanenſe in Diuae Virginis Coronatae, videlicet:

CXXXVI.

ALOVYSINO. BOSSIO. PATRITIO. SVPRA. PRIVATAM. FORTVNAM. BELLO PACEQVE. ILLVSTRI. QVI. FASTIGIVM. PRIVATI. HOMINIS. PER. OMNES HONORVM. GRADVS. EXPLEVIT. FORTVNA. * VERO. TANTA. VT VENETORVM. FLORENTINORVM. AC. SOCIORVM. SIGNA. CARAVAGINA CLADE. CAPTA. * VELVTI. TRIVMPHANS. IN. PATRIAM. TVLERIT ET. IPSE. DIVVS. FRANCISCVS. SFORTIA. TANTVM. EI. TRIBVERIT VT. PRAECIPVA. EIVS. OPERA. SE. RERVM. POTITVM. NVNQVAM DISSIMVLAVERIT. OBVIO. SCEPTRVM. PORREXERIT. ADVENIENTI SEMPER. ASSVRREXERIT. MATTHAEVS. BOSSIVS. FRATER. ET. FILIA POLIXENA. POSS. OCCIDIT. AD. GADIOS. IN. EXPEDITIONE. BRIXIANA MCCCCLIII. IX. KAL. AVGVST

Elogium
Voces dumtaxat neceſſarias admittat

Membrum VII.

CErtius certo eſt, obſtare breuitati luxuriem orationis. Nulla ergo vox non neceſſaria in Elogium cogenda. Quamobrem exulabit inde Pleonaſmus, cuius eſt onerare ſuperuacaneis dictionem. Eiuſmodi ſunt illa: *Nemo vnus* quod Orator admittet, Elogiaſtae ſufficiet *Nemo*. Ita pro *Vbi terrarum*, *Vbi gentium*, *Vbi locorum*, ſufficit *Vbi*. Pro *Omnia quaecunque* dicat *quaecunque*: Pro *Minutis interrogatiunculis* dicet *Interrogatiunculis*: pro *Sic ore locuta eſt*, dicet *Sic locuta eſt*: Pro *Vocem his auribus hauſi*, dicet, *Vocem hauſi*: Item *Erant itinera duo*, *quibus itineribus* &c. demet *itineribus*. Et *Seruus homo*, *Ancilla mulier*, plus ſatis *Seruus*, *Ancilla*. Dixit Cicero Aſiaticè (ad Attic. lib. IV.) *Sed non faciam*, *vt enumerem miſerias omnes*; Elogiaſta laconicè: *Sed non enumerabo miſerias omnes*.

Moneris hiſce exemplis, quid ſentias de Verbis, caſum rei repetentibus, Exempli gr. *Viuere vitam*, *ſeruire ſeruitutem*, *Currere curſum* &c. quae quidem Aſiaticum characterem ſequuntur, non laconicum. Tametſi hic aliunde conſtare poteſt, vt cernis in Tumulo Diui Antonij Auctore Alberto, quod tibi proferimus.

CXXXVII.

PERGE. PORRO. VIATOR
HOMINIS. HIC. NIHIL. EST
IMO. NEC. MORTIS

ANTONIVS
VITAM. PENE. TOTAM. VIXIT
IN. TVMVLO
NVNC. EXTRA. TVMVLVM
VIVVS. VOLITAT
PER. ORA. VIRVM

Exceptas volumus & formulas antiquorum marmorum, in queis latet energia, vt *Ornatus ornamentis*, apud Gruterum pag. CCCXLVII. num. 3.

CXXXVIII.

P. AELIO. P. FIL. PHILOLOGO
AVG. DECVRIONI. CAPVAE
ORNAT. ORNAM. IIVIRAL
AELIA. APHRODISIA
MATER. ET. SIBI. FECIT

Ita habet pag. CCCLXXII. num. 7. Alia ſimilis formula vſitata erat, *miſſus honeſta miſſione*, vt apud eundem pag. CCCLXXVIII. num. 1. & alibi, de Militibus emeritis. Et illa *Donatus donis*, vt apud Gruterum pag. CCCL. num. 1. Videlicet

CXXXIX.

Q. ALBIO. Q. F. HOR. ILLICI
7. LEG. XX. V. 5
CORNICVLARIO. PR. PR
DONIS. DONATO. AB. DIVO
TRAIANO. AVG
TORQVIBVS. ARMILLIS
PHALERIS. BELLO. PARTHICO. ET. AB
IMP.

IMP. CAESARE . TRAIANO
HADRIANO . AVG. HASTA . PVRA
ET . CORONA . AVREA
AVILLA . SOTERIS . MATER
FILIO . OPTIMO . PIENTISSIMO
L. D. D. D

Idem legis pag. CCCLXV. num. 5. & 6. & CCCLXVIII. num. 5. & CCCLXXI. 3. 4. & CCCLXXXI. n. 1. & CCCLXXXVII. n. 6. 8.

Vix autem poteſt hanc partem tueri Auctor Inſcriptionis recentis, ita habens: *Haec Mercatorum Baſilica cùm fortuitò conflagraſſet incendio* &c. nam vox *Incendio* abundat, ſoloque verbo *conflagraſſet*, ſententiae ſeruatur intelligentia nec facit praeiudicium locus Gellij lib. XI. cap. I. ibi: *Et propinqua iam omnia flagrare vaſto incendio*. Primùm quia laconiſmum non profitetur Gallius; deinde poſitio dictionum eſt alia: beneque verbo *flagrare* adiungit vim explicando molem incendij, quod non ita commodè perfeciſſet, ſi tantùm dixiſſet *vaſte flagrare*. Ita illa quaſi repetita res verbi energiam habet, nec idcirco eſt otioſa. Meliùs ille profectò, ſi foret imitatus antiquam apud Gruter. pag. XXXIV. n. 9. quae Mediolani extat, videlicet:

C X L.

D . S . I . M
PI. ACIL. PISONIANVS
PATER . PATRATVS
QVI. HOC. SPELEVM. VIOL * violatione
IGNIS. ABSVMPTVM
COMPARATA . AREA . A . REPVBL
MEDIOL. PECVNIA . SVA
RESTITVIT

Et alteram apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. pag. CCXCIIII. quae Romae extat, videlicet:

C X L I.

S. P. Q. R. INCENDIO . CON
SVMPTVM . RESTITVIT

Et Turſellini locum in Epitoma ad titulũ Leonis I. Anno à Chriſto nato CCCCLXI. *Regia Vrbs fortuito incendio deformata*.

Nec illa poenitenda obſeruatio de Aſiaticiſmo vitando in compoſitione, nimirum ne praepoſitio, quae eſt in Verbo, repetatur ad caſum nominis ab eo rectum. Sit itaque contentus Elogiaſta dicendo cum Iuglari (Elogio XL. de Chriſto Ieſu) *Ingreſſus Hieroſolymam Chriſtus, Cuius adiret diuerſorium, antequàm Patris?* pro *Cuius adiret ad diuerſorium*. Et cum Alberto (Elog. de Io: Bapt. Lercario, Sereniſs. Genuenſium Duce) *Lumellinorum lucentiſſimo nomini Maritali face coniunctus*, pro *cum nomine*. Ne tamen auſis dicere cum Diuo Ambroſio (Apolog. de David lib. I. Cap. II.) *Culpam itaque incidiſſe naturae eſt, diluiſſe virtutis*, pro *cecidiſſe in culpam*; ſiue (vt cum ſequenti membro cohaereat) *culpam commiſiſſe naturae eſt, diluiſſe virtutis*. Nam verbi *Incido* ita conſtructi, nullum hactenus exemplum boni ſeculi, quod ſciamus, reperitur Conſule Antonium Mucinum in ſua Syntaxi Cap. XVII. num. 3.

Syllabicae verò particulae, ſeu Adiectiones *Met*, *Pte*, *Te* &c. nequaquam excluduntur, vbi tamen energiae ratio poſcat. Vt vides in antiqua Inſcript. Rom. C. VIBIVS &c. infra citanda Membro IX. in illa parte CRVENTO GLADIO. SIBIMET. MORTEM. CONSCIVIT. In faſtis Marianis, vt recentis aliquid edamus, Elog. de Diuo Athanaſio: *Alexandriae inter luſus adoleſcentiae Puer à Pueris in Epiſcopum lectus, natu deinde grandior ab IPSOMET Caelo eſt confirmatus*.

Suadet hic locus, vt ad cenſuram vocentur nonnullae tùm ex antiquis non boni ſeculi, tùm ex recentibus Inſcriptionibus, quae vocum redundantia notantur. Ita fiet vt illarum obſeruatione acuat ſe magis Elogiaſtes ad caſtitatem ſtyli. Et primùm quam refert Gruterus pag. DCXXXVIII. num. 4. Vbi habetur LIBERTIS. LIBERTABVSQVE. VTRIVSQVE SEXVS. fruſtra autem particulam hanc poſteriorem adiunxit, cum prior ſufficeret. Vel ergo *libertis libertabuſque* tantummodò, Vel *libertis vtriuſque ſexus*. Pag. DCCCCXXIV. n. 14. eſt Taurini.

C X L I I.

D . M
ET . QVIETI . AETERNAE
TITIAE . SERE . DEFVNCTAE

Vbi cùm indubitanter ſit poſitum E finale in Genitiuo SERE pro diphthongo SERAE, more antiquo (Conſule Gruteri Indicem Cap. XIX. Eorum quae ad rem Grammaticam pertinent, §. E pro AE) etiam in continuatione ſimilium, vt *Saloniae Euterpe Sacerdoti* Gruter. CCCIIX. II. pro *Euterpae*: & *Antoniae Soteridi*

vxori

vxori rariſſime, Grut. CCCLVIII. 1. Nec *Sere* pro *Serò* aduerbio poſitum ſuſpicari poſſimus, cùm ea vox inaudita plane ſit; conſequens eſt, vt *Serae* cognomen fuerit Titiae. In rem ergo noſtram quod Titia Sera dicatur defuncta, ſuperuacaneum eſt, nam hoc ipſo, quòd Inſcriptio ſepulchralis cognoſcitur, quòd Dis Manibus, quòd quieti aeternae dicata, iam de defuncta ſubintelligitur.

Alia item apud eundem pag. CCLXXXIII. num. 6.

CXLIII.

Virtute Fortiſſimo Et
Pietate Clementiſſimo
D. N. Flauio Conſtantino
Inuictiſſimo Maximo P. P.
Inuicto Auguſto
Malſius Apronianus V. C
P. P. Flam. Viennae
D. N. M. Q. Eius

Haec primùm Inſcriptio Conſtantiniani ſeculi, hoc eſt corrupti vix formam pollicetur ſani Elogij. Omittimus barbaricos titulos D. N. *Domini Noſtri*, & formulam *D. N. M. Q. eius* ideſt *Deuotus Numini Maiiſtatique eius*, de quibus vtriſque nos ſup. lib. II. de Elogij Charactere, Claſſe IV. Memb. XXVII. & Claſſe VI. Memb. II. Quod eſt huius loci, pungimus luxuriem illam Vocum *Virtute*, & *Pietate*, quas ſi depaueris, perbelle ſenſum tenebis ita: *Fortiſſimo & Clementiſſimo Flauio*. Vel aliter: *Virtute & Fortitudine inclyto* &c. Deinde vix laudauit Inuictiſſimum, cùm proximè ſubdit Inuictum, non tam inopiam ſynonymorum praeferens, quàm ineptiam decreſcendi, ex ſuperlatiuo ad poſitiuum gradum; cùm non niſi in humilibus ſubmittendam eſſe orationem praecipiant Rhetores; aliàs augendam, vel ſuſtinendam. Sapit quoquè malum ſeculum Marmor Mediolanenſe apud Grut. pag. DCCXXX. num. 1.

CXLIV.

GELLIAE. VERRINAE. MATRI. DVLC
· AC . PIENTISSIMAE
TERENTIVS . GELLIANVS . ET
MAGIVS . VERRINVS . FILII . * EIVS

Redundat enim, quam aſteriſco praenotauimus, vox *Eius* qua dempta ſenſus perſtat; id quod pateſcit ex titulo Epiſtolarum M. T. Ciceronis ad Quinctum Fratrem vel ipſis Tyronibus in re Grammatica: legunt enim: *Marcus Salutem dicit Quinto fratri*. nec eſt adiectum *Suo*. Secus autem vbi variatur perſona, quod eſt aduertendum, vt in illo Epitaphio apud Grut. DCCXXXIV. num. 4.

CXLV.

DIS . MANIBVS
Q. MINVCI . PRIMIGENI
ET . MINVCIAE . SVCCESSAE
CONIVGI . EIVS
Q. MINVCIVS . KARVS
PARENTIBVS . OPTIMIS

Vbi non omnino feriatur vox, *Eius*, quod ad perſonam referatur non Auctoris Epitaphij, ſed eius cui ponitur. Vt neque in illo ibidem pag. MCLX. num. 10.

CXLVI.

SOSIAE Q. F. HE
RENNIAE . MA
TRI . ET . SOSIO
FELICIANO
ALVMNO
EIVS . SOSIVS
PTOLOMAEVS
FIL

Quippe pronomine illo *eius* diſtinguitur perſona Matris, cuius eſt Soſius alumnus, à perſona alterius Soſij filij: Cuius ſi alumnus indicandus foret; non *eius* ſed *ſuo* dicendum fuerit. Caeterum otioſum in illo quoquè Epitaphio pronomen *eorum*: Citat Auctor Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. pag. CCCLXXXII.

CXLVII.

VICTORI . QVADRATI . ET . IVLIES
VERANILLES . IVLIVS . VICTORIVS
QVADRATVS . FILIVS . * EORVM
HIC . POSITVS
* *Victori* pro *Victorij*

Tu ſupprime *eorum*, & ſartam tectam habebis ſententiam. Praeiudicium ex dictis factum eſt Inſcriptioni antiquae, quam citat Ioſephus Caſtalion I. C. in Theſ. Critic. to. IV. pag. DXCIX.

SECVRI-

CXLVIII.

SECVRITATI
COGNATIONIS . * SVAE
FORTVNATVS . AVG. LIB
VERNA . PATERNVS
AB . EPISTVLIS
ACCENSVS . PATRON
DIVO . AVG . VESPASIANO
LICTOR . CVRIAT
VIAT . HONOR . DEC . COS . ET . PR
ET . SIBI . ET
EPAPHRODITO . AVG . L
AB . EPISTVLIS . FRATRI . * SVO

Hìc ſemel, & iterum inſeritur pronomen *ſuo*, nimirum verſu ſecundo, & poſtremo, ſed ratione diſpari. Et cùm intelligentiae momentum in primis penſetur, conſequens eſt, priore loco haud neceſſaria ſit appoſitio pronominis: contrà, poſteriore neceſſaria, vt legenti perſpectum ſit. Pretium etiam putamus operae, vt aliam in medium proferamus ex antiquis Inſcriptionibus, quam citat mendoſam Auctor Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. Ex Grutero autem emendatam, in qua vbi otietur pronomen, vbi verò intelligentiae ſeruiat, iudicium tuum exerceto ad ſuperiorem trutinam. Auctor citat pag. CCCVIII. Gruterus autem DCCLXII. 5.

CXLIX.

D . M
M . AVRELIVS . ROMANVS . ET
ANTISTIA . CHRESIME . VXOR . EIVS *
FECERVNT . SIBI . ET . LIBERTIS . LIBERTAB
POSTERISQ. * SVIS . ITEM . LIBERTIS . LIBERTABVSQ
POSTERISQ. * EORVM.MONVMENTVM.CVM.AEDIFICIO
SVPERPOSITO . HOC . AVTEM . MONVMENTVM . CVM
AEDIFICIO . NEQVE . MVTABITVR . NEQVE . VAENIET
NEQVE. DONABITVR . NEQVE. PIGNORI. OBLIGABITVR
SED . NEC . VLLO . MODO . ABALIENABITVR . NE . DE
NOMINE . EXEAT . FAMILIAE . * SVAE

En quadruplex aſteriſcus praefixus pronominibus, quae pronomina ſi ex neceſſitate ſtructurae metiaris, primum & poſtremum inuenies abundare.

Quandoque ad emphaſim permittantur eiuſmodi pronomina, quae ad intelligentiam ſuperfluunt, vt teſtis eſt antiquitas in Inſcriptione ſepulcrali apud Auctorem Sacroſ. Vetuſt. pag. CCXC. Eſt Romana:

CL.

D . M
FLAVIAE . VRBICAE . FILIAE . * SVAE
CARISSIMAE . FECIT . T. FLAVIVS
VICTOR . ET . MANICA . VRBICA
PARENTES . VIXIT . ANN. VII
MEN. VI. LOCVS. DATVS. A. P. MA
NILIO . FORTVNATO . PATRONO

Nonnè audis, quantum in illo *ſuae* patrij affectus exprimitur?

De antiquarum cenſura ſatis. Nunc de recentium. Quarum prima offertur Romae, citata apud Franc. Suueertium in ſelectis Chriſtiani Orbis Delicijs, impoſita tumulo Ioannis Gropperi Cardinalis, in qua quidem ad laudem bonitatis vltimam videtur vox vna exteri poſſe. Ita enim clauditur: *Fratri Piiſſimo, atque opt. merito Godofridus, & Gaſparus Gropperij fratres moeſtiſſimi Poſ.* Hic alterutrum, ſi bene aduertis, fas eſt ſupprimere, aut *Fratri*, aut *Fratres*: quippe vox relatiua duas ſimul res adſignificat. Eiuſmodi tamen voces ſi non ita diſtrahas, ſed cominùs apponas alteram alteri, tùm luxuries in energiam, ac venuſtatem migrabit; vt vides in ſimili altera ibidem adducta, in Petrum Bertanum Cardinalem, cuius clauſula eſt: *Guronius Frater Fratri vita cariori Poſ.* Vtrumuis enim ſuſtuleris, ſpiritum certè perdes, & elegantiam. Vtrumque Relatiuorum tenet Inſcriptio vetus apud Gruterum pag. CCCLVIII. num. 5.

CLI.

D . M
Q. AEMILII . Q. F
QVIR . IVLIANI . EQ. R
QVI . VIXIT . A. XIIII. M. VI
D. XIII. FILII . DVLCISSIMI
PARENTES . INFELICISSIMI

Nam

Nam correlatiua haec cum epithetis his aduerſantibus non tam inuicem pugnant, quàm pungunt commiſeratione Lectorem. Luculentiùs perſpicies in Epitaphio altero apud Gruterum pag. CCCCXXXIX. num. 1.

CLI.

C. MINNIO
RVFI. F. IIII. VIR
CAENONIA. POLLA
MATER. FILIO. V. F
* *Viuens Fecit*

Nam quis diſſimulet hic vim moeroris minimè explicandam, quod mater defuncto viuens filio, ſtruere illi ſepulcrum quiuerit, à quo ipſa ſibi ſtruendum iure naturae iubebatur expectare? Detegit hoc vulnus pectoris alia ſepulcralis dedicatio apud eundem pag. DCXCVII. num. 8.

CLIII.

NONIA. M. F. MAXIMA
VIXIT. ANN. XXXV
ET. QVOD. MISERRIMVM. EST
MATER. FECIT. FILIAE
CANTRIA. C. F. POLLA

Super hoc plura libro V. de Venuſtate Elogij, cap. III. Membro VII. de Antitheſi. Citra verò affectum hniuſmodi, & vbi purè inſcribitur, altero correlatiuorum contenti ſimus, exemplo veteris Epitaphij apud Gruterum pag. MCXXVI. num. 4. eſt Romanum, videlicet:

CLIV.

D. M
VICIRIAES
EVHODIAES
V. A. XIX

C. IVLIVS. MARTIALIS. ET. PETILIA. AMPLIATA. FILIAE. PIENTISSIMAE. FECERVNT

Epithetis etiam otioſis temeratur ſanctitudo laconiſmi, quorum exemplum eſt in monumento Bononienſi, apud Franc. Suueertium in ſelect. Delic. videlicet:

CLV.

MARTINI. SVLIMANNI
Cuius praeclara in Iure extant Opera
* *Humana hic oſſa quieſcunt*
* *Lapidea haec memoria poſita eſt*
Anno ſal. MDXXVII.

Humana certè ſubintelliguntur oſſa, non belluina: & legens inſcriptum hunc lapidem non eget Indice, vt ſciat memoriam eſſe lapideam.

Repetitione, quae non niſi ad Aſiaticiſmum confert, obruitur caſtitas Elogij, nedum oneratur. Promatur in argumentum è ſelectis. Chriſt. Orb. Delicijs Epitaphium Auguſtanum Marco Velſero poſitum non indignum herede Laurentij Pignorij facundia, ſed indignum Elogiaſtae, non Oratoris, vt quod membrum magis Panegyricae orationis videtur, quàm corpus Inſcriptionis. Adeo varijs Repetitionibus tumet praeter Synonyma affectus, floſculos, & pigmenta plus iuſto conferta. Nos totum exſcribemus praefixis aſteriſcis, vbi ſupprimi potuit repetitio, ſalua rotunditate, & magnificentia dictionis, quod quidē, Lector, diligentiae tuae pretium erit non modicum. Ita verò legitur

CLVI.

MARCE. VELSERE
Te fortem, pium beatum, Caelo receptum
Si lugeamus
Nefas
At publica damna, * *publicam iacturam*
Niſi lugeamus
Quantum nefas!
Tibi Relgio cui tu patronus, * *cui* * *tu vindex*
Studium boni & aequi, cui * *tu aſſertor*
Nuper fueras
Certatim funus ducunt
Dicunt tuas laudes vno ore Modeſtia, Candor
Ingenuitas

Tibi

Tibi Patria atrata effuſis comis, demiſſo vultu
Lachrymabunda praefert faſces inuerſos
Ponit eadem tibi titulos amoris, & caritatis
Super omnia
Exempla
Titulos lectiſſimi Ciuis, qui Patrem induerat
** Titulos optimi Patris, qui Dominum exuerat*
*MERITO . * MERITO*
Te Germania Sidus ſibi ſuum extinctum
** Te Italia alumnum * ſuum * ſibi ereptum*
Iuſtiſſimis fletibus conqueruntur
Subeunt feretrum tuum Fama per te conſtantior
*Honos * per te illuſtrior*
*Virtus * per te nobilior*
*Gloria * per te ſolidior*
*Te illae tibi congenitae, * illae * tibi coalitae*
Solertia, & Elegantia
Florem ingeniorum, Suadae medullam
Faſtigium librorum
Fuiſſe nobis perpetuò manſuris
Conditorio inſcribunt
Ah nimis ex vero illud fuiſſe
Fuiſti enim, & tecum vnà fuerunt deliciae
Lepores, veneres
*Heu perniciem * Heu cladem!*
** Heu nos in tua ſelicitate infelices!*
Studia laudata Artes ingenuae, Theſauri eloquij
Et mentis aeternae abiiſtis
Muſae, Charites aeternum periſtis
LAVRENTIVS PIGNORIVS Patrono
Et Amico opt. inferias calamo ſoluebat
Mortuus An. Sal. MDCXIV. XXIII. Iunij

Et bene calamo ſoluebat, nimirum ſequaci, & in pagina facili; nam ſcalpro & in marmore, cui fertur commiſſa inſcriptio, mirum, vt ipſa operoſitas non fregerit manus laſciuiam: neque monuerit poſcere Viatores expediri paucis, praeſertim in laudibus alienis, quas niſi vox laudatoris viua, & velox impreſſerit, aegrè fertur immodica laxitas, & oſtentatio.

Redundantià quaeque ſermonis vèl in parte minimà vitiatur Elogium. Hinc erit promptum iudicium de nonnullis recentibus, quae fortè ſunt oblata. Vt apud Suueertium in ſelect. Delicijs, inter Vrbinatia Epitaphium alioqui caſtiſſimum, videlicet:

CLVII.

FRANCISCO . MARIAE : DVCI
AMPLISSIMIS . BELLI . PACISQVE . MVNERIBVS . PERFVNCTO
DVM . PATERNAS . VRBES . PER . VIM . TER . ABLATAS . TER . PER. VIRTVTEM . RECIPIT
* ET . RECEPTAS . AEQVISSIME . MODERATVR
DVM . A . PONTIFIC. A . FLORENTINIS . A . VENETIS . EXERCITIBVS . PRAEFICITVR
DEINCEPS . ET . GERENDI . IN . TVRCAS . BELLI . PRINCEPS
ET . ADMINISTRATOR . ASSVMITVR
ANTE . DIES . SVBLATO
DONORA . VXOR . FIDISS. . ET . OPT. . MERITISS. . POSS. . ET . SIBI

diſpunge

diſpunge autem copulatiuam *Et*, quam ſignauimus, en quantò contentiùs curret? Nec mireris ſeueritatem cenſurae; Delicias ingenij, quales Elogia conſectantur, perturbare vel minima valet offenſio. Quod cernes in illo quoquè Epitaphio Patauino (citat Suueertius in Sel. Del.) nimirum *Iacobo Roſeo* &c. *Cornelius Muſſus Placentinus, Epiſcopus Bitontinus, illi vni proximè, & ſecundum Deum Virtutes, Honores, Fortunas,* ⋆*omniaque denique accepta referens tanquam Patri de ſe opt. merito perpetuum Sanctiſſimae educationis monumentum Poſ.* lege ad aſteriſcum *omnia denique*, ſalebram tolles, quam offenderas. Et illa tollenda ex Epitaphio VVirtebergenſi, quod, vt ea caueatur, referri totum debet. Citatur a Suueertio in Sel. Del. Videlicet:

CLVIII.

Illuſtriſs. Principi ac Dominae D. ANNAE Duci VVirtemberg. Ducis Vldrici & Filiae dulciſs. Quam benigna Dei manus ex iſta fragili & caduca rerum humanarum conditione, ne diuutiùs calamitoſis, & tumeſcentibus aerumnarum procellis miſera quateretur, adoleſcentulam tenerr. atq. in ipſo blandiſſimo virginitatis flore An Domini MDXXX. Menſ. Iunij XXIX. Aetat verò eius XVII. feliciter eripuit: Huic ⋆ inquam in hunc locum amoeniſs. Vbi iam Charthuſianorum latibula Auraci, cum illic an. XXIV. ſepulta iacuiſſet; collaberentur, traductae Illuſtriſs. Dux Chriſtoforus Dux VVirtemb. clementiſs. vnicae ſorori ſuae dilectiſs. ad perpetuam memoriam hic erigi voluit Anno Dom. MDLIV.

Hìc autem purgata in aliquibus impuritate, ex ijs, quae adnotauimus lib. II. reſtat exterenda vox *inquam*, quae, & redundantiam facit, ſimul & aſperitatem. Citat itidem Suueertius aliud Epitaphium Bononienſe, cuius principium certe laciniosum videlicet: *Viator quiſquis es, Siſte gradum, & quod ſcriptum eſt, perlege: vbi perlegeris, penſita. Hoc is, cuius cauſa ſcriptum eſt, fieri rogat* &c. Salua enim fuiſſet energia, ſi dempto, *vbi perlegeris*, continuaſſet, *perlege, & penſita*. Habes, in ſimilibus praeiudicium; Vt ibi: *Quiſquis es viator qui tranſis*, dic: *Quiſquis es viator*, vel *Quiſquis tranſis*. Et ibi: *Quiſquis es, & hoc limen ſubis*, dic *Quiſquis hoc limen ſubis*. Et hinc ſedebis ſecurus Iudex inter Gruterum, & Auctorem Inſcriptionum Sacroſanctae vetuſtatis, vter fideliùs citauerit Epitaphium vetus, de veritate tantùm ſuſpectum Grutero, non de nitore. Nam quod ille ſic habet (pag. XVIII. num. 1. in Spurijs:) *Dis Manibus. Heus Viator pauliſper conſiſte. Miraculum. Hic Vir, & Vxor non litigant.* &c. Hic porrò caſtigatiùs, & lepidiùs: *Dis Manibus. Heus. Viator. Miraculum. Hic Vir & Vxor non litigant* &c. Habes totum infrà lib. V. de Venuſt. Cap. III. Membr. XVIII. Et ibi in ingreſſu Caeſaris Montij Card. & Archiepiſc. Mediolanen. ſub allegoria Montis Synae: *Sine tonitru ſine fulmine habes hic O Ciuis Montem Synam* &c. Literulam interiectionis *O* ſi omittas, etſi debitam vocatiuo, compactiùs ad laconiſmum feretur. Adeò literula vna in penſo habetur. Ibi etiam: *Huius induſtria, & labore Dioeceſis noſtra hac temporum malignitate penè collapſa priſtinum, & priſtino ampliorem ſplendorem accepit*; nonne & ſententiam promes integram, & legenti facies ſatis, ſi ita caſtiges: *Huius induſtria* &c. *collapſa ampliorem priſtino ſplendorem accepit*. Lynceum te velim Lector, in hac re, vt quod vel minimùm redundat, vel feriatur in Elogio, concernas, & expungas. Cuiuſmodi adhuc obſeruamus in recenti Epitaphio Rom. (apud Suueert. in Sel. Delic.) cuius initium; verſibus ita diſpoſitum, quod eſt maximè contuendum:

CLIX.

PAVLO. Antiſtiti Foro-Sempronienſi
à Middelburgo
inſigni inferioris Germaniae Oppido &c

Nonne extriueris tu meliùs vocalem *a*, legens *Middelburgo*? neque enim intelligentiae offeciſſet, praecedens dictio ratione caſus, quaſi ſimilis, quia ſectio verſuum diſtinctionem arguit, & diuerſitatem. Vt autem in antiquis marmoribus legimus *Roma* caſu ſexto, ita hìc *Middelburgo*, praepoſitione ſuppreſſa.

Nec

Nec tu, Lector, grauare, ſi, dum religioſum breuitatis eſſe iubemus, ita procurrere in longum patimur hanc diſſertationis partem. In hac enim maius erit profectò pretium, quò maior opera. Patere idcirco, vt alia recentium exempla ad cenſuram vindicemus; quò ipſe cautior fias. Et primùm Inſcriptionis in Columna Infami principium (citauimus totum lib. I. cùm de Elogij Etymo, num. III., Elogio in ordine XXXIII.) quod ita habetur: *Hic vbi Haec area patens eſt, ſurgebat olim Tonſtrina* &c. ſatis fortaſſe ſuppreſſo pronomine: *Hic vbi area patens eſt* &c. quemadmodum Martialis:

Hic vbi Fortunae reducis fulgentia latè
Templa nitent, felix area nuper erat.

Et ſeptimo verſu *Lethiferis vnguentis huc & illuc aſperſis*, ſtrictiùs *huc illuc*, ſolutis aduerbijs. Citabis fortè aduerſus cenſuram hanc exemplum antiqui marmoris apud Gruterum pag. LXI. num. 3. videlicet:

CLX.

HAEC . AREA . INTRA . HANC . DEFINITIONEM . CIPPORVM CLAVSA . VERVBVS . ET . ARA . QVAE . EST . INFERIVS DEDICATA . EST . EX . VOTO . SVSCEPTO . QVOD . DIV ERAT . NEGLECTVM . NEC . REDDITVM . INCENDIORVM ARCENDORVM . CAVSA . QVANDO . VRBS . PER . NOVEM DIES . ARSIT . NERONIANIS . TEMPORIBVS . ET . HAC LEGE . DEDICATA . EST . NE . CVI . LICEAT . INTRA . HOS TERMINOS . AEDIFICIVM . EXTRVERE . MANERE NEGOTIARI . ARBOREM . PONERE . ALIVDVE . QVID SERERE . ET . VT . PRAETOR . CVI . HAEC . REGIO . SORTI OBVENERIT . LITATVRVM . SE . SCIAT . ALIVSVE . QVIS MAGISTRATVS . VOLCANALIBVS . X . KAL . SEPT . OMNIBVS ANNIS . VITVLO . ROBIO . ET . VERRE

Haec autem Inſcriptio etſi principium cum Mediolanenſi noſtra commune prae ſe ferat; ſi modò ſenſum expenderis, nihil de ea demere poteris, nihil caſtigare: nec aliter niſi repetito demonſtratiuo fas erit legere: *Haec area intra hanc definitionem cipporum*, eò quòd ſignificatio praecedentis arctetur ſubſequente. Erat quippe ibi, vt cuiuis licebit mecum coniectare, ſpatium amplius, quàm area occuparet, ex incurſu fortè ac permeatu viarum, vt propterea neceſſe fuerit circumſcribere locum, atque ab reliquo ſecernere. Ita nomen Areae, ne aperta viarum includeret, poſcebat definitionem cipporum, & quidem per vocem demonſtratiuam *Hanc*, indicari, vt religio eſſet poſteris ſeruare inuiolatam, neuè dehinc alio cipporum indice confunderentur eius fines. Non eadem ratio in Area Mediolanenſi, in qua Columna infamis erecta. Illius quippe ſpatium extra vias geminas, alteram à fronte, à laeuo latere alteram totum continebatur, complanata videlicet ſontis damnati domo, quae angulo perfecto ipſas committebat vias. Quare cùm legeris ibi inſcriptum: *Hic vbi Area patens eſt*, ſatis intelliges totum ſimul definitum ſpatium Areae, quod viae praetercurrentes relinquunt intactum. Neque deſideramus exemplum vetus perſimile, cuius fragmento contenti in rem noſtram, reijcimus Lectorem ad Membrum IV. huiuſce libri IV. vbi totum retulimus: Cuius de fide veritatis tantummodò Gruterus detrahit, non de laude elegantiae. Videlicet: *PALLADI. VICTRICI SACRVM. Hic Hoſtium reliquias profligauit Cato. Vbi & Sacellum miro artificio ſtructum, & aeream Palladis effigiem reliquit* &c. Confer tu modò *Hic hoſtium* &c. *vbi & ſacellum, & effigiem* &c. cum recente illa *Hic vbi haec area* &c. Nam vt illic *Vbi ſacellum*, ita hic *Vbi Area* dictum erit rectiùs, particula *Haec* indice ſuppreſſa. A nobis eſt etiam altera Inſcriptio Ariminenſis, quam ſubijcit ibidem Gruterus pag. V. num. 4.

CLXI.

C . CAESAR
DICT
RVBICONE
SVPERATO
CIVIL . BEL
COMMILIT
SVOS . HIC
IN . FORO . AR
ADLOCVT

Expende *Hic in foro Ariminenſi*, non legis *Hic in hoc foro*; neque *Hic vbi hoc forum eſt*. Repete ex lib. I. Inſcriptionem recentem à nobis citatam, quae in ordine eſt ſexta: D. PETRVS &c. vbi legis *Viam hanc è Regia ad Praetorium aperuit* &c: caſtiùs profectò, quàm ſi inſcriptum foret: *Viam hanc hic aperuit*. Periculoſius illud iudicium fuit, quod exegit Amicus, & Alumnus noſter ſuper Epigrapha ſepulcrali, quae eſt huiuſmodi.

CLXII.

N. N. & N. N. Coniuges. Quos ſingularis amor & concordia coniunxit. Hoc condi tumulo voluere. O beatam mutui Amoris conſtantiam. MDC.

Tu verò Lector cenſuram de cenſura noſtra facilè habebis; Vox enim illa *Concordia* expungi videtur poſſe; totum autem neruum ſententiae ſatis intendi, ſi dicas: *Quos ſingularis Amor coniunxit*. Eſt enim Amoris coniungere, & concordes efficere, vt iure Plato in Alcibiade Amicitiam Concordiam appellauerit; de Amore verò Boëtius metro VIII. lib. II.

Hic & coniugij ſacrum
Caſtis nectit amoribus.

Sed quia mox ibi ſubditur Exclamatio quaſi illatio praecedentis: *O beatam mutui Amoris conſtantiam*, quò appareat per Concordiam intellectam eſſe Conſtantiam; ita Epigrapha videtur poſſe expediri; *Coniuges, quos ſingularis Amor iunxit, Concordia tenuit. Hoc ſimul condi tumulo voluere*. Hinc enim bellè exprimi affectum admirationis per Exclamationem de Amoris conſtantia vèl in ipſo tumulo.

Ad haec tu acumina exercitus, intelliges de facili, quid ſentiendum de Inuitamento Mediolani expoſito pro foribus Templi Maximi ad funus Reginae celebrandum, videlicet:

CLXIII.

IO. FERN. DE. VEL. COMEST. CASTELLAE
PRO. PHILIPPO. REGE. * GVBERNANTE — ** lege Gubernator*
MOESTITIAE. PVBL. CONSORS
VOS. CIVES. MEDIOLANEN. INVITAT
AD. CELEBRANDVM. LACHRYMIS. ET
PRECIBVS. VLTIMVM. REGIAE. PIETATIS
ET. AMORIS. OFFICIVM
QVOD. REGINAE. MARGARITAE. VXORI. CARISS
DE. VOBIS. OPT. MERITAE. REX. MOESTISS
FVNERE. SVMPTVOSO. PERSOLVIT

Nam cùm immodicè ſit laxum, & vltra limites iuſtos verboſum, videtur recoquendum potiùs totum, quàm partim limandum. Primùm enim nomine non Ioannis Fernandi, ſed Regis ipſius, cuius iuſſu celebratur funus, inuitandi videbantur Ciues. Deinde admiſſo illius nomine, fruſtrà adijcitur externus ille titulus *Comeſtabilis Caſtellae*, nihil ad rem praeſentem faciens; nam in Prouincia Mediol. proprius Gubernatoris eſt titulus. *Conſortium* verò *publicae moeſtitiae*, quae ſcilicet cum Ciuibus Mediol. communis eſt, Gubernatorem deprimit potiùs, quem decet in moerore ſuperiorem eſſe omnibus: ità non inuitare Ciues ipſe debuerat, ſed à Ciuibus inuitari, ſi communis eſt moeror. Sed eſto. Illud verò cauendum ſi Ciues alloquitur in Vrbe Mediolano, iam Mediolanenſes ſubintelligere oportebat, non exprimere. *Regiae* autem *pietatis* primùm, deinde *Amoris* relangueſcit ſententia, cum plus Pietas ſit, quàm Amor; dicendumque contrà, *Regij Amoris, ac Pietatis*, vel ſolùm *Regiae pietatis*. Denique praedicatio *Funeris ſumptuoſi* faſtui congruentior, quàm fletui ac ſordibus, ſed & importuna in luctu oſtentatio. Quantò autem plura paucioribus ſtringit titulus funeris ibidem aliquot pòſt annis expoſitus Iſabellae Reginae nurui; Auctore ex alumnis Aloyſij Iuglaris e Societ. Ieſu: videlicet

SISTE

CLXIV.

SISTE . CIVIS . INGRESSVRO . PAVCA
I S A B E L L A E
PARENTAT . HIC . AMOR . ET . PIETAS
CVIS . QVOQVE . LACHRYMIS . ET . VOTIS . OPVS
SI . AMANS . HVC . LACRYMAS
SI . PIVS . ET . VOTA

Sed & ſuperius Fernandi inuitamentum reſtituit priuatim, genio ſuo monitus Aurelius Boldonius germanus noſter (nondum enim ſatis in literis amoenis eruditus) in hanc formam:

CLXV.

PHILIPPI . REGIS
IN . MARGARITAM . REG. CONIVGEM
VLTIMVM . PIETATIS . ET . AMORIS . OFFICIVM
HEV . CIVES
VT . REGIIS . VESTRAS . LACRYMAS
VT . VOTA . CONIVNGATIS
INVITAT
CONSORS . MOERORIS . PVBLICI
IOANNES . FERNAND. DE . VELADA
PRO . DESOLATISS. REGE . VESTRO
GVBERNATOR

Vis tu ex antiquitate abſolutiſſimum in breuitate exemplum tituli Exequialis? dabit Gruterus pag. DCCCLXXXVI. num. 5.

CLXVI.

FVNVS . PVBLICI * pro Publicij
ARBITRATV . Q. POLIT
RVFI . PATRI

Merito ex antiquitate proſcribit Gruterus marmor Luſitanum, (citat inter Spuria pag. X. num 8.) deſiderat ſiquidem antiquorum caſtiſſimum ſcalprum. Videlicet.

CLXVII.

CRASSO . IVNIORI . M. CRASSI . F
PATRIA . LOBETANORVM . SERVATA
QVAE . IVRE . BELLI . MILITI . IN . PRAEDAM . DANDA.ERAT . POPVLI . LOBETANI
VIRTVTE . MAGNI . VIRI . SERVATI
STATVAM . EI . IN . AERE . AVRATAM
IN . ADITV . TEMPLI . DEAE . BELLONAE
POSVERE

Primùm enim ineſt Pleonaſmus apertus in pronomine EI (ſiquidem Datiuus initio expreſſus) vnde breuitatis minuitur decus. Praetereà totum illud *Populi Lobetani virtute magni Viri ſeruati*, extritum ſententiam preſſiorem redderet, mutato numero Verbi *Poſuere* in cõſentaneum *Poſuit*. Ne praetereamus Ioannem Paſtam recentem Elogiaſten, cuius illa inter plures inſcriptiones affectat Elogium, cùm Caeſari Montio Archiepiſcopalem ineunti prouinciam ita occurrit

CLXVIII.

Aduentui CAESAR Tuo
Vndique Caeleſtia aſpirent Numina
Exultat Patria
Quod nihil de te concipiat
Niſi Auguſtum, Niſi Sublime
Niſi Glorioſum
Non aliter concipiendum
A Caeſare Ab Auguſto
Caeſarea cuncta & Auguſta

Haec ſi limam admiſerit, numerabitur facile inter optimas Inſcriptiones, non modò vt diſpungas vocem *Vndique*, quae videtur repugnans Aurae ſecundae aſpiranti, ſed & vites repetitionem illius *Niſi*. Et ſileas *Auguſtum* ne iteretur in extremo; vbi etiam magnificentiùs legeres, extrito *ET*, *Caeſarea cuncta*, *Auguſta*. Etſi Auguſti appellatio gratis inuecta, aptiùs ex cognomine Caeſaris ipſius, *Montij*. Tùm variato argumento, concinnare ita poſſes:

CLXIX.

Aduentui Tuo
CAESAR MONTIE
Caeleſtia aſpirant Numina
Merito Exultat Patria
Quòd nihil de te concipiat
Niſi magnificum, niſi glorioſum
Non aliter concipiendum
A Caeſare, A Monte
Caeſarea cuncta
Sublimia

Adhuc eſt, vnde ſcalprum acuamus; ex Suueertio in Monumentis Brabantinis, vbi quàm vitiet luxuries marmora, docent ibidem duo hìc referenda. Alterum eſt:

CLXX.

CAROLVS . TEMPELIVS . HIC . SITVS . EST
PARI . DVM . VIXIT . VIRTVTE . AC . STIRPE . VIR
SAGO . CLARVS . ET . TOGA
IN . AVLA . MILITIA . REP . FVIT . AC . RESPLENDVIT
TEMPORIBVS . TVRBVLENTIS
IN . AVLA . FVIT
ET . MARIAE . HVNGARIAE . REGINAE . INTER . NOBILES . HONORARIOS
SED . IN . MILITIA
CAROLI . V. ET . PHILIPPI . II. SIGNA . SEQVVTVS . DVCTOR.IPSE.CENTVRIAE
DEMVM . IN . REP
CVM . SAEPIVS . BRVXELLAE . CONSVL . ITEMQ. LOVANII . PRAETOR
ANN . CONTINVOS . XXX
EQVES . AVRATVS . IAM . INDE . A . PHILIPPO . II . FACTVS
TANDEM . IN . OTIO . SENIO . MORBO . SED . BREVI . DECESSIT
VITAM . NON . RELIQVIT . SED . MVTAVIT . &c

Idem & preſſius, & nitidius hoc pacto. *Carolus Tempelius* &c. *In Aula Militia, Rep. ſplendidè, ac ſtrenuè verſatus Temporibus turbulentis. Primùm Mariae Hungariae Reginae inter Nobiles Honorarios fuit Inde Caroli V.; & Philippi II. ſigna ſecutus, Ductor ipſe Centuriae. Poſt Bruxellae ſaepius Conſul, ac Louanij Praetor* &c. Ecce dolatam aſperitatem in exceſſu illo luxuriantis ſententiae.

Alterum verò huiuſmodi:

CLXXI.

MEMORIAE . SAC
IOANNES . VVAMESIVS . H . S . E
QVAM . BREVITER . LECTOR . NOSCE
NATVS . LEODICI . EBVRONVM . A . MDXXIV
AD . STVDIA . INDE . IVRIS . TRANSIIT
IN . IIS . QVOQVE . FAMAM . ADEPTVS . ETIAM . GRAECIS
NATVRA . ET . INDVSTRIA . DVCE
AT . IN . IVRE . AD . CVLMEN . IPSVM . CONSCENDIT
DOCTOR . RENVNTIATVS . A . M . D . LIII
PVBLICE . PROFESS . IN . HAC . SCHOLA . A . M . D . LVI
DENIQVE . PRIMARIVS . ANTECESSOR . A . M . D . LXX
HOC . MVNVS . CVM . LAVDE . ANNOS . XX . OBIIT
PRIMORIBVS . GRATVS . VVLGO . VENERABILIS
OMNIBVS . CHARVS
BREVITER . DOCTRINA . PRVDENTIA . AVCTORITATE
INTER . AEVI . SVI . PRIMOS
OBIIT . DIVVTINA . INVALETVDINE . A . M . D . XC
XI . KAL . SEPT
Iſte Vir fuit Lector, ſed fuit
Tu quoque quod es, non eris
Alius aliàs, ſed omnes hùc imus
Cogita, & huic bene apprecare
Ita poſteri tibi
Magne Deus, ipſi, & nobis miſerere
Heredd. PP

Hoc

Hoc quaſi oleris plenum manipulum, quantillum, ſi premas, ſucci dabit? Nae hoc praeſtitit poſtmodum, quod principio propoſuerat, de breui notitia. Haec verò extitiſſet, ſi patriam ſimpliciter primùm notaſſet, ſique abſque deſignatione anni (cùm nullius hìc eſſet momenti) progreſſum in Iure ex laurea, & cathedra primaria, quaſi ex metae tactu curſum feliciſſimum innuiſſet ſolùm, non tanta loquentiae impenſa intruſiſſet. Quantum enim illud fuerat, & quàm ſingulare, vt adnotaretur tempus, hominem annos XXIX. natum laurea Iuris donari? (nam hoc ſignificauit barbarè Auctor, inſcribens *Doctor renuntiatus*) cum id minores natu non pauci aſſequantur: Quid etiam, triennio pòſt publicè profiteri, eodem quippe vno anno nonnulli & lauream ſimul, & cathedram capeſſiuerunt. At neque quartodecimo anno primarium fieri, inauditum eſt, vt neque ad vigeſimum vſque perdurare in munere, decumanum. Neque tandem ad aetatis nonageſimum, Neſtorem praedicat reuixiſſe. Sed eſt, quod Auctori imperitiam inſcribendi non tantùm, ſed etiam ſcribendi condones, qui demum precatur miſereri alijs, non aliorum.

Auctarium hìc faciat obſeruatio per vniuerſam antiquitatem, ita religioſam illam fuiſſe breuitatis cuſtodem, vt non modò voces non neceſſarias reiectaret; ſed & neceſſarias ipſas decurtaret ſyllabis, perſaepe etiam in literas ſingulares contraheret. Cuius exemplis, cùm paſſim obuia ſint, & praeſenti opere perſecuti ſimus, ſuperſedebimus; vna Inſcriptione hoc loco contenti, quam citat Grut. pag. CCCLXIX. num. 1. videlicet:

CLXXII.

PAVLO . AVFIDIO . P . F . OMN . IN
RE . P . HON . FVNC . MARCIA . C . F
CON . B . MER

ideſt *Paulo Aufidio, Pauli Filio omnibus in Republica Honoribus functo. Maria Caij Filia Coniux Bene Merenti* (ſupple) *Poſuit Epitaphium*, vel *Memoriam*. Vides non neceſſarias voces ſuppletas, neceſſarias autem decurtatas.

Elogium
Nudas, & Proprias afferat voces

Membrum VIII.

SVmma breuitas nudis, & proprijs contenta eſt vocibus; Epithetis enim & Translatis vtique intumeſcit Elogium. Quare, vbi Rhetor dilatandae orationi ſuggerit modos illos, v. g. Periphraſticos, *Latinae Princeps Eloquentiae*, *Peripateticae Scolae Auctor*, *Voluptatis Aſſertor*, *Venuſinus Poëta*; Elogiaſta contrahendae Inſcriptioni ſic expediet, nuda voce, & propria *Cicero*, *Ariſtoteles*, *Epicurus*, *Horatius*; multòque id libentiùs vitato ambitioſiore illo circuitu, vt pro *Candida Aue longis inuiſa colubris* dicet *Ciconiam*. Nihil autem in arctiſſima breuitate magnificentius, quàm, quae citatur Inſcriptio apud Gruterum pag. XXXI. num. 12. videlicet:

CLXXIII.

S O L I . E T . L V N A E
Q. S E R T O R I V S . Q . F
V E T V S . F L A M E N

nam nuditas haec appellationis Solis & Lunae ſpecioſior ſanè, & formoſior quauis ſplendida periphraſi, v. g. *Principum Caeli luminum*, *Regis Aſtrorum*, *Reginae ſiderum* &c. Praeſertim ſi figura aliqua interuenerit, vt Optatio, quae nudam inſcriptionem exornat, quod eſt in Epitaphijs frequens, & habes praecipuè apud Gruterum pag. DCCCXXXVI. num. 9.

CLXXIV.

M . T Y L L I . C I C E R O
H A V E
E T . T V
T E P T I A
A N T ω N I A

quo in ſepulcro inerant (notat Gruterus) phialae binae vitreae, altera maior cinerum, altera minor lachrymarum. In maioris autem fundo per circũferentiam ſcriptum erat: AVE. ω AR. TVL. ideſt *Aue Marce Tulli*: quod ſi Graeciſmo defaecaueris, diſpunctis Y. ω. ϖ. ac eorũ m

loco ſubſtitutis V. O. M. dignum erit Romana ciuitate Marmor, etſi erutum ſub Graeco Caelo, hoc eſt in Inſula Zacyntho.

Haec quidem generatim dicta ſunto, maximè vbi congerenda plura in Elogio, ne magnitudinis iuſtae tranſiliant metas.

Nudas voces, ſed dignitate plenas habent antiqua marmora plura, vt apud Gruterum pag. CCCLXIV. num. 11.

CLXXV.

SEX . ACVTIVS
VOL. AQVILA
PRAETOR
ACVTIO . PATRI
INGENVAE . MATRI
SEVERAE . SORORI
RVFO . FRATRI
H. M. H. N. S

* *Hoc Monumentum Heredes Non Sequitur*

Cuius veſtigium diligenter preſſit Auctor recentis Epitaphij apud Suucertium in Select. Delic. inter Sentinenſia monumenta, ita incidens.

CLXXVI.

D . O . M
GHERARDO . AVO
ARSENIO . PATRI
VGONI . PATRVO
MEDICIS . CLARISS
IOANNES.LAVRENTIVS.CHIRVRGVS.MEDICVS
POS

Ad hunc locum refertur Epigrapha Trophaei, quod erexit Albinus ex contractis hoſtium caeſorum ſcutis, ſuoque ipſius ſanguine ita inſcripſit,

CLXXVII.

ROMANI . DE . SAMNITIBVS

nihil autem hoc titulo aut nudum magis, aut magnificum. Adde & illud apud Gruterum pag. II. num. 7.

CLXXVIII.

DIIS . DEABVS
SACR
EX . VOTO
VICTOR
AEDITVVS

Antiquos aemulati ſunt feliciter recentes, vt in Epitaphio Peruſino ad Diui Franciſci, ſumptuoſo quidem tumulo è marmore candido, qualis decebat Principem Iuriſconſultorum; ſed breuitate, quae poteſt eſſe, ſumma nulla dignior Epigraphe, Videlicet non ampliùs, quàm

CLXXIX.

OSSA . BARTOLI

multò ita magnificentiùs, quàm ſi periphraſticè: *Oſſa Oraculi Saxoferratenſis*, à nomine Patriae; aut *Peruſini Iuſtitiae luminis* ab Vrbe vbi profeſſus eſt Ius ciuile; aut *Magni legum interpretis*, aut aliter. Eiuſmodi eſt Pariſinum Epitaphium in Diui Dionyſij,

CLXXX.

PIPINVS . REX . PATER . CAROLI . MAGNI

hoc namque nomine ſimplici vix lecto reſonat ingens gloria tanti Principis apud poſteros inextincta.

Non quòd locum propriae vocis occupare non liceat aliquando periphraſi, cuius breuitas nuditatem illius compenſet. Cuius ſpecimen habes inter Inſcript. Sacroſ. Vetuſtatis in Epitaphio Mediolanenſi, pag. L.

CLXXXI.

M . M
MINICIAE . RVFINAE
INNOCENTISSIMAE . FOEMINAE
QVAE . VIXIT . ANNIS . XXII
MENSE . VNO . DIEBVS . XXIIII
MINITIA . DOMITIA . SORORI
POSVIT . MENSAM . CONTRA
VOTVM

erat enim periphraſis ſupremi honoris erga defunctos, Menſam ponere ad tumulum. Quo in genere ſpectanda eſt Inſcriptio recens Mediolanenſis ad Diui Franciſci, teſte Placido Puccinellio ad calcem ſui Zodiaci, videlicet:

CLXXXII

MARINONORVM
DOMVS . SECVNDA
DONEC . TERTIA

ideſt ſepulcrum Gentilium Marinonorum ad extremum vſque diem Mundi, cùm rediuiui vocabuntur ad ſedes Beatorum in Caelis. Hoc bellè, & quidem magis ex Chriſtiano ſenſu, quàm in Epitaphio communis Tumuli Sacerdotum in ſummo Templo Florentiae, cui ſubditum hoc lemma, *Quieſcimus*, *Domum hanc*

cùm

cùm adimus vltimam. Siquidem nobis hoſpitium eſt ſepulcrum, domum alteram in Caelo anhelantibus, vbi aeternùm quieſcamus.

Ergo, inquies, propria translatis, & nuda ornatis praeferet Elogiaſtes? non hoc, dicimus, perpetuò, ſed vbi aut breuitas ſumma cogit, aut celebritas perſonae ea eſt, quae appellatione ſimplici nominis iuſtum decus ac dignitatem contrahat Inſcriptioni, vt cernere eſt tùm in relatis ſuperiùs, tùm in Florentina ad ſepulcrum marmoreum, quam legimus non ſinè veneratione memoriae in Diui Ioãnis, videlicet:

CLXXXIII.

IOANNES . QVONDAM . PAPA . XXIII. OBIIT . FLORENTIAE
ANNO . MCCCCXXIX. XI. KAL. IANVARII

Nam quod refert Gruterus pag. DCCCLXVI. num. 5. Epitaphium Brixianum:

CLXXXIV.

CLODIAE . LETHAE
MORS . MEA . CVI . DOLVIT
HVNC . MIHI . TITVLVM
POSVIT

vbi certè nomen Auctoris velo periphraſeos occultatur, hoc & conſuetudini humanae repugnat, & rectae rationi; quippe vbi nomen ſibi quiſque ſtudet poſteritati prodere, hic ſuum maluerit tumulo ab ſe inſcripto contumulare: fortaſſe, deſiderio Amicae defunctae amens factus ex Amante.

Elogij Membra
In Inciſa contrahe per Participia

Membrum IX.

IN Participia collectis Membris conſtringi orationem liquet, velut contrà reſolutis in Participia Membris dilatari. Illud autem breuitatis ſtudioſus Elogiaſta perficiet, vbi vſus fuerit: Imitabiturque eo maximè loco T. Liuium Decadis I. lib. I. vbi de Numa ſcribit: *Qui Regno potitus Vrbem nouam conditam vi & armis; iure eam, legibuſque, ac moribus de integro condere parat*. ideſt Vrbem nouam, quae condita fuerat vi & armis, iure &c. Quo in genere obſeruandae maximè veteres Inſcriptiones; è quibus illa apud Auct. Sacroſ. Vetuſt. pag. CCL XXXVIII. quam emendat Gruterus in Spurijs pag. VI. num. 8. hoc pacto.

CLXXXV.

TEMPORIBVS . CLAVDII . TIBERII
FACTA . HOMINVM . ARMIGERORVM
OSTENTATIONE . ROMAE . SEPTIES
DECIES . CENTENA . MILLIA
LXXX. XLVII. MIL. X

pro eo, *Cum facta eſſet hominum armigerorum oſtentatio*. Et illa, quam citat idem Gruterus pag. XV. num. 4. (non eam. inter Spurias)

CLXXXVI.

I · O . M
C . CANIA
NVS . ARAM
· VOTAM
F
L . M

Lege *Ioui Optimo Maximo Caius Canianus Aram votam*, ſeu, quam vouerat ipſi Ioui, *Fecit Libens Merito*. Phraſis verò optima, Ciceronianum illud III. nat. Deor. redolens: *At earum* (Nympharum) *templa ſunt publicè vota, & dedicata*. Ita quod hic ſtringitur in Inciſum participij, reſoluitur alibi in Membrum (apud eundem Grut. pag. XXXV. num. 1.)

CLXXXVII.

SOLI . INBICTO . MITRE
M. VLP. MAXIMVS . PRAE
POSITVS . TABELLARI
ORVM . ARAM . CVM
SVIS . ORNAMENTIS
ET . BELA . DOMINI
INSIGNIA . HABENTES
N . IIII
VT . VOVERAT . D. D

* *Inbicto*, i. e Inuicto.
* *Bela* Vela *B* pro *V* antiqq.

Admirationem

Admirationem noſtram habet, quam Romanis adnumerat idem Auctor Saſcroſ. Vetuſt. pag.

CLXXXVIII.

TEMPLVM . ISIS . EXORATAE

interpretare ; Templum Iſis, quae preces exaudiuit, & aedificando Templo reum fecit, vt vouerat. Nec illa inelegans ex hoc capite, quam habes apud Gruterum pag. DCCCXXX. n. 9.

CLXXXIX.

D . M
MELIAE . ANNO
RVM . XXVIII. ET . FE
LICI . ANN. XV. ME
MORIAM . FECIT
DIADVMENVS . BENEME
RENTIBVS

Eſt ſanè hoc participium ſucci plenum, loco ſcilicet membri totius, v. g. *Quorum beneuolentiae, ac humanitati multum debeo*, ſeu Qui me beneficijs multis afficientes obſtrinxerunt.

Ex hoc loco licet formulam ſumere inſcribendi, quae frequentiſſimo in vſu eſt, Praeſertim cum cauſa, quae ad memoriam dedicandam mouit, in fine alleganda cùm venuſtè, tùm breuiter, vt apud Gruterum pag. CCLXX. n. 6. in tabula marmorea, cuius principium non damus, quia prolixum, & ita quoquè truncatum; ſed in quo ſubintelligas, Cui dedicatum marmor, deinde ſubſequitur:

CXC.

T. STATILIVS . CALOCAERVS . NOMENCL. & poſt multa
AMPLA . BENEFICIA . DE . INDVLGENTIA
AVGVSTORVM . SVFFRAGIO . PATRIS . EIVS
CONSECVTVS

In breuioribus Epigraphis regnat Participium, vt apud Grut. pag. MLXV. num. 5.

CXCI.

IOVI
S A L V T A R I
VLPIANVS
GRAVI . INFIRMI
TATE . LIBERATVS

Hoc eſt, Quòd fuerit graui infirmitate liberatus, Votum ſoluit. Et ibidem pag. MX. n. 3.

CXCII.

C. IVLIVS . TERTIVS . SEVIR
CERERI . SACR. ET
POPVLO . PRANDIVM . MVNERE
FVNCTVS . DEDIT

Planiùs; poſtquàm fuit munere functus, dedit prandium.

Felicior in hac parte Graecia, quippe copioſior Participijs, cùm vno ex Verbo ſex ipſa, atque ſeptem deriuet. Specimen accipe ex Grutero pag. DCXCVII. num. 6. Eſt Inſcriptio Nicomedienſis ad Diui Gregorij in quodam putei labro

CXCIII.

ΝΙΚΩΝ . ΚΑΙ . ΧΑΡΙC
ΝΙΚΩΝΙ
ΤΩ . ΥΙΩ . ΖΗCΑΝΤΙ
ΕΤΕΑ . Γ . ΜΗΝΑC . ΙΑ
ΧΑΙΡΕΤΕ

id eſt. *Nicon, & Charis Niconi Filio. Qui vixit Annos tres, Menſes vndecim. Auete.* Vbi participium ζήσαντι Aoriſti Primi valet ac ὃς ἔζησε *Qui vixit*: neque extat latinè ſimile, quia neutrum Verbum, quod eſt cauendum tyronibus, ne, vt in Dreſdenſi Inſcriptione *ſectam Caluiniſticam in has terras irreptam*; & ipſi breuitatem vrgentes, premant incauti ſcrupulum.

Inſeruit haec regula Epigraphis ſummae breuitatis, cuiuſmodi quam citat Suetonius (in T. Flauio Veſpaſiano cap. I. poſitam in Aſia ſub imaginibus Sabini, T. Flauij Petronis Filij, videlicet: ΚΑΛΩΣ ΤΕΛΩΝΗΣΑΝΤΙ. i. e. *homini qui bene vectigalia conduxit*.

Binis participijs arctatur illa apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. pag. CCXVII. emendata autem apud Gruterum pag. CLXXIII. n. 5.

MANSIO-

CXCIV.

MANSIONES . SALIORVM . PALATINOR. A. VETERIBVS
OB . ARMORVM . ANNALIVM . CVSTODIAM . CONSTITVTAS
LONGA . AETATE . NEGLECTAS . PECVN. SVA . REPARAVERVNT
PONTIFICES . VESTAE . V. V. C. C. PRO . MAGISTERIO
PORTII . ACILLII . LVCILII . VITRASI . PRAETESTATI
V. V. C. C

reſolue illa *Conſtitutas Neglectas* in Membra; ita haec illa contrahere habebis promptum.

Hoc autem, niſi ita breue ſit Elogium, vt in membra laxari amet, aut niſi ſententiae perſpicuitas idem poſtulet, quod prudens Elogiaſta intentè obſeruabit exemplo antiquo apud Gruterum pag. CCLVIII. num. 1.

CXCV.

M. AVR. VERO . CAES. IMP
CAESARIS . TI. AELII . ADRIANI . ANT
AVG. PII . F. P. AELIO . COS. II
SCAPHARII . QVI . IVLIAE . RO
MVLAE . NEGOTIANTVR
D. S. P. DD

* *de ſua pecunia dedicauerunt.*

Aptiùs profectò hìc ita expreſſum *Scapharij, qui negotiantur*, quàm *Scapharij negotiantes*, quia Genitiuus caſus *Iuliae Romuleae* interiectus non ità commodè cum Participio cohaeſiſſet. Quod adhuc ſit apertius ex ſequenti Inſcriptione Romana in Baſi marmorea. Citat. Gruterus pag. CCLXIX. num. 2.

CXCVI.

IMP. CAES. IMP. CAES
L. SEPTIMI . SEVERI
PII . PERTINACIS
AVG. ARAB. ADIABEN
PARTHIC. MAXIMI
FORTISSIMI . FELICISSIM
P. P. FILIO
M. AVRELIO . ANTONINO
PIO . FELICI . AVG
TRIB. POTEST. III
PRO . COS
TIBICINES . ROMANI
QVI . SACRIS
PVBLIC. PRAEST. SVNT

* *Imperatori Caeſari Imperatoris Caeſaris*

Vix enim meliùs coaluiſſet in Inciſum Participij illud Membrum *Qui ſacris publicis praeſto ſunt*. Obſeruanda maximè illa apud eundem pag. CCCLVII. num. 5.

CXCVII.

T. ANTONIO . MARCELLINO
V. C. CONS. CAMP. PATRO
NO . DIGNISSIMO . OB . IN
SIGNIA . BENEFICIA . QVI
BVS . LONGA . POPVLI . TAE
DIA . SEDAVIT . VNIVER
SA . PLEBS . BENEVENTA
NA . CENSVIT . PO
NENDAM

Eſt hercle liberiùs ac ſuauiùs dictum *Ob inſignia beneficia, quibus longa populi taedia ſedauit*, quàm contractè in Participium *Ob ſedata inſignibus beneficijs longa populi taedia*. Iudicij ergo lance eſt opus, quo ita breuitatem ſectere, vt tamen concinnitatem nè poſt habeas.

Caeterùm ex recentibus, in queis appoſitè Participium vſurpatum, accipe binas marmoreas tabulas bono ſcalpro inciſas Piſciae in oppido Etruriae pernobili à nobis viſas, ad primum aſpectum ſubeuntium Portam, quà iter Lucam eſt; ſcilicet in facie domus Thurinae familiae, quae in biuio ſurgit; Altera

CXCVIII.

PAVLVS . III. PONT. MAX. LVCA . SE . A . CAROLI . V. IMP
COLLOQVIO . RECIPIENS . APVD . THVRINOS . DIVERSATVS
EST . XII. KAL. OCT. MDXLI. BALTHASSAR . THVRINVS
AD . DECVS . ORNAMENTVQ. FAMILIAE . REI . MEMORIAM
HOC . MONVMENTO . CONSECRAVIT

Altera verò

CXCIX.

IMP. CAES. CAROLVS. V. AVG. AFRICA. RECEPTA
ITER. HAC. IN. GALLIAM. HABENS. HIS. AEDIBVS
HOSPITIO. ACCEPTVS. EST. CVIVS. AMPLISSIMAE
MEMORIAE. AD. SEMPITERNAM. GLORIAM. FAMILIAE
BALTHASSAR. THVRINVS. MONVMENTVM. HOC
EXTARE. VOLVIT. MDXXVI. PRID. NON. MAII

Quibus meritò iungit ſe plena collectae numeroſitatis ad inuidiam pene antiqua, Epigrapha mortualis Auctore Octauio Ferrario ſuae Patriae ac huius ſeculi ornamento, videlicet in Diui Thomae Templo Patauino:

CC.

MVLIEBRIS. SEXVS
HVIVS. PAROECIAE
NATVRAE. DIVORTIO
AB. CHARISSIMORVM. LATERE. ABSTRACTVS
IN. MORTE. ETIAM. PVDORIS. RETINENS
HIC. A. VIRIS. SECVBAT

Neque patimur deſiderare te, Lector, ex antiquis exemplum Participij ſimul & Membri, vt eàdem in Inſcriptione peruideas, vbi vſus vtriuſque modi cadere poſſit. Auctor Inſcript. ſacroſ. vetuſt. pag. CXCIV. baſim ita literatam profert, quam Gruterus ſuppoſititijs accenſet pag. XXIV. num. 1. indignam tamen dignitate antiqua nemo adhuc cenſuit, Ea eſt

CCI.

INFER. D. DEAB. Q
C. VIBIVS. ADVLESCENS
INTEMPERATO. AMORE
PERCITVS. PVTILLIAE
SEX. PVELLAE. GRATISS
QVOD. ALTERI. VLTRO
TRADIT. NON. SVSTI
NENS. CRVENTO. GLA
DIO. SIBIMET. MORTEM
CONSCIVIT. VIX. ANN
XIX. M. II. D. IX. HORAS
SCIT. NEMO

Ecce pro membro Inciſum *Percitus, & non Suſtinens* pro Cum percieretur, Cùm non ſuſtineret. Contrà pro Inciſo *Alteri vltrò tradentem*, ecce membrum *Quòd alteri vltrò tradit*, ideſt copiam ſui facit alteri, & hoc vltrò.

Quoties rebus duabus diuerſis tempore, quae per duo Verba coniunctione interpoſita efferentur, Participium Verbi prioris compendium bellè facit coniunctione ſuppreſſa. Vt quod alius diceret: *Adherbalem cruciat, & necat*, Salluſtius dixit in Iugurtha: *Adherbalem cruciatum necat*. Hinc illa frequens formula in Antiquis Inſcriptionibus, paucis multa perſtringens: *Omnibus honoribus in Patria ſua functus*. Et: *Omnibus honorib. in Colonia ſua* (vel) *apud ſuos* (vel) *inter ſuos functus*: Et: *Omnib. honorib. municipalib. perſunctus*: Et: *Omnib. honorib. honeſte functus*: Et *Omnib. Honorib. M F* (ideſt militiae functus) Et *Omnib. officijs in caliga functus* ideſt militiae. Eadem quoquè vna formula nunc Membro, nunc Inciſo enuntiata legitur in antiquis, Vbi de honoribus Magiſtratuum: Membro, vt *C. Calphurnius Flaccus honorem accepit, impenſam remiſit*. Apud Grut. CCCLXXXII. 7. Inciſo, vt *M. Calphurnius Seneca honore vſus, impenſam remiſit*: Apud eundem CCCLXXXIII. 7. Et *Calphurnius Macer Pater honore accepto impenſam remiſit*. Interdum vt facilis, ne dum breuis decurrat Inſcriptio, vitanda eſt iteratio Relatiui Qui, redacto in Inciſum Membro altero quod per illud ſuſpeditur; Vnde expoliri poſtulat marmor in Summo Templo Vrbis S. Dominici apud Indos Occidentales, quod ab Alexandro Geraldino Epiſcopo ita inciſum fuit:

O Ciues

CCII.

O Ciues, O Poſteri Qui antiqua maiorum facta ſcire animo habetis ★ Quae magno poſteritati exemplo ſunt. LEO X. Pont. Max. Gente Fluentina, & Romana emiſſus è familia Medices, ex Vrſina Matre eſt. Leo veri Dei Vicarius, iudicio Diuino, ingenio per totum Orbem ſublimi agens hos parietes Magni Templi Diuae Mariae à ſupremo illo Petri ſolio, quod in Latio eſt, erigi fecit, multa illis impoſita, qui duram caedem in miſeros Inſulae Hiſpaniolae indigenas, qui damnata in antiquos ſcelera patrarunt.

Cernin' duritiem in iterato proximè *Qui*, *Quae* ſub ipſum principium? ſic ergo ad aſteriſcum appoſitum leges meliùs *Qui antiqua maiorum facta ſcire in animo habetis magno poſteris futura exemplo* &c Ex quo liquet etiam Participio futuri temporis iuuari breuitatem, vt luculenter praeſtat Albertus, Elogio de Diuo Antonio voluptates auerſante: *Succutientibus pallium lenocinijs, cautus abiecit Ioſephum geminaturus Aegypto.* Ecce & praeſentis temporis, & futuri exemplum; pro, Cum lenocinia ſuccuterent illi pallium, cautus id abiecit, vt geminaret, hoc eſt alterum daret, Ioſephum Aegypto.

Elogij Membra Per Gerundia Inciſis collige

Membrum X.

Par in Gerundijs, atque in Participijs ratio Laconiſmi. Vt in Elogiò Q. Fabij Maximi (citatur totum infrà lib. V. de Venuſt. Elogij, cap. V. Membro XII.) *Annibalem pluribus victorijs, ferocem ſubſequendo coercuit*, ideſt, cum ſubſequeretur. Digna eſt, quae legatur Inſcriptio Romana in Columnae Traianae baſi, quam citat Auctor Inſcript. ſacroſ. Vetuſt.

CCIII

S . P . Q . R

IMP. CAESARI . DIVI . NERVAE . F. NERVAE
TRAIANO . AVG. GERM. DACICO . PONTIF
MAXIMO . TRIB. POT. XVII. IMP. VI. COS. VI. P. P
AD . DECLARANDVM . QVANTAE . ALTITVDINIS
MONS . ET . LOCVS . TANTIS . OPERIBVS . SIT . EGESTVS

Pro *Vt declaretur*, *quantae* &c. Tametſi non hìc ſyllabarum, numerorumuè compendium fit vllum, ſed ſtructurae duntaxat periodicae.

Eiuſdem ſunt rationis Gerundiua paſſim obuia in marmoribus, vt *Faciundum curauit*, *Reficiundum*, *Ponendum*, *Reſtituendum*, *Iuri dicundo*, *Stilitibus iudicandis*, & ſimilia. Inſcriptione vna ex antiquis cōtentus eſto apud Gruterum pag. CCCLVI. num. 1.

CCIV.

D . M

M. ANTONII . ANTII . LVPI . PR
PATRICII . AVGVRIS . QVAEST. SODAL. TITII . TRIB
MIL. LEG. II. ADIVTR. PIAE . FIDEL. X. VIR. STL. IVD. PRAEF. PER
LAT. CVIVS . MEMORIA . PER . VIM . OPPRESSI . IN
INTEGRVM . SECVNDVM . AMPLISSIMI . ORDINIS
CONSVLTVM . RESTITVTA . EST . SEPVLCRVM . AB . EO . COEPTVM
CLAVDIAE . REGILLAE . VXORI . ET . ANTIAE . MARCELLINAE . FIL
PIETATIS . SVAE . ERGA . EVM . TESTIFICANDAE . GRATIA . ET
NOMINIS . EIVS . IN . PERPETVVM . CELEBRANDI . PERFECERVNT . ATFINES
M. VALERIVS . BRADVA . MAVRICVS . PONTIF. ET . ANTONIA . VITELLIA
AMICI
Q. FABIVS . HONORATVS . T. ANNAEVS . PLACIDVS

Eiuſmodi

Eiuſmodi formae inſeruiunt ad finem indicandum, quo quis ducitur ad agendum, vt in recenti Epigrapha (inter pompam Apotheoſeos Beatae Tereſiae Virginis deſcriptam à P. Marcello A Matre Dei Carmelita Diſcalceato)

CCV.

BEATA . VIRGO . TERESIA
EX . PATRITIIS . ABVLENSIBVS
AD . REPARANDAS . QVAS . LVTHERVS . POST . BIENNIVM . REBELLANS
EXCITAVIT . RVINAS
DIVINO . CONSILIO . NASCITVR
M. D. XV

Sed haec libentiùs Grammaticis remittimus.

Elogij Membra Per Verbalia Inciſis redde

Membrum XI.

PRomptiora aliquantò Verbalia Laconicis, quàm Gerundia. Ea variae ſunt terminationis, ſed frequentia ſunt haec.

Primùm in *or*, cuiuſmodi in ſuperioribus obſeruare fuit non pauca. Sed adhuc accipe, quò locum magis dilucidemus. Valerius Max. lib. III. de Fortitudine numero XX. *Trium*, inquit, *Virorum fortis temeritas Annibalem paulò antè ſpe ſua Capuae potitorem, ne caſtrorum quidem ſuorum potentem eſſe paſſa eſt*: qui Capuae potitus, *Capuae* dicit *potitorem*. In marmoribus etiam hoc frequens. Apud Gruterum pag. CCLXII. num. 9.

CCVI

IMP. CAES. L. SEPTIM
SEVERO . PIO . PERTINACI
A V G. PARTN. ARAB
ADIABEN. PACAT. OR
BIS . ET . FVND. IMPERII
ROM. IN . HONOR. REIP
MATRI . TEMPLVM
D . D

Explica dictiones truncas *Pacatori Orbis*, & *Fundatori Imperij Romani*; Arctiùs quidem, quàm ſi ſoluiſſet, *Qui Orbem pacauit*, *Quique Imperium fundauit*, ſeu *Quod pacauerit*, & *fundauerit* &c. nec illud inelegans ex breuitate, quamquam ſeculi ſequioris apud Grut. pag. CCLXXXI. num. 10.

CCVII.

LIBERATORI . VRBIS . ET . ORBIS . ROMANI
RESTITVTORI . LIBERTATIS... ET
REIP. CONSERVATORI . MILITVM . PROVINCIALIVM
D. N. MAGNENTIO . INVICTO . PRINCIPI

Et hìc in verbalium compendium miſſa plura membra orationis, vt ſuprà adnotauimus. Alibi quoquè forma ſimilis in argumento alio, apud eundem pag. CCCXLXII. num. 4.

CCVIII

D . M
P. AELIO . T. F. QVAEST. R
AVRI . LVSTRALIS . COACTORI
AC. CIVITATVM . VOLAMERII.ET
PETOVII . CVRATORI . Q. LAE
LIVS . AESOPIVS . B. M. M. P

Inde illa quoquè Epitheta in antiquis *Propagatori Orbis*, ac *Romanae Rei*; *Victori*, ac *Triumphatori ſemper Auguſto*: Et *Liberatori Vrbis*, *Fundatori quietis*. Et vbi quidam dedicat memoriam Amici ſui, cum ea clauſula: MEMOR. BENEFICII.

Ex Elogijs recentiorum hoc habe, praeter compluria toto ſparſa Opere. Flauius Boldonius Germanus noſter, cùm valetudinis ergo ruſticaretur Bellani ad lacum Larium (quippe

ibi

ibi ſaluberrimum ; ſi quod aliud, apud Inſubres, Caelum) Archiepiſcopo luſtranti Dioeceſim, hoc inter alia argumenta, quibus veſtibulum patrij laris adornauit, potiſſimè luſit in rem propoſitam

CCIX.

FEDERICO . BORROMAEO
S. R. E. CARD. ARCHIEPISCOPO
DIVINARVM . LEGVM . PROPVGNATORI
ECCLESIASTICAE . DISCIPLINAE . PROPAGATORI
MORVM . EXEMPLARI
NVNC . PRIMVM . HANC . ORAM . VISENTI
EXPIATORI . SANCTISSIMO
BELLANENSES
NOVAE . GLORIAE . NOVIQ. GAVDII
ARGVMENTVM
P

Plena ſenſu non negabis haec tria Verbalia *Propugnatori*, *Propagatori*, *Expiatori* : ad illorum exemplum, quae ex antiquis citantur apud Gruterum, praeſertim pag. XVIII. num. 6.

CCX.

I . O . M
CONSERVATO
RI . MEMMIVS
MARTIALIS
LEG. XI. V. S. L. M

Scilicet, quod conſeruauerit ſe, ſuaque exoratus : Et, vt citauimus lib. II. Claſſe *Chriſtiana* IV. Memb. X. Elogio CCLVIII. ex Grut. vti ſuperius n. 6. Vbi Ioui votum ſoluitur *Seruatori*, *Conſeruatori* : quae duo verbalia pro totidem ſunt membris, ijſque numeroſis. Illud quoquè è recentibus viſendum, quod propoſitum in arcu Monetali Antuerpiae erecto, in aduentu Ferdinandi Auſtrij Infantis Cardinalis; Vbi ſupra Monetam habitu expreſſam matronali Numiſma, in quo effigies Philippi IV. Hiſpaniarum, Indiarumque Regis ita circùm erat inciſum :

CCXI.

MONETA . AD . COMMERCIVM
GENERIS . HVMANI . CVSA . ET
AVGVSTISSIMA . REGIS . ORBIS
TERRARVM . LOCVPLETATORIS
IMAGINE . CONSECRATA

Deinde Verbalia in *ux*, vt *Dux*, *Redux*, quae vim habent Membri, pro *Qui*, vel *quae ducit* : *qui*, vel *quae à periculo in tutum reducit*. Ita apud Gruterum pag. LXXVIII. num. 5.

CCXII.

FORTVNAE . REDVCI
D. APPIVS . AVGVST
DEDICAVIT

reducem autem Fortunam ſcribit, quòd eius beneficio reductum ſe putat incolumem, ex periculis itinerum, aut belli.

His adde quae in *bilis* : quorum haud deſideres in antiquis exempla. Sed duo haec accipe ; alia complura toto Opere offenſurus, ſuprà, infràque. Gruterus pag. CCCCXXXV. num. 2. Cuius principio contenti ſimus :

CCXIII.

P. MANLIVS . SVRVS . P. F. IIII. V. CAP
ET . POMPONIA . CN. F. MARITALI
CONCORDIA . INCOMPARABILES

hoc eſt, qui concordia maritali pares ſibi nullos habuerunt.

Alteram ibidem pag. CCCCXVII. num. 4. ipſe tractus ſtructurae poſcit totam citari. Videlicet :

CCXIV.

LEVCADII . MEL

HELVIDIAE . BVRRENIAE
AVGVSTAE
NEPOTI . HELVIDI . BVRRENI . SE
VERAE . C. F. PVDICITIA . SAPIENTIA
INNOCENTIA . OMNIBVS . RETRO
MEMORABILI . OB . MERITVM . AMO
REMQVE . EIVS . CIVES . INTERAM
NANAE . CIVITATIS . VTRIVSQVE
SEXVS . AERE . CONLATO . POST
OBITVM . HVIVS
PATRONAE
DEDIC . XVIII. KAL
FEBR
VRSO . ET . POLEMO
COSS

Tt Elogij

Elogij Membra
Per Epitheta Adiectiua Inciſis reſtitue.

Membrum XII.

EPithet on adiectiuum grandis ſaepe ſententiae vim habet, propterea breuitati accommodum, vt euincunt exempla, è quibus recole citatum ſuprà Memb. IX. vbi Participio ſimul & Nomine Adiectiuo mira orationi conflatur contractio; Videlicet: *Temporibus Claudij Tiberij* ⋆ *facta hominum* ⋆ *Armigerorum oſtentatione* &c. pro *Cum facta fuiſſet hominum oſtentatio, qui armis gerendis in praelio poſt Equitem armatum eſſent apti.* Conſule item Gruterum pag. DCLXXVII. num. 10. vbi habet

CCXV.

CLODIAE . Q. FIL
RVFINAE
FVRIA . HELICAE
AVIA . ET
FVRINA . MATERTERA
PIENTISSIMAE

quod quidem epitheton *pientiſſimae* ad Clodiam defunctam relatum Elogij iuſti loco eſt, adeò laudibus turget. Illa quoquè baſis inſcriptio Romana in ſummo adiectiui compendio dignitatem praebet ampliſſimam (Citat Gruterus pag. CCLXXXVII. num. 3. quamquam ſeculo non bono nata, videlicet:

CCXVI.

IMPERATORIBVS . INVICTISSIMIS . FELICISSIMISQVE
D. D. N. N. ARCADIO . ET . HONORIO . FRATRIBVS
SENATVS . POPVLVSQVE . ROMANVS
VINDICATA REBELLIONE
ET . AFRICAE . RESTITVTIONE . LAETVS

ideſt, Vt argumentum ederet letitiae, quam ob vindicatos rebelles, & Africam reſtitutam concepit &c. Et illa non minus felix in anguſtijs apud eundem Grut. pag. IV. num. 9.

CCXVII.

DIIS . PROPITIIS
M. ACTINII
VIVATIS

nam quòd propitios, fauenteſque votis ſuis expertus ſit Deos, votum perſoluit. & pag. XXV. num. 8.

CCXVIII.

CERERI . FRVGIFERAE
SACR
L. VEIANVS . COSMVS
P . P

nimirum Cereri, cuius beneficio proueniſſe ſibi credebatur frugum vbertas. Pendendum eſt etiam Epitheton breuiſſimum plura colligens, apud eundem pag. DCCCLXXV. num. 7.

CCXIX.

DIIS . MANIBVS
IVLIAE . PANTHEAE
DIADVMENVS . ET
PLOCAMVS . SVAE

illud *ſuae* etſi obſcaenum, & ſue dignum, quod Amica duorum haec prodatur, quàm multum tamen ſupplet prolixioris ſententiae?

Hùc ſpectant formulae illae antiquis frequentes; *Qui oblata ſibi ſtatua, Honore contentus, Impenſam Reip. viuus remiſit*, pro Cùm honorem nullum affectaret, praeterquam oblatae ſtatuae; Et illae: *Voti Compos, Voti Reus, Voti* vel *Voto damnatus*; quarum eſt varius ſignificatus. Eſt enim *Voti compos*, qui rem optatam obtinuit, etſi nulla interueniente ſponſione facta Deo. Voti Reus dicitur, qui parta re, quam optauerat, & cuius gratia ſpoponderat aliquid Deo, illud perſoluit. quo ſenſu habetur Aeneid. III.

Dij, quibus imperium eſt pelagi, quorum aequora curro,
Vobis laetus ego hoc candentem in littore taurum
Conſtituam ante Aras, Voti reus &c.

Hinc Macrobius Saturnal. lib. III. cap. II. Reus, inquit, vocatur, qui, ſuſcepto voto, ſe Numinibus obligat. Tandem Voti Damnatus eſt, qui

qui promiſſa vota nondum ſoluit, ſeu qui maturè non praeſtat, quod Deo ſpopondit, vt conſtat ex illo Liuij lib. VII. *Dictator inter ipſam dimicationem, Aedem Iunoni Monetae vouit: cuius damnatus voti, quum victor Romam reuertiſſet, Dictatura ſe abdicauit*: (& paucis interpoſitis) *Anno poſtquam vota erat, Aedes Monetae dedicatur*. Quod & obſeruat Macrobius loco citato, ſi codicem eius caſtigatum adhibeas.

Iam de ijs primùm, qui voti compotes, aliquid grati animi cauſa Deo dicant, accipe apud Gruterum Inſcriptiones binas, alteram pag. MLXXVI. n.2.

CCXX.

FL. FELIX . V. C. MAGISTER
VTRIVSQVE . MILITIAE
PATRICIVS . ET . CONS. ORD. ET
PADVSIA . EIVS . INL. FEMINA
VOTI . COMPOTES . DE . PROPRIO
FECERVNT

Alteram pag. XLVI. num. 3.

CCXXI.

DEO . HERCVLI
IVLIA . MAXIMINA
VOTI . SVI . COMPOS

etſi haec eadem formula eſſe poſſit de votis, ſeu ſponſionibus Deo factis; quibus ſuſceptis Reus quis factus perſoluit promptè, vt poſcit religio; ſin negligit, damnatur. Obiter autem obſerua formulas alias, quae voti compotem ſignificant apud veteres, cuiuſmodi apud Grut. pag. LXXXV. num. 3. *Voto ſuſcepto pro ſalute Imperatoris* &c. *Sex. Pompeius* &c. *Columnas cum epiſtilio Deo Magno Serapi in introitum exornauerunt*. Quod ſaepe compendijs exprimebatur trium literarum V. S. F. ideſt *Voto ſuſcepto fecit*. Item illa *Ex Voto*. Et *Votum ſoluit*. Item vbi in Arcu Conſtantini Romae legis ab vtroque latere tabulae inſcriptum, hinc VOTIS X. Inde VOTIS XX., interpretare, Imperatorem adhuc Ethnicum bis ludos celebrauiſſe in Deorum honorem: primos Decennales, quos vouerat, ſi ad decem imperitaſſet annos; alteros Vicennales, ſi ad viginti. Quare Votorum bis reus perſoluit bis ludos.

De altera formula extat Inſcriptio recens Auguſtae Taurinorum poſita, Auctore Iuglare, in has notas

CCXXII.

CIVITAS . TAVRINENSIS
EVNDEM . DVM . MORERETVR . EXPERTA . PATRONVM
QVEM . CHRISTVS . DVM . VIVERET . PATREM
SOPITA . PESTE . VOTI . REA
SACELLVM . HOC . POS

EX . SORTE . COMPOS
FACTVS
NOTVS . RVFICANAE
L. F. PLOTILLAE

En vt apertè indicat, voto de peſtis extinctione, quod ediderat, ſuſcepto ream voti Ciuitatem ſoluiſſe quod ſpoponderat, nimirum extructionem Sacelli.

De tertia tandem formula exemplum non eſt reperire, niſi vnum, & ipſum Cenſurae ſubdendum, vbi Auctor hauſiſſe conuincitur mendum, quod in Macrobij codicem (vt ſuprà innuimus) irrepſerat: quaſi idem ſignificet *Voti damnatus*, atque *Voti Reus*. Inſcriptionem hanc habes infra, lib. V. de Elogij Venuſtate cap. V. Memb: II. Cuius initium: *Dum Libitina*.

Alio etiam ſenſu Vox *Compos* vſurpata reperitur apud Gruterum pag. LXXVI. num. 7.

CCXXIII.

FORTVNAE
IOVIS . PVERI
PRIMIGENIAE
D . D

Quibus adde Epitheta priuatiua, vt *Exlex*, *Expes*, quae ſenſum membri inuoluunt. Quorum occurrit apud Gruterum inter Spuria non indigna Inſcriptio, quae inter Antiquas ſupponeretur, pag. XXVI. n. 1.

CCXXIV.

ARAM . DEVM . INFER
VIATOR
HIC . CAESAM . LAODIAM
PVBLIAM . INSPICE . EO
QVOD . AETATEM
SVAM . FRAVDAVERAT
ABNVERATQ
CONTRA . PVELLAR . RI
TVM . IVSSA . AMORIS
SEMET . EXPES . GLAD
INTERF

Expes, inquit, hoc eſt, quod ſpe eſſet fraudata. Frequens in Epitaphijs vſus huius loci, vbi aetas defuncti indicanda. Et vbi fere inſcribitur *Obijt annum aetatis agens* XX. vel L. vel LXXX.; expeditiùs fuerit *Obijt Vicenarius*, vel *Quinquagenarius* &c. Ita *Quinquagenario minor*, vel *minor anno vno*, *annis duobus* &c. pro *cùm Annum aetatis ageret XXXXIX*. vel *XXXXIIX*. Ita *Quadragenario maior* &c.

Haec de plurimis alijs epithetis Adiectiuis intellecta volumus, clauſulam huic loco facientes Elogij particula de Diuo Antonio; ex Alberto, num. XIX. quae ſucco redundat: Videlicet: *Informes obiectos Daemones infracto ſuſtinuit pectore: Certus rarò informem beluam nocuiſſe*. Expende illa *Obiectos*, pro, qui ſibi obijciebantur, & *Certus*, pro, cùm certò ſciret.

Elogij Membra
Per Subſtantiua Epitheta Inciſis abbreuiantor.

Membrum XIII.

HVjuſmodi quoquè Epitheta, quae & Grammaticis Subſtantiua continuata, locum ſupplent membri orationis; habentque ſignificandi vim maximam. Quo ex genere ſunt illa in antiquis Elogijs *Pater Patriae*, pro illo, qui etſi Princeps dignitate atque imperio, patria tamen charitate ſubditos complectitur quaſi filios: *Pater Conſulum*, qui inter Conſules clariſſimus extitit: (*Princeps iuuentutis*, qui inter iuuenes generoſitate indolis eminet, & gloria virtutum: *Amor Orbis*, & *Generis humani deſiderium*; quo titulo honeſtatus eſt Titus Imperator, qui ob ſingularem in omnes facilitatem, ac beneficentiam humani generis ſibi peperit amorem, deſideriumque ſui concitauit. Conſule, quae infrà tradimus lib. V. de Venuſtate Elogij, & VI. de Argutia, vbi de Metaphora, & Metonymia: Turſellinus de Heliogabalo Imperatore ita inquit in Epitoma: *Interfectus & per vias, cloacaſque in Tiberim raptatus purgamentum & fex Populi Romani*, hoc eſt, qui in Populo Rom. ob foeda, tetraque vitia veluti purgamentum, & fex excretus fuit, in flumenque proiectus. Fuit in hanc rem ſimplex Inſcriptio vetus, vno contenta ſubſtantiuo, apud Gruterum pag. CCCXLV. num. 4.

CCXXV.

C. AELIO . C. F. C. N. QVIR . ACCITO
LINTRARIORVM . OMNIVM . PATRONO
LINTRARII . CANAMENSES . ODVCI
ENSES . NEMENSES

Plenior illa, ſed in idem deſinens, pag. CCCXXVII. num. 5.

CCXXVI.

C . IVVENTIO . C. F. QVIRI
NALI . AED . II. VIRO MVNI
FICENTISSIMO . CIVI . MV
NICIPES . INC. OB. MERITA
PATRONO . PATRIAE . DEDE
RVNT

★ *Caio Iuuentio Caij Filio Quirinali Aedili Duumuiro Munificentiſſimo Ciui Municipes, Incolae* &c

quo titulo decoratas foeminas legimus in pluribus veterum monumentis, vt apud Gruter. DCCCCLVI. 10.

CCXXVII.

D . M
VARIAE . PHYSI
VARIA . SATVRNINA
PATRONAE
BENEMERENTI
FECIT

Manat hinc quoquè Epitheton, quo Sex. Petronius Probus eſt honeſtatus, videlicet: *Anicianae domus culmen*, & *Conſulum Pater*. Conſule Grut. CCCCL. 3.

Et quo pupae defletus obitus, ibid. DCLXI. 8.

CCXXVIII.

NICENIS . PVPAE
P. ALFI . L. DIONYSI
DVLLIAE . LI . APICLAE
DELICIVM
VIXIT . ANN. SEXS

Sepulcrum ſubſtantiui continuatione illuſtratur apud eundem pag. DCXI. num. 7.

DONATVS

CCXXIX.

DONATVS
AVG. LIB. ET
ANNIA . PRIMITIVA
HANC . SEDEM
FRVCTVM . LABORIS . SVI
VIVI . SIBI . POSVER

Non abſonat Inſcriptio, ibid. CCCCXLII. 2. quae huiuſmodi Epitheto clauditur, videlicet:

CCXXX.

M. NONIO . M. F
FAB. MVCIANO . COS
XV. VIRO . SACR. FAC
MVCIANVS
AVO

quae quidem appellatio Aui ad notitiam hiſtoricam eſt, vltimo tamen loco poſita, more Epithetorum, quae ſunt commendationis, vt cernere licet tùm ex proximè citatis, tùm ſuperiùs ex Membri I. Elogio I. IV. V. Perſimile eſt apud Grut. pag. DCCLV. num. 6.

CCXXXI.

D . M
ANTIOCHIDI
HELIVS . VXORI

& DCCCLXXX. 2.

CCXXXII.

IVLIAE . MARTIAE . NEVIBIVS
LICINIVS . ET . MVNILIELIA
MARCIANA . HEREDES

Nec minùs ſuccinctum Epitaphium, quod legimus apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt.

CCXXXIII.

D . M
SEX . PETITIO . PRIMIGENIO
IVSTA . PATRI

Sic enim nos interpretamur, vt, cùm praemiſſo titulo *Dijs Manibus*, Inſcriptio mortualis ſignificetur, & Patri expreſſa, iam illa vox pluralis *Iuſta* habeatur ſubſtantiuè appoſita.

Hìc ſe ingerit Epitaphium Lipſicum recens illud, ſed breuitatis laude aequandum antiquis. Citatur à Suueertio in Select. Delic. videlicet:

CCXXXIV.

SIMON . PISTORIVS
LL . D
OBIIT . III . NON . DECEMB . AN
CHRISTI . MDLXII. AET. LXXIII
PATER . LIBERORVM
XXIII

pro, Cum genuiſſet liberos XXIII.

Quandoque relatione variata geminatur huiuſmodi Appoſitum, vt apud Gruterum DCCXXXV. 14.

CCXXXV.

D . M
D. PASSONII . PATERNI
SEX . PASSON. PATERNVS
PATRI . OPTIMO . ET . SEVERIA
SEVERINA . MARITO
KARISSIMO

Is etiam modus ad breuitatem ſimul, & nitorem obſeruandus apud eundem Grut. pag. MLXXVII. num. 6.

CCXXXVI.

SACRVM
POMPEIA . SEX . FIL
ELEVTHERIS . ET
SEX . POMPEIVS . SEX . F
QVIR . IVSTVS
SOROR . ET . FRATER
DONVM . DEDER

Conſule, quae infrà tradimus lib. V. De Venuſtate Elogij, vbi de Verſibus correlatiuis.

Eſt autem Continuatorum ordo fere triplex, Generis, Conditionis, Officij. Et quidem Generis, vt vbi quis dicitur Pater, Auus, Frater, Soror, Filius &c. Conditionis, vt cùm Vxor, Maritus, Amicus, Libertus, Seruus, Alumnus, Patronus: Officij, vt Aedilis, Paedagogus, Procurator, Quaeſtor, Fiſcus, Curator, Diſpenſator, Collega &c. Adde quae ſunt Artis, vt Architectus, Aerarius, Aurifex, Caelator, Dendrophorus, Lintrarius, Medicus, Statuarius &c. Vide ad calcem Gruteri caput VIII. Hùc reuocabis Officia Domus Auguſtae & priuatae, vt A cubiculo, A libellis, A potione, A ſacris, Ab epiſtolis, de quibus adi Gruterum ibidem cap. VII. Damus hìc libentes principium Inſcriptionis Romanae in baſi marmorea, etſi deterioris ſeculi, non tamen ſpernendae notae, videlicet:

 D. D. D.

CCXXXVII.

D. D. D. N. N. N. INVICTISSIMI . PRINCIPES . HONORIVS
THEODOSIVS . ET . CONSTANTIVS . CENSORES
REMVNERATORESQVE . VIRTVTVM
PETRONIO . MAXIMO . V. C. PRAE. VRB. OB. PETITION
SENATVS . AMPLISSIMI . POPVLIQ. ROMANI . STATVAM
MERITORVM . PERENNE . MONVMENTVM . IN . FORO
VLPIO . CONSTITVI . IVSSERVNT &c

reliquum vide apud Grut. pag. CCCCXLIX. num. 7. Ecce autem continuata duo Verbalia *Cenſores*, *Remuneratores*, ideſt, qui benefacta iuſtè aeſtimant, & paribus honeſtant praemijs: Deinde appoſitum continuatum Statuae, *Meritorum perenne monumentum*, cuius forma, quia frequens eſt in clauſulis Inſcriptionum, exigit, vt recentem proferamus è Patria, expoſitam Regi in tranſitu Sponſae Auguſtae, videlicet.

CCXXXVIII.

PHILIPPO . III. REGI . POTENTISS
OB . MAXIMAS . ET . CLARISSIMAS . VIRTVTES
QVIBVS . INFRA . REGNI . PRIMORDIA
VNIVERSOS . POPVLOS . TVERI
EISQVE . CONSVLERE . COEPIT
MEDIOLANEN. CIVITAS
EQVESTREM . STATVAM . AERE
SVPERFVSAM
GRATVLATIONIS . ET . OBSERVANTIAE
TESTIMONIVM . EXOLVIT

Similem in modum Octauius Ferrarius Elogio *Andreae Vendramem Sacrum ac Venerabile nomen, Venetae Maieſtati par, Titulis omnibus maius extare hic Decuriones voluerunt, ſingularis aequitatis, ac manſuetudinis monumentum.* Eleganter membro ſubſtitutum Subſtantiuum legitur in ſequenti Epitaphio, quod citat in Select. Delic. Suueertius; & nos ibi aſteriſcum appingimus, videlicet: *Vt omne natum caducitati ſubiectum: Ita & eodem decreto Illuſtriſs. Princeps Maximilianus Dux VVirteeberg Anno ſalut. MDLVI. XXVII. Die Auguſti natus ★ Menſ. VI. Dieb. XXII. ſuperſtes, Infans dulciſs. Parentes optatae vitae deſiderio priuauit* &c. ideſt cùm menſibus ſex, Diebus duobus, & viginti ſuperuixiſſet.

Et quando recentes Elogiaſtas producimus, dignus eſt in hac parte, quem obſeruemus, Auctor Epitaphij Romani, quod habes apud Franciſcum Suueertium in Select. Delic.

CCXXXIX

MARTINVS . V. PAPA
SEDIT . PONT . PER . ANNOS . XIII
MENS . III. DIES . XII
OBIIT . ANNO . MCCCCXXXI
DIE . XX. FEBR
TEMPORVM . SVORVM . FELICITAS

Vbi obiter hic caſtiganda videtur vox *Papa* vti barbara, reponendaque eius loco Latina *Pont. Max.* ſed ſecundo verſu ſupprimenda illa *Pont.* omnino redundans, cùm primo praeceſſiſſet *Papa*. Caeterùm ea clauſula nihil ſpecioſius ad laudis multiplicis compendium vno Appoſito abſolutum.

Binis mirificè pangitur Epitaphium inter Veneta relatum à Franc. Suueertio ibid.

CCXL.

PETRI . ARETINI
FLAGELLI . PRINCIPVM
OMNISQ. LASCIVIAE . PRINCIPIS

Neque reijcienda congeries plurium, poſcente argumento; Cuius exemplar perpulcrum profert Natalinus vulgò de Graſſis Elogio Venetijs expoſito in Aede Patriarchali, cùm Federicus Cardinalis Cornelius poſſeſſionem adiret ſuae Patriarchaeus. Eſt autem huiuſmodi:

TE

CCXLI.

TE
FEDERICE . CORNELI
FIDEI . ROMANAE . CARDINALEM
VENETAE . CORCVLVM . SAPIENTIAE
RECTI . CVLTOREM . VLTOREM. SCELERIS
SACRIS . ARIS . PRAESIDEM
FESSIS . PRAESIDIVM . REBVS
DIVINITVS . DATVM
CLERVS : POP. Q. VENETVS
SVPPLEX . VENERATVR

eſt totum hoc Elogium ex continuatis compactum, nimirum *Cardinem*, *Corculum*, *Cultorem*, *Vltorem*, *Praeſidem*, *Praeſidium*.

Ab hoc loco ſegetem collegit Tumulo ſuo honorario Iacobus Pighettus, & mortuam exornant, & ipſum parentantem mortuae, videlicet:

CCXLII.

HOSPES
TVOS . OCVLOS . MORETVR . PIETAS
CONDITVR . HOC . TVMVLO
ANNA . VVESTONIA
RICARDI . COMITIS . PORTLANDI
MAGNAE . BRITANNIAE . MAGNI . THESAVRARII
FILIA
CLARAE . STIRPIS . GERMEN . EXIMIAE . DECVS . PVLCHRITVDINIS
SINGVLARIS . MODESTIAE . DELICIVM . CONIVGALIS . AMORIS . CORCVLVM
RARAE . FLOS . PVDICITIAE
MORTIS . FALCE . EHEV . NIMIS . INTEMPESTIVA . SVCCISVS
VXORI . INCOMPARABILI
BASILIVS . VICECOMES . FEILDINGVS
PRIMOGENITVS . COMITIS . DEMBEI
ANGLIAE . REGIS . AD . REMP. VENETAM . LEGATVS
SVI . IPSIVS . HAC . ORBITATE . CONTEMPTOR
POS
VIXIT . ANN. XIX. M... D...
DISCE . MORTALIS
Fatale . Eſſe . Vt . Mira . Vix . Oſtendantur . Orbi

Studium tuum omnino poſtulat, Lector, (quippe imitatio ſaepè cadit) artificioſa Epigrapha Tabulae, in pegmate Antuerpienſi, referente Apotheoſin Defunctae Principis Clarae-Eugeniae-Iſabellae Hiſpaniarum Infantis. Haec nimirum inter nubes depicta ſupplebat ſuum, imagine ipſa pene ſpirante, nomen; quo cum quaſi continuatum ſubſtantiuum colludebat inſcriptum tabulae

CCXLIII.

MATRI . PATRIAE
CAELO . RECEPTAE

quaſi legiſſes dedicatum id pegma *Iſabellae-Clarae-Eugeniae Matri Patriae Caelo receptae*.

Elogij Membra
Per Praepoſitiones in Inciſa

Membrum XIV.

MEmbri orationis vicem ſuppleri Praepoſitione cum caſu, probant cùm è ſuperioribus multis antiquis exempla, tùm è mox adducendis, quae formam inſcribendi ſubminiſtrabunt ad breuitatis praeſcriptum.

Primùm autem quae ex Praepoſitione *OB* formantur: Ex his quaedam ſimpliciſſima, & trunca, vbi ſcilicet ſubauditur ad ſententiae abſolutionem, quod oculis offertur, Inſcriptionem ſuſtinens, vt in Pyramide octogona Cumberlandenſi,

berlandenſi, quam citat Grut. pag. CCLXXII. num. 9.

CCXLIV.

OB. HONOREM. PHILIPPI. IM
PERATORIS. NOBILISS. SEM
PER. AVGVSTI. ET. PHILIPPI
CAESARIS. NOBILISSIMI

quaſi legeris: *Haec Pyramis erecta eſt Philippo Imper. &c. & Philippo Caeſari, vt eius honori monumentum hoc extet in poſteris.*

Pleniùs aliquanto legis in tabula votiua per eandem Praepoſitionem, vt apud eundem Gruterum pag. XCVIII. num. 9.

CCXLV.

CASTORI. ET. POLLVCI. DIIS. MAGNIS
SVLPITIA. Q. SVLPITII. F. VOTVM
OB. FILIVM. SALVTI. RESTITVTVM

ex hac autem petere licet exemplum ſuccinctae, & purae Inſcriptionis. Nam illa ſyllabis aliquanto eſt maioris, etſi ſententia paris breuitatis, quam refert Grut. pag. CCCLXXVII. num. 2.

CCXLVI.

Q. CAECILIO
L. F. GAL
FRONTONI
QVAEST. II. VIR
PROCVRAT. AVG
CN. CORNELIVS
EVPELASTVS. ET
CN. CORNELIVS
EVNORMVS. OB
MERITA
OPTIMO. AMICO

Preſſius autem nihil illa dictione *Ob merita*; ſed quae iuſto par Elogio.

Nec minùs graue ſonat apud eundem pag. DCCCLVIII. num. 9.

CCXLVII.

D. M
ARISTO. MESORI
OB. MVLTA. MERITA
SECVNDVS. COLLEGA
TITVLVM. POSVIT
B. M. F

ideſt, cui multum debet affectus multis beneficijs. Similes alibi leges formulas ad merita aliena teſtanda, vt apud eũdem Grut. CCCXII. 2. *Ob plura eius in ſe merita*; Et CCCCXL. 3. *Ob inſignem eius erga ſe beneuolentiam, ac ſingularem abſtinentiam.* Et CCCCLXVXIV. 3. *Ob operam bene in Remp. nauatam.* Et CCCLIV. 4. *Ob cauſas, vtilitateſque publicas fideliter, & conſtanter defenſas*; Et CCCXLV. 5. *Ob prouinciam vice ſacra Maximiani Herculei Caeſ. Aug. optimè, & fortiſſimè adminiſtratam*; Et CCCLXXXVIII. 4. *Ob legationem, qua gratuita apud Maximum Principem Hadrianum Auguſtum Romae functus eſt*; Et CCCCXXIV. 1. *Ob aequitatem iudicij, & patrocinia iam priuati*: Et CCCCXXXVII. 4. *Ob municipium diutina Barbarorum obſidione liberatum*: Et CCLXXXII. *Ob res bene armis, conſilijſque geſtas, & Remp. pacatam*: In queis breuitatis ratio alia eſt atque alia, vti ratio argumenti poſcebat.

Deinde ſignificationis eiuſdem affertur Praepoſitio *Propter*, vt apud eundem pag. CCCCLXV. num. 6. C. SALLIO. ARISTAENETO. V. C. &c. vbi poſt deſcriptos Magiſtratus varios ab eo geſtos, Oratoriſque in primis munus, clauſulam, quae poſitae illi ſtatuae exponit cauſam, ita ſubdit; *Propter humanitatem, abſtinentiam, efficaciam*, ſubintellige Statuam dedicarunt: Eſt enim Inſcriptio in baſi Statuae.

Miſſam non facimus hoc loco (etſi obſeruatam in ſuperioribus exemplis) Praepoſitionem *Contra*, in Epitaphijs obuiam, vt apud Grut. DCLXXV. 13.

CCXLVIII.

CERINTO. INFANTI. MELLITISS
AC. DVLCISSIMO
VIXIT. AN. II. D. IV. H. IX.
GERONTIO. PATER
CONTRA. VOTVM

Vix enim exponi pluribus fas eſt, quod claudit Praepoſitio illa ſola cum caſu, Patrij moeroris, deſiderij, luctus inconſolabilis.

Occurrit & *Sub* quandoque, breuitati inſeruiens, vt in recenti tabula Mediolanenſi, videlicet:

PHILIPPO

CCXLIX.

PHILIPPO . II. REGVM . MAXIMO
AMPLIFICATORI . ORBIS . FVNDATORI . QVIETIS
IN . SVMMA . POTENTIA . ET . FELICITATE
ITA . SAPIENTI
VT . DIVINA . IMITANDO . HVMANA . OMNIA
INFERIORA . DVXERIT . VIRTVTE
MEDIOLANENSES . PVBLICO . IVDICIO
STATVAM . * SVB . AERE . LOCO . SVO
LOCANDAM . STATVERVNT

vbi Statua ſub aere eſt, non quidem aerea, aut ex toto aere, ſed aere ſuperfuſa, aut teſta, quam phraſim deſumpſit Auctor ex antiqua apud Grut. CCCCXXXVIII. num. 1.

CCL.

HONORI
MEMMIO . VITRASIO . ORFITO &c

Corpus omnium Mancipum ſtatuam ſub aere conſtituit: non alteri abſimilem apud eundem pag. CCCCVI. n. 1. FL. EVGENIO &c. CONSTANTINVS. VICTOR &c. ET. IVLIANVS. CAES. *Statuam ſub Auro in foro Diui Traiani* &c. *Loco ſuo reſtituendam cenſuerunt*. * ſub Auro, ideſt auratam, ſeu auro ſuperfuſam, vt alibi apud eundem CCCLIII. 4. ANICIO PAVLINO &c. *Statuam ſecundam Auro ſuperfuſam locari ſumptu publico placuit*, ſeu *Auro inluſtrem*, vt ibid. CCCLXX. num. 3. Et quam idem Spurijs adnumerat pag. XI. num. 1. CERETANI. BELLO. VICTI. ET *Virtute Magni Pomp. ſeruati ſtatuam ex aere aurato Equeſt. cum ſempiternae Patriae obſeruantia in medio Foro Poſuere*.

Ex quoquè non rarũ in marmoribus ad breuitatem, vt Grut. pag. DCCCCXXXIV. n. 12.

CCLI.

EX . DOMO
CAESARVM . ET
LIVIAE
LIBERTORVM . ET . SERVORVM

interpretare ſupplens *Dijs Manibus Libertorum & ſeruorum, qui de domo ſunt Caeſarum, & Liuiae Auguſtae*. Simul obiter obſerua praemitti appellationem Caeſaream & Liuianam, quò ſubſequens Libertorum & ſeruorum honeſtetur. Alio ſenſu eadem Praepoſitio vſurpata paſſim in votiuis, vt apud Grut. CXV. 8.

CCLII.

SACRVM
PRO . SALVTE
L. SEPTIMII . SEVERIANI
PATRONI
SEPTIMIVS . FELICIO
EX . VOTO

Saepe etiam legitur *Ex teſtamento*, *Ex legato*, *Ex S. C.* quae vtique compendia ſunt dicendi: Sic Grut. DCCCLXVI. 1.

CCLIII.

D . M
CLODIAE
AVITAE
HEREDES
EX . TESTAMENTO

quam formulam ſubſequens ibidem marmor numero 2. explicat, videlicet:

CCLIV.

T. CLODIVS . L. F. CORSVS . PETILLIA
M. MAENA . L. CLODIVS . L. F. ET . C
CLODIVS . L. F. ET . T. CLODIVS. L. F. FECIT
LAETVS . LIBERTVS . ET . FIRMVS
LIBERTVS . QVOD . TESTAMENTO
FIERI . IVSS

Ex Aere autem Statua, quae nimirum aenea eſt, ſeu quae ex aere conflata. quem dicendi modum habes apud eundem pag. CIII. num. 7.

CCLV.

VICTORIAE . AVG
SACRVM
PRO . REDITV
IMP. CAES. T. FLAVI
VESPASIANI . AVG
PONT. MAXIM
TRIB. POT. COS. II
P . P
STATVAM . EX . AERE
ORDO . SPOL. CONLOC
* *Ordo Spoletinorum conlocauit*

Ab

Ab item breuitatem iuuat. Sic apud eundem pag. MCLII. num. 9.

CCLVI.

C. SABINE . VRSE
HOMO . OPTIME
AVE
SABINA . MYRTE
PATR . OPTIMO . ET
PIISSIMO . SIBI . CARIS
SIMO . CVM . QVO . VIXIT
IN . CONIVGIO . AN . LX
AB . EXCESSV . EIVS
MENS . VI . POSVIT
VRSE . HOMO . OPTIME
VALE

Ab exceſſu eius menſe ſexto poſuit, ideſt ſexto menſe poſtquàm is exceſſit.

Supra, non caret energia numeroſi membri, Vt *Filiae manſuetiſſimae, & ſupra ſexus ſui captum, & aetatem prudenti*: apud Gruterum pag. MCXX. num. 7. quod eſt imitatus recens Auctor Epitaphij Brabantini, citati apud Franc. Sueertium in Brabantinis, videlicet:

CCLVII.

IOAN . BAPTISTAE . BORREMANS
SVPRA . PVERILEM . DECENNI . AETATEM
QVA . EXTINCTVS . EST
INGENIOSO
PETRVS . BORREMANS . PATER
INVERSO . NATVRAE . ORDINE . FIL
P . C
OBIIT . IX . KAL . AVG . CIↃ . IↃ . XCIX

In habet exemplum egregium infrà, Membro XVI. in extremo Epitaphij poſiti *Hieronymo Soledo Epiſcopo Vaſionenſi*. Vbi habet. *Romae in maiori de ſe expectatione ſublato*. pro illo: *Cùm Romae maiorem de ſe expectationem concitauiſſet, è viuis erepto* &c.

Non eſt praetereunda obſeruatio de vſu Praepoſitionis *In* pro *Erga* in antiquis marmoribus: quem certè non videtur acu (vt aiunt) tetigiſſe Ianus Gruterus pag. CCCCXXII. num. 2. hoc referens Epitaphium:

CCLVIII.

IVLIVS . FABIVS . FLORINVS
AVRGIT . VI . VIR
M . FLAVI . AVRGIT . F
ANNOR . LXX
PIVS . IN . SVIS . HIC
SITVS . EST . SIT . TIBI . T . L

porrò ſupra dictionem SVIS praefigit vti cenſorium indicem *Sic*, quaſi cuſoris peccatum carpens, vt ſolet in ſimilibus: minimè aduertens vetuſtam phraſim (adnotatam etiam à Seruio in Artem ſecundam Donati (vt etiam refert Nizolius in Theſ. ling. Lat. ad vocem *IN*, cum caſu EO: qui & citat Ciceronianum illud *Fortes in eo Quirites*, pro *in eum* & Virgilianum: *Rapuitque in formite flammam* Aen. I. pro, *in formitem*: & Horatianum: *Diſtrictus enſis cui ſuper impia Ceruice pendet*. Carm. lib. I. Od. I. pro, *ſuper impiam ceruicem*; propterea quòd Praepoſitiones communes, indifferenter, nulla ſcilicet lege ſeruata ponerentur: Ita *Pius in ſuis* non mendosè eo loco legitur, vt neque alibi apud eundem Gruterum pag. CCCCXL. num. 10. DCCLXXVI. 14. DCCCCVI. 11. DCCCCXLIIII. 9. Conſule Mucinum in ſua Syntaxi, vbi plura aceruat exempla ex Plauto, Virgilio, & Cicerone, Praecepto VII, de Praepoſit. Non negamus, ſeculis etiam eruditis vſurpatum *Pius in ſuos* apud Grut. CCCXXI. 6. Et *Pios in* OMNIS, pro omneis, poſito I longo pro EI diphthongo; ſicut contrà EI pro I. longo, quemadmodum Ennius lib. I. Annalium.

Iuno, Veſta, Ceres, Deiana, Meneruа, Venus, Mars. nam cum in *Diana* ſit prima communis, vt hoc loco producta monſtraretur, diphthongus repoſita fuit. Seu mauis *Pius in omnIs* pro omnes, I pro E; vt ex citato Ennij, *Menerua* pro Minerua; & contrà *Camina* pro Gamena ex Grutero XLVII. 10. arguitur E, & I commutari ſolita veteribus in vtraque quantitate. Adi Gruterum in calce, capitis XII. quod eſt Index eorum, quae ad rem Grammaticam: ad literas E, & I. *Sine*, & cum negatione *Non ſine* frugalem orationem reddit, quod indicat non ſinè pretio obſeruationis, Epitaphium apud Florauantem Martinellum in ſua Roma ſacra.

BALTHAS-

CCLIX.

BALTHASSARI . PERVTIO . SENENSI
Viro & Pictura, & Architectura aliſque ingenioſis artibus
Adeò excellenti
Vt ſi priſcorum occubuiſſet temporibus
Noſtra illum feliciùs legerent
Vix. Ann. LV. Menſ. XI. D. XX
Lucretia, & Io: Salluſtius optimo Coniugi & Parenti
Non ſine lachrymis Senionis, Honorij, Claudij, Aemiliae, ac Sulpitiae minorum filiorum
Dolentes Poſs. Die IV. Ian. MDXXXVI.

Elogij Membra In Aduerbia

Membrum XV.

VIm ſententiae Aduerbio interdum explicamus, interdum colligimus, vt pauca multis ſufficiant. Duobus verò modis haec breuitas comparatur Elogio, vel ſinè caſu poſito Aduerbio, vel cum caſu.

Sinè Caſu, ſunt illa: *Viritim* pro, In ſingulos viros, ſeu, Viri ſinguli. Priore ſignificatu apud Grut. CCCLIV. 1. *Vt ex vſuris eius Die natalis ſui III. Kal. Maias Sportulae viritim Diuidantur.* Poſteriore autem ibidem CCCLI. 5. *Immunes Ilienſes, Iliponenſes Decurione viritim ſtatuam Dedicauerunt. En*, breuiarium facit verborum. Iuglaris in Imaginem Diui Thomae Aquinatis ad Diui Marci Florentiae in Bibliotheca: *En tibi omnem in vno demum capite Bibliothecam: En omnem in vno calamo Militantis Eccleſiae Panopliam* &c. pro, *Exhibeo tibi Spectator*, *vel Intuere hic*. Idem in Arcu Triumphali Niceae pro Nuptijs Mauritij, & Aloiſiae Mariae Principum, Inſcript. VII. *En qualia ligant decora Sabaudiae nodi: Tulere Reges, & Reginas traxere* &c. pro Aſpicite Mortales, vel Cernite Ciues, Qualia ligant &c.

Quaeque ex Adiectiuis nominibus manant. Vt in vetuſto Epitaphio: *Iucundè vixit Annos LX.* hoc vno Aduerbio longus vitae tractus in proſpera ſemper fortuna indicatur. Et: *Cum qua (coniuge) concordiſſimè vixit* ideſt ſinè vlla animi laeſione, ſinè iurgio, mutuo ſemper, & conſtanti amore.

Cum Caſu, vt *Ergo* pro causà. Exemplum Romani marmoris dabit Gruterus pag. XCVII. num. 2. & quidem de cauſa vt aiunt finali: Videlicet

CCLX.

P. VALERIVS
VOLVSI . F
POPLICOLA — * *Popicola* pro *Publicola antiquum.*
IGNIFERVM . CAMPVM
DITI . PATRI . AETERNAIQ — * *aeternaiq.* pro *aeternaeq.* antiq.
PROSERPINAE . CONSECRAVEI — * *conſecrauei* pro *conſecraui.*
LVDOSQVE . EISDEM . DIEIS — * *Dieis* pro *Dijs.*
POPVLI . ROMANI . SALVTIS
ERGO . FECEI — * *fecei* pro *feci.*

ideſt vt populo Romano ſalutem impetrarem. Ita apud eundem in Spurijs pag. I. num. 2. memoratur victoria Titi Sempronij in Sardinia, & plenus praedae triumphus, cum hac clauſula: *Cuius rei ergo hanc tabulam Ioui dedicat.* Scilicet, quia tantam victoriam praeſenti ope Iouis reportauit, in teſtificationem grati animi hanc dedicat tabulam. Congruit recens Epitaphium citatum à Suueertio in Brabantinis:

ISABEL-

CCLXI.

ISABELLAE . SPINOLAE
LECTISS. FOEMINAE . CONIVGI . CARISS
BAPTISTA . SPINOLA
PATRIT. GENVENSIS . PIETATIS . ERGO
H . M . P . C.

Vt, inquit, pietatis argumentum daret.

Pro Cauſa etiam efficiente, qua quis ad inſcribendum mouetur. Legitur Romae Epitaphium, citatum à Suueertio in Select. Delic.

CCXII.

HENRICO . GRAVIO
EXIMIAE . PROBITATIS . SPECTATAEQVE . ERVDITIONIS . VIRO
QVEM . POST . QVATVOR . LVSTORVM . IN . FLORENTISS. LOVANIENSI . ACADEMIA
S. THEOLOGIAE . PVBLICAM . PROFESSIONEM
SIXTVS . V . PONT . MAX
INSIGNIS . ERVDITIONIS . *ERGO . ROMAM . EVOCAVIT
GREGORIVS . XIV
IN . PONTIFICIAM . AVLAM . EXCEPIT
SED . AMPLIORIBVS . DIGNVM . HONORIBVS
CHRISTVS
IN . CAELVM . EVEXIT . DIE . II. APRIL.
ANNO . DOM . MDXCI . AETAT . SVAE LV
CAESAR . BARONIVS . S. R. E. CARD . AMICO . POS

Ipſius etiam Aduerbij *Ergo* ſynonyma Vox *Cauſa* ſaepe vrget in Elogijs breuitatem. Cuius non infrequens formula in antiquis. Praecipuè apud Grut. pag. DCCCLVI. num. 5.

CCLXIII.

AMENVS . P . F . RVFVS
HONORIS . CAVSA
CALENIO . OLPISIDAE
NYSAE

interpretare, vt honore merito afficiat. Quae formula vt vim exprimat acriorem, grandioribus literis cuditur in Taurinenſi monumento aerea tabula, citata à Grut. pag. CCCCLXXVIII. n. 7. quod eſt operae totum hic referre:

CCLXIV.

C . VALERIO C . F
STEL. CLEMENTI
PRIMIPILARI
II. VIR. QVINQVENNALI
FLAMINI . DIVI . AVG . PERPETVO
PATRONO . COLONIAE
DECVRIONES . ALAE . GETVLORVM
QVIBVS . PRAEFVIT . BELLO . IVDAICO
SVB . DIVO . VESPASIANO . AVG
PATRE
HONORIS . CAVSSA
HIC . OB . DEDICATIONEM . STATVARVM
EQVESTRIS . ET . PEDESTRIS . OLEVM
PLEBEI . VTRIVSQVE . SEXVI . DEDIT

vt nimirum honorem deferrent illi debitum. Euchariſticis quoquè & Votiuis inſeruit haec locutio. Vt apud Grut. pag. LXIV. n. 11.

CCLXV.

C. PVLLIDIVS . CELLIOR
SENEX
NVMINI . SILVANI
GRATIARVM . AGENDARVM
CAVSA
V . S

quod eſt, vt Gratias pro beneficio accepto agat Numini, ſoluit illi, quod vouerat. Et in titulis ſepulcralibus parentum, vt apud eundem pag. DCCXL. num. 8.

CCLXVI.

Q.SALLVSTIO.SALVILLO.ET.V.PRIMAE.SALLVSTIAE
PARENTIBVS . VRBANA . F . PIETATIS . CAVSA

vbi Filia memoriam parentum conſignat poſteritati, vt pietatis officium impleat.

Et ſynonymum alterum GRATIA breuitatem inſcriptionis haud minùs premit. Cuius ſpecimen habes apud Gruterum pag. CCCLVI. num. 1. Eſt in ſepulcro marmoreo, faſcibus, & ſecuribus Conſularibus, atque alijs ornamentis inſigni, Via Oſtienſi, tertio ab Vrbe lapide, videlicet:

D . M

CCLXVII.

D . M
M . ANTONII . ANTII . LVPI . PR
PATRICII . AVGVRIS . QVAEST. SODAL. TITII . TRIB
MIL. LEG. II. ADIVTR. PIAE . FIDEL. X. VIR. STL. IVD. PRAEF. FER
LAT. CVIVS . MEMORIA . PER . VIM . OPPRESSI . IN
INTEGRVM . SECVNDVM . AMPLISSIMI . ORDINIS
CONSILIVM . RESTITVTA . EST . SEPVLCRVM . AB . EO . COEPTVM
CLAVDIAE . REGILLAE . VXORI . ET . ANTIAE . MARCELLINAE . FIL.
PIETATIS . SVAE . ERGA . EVM . TESTIFICANDAE . GRATIA . ET
NOMINIS . EIVS . IN . PERPETVVM . CELEBRANDI . PERFECERVNT . ATFINES
M. VALERIVS . BRADVA . MAVRICVS . PONTIF. ET . ANTONIA . VITELLIA
AMICI
Q. FABIVS . HONORATVS . T. ANNAEVS . PLACIDVS

Hanc inde formulam ſumpſit Franciſcus Pola, antiquitatis apprimè ſtudioſus, vt cernis in Elogio ad Diui Georgij Venetijs, ita ſcripto:

CCLXVIII.

MONIMENTVM
IN . QVO . OLIM . FVERAT . POSITVS
SEBASTIANVS . ZIANVS
INVICTVS . PRINCEPS . ET . INCLYTVS
QVI
FRIDER. AENOBARBO . IMPERATORI
ARMA . CONTRA . ALEX. III. PONT. MAX. MOTA
EXCVSSIT
PACEMQ. EXTORSIT . SALVTAREM
RENOVAMVS . HIC . ET . RESTITVIMVS
SACRATAE . AEDIS . CVSTODES
MVNIFICENTIAE . EIVS . ERGA . NOS . TESTIFICANDAE . GRATIA
ET . NOMINIS . EIVS . IN . PERPETVVM . CELEBRANDI
M D C X

Reſpondet huic Latinae loquendi contractioni Graeca, cuius damus è vetuſtis marmoribus exemplum apud Gruterum pag. MXXIIII. n. 5. inter ruinas Aretenſes repertum.

CCLXIX.

ΛΥΤΤΙΟΝ . Η . ΠΟΛΙϹ
Τ. Φ . ΛΕΟΝΤΙΟΥ . ΥΙΟΝ
ΚΥΡΕΙΝΑ . ΑΚΕϹΤΙΜΟΝ
ΠΡΩΤΟΚΟϹΜΟΝ . Β̄. ΑΓΟ
ΡΑΝΟΜΟΝ . Β̄. ΞΥϹΤΑΡΧΗΝ
ΙΕΡΟΥ . ΑΓΩΝΟϹ . ΠΕΝΤΑ
ΕΤΗΡΙΚΟΝ . ΤΟΥ . ΚΟΙΝΟΥ
ΤΩΝ . ΚΡΗΤΩΝ . ΑΡΕΤΗϹ
ΕΝΕΚΑ . ΚΑΙ . ΤΗϹ . ΤΗΝ
ΠΟΛΙΝ . ΑΔΙΑΛΕΙΠΤΟΥ . ΜΕ
ΓΑΛΟΨΥΧΙΑϹ . ΗΡΩΑ . ΚΑΙ
ΚΟϹΜΟΠΟΛΙΝ
Τ. Φ. ΧΑΡΜΑΤΙΩΝ . ΤΟΝ
ΕΑΥΤΟΥ . ΠΑΤΡΩΝΑ

* Latinè *Lyttiorum Ciuitas*
Titum Flauium Leontij filium
Cyreina Tribu Aceſtimum
Protocoſmum iterum Aedilem, iterum, Praeſidem
Sacri certaminis Quinquennalem communis
Cretenſium virtutis
Ergo, & in
Ciuitatem perpetuae magnanimitatis Heroem &
Coſmopolitam
Titum Flauium Charmatiorum
ſuum Patronum

Alibi aliter eandem formulam vſurpatam legimus: Vt in Clauſula Epitaphij Antuerpienſis: *S. P. Q. A. iuſtis exequijs heic ritè perſolutis Piae memoriae ERGO. P. C.* pro *Defuncti pia memoria aeterna vt fieret.*

Elogij Membra In Ablatiuos Abſolutos

Membrum XVI.

ABlatiuo abſoluto colligi orationis membrum, ſententiam propterea contrahi ſaepe monemur: id ſiue per Participium fiat, ſiue per Nomen. Participij paradigmata ex antiquis haec habe. Apud Scriptorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. citatur Baſis Obeliſci Romae ita inciſa:

CCLXX.

CAESAR . DIVI . IVLII . F. AVGVSTVS
PONTIFEX . MAXIMVS . IMP
XII. COS. XI. TRIB POT
XII. AEGYPTO . IN . POTESTATEM
POPVLI
ROMANI . REDACT
SOLI . DONVM . DEDIT

illud verò Ablatiui *Aegypto in poteſtatem Populi Romani redacta* explicaueris in hoc Membrum: *Cum Aegyptum in poteſtatem Populi Rom. redegiſſet.* Similis eſt Votiua tabula, quam idem Scriptor inter Comenſes percenſet:

CCLXXI.

FORTVNAE
OBSEQVENTI
ORDO . COMENS
VOTO . PRO
SALVTE . CIVIVM
SVSCEPTO

pro, *quòd votum ſuſceperit, donum dicat.* Eſt, quod maximè obſerues, Epitaphium Romanum, à Grutero relatum pag. DCLXV. num. 2. ab hoc loco perfectum:

CCLXXII.

MEMORIAE
P. AELI . OLIMPIACI
QVI . VIX . A. XVI
M. II. D. XI
RELICTA . MATRE
INFELICISSIMA

& illud ibidem. DCCCCLXXI. 3. in Vrna coctili inciſum.

CCLXXIII.

CORPVS . T. COR
NELI . PONTIANI . LI
BERTI . QVI . VIX. AN
XXV. M. VI. D. IIII
RELICT. PATRE
INFELICISS

Eſt antiquae notae potiùs, quàm ſeculi Trophaeum Tarraconenſe, apud Gruterum pag. CCXXV. n. 2. ex Ablatiuo abſoluto conflatum, videlicet:

CCLXXIV.

BELLVM . CAESARIS
ET . PATRIAE . EX . MAGNA . PARTE
CONFECTVM . SEX . ET . CN. MAGNI
POMPEI . FILIIS . HIC . IN . AGRO
BATESTANIORVM . PROFLIGA
TIS

Vis ab hoc loco frequentato preſſam ad omne compendium, ſed elegantem ad omnes numeros Inſcriptionem? Dabit literatorum Princeps noſtrae aetatis, & miraculum floridiſſimi characteris Famianus Strada è Societate Ieſu, qui Villam vulgò Matraiam agri Lucenſis, rogatus ab hero Thoma Guiniſio, his notis dedicauit:

CCLXXV.

THOMAS . GVINISIVS
VILLAM . SIBI . POSTERISQVE . SVIS . PRIMOGENITIS
A . VINCENTIO . PATRE . FIDEICOMMISSO . RELICTAM
AGRO . LATIVS . ACQVISITO . ATQ. VBERIVS . EXCVLTO
DOMO . IN . AMPLIOREM . FORMAM . MAGNIFICENTIVS . EXTRVCTA
MONTE . AD . AREAM . ET . HORTOS . AMOENIVS . EXAEQVATO
AQVA . AD . FVNDI . VTILITATEM . DELICIASQ. LONGE . DEDVCTA
AVXIT . ET . ORNAVIT
AN. SAL. M. D. C. XVI
SVP. GRAT. IMMORT

★ *Superis Gratias Immortales*

Po ſcit

Poſcit ad lautiorem ſuppellectilem imitationis tuae, Lector, conferri huc pars Elogij in Benedictum Siluaticum, Auctore Elogiaſtarum Antiſtite Octauio Ferrario Mediolanenſi, & in Patauio Gymnaſio Profeſſore celeberrimo: vbi eius ſtudium in Villa exornanda, per ablatiuos abſolutos ita deſcribit: *Septuagenario maior paternum Suburbanum modico lare, ac tecto, & anguſto per obliquos tramites acceſſu in commodum, laxatis veteribus, nouis adiectis cubiculis, porrecta fronte ſurgentium pinnarum coronamento antiquum tholum cingente in ampliorem, & anguſtiorem hanc formam redegit; &, vt mollior aditus eſſet, collis dorſo clementer accliui ſcalas ſupino aſcenſu, vagoque per amoena deſpectu ſuſpendit. Praeterea obiacentem colli planitiem, directa area explicuit, & diductis hinc inde riuis placidè alluentis fluminis commercio aditum aperuit, ac totius aedificij proſpectum nauigantibus propiùs admouit.* Cui non poenitendo ſtudio adiungimus Dedicationem Delmonaci, quae hiſtoriae amplae compendium eſt, ab hoc ipſo loco adornatam, videlicet:

CCLXXVI.

BEATO . ANDREAE . AVELLINO . CLERICO . REGVLARI
CAELITVM . CHORIS . ADSCRIPTO
QVOD . EXPIATIS . LVPANARIBVS . FVNDATISQ. TEMPLIS
POENITENTVM . MVLIERVM . COLLEGIIS . INSTITVTIS
VIRGINVM . ERECTIS . GYNECAEIS
TRADITIS . SANCTISSIMAE . DISCIPLINAE . DECRETIS
CHRISTIANAE . PROBITATIS . EXEMPLA . VBIQVE . GENTIVM
PROPAGAVERIT
CONSPIRANTE . VIRTVTVM . OMNIVM . COETV
CAELESTIVM . GAVDIORVM . IMAGINEM . MANSVRAE . LAVDIS
VESTIGIVM
LL. CONSECRAVERVNT

Atque vt in ſumma vbertate argumēti laudem frugalis orationis, quae ſumma eſt, aſſequaris, en tibi belliſſimum exemplar, quod aemulere, apud Suueertium in Sel. Del. inter Vicentina.

CCLXXVII.

HIERONYMO . SOLEDO . EPISCOPO . VASIONENSI CLEMENTIS . VII. PONT. MAX. domus Magiſtro: In Hiſpaniam Legato ab eo ad CAROLVM V. Imperat. miſſo: rebus ſupra omnem ſpem, eius prudentia celeriter, & ex voto confectis: Affinitate etiam inter illos coniuncta: Caeſare in Italiam adducto: cum Venetis caeteriſque Italiae Principibus foedere inito: Duce Inſubriae Caeſari conciliato: in Belgis etiam apud eundem Legatione functo: ROMAE in maiori de ſe expectatione ſublato. Io. Petrus fratri opt. atq. innocentiſs. Poſ. Vix. ann. LII. Obijt Non. Ian. MDXXXIII

Ecce quanta ſeges rerum, quàm preſſo collecta manipulo. Scilicet per Ablatiuos abſolutos.

Obſeruatione autem ſtudioſorum maximè dignum eſt, in antiquis marmoribus offendi Ablatiuum abſolutum contra cōmunes Grammaticorum canonas, à quo tamen boni ſeculi Scriptores haud abhorrent. Exempla innuit Ant. Mucinius in ſua Syntaxi, ad Emanuelem Aluarum, nam praeter Sedigitum apud Agellium lib. XV. cap. XXIV.

Eum, me iudice, errorem diſſoluam tibi:

& Senecam de Vita beata cap. XX. *Quidquid, me neſcio, faciam.* Et de Clementia lib. I. cap. IX. *Ego percuſſorem meum ſecurum ambulare patiar me ſolicito?* Et Horatium Carm. lib. I. Od. II.

Heu ſinas Medos equitare inultos
Te Duce, Caeſar:

& Terentium Heauton. Act. V. Sc. I.

Quemquamnè animo tam comi eſſe, & leni putas, qui ſe vidente
Amicam patiatur ſuam?

& Plautum Moſtell. Act. I. Sc. III.

Quàm te, me viuo, vnquam ſinam aut egere, aut mendicare.

Eundem Mil. Act. I. Sc. II.

Voſne ego patiar cum mendicis nuptas, me viuo, viris?

Ipſe Cicero orat. pro Sex. Roſcio, & Epiſtol. famil. iterùm, à Mucinio citatur; corruptis autem à Typographo numeris & indicibus locorum. Nos impatientes operae, ad fontes ipſos te, Lector, remittimus; ad antiqua properantes marmora ex noſtro inſtituto, è quibus Ablatiui abſoluti vſum huiuſmodi perſpicias. Ergo Gruterus pag. DCCCXIX. n. 7. citat Epitaphium hoc Mediolanenſe:

CCXXVIII.

PRINCIPIVS . SE . VIVO
SIBI . ET . ARTEMIAE
VIRGINIAE . SVAE
DOMVM . PERPETVAM
FECIT

qui quidem caſus *ſe viuo*, aut in membrum enunciari poterat ex vſu communi, *dum ipſe viueret*, aut ex Grammaticis concinere cum principali debuit, *Principius viuus ſibi* &c: ſeu *Principius ſibi & Artemiae Virginiae ſuae Domum perpetuam Viuens fecit*. Idem pag. DCCCVI. num. 5.

CCXXIX.

MARIA . GEMINA
EMERIT . AN . P . M . L
H . S . E . S . T . T . L
IPSA . SIBI . SE . VIVA
SECVS . CONIVGEM . SVVM
S . C

* idest *Maria Gemina Emeritana Annorum plus minus Quinquaginta Hic ſita eſt. Sit tibi terra leuis. Ipſa ſibi ſe viua ſecus coniugem ſuum faciendum curauit* (ſubintellige) *ſepulcrum*.

Vbi vulgò dixerit *Ipſa ſibi dum viueret*, vel *Ipſa ſibi viua*: Vt quidem apud eundem pag. DCCCLXV. num. 4.

CCXXX.

D . M
ET . MEMOR
M . VAL . CHAR
RIDEMI . IP
SE . SIBI . VIVVS
ET . SVIS . POSVIT

* *Dijs Manibus et memoriae Marci Valerij Charidemi Ipſe ſibi Viuus et ſuis poſuit*

Item pag. DCCCLXXVI. num. 2.

CCXXXI.

IVLIVS . ZOTICVS . VIVVS
COMPARAVIT . SIBI . ET . SVIS
LIBERTIS . LIBERTABVSQ
POSTERISQ . EORVM

Concordat pag. DCCCXVII. num. 10.

CCXXXII.

D . M
CORNEL . IACEANE
SIBI . VIVA . POSVIT
HEREDES
CONDENDAM . CV
RAVER

Vbi *ſibi Viua* refertur ad rectum praecedentem *Cornelia Iaceane*. Obſeruandum quoquè, vt aliter hicce caſus tractetur pag. M. num. 7.

CCLXXXII.

VIVVS . F
SEX . VETTIVS
FIDELIS
SIBI . ET . AXIAE . ƆL
AMABILI
CONTVBERNALI

* *Viuus Fecit*

* *Caiae Libertae*

Pruden e verò te iubemus, Lector, ne ſumas exempium ex ijs quae corrupti ſunt ſeculi; Veluti apud Grut. DCCCLXIII. 7. *Publius Caeſius Hilarus ſe vibus* (pro *viuus*) *comparauit ſibi & ſuis libertis* &c. qu s enim tueatur illud *ſe viuus*? id ipſum alibi apud eundem Gruterum offenditur nõ ſine offenſione legenrium: quamquam immeritò Cenſor perſtrinxit Gruterum, quaſi excrementis pudendae vetuſtatis colligendis inſtiterit inhonorus Auctor; cuius tamen operam, & ſanctiſſimam fuiſſe, & meritum de omni poſteritate ampliſſimum, fateri cogatur, quis

quiſquis fructum penſat ex veterum corruptelis inſpectis in vſum bonorum redundantem.

Ad Abſolutum Ablatiuum & alios reduc communes, quibus quoquomodo fit orationis adſtrictio; Verbi gratià *Cauſae*; quae ſaepe oeconomiam Elogij ſubminiſtrat, vt Epitaphij Mediolanenſis in Diui Franciſci ad Sacellum Arconatae Familiae.

CCXXXIII.

IO. GASPARI . ARCONATO
ANIMI . CORPORISQ. DOTIBVS . MAXIMOR. REGVM . DVCVMQ. GRATIA
EQVESTRIBVS . MILITARIBVSQ. ORNAMENTIS
INTER . VRBIS . NOSTRAE . PROCERES
CELEBERRIMO
HELENA . CARCHANA . VXOR . ET . VI. EX . EA . LIBERI . MOESTISS. POSS

Elogium
Aliunde etiam contrahi quaerat

Membrum XVII.

Alij quoquè ab his modis pauciores ex pluribus dictiones colligendi praeſto ſunt. & Primùm A loco Generis, ac Totius; vt enumeratione ſuppreſſa ſpecierum, aut partium, Genus ipſum afferatur, aut Totum. Quod intellige, vbi breuitatis limites aliunde quaeri non poſſint; nam (vt in altera Operis parte) enumeratio partium, & ſpecierum ſaepe aſſumitur ad Elogij ſtructuram. Ergo in antiquis monumentis, vbi quis inſcribitur PRINCEPS IVVENTVTIS, hac vna appellatione comprehenduntur, quae iuuenem egregium decorant, omnes dotes; nobilitas nimirum generis, elegantia, comitas, modeſtia, continentia, liberalitas & caeterae: Et vbi ille apud Gruterum pag. MXXV. num. 7. celebratur PRINCEPS. GENTIVM. BAQVATITIVM. Eminens (hoc eſt) in ijs gentibus auctoritate, opibus, clientelis, imperio, quae omnia vno illo clauduntur titulo: Et cùm Iulius Caeſar PATER. PATRIAE legitur; virtutum cumulus Optimi Princeps nomine illo importatur. Quemadmodum in recenti, ac magnificentiſſimo in ſumma breuitate Epitaphio Florentino, antiquitatis aemulo, ad Diui Laurentij.

CCXXXIV.

COSMVS . DE . MEDICIS
HIC . SITVS . EST
DECRETO . PVBLICO
VIXIT . ANN. LXXV. M. III. D. XX

Praeterea Voces quaedam deriuatae, ſeu coniugatae ſenſu turgent, Vt *Conſularis*, *Praetorius*, *Quaeſtorius*, & ſimiles (quae ſupplent numeros Membri) pro eo, Qui functus eſt Conſulatu, Praetura, Quaeſtura. Compoſitae quoquè eiuſdem ſignificationis, *Exconſul*, *Expraetor*, *Exquaeſtor*; ita *Expraefectus*, *Expraepoſitus*, *Exſignifer*, *Excorrector*, *Exuicarius* &c.

Deriuata interdum officiunt, Primitiua proſunt ad reliquam ſtructuram colligendam. Exemplo vno lucem miniſtramus ad multa: In Select. Del. apud Suueertium legitur inter Romana hoc Epitaphium.

CCLXXXV.

ALEXANDRO . IVNIO
★Antuerpienſi★ Quod oppidum eſt in Belgis nobiliſſimum, honeſtiſſ. parentibus nato, Romae ob virtutem ad honores euecto, Et Auditoris Sacri Palatij munere integerrimè functo Heredes Poſſ. Vixit Ann. XXX. Menſ. XI. Obijt X. Cal. Octob. M D L VIII.

Duplex Aſteriſcus indicat vtrobique contrahi dictum potuiſſe, & quidem ex vſu latinorum veterum nitidiùs, videlicet: *Alex. Iun. Antuerpià, oppido in Belgis nobiliſſimo, honeſtiſſ. parentibus* &c. Ita vſus Primitiui adimit pretium membri.

Sunt & Aduerbia numeri, quibus geſta ſaepe munera vno contrahuntur vocabulo, vt in antiquis

antiquis TRIBVNITIA . POTESTATE. III. ideſt *tertiùm* IMPERATOR . V. ideſt *quintùm* ; COS . IV . ideſt *Conſul quartùm*. Niſi aliter energia poſtulet, quippe ſolui numeralem notam in vocabulum, vt cernimus in vetuſto marmore apud Gruterũ pag. CCCCXXIX. num. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. eodem ſemper modo inculcatur.

CCLXXXVI.

L . LICINIO . SECVNDO . ACCENSO
PATRONO . SVO
L . LICINIO . SVRAE . PRIMO . SE
CVNDO . TERTIO . CONSVLATV. EIVS
IIIIII . VIR. AVG. &c

Nam breuiùs profectò dixerit *Tribus conſulatibus eius*: ſed meliùs inculcatum *Primo*, *ſecundo*, *Tertio Conſulatu*. Series item rerum, ac diſcrimen temporum excludit compendiarias notas numerorum, quod prae alijs cernitur in Romana memoria apud Gruterum pag. LXI. n. 4.

CCXXXVII.

CN. OCTAVIVS . TITINIVS . CAPITO
PRAEF. COHORTIS . TRIB. MILIT. DONAT
HASTA . PVRA . CORONA . VALLARI . PROC. AB
EPISTVLIS . ET . A . PATRIMONIO . ITERVM . AB
EPISTVLIS . DIVI . NERVAE . EODEM . AVCTORE
EX . S. C. PRAETORIIS . ORNAMENTIS . AB . EPISTVL
TERTIO . IMP. NERVAE . CAESAR . TRAIANI . AVG. GER
PRAET. VIGILVM . VOLCANO . D. D

Namque illius muneris Ab Epiſtulis (*u* pro *o* antiquis) colligendus non fuerat, ſed diſtinguendus Adiunctis ſeu Circumſtantijs prima vice, ſecunda, tertia ſemper varijs, vt inſcriptio ipſa monſtrat.

Particulae etiam nonnullae compoſitiuae hùc ſpectant, quo de genere eſt *Seſqui*, pro eo quod eſt maius dimidio. Hinc ſeſquimilleſimus annus indicat milleſimum cum quingenteſimo. In Columna ſaxea ad Rauennam (citat Suuertius in Sel.Del.) quà ſpectat forum Liuij, legitur expugnatio Vrbis: *Geſta fuerunt haec Prid. Id. April. Anno à partu Virginis ſupra ſeſquimilleſimum duodecimo.* qui modus compendium ſermonis nec inuenuſtum facit.

Elogij Breuitati
Primùm officit Parentheſis

Membrum XVIII.

Parentheſis, vt ipſum indicat nomen, niſi perbreuis, officit Laconiſmo: Eſt enim Interpoſitio orationis in ſermone, qua remota ſenſus extat integer. Aius vt modum intelligas, opus eſt afferre locum Virgilij Aeneid. lib. XII.

Interea Reges (ingenti mole Latinus
Quadriugo vehitur curru : cui tempora circum
Aurati bis ſex radij fulgentia cingunt
Solis Aui ſpecimen : bigis it Turnus in albis
Bina manu lato criſpans haſtilia ferro.
Hinc pater Aeneas Romanae ſtirpis origo
Sidereo flagrans clypeo, & caeleſtibus armis
Et iuxtà Aſcanius, magnae ſpes altera Romae)
Procedunt caſtris.

quem in locum Seruius: *Longum hyperbaton*, inquit; *Nam ordo eſt: Interea Reges procedunt caſtris: Caetera enim per Parentheſim dicta ſunt, nec eſt Eclipſis; cùm ſermo in omnibus congruat.* Hactenus Seruius. Elogiaſta ergo monſtrum feciſſet: ſoluerit autem Parentheſim hoc fere pacto: *Interea Reges procedunt caſtris: Latinus ingenti mole quadriugo vehitur curru, cui* &c: *Turnus it albis in bigis* &c: *Hinc Pater Aeneas* &c: *Et iuxtà Aſcanius* &c.

Antiquarum porrò Inſcriptionum vix vlla

Parentheſim

Parentheſim offerre comperitur. Hanc tamen expiſcati ſumus in Grutero pag. DCLXXXV. num. 4.

CCLXXXVIII.

C. GAVIO C. F
QVI. VIX. ANN. XLIII. M. X
C. GAVIVS. MENODORVS
FILIO. PIISSIMO
PATER. INFELIX
AEQVIVS. ENIM. FVERAT
VOS. HOC. MIHI. FECISSE
ET. SIBI

Apoſtrapha namque à tertia ad ſecundam perſonam, *Aequiùs enim* &c. & Reuerſio ad tertiam *Et ſibi*, quae reciprocat caſum rectum *Pater infelix* committitque ſuperiorem Datiuum *Filio pijſſimo*, apertam profectò reddit Parentheſim, etiam ſi illae notae ( ) ſolennes haud praefigantur, quae in maiuſculis literis locum non habere apud veteres, obſeruabimus infra lib. V. de Venuſt. Elogij. Datur autem Typographorum inſcitiae, quòd notas haſce apponant, minimè diſtinguentes priuatas tabulas à publicis, & quae codicibus contentae ſunt literae, ab his, quae ſunt natae marmoribus. Ita in Elogio II. Petri Adriani Vanden Broeche Flandro-belgae, de B. Hieronymo: *Pietas, quae in vſu, & habitu incrementa ſumit, in Hieronymo non creuit: Cum in ipſo adhuc puero (Caelo aetatem compenſante) fuerit ſemper maxima.* Quis autem neget Grammaticorum, Ablatiuum abſolutum, quale eſt illud, vti membrum cum reliquo periodi corpore cohaerere? Non ergo ea cenſenda Parentheſis; nec, ſi illam tueare, ſignare debueris, quia vſuuenit in Codice exarari, quae marmor ſuopte exigit iure. Sed inſiſtimus illam negare Parentheſim: Cùm ipſa non ſit aliud Auctore Vincentio Gallo noſtro, in Rhetore, quàm ſententiae interpoſitio ad ſenſum non neceſſariae. Atqui hic tam fuit neceſſarium aſſerere compenſationem aetatis à Caelo factam, vt reliquus ſenſus futurus fuerit incredibilis; nimirum in Hieronymi pueritia, quae rudis eſt aetas, pietatem fuiſſe maximam.

Quocirca longiuſculam Parentheſim reiectat Elogiaſtes, ſiue quia breuitati contrariam, ſiue perſpicuitati, quibus duabus partibus nihil ille habet antiquius. Tales videri poſſunt hae (Niſi ratio mox afferenda cenſuram hanc propulerit, vt quidem putamus) nimirum, Alberti Elogio de S. Thoma Aquinate: *Ardentibus oculis (eò enim ignes omnes concurrerant, niues pectoris deſenſuri) ſomnus complexus eſt fatigatum*: Iuglaris de Chriſto IESV inter Doctores reperto in Templo, Elog. XV. *licet domi Templum Maria habeat (nuſquam magis praeſente Numine, coram quo ipſa, & maritus nobiles Myſtae perenne ex ſe ipſis immolant holocauſtum) imminente tamen popularibus feſto die venire properat publicae pietatis in partem.* Vtrumque verò hoc Elogium, ſi totum perlegas, vt Panegyricae orationi ſimilius, quàm Elogio, à prolixitate iudicabis; ita Parentheſim quoquè licentiorem impunè concedes. Illae porrò breues ad decorum Elogij eiuſdem Iuglaris ibi Elog. XXIX. *Vis ſeuerus, & aſper videri; ſed (pace tua dixerim) neſcis. Repulſam qui patitur, non ita cruciatur, ac tu, qui das.* Et Elog. XXX. *Cuius Centurionis fides aequè Caeſaris, ac Dei caſtris probata Imperatoris vtriuſque (rarà felicitate) occupauit affectus.* Petri Adriani nuper memorati Elog. VIII. *Eremum Hieronymus, non Anachoretae munia egreditur: Quin (ſtuporem preme) Antiochiae vrbe populoſa Viſus Eremi incola, non Vrbis.* Auctor Epitaphij incertus:

CCXXXIX.

PARENTI. NATVRAE
CORPVS
ANIMAM. NON. HABVIT
ARISTON
RESTITVIT

In Epitaphio Brabantino de Franciſco Aguilare Aluarado: *Philippo III. ac Belgij Princ. A conſilijs militaribus. Cui denique (quod prudentem & fortem decuit) contigit in actu mori, nempe in caſtris* &c.

Accipe Epitaphium recens, quod totum citari poſtulat eius ſtructurae elegantia; in quo Parentheſis formam imitandam, maiuſculis exerimus, quo promptiùs dignoſcatur. Citat Sueertius in Inſcript. Brabantinis, videlicet:

D. O. M

CCXC.

D . O . M

CHRISTOPHORO . MONDRAGONIO . HEROI . FORTISS
Ab ineunte aetate per gradus glorioſiſs. militiae ſub imperio Caroli V. Caeſ. Imp. & Philippi F. eius nominis II. ad haec culmina euecto. Praeſ. turmae, & cohor. XXIII. VValonum bellicis conſilijs adlecto. Tranſmoſ. Prouinciae, & Zelandiae Gubernat deſign. Hiſp. Leg. Coh. XXVII. Arcis Gandauenſis, dein Arcis Antuerp. Praeſ. Qui nec pace nec bello, dum Neſtoream etiam ſenectam ageret, expeditione vnquam vacuus fuit. Adeò carus Deo, vt cum acie, praelio, excurſione toties conflixerit, quamuis hoſtica manu, ac telo ſaepe actus fuerit, nunquam MIRABILE DICTV, vulnus acceperit. Ob memoriam ſempiternae gloriae Heredes B. M. F. C. Obijt An. MDXCVI. Die III. Ian.

Hùc etiam aſſeri poſcit Romanum ex Roma Sacra Florauantis Martinelli, Trans Tyberim, non indignum exemplo:

CCXCI.

ANTONIO . MARTINELLO . PICTORI
PISAVR. ORIVND. ET . FERE . CVNCTIS . ARTIS . SVAE . PRINCIPIIS
ADOLESCENTI . CONSPICIVNDO . IVVENTVTIS . FLORE . EREPTO
NICOLAVS
AH . DESIDERIVM . AH . LACHRYMAS . FRATER . QVAS . RELINQVIS
PIAS . SACRAS . FACES . TVMVLVMQVE
DICAT
VIXIT . ANN. XXIV. OBIIT . AN. SAL. MDLXXIII. XV. CAL. IVLII
Dum ſtupet aequali, ac vinci Natura veretur,
Inuida in aequalem ſeuit, & intereo.

Caeterum de Parentheſi conſule Theſaurum ling. Lat. vbi venuſtiores indicat, quae particulis *qui*, *is*, *vt* reguntur, quas & ſubiectis exemplis illuſtrat.

Elogij Breuitati Officit Periphraſis

Membrum XIX.

PEriphraſin, niſi ſumma temperet breuitas, Elogiaſtes reijciet. Quippe, vt Gallus definit in Rhetore, eſt rei deſcriptio per plura verba, quae vnico pronunciari poterat. Itaque vbi paucis plura colligere propoſitum eſt, nae nihil cauetur impenſiùs, quàm Periphraſis. Hoc tamen ita interpretare, vt, ſi ea breuiuſcula fuerit, & Inſcriptio per ſe tota ſit molis exiguae, non excludendam putes, exemplis veterum eruditus. Sic apud Gruterum pag. XXVII. num. 2. Dea Cybele periphraſticòs effertur in hunc modum:

CCXCII.

MATRI . DEVM . ET . ISIDI
C. MENASIVS . C. FIL. FAB
SEVERVS . FANVM . REFECIT
ET . PRONAVM . DE . SVO . FECIT
EX . VOTO

Hanc eandem periphraſim Deae ſaepe leges. Aliam verò eiuſdem apud Grut. pag. XXXI. num. 7.

CCXCIII.

MAGNAE . MATRI
C. IVLIVS

Nec illa prolixior, qua diſcribitur Poeta Heroicus praeſtantiſſimus in Epitaphio Romano, quod citat Suueertius in ſelectis Delicijs

STATIVS

CCXCIV.

STATIVS . HIC . SITVS . EST . IVVENEM . QVEM . CYPRIS . ADEMIT
PRAECONEM . AENEAE . CAMINE . QVOD . PREMERET
STATIO . STATII . F. DVL
CISS. CHRISTOPHORA
MATER . PIENTISS. POS
VIXIT . ANN. XXXIII

Artificioſiſſima illa, nec ita omnibus praeſto, Periphraſis; elegantiae tamen ſummae, quò magis diſſimulatae artis, quam deprehendimus in Epitaphio apud Grut. pag. DCCCXXV. num. 19.

CCXCV.

M. VERGILIVS . NARCISSVS
VIXIT . ANN. XIIII

Nam id ipſum hìc ſonat *Vixit*, *atque Hic iacet mortuus*, *anno ſcilicet quartodecimo* aetatis ſuae. Plura de Periphraſi ſuprà, huiuſce libri membro VIII. Item libro V. cap.I. memb.IV. Artic.VII.

Quod ſi Periphraſis excogitetur nihilo numeroſior ſyllabis, quàm ipſum nomen rei deſcriptae, ea enimuerò cum breuitate leporem coniugabit; vt habet titulus ſepulcralis *Torquati Taſſi Poetae:Oſſa huc tranſtulit Bonifacius Card. Beuilaqua: Ne qui volitat viuus per ora virum, Eius* RELIQVA *parum ſplendido loco colerentur* &c.

Non decet fraudare ſtudioſos cenſura noſtra in marmor vetus apud Gruterum pag. DXII. num. 7. vbi male habetur Periphraſis. Nec enim bona dumtaxat monumenta Auctor legit, ſed boni promiſcuè ac mali ſeculi, vindicaturus, quoad eius fieri poſſet, antiquitatem omnem ab interitu, negocium relinquens integrum prudentibus ingenijs, vt inſtar Apis ingenioſae ſuccum è ſanis modò herbis delibent. Eſt igitur ita inſcriptum

CCXCVI.

TROPHIMI . AVG. LIB
RELIQVIAE . PVERI . QVONDAM
PHRYGII . PASTORIS
VIX. ANNIS . DVODECIES . SENIS
NAM . TERTIVS . ABSTVLIT . ILLVM

Annos ſi computes, interpretaberis, vixiſſe ſeptuaginta duos; nam ſeptuageſimus tertius illum abſtulit. Hoc verò malè ita indicatum ob Auctore; tùm quia loquendi obſcuritas lectorem cogit ad computandum non ſinè incommodo; tùm quia expeditius fuerit notis compendiarijs vti, de more; *Vixit Ann.* LXXII. Praeterquam quod non niſi inepta redditur illa ſententiae redundantia, *Nam tertius abſtulit illum*: Iam enim annorum curſus ad ſeptuaginta duos, ſimul metam indicauerat, ideſt mortem.

Ad Elogij Breuitatem Conducit Ellipſis

Membrum XX.

NIhil in Elogijs frequentius Ellipſi: neque enim promptior aliunde Laconiſmus. Eſt autem haec figura, vt Grammatici definiunt; Alicuius partis orationis ad plenitudinem ſermonis conſtituendam defectio: quae tamen pars facile ſubintelligitur; idque vel communi vſu loquendi, vel obiectu ipſo rei.

Primùm Communi vſu recepta fuit formula illa trunca *Equo publico*, vt eo donatus quiſpiam ſignificaretur. Ita apud Gruterum pag. CCCXC. num. 7.

CCXCVII.

D . M
C. CLAVDIO
L. F. FAB
SABINIANO
EQVO . PVBLIC
COLLEGIA
FABR. ET . CENT
TITVL. VSVS

Equo inquit *publico*, ſubaudi, quo donatus, ſeu honoratus fuerat: Habes namque ſuppletam huiuſmodi Ellipſim in marmore Macedonico apud eundem pag. CCCXCV. num. 4.

P. COR-

CCXCVIII.

P. CORNELIVS . ASPER. ATRIARIVS
MONTANVS . EQVO . PVBLICO . HONORATVS
ITEM . ORNAMENTIS . DECVRIONATVS . ET . IIIIIRALICIS
PONTIFEX . FLAMEN . DIVI . CLAVDII . PHILIPPIS
ANN. XXXVIII. H. S. E

Et haec ſcribendi formula vſitata erat antiquis, ſicut ad genus honoris: Hodie profectò duriuſcula honore ſuppreſſo; nec ſi ad alia genera trasferatur.

Eſt contra acceptus Graeciſmus ille (quippe inuectus legitimè in Latium) vt poſt Adiectiuũ ſequatur Accuſatiuus caſus ſubaudita Praepoſitione κατὰ, latinè *ſecundum*; Poetis multò familiaris, non ignotus hiſtoricis, nec planè peregrinus Elogiaſtis-Poetis quidem, vt *Os, humeroſque Deo ſimilis*: Virgil. Aeneid. lib. I. Hiſtoricis, vt *Ergo virum caetera egregium ſecuta, quam in petendo habuerat, etiam regnantem ambitio eſt* Liu. lib. I. Dec. I. Elogiaſtis demum, vt in vetuſto marmore Romano apud Gruterum pag. CCCCXLI. num. 3.

CCXCIX.

NERATIO . CEREALI . V. C
CONSVLI . ORD. PRAEF. VRB
CONDITORI . BALNEARVM
CVRSIVS . SATRIVS
PATRONO . OMNIA
PRAESTANTISSIMO

Numero quoque 6. eiuſdem paginae legitur eadem formula, *omnia praeſtantiſſimo*, ideſt *per*, vel *ſecundum omnia praeſtantiſſimo*.

è recentibus habes Albertum in tumulo Diui Thomae Aquinatis (quem totum pete infrà lib. V. de Venuſt.) cui clauſula eſt: *Ex hoc vno collige Hominem. Caetera fuit Angelus*.

Vſus etiam loquẽdi ſupprimit ſaepe verbum *Eſt*. Inde autem elegans, quamquam Grutero ſuſpectae veritatis, Inſcriptio vetuſta, quam is citat pag. CCCLIV. num. 2. ſed mendoſè inquiunt fide digni teſtes oculati, emendatè verò ita legitur:

CCC.

M . ANNAEO
LVCANO
CORDVBENSI
POETAE
BENEFICIO
NERONIS . CAESARIS
FAMA
SERVATA

Quod etiam licet obſeruare apud ipſum Grut. CCLX. 4. in Romano marmore, videlicet.

CCCI.

IMP. CAES. DIVI . ANTONINI . F. VERI . PARTH. MAX.....
DIVI . HADRIANI . NEP. DIVI . TRAIANI . PARTH. PRON. DIVI . NERVAE . ABN
M. AVR. ANTONINO . AVG. GERM. SARM. PONT. MAX. TRIB. POT. XX. IMP. VIII
COS. III. P. P
QVOD . OMNES . OMNIVM . ANTE . SE . MAXIMOR. IMPP. GLORIAS
SVPERGRESSVS . BELLICOSISS. GENTIB. DELETIS . ATQVE . SVBACTIS
S . P . Q . R

ſupergreſſus (ſupple) *eſt*.

Verbum quoque Actionis, v. g. *Poſuerunt*, *Dedicauerunt* vel quid ſimile: vt apud Gruterum pag. CCCLXVI. num. 6.

CCCII.

SEXTIAE
TI. F
ASINIAE . POLLAE
M. NONI . ARRII
MVCIANI . COLLEGIA
IVVENVM . BRIXIAN
OB . MERITA

Ibid. pag. L. num. 2.

CCCIII.

ARGIVE . VICTOR
HERCVLES
DONVM . HOC
TIBI . VRBANVS
PRAETOR
VELDVMNIANVS
IVNIVS

ſupone

ſuppone *Detulit*, vel *dicauit*. Et in Epitaphio apud Auctorem ſacroſ. Vetuſt.

CCCIV.

D . M
SEX . PETILIO . PRIMIGENIO
IVSTA . PATRI

ideſt *Perſoluit*. Id ipſum in Graecis tritum, vt apud Gruterum pag. CCCCVI. num. 10.

CCCV.

Λ. ΦΑΒΙΟΝ
ΚΕΙΛΩΝΑ
ΤΟΝ . ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΟΝ
ΕΠΑΡΧΟΝ . ΡΩΜΗC
ΥΠΑΤΟΝ . ΤΟ . Β
Η. ΜΕΤΡΟΠΟΛΙC
ΤΗC . ΓΑΛΑΤΙΑC
ΑΝΚΥΡΑ
ΤΟΝ . ΕΑΥΤΗC
ΠΡΟCΤΑΤΗΝ

ideſt *L. Fabium Cilonem clariſſimum Principem Romae Conſulem II. metropolis Galatiae Ancyra ſui ipſius Praeſidem* ſubintellige verbum Actiuum εἰσποιεῖ, hoc eſt *adoptat*.

Paſſionis item Verbum non raro ſubticeri docetur apud Gruterum pag. DCCLXXXIV. num. 3. in Graeca tabula, Romae ad D. Mariae Monticellij.

CCCVI.

ΦΛΑΟΥΙΑ . CΕΡΟΥΑΝΔΑ . Η. ΚΑΙ
ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ , ΠΑΝΑΡΕΤΗ
ΕΥΨΥΧΙ . ΜΕΤΑ . ΤΟΥ . ΟCΕΙΡΙΔΟC

ideſt *Flauia ſeruanda*, *quae & Agrippina Panarete* (ſubintellige *vocatur*) *concorditer cum Oſiride* (ſubintellige *poſuit*) Ita & Actionis, & Paſſionis verbum ſupprimitur breuitatis gratia. Huic latinum marmor haud quicquam abſimile, apud eundem pag. DCCLXXXVII. n. 7.

CCCVII.

D . M
GEMINIAE . TROPHIMES
QVAE . ET . TVRPILIA
C. GEMINIVS . HERMES
MANLIANVS
VXORI . CARISSIMAE

E recentibus Ioannes Andreas Albertus, Tumulo de D. Benedicto; *Viator huc aures*, *non oculos*; vbi facile ſub audis *intende*.

Alia orationis partes communis loquendi vſus ellipſicòs extriuit: vt apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. vetuſt. Titulus ſepulcralis Romae in Auentino.

CCCVIII.

VMBRICIAE . SEVERAE . VENVSTI

nimirum *Vxori Venuſti*. Illa quoquè non inſcita Ellipſis apud Grut. pag. DCCCXXXIX. num. 8.

CCCIX.

TORIAE . AGRIPPINAE
NIGIDIVS . CAPITO
MARITVS
PARVI . TEMPORIS.

Dictus eſt enim *maritus parui temporis*, vt & Ciceroni *Conſul vnius diei*, ſubintellige *ſpatio*, vel *curſu*. Ellipſis autem tuetur ab iniuria temporis ſuſpectam, quae alioqui trunca videri poſſet, Inſcriptionem apud Grut. DCCCCXXXII. 5.

CCCX.

LIBERTORVM
C. ARRENI . MARCIANI
ET . POSTERIS . EORVM
ET . QVI . IN . HOC . MONVMENTVM
TVENDVM . CONTVLERVNT

Ex more ſiquidem tumulorum ſuppletur titulus *Dijs Manibus*, à quo regitur genitiuus libertorum, quos indicat tumulatos: Datiuus autem *& poſteris eorum* cum ipſo titulo copulatur; non autem cum genitiuo, quaſi ſimul rectus à titulo; Nam cum poſterorum alij viuentes ſint, alij naſcituri, non dum profectò aliquid cum Dijs manibus habent.

Secundus ellipſeos modus ex obiectu rei naſcitur; Nam quae obuia ſunt ſenſibus, ea ſuperuacuum eſt indicauiſſe verbis. Itaque ratio breuitatis ſaepe dictat, ſubticere in Epigraphis nomen operis, cui illae apponuntur. Quod cernas in antiquis paſſim, vt in fronte Panthei Romae (citat Gruterus pag. I.) pedalibus literis excuſum etiamnum legitur.

CCCXI.

M. AGRIPPA . L. F. COS . TERTIVM . FECIT

hoc ſcilicet ipſum templum. Et in lapide milliario, de quo Gruterus pag. CLIII. n. 3.

CCCXII.

TI. CAESAR. DIVI. AVG. AVG. PONTIF
MAX. TRIB. POT. XXI. REFECIT
ET. RESTITVIT
IIII

nimirum *hunc lapidem milliarium*, quem ſubditus numerus quartum ſignat. Quod praeceptum vt firmius inhaereſcat, ſuadet inſiſtere alias ad exemplum cogendo inſcriptiones, alias ad cenſuram. Exemplo primùm hoc fuerit, apud Grut. pag. DCCCLXXX. num. 6.

CCCXIII.

T. MAXSVMA
TEST F. I

teſtamento ait fieri iuſſit, ſupple Molem hanc qualemcunque ſiue ſepulcrum, ſiue quid aliud praeſens cernitur.

Saepe cum re & Verbum actionis tacetur, quod cùm ex duabus Inſcriptionibus ſuprà allatis in Paragrapho *Verbum quoquè Actionis*, tùm ex afferendis eſt cernere. In aenea tabula Ferrariae, refixa (vt putatur) ab Ara Iouis, aut Signo eiuſdem, ita legitur.

CCCXIV.

PRO. SALVTE
IMP. CAESARIS
M. AVRELII. SEVE
RI. ALEXANDRI
PII. FELICIS. AVG
IOVI. OPTIMO. MAXIMO

tacitus ſubde *erexit Aram & Signum*, vel alterutrum. Eſt hoc genus Epigrapha Romana, in Arcu Titi (citat Gruterus CCXLIV. 3.) in quo ſculpta victoria, & pompa Triumphi, qua vectabantur ſpolia Hieroſolymitani Templi, Arca foederis, Candelabrum aureum ſeptem Lucernarum, Menſa panum propoſitionis, Tabulae Decalogi, & vaſa ſacra è puro auro. Ita verò legitur:

CCCXV.

SENATVS
POPVLVSQVE. ROMANVS
DIVO. TITO. DIVI. VESPASIANI. F
VESPASIANO. AVGVSTO

ſcilicet Arcum hunc triumphali pompa inſignem erexit, ac dedicauit.

Ex recentibus illa quò breuior, eò grauior, & magnificentior, in marmorea perampla tabula, cubitalibus literis, ad Portum Sfondratum, quam citat Sigiſmundus Boldonius germanus noſter in ſuo Lario, videlicet:

CCCXVI.

HERCVLES. SFONDRATVS
DVX. MONTIS. MARCIANI
ANNO. MDLXXXXVI

Supplet autem aſpectus loci, & ſitus *Portum hunc grandibus ſaxis fundatum, ac proxima munitum turri, ſuo iuſſu, & ſumptu perfecit*.

Vincit non modò recentia, ſed cum antiquis certat Marmor prope Piſas Via Florentina, in Ponte ita inciſum:

CCCXVII.

SICCITATI. PALVDVM. AGRORVM. CVLTVI
CAELI. SALVBRITATI. CONSVLENS. COSMVS
MEDICES. FLORENTIAE. ET. SENARVM. DVX
A. PARTV. VIRGINIS. AN. M. D. LVIII. CAL. NOV

quis autem non promptè ſubaudiat Verbum extruxit? Quis de opere quaerat interpretem, quod in oculos incurrit? Nullo propterea Elogio ſatis commendabitur Titulus Aedium Sanctae Inquiſitionis, ex tempore editus à Hiacyntho Libellio Ordinis ſacri Praedicatorum clariſſimo lumine, videlicet:

CCCXVIII.

EXERCENDIS
ADVERSVS. HAERESIM.. ET. CAETERAM. IMPIETATEM
QVAESTIONIBVS
ALEXANDER. VII. PONT. MAX

Quid

Quid caſtius ad laconiſmum? quid ſimul & perſpicuum magis in Ellipſi, & magnificum?

Reliquum eſt, vt in quaſdam veteres Inſcripriones, ſalua vetuſtatis veneratione intendamus, exercitationis dumtaxat gratiâ, ſtylum cenſorium. Inter ſpurias, & ſuppoſititias apud Gruterum, pag. X. num. 2. eſt, quae ita inchoatur: *HEVS. VIATOR. Si vlla tibi pietas ineſt, Verte huc ora.* Caſtiùs haud dubiè inſcripſiſſet, & ad Romanum candorem aptiùs: *Heus Viator, Si vlla tibi pietas, Huc aduerte.* Iucundior erit animaduerſio in alteram, & ipſam antiquam, apud Gruter. pag. DCCLXXIII. num. 8. in mole lapidea

CCCXIX.

CLODIVS. HOC. FECIT VXORI. SVAE.

Hanc quippe etſi breuem notis, laxam tamen, & redundantem reddit dictio *HOC*, quam tu meliùs diſpunxeris per Ellipſim: Non enim demonſtratiuo pronomine eſt opus, vbi ſe ipſa res, hoc eſt Moles lapidea commonſtrat oculis. Sed & Epitheton illud *SVAE* ſi tollas, numeris omnibus Laconiſmi per tria tantùm verba abſolueris.

CCCXX.

CLODIVS. FECIT VXORI

Quid? Deſidera Verbum, & preſſiùs ſtabit, & ſcitiùs; CLODIVS. VXORI. Accipe iam iuſtae magnitudinis Epitaphium; ſed ſuccinctae ex Ellipſi breuitatis, quod ſibimet inſcribendum dictauit M.Ant. Bonciarius Peruſiae Profeſſor, monſtrum hominis & ingenij, videlicet:

CCCXXI.

Adeò ſum viſus infelix, vt nemo mecum ſortem mutaſſet
*Adeò autem non fui, * Vt nec ego cùm quoquam **
*Iuſtus eſt Deus; Aequè ſingulis indulget; Vt liberis Pater, * infirmis vt Mater*
*Alia * te Hoſpes volebam, & tu expectas*
*Qui, * Vnde, * Quamdiù **
*Sed fruſtra **
Propediem nobiſcum futurus
*Dico propediem **
NOA etiam ſi fueris, aut SALEM. Licet obſtupeſcas
Hoc celeriùs iter conficies, quò plenior ibis annorum
*Igitur coràm **
*Tu roga, vt beati * quod poteſt **
*Non vt tardi * quod non poteſt*

Aſteriſcus ellipſeos index eſt; vide, quàm frequens! ſed meliùs, vide, hinc quàm breuitas elegans!

Ad Elogij Breuitatem Conducit Zeugma

Membrum XXI.

Est Zeugma (Latinè *Nexus*) optimum in paucis Elogio arctando. Ita enim definitur; Figura, quae, quod in oratione deſideratur, è proximo aſſumit, inuariatis accidentibus Generis, Numeri, Caſus, & reliquis. Cuius in Rhetoricis tradunt exemplum ex Cicerone in Catil. *Vicit pudorem libido, timorem audacia, rationem amentia.* Vbi verbum *vicit* ſecundo, ac tertio loco ſubauditur ex primo. Et ex Plinio in Panegyrico ad Traianum luculentiùs: *Non enim periculum eſt, ne, cùm loquar de humanitate, exprobari ſibi ſuperbiam credat; cùm de frugalitate, luxuriam; cùm de clementia, crudelitatem; cùm de liberalitate, auaritiam; cùm de benignitate, liuorem; cùm de continentia, libidinem; cùm de labore, inertiam; cùm de fortitudine,*

 timorem.

timorem. Nam quae in primo horum membrorum verba ſonant, *loquar*, *exprobrari ſibi credat*, ea in ſubſequentibus intelligas.

Hinc ergo vena non ſterilis ad Elogij breuitatem, vt recentia exempla monſtrant. Aloyſius Nouarinus Elogio de B. Caietano: *Fugientem ſequuntur honores*, *ſequentem fugiunt*. Et; *Ad honores humilis rapitur*, *non aſcendit*. Et: *Eò firmiùs Deo credidit*, *quò nihil ſibi*. Et: *Fidem moribus animauit*, *mores fide*. Et: *Verè Deo non credit*, *qui credit tantùm*. Et in enumeratione idem ibidem: *Salutem aegris attulit*, *ſpem fractis*, *afflictis opem*, *morientibus vitam*. Inſigne eſt dictum Auctoris Epitaphij in Ortelium Antuerpienſem: *Vitam habuit*, *quale alius votum*. Hieronymus Imolenſis in Epitaphio Aloyſij Putei (quod citat Suueertius in Select. Delic. inter Bononien.) *Quem*, inquit, *omnes*, *qui aliquam eruditionis*, *adminiſtrationiſque famam in familiam ſuam attulerunt*, *Magiſtrum*: *Qui remp. Franciſcanam adminiſtrarunt*, *exemplum ſibi adſciuerunt*. Epitaphium Viennenſe, Ara VIII. (habet Suueertius in Sel. Del.) de Anna Maria Dietrichſteiniae, *Summae erga Deum religionis*, *erga maritum fidei*. Et Genuenſe (apud eundem) de Federico Spinola, qui *liberalitate exprompta laeto lepidoque ingenij vigore obligauit ſibi publicè omnes*, *priuatim ſingulos*. Quibus in locis, & ſimilibus ſalua perſpicuitate ſententiae paratiſſimum eſt Lectori aſſumere, quod deeſt, è proximo, & ſupplere conſtructionem.

Prompta hinc fiet animaduerſio in Epitaphium recens, apud Suueertium ibid. inter Rauennatia, caeterà bonum, ſed adhibito Zeugmate abſoluendum: Videlicet.

CCCXXII.

IACOBVS . ARIGONIVS . HEIC . SITVS . EST . HOMINEM . MORS EXTINXIT . ANNO . AET . SVAE . LIII . SED . * EXTINXIT . VNO . IN HOMINE . MVLTAS . VIRTVTES . ARTIS . MEDICAE . SCIENTIAM EXIMIAM . PERPETVAM . IN . OMNI . VITA . CONTINENTIAM . DENIQVE PIETATEM . IN . DEVM . HVMANITATEM . IN . OMNES . HOMINES MIRIFICAM . QVAE . SVBLATA . EX . OCVLIS . VIGEBVNT . IN . ANIMIS MEMORIAQVE . MVLTORVM . IACOBVS . ARIGONIVS . NEPOS . AC MEDICVS . POS

Tu, vbi aſteriſcum cernis, ſubmoueto Verbum *extinxit*, quod nimirum è proximo aſſumendum: ita enim quantò nitidiùs leges?

Placet proferre Delmonacum Elogiaſten primarij, cuius inter politiſſimas Inſcriptiones de B. Auellino ſuo, haec maximè in rem facit

CCCXXIII.

BEATO . ANDREAE . AVELLINO .
CLERICO . REGVLARI
SVMMIS . CAELITVM . ORDINIBVS . ADOPTATO
QVOD
EXACTVM . PRIMVM . CONGREGATIONIS . SECVLVM
SVA . LVCE . CLAVSIT . NOVVM . APERVIT
CLERICI . REGVLARES
GRATIAS . PARITER . AGVNT

Nouum inquit *aperuit*, ſcilicet *Congregationis ſaeculum*. Accedat Epitaphium recens Brabantinum à Suueertio citatum in Brabant.

CCCXXIV.

D. O. M
BAPTISTAE . SPINOLAE
PATRICIO . GENVENSI . VIRO . INTEGERRIMO
CVIVS . LIBERALITATEM . AMICI
CHARITATEM . PAVPERES
MVNIFICENTIAM . RELIGIOSI . ORDINES
SENSERE

Haec

Haec fortè copioſiùs nos, inquies, quàm vſus poſceret. Sed malumus abundet Lector, quàm inopia laboret.

Ad Elogij Breuitatem Conducit Syllepſis

Membrum XXII.

Similis figura Syllepſis, per quam nimirum quod deſideratur, è proximo item aſſumitur, ſed variatis attributis ad ipſius cum proximo conuenientiam. Eius generis eſt vetuſta Arae Inſcriptio, in Circo Romano ad primas metas ſub terra defoſſae:

CCCXXV.

CONSVS . CONSILIO
MARS . DVELLO
LARES . COMITIO
POTENTES

Conſus (diceret) *conſilio potens, Mars duello potens* &c. At haec, inquis tu forſan, Grammaticorum ſunt. Eſto: ſed exemplis Elogiaſtarum illuſtrata putere non debent. Semper autem erit, quod ex his praeter rem grammaticam haurias, dignum induſtria ſummi Elogiaſtae. Accipe ergo ex Iuglare in funere Ducis Sabaudiae Inſcriptionem primam, quae eſt ad Lectorem diſceſſurum, cuius ſanè clauſula per ſyllepſim formata totam poſcit citari Epigrapham: videlicet

CCCXXVI.

PERDIDISTI . DOLORIS . TVI . FRVCTVM
VIATOR
NISI . RECEDAS . MELIOR . QVAM . VENISTI
PERACTVM . PRINCIPIS . FVNVS . EST
TVVM . INSTAT
NEC . TV . ALTITVDINE . TVTIOR
NEC . VICTORE . FORTIOR . ES
MORTVVS . ILLE . SECVRITATE . QVA . VIXERAT
DEVM . DOCVIT . TIMENDVM . ESSE
NON . MORTEM

ſubintellige poſtremo verſu, *timendam eſſe*. Vbi verò ait: *Nec tu Altitudine tutior es*, alludit ad vulgarem honoris titulum, quo Dux eius notae appellabatur; à quo quidem titulo Author in Latina Inſcriptione puritatem ſectatus abſtinuiſſet. Non minùs obſeruanda clauſula Epitaphij Louanienſis, apud Suueertium in Select. Delic. ſed illud totum citare non erit, Lector, diſpendium operae. Eſt autem poſitum in Sacello Collegij Dalenſis

CCCXXVII.

D . O . M
ET
P . M
R. VIRI . PETRI . VAN . DALE . ARNOLDI . F. I. C. DECANI . ALOSTENSIS
CANONICI . ANTVERP . TOPARCHAE . IN . BALLAER . GHESTELE
BEERSELE
QVI . IN . LAVTA . RE . ET . SVPRA . PRIVATVM . MODVM
MODESTE . PROVIDE . PIE . EA . VSVS
COLLEGIVM . HOC . INSTITVIT . VECTIGALIBVS . INSTRVXIT
ALENDAE . IN B. P. IVVENTVTI * *in bonum publicum*
NATVS . ANTVERPIAE . ANNO . CIƆ . IƆ . IV. IBIDEM . OBIIT
ANNO . CIƆ . IƆ . LXXXII
HIC . MONVMENTVM . HABET . OSSIBVS . EIVS . VOLVNTATE
TRANSLATIS
VT . ANIMA . EIVS . IN . BEATAS . SEDES
TV . APPRECARE . PIE . LECTOR

penultimo verſui ſubintellige verbum *transferatur*, ſumptum ex participio praecedente *tranſlatis*. Nec temnendus tractus Epitaphij Brabantini (apud eundem) de Ioanne Hauenſi: *Cuius eruditionem Academiae, facundiam Templa, integritatem vitae omnis Ordo veneratus eſt.*

Ad Elogij Breuitatem conducit Prolepſis

Membrum XXIII.

HAec porrò figura bifariam ſtruitur: Aut ſi dictio praecedat ſignificans Totum, quae dictio deinde in partibus intelligitur: Aut contrà, ſi partes Totum praecedant. Prioris generis, vt apud Salluſtium in Proëmio Coniurat. Catil.: *Igitur initio Reges diuerſi, pars ingenium, alij corpus exercebant.* Et Liuium lib. I. Dec. I. qui de Templo Iouis per Tarquinium Superbum excitato ait: *Inde ad negotia vrbana animum conuertit, quorum erat primum, vt Ioui Templum in Monte Tarpeio monumentum Regni ſui, nominiſque relinqueret, Tarquinios Reges ambos, Patrem vouiſſe, Filium perfeciſſe.* Ex quo promptum cuiuis fiet ad formam Elogij inſcribere Templo hunc titulum:

CCCXXVIII.

TARQVINIORVM . REGVM . OPVS
PATER . VOVIT
FILIVS . PERFECIT

Prolepſi formatum legitur Epitaphium recens apud Suueertium in Brabantinis, videlicet:

CCCXXIX.

RESVRRECTIONI . SACRVM
G E M I N I
FRATER . ET . SOROR . HIC . IACENT
MVNDVM . THEATRVM . IMMVNDVM
VIX . INGRESSI . CITO . EGRESSI
ILLVM . IN . MATRIS . VTERO . HANC . BIMVLAM . MARIAM
MORS . ABSTVLIT
CIϽ. IϽ. C. III. VIII. CAL. SEPTEMB
BALTHASAR . DE . SMIT . ET . IOANNA . VAN . EECKEREN
PARENTES . MOESTI
HOMO . CERTE . BVLLA

Obiter autem tuemur aduerſus Cenſores titulum ille *Reſurrectioni ſacrum*. quidquid praecepiſſe aliter videamur lib. II. Claſs. VII. Memb. XX. Nam ibi reprehendimus dictum Suueertij *In Sacello Circumciſionis*: Titulum autem tumuli *Reſurrectioni ſacrum*, qui tumulus hic à nobis allegatur, non minùs defenditur, quàm illi *Aeternitati S*; *Memoriae S*; *Securitati S*; *Quieti aeternae S*; *Somno aeternali S.* & alij huiuſmodi etiam apud antiquos boni ſeculi; Niſi quod ſomnum aeternum nouerant antiqui; Reſurrectionem haud nouerant; quam nos lumine caeleſti afflati & nouimus, & conſtanter confitemur, anhelamuſque. Porrò in rem noſtram Epitaphium proximè citatum ſimilitudinem gerit in hac parte cum antiquo illo apud Gruterum pag. MCXLV. num. 9.

CCCXXX.

D . M
VARIO . EVDAE
MONI . CONIVGI
BEN. . MER
AGRIA . INGENVA
ET . VARII
INGENVVS . ET
EVDAIMON. FIL

Ac ſicut in ſuperiore Dictio *Gemini* Genus eſt, ſeu mauis dicere, Totum, quod in ſubiecta diſtribuitur *Frater & Soror*; haud ſecus in poſteriore Dictio *Varij* quam aequè participant *Ingenuus*, *& Eudaemon*. Similem huic habes Titulum ſepulchri apud eundẽ Grut. MCLIII. 10. videlicet:

D . M

CCCXXXI.

D . M
Q. FLORI
SABINIANI

FLORI . RES
TITVTA . ET
CANDIDVS
PARENTES

Sunt quippe eiuſdem cognominis, ideſt *Flori* ambo coniuges hominis defuncti parentes Reſtituta, & Candidus. Quod ibi de parentibus, hoc alibi de ſororibus apud eundem pag. CCCCXXVIII. num. 3.

CCCXXXII.

SEX. LAETILIO
SEX. F. FABIO
FIRMINO
VI. VIR. AVG
LAETILIAE
VERA . ET . SECVNDA
FRATRI . PIISSIMO

Lepidior ille titulus apud eundem, quodque nonnunquam offertur imitandum, pag. DCCXXV. num. 11.

CCCXXXIII.

D . M
C. CINCIO
SALIANDRO
PATRI . DVLCISSIMO
FECERVNT
C. C. C. C. CINCII
MARCIANVS
IANVARIVS
SEVERVS
HERCIANIVS

illis autem literis C quaternis indicantur vſitato veteribus more quatergemini *Caij* & ij fratres, eiuſdem autem cognominis Cincij: ita praenomen illud quadruplex, cum cognomine pluratiuo gerit munus Generis ad ſubiectas ſpecies propriorum quatuor nominum *Marcianus*, *Ianuarius* & caeteri.

Poſterioris autem modi, hoc eſt Partium praecedentium Totum, Et ſpecierum Genus, dabit exemplum Gruterus in Spurijs pag. XIV. num. 8.

CCCXXXIV.

D . M
P. ATILIO . RVFO . ET . ATILIAE . BERONICAE . VX
VIXER. ANN. XXIIII. SED . PVBL. MEN. X. ANTE
NATVS . EST . ET . EADEM . HORA . FVNGORVM . ESV
AMBO . MORTVI . SVNT . ILLE . ACV . ISTA . LANIFICIO
VITAM . AGEBANT . NEC . EX . EORVM . BONIS . PLVS
INVENTVM . EST . QVAM . QVOD . SVFFICERET . AD
EMENDAM . PYRAM . ET . PRAEFICA . CONDVCTA
ET . VRNA . EMPTA . ATQVE . INDVLGENTIA
PONTIFIC. LOCVS . DATVS . EST

En prolepſim ſpecierum *ille acu*, *iſta lanificio* ad Genus *vitam agebant*. De hoc autem ſchemate plus ſatis dictum.

Ad Elogij Breuitatem Conducit Emphaſis

Membrum XXIV.

Emphaſis, Timantis tabula, in qua plus cernitur, quàm ſit expictum; ſeu planiùs ex placito Rhetorum; figura eſt, quae plus ſignificat, quàm dicit; & altiorem praebet intelligentiam, quàm ipſa per ſe declarent verba. Habet haec in Laconiſmo principem ſedem. Cuius extat inſigne exemplum apud Virgilium Eclog. III. vbi indignatus Menalcas in Damoetam gloriabundum de victo ab ſe carminibus Damone, ait, *Cantando tu illum?* quo in loco non ob hoc tantùm ineſt breuitas, quia ſuppreſſum ſit per ellipſin verbum *Viciſti*; ſed ob emphaſim

phaſim in vocibus *Tu*, & *Illum*, quaſi diceret *imperitus*, *peritum*. Sed ab Inſcriptionibus petenda nobis exempla; & primùm apud Gruterum pag. DCLXX. n. 3. Eſt apud Viennam

CCCXXXV.

ARIOMANVS
ILIATI . F. BOI
ANNORVM
XV
H . S . E
PATER . POSVIT

Nam quod Adoleſcentulus ad tumulum properauit, & Pater titulum poſuerit, vtrumque dictum ſenſu doloris praegnans: quippe illud annis praefeſtinatum, hoc naturae praepoſterum. Pagina verò DCCCCLXXII. num. 13. geminatur emphaſis ad exprimendum viuidiùs effectum, videlicet:

CCCXXXVI.

C. CVRTIVS . C. L. ANTIOCHVS
PATER
ET . ARICINIA . NAIS
MATER
BASSO . FILIO . POSVERVNT
DEBVIT . HOC . NATVS . NOBIS . PRAESTARE . DVOBVS
VT . CINERES . PATRIOS . DEDERET . INFERIS ⋆ *inferijs*

Eſt & ingens doloris expreſſio in Emphaſi, apud eundem ibidem num. 5.

CCCXXXVII.

T. ARRIO . T. F. ETRO . TERTIO
ANN. XXI
MVTIA . T. F. MODESTA
MATER . V. F ⋆ *Viuens fecit*
SIBI . ET . T. ARRIO . M. F. VIRO

In illo enim *Mater*, & *Viuens Fecit* vix emphaſim verba aſſequuntur: quaſi dicat: Tumulum fecit (ò ordinem naturae turbatum!) non matri filius, ſeniori iunior; ſed filio mater, & illi aetate florente: ſeu: An tumulum fecerit filio aetate florenti mater, & viuat? meritò traxit in illam trenodiam dolor, vt eidem tumulo ſubſcriberet:

CCCXXXVIII.

INVIDA . FLORENTEM . RAPVERVNT
FATA . IVVENTAM
NEC . LIQVIT . MISERO . ME . SVPER
ESSE . MEIS
FLEVIT . PRAESENTEM . MATER
FLEVERE . SODALES
ET . MATER . TEPIDO . CONDIDIT
OSSA . ROGO
QVAE . PRIVS . HOC . TITVLO
DEBVIT . IPSA . LEGI

Miram emphaſim ſpirat ille etiã tumulus apud Gruterum pag. DCCLXXXIV. num. 1.

CCCXXXIX.

D . M
FLAVIAE . QVIN
TILLAE . Q. F. ET
L. CVRVLLO . CON
IVGI . IMPATIENTIS
VNA . H. SVPERSTITI
P. QVINTILLVS . VIX
DOLORE . V
ET . S. H. M. P. C

⋆ *Flauiae Quintillae Quinti Filiae, & Lucio Curullo Coniugi impatientiſſimo vna hora ſuperſtiti Publius Quintillus vix dolore viuus & ſibi hoc monumentum ponendum curauit.*

Latet autem emphaſis in illo: *Et ſibi hoc monumentum ponendum curauit*; veluti ſibi quoquè mox morituro prae animi angore; ſeu *&* *ſibi* illis iam emortuis nolenti ſuperuiuere; ſeu *&* *ſibi* ſubſecuturo illos ad ſedes infernas. Repete ex Prographica (pag. 2.) Epitaphium Aemilij Pauli Papiniani, cuius quantùm emphatica ſit clauſula, animaduerte: *In ſenio*, inquit, *heu parentes fecerunt filio optimo*; quùm nimirum in aetate caduca parentes maximè habebant opus

educatae

educatae iam, & validae prolis ſubſidio, ea ſe orbatos, ac deſtitutos vident. Pendenda eſt item ſententia grauitatis plena in Epitaphio apud Auctorem Sacroſ. Vetuſt.

CCCXL.

IVLIA . L. F. PRISCA . VIX . ANN . XXVI
Q. CLODIVS . HILARVS . VIX. ANN. XLV
NIL. VNQVAM . PECCAVIT . NISI . QVOD
MORTVA . EST

An potuit innocentiam luculentiùs declarare, quàm ream facere eius facti dumtaxat, quo nihil minus eſt in hominis poteſtate? Non multùm diſſonat ab illo apud Grut. pag. DCCCCLXII. num. 9. quod extat Romae

CCCXLI.

DIS . MANIBVS
AVGVSTALIS . IVNI
FECIT
ABASCANTIVS . IVNI
DE . QVO . NIHIL . DOLVIT
NISI . MORTEM . EIVS

ita obliquè remouet ab eo omnem omninò querelae ſuſpicionem, nullique cenſurae declarat obnoxium. Ille autem tumulus emphaſim clamoſiorem edit ex ipſa tacita breuitate, quàm faciant ſuperiores allegati multis querelis. Citatur apud Grut. pa g. DCCCCXX. num. 8.

CCCXLII.

L. VALERIVS . MARCELLINVS
NEPOS
L . D . D . D

ſcilicet quae habetur in humanis ſumma felicitas, vt quis nepotes, ideſt filiorum filios videat à quibus ſtabilimen familiae, & ſenectae ſolatium paratum iutelligat. quàm fiet illud acerbum, ſi nepotes videat tumulatos? Haec certè res deturbare valet de mente miſerum Auum, vt ipſa tumuli comparandi cura ſuſcipienda reſtet ob patriam charitatem Decurionibus Ciuitatis; id quod indicant ſubiectae notae ſingulares L. D. D. D. *Locus* nimirum *datus decreto Decurionum*. Sed enim erumpit in luctum titulus apud Gruterum in Spurijs pag. XXVI. num. 3.

CCCXLIV.

H A V E
L E R I A
O M N I V M
A M A N T I S S
V A L E

Nam *Vale* abeuntibus dicitur; at obeuntibus aeternùm dicitur, eò acerbius, quò amamus ardentiùs; diuortium quippe nobis indicimus ſempiternum.

Neque verò ſterilis manat vena huiuſmodi ab hiſtoria, ad quam alludendo multa vno inferuntur verbo. Tale cernes Epitaphium ab Appiano citatum, relatumque à Grutero inter Spuria; nobiliſſimum illud tamen quoquo ſit cuſum ſeculo.

CCCXLIII.

A N N I R AE
D. P V C I L L AE M
PVELLAE . IN
COMP
D I D V S . AE
MVLATRICI
MOESTISS . PA
RENTES

Vbi enim audimus hanc aemulam Didus (hoc eſt Didonis) ſtatim & formoſiſſimam intelligimus, & caſtam, & viraginem, & ſolertem; ſimul & ob deſertorem amaſium (vt fabulatur de Dido Virgilius) vel ob tentatam (vt de ea veriùs produnt hiſtorici) pudicitiam, ſibimet mortem conſciuiſſe. Quàm verò iuſtè è tanti boni iactura conuenit parentibus appellatio *Moeſtiſs.*?

Inter recentiores hoc in genere Albertus palmam refert in Tumulo Diui Bernardi, quem non pigeat totum legere.

CCCXLIV.

H O S P E S
MELLIS . OPVS . HAC . VRNA
CLAVDITVR . CVM
B E R N A R D O
E . SPINIS . TAMEN . NON . FLORIBVS
LECTVM . EST
SED . QVA . SIT . DVLCEDINE
INDE . COLLIGES
FVNVS . ETIAM . DVLCE . REDDIT

Clauſula

Clauſulam hanc Emphaſi animatam vides; quaſi legas: Quod eſt natura acerbum, atque auſterum, efficitur dulce; tam eſt mellita defuncti hìc iacentis memoria. Alludit autem ad characterem melleum Bernardi, qui è iugi memoria cruciatuum, quibus fuit affectus Chriſtus Seruator, ſuxit ſenſum pietatis, ipſo dulciorem nectare. Similis ſui Albertus exiſtit in Tumulo Diui Ignatij Loyolae Auctoris Societatis Ieſu.

CCCXLV.

AENEAM . VRNAM
MARTIS . TORMENTVM
NON . ARGVMENTVM . MORTIS
SPECTAS . VIATOR
IGNES . CLAVDIT . SINV . NON
CINERES
NE . BELLO . CESSISSE . PVTES
DVCEM . NOSTRVM
I G N A T I V M
CVM . DECESSIT
HINC . ETIAM . HOSTEM . QVATIT

quid autem (vt emphaſim meliùs percipias) ad apparatum bellicum formidoloſius, quàm vt Imperator vèl extinctus clades intentet?

Non eſt contemnenda phraſis Sigiſmundi Boldonij in Dedicatoria Poëmatis ſui Heroici de Philippi Regis Hiſpaniarum obitu: eſt enim illa numeris Laconicis concinnata: praeque alijs hoc habet: *Regum Maximorum caſus coaeui mundo ſunt*: plus autem dixit, quàm *perpetuum habent luctum*, vèl *tempore nullo moerorem terminant*.

Nec obſtat propoſitae breuitati, quòd aliquando Emphaſis ex vna dictione duas conflet; cùm nimirum vtitur negatione contrarij pro poſitiuo. Quod vſurpauit Ioannes Dominicus Roſcellus alumnus Seminarij Genuenſis, Elogio de Prudentia Stephani Duratij Cardinalis, & Archiepiſcopi: *Nihil*, aiens, *illi ſubitum. Lentè conſulit: Conſulta exequitur NON CVNCTANTER*. quae negatio maiorem poſitione vim exerit. Sic Liuius lib.II. Dec.I. ſummum omnium expreſſurus terrorem ait: *Non vnquam aliàs ante tantus terror Senatum inuaſit*, pro *Nunquam*: Ita diſſoluta in duas dictione paruo certè pretio literarum fit ad emphaſim maior impetus.

Elogij Breuitas Synonymis gaudet breuioribus

Membrum XXV.

CVm è Synonymis ſint alia alijs breuiora, longioraue ex numero ſyllabarum, ac literarum; breuiorum ſane delectum Laconiſmus ſuadebit. Exempli gratia. Pro *Itaque* dicet *Ita*; pro *Etiam*, *Et*; pro *Etenim*, *Enim*; pro *Quare*, *Quò*; *Qui*, pro *Ille qui*; *Quoties*, pro *Quotieſcunque*; *Vt*, pro *Poſtquam*; *Saepe*, pro *Saepenumerò*; *Vt vt*, pro *Vtcunque*, vel *Quomodocunque*; *Ni*, pro *Niſi*; *Queis*, pro *Quibus*; *Poſt*, pro *Poſtea*; *Quinto die quàm*, pro *Quinto die poſtquàm* &c. Simplicibus quoquè vocabulis poſthabentur Compoſita, vt exemplis ſubiectis demonſtrabitur. Et primùm ex Grutero pag. CCXXV. num. 3. legitur

CCCXLVI.

DIVO . IVLIO
LIB. IVL. EBORA
OB . ILLIVS . IN . MVN . ET . MVN — * *in municipium, & municipes*
LIBERALITATEM
EX . D . D . D — * *ex Decreto Decurionum*
QVOIVS . DEDICATIONE — * *cuius antiq.*
VENERI . GENETRICI — * *Genitrici*
CESTVM . MATRONAE
DONVM . TVLERVNT

habes in huius clauſula verbum ſimplex *Tulerunt* pro Compoſito *Contulerunt*. Et pagina DCCLVII. num. 4.

L. ARISTILLVS

CCCXLVII.

L. ARISTILLVS . MARTIVS
GELIDVM . HOC . MARMOR
GELV . ET . MOERORE . ET . IPSE
CONFECTVS
ALBINAE . MARTIAE . VXORI
PIENTISSIMAE
VIX. ANN. XIX. DIES . XIIII

& ipſe, inquit, *confectus* pro *etiam ipſe confectus*: Neque (quod maximè obſerues) vetuit ſcrupulus obſcuritatis ex praecedente proximè coniunctione altera ſimili, *Gelu*, *& Moerore*. Ita de Ludouici Regis obitu in ipſo triumphali die Chriſti ad Caelos aſcendentis claudit Iuglaris Elogium XXXVII. in hunc modum: *Nec malè dubites, illum in nube ſublatum. Alioquin vnde in CHRISTIANAE ſerenitate tot pluuiae, niſi à Nube, Quae & hunc illi Solem eripuit?* Solue *&* in *etiam*, efficies numerum languidum.

Contractae per ſyncopam dictiones Elogium aſtringunt numeris, vt in vetuſtis marmoribus (Gruter. pag. XLX. num. 9.) *Fabrum* pro *Fabrorum*.

CCCXLVIII.

P. VALERIVS . BASSVS
PRAEFECTVS . FABRVM
ET . CECILIA . PROGNE
DIANAE . VALERIANAE
D . D

Deum, non Poetae modò, pro *Deorum*, ibid. pag. XXVIII. num. 2.

CCCXLIX.

DIS
MAGNIS.
MATRI . DEVM . ET . ATTIDI &c

& alibi paſſim. Ita *Duum*, pro *Duorum*. Gruterus in Spurijs pag. XXIV. num. 6.

CCCL.

O. LECTOR . INFELIX . HOC
MONVMENT . ADESDVM . TE
VOCAT . ET . POST . INDE . ROGAT
IN . QVO . RECIDIT . HVMANA
VOLVPTAS . VT . LEGAS . DVVM
CINIS . HIC . AMAN. EST . &c

pro *Duorum cinis hic Amantium eſt*. E recentibus apud Suueertium in Select. Delic. inter Viennenſia, ARA VI. legitur *Duum vix Menſ.* pro *Duorum vix Menſium*.

Non omittendam hoc loco putamus ſententiam Iul. Caeſaris Scaligeri de Cauſ. linguae Lat. lib. IV. cap. LXXXV. Per Initia Latinos, more Graecorum vſurpaſſe Genitiuos pluratiuos, dixiſſeque *Meum*, *Deum*, *Liberum*, pro Meorum, Deorum, Liberorum; ita non per ſyncopen tunc illas enunciatas, ſed integras fuiſſe voces. Vtcumque fuerit, nos trita Grammaticorum ſectamur veſtigia.

Ex duabus quoque in vnam dictionibus contractio hùc facit: Vt apud Suueertium in Monum. Brabantinis, Inſcriptio Hortorum Halderianorum Alberti Struzzi, Auctore Erycio Puteano, habet: *Vin' etiam, quod voluptatem iſtam vincat? Herum reſpice delicium merum* &c. pro *Viſne?* Ita *Viden'* pro *Videſne*, & ſimilia.

Cauenda porrò eſt adfectatio, ne ſynonymorum breuitati inſiſtendum ſemper putemus. Nam & frigidè, & poëticè inſcripſit Auctor quidam Epitaphij: *Ter quintum aetatis annum*, vt ſyllabarum duarum compendium faceret in voce *quintumdecimum*, quae decentiùs audita fuiſſet.

Elogij Breuitati Numerorum inſeruit Diminutio.

Membrum XXVI.

NVmeri decrementum in Membris, Inciſis, atque Epithetis ad Breuitatem ſimul conducit, ac Venuſtatem; Si nimirum ad pauciores ſyllabas, aut literas declinet ſententia. Eſt Oratori cum Elogiaſta commune. Cic. pro Mil. *Valeant, Ciues mei, ſint incolumes, ſint florentes, ſint beati.* Vbi inciſum primum ſyllabis ſeptem conſtat, alterum quinque, tertium & quartum quatuor; ſed literis quartum, quàm tertium, paucioribus. Exemplum in Elogio dabit Pona, Coronae Amicorum Heroum ita penultimum claudens verſum:

Diuitias

CCCLI.

Diuitias, Vitam, Famam
Vterque pro Amico
V b e r r i m è
ſ t r e n u è
ſanctè
p r o d e g i t.

Et Pictor tabulam Patrono porrigens ita Inſcriptionem peragit:

Ingenium, Manum, Cor
Dedicat, Sacrat

Delmonachus in Trophaeis B. Andreae Auellini ſic Inciſa, & Membra diminuit:

Inuicto ſuo Triumphatori
Ad alterius nutum compoſito
Ad votum facto

Ibidem

Diuitiarum Apoſtolico auſu contemptori
Irriſori Terrenorum
Cui nullae riſere opes, vt poſt illas abiret
Nullae illicium fecere, vt caderet &c

Alexius Ledeſma Elogio in Donatum Supernium

Vt illibatum Numinis cultum
Armorum licentia labantem
Pietate reſtitueret
Exemplo firmaret

Iugliaris de Natali Delphini Gallorum Principis, Inſcriptione IV.

Telluri Dies inuideat nouum Solem
Nox noua ſidera

& Elog. XII. de Rupellae expugnatione, impoſito Mari nouo littore, ſeu aggere:

Illuſtrata moles eſt Anglorum ignibus; Non accenſa

Ibidem:

Clauſum ratibus mare, apertum militibus
Tantali ſupplicijs ita vexare perfidos coepit
Vt ijs ſemper panem oſtenderet,
Nunquam daret.

Idem ita Elogium Decimumquartum orditur:

Arces Ludouicus haereſi eripuit
At non dentes &c

Plura, atque adeò paſſim exempla offendes apud Laconicos Elogiaſtas; rara enim apud Laxos, & Aſiaticos.

Elogij comes indiuiduus Laconiſmus.

Membrum XXVII.

IN verbis hactenus contemplati ſumus Elogij caſtitatem; reſtat, vt in Sententijs quemadmodum teneatur, ſubiecto Romano exemplo noſtri temporis, proponamus. Vno quidem contineri vult ipſa, quae hoc loci commendatur caſtitas; & quae non tam ſpecie ſua, quàm neceſſitate interdum temporis exigit Elogiaſtae intentiſſimum ſtudium. Siquidem fit ſaepenumerò (inuidia non dicam temporum, ſed inſcitia Opificum, atque Curatorum operis) vt ratione poſthabita incidendarum literarum, quae marmori vitam indere dici poſſunt, tota Opificis induſtria in erectionem molis artificio quammaximae viſendae, ac demirandae poſteris, intendatur: Tabula interim deſcribenda literis perarcta, vbi res memoranda perdiues forte eſt, nec niſi amplo ſpatio definiri valet, relinquatur. Inde quod fuerit ſtudium primum, ac potiſſimum, id habetur in poſtremis; ac tùm denique peccatum aduertunt, cùm pecuniae iam factum inſanũ impendium emendationi penitùs excludit modum. Atque hoc fatum deplorauerat quidem nuper Hiacynthus Libellius ex Sacra Dominicanorum Familia Vir egregius, ac in Vrbe A Secretis Sacrae Congreg. ſuper Indice: Cum Inſcriptionem rogaretur ſepulcralem in Nicolaum Rodulfium ponendam Romae, nimirum in luce Orbis conſignandam memoriam Viri innumeris virtutibus, & exemplis de omni poſteritate meriti: In Tabula porrò, vt principio decretum (quo id conſilio, non liquet) perbreui, & vix alterius verſus praeter defuncti nomen & ordinem, capace. Qui tamen Libellius, vt ingenium ad omnes horas promptiſſimum habet, neque diues minùs, quàm amoenum omni genere literaturae; planè ſuperiorem ſe fato illo probauit, ſegetem laudum vniuerſam, quam in Viro latè collegerat, ad vnum praecipuum quaſi caput redigens; ex tempore dictauit Epigrapham, iudicio noſtro plenam miraculi, in haec verba:

NICOLAO

CCCLII.

NICOLAO . RODVLPHIO
ORDINIS . PRAEDICATORR . GENERALI . MAGISTRO
QVI
FLANTEM . REFLANTEMQVE . FORTVNAM
AEQVO . ANIMO . SVSTINVIT
DECESSIT . A . M . D . C . L

Verùm conſcientia poſtmodum Curatores vrgente, ac exprobrante Tabellae deſtinatae anguſtias ſordidas ad tanti Viri Tumulum inſcribendum, quaſi ij tumulare ſimul auerent inſignium rerum memoriam, quam marmora ab interitu vindicant: Cùm fortè Vrbe deceſſiſſet prouinciae ſuae cauſa Libellius, amplior comparata eſt tabula, quae titulum prolixum commodè caperet; & conquiſitus Inſcriptioni Auctor alter, qui res ſingulares defuncti perdoctus, patentiſſimo in campo vires ingenij ſui inuictas exeruit. Nos, quam excerpſimus ipſi perfectam Inſcriptionem in Diuae Mariae ſupra Mineruam, hìc allegamus. Auctorem, nomine diu incomperto, inter Principes Elogiaſtarum non immeritò a nobis cenſum fuiſſe docuit fama nunciati poſtmodum Ferdinandi Vghelli Florentini, ex Ord. Ciſtercienſi, cuius eſt *Italia ſacra*, quae nunc quidem coepit lucem aſpicere volumine multiplici, eruditione immenſa ad noſtri ſeculi decus immortale. Ita ergo inſcripſit tumulum:

CCCLIII.

D . V . T * ideſt *Deo, Vni, Trino*
FRATRI . NICOLAO . RODVLPHIO . FLORENTINO
OCTAVII . S . R . E . PRESB . CARDINALIS
AC . LVDOVICI . EPISCOPI . PACTENSIS
GERMANO . FRATRI
SACRI . PALATII . APOSTOLICI . MAGISTRO
ORDINIS . PRAEDICATORVM . VICARIO
EIVSDEMQVE . OMNIVM . PP . CONSENSIONE
MAGISTRO . GENERALI . LV
QVI . SVB . VRBANO . VIII . PONT . MAX
HONORIBVS . AMPLISSIMIS . AC . VARIIS . GRAVIBVSQVE
NEGOTIIS . PRO . ORDINE . GESTIS
XV . ANNIS . INTEGERRIME . PRAEFVIT
PRINCIPIBVS . CARVS . BONIS . GRATVS
LIVIDA . AEMVLORVM . DEIN . OFFENSVS . DICACITATE
EXCELSO . AC . FORTI . ANIMO . VIOLENTA . EORVM . TELA
SANCTA . FEFELLIT . PATIENTIA
SACROS . FASCES . TVNC . VLTRO . SIBI . OBLATOS . DETRAXIT
CVIVS . PROBITAS . ATQVE . INNOCENTIA . EO . MAGIS
INTELLIGI . AC . SVSPICI . POTEST . QVO . MAGIS
AEQVO . IVDICIO . QVINQVE . S . R . E . CARDD . DENVDATA
AB . INNOCENTIO . X . PONT . MAX . COMPROBATA . EST
CVM . POST . SEPTENNIVM . EXTINCTO . THOMA . TVRCO . SVCCESSORE
INAVDITO . SANE EXEMPLO
PRAESES . GENERALIS . INSTITVTVS . FVISSET
DEMVM . INSTANTIBVS . COMITIIS
VNICO . CVM . OMNIVM . ORE . ITERVM . AD . SVMMVM
REVOCARETVR . FASTIGIVM
GLORIA . CVMVLATVS
ORDINI . PATRIAE . BONISQVE . OMNIBVS . ABLATVS
ANNO . SAL . M . D . C . L
VII . KAL . IVNII . AETAT . SVAE . LXXII
FF . CONV . S . M . S . M . PARENTI . OPT . MM . POSS

* ideſt *Fratres Conuentus S. Mariae Supra Mineruam parenti optimo moerentes poſuerunt.*

Iam

Iam compone hoſce Titulos: Contemplabere, licebit, argumenti vnius faciem geminam: edocebere, quomodo in anguſtum coactus premas ſententiam; quomodo in apertum dimiſſus eandem explices, ſalua vtrobique dignitate Monumenti, ſaluiſque Epigraphes legibus. Atque hoc feliciùs, quò faciliùs, ac pene vulgo conceſſum: Illud enimuerò glorioſiùs, quia plenum periculi, & ingenij omnino Daedalei experimentum. Quare execrandum ſanè eſt vitium illud praepoſteri ſtudij in deſcribenda mole ſiue ſepulcrali, ſiue alterius cuiuſuis generis; Ac inculcandum Curatoribus operum, vti prima ſit cura in rebus noſcendis, quarum memoriae ſtudetur; atque ijs campus, aut ſpatium iuſtum aptetur literarum. Altera deinceps, ac tertia detur ordini ſtructurae, detur menſuris operis, detur pretijs marmorum, & ſi qua penſitanda adhuc veniunt. Verùm vbi negotium peruerti viderimus, & corruptelam praepollere, aut inquam recuſanda nobis eſt componendae Inſcriptionis prouincia; aut (ſin minùs licet) exoranda fides Apollinis, vt adſpiret aliquid dignum, vnde exiſtimatio noſtra ſeruetur in re tanta, quanta eſt alienum vitium noſtro oportere ingenio emendari.

Pro Libri coronide Monitum

Membrum XXVIII.

Reſtant in conſectanda breuitate, quae attentiùs declines, breuia. Nimirum oblata tibi cùm fuerit ex genio tabula honeſti ſpatij; non vnius autem facti deſtinata Memoriae, ſed vnius Viri multiplici factorum laude conſpicui (quod eſt in Epitaphijs ſolenne) haud dubiè tunc, ſicut congeri non omnia debent, quae admiſerit Hiſtoria fuſa, aut Panegyricus (ſic enim violaretur Laconiſmi ſanctitas debita marmori) ita in deligendis memorabilibus penſitare opus erit non illa quidem, quae Virum cum ſummis comparent, ac etiam nonnullis ſuperferant, ſplendor natalium, cumulus fortunarum, fauor Ciuium, & huiuſmodi reliqua vulgò adorata; quae ſingularia quamquam videri poſſunt, quia tamen cum multis communia, non immeritò inter vulgaria reijciuntur: Verùm ſi qua potiùs rara ceciderunt, & perſonis, locis, temporibus minùs vſitata; Namque hinc demum efflorescit Inſcriptionum decus, & conſecrandae apud poſteritatem perennant Tabulae, Quocirca hic delectus trutinam in primis poſtulat: Et qui ſuo non fidit iudicio, adhibeat conſultiſſimorum, & capita conſummatae prudentiae. Facit ea de re nos monitos obſeruatio alieni lapſus. Cum enim dudum eſſemus Romae, audiremuſque aliquando in Curia deambulantes, haberi mentionem Cauſae multò inſignis de Iuriſdictione ab Epiſcopo Marſicenſi in incolas Saponariae paucis antè annis optatum in portum perductae, ea fama, ac celebritate, vt non alia aut implicatior Cauſa, aut acrior, aut denique prolixior, Patrum memoria, extitiſſe diceretur. Eius porrò victoriam, quam peritiſſimi quique ex Curia deſperatam habebant (quippe poſt ingentes impenſas, poſt irritos conatus Epiſcoporum trium praeceſſorum, quartus quoquè deſeruerat Cauſam, inſtar cadaueris deploratam) nihilo tandem minùs ceſſiſſe feliciter Epiſcopo quinto, Ioſepho Cianti, cuius non modò patuit ſtudium ardentiſſimum in Deciſionibus Rotae pro ſe tam crebris obtinendis, vt Marſicenſis Cauſae vnus titulus praealtùm ex ſe volumen oſtentet: Verùm & nobile inuentum ſolertis ac prope Caeleſtis ingenij, per quod ne ſententijs quidem plenis flexos Saponarianos, ſed furiali ſpiritu longè obſtinatiſſimos, ad obſequium tandem, & obedientiam, cui ſeſe ab vſque ſuperiore ſeculo, neſcio quo iure praetento, ſubtraxerant, emollitos, ac domitos reduxit. Quae res eò nobilior habenda, quò perfecta pacatiùs; aduerſus autem quos homines? nempe quibus erat deſpicatui ampliſſima Sacrae Rotae auctoritas, inflictum per ipſam Anathema, Mandata Purpuratorum Patrum ſeueriſſima ad Nuncium Neapolitanum, huius dein iuſſa, & imperia, poſtremò Regia poteſtas, quae praeſto iam erat de more ad ius Eccleſiaſticum armis vindicandum in contumaces. Ad haec quid egerit, putas, Epiſcopus? Nihil is quidem elatus victoria forenſi, aut porrecto ſibi tam firmo, atque frequenti praeſidio:

Nihil

Nihil contrà commotus peruicacia aduerſariorum, quos, ſi Regias admittat cohortes, haud dubitat, quin excidio, & clade cogantur ad ſeram poenitentiam: Verùm nuntiato, portas oppidi occluſas, & molibus obiectis prohiberi ingreſſum: ſed & incolas ex omni aetate, ac ſexu circum moenia in armis, procinctoſque ad pugnam malle extrema experiri omnia, quàm parére: Ipſe nullo metu iniuriae à propoſito territus exequendae victoriae, pergit ſecurus, atque in armatos imbellis, in furentes placidus, turma comitatus inermi Sacerdotum, & Clericorum, vno munitus caeleſti Numine; appropinquat Oppido, pulſari portam à ſuis iubet, nunciarique oppidanis, ſuum adeſſe Paſtorem, luſtratum venire commiſſas à Chriſto oues: edicere, promptè pandant, obſequentes accipiant. Quod vbi intus audit perfractè negari, comitibus intereà loci trepidis, ipſe conſtans promit è ſinu, quae ſtudioſè attulerat Sacroſancta Biblia; ſedet, quà fortè datum, in ſtipite; calceos detrahi mandat ſibi, quos dein ipſe apprehendens legit voce praealta de Euangelio S. Matthaei Cap. X. praeceptum Dominicum ad Apoſtolos; horum enim Epiſcopi ſucceſſores; videlicet: *Quicunque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros, exeuntes foras de domo, vel ciuitate* EXCVTITE PVLVEREM DE PEDIBVS VESTRIS: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terrae Sodomorum, & Gomorrhaeorum in die Iudicij, quàm illi ciuitati.* His lectis calceos excutit contra Oppidanos, ſpectaculi illius defixos, & ancipites nouitate. Mox de Cap. XXVIII. Deuteronomij recitat non minùs vocaliter, quas promulgauit Moſes Execrationes ac diras in violatores Diuinarum ſanctionum, & contemptores Religionis. Vix attigerat Oppidanorum aures ſonus eorum verborum; cùm ſubito quaſi turbine formidinis correpti, ac iram Numinis è Caelo ingruentem pene conſpicati & laxant animos, quos aere munitos triplici habuerant, & cataſtropha verſa cient in Duces ipſos, & Auctores turbam, hos clamoribus, hos iurgijs & minis impetunt, iniectiſque manibus tantùm non deiectant muris praecipites. Subinde Epiſcopum ſuas in aedes regreſſum eodem acti Numine adeunt; inuitant vltrò, gregem qui ſuus eſt, luſtret; rogant proni ac ſupplices veniam; ita benignè annuentem procedentemque, vniuerſi acclamationes inter & lacrymas obuij cum ſacra pompa excipiunt, ſimul gaudium teſtantes, ac poenitentiam, quòd tanti Paſtoris antehàc minime cogniti, tandiu idcirco repudiati aſpectu demum dignentur, & paterno imperio: Neque antè dimittunt, exoſculantes ſacrum amictum, quàm, quas erat imprecatus, diras, & execrationes, ab ijs deprecetur: Quod ritu ſimili ille praeſtitit, amoto priùs Anathemate, tùm lectis de Capite eodem Deuteronomij benedictionibus, quae Dei cultores manent. Ità quod alter in huiuſmodi cauſa incaſſum fuiſſet aggreſſus terroribus & cladibus, perfecit hic citra negotium Euangelica arte, patria manſuetudine, Chriſtiano ingenio contrà quàm quiſquã alius hoc maximè aetatis, tot inſtructus humanis praeſidijs ne mente cogitaſſet quidem, ne dum exequi pertentaſſet. Ad haec nos enarrata cùm mirabundi haeſiſſemus aliquantùm; Eſtne, ſuſcepimus, memoria tantae rei poſita? Erit omninò, retulit Amicus, nì grauem contumeliam intulerint & aetati noſtrae, & ſibi Ciues Marſicenſes, quibus haec ſumma ceſſit gloria beneficio parta clariſſimi Praeſulis: Simul indicat, poſſe id cognoſci ex Ferdinando Vghello Italiae Sacrae Auctore diſertiſſimo, neque enim tam religioſus memoriarum indagator memorabile hoc factum neglexerit. Ergo condicta hora Vghellum adimus, exquirimus, quae de Marſicenſi Eccleſia ſcripſit, communicet. Producit ille lubens, quae inibi conſignauerat, hoc eſt exemplum tabulae marmoreae, in Cathedrali poſitae, quae memoriam complectitur Epiſcoporum duorum, Praeceſſoris nimirum ac Succeſſoris in haec ipſa verba

CCCLIV.

Fr. Timotheo Caſelio S. T. M. Ord. Praedicator. Et Fr. Ioſepho Ciantes S. T. M. eiuſdem Ordinis, Epiſcopis Marſicen. de Eccleſia benemeritis. Ille Epiſcopalia munia, fructuſque auxit. Iſte hoc Templum amplificauit, Iura, & Iuriſdictionem in hac Dioeceſi longo tempore occupatam acerrimè Romae defendit, ac in priſtinum reſtituit: Pius, & Prudens vterque. Ille in Caelis, Iſte diu viuat in Terris inter Aſtra regnaturus. Canonici & Cler. M. P. G. A. G.

Anno Dom. MDCXLVIIII.

Alteram quoquè de Succeſſore dumtaxat allegat ibidem erectam, cui praefatur expoſitione luculenta Cauſae ſuperioris, vt inuicto, inquit, animo inueteratam litem inter ſuos Anteceſſores, & Archipresbyteros Saponariae in ſupremo Romanae Rotae Tribunali diu exagitatam, aſſiduo labore, & indefeſſa, dignaque pertinacia ſuſtinuit, donec palmam tulit victoriae per tres omnino benefundatas Deciſiones, Saponarioſque Clericos, Archipresbyterumque priſtinae Marſicenſis Eccleſiae reſtituit poteſtati: Deinde ſubtextis huiuſce Epiſcopi meritis alijs atque alijs, tabulam citat huiuſmodi:

CCCLV.

Fr.Ioſephus Ciantes Rom. Ord.Praedic. Epiſcopus Marſ. Templum hoc partis ſuperioris ſtructurae, Sacriſtiae, & Chori amplificatione à fundamentis auxit,& exornauit. In quo vniuerſitatum Dioeceſ. Marſ. inſignia marmorea in obſequium Sancti Georgij, & omnimodam obedientiam Epiſcopo, earundem rogatu, & expenſis collocanda curauit An.Dom. MDCXLIII.

Vrbano VIII. Pont. Max

Aliudnè praetereà ſuper eo negotio monumentum Marſicenſe extet, rogamus Vghellum: Ille nullum inquit praetereà. Itanè (ſuſcipimus) quod miraculo poſteris, non ſolum exemplo foret, praetermiſſum? Tùm Ille Per, inquit, fidem veſtram obteſtor, ne ſtudium fraudetis deuoti huiuſmodi rebus capitis. Nos paucis docemus, quo pacto Cauſae illius victoriam tanti plenam diſcriminis Euangelio exequandam eſſe cenſuerit Ciantes, quàmque ex ſententia ceſſerit. Hìc enimuerò indignabundus Vghellus, itanè inquit res aeſtimantur? Ita praeterpropter memoranda facinora ſcalpri fatigantur? Et ſubitò ſtylum arripit &, quo adhuc feruebat aeſtu iracundiae, ſubitariam fundit Inſcriptionem; Hoc, inquiens, hoc modo quamquam incompto ſatius fuerit conſultum memoriae tantae rei. Mirantibus qui aderant felicitatem ingenij, ſurripuimus è veſtigio paginam reclamitanti illi nequicquam & cauſanti, obortiuiſſe praefeſtinans ingenium, & monſtrum edidiſſe. Ac monſtrum quidem dices ingenij, Lector, cùm legeris; ſic autem inſcribebat:

CCCLVI.

D . O . M

ECCLESIAM . HANC . CATHEDRALEM

EXAEDIFICATA . A . FVNDAMENTIS . PARTE . SVPERIORE

ODAEO . ITEM . ET . SACRARIO

AMPLIFICAVIT

IOSEPHVS . CIANTES . ROM . EX . ORD . PRAED . EPISC . MARSIC

SED . ET

ECCLESIAM . CATHOLICAM . EXEMPLO . MEMORANDO

AEDIFICAVIT

SALOMONIS . AEMVLVS . IN . TEMPLI . CONSTRVCTIONE

MALLEVM . AVDIRI . PROHIBENS

SCILICET

Aduersùs Saponarienſes Iuriſdictioni iam diu ſubductos à quatuor ipſis Epiſcopis praeceſſoribus iudicio fruſtra tentatos, ab ſe autem ſuperatos ſententijs S.Rom.Rotae pleniſſimis: Nondum tamen ad obedientiam flexos; Non Rotae Anathemate,non purpurati Senatus conſultis, non Apoſtolici Nuncij iuſſu & Auctoritate,non Regiae poteſtatis minis quidquam territos, pertinaciam ipſe tandem citra ſtrepitum vicit: Cum ad oppidum progreſſus vt ouem quae perierat, bonus paſtor quaereret, ſed prohibitus, Ex Apoſtolico genio detractis ſibi calceis, & puluere in contumaces excuſſo, feliciter expugnauit, Armatos Inermis, Feroces Mitis, Fremebundos Placidus: Reddita Euangelizantis Eccleſiae prima facie. Cuius victoriae extat veſtigium inter Inſignia marmorea Oppidorum vniuerſae Dioeceſis rogatu, & impenſis ſingulorum hic expoſita

ANNO . SAL. MDCXLIII

CANONICI . ET . CLERVS . MARSICENSIS

TANTI . PRAESVLIS . ADORATA . GLORIA

MEMORIAM . CONSECRAVERVNT

Age

Age verò (ſubdidimus) Clariſſime Vghelle, patere foetus tuos ex tempore tam perfectos lucem aſpicere: Et quando praeceptum grauiſſimum exemplo illuſtraſti tuo, & cum admiratione gratiam ſtudioſorum rei Elogiaſticae inijſti, perpurga nobis, quae ſupra retuleras marmora conſultò minùs propoſita: etſi id factum abs te partim cernamus ſuperiore emẽdatione. Siquidem hiſtorici Scriptoris fidem in Italia tua, vt par eſt, conſectatus, haud renuiſti memorias paſſim oblatas omnes colligere pleraſque, licet horrentis ſcalpri: quo de genere binas ſuperiùs allegatas cognoſcimus: id nos eò rogamus, vt qui Magiſtrum Artis vel inuitus prae te modò tuliſti, etiam Cenſorem agas, & vindicem barbariae in his, quae ſtudioſus protuliſti, vnde habeant, quem delibent gratum palato ſuccum tam rerum antiquarum, quàm antiquae, & ſanae Latinitatis cultores. Id cùm eſſet ab Vghello impetratum, vtramque Inſcriptionem, quà impuram ſermone, quà malè compactam iuſtae formae ac elegantiae conſignauit.

Priorem quidem ita

CCCLVII.

D . O . M
TIMOTHEO . CASELIO
ET
IOSEPHO . CIANTI
S. T. MM. EX . ORD. PRAED
EPISCOPIS . MARSICEN
DE . ECCLESIA . BENEMERITIS
QVORVM . ALTER
EPISCOPALIA . MVNIA . ET . PROVENTVS . AVXIT
ALTER
TEMPLVM . HOC . AMPLIFICAVIT
SED . ET . IVRA . ET . IVRISDICTIONEM . LONGO . TEMPORE
IN . HAC . DIOECESI . OCCVPATAM . ACERRIME . IN . ROM
CVRIA . DEFENDIT . IN . PRISTINVMQVE . RESTITVIT
PIVS . VTERQVE . AC . PRVDENS
ILLE . IN . CAELVM . IAM . RECEPTVS . EST
HIC . DIV . VIVAT . IN . TERRIS
INTER . ASTRA . ALIQVANDO . REGNATVRVS
CANONICI . ET . CLERVS
M . PP
AN. DOM. MDCXLIX

Poſteriorem verò huiuſmodi

CCCLVIII.

IOSEPHVS . CIANTES . ROM
Ex. Ord. Praedicator. Epiſc. Marſicen
Templum hoc
Partis ſuperioris acceſſione, Sacrarij quoquè, & Odaei
A fundamentis auxit & exornauit
Regionum Dioeceſeos Marſicenſis Inſignia è marmore
In obſequium S. Georgij, & obedientiam Epiſcopi abſolutam
Rogatu ipſarum, & impenſa collocauit.
M. D. C. XLIII
VRBANO . VIII. PONT. MAX

Quae ſi attentè ſingulatim contemplere, & in propoſito Epiſcopo quid memorabilius eluceat, obſerues; haud dubiè cernes inter plura argumenta encomij, digna marmore, eminere praecipuè operam in illa forenſi Cauſa nauatam; ita tamen, vt non magis, quia Victoriam retulit

retulit in certamine difficillimo (nam huiuſmodi palmas alij paſſim oſtentant) quàm quia in ea Victoria triumphum pacifici obtinuit, quod aegrè alijs datur, & in hac Cauſa non alteri fortè contigerit. Nouitas autem inuenti quemadmodum iucunda narratu, ita intuitu efficax, & quaſi praeſtigiatrix exarmauit feroces animos, & in manſueti Antiſtitis triumpho captiuos duxit. Hinc ergo ſumenda fuerat materies commendandi poſteris Epiſcopum Ciantem; &, ſi caeterae, quae non paucae in eo emicant, res geſtae memorandae, hanc certè omnibus eminentiorem non tralatiuè, ſed impensè ornare oportuit, & ſuis coloribus repraeſentare, quemadmodum vides Vghellum mirificè praeſtitiſſe.



ELOGII

ELOGII VENVSTAS LIBER V.

PROLVSIO.

SI Breuitas modò, & Perſpicuitas, neque ſimul Venuſtas loco Argutiae, in Elogio praeſertim hiſtorico, repererit ſedem, iam hoc nominis indiſcretè quaeſitum ierit hiſtoriolis ſuis Beroſus Antiquitatum ſuppoſititius ſcriptor, quùm Reges Babylonios, Aſſyrioſque ſimpliciter cenſet: Manetho Sacerdos, quùm Aegyptios: Et memoriâ noſtrâ ſynceriſſimus, idemque limatiſſimus Horatius Turſellinus totâ Epitomâ: Atque omnino cùm in limine Operum quorumuis praemittitur ſummatim Authoris Vita: & quoties Geographi ſitum orbis terrae, regionemque ſtrictim deſcribunt: Breuiter: Compendia quaeque narrationum; & quae, quia paucis conſtant, paucis quoquè abſoluuntur, ſicut praeſtitit Pomponius Laetus de Antiquitatibus Vrbis Romae; & L. Florus, quùm Reges Romanos ſeptem; & totis quatuor libris, quùm in capita diſpertit opus, ſtylo aemulo ſui cognominis. Atquì venuſtus is quidem, ad hiſtoricos tamen, quod profitebatur, non verò Elogiacos numeros. Ac praeter eam, quae Demetrio Phalereo prima eſt venuſtas, conciſam ſcilicet orationem, de qua ſatis multa ſuperiore libro tradidimus, Venuſtatem Elogio contrahunt illa in primis quinque; Elegantia in verbis ſingulis, Concinnitas in conſtructis, Lepor in ſententijs, Dignitas in ſcriptura, Decorum. Quae hîc Capitibus totidem tractabuntur; Lectore praemonito, caueat, ne qua nimis elaborata, fucataque concinnitas venuſtatem potiùs perdat, quàm proferat.

CAPVT I.

Elegantia in Verbis ſingulis.

EA, quinque ferè emanat fontibus, Verbis nimirum Natiuis, Lenibus, Sonantibus, Grauibus, Translatis: quae tamen ſaepè permiſcentur.

De Verbis Natiuis.

Membrum I.

NAtiua, quae & propriae ſignificationis, venuſta cenſentur, non quaelibet, ſed ſelecta: Cuiuſmodi in ſubiectis exemplis. Sub Statuâ ex Senat. Conſ. poſitâ in roſtris Ser. Sulpitio.

I.

SENATVS . POPVLVSQ. ROMANVS
SER. SVLPICIO . QVINTI . F. LEMONIAE
RVFO . QVOD . DIFFICILLIMO . REIP
TEMPORE . AVCTORITATEM . SENATVS
SALVTEMQ. POPVLI . ROM. VITAE . SVAE
PRAEPONENS . IN . LEGATIONE. MORTEM
OBIERIT . VITAE . CONSENTANEAM

Obſerua illud *difficillimo tempore*, Et *mortem vitae conſentaneam*. Legitur Romae Inſcriptio citata apud Gruterum pag. LXXXIII. n. 9.

II.

TEMPLVM
ISIS
EXORATAE

quae videlicet preces exaudiuit, & cui pro ſuſcepto voto Templum extructum. Romana quoquè ibid. pag. LXXIX. num. I.

III.

FORTVNAE
AVGVSTAE
RESPICIENTI
M. AVR. CTESIAS
IVNIOR. EX. VISV

ideſt Fortunae quae priùs irata, pòſt placata eſt. Quamquàm & pro fauente intelligi poſſit, vt eiuſdem ſit cum *Exorata* ſignificationis. Hùc ſpectant illae formulae in Epitaphijs antiquis frequentes: *Deſolata orbitas*; *Animae innocentiſſimae*: *Pater infeliciſſimus*; *Filio*, vel *Alumno dulciſſimo*; & *Amico incomparabili*: Et *Animae innoxiae*, *deſideratiſſimae*, *Rariſſimi exempli*: Et *Coniux in omnibus caſtiſſima*; Et *Maritae fidei plena*: Et *Foemina in exemplum pijſſima*, *Pietate nobilis*: Et *ſingularis*, vel *Vnici exempli pudicitiae*: Et *Filio vnico delicio ſuo*: Et *Spei*, *delicijſque ſenectutis*: Et *Puero dulci memoriae*; vbi obiter obſerua id poſtremum epitheton more continuati ſubſtantiui elegantiùs efferri, quàm *Puero dulcis memoriae*, apud Gruter. pag. DCLXXXIX. num. 9. Et *Coniugi concordiſſimae*: Et *Praeſidi* (ſubaudi *Prouinciae*) *abſtinentiſſimo*: Et *Infeliciſſimus parens afflictus praepoſteritate Naturae*, ideſt ob filij mortem, qui ſubſequi debuerat Patrem: Et illa quamquàm ſuſpecta Grutero de fide vetuſtatis

IV.

DIIS. MAXIMIS
BACCO. ET. SOMNO
HVMANAE. VITAE
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIBVS
SACRVM

Quod verò epitheton tribuitur Romae in titulo Portae Portuenſis hodie quoque extante: OB INSTAVRATOS. VRBI. AETERNAE MVROS, quippe Romam aeternam vouebant veterum alij, alij fore vaticinabantur. Quod vt falſum probauere ſubſecuta illius incendia, direptiones, rei publicae euerſio, & mutatio; ita veriùs multò, & certiùs de caeleſti Vrbe, quae Beatorum ſedes eſt, fingi eius in portis poſſet titulus in honorem aſcendentis Chriſti Seruatoris. OB. RECLVSAS. GENERI. HVMANO. VRBIS. AETERNAE PORTAS.

In recentibus porrò Inſcriptionibus obſeruatur Epitaphium Antuerpienſe in Aluarum Nonium habens: *Prolixa in omnes comitas*, ad exemplum loci Ciceroniani *Prolixa & benefica Natura*, Ad Appium lib. III. Ep. VIII. Monumentum quoquè Suueertij Antuerpienſe, quod citat ipſe in Selectis Delicijs

V.

FRANCISCVS. SVEERTIVS
ET
GERTRVDIS. VANOS
HVMANAE. FRAGILITATIS. MEMORES
SPE. INDVBIA. RESVRRECTIONIS. SVAE
SIBI. SVISQVE
H. M. F. C

vbi Epitheton negatiuum *ſpe indubia* venuſtiùs ſonat, quàm poſitiuum *certa*. Ludouicus Puteus Elogio de Caeſare Montio Archiepiſcopo Mediolanenſi, Maronem imitatus inquit: *Veniſti ò magnum incrementum patriae*. Benedictus Mariottus de Nicolao Adiunctio ad exemplum Senecae, & Gellij, *Dum Ariſtotilem perdius, ac pernox vrgeret*, quod tamen illi Ciceroniano cedit multis partibus: *Noctuabundus tabellarius*, ad Attic. lib. XII. Epiſt. I. pro eo, qui de multâ nocte ambulauit. Marcellus à Matre Dei de B. Tereſia, *Gentilitium decus multis aggeraret incrementis*; Et *Vaſta quadam magnanimitate praeditae*. Octauius Ferrarius Elogio in Aram Diuae Iuſtinae, cuius ſacros cineres ibi conditos vocat *Mortales exuuias Arcana Vrbis pignora*, Florum imitatus in Numa Pompilio, *Ille Ancilia, atque Palladium, ſecreta quaedam Imperij pignora* &c. Io. Baptiſta Robertus in ſuâ Hermathenâ, *Iurata oculorum teſtificatio*. Non eſt verò, cur probemus Marcellum Buttilium Elogio de Alexandro Farneſio Duce Parmenſi, Antuerpiae vrbis expugnatore ſic habentem: *Antuerpiam nouem menſium poſt obſidionem Diabolicis machinis deluſis* &c. *in ſuam poteſtatem redegit*. Vox enim *Diabolicis* Graeca, non niſi vulgo noſtrati domeſtica, nec ipſa nitida; Latinis autem eo ſenſu maximè horrenda, vti planè peregrina. At figurata eſt, inquis, non natiua, redigenda autem ad hyperbolen, vel metaphoram; peregrina verò tamen, & barbara (repete de ſermonis barbarie ſup. lib. II.) neque vllius boni ſcriptoris authoritate donata

Latio

Latio. Venuſtiùs quidem, nempè puriùs dixiſſet *Fatalibus machinis*, vel *funeſtis*, vel, ex natiuo ſermone in rem praeſentem *Infeſtiſſimis machinis*. Franciſcus Pola Veronenſis Diuum Ioſephum perbellè vocat Maritum Diuae Virginis *fiduciarium*. Idem in fronte dedicatorij tituli ſupra Aram: *Verendae Triadi Indiſcretae*, pro *Deo Trino & Vni*. Tandem Franciſcus Pona Elog. V. de Iacobo Suriano Veneto *Vt vel remiſſo tempore Maieſtatem frontis auguſtam minimè ſoluat*.

Ex hoc loco amandatur Catachreſis quibuſdam in vocibus ob nimiam improprietatem inuenuſtis, quas ſcilicet nec dum vſus molliuit: Cuiuſmodi illa Virgiliana (vt notat Seruius) *Tantum ſperare dolorem* pro *timere* Poëtis interdum permittenda. Etſi in deriuatis & compoſitis iam vſus molliuerit, Oratoribuſque ingrata non ſit. Ita Cicero *Inſperatum malum*, dixit pro nec opinatum, III. Tuſcul. diſp. Et *Inſperatum incommodum*, Ad Herenn. Idcirco Elogiaſtes non abhorrebit, vt in vetuſtâ Inſcriptione apud Gruterum pag. DCLXXI. num. 15.

VI.

D . M
AVRELIAE . LVCIDIAE
GRATAE
DVLCISS . ADOLESC
INTEGERR. VENVSTISS. Q
M. AVREL. LVC. PIVS
INFELICISS. PATER
INSPERATOS. TVMVLOS
DEDIT . MIS. Q. VLT. DONA
* i. e. *miſitque vltima*

Tumulos inquit inſperatos: id eſt praeter opinionem, & minimè prouiſos. Rectè autem diximus hanc vocem vſu mollitam; alia quippe extant exempla tum boni ſeculi, tum ſequiorum. Conſule Voſſium de Inſt. Orat. lib. IV. cap. XII. num. III.

De Verbis Amoenis.

Membrum II.

QVod eſt peculiare Poëtis quaerere ex rebus venuſtatem, non negliget Elogiaſta conſectari, in Panegyricis praeſertim. Non enim quia liber, & ſolutus; auerſus eſſe debet à Muſis, aut nimis triſtis. Rerum porrò ſuaptè natura elegantium vocabula appellãtur Amoena; Cuius generis ſunt (inquit Demetrius Phalereus de Elocut.) ſi memorentur Nympharum Horti, Hymenaei, Cupidines, tota Sapphonis poëſis. Nam huiuſcemodi res, ait, quamuis ab Hipponacte dicerentur, qui aſpera natura fuit, ac virulentus; laepidae nihilominus, ac iocoſae forent, ipſaeque per ſe, ac ſua vi iucundae, plenaeque laetitia. Similem in modum, dicimus, amoena ſunt aſpectu Caelum, Sol, lux, radij, ſidera; etiam auditu, & ad Elogium collata venuſtatis conferunt pretium. Id non meliùs, quàm propoſitis Elogiorum exemplis ſuadetur. Iamque occurrit forte fortuna ex Petro Adriano Vanden Broccke Flandrobelga Elogium XXII. in Diuum Hieronymum ab Aurelio Auguſtino, ab Orbe vniuerſo cultum & ſuſpectum, quod ita pangebat:

VII.

Inuidiae Aquilones
Vbi coacta tempeſtate
Dalmatae innocentiam euertere putauerunt,
Innocentiae ſecuritatem
In Dalmata confirmarunt.
HIERONYMVM
Quem olim vmbrae calumniatrices
Infamiae nocte obſcurare
Voluerunt
Africae, & Orbis gloria Aurelius
Solem candoris agnouit
Sapientiae Meridiem praedicauit
Lucem in Scripturarum obſcuritate
Adorauit
Nouum in Firmamento Sidus
Ad Saluatoris incunabula
Vt Magos quondam euocauit.
Ita in Hieronymo Suadae lux
Sanctimoniae radijs quaquauerſum diffuſa
Celebriora Orbis ingenia
Bethlemium traxit potius
Quàm vocauit
In eo cùm Occidentis Eccleſia
Triumpharet

Deuictus

Deuictus Oriens Ario Exequias
Cogitabat
In ipſo Europa ſanctitatem
Aſia magnitudinem
Africa excellentiam
Conſiderauit
Eam Herode lupo ſpectato
Quidni Mundus amiſerit?
Echo illius hoc ſuperſtes in ſaxo
Quid loquatur, *attende*
Herodi Epicedia, *Chriſto Epinicia*
Euchariſtica ſibi, *Paraenetica tibi*

Quid iucundius auditu, quàm Echo? Nihil etiam ſi Elogio illigetur, viſu venuſtius. Hinc amoenitatem afflauit Aloyſius Iuglaris Inſcriptioni, quamquam ſepulcrali, in Prodromum Ioannem, quae apud ipſum legitur Prima in has notas;

VIII.

Deſiderio vocis
Muta Paueranenſis facundia
Verbi vocem implorat
Lege, *Viator*, *& tace*
Silentium exigit Vox ſepulta.

Ab hoc loco diſces anagrammata expiſcari, quantum literae ſubminiſtrant (Namque Alliterationes in promptu ſunt) vt egit ſumma cum laude Petrus Clauarinus Romanus in vocibus *Theodorus Schilinus*, ita ludens; *Sidus lucet honoris*. Cuius eſt & illud amoenitatem Roſae praeſerens Anagramma: *Doctor Iulius Caeſar Serronus Romanus Aduocatus in Vrbe*: vix vnam admittens licentiam; videlicet: *Is corde*, *ore*, *manu non oberrat*, *Carus*, *Dulcis vt Roſa ſuauis*. Verùm de Anagrammate libro ſequenti.

De Verbis Lenibus.

Membrum III.

Lenia ſunt Primùm, in queis frequentiores ſunt vocales, quàm conſonantes, vt *ſuaue* lenius, quàm *dulce*: aut certè frequentes, vt in vetuſto Epitaphio Stediae Paulinae, quam L. Cancinius Hermippus coniux valere ita iubet: *Aue Anima innocentiſſima*.

Secundùm, vbi ſonant vocales *e*, & *i*, vt *egregius*, *eximius* leniora ſunt, quàm *praeclarus*, *praeſtans*. In vetuſto Epitaphio apud Gruterum pag. DCXLII. num. 10. *Hìc Iucunda ſepulta eſt delicia eius*.

Tertiùm, vbi conſonant *l*, *m*, *n*, *u*, vt *belua*, *mellitus*, *limen*, *nauis*, pro *fera*, *dulcis*, *oſtium*, *ratis*.

Quartùm, compoſita ſuauiora ſunt ſimplicibus, quùm euphoniae ratio vel mutat vocalem, conſonantemuè in leniorem, vt *deliteo*, quàm *lateo*; *aſpicio* pro *adſpecio*, ex *ſpecio* antiquo: Ita inſuauè quidam ſcribunt *adſpicio*.

Quintùm, diminutiua, vt candidulus; quam lenitatem exigunt in primis affectus. Extat apud Gruterum pag. CCCIV. num. 1. inſcriptio vetus tota in affectus effuſa, vbi pro *Anima* vſurpatur diminutiuum *Animula*, ſcilicet defuncti adoleſcentis,

IX.

D . M
SEX. VALERIVS . MERCVRIALIS . AVGVR . T. LABIENO
FESTINO . ALVMNO . DVLCISS. VIX. AN. XVI
HORIS . XVIII. S. HVNC . A. DIS. SENECTVTIS . MEAE
SERVATVM . SPEM . DELITIASQVE . VORAX
APSTVLIT . ORCVS . OPTO . SIQVID . OBLECTANEVM
APVD . MANES . EST . PRO . NEQVITIIS . IOCISQVE
QVIBVS . COEVOS . CAPIENS . ME . OBLECTARE . SOLEBAT
INSONTEM . ANIMVLAM . REFICIANT . IN . H. S * i.e. *in hoc ſepulcris*
SIVE . SERVVS . SIVE . LIBERT. SIVE . LIBER . INFERA
TVR . NEMO . SECVS . QVI . FECERIT . MITEM . ISIDEM
IRATAM . SENTIAT . ET . SVORVM . OSSA . ERVTA
ATQVE . DISPERSA . VIDEAT

Repete

Repete ex lib. II. de Verborum Antiquitate Inſcriptionem, cuius initium: V. SALVIDIENA. in qua habetur vox *Vitilla* diminutiua *Vitae*. Alia quoquè adſunt exempla hoc ipſo libro, vbi de Similiter cadente, ex verbis Hadriani Caeſaris, & Epitaphio in Aldinam catellam. Neque verò eſt, cur hìc praetereamus Franciſcum Polam, cuius eſt inter Inſcriptiones Parentum hocce Epitaphium in Aedicula ſua, videlicet:

X.

HAVE . VALE
ATTILIA . POLA . ANIMVLA . NOSTRA
HEV . QVEM . NVNC . ABIS . IN . LOCVM
PALLIDVLA . RIGIDVLA . NVDVLA
EHEV
O . IOCOS . NON . AMPLIVS . DABIS . TVOS . MELLITVLOS
O . VAGVLA . O . BLANDVLA
VALE . AETERNVM
VIXIT . MENS . III . DIES . IV . HOR . XIIX
RHEVMA . MISELLAM . CONFECIT
PARENTES . IAM . NON . PARENTES . MOESTISS
P . P

vbi octo ipſis diminutiuis mirum quantum & exeruntur affectus, & conflatur Inſcriptionis venuſtas.

Ex quibus coniectabis pro ratione argumenti alia, atque alia vſu venire verba, lenia, ſonantia, grauia, vt magis in conſequentibus patebit, & ſi de adoleſcente, aut infante, vſurpabis ritè *Animulam*; de viro, & heroe non item. Aymon Corius lectum funebrem Theodori Triuultij Principis, & Cardinalis hac animauit Epigrapha:

XI.

GRANDI . ANIMAE
REGNI . VMBRARVM . EREBIQ. VICTRICI
GRANDI . PARENTATIONE
SVFFRAGAMINOR
OBDVCTO . QVAM . IANVS . VELO
DISCISSO . PECTORE . ADAMAS
CONSILIOSE . INCONSVLTA . ASTREA
EXLEGES . LEGES
IVRE . GEMVNT
ACERBO . FATO . SVBLATAM

In Epitaphio quoquè Sigiſmundi III. Poloniae Regis extremum ſic habet: *Ego magnos Manes veneratus, Similes orbi terrarum Reges precor*.

De Verbis Sonantibus.

Membrum IV.

SOnantia, ſeu ſonora verba ſunt, quae aures prolata grato implent ſono. Idque modis ſequentibus.

Primùm, vbi inſunt Vocales *a*, & *o*, vt *Quamquam* ſonantius eſt, quàm *Etſi*, *Profligare*, quàm *Perdere*. In vetuſto lapide: *Hic hoſtium reliquias profligauit Cato*. In Epitaphio C. Vibij adoleſcentis: *Intemperato amore percitus* pro *Immodico*.

Secundùm, vbi Syllabarum eſt numerus maior, vt *amplificare* magis ſonorum, quàm *ampliare*. Vetus memoria Conſtantini in Thermis habet *Amplificatori Vrbis Romae*. Hinc ſimplicibus ſonantiora compoſita, vt apud Gruterum CCLVIII. 6. Elogium Tharraconenſe: *Deuictori omnium gentium barbararum Imp. Caeſ. Antonino Vero* &c. pro *Victori*. Poſitiuis quoquè Comparatiua, & Superlatiua, vt apud Gruter. MXXXVII. 4. marmor vetus,

XII.

M. PLOTIO . C. F
ANN. VI. AGENTI
ANIMAE . DVLCISSIMAE
IVCVNDISSIMAEQVE
INFELIX . MATER
POSVIT
AEMILIA

Finita

Finita quoquè in *bundus* cumulatiua vocata, ſonantiora ſunt participijs, vnde manant. Apud Suueertium in Selectis Delicijs Epitaphium Viennenſe, Ara VIII. habet : *Quae ſupra aetatem morbo varorum palabundo infeſtata* &c. pro *palante*. Et apud Auctorem ſacroſanctae vetuſtatis CADAVERIBVS . AMORE . FRVENTIVM . MISERABVNDIS . POLVANDRION pro *miſerandis*. Verbalia pariter abſolutis, vt *Dominator*, *Regnator*, *Ductor*, quàm *Dominus*, *Rex*, *Dux*. Oct. Ferrarius Elog. de Aloyſio Contareno :*Punicis enim pyratis ab Veneta claſſe pulſis, & intra Vallonae portum profligatis, ſuperbus Aſiae Regnator ſuper inſitam ſaeuitiam, humanique ſanguinis ſitim excanduit*. Et deriuatiua Primitiuis. In Epitaphio vetuſto : *Aeternitatis memoriam poſ.* pro *aeternam memoriam*. In Arcu Conſtantini: *Quòd inſtinctu diuinitatis*, pro *Dei*.

Tertiùm, vbi literarum certè maior numerus, vt *Princeps* magis ſonat, quàm Primus. Apud Gruterum CCXXXV. 4.

XIII.

OSSA
C. CAESARIS
AVGVSTI . F
PRINCIPIS . IVVENTVTIS

ita apud eundem alibi. In recenti marmore Romano: Sixtus IV. Summus Pontifex appellatur, Doctrina & magnitudine animi *Omnis memoriae Princeps*, ideſt primus inter ſuperiores doctos, & magnanimos. Extat Piſis ad Templum Maximum titulus ſepulcralis non inelegans, videlicet :

XIV.

IO . FRANCISCO . VEGIO . PATRITIO . TICIN. IVR. CONSVLTO . CLARISS
QVI . AB . OPTIMO . DVCE . COSMO . MAGNIS . PRAEMIIS . DECORATVS
PER . XII . ANNOS . PISIS . PRINCEPS . IN . DOCENDO . FVIT
AVGVST . F . MOER . P . OBIIT . AN . MDLIIII . VIX . AN . LXV

Nec inuenuſtus Epitaphij titulus: *Petri Aretini flagelli Principum, omniſque laſciuiae Principis*. Ita ſonorius eſt *Sempiternus*, quàm *Perpetuus*: Coniugi *benemerenti*, quàm *benemeritae*. Pola in Dedicatione Templi : *Diuo Carolo Pontifici, Nouo Caeli incremento, & magno*, pro recèns conſecrato, ſeu Dinis adſcripto, & Magni meriti.

Quartùm, plura in verba ſenſus expoſitus, vt in Arcu Conſtantini *Arcum triumphis inſignem* (metonymicè, nec ſinè lepore, triumpho poſito pro trophaeo) pro *Arcum triumphalem*. In Epitaphio Moguntino vetuſto . *Conſummatae peritiae medico, & mirae pietatis iuueni*, pro peritiſſimo medico, & pijſſimo iuueni. Marcellus Buttiglius in Nuptijs Principum Parmenſium :

XV.

BELLONAE . AC . MVSIS . THEATRVM
RAYNVTIVS . FARNESIVS . PARMAE
AC . PLACENTIAE . DVX . IV . CASTRI . V
AVGVSTA . MAGNIFICENTIA . APERVIT

Nec ſi dixiſſet *Mugnificum* (refer ad *Theatrum*) aut *Magnificentiſſimum*; ita ſonorum euaſiſſet, vt multiplicatis vocibus in *auguſta magnificenſia*.

Cauenda eſt Elogiaſtis affectatio, ne orationem more poetarum conflare videantur; neque enim in ſolutâ Inſcriptione imitaberis rectè Ennianum illud in carmine optimum

Africa terribili tremit horrida terra tumultu

& ei non abſimile Virgilianum

Vaſto Rex Aeolus antro
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras
Imperio premit, & vinclis, & carcere fraenat.

niſi fortè argumentum promatur fabuloſum, aut deridiculum, cui licentia maior debeatur. Caeterùm ſonor ſtructurae magnificentiae congruit argumenti.

Neque verba quaedam licet ſonantia admittet, quae minùs pura ſunt, magis autem poëtica: cuiuſmodi in Epitaphio Colonienſi apud Suueertium in Select. Delic. de Petro Clapis Iurium Doctore, ac Profeſſore ordinario *famigeratiſſimo*: pro fama clariſſimo. De his ſuprà lib.II.

De Verbis Grauibus.

Membrum V.

GRauia interpretantur Rhetores, quae maiorem ſignificandi vim habent, quaequè Graecis eſt, ἐνέργειαν. Hinc venuſtas vberrimè ſcatet Epigraphis, vt & alijs ſcribendi generibus. Sunt autem eadem grauiora, quae & conſonantiora, de quibus praecedente Membro actum eſt: Praetereà haec accipe:

Primum, Grauiora verbo ſubſtantiuo ſunt verba actionis, quòd rem penè oculis cernendam ſubijciunt: Vt in antiquo marmore Arcus triumphalis: *Gentes Alpinae omnes, quae à mari ſupero ad inferum pertinebant*, pro *inter mare ſuperum, & inferum erant*: In columna recenti Mediolani, quae vulgò infamis, *Hic vbi Area patens eſt, ſurgebat olim Tonſtrina*, pro *erat*. In Epitaphijs frequèns: *Iacet ſub hoc marmore*, pro *eſt*. Vehementior actio exprimitur in fundamenta *iecit*, pro *poſuit*; hanc molem *excitauit*, pro *extruxit*.

Secundùm, quae vim bonitatis, aut vitioſitatis maiorem prae ſe ferunt. Vt ſummae pudicitiae Virgo, meliùs *Pudicitiae impenetrabilis*, dicetur, quaſi quae nunquam domi penetralibus egreſſa vagetur, nec Virorum ad ſe venientium colloquia, aſpectumuè admittat; quae certè praeſtant ſtudioſae pudicitiae Virgines. Octauius Ferrarius Elogio in Villam Nicolai Leucij amplificatam: *Agri limites innocenter extendit*. Grauè omninò epithetum *Innocenter*, & in quo multa congeſta audiuntur; Nimirum, Non potentia deturbatis ex ſuo dominis; non fraude, aut arte aliqua mala ſpoliatis; ſed legitimè, ſed pretio iuſto perſoluto &c. Idem de eadem Villa: *Paterna rura Aedibus vrbanae magnificentiae ſine ſtrepitu aemulis*: Qualis verò in hoc adiecto ſtrepitus? Atque hoc quidem adiunctum vitioſitatem amouet; illud autem bonitatem oſtentat.

Tertiùm, quae facilitatem, difficultatemque viuidiùs repraeſentant. Ferrarius idem Elogio de Benedicto Siluatico, vbi de Villae amplificatione: *Et vt mollior aditus eſſet, Collis dorſo clementer accliui ſcalas ſupino aſcenſu, vagoque per amoena deſpectu ſuſpendit*. Obſeruandus quoque Marcellus Carmelita de B. Tereſia Elogio à nobis iterando:

XVI.

De Mundo
Proculcatis Honorificis
Vtilibus Iucundiſque
Bonis
Primùm, Secundùm, Tertiùm
Triumphanti

Vide, quantum energiae inſit enumerando ſingulas vices; quod non expreſſum eſſet, ſi ſolùm dixiſſet: *Tertiùm triumphanti*. Miram quoquè exprimit in Epitaphijs Coniunctorum repugnantiam animi, ille modus frequens *Contra votum Poſuit*.

Quartùm, quae affectum magis calentem ſpirant. In Epitaphijs quidem dolori locus eſt, aliàs verò alij. Vt in illo apud Scriptorem Inſcript. ſacroſ. vetuſt. pag. CCCLVIII.

XVII.

TORIAE . AGRIPPINAE . NIGIDIVS
CAPITO . MARITVS . PARVI
TEMPORIS &c

eſt (quis neget?) *maritus parui temporis*, quaſi compendium prolixi luctus, haud abſonat dictum in Epitaphio Dantis Poëtae plenum querelae: *Quem genuit parui Florentia mater Amoris*. Apud Gruterum quoquè pulcherrimum paradigma legitur pag. DCLXXX. num. 12.

XVIII.

DONISSIO . DOTAL
MANIA . MARTIA . SIB
FILIO . SVO . DEF. VIVA

quae verò doloris grauior ſignificatio, quàm vt filio defuncto viuam ſe dicat feciſſe tumulum? quaſi miraculi ſpeciem habeat, non ſimul cum filio extinctam fuiſſe parentem; ſed & tumulo ab ſe illi poſito ſuperſtitiſſe. Ibidem ſequenti pagina, n. 9.

XIX.

EVCARO
HOMINI . OPTIMO
FILIO
INCOMPARABILI
MATER
POMPEIA . HELIODORA
FECIT
ET . SIBI

quod

quod enim filio fecerit Mater, & ſibi, teſtatur ex doloris acerbitate pertaeſam lucis, parauiſſe ſibi ſimul ac filio ſepulcrum. Simile eſt, quod habet in clauſula Epitaphium Mantuanum ad Diuae Mariae Gratiarum, Balthaſſaris Caſtilionei, videlicet: *Aluyſia Gonzaga contra votum ſuperſtes Filio B. M. Poſ.*

Quintùm, quae in hyperbolen deflectunt, grauia vtique ſunt, ſenſumque quantùm maximè intendunt. Marcellus Elogio de B. Tereſia: *Vix puellari corpore immenſos penè ſpiritus cohibenti*, pro ingentes ſpiritus. Idem de eadem: *Animus immenſitate propemodum metiendus*, pro vaſtus, ſeu maximus. Obſeruandum Epitaphium Mantuanum ad Diuae Mariae Gratiarum in ſubiecta proſa, videlicet:

XX.

HIPPOLITAE . TAVRELLAE
Quae in ambiguo reliquit
Vtrùm Pulchrior, an Caſtior fuerit
Primos Iuuentae Annos vix ingreſſae
BALTHASSAR . CASTILIONEVS
Inſatiabiliter moerens P
An. Dom. MDXX

Plus enim energiae vibrat vox *Inſatiabiliter*, quàm *Inſolabiliter*, & haec etiam elegans, & Grauis.

Poſtremùm, quae per translationem formantur, *Vt* in extremo Epitaphij, *Inſepulti monumentum doloris Poſ.* Verùm de Translatis Membro ſubſequenti copioſiùs, Et libro proximo exactiùs.

De Verbis Translatis.

Membrum VI.

VErborum translatio nimium quantum Venuſtatis adiungit Inſcriptioni. Eius quidem accuratiorem tractatum in ſubſequentem librum reijcientes, contenti hìc erimus ea ſumma capita exemplis Elogiaſtarum illuſtrare, quae infra Argutiam ſunt, limitibus definita Venuſtatis; quò fiat tyronibus ad altiorem meditationem facilior gradus.

Articulus I.

De Metaphora.

AB his capitibus coniectabis reliqua, traheſque in vſum tuum copioſam ſegetem. Primùm duces metaphoram ab Animato ad Inanimatum: Vt in Epitaphio Leonardi Aretini: *Poſtquam Leonardus e vita migrauit Hiſtoria luget, Eloquentia muta eſt.* Nam lugere, & mutum fieri, nonniſi hominis eſt. Eſt haud abſimile loco L. Flor. lib. IV. cap. XI. de Claſſe Antonij, & Cleopatrae: *Quippe* (naues) *à ſenis ad nouenos remorum ordinibus; ad haec turribus atque tabulatis alleuatae caſtellorum & vrbium ſpec e non ſinè gemitu maris, & labore ventorum ferebantur.* vbi gemitum attribuit mari, & ventis laborem, quae ſunt animantis propria. Praeterea Epitaphium vetuſtũ Romae ſic habet

XXI.

FABIAE . FVSCINILLAE
CLARISSIMAE . ET
OMNIVM . VIRTVTVM
FECVNDISSIMAE . FEMINAE
CLODIVS . CELSINVS . MARIT

** E pro OE bis vſurpatum, more veterum*

A prole autem, hoc eſt ab animato ad virtutes inanimatas traductio fit vocabuli: quod quidem ſchema ex Diuo Auguſtino decerptum agnoſcimus, de SS. Innocentibus ſerm. X. *Cum ſumma exultatione*, inquit, *gaudeat terra caeleſtium militum, & tantarum parens foecundiſſima virtutum.* Locum vtrumque perbellè imitatur recens Inſcriptio Mediolani expoſita in funere Reginae Hiſpaniarum, videlicet:

XXII.

MARGARITAE
REGINAE . INCOMPARABILI
VIRTVTVM . AC . LIBERORVM
FOECVNDISSIMAE
MORTE . IMMATVRA
PRAEREPTAE
PHILIPPVS . III . REX . CATH
HISPAN . AC . MEDIOL . DVX
MOESTISS . CONIVX . CONIVGI . DVLCISS
SVPREMVM . MVNVS . P

Venuſtu

Venuſtus hinc praecipuè eſt Albertus Elogio de Diuo Dominico, vbi Sacram Euchariſtiam ita nominat: *Sacra primùm confirmat Cerere*. Nam etſi pro pane metonymicè ſit Ceres inuentrix (ex fabulis) pro re inuenta; tamen à Cerere ad ſacram Euchariſtiam, quae non non vocatur Catholicis niſi metaphoricè Panis, fit pariter per metaphoram translatio. Idem Elogio de Diuo Auguſtino: *Pura veritas phalerata neſcit incedere*. (translatione ab equo adornato) ideſt fucata, ſeu magnificè repraeſentata.

Secundùm, ab Inanimato ad Inanimatum. In Epitaphijs adoleſcentum ea formula frequens: *In primo aetatis flore praereptus*: Et *Morte immatura ſublatus*; pro In adoleſcentià, In iuuentute: A flore ſcilicet, ac fructu ad aetatem: Cui eſt ſimile dictum Plutarchi in Alcibiade: *Cuius aetatis pulcher etiam Autumnus fuit*: A curſu anni ad vitae. In Antiquo marmore: *Hic ſtigmata aeterna Actae libertae ſcripta ſunt venenariae, & perfidae*, A venenis ad odia, quae illa inter domeſticos diſſeminauerat. Et *Imperatori Conſtantino fundatori quietis* pro eo, qui ſtabilem perpetuamque Reip. quietem peperit; Ab Architectonica ſcilicet ad Politicam: Quo ex fonte venuſtatem hauſit Titulus ſtatuae quam L. Vitellio pro roſtris poſitam memorat Suetonius; videlicet: *Pietatis immobilis erga Principem*. Indidem petitus lepor Inſcriptioni poſitae in Arce noua Vrbis Senarum.

XXIII.

COSMVS . MEDICES . DVX . FLORENTIAE . ET . SENARVM
ARCEM . ET . VNA . SENENSIVM . QVIETEM . ET . SECV
RITATEM . FVNDAVIT . ANNO . MDLXI

Hùc ſpectat Epigraphe Mediolanenſis citata à Suueertio in Select. Delic.

XXIV.

MARGARITAE . AVSTRIACAE
CVIVS . PER . AVGVSTA . IMPERIA . NVMERANTVR . AVI
PHILIPPI . III
OMNIVM . MAGNORVM . REGVM . MAXIMI . SPONSAE
CVM . PRIMVM . GRADVM . IN . HAC . VRBE . AD . MAXIMA
IMPERIA . PONERET
IO. FERNAND. VELASCHIVS . COMESTABILIS
MEDIOLANENSI . PROVINCIAE . ET . REGIO . EXERCITVI
IN . ITALIA . PRAEFECTVS
EXORIENTEM . AVRORAM . FELICIS . SECVLI . VENERATVS
DICAVIT

ideſt cernens principium felicis ſeculi; Ab Aurora, quae principium eſt diei, ad ſeculi principium. Albertus Elogio de Diuo Benedicto: *Veſtibulum eius vitae, penetrale crediderís ſanctitatis*: pro, In eius adoleſcentia ſanctitatis vitae conſummatiſſima fuit; Ab architectonica ad vitae inſtitutum. In Select. Delic. Epitaphium recens Neapolitannm de Iſabellae Rachiſentiae obitu: *Occidit, aurorà oriente*, ideſt Obijt infans, ſeu puella.

Tertiùm Ab Animato ad Animatum. Gaddius Elogiaſtes Virginium Caeſarinum appellat *Phoenicem literatorum*, ideſt vnum in ſuo ſeculo tota inſtructum literatura: Inſigne eſt Epitaphium Antueſpienſe apud Suueertium in Monum. Brabantinis, quod ne obtruncetur citato duntaxat in rem noſtram fragmento principij, ipſa vetat integritas totius corporis. Eſt autem huiuſmodi:

XXV.

CHRISTO . RESVRGENTI . SACRVM
IANNI . MORETO . ANTVERPIENSI
MAGNI . PLANTINI . GENERO
EIVSDEM . VIRTVTVM . ATQVE . ARTIVM
LABORIS . ET . CONSTANTIAE . HEREDI
QVEIS . IVVENIS . SENESCENTEM . SOCERVM . IVVIT
VITA . FVNCTVM . SVPERSTES . EXPRESSIT
PVBLICE . VTILISSIMVS . PRIVATIM . BENIGNVS
PASSIM . MODESTVS . PROBVS . PRVDENS
OMNIVM . BONORVM . ELOGIO . BONVS
VIXIT . PRAECLARVM . SVIS . HONESTI . EXEMPLVM
ANN. LXVII. MENSES . IV
OBIIT . INSIGNEM . IN . DEVM . PIETATEM . TESTATVS
X. KAL. OCTOBR. M. D. C. X
MARTINA . PLANTINA
OPTIMO . MARITO . CVM . LACRYMIS . OPTIME . APPRECATA
SIBI . ET . POSTERIS . MORTALITATIS . MEMOR
P . C

En virtutum, atque artium ; laboris, & conſtantiae heredi, hoc eſt imitatori, ſucceſſorique. Huius loci eſt, cum hominem Amicum appellat quis Animam ſuam : de quo per dabit nobile exemplum Suueertius in Sel. Del. Tumulo Ticinenſi, videlicet:

XXVI.

Blancae Aiatiae Coniugi
Auguſtinae Turrianae Matri
Blancae Salinbeniae Sorori
Foeminis lectiſs
Ioſephus Salimbenius Eques
Tribus Animis ſuis
Vnica pietate
Poſ
M. D. L. XXIII

Quartùm, ab Inanimato ad Animatum, Vt *Ardere* pro *Amare* : In antiquo marmore *Prurienti amore inſolenter exardeſcere*. Et cùm vox *Integer* à re materiata ad immateriatam transfertur, cuiuſmodi (verbi gratià) eſt Fama, vt apud Gruterum pag. CCCXXXII. num. 7.

XXVII.

D . M
CASSIAE . PEREGRINAE
INTEG. FA. L. VIX. ANN. XXVII
FL. BISIVS . SCENOB. SARD
CONIVGI
B . M . P . I

* i. e. *integrae famae libertae.*

quae vox etiam ad viuentis vires, & mores trahitur. Vt habet peruenuſta Inſcriptio Romana antiqua, in Vrnulà marmoreà apud Gruterum pag. DCCCCXXXIV. num. 4. quae integra poſcit hìc referri:

XXVIII.

LOCVS . SACER
IVSSV . Q. BATONI
TELESPHORI
FECIT
Q. BATONIVS . ONE
SIMVS . PATRONO . PIO
VIXIT . ANNOS . LXXX
INTEGER . INTEGROS

quà in clauſula vox *integer* ſiue ad mores trahatur, ſiue (quod eſt vero propius) ad valetudinem, metaphoricè omninò ſumitur : id ipſum *integros* de curſu annorum, qui eſt immateriatus. Poſteriorem ſenſum de valetudine legimus, ſed ſinè ſale translationis in recente Epitaphio Neapolitano apud Suucertium in Select. Delic. de Alexio filio Andreae Simonis : *Vixit ann. LXXV. perpetuà cum* valetudine : Porrò obiter obſerua imitatorem Epitaphij illius vetuſti recentem in Romano altero apud Suueertium in Sel. Del. quod totum iure reſerimus, videlicet:

RAPHAELI

XXIX.

RAPHAELI . SANCTIO . IO. F. VRBINATI
Pictori . eminentiſſimo
Veterumque . aemulo
Cuius . ſpirantes . prope . imagines . ſi . contempleris
Naturae . atque . Artis . foedus . facilè . inſpexeris
IVLII . II. & LEONIS . X. PP. MM
Picturae . & . Architecturae . operibus . gloriam . auxit
Vixit . Annos . XXXVII . integrè . integros
Quo . die . natus . eſt . eo . eſſe . deſijt
VIII. Id . April. Anno . M. D. XX
Ille hic eſt Raphael, timuit quo ſoſpite vinci
Rerum magna parens, & moriente mori.

Vbi Vox *Integrè* non niſi ad mores transferri breuitas indicata vitae perſuadet. Nullum autem reliquit ampliùs locum imitationi Cauſinus, cuius eſt titulus ſepulcralis de Valerio Marciano in libro ab ſe inſcripto *Pietas fortunata.* videlicet

XXX.

FL. VALERIVS . MARCIANVS
Sola virtutum commendatione ad Imperium euectus
Pulcheriae coniugis integrae integer coniux
Moderatus domi . Princeps foris
Attilae furori modum poſuit
Quaſſatum Imperium contra Parthos, & Vandalos confirmauit
Prudentia, & orthodoxam fidem aduerſus Eutichem
Tutatus eſt fide
Vixit aetati ſatis. Imperio parum. Sibi ſemper victurus
Obijt An. Chriſti CCCCLVII. Imp. VI. Menſe VI

Integritatis hic quidem laudem, Virginitatis intellige in vtroque coniugum admirandam. Non eſt verò ſilendus locus Auguſtini Maſcardi Elogio de Vrbano VIII. ad Pontificatum Maximum viridi adhuc in aetate euecto: *Inuidiam aetatis integrae praerogatiuâ virtutis eluſit.* Ab hoc loco animauit ſententiam ſuam Fortunatus Columbus Collega noſter in Vita Ludouici Biſtoſti (cuius hiſtoriae capita ſimiliora Elogijs videntur, quàm ſua ſibi alij quidam inſcribant) quùm vocat *Cor hominis importuoſum*, pro obnoxium perturbationibus, & inquietum. Detur hìc etiam locus Io. Nicolao germano noſtro, ſimulque collegae. Qui à ſacra Virgine rogatus, inſcribere imaginem Chriſti Crucifixi, appictam fronti Breuiarij ſui precarij, ita dictauit: *Breuiarium Diuini amoris. Dilectus meus Ieſus Crucifixus.* Namque à libello ſcripto trahitur vox ad Chriſtum cruciatum; vtrobiquè autem compendium ineſt, illic precum Canonicarum, hic operum Diuini in nos amoris.

Poſtremùm, A Diuinis ad Humana. Ita in vetuſto monumento Romano apud Gruterum pag. XXV. num. 10.

XXXI.

IVNONI
IVNIAE . C. SILANI . F
TORQVATAE
SACERDOTI . VESTALI
ANNIS . LXIIII
CAELESTI . PATRONAE

hoc eſt validiſſimae patronae, ac praeſenti; ad eum ſenſum, ad quem loquitur Valerius Max. lib. III. Cap. II. num. 23. *Bello namque, quo Caeſar non contentus, opera ſua Oceani claudere littoribus, Britannicae inſulae caeleſtes iniecit manus;* nimirum potentiſſimas ſemperque victri-

ces manus. Non illa quoquè improbanda locutio, & ſi in marmore barbariem olente, apud Gruterum pag. MLXXXVI. num. 8. In hac enim parte integritatem praefert boni ſeculi, Videlicet:

XXXII.

D. D. N. N. FLAVIO . VALENTI
NIANO . ET . FLAVIO . VALENTI
DIVINIS . FRATRIBVS . ET
SEMPER . AVGVSTIS . DE
VOTA . VENETIA . CONLO
CAVIT

Neque enim hìc Deos nominat more ethnico; ſed Diuinos, quaſi Diuino munere conceſſos Reipublicae. Cuius ad exemplum Elogiaſta recens apud Suueertium in ſelect. Delic. inter Vratiſlauiana inſcribens Menſam, quam acceperat à Caeſare, Ferdinandum Imp. & Maximilianum II. Aug. appellat *Diuinos Monarchas*. Atque hinc manauit, vt in Bononienſi Epitaphio apud Suueertium in ſel. Del. inſcriberetur *AZONI . IVRISCONSVLTORVM . NVMINI*.

Cauenda porrò eſt laſciuia poetica in Metaphoris Elogio ſoluto inſerendis. Quod monuit eruditi Viri cenſura in locum illum Pighetti, Elogio de Anna Vueſton: *Hyblaeis fauis mixta vox*, pro *vox ſuauiſſima*. Sed de Metaphora fuſiùs libro ſequente.

De Metonymia.

Articulus II.

PLurimum venuſtatis hic Tropus colligit, queâdmodũ ſubiecta in rem noſtrã exẽpla indicat à locis petita, ex praeſcripto Rhetorum.

Primum, A loco Adiuncti pro ſubiecto inſcribitur A. Gellio frons operis ſui eruditiſſimi NOCTES ATTICAE; ſibi nimirùm vult ſtudia ſua per noctes in agro Attico. Id quod nobilius reddidit adſcripta illa antitheſis à Typographo, *A. Gellij luculentiſſimi Scriptoris noctes Atticae.* In vetuſto Arcu triumphali Romae apud Gruterum pag. CCLXXIV. num. 5. ſic habetur.

XXXIII.

GALLIENO . CLEMENTISSIMO . PRINCIPI . CVIVS . INVICTA . VIRTVS . SOLA . PIETATE
SVPERATA . EST . SALONINAE . SANCTISSIMAE . AVGV. M. AVRELIVS . VICTOR
DEDICATISSIMVS . NVMINI . MAIESTATIQVE . EORVM

cuius inquit, *inuicta virtus ſola pietate ſuperata eſt*, ideſt qui pius magis extitit, quàm bellicoſus. Haec in Ephitaphijs figura frequens. Splendidè habetur apud Suueertium in ſelect. Del. inter Neapolitana, videlicet

XXXIV.

Fides, Probitas, Pudor his cineribus perpetuò comites
Communem hìc aeternitatem expectant.
BARTHOLOMAEO . PACCIO . NICOLAO . MEDICI . ET . BEATRICI
EIVS . F. CIVIBVS . NEAPOLIT. EX . VETVSTISS . FLORENTIAE . FAMILIIS
NICOLAVS . ANELLVS . PACCIVS . ARTIVM . ET . MEDICINAE . DOCTOR
PATRI . AVO . ET . MATRI . OB . DEBITAM . PIETATEM . SIBI . ET . POSTERIS
POS. ANNO . A . DEO . HOMINE . MDLX

minùs autem lepidè dicendum, *Hi cineres ſunt hominum fidelium, proborum, pudicorum*. Illud quoquè formula aemulanda, ibidem.

XXXV.

PORTIAE . CARACCIOLAE
Qui legis Mortem incuſato
Quae tot venuſtatis ornamenta,
Tot Gratiarum elegantias
Tot pudicitiae floſculos
In vna Portia Caracciola germinantes
Acerbiſſimè ſepeliuit
Iſabella Soror Caſtrouillari Dux
Hanc illi vrnam
Immortalium cauſam lacrymarum
Erexit M. D. L

ſi

ſi fragmenta quaeris compendij gratia , prodibunt Elogiaſtae , & digni Elogio ſcriptores: Oct. Ferrarius Elog. de Coloredo Marchione: *Adoleſcentiae Principis moderator* pro Adoleſcentis Principis &c. Sigiſmundus Boldonius in ſuo Lario Capuanam villam deſcribens *Elegantiſſimos*, inquit, *receſſus opportuno ſitu conſtruxit erudita Herculis Sfondrati magnificentia*, pro, Hercules Sfondratus eruditè magnificequè conſtruxit, vel, eruditus magnificuſquè. Eundem in modum clauditur Epitaphium Brabantinum, apud Suueertium, *Ioanni Syluagio Equiti Aurato &c. Vxoris charitas, & liberorum pietas Poſuit*. Item Epitaphium Mediolanenſe in Diuae Mariae Scalenſis de Franciſco Vrſino Mediolanenſi, vt citat in ſuo Zodiaco Puccinellus: *Catharinae Vxoris, & Filiorum officioſa pietas hìc condidit*. Hinc inſcripſit Andreas Marianus Elog. Ruinarum Rom. *Regna vtriuſque Solis calcabat*; ideſt Orientalium terrarum, & Occidentalium. Aloyſius Iuglaris Elogio de Diuo Io. Bapt. Eremicola: *Pupugit Mundum cilicium Ioannis: Eo excitatus itinera ſalutis ingreditur*, ideſt Ioannes in cilicio, & vitae aſperitate. Idem Elogio de Chriſti Ieſu ſudore cruento in horto Gethſemani: *Exegit auarus dolor ab omni membro tributum, Nulli ſudorem, nulli lachrymas condonauit*. Pro dolore intellige Chriſtum dolentem. Paucis multum congeſſit elegantiae Emanuel Theſaurus in Epigrapha mortuali de Thoma Principe Sabaudo:

XXXVI.

Heu quanta iactura.
Decus, Victoriam, Virtutem, Gratiam
Hìc Mors concluſit
Sed effractaria euolauit Fama.

Rurſus ex antiquis marmoribus accipe apud Gruterum pag. CLV. num. 3.

XXXVII.

IMP. TITVS . CAES. VESP
AVG. PON. M. TRIB. P. V
COS. VIII. P. P. GENERIS
HVMANI . AMOR . EST . DE
SIDERIVM . ETIAM . VIVENS

Indidem quaeſiuit leporem Author recens Tumulo honorario Reginae Hiſpaniarum in parentatione planè Regia, celebrata Mediolani in Templo Maximo, ita inſcribens

XXXVIII.

MARGARITA
HIC . IACET
ORBIS . AMOR

in qua nimirum Amor Orbis collectus erat. Ita in Epitaphio filioli: *Simon, & Ludoica Parentes moeſtiſſ. Amoribus, & Delicijs ſuis. Poſſ.* Neque feſtiua minùs Epigraphe ſub imagine Petrarchae vatis dedicata in Arce Ducis Vrbinatis.

XXXIX.

FRANCISCO . PETRARCHAE
OB . ACERRIMVM . INGENIVM . SVAVISSIMAEQVE
INGENVITATIS . DOCTRINAM . POSTERITATIS
LAETITIA . LVSVSQVE . DICAVERE
B . M

Intellige, Poſteri laeti, ludenteſque dicauere benemerenti. Porrò hic modus cum ſale eſt adhibendus, quem quidem deſiderare videtur Epitaphium recens Neapolitanum apud Suueertium in Sel. Del.

XL.

D. Matthaeus Caracciolus Protonotarius Sanctitatis
Domini Papae. Qui obijt An. Dom. MCCCXIV. &c

rectiùs Sanctiſſimi Domini Papae.

Secundùm, ſubiecti pro Adiuncto, vt apud Florum lib. III. Cap. X. *Hyeme creuerant Alpes*, ideſt niues, quibus per hyemem Alpes obruuntur. Hinc Animus pro Voluntate poſitus, cui haec adiuncta, vt apud Gruterum pag. DCCC XLIV. num. 7.

XLI.

D . M
AMFIONI . FRATRI
PIISSIMO . QVI . AD
DIEM . MORTIS . SVAE
SIMPLICI . ADFECTIONE
VNOQVE . ANIMO . EGIT
MECVM . VIXIT . AVTEM
ANNOS . N̄ . XXI . VIIII
D . VIII . ZETHVS . CV
RAVIT . FACIENDVM
FRATRI . DVLCISSIMO
ADQVE . INCOMPARABILI

Quoniam verò in bile accenditur iracundia, ideo pro illa vſurpatur apud Gruterum pag. DCCLXXXVII. num. 2.

XLII.

D . M
Q. GAVIVS . SEVERVS
RVTILIAE . PRIMITIVAE
CONIVGI . SVAE . DVLCISSI
ME . CVM . QVEM . VIXIT
ANNIS . XX . SINE . BILE

barbarum enimuerò marmor (in rem tamen noſtram non inelegans) ex fide Smetij, inquit Gruterus, nec illum tamen vidiſſe, vt ſolet, ſubiungit. Verùm (ecce quàm nutans fides hominum) alio loco refert ex fide Apiani, ideſt pag. CIƆXL. n. 3. emaculatum in parte, in parte etiam corruptum, quia variat in perſona, videlicet:

XLIII.

D . M
Q. CAVIVS . SEVERVS
RVTILIAE . PRIMITIVAE
CONIVGI . SVAE
DVLCISSIMAE
CVM . QVA . VIXI
ANNIS . XX . SINE . BILE

Tertiùm, Continentis pro Contento. Maximianus Denza in ſuo Theatro Lucenſi, Elogio de Martino Bonuiſio: *S. P. Q. L. Romanum pectus in Etruſco Viro d. laudans*: ideſt Romanam virtutem, ac fortitudinem. Iugularis in Virtutibus Infulatis, Elogio de Diuo Martino Turonenſi: *Cùm in fures offenderet, ſuà ſecuritate defenſus; Illis nequitiam eripuit, qui ſibi vitam rapere voluiſſent* . (& poſt pauca) *Nihil ab Erebo metuens; Nihil à Caelo non ſperans*; pro nihil à Cacodaemone, ſeu aſſeclis eius hominibus improbis metuens; Nihil à Deo, Diuiſque Caeli incolis non ſperans; Ad imitationem Virgiliani dicti Aeneid. VIII. *Caelo gratiſſimus amnis*. Franciſcus Pona, Elogio de Vitellio Caeſare: *Venter huic Deus, non Iupiter, cuius delubrum incendit*: Pro Ventre dapes, quibus ventrem conſarciebat. Fortunatus Columbus de Ludouico Bitoſſo: *Pectus nudat*, ideſt affectus intimos pandit.

Quartùm, Auctoris, ſeu Inuentoris pro opere, & re inuenta. Franciſcus Pona Elogio de C. Iul. Caeſare: *Sacratà Marti, Venerique iuuenta, litauit vtrique*; id eſt ferociae, & impudicitiae. Albertus Elogio de Diuo Antonio ad obſcoena ſolicitato per Cacodaemonem: *Adducit Venerem Iuueni ad deſerta*. Brunellus Elog. de Scipione Africano: *Captiuae Virginis pulcritudine nunquam potuit capi*: *In hoc Marti diſſimilis, quòd Venerem non amauit*. Extat Rauennae in foro marmor ſub inſigni gentilitio Io. Stephani Donghij, Legati Pontificij, Auctore Laurentio Martinozio Praeſule de familia Diui Benedicti, dein Epiſcopo Ilcinenſi ita inciſum:

XLIV.

CARDINALI . DONGHIO . LEGATO
QVEM
LAXIORIS . ANNONAE . CVRA
AVARA . NIQVIDQVAM . CERERE . ADVERSANTE
IVSTITIA . SONTES . VNDECVNQVE . AD . POENAS . REVELLENS
PROVINCIA . AD . STVPOREM . PARENTE
TAM . PROBIS . CARVM . PRAEDICANT . QVAM . IMPROBIS . METVENDVM
RAVENNA . ADRIATICI . AD . MOENIA
FAMVLANTIS . BENEFICIO . NOBILITATA
TRIVMPHALE . HOC . STEMMA . AD . AETERNITATEM . EREXIT
KAL . SEPT . M . D . C . LIV

Quintùm

Quintùm, Rei effectae pro efficienti. Vt cùm in Dedicationibus inſcribebant FORTVNAE. REDVCI, quae ſcilicet redire faciebat incolumes. Nam *redux* propriè eſt qui redit. In antiquo Epitaphio: LVCRETIAE. PVDICITIAE. DECORI. MVLIERVM. GLORIAE: quippe ea foemina in Romanis decantatiſſima paginis, decus contulit ipſi pudicitiae, gloriam cunctis mulieribus. Accipe Epitaphium ex Grutero pag. MXXXVI. num. I.

XLV.

P. VARIO. L. F
HILARO
FILIO. VNICO. ET
DELICIO. SVO
CARISSIMO
L. VARIVS. FAVSTVS
AELIA. HILARA
PARENTES
VIXIT. ANN. VI. M
III. D. XII

delicium ſuum vocat, ideſt per quem ipſe delicijs fruebatur. Alibi in Epitaphio Puellulae: *Tormentum Saloni*, *Animula dulcis*, *ſuauis Animula*, id eſt, quae affert Salono tormentum. Legendum eſt Epitaphium apud Auctorem Inſcript. ſacroſ. vetuſtatis

XLVI.

CRVDELES. PARCAE. QVAE. NEMINI. PARCVNT
INVIDERE. MIHI
HIC. SITVS. EST. LIGVRNVS. PVER
DOLOR. PARENTVM

Cui congruit illud recens Neapolitanum in D. Annunciatae, ex Suueertio in ſelectis Delicijs

XLVII.

LVCRETIA. EBVLA
PERPETVVS. MARITI. DOLOR
HIC. SITA. EST
VINCENTIVS. LOFFREDVS. CONIVGI. DVLCISS
FECIT

et illud ibidem in Diui Dominici:

XLVIII.

PORTIA. CAPITIA
VIVA. GAVDIVM. MORTVA. MARITI. GEMITVS
HIC. SITA. EST
BERARDINVS. ROTA
PERPETVO. MOERENS. PERPETVO. LACHRYMANS
PROH. DOLOR. QVANTVM. FVIT. CARISSIMA

Nec poenitebit illud ſubtexere ibidem citatum in Diuae Mariae (vulgò de Porta noua)

XLIX.

IOANNES. DE. CABANIGLIS
TROIAE. COMES
FATI. ACERBITATE. LVCTVS. PERPETVVS
QVIBVS. MERITO. MAXIMA. ERAT. SPES
⊙. ANNO. M. CCCCLXXXIII. B. ANN. XXX

* B. pro V. *Bixit* pro *Vixit* antiq.

Item aliud ibidem, Burgis: LOYSAE. SIGAEAE &c. cuius clauſula eſt: *Vale Beata Animula*, *Coniugi dum viuet*, *Perpetuae lachrymae*. Bouius è Societ. Ieſu, Elogio XCIII. de cuſtodia caſtitatis in Diuo Ignatio: *Dalida*, *Bethſabea*, *cladium nomina ſunt*. *Et ne calonum aggeſtus repues*, *aut lixarum*, *Sampſones ſtrati*, *Dauides* &c. Cladium inquit nomina, earum ſcilicet

ſcilicet foeminarum, quae auctrices cladium extitere. Indidem ſumpſit Emanuel Theſaurus ſententiam ſuam, Elogio de Chriſto: *Tu votorum meta, Patrium Orbem benemerendo diſcurrens*, ideſt benefaciendo. Hinc vocem Benefactoris vti minùs latinam excluſimus ſuprà, lib. II. Claſſe VI. Memb. VI. cuius loco reponebant Antiqui *Benemerentis*. In hunc ferè ſensũ habet Epitaphium Mediolanenſe ad Diui Ioannis (vulgò in Concha) de Vincentio Serenio Statuario, & Architecto: *Cùm in benemerendo de Architecturà, deque Patria conſenuiſſet* &c.

Sextùm, efficientis, aut Inſtrumenti pro Re effecta, vt Stylus, Calamus pro ſcripto. Celeberrimum eſt Epitaphium T. Liuij; & quamquàm vetuſtatis fides ſit Grutero ſuſpecta, de venuſtate tamen nemo vnus adhuc contendit, videlicet:

L.

OSSA . T. LIVII . PATAVINI
VNIVS . OMNIVM . MORTALIVM . IVDICIO . DIGNI
CVIVS . PROPE . INVICTO . CALAMO
INVICTI . P. R. RES. GESTAE
CONSCRIBERENTVR

ſcilicet inuictum huius calamum Elegantiam intelligit hiſtoriae à nullo adhuc Scriptorum aequatam. Porrò inſtrumentum locutionis linguam pro ipſa locutione Octauius Ferrarius magnificè vſurpat, Elog. de Dominico Molino: *Animo nihil pulchrius, nihil anguſtius vnquam fuit. In hoc Ciuilis prudentia Sacrarium, Muſae domicilium poſuere. Conuerſis hùc omnium gentium ingenijs, atque linguis.* Lepidè enimuerò Tumulus Politiano inſcriptus, vt apud Suueertium in Sel. Del. inter Florentina

LI.

POLITIANVS . IN . HOC . TVMVLO . IACET . ANGELVS . VNVM
QVI . CAPVT . ET . LINGVAS (RES . NOVA) TRES . HABVIT

Septimùm Signi pro re ſignata; vt Aquila pro Romano Imperio, leo pro Veneto, lilium pro Gallico. Legendum eſt Epitaphium Peruſinum in Diuae Mariae Nouae, Auctore Octauio Lancellotto Philologo celeberrimo.

LII.

Cubat hìc
CLAVDIVS
Ex Archipresbyteris de Pinna
Vir loco, ordine, munere
Spectatiſſimus
Spectauit Peruſia optimatem Pinnium
Sacrum Diuo Stephano Equitem Florentia
Bellatorem Echinades praeualidum
Militum Tribunum Epirus & Creta
Auenio Legatum maximum
* *Gryphus denique lachrymabundus*
Aetatis, non gloriae caſſum
Lumine
Tantum Patriae Gentique cecidit lucis
Anni cadentis
M. D. CXVI
Luce ante Idus Decembris Sexta
Aeternùm cum Aeterno luceat
Hoſpes ſi ſapis
Excuba.

* Scilicet ne nomen iteraret Peruſiae, Gryphum eius Vrbis inſigne poſuit pro Vrbe; nec ignotum mehercule Lectori futurum, ni Vrbem ipſam neſciat, vbi oblatum oculis ſuis videt Epitaphium.

Octauùm, Materiae pro Materiato. Eiuſmodi viſitur Romae recens Inſcriptio citata in Selectis Delicijs apud Suueertium, antiquis ſimplicibus haud minùs nobilis.

LIII.

SIXTVS . V. PONT. MAX. PICENVS
PAVPERIBVS . PIE . ALENDIS . NE . PANE . VESTITVQ. CAREANT
MVLTO . SVO . COEMPTAS . AERE
HAS . AEDES . EXTRVXIT . APTAVIT . AMPLIAVIT
PERPETVO . CENSV . DOTAVIT
ANNO . DOM. MDLXXXVII. PONT. II

Multo

multo inquit ſuo aere, ideſt pecunia. Theſaurus Elog. de Caligula Caeſare. *Aurum Imperij, non laurum amans*. Vbi tropus geminus Materiae; ſcilicet Aurum pro pecunia, laurus pro corona. Franciſcus Pona Elog. de Tito Caeſare: *Sitiuit aurum auro ſatur*, quippe auarior fuit, quò ditior.

Poſtremùm, Materiati pro Materià. Iuglaris, Elogio de Chriſto apud Aegyptios commorante: *Regnaturum in arbore Arbor vnaquaeque praeoccupare curat obſequijs*, intellige In Cruce, cuius materia ex arbore. Et quia non ex vna, ſed multiplici arbore compactam fuiſſe Crucem Dominicam tradunt nonnulli, videtur Iuglaris alluſiſſe ad illud Virgilianum Elog. IX

Serta mihi Phyllis legeret, cantaret Amynthas. ſerta videlicet pro flore multiplici, vnde illa componuntur. Leo Matina, Elog. de Vrbe Mediolano: *Alpes totas media Vrbe congeſſit*, intelligit de Templo maximo marmoreo, molis eximiae.

De Synecdoche.

Articulus III.

HVius pariter Tropi capita quaedam illuſtrabimus exemplis Elogiographorum; de caeteris daturi locum ingenio ſtudioſi lectoris.

Primùm ergo Partis pro Toto (in quo cauenda licentia Poetarum, ſi ſolutum pangatur Elogium) ſaepe in antiquis monomentis Anima ponitur pro Homine, quemadmodum apud Gruterum pag. DCLXI. num. 13.

LIV.

POSTVMIA . A. Ↄ. L ★ *Aula Caiae Liberta*
SECVNDA
V. . A. VIII ★ *Vixit Annos VIII*
ANIMA . DVLCISSIMA
HIC . SITA . EST

Quod haud infrequens eſſe veteribus, indicat alterum Marmor apud eundem pag. DCCCXXI. num 11.

LV.

D . M
PRISCAE
PRIMAE
ANIMAE
INCOMP ★ *Incomparabili*

Quod imitatus Iuglaris Elogio de Chriſto Centurionem lucrante per ſeruum aegrotum, ait *Accurrite ad Chriſti Ducis ſtipendia, Pugnaces Animae*, ideſt Homines pugnaces. Pro Homine etiam Caput vſurpes, vt apud Gruterum pag. LXXIII. num. 8.

LVI.

FORTVNAE
AVG &c
MILITES . LEGIONIS . VI
DEVOTIS . CAPITIBVS

Capita verò deuota vocantur hoc loco Milites qui mortis periculum haud formidantes, propria nece cladem auerterant Reip. Haec Inſcriptio tota citatur infrà Memb. XVI. Capitis III. Franciſcus Pona Elogio de Gabba Caeſare: *Proletaria capita in eius caput conſuplere ludibria*. Nimirum homines, ſeu milites proletarij caput Galbae amputatum, pollice per os ad ludibrium inſerto, detulerunt ad Othonem. Iuglaris Elogio LXXIII. de Chriſto: *Ita ad te omnia trahens Pater ſolatia doloris tui contra opinionem mortalium, Ne fidiſſima quidem capita in fellis partem vocaſti*: id eſt amicorum, & neceſſariorum tuorum finiſſimos. Iacobus Philippus Camola Elog. in Antonium Brunum Poetam Etruſcum celeberrimum: *Perennem cari capitis gloriam exoſculatus* &c.

Secundùm, Totius pro Parte. Sic Auctor tumuli honorarij, quem citat ſuuertius in monum. Brabantinis: *Ioannes Miraeus Bruxellae natus Belgeco Orbi natus* &c. ideſt regioni Relgice notus, quae Orbis pars eſt. Ita vbi in Epitaphijs habetur: *Hic iacet Iulius*, aut *Marcus* &c. interpretare eius hominis cadauer, oſſa, cineres: Quandoque interpretandum de Anima, vt in Ephitaphio Mediolanenſi in Principe Eccleſiam noſtri Ordinis, hoc eſt in Diui Barnabae, videlicet:

IO.

LVII.

IO. ANT. ODESCALCO . COMENSI
REG. SENAT
VIRO . INTEGERRIMO
ANNA . CARCASSOLA . MEDIOL
PATRIBVS . CAETERISQ. VIRVM . CHARISS
AD . SALVTEM . COMMENDANS
MOESTISS. P
OB . VI. ID. NOV. MDXXCIX

Virum chariſſimum, ideſt eius Animam, ad ſalutem commendat.

Tertiùm, Generis pro Specie. Octauius Ferrarius in Epitaphio; *Ioanni Dominico Salae Medicorum praeſtantiſſimo; Qui antiqua Artis miracula reuocans, non ſemel fugientes Animas repreſſit* &c Artem in ſpecie intelligit medicinam. Idem Elogio irriſorio in Magiſtrum Corlominium: *Grande hoc inſanientis Sapientiae depoſitum ſimul de poteſtate exijt, & matre: Belluſque hic pullus, veluti ad gentiles, & agnatos, ad Muſas capiſtro ductus eſt* &c. Pullum hìc vocat genericè, inſinuans in ſpecie Aſellum, hominem ſcilicet carpens inſigniter fatuum, eundemque iactabundum.

Quartùm, Speciei pro Genere. Iuglaris in Inſulatis Virtutibus, Elog. de Diuo Cypriano Carthaginenſi. *Aeque foecundus ingenio, ac facundus eloquio: Nunquam diſcere renuens: Nunquam dedignitatus docere, Suum etiam Carthagini Tullium dedit*; ideſt ſemet reddidit abſolutiſſimum Oratorem, ac Rhetorem. Leo Matina Elog. de ſereniſſ. Vrbe Veneta: *In ſago Caeſares, In toga non deſunt illi Catones*, id eſt Imperatores fortiſſimi, Senatores prudētiſſimi. Aſcanius Perſius Encomio de Friderico Pendaſio Philoſopho, cuius Auditor Aeneas Vizanius: *Qui Philoſophiam ab ore illius hauſerat; quem, ſi latinum dixeris Ariſtotilem, nihil tu Graeco illi detraxeris.* Latinum Ariſtotilem nuncupat, pro ſummo è latinis Philoſophis. Inſeri hìc iterum poſcit Dedicatorium Elogium Theorematum, Auctore Bernardino Manzonio Caeſenate, ordinis Franciſcani, Viro excultiſſimo, & erga ſixtum Pont. Max. olim collegam ſuum obſeruantiſſimo, videlicet.

LVIII.

SIXTI . QVINTI
PONTIFICVM . PRINCIPVM . SAPIENTVM
SVMMI . OPTIMI . MAXIMI
GLORIOSO . NOMINI . MEMORIAE . IMMORTALI
QVI
MVSARVM . MOECENAS . LEGVM . NVMA
LABORVM . ALCIDES
ORBEM . MERITIS . VRBEM . MIRACVLIS
SE . IPSO . MAIOR . IMPLEVIT

vbi Moecenatem pro patrono, Numam pro conditore, Alcidem pro forti, ſpecierum ſcilicet nomina pro generibus ſcitè vſurpat. Quo in genere cauenda eſt nimia frequentia, ne Inſcriptionem totam hic locus occupet. Raritas autem explicat clariùs inſtar lapilli lucem huiuſce ſchematis, vnde habet pretium Titulus ſepulcralis in Caeſarem Galbaratum Auctore Pola: *Quem Vitae integerrimum, Iuris ſcientiſſimum, Forum, Puteal, Senatus iudicarunt, probarunt.* Pro Tribunali ſcilicet, quae eſt vox generica, Puteal ponitur, locus peculiaris Romae iuri dicundo deſtinatus; Tribunalis idcirco nomen proprium.

Quintùm, Pluraiis numeri pro Singulari. Octauius Ferrarius Elog. ſub Imagine Bragadeni *Sacros vultus, Venetae maieſtatis ſimulacrum* &c *Decuriones dicarunt* pro ſacrum vultum. Idem ſub Imagine Roberti: *Sic ora ferebat Franciſcus Robertus*. Idem ſub Molini: *Hos habuit vultus Dominicus Molinus*; *Hoc aſpectu maieſtatis pleniſſimo omnium amorem, ac venerationem adeptus eſt*. Et conrrà ſingularis pro Plurali: Maximianus Dezza Elog. de Bonuiſio: *Martinum Bonuiſium, Stirpe, Opibus, Gloria clariſſimum: Patricium Senatus, Imptratorem Miles, Patria Parentem, Omnis omnium ſeruatorem Ciuis immortalitate donandum putauit*. Miles & Ciuis poſuit pro Milites, & Ciues; ita cum reliquis Inciſis *Senatus Patria* perbellè concinit.

Sextùm, Conſequentis pro Antecedente. Octauius Ferrarius in Epitaphio de Vitale Lando

do: *Hos habuit vultus Vitalis Landus Hieronymi F. Antonij Procuratoris Fr. Qui inoffenſo gradu per omnes honores vectus* &c. Honor pro Dignitate, ſeu Magiſtratu, quia ſubſequitur, & velut vmbra corpus, comitatur. Ita cùm pro Morte vſurpatur Funus, quod eſt conſequens, proprièque eſt pompa exequiarum, de quo mox Epitaphium in exemplum. Interim obſeruabis in Epitaphio Neapolitano (apud Suueertium in Sel. Del. de Caecilia Ianuaria *elata ex abortu cunctis collachrymantibus*, ideſt mortua. Lepidum ab hoc loco habes Epitaphium vetus apud Gruterum pag. DCCCCLXXXXIX. n. 6. videlicet

LIX.

VALERIVS . M. L. PHILOLOGVS
QVTIA . SILVANA . VCXOR
VIRVM . EXPECTO . MEVM

Eſſe autem intelligitur Sepulchrum vtrique coniugum deſtinatum. Sed Vxor prior defuncta, ex conſequenti, quia Virum expectat.

Septimùm, Antecedentis pro Conſequente. Oct. Ferrarius tumulum venuſtiſſimè ſic inſcripſit Patauij:

LX.

PVELLIS . INNVPTIS
ACERBO . MERSIS . FVNERE
RAPTIS . AB . VBERE . AC . VITAE . LIMINE
INFANTIBVS
CASTIS . ET . INNOCENTIBVS . ANIMVLIS
COMMVNE . SEPVLCRVM
HVMANAE . IMBECILLITATIS . MONVMENTVM
IGNOTORVM . LACHRYMAS . EXCITVRVM
DIVI . PHILIPPI . SODALES . STATVERVNT

En antecedens *raptis ab vbere*, pro conſequente *mortuis*: Simul etiam (quod nuper ſponſum) conſequens mortem *acerbo merſis funere*.

De Allegoria.

Articulus IV.

Allegoriae nomine, continuata intelligitur Translatio. Conſule Rhetores, & quae nos libri ſubſequentis Cap. III. Hic autem ſat erit ſufficere ex Elogiaſticis exempla ſelecta, illudque primùm offertur vulgari nixum adagio, quo, filius paternae ſenectutis vocatur baculus, magnificè expoſitum veteri Epitaphio apud Gruterum pag. DCLXXXIV. num. 6.

LXI.

M. L. FLORVS . M. FL. F. M. L. FL. PRONEPOS . INFELI
CISS. PARENS . AFFLICTVS . PRAEPOSTERITATE
NAT. HV. FILIVM . VN. H. COND. QVEM . IMPORTVNA
MORS . ADEMIT . PRAERIPVITQVE . SENII . BACVLVM
CVI . IAM . DEFESSA . AETAS . ADNITENS . PERBREVES
ANNOS . SS. ALLEVABAT . HVNC . ANTE . MORS . ADSEQVITVR
QVAM . TRISTES . LACHRIMAE . DESERVERINT
NOTA . POST

Hinc argumentum deſumpſit Auctor Epitaphij Neapolitani apud Suueertium in Select. Delic. vtrùm cum laude imitationis, an ſcripturae, tu videlicet, prudens lector, cenſebis. Eſt autem huiuſmodi:

LXII.

Ioannis . Morimini
Quàm praepoſterè res ſe ſe humanae habent!
Cuius mihi dulciſsimas manus oculos priùs claudere fas fuit
Infelıciſs. parens
Filium hìc antè condidi meum.
Ademit importuna mors ſeni baculum
Cui defeſſa iam adnitens aetas
Annos alleuaret ſuos,
Nunc antè me mors aſſequetur
Quàm hae laehrymae deſerant.
Carolus Moriminus Ioanni F. B. M. Poſ.

Integram verò laudem obtinent è recentibus Elogiaſtis Em. Theſaurus exhibens Epitaphium Alexandri Macedonis Allegoriâ à re horariâ petita.

LXIII.

QVAM . CITO . MAGNA . FLVANT
TE . MONET . HAEC . CLEPSYDRA
VBI . VRNA . PYXIS . EST
ALEXANDER . PVLVIS

A re theatrali venuſtatem habet Epitaphium apud Suueertium in Select. Delic. inter Neapolitana

LXIV.

IVLIVS . FELTRIVS
ERAM
ANNO . CHRIST. SALVT
M. D. XXVIII. MARTII . DIE
IIII
ET . FABVLAM . CLVSI . MEAM

Et illo ab Agriculturâ non aliud floridius, quod legitur Romae in D. Ioannis ante Portam Latinam, metricè ſcriptum, vt cum argumento ſtylus colluderet:

LXV.

IOANNI . BAPTISTAE . FLORENTIOLO
PVERORVM . FLOSCVLO
NE . DVLCES . FERRES . FRVCTVS . MELLITE . IOANNES
DECVSSIT . FLORES . MORS . INIMICA . TVOS

bella ſcilicet Allegoria, quam ſuggerit ipſum argumentum ex aliquo adiuncto.

Ex alijs Elogiaſtis accipe haec fragmenta ad locupletiorem ſiue vſum, ſiue doctrinam: Elogium, nomine Venetae Eccleſiae expoſitum Federico Cornelio Cardinali & Patriarchae ſic habet: *Poſt alias Vrbes ſacris habenis fraenatas*, ideſt poſt alios Epiſcopatus adminiſtratos. Iacobus Accariſius Elogio de Eleonora Gonzaga Caeſari nupta: *Amoris ſui magnes Septentrionis aſpicit polum*. *Albertus* Elog. de Diuo Auguſtino Eccleſiae Catholicae propugnatore: *Vnus & retundendis hoſtibus clypeus, & iaculum contundendis*. Franc. Pona Elog. de Galba Imp. Neronis ſucceſſore, non tamen affini, quòcum & extincta Caeſarum ſeries: *Gracilis hedera ruinis Auguſtorum adhaeſit*. Idem de Tiberio libidinis mancipio: *E grege Epicuri ſus egregius*. Iuglaris Elog. de Diuo Io. Baptiſta vrbes in heremum trahente: *Plane virtus nunquam minùs ſola eſt, quàm cùm ſola* (deinde paulò) *Magnes haec populorum*: *Probos trahit in admirationem, improbos in cenſuram*. Brunellus Elog. de Alexandro Magno: *Iliadem cum pugione maritauit, vt caedes, & incendia pareret*. Auctor Ethopeiae de Mantuano excidio, quod accidit Anno Dom. MDCXXIX. *Reuiuiſcat ſaltem, & heroico gemitu defleat Vates meus Troiae recentioris incendium*: *Vlyſſem dedit Sabaudia, Liguria Achillem, Aiacem Forum Iulij, Helenam ego ipſa ruinis meis* (& paulò pòſt) *ſteti tot menſibus, quot annis Ilium, & adhuc ſtarem, ſi foederatorum copijs inſtructus, mucronibus inſidiantium obſtitiſſet Hector meus* &c. Nihil mehercule hac allegoriâ venuſtius, nihil plenius. Giarda noſter Elogio de Philoſophia naturali ad ſuas Icones Symbolicas:

Symbolicas: *Intuêre Lector, & admirare Philoſopiam Admirationis filiam, neptem Ignorationis, Cognititnis parentem, Amoris ſponſam, comitem Laboris* &c. Auctor Elogij in Marchionem Leganenſem Mediolanenſis Prouinciae Praefectum pro Rege Hiſpaniarum alludens ad extinctum in praelio Ducem hoſtilium copiarum: *Procus infelix in conſpectu moritur Italiae, quam viuus intemperanter adamauit.* Alphonſus Rhaudenſis in ſuo Coloſſo ex Athio monte ad Caeſarem Montium Nuntium, Cardinalem, Patriarcham, Archiepiſcopum: *Te ipſum grande Theatrum aperuiſti in luce nationum omnium. In qua innocens certamen meritorum eſſet, & honorum: Vtrorumque victoria.*

Haec optima exempla limam ſubminiſtrant Epitaphio recenti, in Diui Barnabae Mediolani, videlicet;

LXVI.

A labore quieſcentibus
Suis ſuorumque oſſibus
Io. Paulus Chiocca
Poſuit
Vnà cum Nicolao fratre
Donec optata dies veniat
M. D. LXVIII

Illa ſiquidem clauſula (*Donec optata dies veniat*) è ſacro codice Iobi deſumpta exigere videbatur, vt à metaphorà congruente inchoatum Epitaphium Allegoria exiſteret hoc fere modo: *In vmbrà Mortis quieſcentibus ſuis, ſuorumque oſſibus.* Alludendum ad ſacrum dictum Zachariae in Cantico: *Illuminare his qui in tenebris, & in vmbrà morsis ſedent.* Ita cum die optatà reſurrectionis bene colludit Vmbra mortis.

De Metalepſi, & Catachreſi.

Articulus V.

QVae plerùmque horridior habetur in Tropis, Metalepſis, ea quandoque ratione argumenti poſcente fit amoena. Cauenda itaque licentia, quae & obſcuram reddit ſententiam, ne dum auſteram. Bellè in Elogio dicitur à Pona Vitellius Caeſar *Menſarum Scilla, Vni impar virtute, Par ingluuie millibus.* A Brunello in Elog. *Romulus Caelum mendacio acquiſiuit*, ideſt falsò praedicatus, & creditus Caelum aſcendiſſe. Delmonacus autem Elog. de Paulo IV. Pont. Max. *Maximo* inquit *fidei aſſertori ne deſit fides, Nec ſuo ſepiat ſe atramento fraus,* ſumptà nimirum à Sepià piſce allegoria, quae hoc pacto recondita eſt; ſed & fraudi ſignificandae ipſa obſcuritate bellè congruit.

Catachreſin, Metaphoram duriorem appellant Rhetores vitandam proinde Elogiaſtae, niſi in vocibus vſu boni ſeculi emollitis, de quibus conſultos volumus ipſos Rhetoras. Exemplo vno continebimur vſurpati, ſed vitiosè, huius Tropi in monumento ſuperioris ſeculi, quod extat in oppido Codonio, è Triuultiorum Toparchià in Prouincià Mediolanenſi, videlicet

LXVII.

D . O . M
DEIANIRA . COMNENA . EX . STIRPE . CAESARVM
SERENISS. CONSTANTINI . MACEDONIAE . PRINCIPIS . F
GEORGII . COMITIS . TRIVVLTII . VXOR . PIENTISS
VT . VINCERET . FORTVNAE . INVIDIAM
QVAM . ADVERSAM . INVICTA . SVSTINVIT
OTTHOMANICA . LICET . TYRANNIDE
PATRIIS . EXVTA . DOMICILIIS
TEMPLVM . HOC . SPLENDIDE . INDVIT
PROFVSIS . DONIS . PIE . LEGATIS

Atqui *induit* de Templo duriùs vſurpatum, quidquid vulgus Iuriſconſultorum hodie dicat *inueſtire*. Rectiùs dictum *ornauit, ditauit, inſtruxit*.

De Hyperbole.

Articulus VI.

MOderatè, ac prudenter hunc tropum ſi adhibeas, venuſtatem Elogio contrahit; ſin ſecùs, ridendam deformitatem. Exempla ex antiquis, & recentibus haec habe. Epitaphium Beneuentanum (citatur inter Memorias Sacroſanctae vetuſtatis) vt moerorem explicet orbitatis parentum, rectè ad vſque hyperbolem exaggerans dicit:

LXVIII.

L. SCERINI . ANNEI . AFRICANI
FIL. DVLCISSIM. QVI . VIXIT . ANN
XII. M. VIII. DIES . X. PARENTES . INFE
LICISSIMI . AMISSIONE . EIVS . PERPE
TVIS . TENEBRIS . ET . QVOTIDIANA . MI
SERABILI . VLVLATIONE . DAMNATI

Perpende illud *perpetuis tenebris*, & *quotidiana miſerabili vlulatione damnati*: Rectè enim dixeris, colores hic ſuos hyperbolem conſumpſiſſe. Extollitur apud Gruterum ſpecies infantis demortui non ſinè amplificatione patrij luctus, pag. DCCXVII. num. 11. videlicet

LXIX.

FVNDI . HVIVS . DOMINVS
INFANS . HIC . IACET . SIMILIS
DEO . HVNC . AB . ANTE . OCVLIS
PARENTIS . RAPVERVNT . NYMPHAE
IN . GVRGITE . MONVMENTVM
QVOD . FILIVS . PATRI . FACERE
DEBVERAT . IPSE . FECIT . PATER

Occurrunt alibi exaggerationes alio, & alio in argumento. Cuiuſmodi ſunt illae: *Clodiae Coniugi cariſſimae. Foeminae omnium ſanctiſſimae.* Et de Coniuge defunctà: *Animula dulciſſima, ſuauiſſima, in Deorum numerum recepta*, Item: *Coniugi dulciſſimae, quae ſi ad metam perueniſſet, neque Hominibus, neque Dijs inuidiſſet.* Item de patrono: *Clementiano patrono inimitabili, cuius facta enarrari non poſſunt.* Accipe autem Epitaphium totum de Adoleſcentulo citatum à Grutero pag. DCCII. num. 12.

LXX.

L. PROCVLO . L. F. XVI. ANN. NA
TO . QVI . NIHIL . CVM . ADOLESCEN
COMMVNE . HABET . SENES . SAPIEN
ANTEIVIT . SEX . TERTVLLIA
MATER . AD . LACHRIMAS . RELIC
HOC . MONVMEN . EREXIT

ſuperlata enimuero haec laus, quod vix dum ephoebus, & nihil cum aequalibus commune habuerit, & ſenes ſapientià anteiuerit.
In recentibus memorijs Romana illa (quam habes apud Suueertium in Sel. Del.) venuſtatem cum dignitate habet maximam. Hanc ſic accipe:

LXXI.

PHILIPPO . III . REGI . CATHOLICO . INTEGERRIMO
CLEMENTISSIMO
CVIVS . IMPERIVM . VIX . AEQVAVIT . AMBIENS . OMNIA
SOL
POTENTIAM . SOLA . RELIGIO . SVPERAVIT
HISPANORVM . NATIO . P
III. NON. AVGVSTI . MDCXXI

Marcellus Buttiglius in nuptijs Parmenſibus Elog. in Baſi ſtatuae Caroli V. ſic inquit de Sponſis: *Quorum merita cùm vnus Orbis non capiat, Nec virtutes referre Sol vnus ſufficit.*

Hiperbolicam libertatem metricis Elogijs faciliùs condonamus, cuiuſmodi eſt Epitaphium Romanum, vbi ſuprà, citatum.

LXXII.

M. ANTONII . COLVMNAE
PARENTES . POS
SI . SPECTAS . ANNOS . BIMVM . LVXERE . PARENTES
SI . MENTEM . ISTE . SENEX . NASCITVR . ET . MORITVR

Ex

Ex Elogiaſticis Panegyricis, qui proſà panxerunt, haec damus fragmenta. Albertus Elogio de Scriptis Diui Auguſtini Doctoris Eccleſiae; *Humanae vitae compendium vix ſatis percurrendis futurum, quibus admirandis ipſa impar aeternitas.* Iuglaris Elog. de Diuo Io.Baptiſta puero in eremum ſecedente: *Caelo ipſo celſior animus, Incapax alio tecto, quàm Caelo tegi.* Et mox: *Camelorum pellem induitur, qui ſuam propemodum exuiſſet, Et ipſomet cilicio ſuo aſperior ſibi ſexcentis vitae difficultatibus oneratur.* Pona Elog. de Nerone Caeſ. *Vitiorum apicem tetigit Peſſimis peior.* Petrus Labbè Elog. de Ludouico XIII. Rege Gallor. *Anteceſſit magnos natales* (Ludouici) *ingens terrae motus. Trepidantis Europae tumultus fuiſſe creditur. Vt mirum non ſit, ſi totà nunc timetur Europà: Qui antè timeri coepit, quàm homo eſſet.* Atque vt ſerijs iocoſa admiſceamus, lepida eſt hyperbole Sandelij in Tumulo Aldeinae catellae: *Cuius dulces latratus ne luſciniae quidem cantus aequaſſet: Cuius teneris morſibus vel ipſa ceſſiſſent ſuauiora ſuauia.* Brunellus Elog. de Cn. Pompeio Magno: *Cui etiam militauit Caelum ipſum. Nam propitijs ventis infeſtos mari pyratas deleuit: & ventis pernicior tantam perniciem eſt amolitus.* Giarda de Eruditione ad Icones ſuas ſymbolicas: *Ni liberalibus diſciplinis ſua praeiret lucerna, Excaecato Cyclope caecior ipſa foret Cyclopaedia.*

Denique, vt inſanae Hyperboles ſcopulum cauendum monſtremus, proponimus Elogij clauſulam in Franciſcum Ponam Elogiaſten Antiquarium, quem hominem ita compellat Auctor:

Habe virtutum tuarum teſtimonium
Antiquitati Nobis Poſteris
Erubeſcendum Praedicandum Inuidendum

Nam quod *erubeſcendum* referatur ad Antiquitatem (ſunt enim hi verſus correlatiui) cui non nimiùm audax videatur hoc dictum? *Iucundum* potiùs dixerit, aut ad ſummum *Mirandum*.

De Periphraſi, & Antonomaſia

Membrum VII.

VEneres hic quoquè Tropus Elogio ſpargit, quod monſtrant exempla ſequentia ex Antiquis, recentibuſque collecta: In queis aliquid per plura deſcribitur, quod vnico efferri poſſet verbo, id quod praeſtat Periphraſis.

Mortem hoc tropo repraeſentat in vetuſto marmore Gruterus pag. DXXXV. num. 4.

LXXIII.

DIS . MAN. SACRVM
T. CAMPILIO . T. F. MANIPVLARI
VIX. ANN. XXXXIX. D. XVI
CAMPILLIAE . FESTAE . SORORI . SVAE
VIX. ANN. XXII. MEN. III. D. VI
CAMPILIO . RVFINO . NEPOTI
VIX. ANN. XII. M. VIII. D. IX
ET . ALBANAE . MERVLAE . VXORI
B. DE . SE . M. ANN. XXXIII. M. VI. D. IIII
ET . CAMPILIO . ALBANO . INFANTI
DVLCISS. ANN. II. M. V. D. IIII
QVOS . DII . IRATI . VNO . DIE
AETERNO . SOMNO . DEDERVNT
T. CLAVDIVS . HERMES
DOLENS . DE . SVO . FECIT
* i. e. *bene de ſe meritae*

Nec illa ſpernenda Periphraſis Mortis, quamuis in Marmore de fide vetuſtatis ſuſpecto, & idcirco inter Spuria adnumerato apud Gruterum pag. XII. num. 9. videlicet:

LXXIV.

HEIC . MVLTAE . QVAE . SE . MANIB
Q. SERTORII . TVRMAE . MORTA
LIVM . OMNIVM . PARENTI . DEVO
VERE . DVM . EO . SVBLATO . SVPER
ESSE . TAEDERET . ET . FORTITER
PVGNANDO . INVICEM . CECIDERE
MORTE . AD . PRAESENS . OPTATA
IACENT . VALETE . POSTERI

Gemina en Periphraſis, ideſt Terrae, quae mortalium omnium parens; & mortis, cui ſe deuouere, eſt tradere; & cadere pugnando, obire.

Defunctus periphraſticè exprimitur, nec illepidè, in vetuſto Epitaphio apud Gruterum pag. CCCLIII. num. 3.

LXXV.

ANICIA . P. L. GLYCERA . FVI
DIXI . DE . VITA . MEA . SATIS
FVI . PROBATA
QVAE . VIRO . PLACVI . BONO
QVI . ME . AB . IMO . ORDINE
AD . SVMMVM . PERDVXIT
HONOREM

Idem namque ſonat *Fui* ac Defuncta ſum, vel cineres hìc meos habeo conditos, vnde illud Aeneidos II.

Fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum

Interijt, (ait Donatus in hunc locum) *totum quidquid apud nos fuit*. Et: *Perijt* (conſonat Aſcenſius) *quidquid apud nos floruit*: Idemque eſt Fuimus Troës, Fuit Ilium, ac ceſſimus fatis, exciſi ſumus, ac deleti; ita vt ierit in adagium apud veteres, maximè Tragoedos, quoties perijſſe quemquam ſignificarent, ἦμεν Τρῶες, ideſt *Fuimus Troës*; Cuius ad exemplum ſcitè inſcripſit Romae veteri exciſae hoc diſtichon Nicolaus Borbonius

LXXVI.

ROMA . FVIT . NEQVEO . BREVIVS . TE . ROMA . PERISSE
DICERE . QVID . BREVIVS . DICERE? ROMA . FVIT.

Et Auctor Epitaphij Brabantini apud Suueertiũ

LXXVII.

Quem gaudeas fuiſſe, ſed illachrymes fuiſſe
Hic ſitus eſt
Hieronymus ab Heynatten &c

Interpretare hìc vocem *fuiſſe* priore loco pro *vixiſſe*, poſteriore pro *obijſſe*. De ſe item morti proximo dixiſſe ferunt Septimium Seuerum Imperatorem, *Cuncta fui, ſed nihil prodeſt*, quaſi diceret, En vt mea euanuit felicitas! Seu: Quid autem prodeſt mihi feliciſſimo extitiſſe?

Cadauer itidem, ſeu Cineres, & Oſſa Defuncti ex hoc loco venuſtè expreſſa habentur recentibus Epitaphijs, vt de Ioanne Zamoſcio apud Suueertium in Sel. Del. ad calcem

LXXVIII.

IOANNES . ZAMOSCIVS
QVOD . MORTALITATIS . HABVIT
HIC . DEPOSVIT
III. IVNII . ANNO . M. D. V

Quem imitatus videtur poſterior natu Auctor Tumuli Dureriani citati ab eodem Suueertio ibi, ſub titulo Norimbergenſium, videlicet:

LXXIX.

QVIDQVID . ALBERTI . DVRERI . MORTALE . FVIT
SVB . HOC . CONDITVR . TVMVLO
EMIGRAVIT . VIII. ID. APRILIS . MDXLVIII

Aemulator vtriuſquè induſtrius fuit, qui Scaligero inſcripſit Tumulum, illis quippe poſterior, vt ex Suueertio cognoſcimus ſub titulo Aginni Nitiobrigum in Aquitania

LXXX.

IVLII . CAESARIS . SCALIGERI . QVOD
FVIT
OBIIT. ANNO. MDLVIII. XII. KAL. NOVEMB
AETATIS . SVAE . LXXV

Quibus ab omnibus ſuxit Apis ingenioſiſſima ſuauiſſimum argumentum Auctor Lipſiani Epitaphij, (citat Suueertius inter Antuerpienſia) quem quidem tempore poſtremum compellit nos credere obitus ipſe Lipſij, qui fertur Anno Sal. MDCVI. Eſtque huiuſmodi

LXXXI.

IVSTI . LIPSI
QVOD . CLAVDI . POTVIT
HIC . IACET
S. P. Q. ANTVERP
INCLYTI . VIRI
FAMAE . ORBI . NOTAE
VIRTVTI . CAELO . RECEPTAE
H . M . P

Poſterior hoc etiam eſt, qui Antuerpiae hunc titulum poſuit

LXXXII.

TRIVMPHATORI . MORTIS
IOANNES . BAXIVS . ANTVERPIENSIS
HVIVS . VRBIS . QVONDAM . SENATOR
QVOD . CORRVMPI . POTVIT
HIC . DEPOSVI
XXIX. SEPTEMB. ANNO . MDCVIII

Hauſit,

Hauſit, haud dubites, hinc recentiſſimus Elogiaſtes, non tamen elegantia poſtremus Ioſephus Silos Clericus Theatinus, Elogium quoddam auſpicatus in hunc modum;

LXXXIII.

PAVLI . TOLOSAE
NEAPOLITANI . CLERICI . REGVLARIS
QVIDQVID . EST . POSTHVMI
HIC . HABES
QVIDQVID . TVMVLO . SVPERIVS . FVIT
HIC . LEGE
INTER . PRAECIPVAS . ANIMI . DOTES . &c

Quàmmulta iam habes ſynonyma cadaueris periphraſtica *Quod mortalitatis habuit*: *Quidquid mortale fuit*: *Quod fuit*: *Quod claudi potuit*: *Quod corrumpi potuit*: *Quidquid eſt poſthumi*. Preſſum verò eſt, ac venuſtum ſecundi ab hinc ſeculi ſynonymum in Epitaphio, quod citat Suueertius in Sel. Del. inter Ariminenſia, videlicet;

LXXXIV.

THEMISTII . BYZANTINI
PHILOSOPHORVM . SVA . TEMPESTATE . PRINCIPIS
RELIQVVM
SIGIS . PANDVLPHVS . MALATESTA . PAND . F
BELLI . PELOPON. ADVERSVS . TVRCARVM . REGEM
IMPERAT
OB . INGENTEM . ERVDITORVM . QVO . FLAGRAT
AMOREM . HVC . ADFERENDVM . INTROQ. MITTENDVM
CVRAVIT . MCCCCLXV

Ibidem inter Vltraiectina

LXXXV.

RELIQVVM
SCORELII . CANONICI
FINIS . MORS
SIC . SVNT . HOMINIS . VANA . OMNIA
PRAETERQVAM . CVI
DIVINO . PECTVS . AMORE . CALET
VIXIT . TEMPORE . HADRIANI . VI. PONT. MAX
CVIVS . EFFIGIES . ALIQVOT . PINXIT . ACCVRATISSIME

Cadauer ſimul & Sepulchrum in Epitaphio, (quod citat truncum Gruterus quaſi antiquum pag. DCCCCXXVIII. num. 6. Eſt autem inter recentia, quod totum citat Suueertius in Sel. Del.) Neapolitano, in Aede noſtri Ordinis, vulgò S. Mariae de Porta noua

LXXXVI.

CAROLI . MORIMINI
FVI . NON . SVM . ESTIS . NON . ERITIS . NEMO . IMMORTALIS
SOMNO . ET . SECVRITATI . AETERNAE
CAROLO . MORINI . PATRI . OPT
TROIANVS . ET . HENRICVS . FF
VIRTVTIS . ET . AMORIS . CAVSA

Vbi habes periphraſin cadaueris in *fui*; & Sepulchri in *Somno & ſecuritati aeternae*.

Item Sepulchrum ex hoc Tropo ſignatur, vbi *Domus aeternalis*, & *Domus* aeterna Veteribus ethnicis, quibus reuiuiſcere eſt inſperatum. Sepulcro autem condere apud Gruterum breuiſſimè circunſcriptum pag. DCCXXXIII. num. 12.

LXXXVII.

MENALIAE . ET . AGATHIAE
PARENTIBVS . SANCTISSIMIS
EPAPHRAS
POSTREMVM . PRAESTITIT . OFFICIVM
VIXIT . ANN. &c

& pag. DCCCLXXIIII. num. 7.

LXXXVIII

C. IVL. FABIAN
ANN. XIX
FABIA . PAVLA
AMITA
MVNVS . SVPREMVM

fuſiùs pag. DLXXXV. num. 10. & ad morum diſciplinam accommodatè.

LXXXIX.

M. IVNIO . M. F. PAL. RVFO
SOTERICHVS . PEDAGOG. FECIT
HAE . SVNT . PARVAE . TVAE . MEAEQ. SEDES
HAEC . CERTA . EST . DOMVS . HAEC . COLENDA . NOBIS
HAEC . EST . QVAM . MIHI . SVSCITAVI . VIVVS

Quot hìc verba, tot ferè magni ponderis ſententiae, quas cuiquè relinquimus aeſtimandas. E recentibus periphraſis Sepulcri non ignobilis eſt apud Suueert. in Sel. Del. inter Patauina;

XC.

LAZARI . BONAMICI . CATHARINAEQ. VXORI . CARISSIMAE
IN . SECVNDVM . REDEMPTORIS
ADVENTVM
QVIETIS . SEDES

& illa commendanda offertur in Epitaphio Veneto, apud Suueertium in Sel. Del. videlicet

XCI.

NICOLAVS . CRASSVS
FORVM . PRIMVM . NAVIGATIONEM . DEINDE . SECVTVS
AB . ADVERSA . FORTVNA . FORTVNIS . OMNIBVS . SPOLIATVS
AD . FORVM . ITERVM . REVERSVS . HVNC . POSTREMO . LOCVM
LABORVM . OMNIVM . ET . MISERIARVM . QVIETEM . SIBI
ET . POSTERIS . P. ANNO . MDLXIII

Et in illo apud eundem inter Neapolitana

XCII.

BERNARDINA . FRANCA
MIHI . ET . MEIS . FECI
CERTA . DOMVS . SECVRA . QVIES . NIL . QVAERIMVS . VLTRA

Plura de Periphraſi ſuperiore libro de Breuitate Memb. VIII. & XX:

Antonomaſia trifariam ludit in Elogio. Primò, cùm pro nomine proprio reponit Commune; vt Octauius Ferrarius Elogio in Magiſtrum Corlominium deridiculè ait: *Grande hoc inſanientis Sapientiae depoſitum ſimul de poteſtate exijt, & matre: Belluſque hic pullus, veluti ad gentiles, & agnatos, ad Muſas capiſtro ductus eſt.* &c. Pullum autem, voce communi vſurpat pro pullo Aſini in ſpecie. Deinde cùm pro communi proprium; vt in Sel. Del. Epitaphium Mantuanum habet

XCIII.

ANDREAS . MANTINEA
Suae aetatis Apelles
Equeſtri idcirco dignitate ornatus
Obijt An. MDXVII

Apellem vocat pro Pictore inſigni.

Tertiò, cùm proprium loco proprij ponitur. Vt Iuglaris Elog. de D. Athanaſio Magni Baſilij diſcipulo: *Sub Chirone altero Chriſtianus Achilles*: Chironem pro Antonio: Achillem autem Chriſtianum (ſuper metonimia ſecundi modi) pro inuicto milite Chriſti. Achillis autem Magiſter Chiron in fabulis.

Caput

Caput Secundum
Concinnitas in ſtructura verborum
De Verborum concurſu

Membrum I.

IVncturae, ſeu collocationis verborum concinnitas non poſtremam ſibi vendicat partem quaerendae Elogio venuſtatis. Id pluribus modis praeſtatur.

Primò, ſi cum M.Tullio Cic. in Partitionib. Orator. illud cautum ſit: *Coniunctio verborum neque aſperos habeat concurſus, neque diſiunctos, atquè hiantes*. Et aſperos quidem ſeu duros habere videtur nobis Auctor, qui Elogio ſuo fecit hoc principium: *Decurſo tandem felici ſtudiorum ſtadio: Non Olympico collecto puluere, ſed ex accetionibus* (vox nobis laruata) *grauiter deterſo Medicam carpis Laurum*. &c. Concurſu autem iſto quid aſperius *ſtudiorum ſtadio*? Quid verò durius *Olympico collecto*, & *Medicam carpis*? Haud multò mollius videtur illud alterius Elogiaſtae: *Ceſſit Ciuibus Caeſar*: Porrò ſepulcralis Inſcriptio in Lambertum de lode, cuius initium: *I, propera, quid ſtas? Fors cras te abdet tumulo Mors: Mors dura, aſpera* &c haec certè quantae ſit aſperitatis, ſtylus ipſe non diſſimulat, vèl ſenſu impercepto ad fugam ſolicitans. Obſeruanda eſt ſuauitas Octauij Ferrarij, Elogio de Scipione Feramuſca, hanc clauſulam facientis: *Senos, & ſexaginta annos integer exegit*. qui enim aures tuliſſent *ſex*, *& ſexaginta*? aegrè etiam *ſexaginta ſex*.

Caeterùm poenitenda non eſt animaduerſio noſtra de dictionibus concurrentibus, alio tamen, atque alio inciſo; vt, quia comma interuenit, & ſpiritus aliquantulam facit pauſam, diſiunctae quodammodo videantur dictiones, & ab aſperitatis metu ſecurae. Hinc ſeuerior praefertur cenſura recentiſſimi Scriptoris, alioquin eruditiſſimi, quùm vitio cacophoniae notauit titulum Triumphalis Arcus Traiano poſiti in Portu Anconitano (citatur totum à nobis lib.II. Claſs. VI. Hiſtorial. Memb.VI.) in ea nimirum parte: *Quod acceſſum Italiae hoc etiam addito ex pecunia ſua Portu, tutiorem nauigantibus reddiderit*. Committit autem Cenſor voces *Portu tutiorem*, deſinentem ſcilicet ſyllabam vnius cum ſimili alterius inchoante: Nimiùm id verò ſuperſtitiosè, ac tetricè, cùm inter vtramque reſpirare certè Lectorem cogat ſententia, quando vel ratio inſcribendi maiuſculis nullam notam commatis patitur, vt ſolet minuſculis. Quamobrem ſectanda quidem eſt, non tamen affectanda Euphonia, aut ſordidè emendicanda.

Secundò, Diſiunctorum atque hiantium diſcuſſio haud modico ſale opus habet, vt non continuò improbetur concurſus Vocalium inter deſinentes, atque inchoantes dictiones: id quod Scriptorum aliquos caeterà nobiles in affectationis adegit ſcopulum. Neque enim damnare quis noſtrum auſit Ciceronem qui lib. 1. Epiſtolam I. ita inchoat *Ego omni officio, vel potiùs pietate erga te caeteris ſatisfacio omnibus; mihi ipſi nunquam ſatisfacio*. Quippe (vt eruditè adnotat Franciſcus Panigarola, memoriae ſuperioris ſeculi princeps in Oratoria) in familiari ſermone, qualis vſurpatur in Epiſtulis ad familiares, mos erat veteribus vocales elidere per ſynalepham, dictioneſque concurrentes contrahere, eo modo quo vulgo noſtrati per Apoſtrophum. In Elogio autem moderata ſeueritate vtendum putamus, quia ferè ſcriptura nititur, vt illos hiatus, diſiunctioneſque duntaxat excludamus, quibus id hiet laxiùs, & apertiùs. Quam ſanè offenſionem non cauit Incertus nomine, amore Certus Auctor (ita enim ille ſubſcribit) Elogio de Io. Follino ſummi ingenij, & Medicae eruditionis Adoleſcente, Laureato: *Viro triumphanti Aſclepiadum chorus applauſit: Hypocrates vaticinium dixit* (deinde verſum inchoans) *I, à te Colonia non ſecus, quàm à Patre auxilium expectat* &c. An verò alius Inſcriptioni Latinae indecorus magis hiatus, quàm *I à te*? Comptior Octauius Ferrarius, Elogio in Lauream Roberti Papafauae: *Phoebus ipſe vaticinium dixit: I, bone, quò te tua, ac maiorum virtus vocat. Nouum tibi* &c. Caeterùm non ſemper habetur hiulca illa oratio, in qua duae, & hae quandoque ſimiles vocales concurrunt. Exemplo

plo prae alijs eſt Iacobus Pighettus patricius Bergomas, in Epitaphio Annae, VVeſton Ricardi Britanni Comitis filiae, vbi ad medium hanc habet: *Mortis falce Eheu nimis intempeſtiua ſuccisus. Vxori incomparabili* &c. & *ſui ipſius hac orbitate contemptor* &c. (tandem) *Fatale eſſe, vt mira vix oſtendantur Orbi*. Quaternos hìc hiatus offendis ſimilium concurrentium, ſed citra inſuauitatem, Vocalium. Nec rarum id putes in vetuſtis marmoribus, vt apud Gruterum paſſim *Pro ſe, & ſuis*, potuit ſcribi *Pro ſe, ſuiſque, ſeu pro ſe, ac ſuis*. *Pro ſalute, & incolumitate*: *Pro ſalute, & victoria*: *Pro ſalute, & reditu*: Item *Comparata area à Republica*, Et *Quod is ſceleroſiſſimi ſerui publici infando latrocinio*. Meliùs ibi: *Soli inuicto, & Lunae aeternae*, alibique ſepiùs, vbi eaſdem tùm Vocales, tùm Diphthongos concurrenres citra religionem Veteres admittebant, quò magis Vocales diuerſas? Vt *pro ſalute, ita, & reditu*. & ſexcentiès aliter.

De Concordantium Nominum Diſtractione

Membrum II.

VEnuſtatem praeterea ſpirat Hyperbaton, ideſt concinna vocum diſiectio, ſcitaquè turbatio caſuum ex grammatica lege ordinandorum, ſi tamen citra ſententiae obſcuritatem fiat: idque cùm in omni ſcribendi genere, tùm in Elogiaſtico, modò ne fiat perpetuum. Exemplorum hic offertur ſylua, Hercynia vaſtior: Nos tamen perpaucis contenti reiectos cupimus ſtudioſos ad lectionem bonorum Elogiaſtarum. Hìc ex vetuſtis quidem memorijs damus ex Grutero pag. MCXXV. num. 9. Epitaphium ſequens

XCIV.

D . M
SVAVI . EVD
OXVS . ET . MV
TICE . FILIO
PARENTES
VIXIT
ANNIS . VI
MENSIBVS . X
B . M

cui perſimile recens Patauinum apud Suueertium in Select. Delic.

XCV.

ROLANDO . ET . AYCARDAE
INDOLIS . OPTIMAE
ROLANDINVS . PLACIOLA
FILIIS
SARCOPHAGVM

in queis ambobus videre eſt diſtraſta, ſubſtantiua (vt vocant Grammatici) continuata, quae proinde continuari, & cohaerere debuiſſent: Illic quidem SVAVI. FILIO: Et EVDOXVS ET. MVTICE. PARENTES. Hìc autem ROLANDO. ET. AYCARDAE. INDOLIS. OPTIMAE. FILIIS. Adde Inſcriptionem Arcus Conſtantiniani in Vrbe, apud Gruterum pag. CCLXXXII. num. 2. *Quod inſtinctu Diuinitatis, mentis magnitudine, cum exercitu ſuo tam de tyranno, quàm de omni eius factione vno tempore* IVSTIS. REMP. VLTVS. EST ARMIS. quem certè exitum & clauſulam nunquam ſatis miramur.

E recentibus occurrit Franciſcus M. Florentinius Ciuis Lucenſis, ille eruditis publicatiſque ſcriptis celebris, Elogio de Ara Virginis Deiparae in Icone vetuſtiſſima cruentatae ictu ſaxi, & hiatu terrae proximo vindicatae: Vbi inter alia diſpeſcit venuſtè ab Adiectiuo ſubſtantiuum, ita inſcribens: *Hinc diducta telluris latera turpiſſimo foedata contactu In ſe mutuò renuentia concurrere Metuendas Orci formantur in fauces*: Aloyſius Iuglaris ſuper eodem argumento aemulà cum venuſtate: *Hiatum quid hunc horres Viator? Nuſquam arctiorem videris ad Erebum ianuam* &c. Ambo ea Elogia tota dedimus lib. III. de Perſpicuitate, Memb. II. Marcellus Carmelita Diſcalceatus, nuncupatus à Matre Dei, Elog. de Beata Tereſia: *Ex immenſo Diuinitatis volumine caeleſtem depromit ſapientiam, libroſque immortalitate digniſſimos ſubſeciuis temporibus exarat*. Alibi: *Templum ſubeunti patefactis Caelum ianuis oſtenditur*. Coronidem hìc facit Maximianus Dezza Lucenſis è Clericis Regul. Matris Dei nuncupatis, in ſuo elegantiſſimo Theatro Lucenſi, Elogio ad Simulachrum V. quod eſt Guiniſij, in rem noſtram appoſitiſſimè; totum proinde referendum hoc loco, videlicet:

FRANCISCO

XCVI.

FRANCISCO . E . GVINISIORVM . FAMILIA
SVMMO . VIRO . ATQVE . OMNIS . IAM . PARTICIPI . AETERNITATIS
VNA . TOTIVS . REIP . VOCE . PRAECONIVM . ESTO
INSTRVCTAS . PATRIAE . INSIDIAS . IAMQVE . IMPENDENTES
PATEFECISSE . DISSIPAVISSE
ARCEM . VELVTI . LIBERTATIS . IVGVM . IMPOSITAM . VRBI
PRIVATO . NOMINE . RECEPTAM . SENATVI . CONDONASSE
OMNES . IN . REMP . FORTVNAE . FLVCTVS
IN . SE . PRIMVM . ALLISOS
INELVCTABILI . FREGISSE . CONSTANTIA
QVA . PROCERES . IVERE . ROMANI . PONE . SECVTVM
CATONVM . IMPLESSE . FABIORVMQVE . VESTIGIA
DENIQVE . TANQVAM . PATRIAE . PARENTI
DE . PVBLICO . PERSOLVTVM . ILLI . FVNVS
STATVAMQVE . COLLOCATAM
MERITISSIMO
REPAR. SAL. AN. MCCCXCII. DECEMVIRORVM . PRINCIPE
IAM . IV. LANDO . MORICONIO

En tibi Ideam optimam: Vbi conſtructionis iura turbare Auctor ſtuduit, & quae cohaerent ſententiae lege, diſſoluere, ita tamen, vt nihil ademerit perſpicuitati: Neque porrò id fecit perpetuum, ne in affectionem deſciſceret, quod ferè euenit ingenijs nondum recoctis. Adi infrà Cap. III. Memb. XXII.

De diſtrahendis continuatis, quae ſimiliter cadunt

Membrum III.

Similiter cadentes, deſinenteſque dictiones quò longiùs prohibueris ab argumento graui, eò conſultiùs feceris venuſtati. Hinc illa meritò celebritatem conſecuta fuit Inſcriptio Romana, ſeu Titulus ſacrae pompae in Apotheóſi Tereſiae Virginis, Auctore Marcello à Matre Dei nuncupato, videlicet:

XCVII.

BEATA . VIRGO . TERESIA
CARMELITARVM . DISCALCEATORVM . FVNDATRIX
PRAEROGATIVIS . DVODECIM
LVCIDISSIMIS . VELVTI . SIDERIBVS
REDIMITA

Vix alteram ita in ſingulis aliter deſinentem reperias. Hoc tamen ne ita ſanctum putes, vt recedere inde ſit nefas: Quin effluere hinc, ſi artem adhibeas, nitorem ac ſpeciem Elogio, docebimus infrà Cap. III. Memb. X. Siquidem arte careat, neceſſe eſt, quod ingratè aures pulſat; cuiuſmodi videtur membrum Inſcriptionis Rauennat. in Sepulcro Rapſanorum, ibi: *Et Iulio Equiti inſigni Non minùs matri caro, Quàm illuſtribus viris grato; Virtute, Ingenio, Moribuſque raris decorato* &c. Et tumuli Auguſtani Auguſtani ad Praedicatores: *Lector aueto. Frater Ioannes Faber* &c., ibi: *Aedem hanc ſacram ruinam ob vetuſtatem minantem.* Meliùs fortè inſcriptum: *Aedem hanc vetuſtate ruinoſam*: nec enim opus adiuncto *ſacram*, quòd Aedes numero ſingulari de Deo, non de profanis hominum vſurpatur. Et in Monumento Patauino in Aede Seruorum Mariae (apud Suueert. in Sel.Del.) ita inchoante: *Paulus de Caſtro I.C.* illae voces commiſſae *Cuius ius municipale innouauit*, diſtrahendae videntur, vt dicas: *Cuius municipale ius* &c. Exemplis autem, quàm praeceptis vtrumque addiſcere praeſtat, ideſt vti & liberè diſtrahas cadentes ſimiliter voces, & coaleſcere non inuenuſtè permittas. Neque commodius

modius vllum in praeſentia offertur, quàm Elogium in Guidiccionos à Maximiano Dezza poſitum in ſuo Theatro, videlicet:

XCVIII.

Ampliſſimae Guidiccionorum genti
Deus & Virtus
Innumerabilium decorum honeſtamenta
Armorum Gloriam, Literarum famam
Supra milleſimum annum à Germanis Proceribus
Repetitum genus
Regum, Summorumque Pontificum neceſſitudines
Obeundas Legationes, Adminiſtrandas Prouincias
Gubernandam Vrbem, Iteratum Purpurae
Vaticanae ſplendorem
Ad Patriae ornamentum, ad Europae miraculum
Ad bonorum omnium vota contulere
Cui de ſe quoquè meritiſſimae
S. P. Q. L
Et dignitatem in praeſens
Et in poſterum aeternitatem
Statua poſita decernebat
An. ab Orbe redempto MDC. Decemuirorum Principe
Friderico Balbanio

Quandoque Perſpicuitatis gratiâ non ſatis erit diſtraxiſſe, quin commutandum regimen: Vt quia vox *Praefectus* tàm Genitiuũ caſum, quàm Datiuum admittit, eligendus erit ex his pro opportunitate caſus, qui haud ſimiliter cadat. In quo obſeruamus ex Del. Select. Epitaphium Parmenſe: *Cypriano Flandro* &c. *Chori Praefecto*: ſi enim dicas *Choro Praſecto* naeuum induces. Ita nec *Chori Praſecti*. Quamquam non ita ſanctum hoc putes, quin aliquando in antiquis legas *Praeſecto Praetorio*; ſaepiùs tamen compendio inuolutum PRAEF. PRAET., vel PR. PR.

De Copulatarum Vocum diſtributione

Membrum IV.

VOces copulatas vbi diſtribueris, efficies cùm venuſtam periodum Elogij, tùm perſpicuam; ad exemplum limatiſſimum Aloyſij Iuglaris, Elogio de Chriſto nato: *Inter feras cicures medius, In nocte media Locum virtutis, & Moriens occupauit, & Naſcens.* Viden' diſtractas voces *& Moriens, & Naſcens?* Eiuſdem Elogio de Chriſto infante in Aegypto exule ad declinandam Herodis iram: *Iubetur Pater te tollere, Nec vlla aut hyemis ratio habetur, aut noctis: Quòd arceres vtrumque Sol praeſens.* Eiuſdem in Infulatis virtutibus, Elogio de Diuo Euſebio Vercellenſi: *Romano Pontifici à matre creditus puer, Vt ſub eodem praeceptore Euſebius erudiretur, & mundus.* Ibidem: *Monachorum mores è Graecia in Italiam deuehens, nouae Philoſophiae & Auctor eſſe meruit, & Idea.* Marcelli Elogio de obitu B. Tereſiae: *Caelum quotidie petitum poſtremò repetenti* (poſt pauca) *Hic oculis ereptae, non cordibus* &c. Eiuſdem de eadem: *Infantem nepotem incerto non minùs, quàm inopinato extinctum caſu, deluſo mortis imperio ad vitam reuocat.* Etſi in alia parte cenſuram hic locus poſcat, vbi ſcilicet dicitur nepos Beatae Tereſiae, quae Virgo celebratur ab Auctore: Cùm Nepos propriè ſit Latinis filius filij, vel filiae. Repete ex lib. II. de Charactere Elogij, Claſſe VI. Hiſtorial. Memb. XII.

Diſtributionem hanc adeò neceſſitas exigit, ne dum ſuadet venuſtas. Id quod fuit animad-

uertendum Auctori Epitaphij Florentini, Anno MDCLIV. poſiti in Comitem M. Ant. Gigliucium Firmanum, de quo habet: *Obijt hic Florentiae filius vnicus matris & domus ſuae*: Nec enim profectò ſibi voluit, & Matris & Domus fuiſſe filium vnicum; ſed vnicum, Matris quidem filium, Domus verò germen, & fulcrum. Diſtraxiſſe itaque opus fuit voces Matris, & Domus, ne ad vnum illud coniunctum *Filius vnicus* referri ambae viderentur, hoc ferè ordine: *Vnicus matris filius, & Domus ſuae*, vel comptiùs: *Vnicus matris filius, & familiae ſurculus*, aut *ſuperſtes*.

Caeterùm ex antiquis auctoritatem habet exempli Marmor Veronenſe (apud Gruterum pag. DCLXXXV. num.4.) à nobis ſuprà relatum lib. IV. de Breuitate Elog. Memb. XIX. Cùm de Parentheſi: In quo quia diſtributionis copulatarum vocũ elucet mirabile exemplum, erit merces operae hoc loco totum repetere, videlicet:

XCIX.

C: GAVIO . C . F
QVI . VIX. ANN. XLIII. M. X
C . GAVIVS . MENODORVS
FILIO . PIISSIMO
PATER . INFELIX
AEQVIVS . ENIM . FVERAT
VOS . HOC . MIHI . FECISSE
ET . SIBI

Mira hîc nitet venuſtas, diuiſis in extrema membris, quae coniunctione copulatiua *Et* coaleſcere oportebat, nimirum *C. Gauio C. F. & Sibi*. Sed & emphaſim trahit, quod humato filio contra naturae ordinem, ſe quoquè infelix pater ibidem humari decernat, praefigens titulum:

De Verſibus Correlatiuis

Membrum V.

AD hanc ſedem ſpectant maximè Verſus Correlatiui, ſcilicet in queis paria paribus referuntur, imitante Poëtam Elogiaſta ſoluto. Poëtae quidem exemplum tritiſſimum eſt Epitaphium Virgilio poſitum:

Paſtor, Arator, Eques, Paui, Colui, Superaui,
Capras, Rus, Hoſtes, Fronde, Ligone, Manu.

& illud M. Tullio Ciceroni.

Defendi, Tenui, Vetui, Face, Caede, Cruore,
Ciuis, Dux, Conſul, Tecta, Patres, Latium.

Item recentius ſub imagine marmorea Mulae percelebris in atrio Auguſtalis Florentini

Lecticam, Lapides, & Marmora, Ligna, Colũnas,
Vexit, Conduxit, Traxit, & iſta Tulit.

Et ſi poſcis antiquius exemplum, dabit Grut. in Romano Epitaphio pag. DCCCXCVII. n.7.

C.

D . M
VERVEX . ET . PVERI . PVER . VNVS . SPONSA . MARITVS
CVLTELLO . LYMPHA . FVNE . DOLORE . CADIT

Iam vt ſolutum Elogiaſtam proferamus, ecce tibi fragmentum Romani Epitaphij apud Gruter. pag. DCXCV. num. 11.

CI.

... MARTINAE . ET . CL. MARTINAE
FILIAE . ET MATRI
... MARITVS . ET Q. NIGIDIVS
CHERITHRANS
FILIVS . ET PATER
... MIS . SANCTISSIMIS . KARISSIMIS ✶ *Animis*

E recentibus occurrit ex Selectis Delicijs apud Suueertium Inſcriptio Vicentina ante aedes Comitis Vualmaranae, videlicet:

MARIA

CII.

MARIA . AVSTRIA . AVGVSTA
CAROLI . V. MAXIMIL. II. RODOLPHI . II
IMPPP
FILIA . VXOR . MATER
A . PHILIPPO . FRATRE . HISPAN
REGE . POTENTISS
AD . REGENDVM . LVSITANORVM . QVONDAM . REGVM
IMPERIVM . NVPER . PARTVM
E . GERMANIA . ADSCITA
PER . ITALIAM . ITER . FACIENS . IN . HIS . AEDIBVS
QVOD . IPSA . OB . VETEREM . AVSTRIACORVM . PRINCIPVM
ERGA . HANC . DOMVM . CLIENTELAM . MAXIME . VOLVIT
CVM . MARGARITA . MAXIMILIANOQVE . FILIIS . ARCHIDVCIBVS
A . LEONARDO . VVALMARANO . COMITE
EIVSDEM . PHILIPPI . REGIS . PENSIONARIO
SPLENDIDISSIMO . APPARATV . ACCEPTA . FVIT
ANNO . MDLXXXI. XV. KAL. OCTOB

Poſt hanc recentior offertur Inſcriptio Marcelli de B. Tereſia,

CIII.

TERESA
OPPORTVNE . FAVSTE . IVCVNDE
ECCLESIAE . MVNDO . CAELO
PERILLVSTRI . SANGVINE
GENITAE

& ex Collegio Iuriſconſultorum Mediolanenſium in publicis ludis ob delatam Collegae ſuo Romanam purpuram

CIV

THEODORO . TRIVVLTIO
RELIGIONIS . IVRISPRVDENTIAE . NOBILITATIS
OLEA . LAVREA . AVREA
TER . MAXIMO
MAXIMAM . DIGNITATEM . MEDIOLANENSE . COLLEGIVM
IVDICVM . GRATVLATVR
TER . MAXIMAM
AVGVRATVR

Accipe & fragmentum, gratia breuitatis, expoſitae in Cornelium Cardinalem Epigraphes, nomine Cleri Veneti, Auctore Natalino de Graſſis Eccleſiae Patriarchalis, Venetijs, Canonico.

CV.

PRO
ARCVBVS . METALLIS . CERIS
ANIMOS . MENTES . CORDA
LIBENTES . VOLENTESQ
CLERVS . POPVLISQ. VENETVS
D . D . S

Nec eſt ignobilis Memoria, Franciſco Pola Auctore, expoſita Piſcariae in Praetorio

CVI.

ALOYSIVS . MARCELLVS . ALEXANDER . VICOMERCATVS
PROVISOR . PRAETOR
VNANIMES
SVVM . QVISQVE . CVRABANT . MVNVS
M . D . C . X . IV

Et elogij

Et Elogij fragmentum in Caeſarem Montium, Auctore Alphonſo Rhaudenſi in ſuo Coloſſo ex Atho Monte

CVII.

Caeſarum Montem ſupra Caeſarum Principes
Auguſtum Traianum
Feliciſſimum Optimum

Et ex Elogio nupero, ſeu (mauis) Epitaphio honorario in Sereniſs. Franciſcum Eſtenſem Ducem Mutinae, Auctore Paulo Aemilio Elephantutio Bononienſi Senatore, haec bina fragmenta:

CVIII.

Qui in Subditos ſibi populos
Graſſantem luem, exultantem morte m
Aurea Nepenthe ſanauit, egregia pietate interfecit
& poſt pauca:

CIX.

Vrbem hanc
Moenibus, Theatris, Aedificijs
Inſtaurauit, Decorauit, Illuſtrauit

Haec autem verſantes incidimus commodùm in ſacram epigrapham in Ara ex minoribus ſummi Templi, Vrbis Piſarum, cuius quidem elegantia cum Arae ipſius, ac Templi magnificentia concertat. Eſtque eiuſmodi:

CX.

GAMALIELIS . NICODEMI . ET . ABIBAE
PATRIS . FILII . AC . NEPOTIS
VT . ECCLESIA . DOCET . CIVIVM . TERRENAE . AC
CAELESTIS . HIERVSALEM
FELICI . TEMPORE . PISANORVM
TRADVCTA . CADAVERA
MARMORE . SVB . HOC . NOVATO
RECONDVNTVR

Alludit enim ad alterum vetuſtum marmor, in quo illa priùs condebantur, quod nunc vicem Menſae in Ara ipſa ſupplet, deraſis iniuria temporis, peneque fugitantibus literis; incomptae, ac de barbaro ſeculo, vt apparet, inſcriptionis.

Splendidiſſimè verò omnium offert ſe Tabula nuperrimè nobis Mediolano tranſmiſſa, quae patuit in publicis ludis ob natum heredem, ac columen Hiſpanici Imperij. Quam ſic habe:

CXI.

FREMVERVNT . ADHVC
INIMICIS . PRESSA . RATIBVS . MARIA
FREMVIT . TELLVS
CONTINVANDIS . FVTVRVM . IN . SECVLVM . STRAGIBVS
METVIT . AER
TABIFICO . CADAVERVM . HALITV . CORRVMPI
EXORATA . TANDEM . AB . HOMINIBVS . NVMINA
ELEMENTIS . OMNIBVS . QVIETEM . DONARVNT
HISPANO . INFANTE . DONATO
NAVES . VELA . MARIA
CVNAE . FASCIAE . AVLAE
SINT
VENTORVM . AEOLO . AQVARVM . NEPTVNO . TERRARVM . GRADIVO
DOMINO . DOMITORI . DOMINATORI

Quandoque ex paribus ſibi reſpondentibus concinnatur Inſcriptio, vt apud Gruterum pag. CCLXXIII. num. 4.

CXII.

ANNO . CHRISTI . CCLIII
IMP . DIVVS . PHILIPPVS . SENIOR
VERONAE
ET
ROMAE
IVNIOR . A . SATELLITIBVS . INTER
FICIVNTVR

Adijce, quamquàm ſubaffectatum Epitaphium recens, citatum à Suueertio in Sel. Del. inter Mutinenſia.

CXIII.

GASPAR . PETRAZANVS
PETRA
PETRI . GRATIANI . ET . GEMINIANI
PONTIFEX
PRO.TEMPLIS.CVM.TEMPLIS. IN.TEMPLIS
NATVS . EDVCATVS . EXERCITATVS
VIXIT . EGIT . CECIDIT
SI . PATRIAM . SPECTES
HVIC . DIVERSOS . DECREVIT . HONORES
M . D . I . C . VIII

Etiam cum aduerſis ſedibus ſimilia, pariaue, aut contraria concurrunt, Vt apud Liuium Decade I. lib. 1. de Latino, & Aenea: *Inde foedus ictum inter Duces; inter exercitus ſalutationem factam*. Cui ſimilem in modum reſpondent Elogiaſtae paſſim. Franciſcus Pona Elog. de Claudio Caeſare: *Amaſiae Gallus, Hircus Vxori*. Et Elog. de Vitellio: *Cum Senatu culinam, Cauponam cum Capitolio mutauit*. Ibidem: *Aquatilibus bis mille, Millibus ſeptem Volatilibus; Eo excipiendo Frater onerauit menſam*. Et de Tiberio; *Lynx oculo, Ingenio Talpa*.

Interpoſita quandoque dictione. Franc. Maria Delmonacus Elogio de B. Caietano Thienaeo: *Amare ſe didicit, cùm didicit ſe odiſſe*. Pona Elog. de Caligula Caeſare: *Vim aerario intulit, Sororibus ſtuprum*.

De Synonymorum copia & Sententiarum.

Membrum VI.

QVoniam ex varietate exiſtit mundities, ac nitor, erit non in poſtremis Elogiaſtae, apparatum facere Synonymorum, modorumque promendae cuiuſquè ſententiae, quorum pro opportunitate delectum habeat. Quemadmodum enim in iuſto ſermone deſipit iteratum abſque lege vocabulum, vbi ex Latinitate ſuppetit alterum eiuſdem ſignificationis, ac paris elegantiae; quantò magis id in breui Elogio, in arcta periodo inſcriptionis ad proſpectum aeternum propoſitae? Itaquè caecutiuerit, neceſſe eſt Auctor Monumenti Veronenſis ad Diui Firmi (de quo Suueertius in Sel. Del.) qui tantulo in ambitu verborũ in idem recidit, ſicut aſteriſco adnotauimus, in tanta praeſertim ſynonymorum copia ad illam efferendam ſententiam. Ita enim inſcripſit:

CXIV.

Toſello Soraynae I. C.
Quòd
Veronae patriae antiqua monumenta
** Conſcripſerit, & perquiſierit*
Eaque ab edacitate temporis eripuerit
Suorum quoquè ciuium geſta
** Conſcripſerit*
Et aeternitati conſecrauerit
S. P. Q. Veron
B. M. Ciui D D.

Atque diligentiùs rem inſpectes, damus Epitaphium Mediolanenſe recens, ſed extremam ab hoc loco limam expectans. Legitur autem in Diui Caroli Patrum Diſcalciatorum familiae Thereſianae, videlicet:

CXV.

LVDOVICI . MAZENTAE
Patricij Mediol.
Oſſa hic adquieſcunt
Animus in Caelo
*Vbi * viuens in terris pridem * vixerat*
Iuriſcoſ. adſcriptus Collegio
Maiorum ſplendore ac ſuo clarus
Omnia pietati poſthabuit
Dei ſolùm ac Diuinorum auidus
Immaturae mortis diu antè Vates
Veridicus
Diem paratus obijt
VI. Cal. Ian. Aetat. XXXIII.
Salutis MDCXXIII
Blanca Lucia Caſtilionea Coniux
M. P.

Quantò nitidiùs cudiſſet, vbi aſteriſci notas vides, hoc modo: *Vbi agens* (vel *degens*) *in terris pridem vixerat*. Nam vox illa iterata nec ſal habet, nec ſuccum: quin adeò inopiam arguit ingenij, aut ſaltem temporis ad opus conſummandum.

Quae

Quae certè obſeruatio quanti ſit, monſtrat ſatis auctoritas recentis exempli in Exequijs Margaritae Auſtriacae Hiſpaniarum Reginae, in queis cum magnificentia Operis certauit Inſcriptionum elegantia; ijs, inquam, Mediolani in ſummo Templo celebratis. Cuius Pyrae admirando artificio, ſumptuque erectae alarum frontes tenebat Stemma Gentis, hinc Auſtriacae, inde Bauaricae cum ſubſcriptis Elogijs. Prioris quidem ita.

CXVI.

EX . AVSTRIACAE . CLARITATE . FAMILIAE
QVAE . IN . ORBE . TERRARVM
EST . CATHOLICAE . RELIGIONIS . COLVMNA
MARGARITA . PROBITATEM . SVXIT

Poſterioris autem

CXVII.

EX . BAVARICI . NOBILITATE . GENERIS
QVOD . IN . VNIVERSA . GERMANIA
EST . ALTERVM . FIDEI . PRISCAE . COLVMEN
MARGARITA . RELIGIONEM . HAVSIT

Mirandum ergo, ſed mage imitandum, quod non vna in tabula, verùm in duabus ipſis, & ita diſſitis, ac diſtractis, vt vnum in conſpectum haud poſſent cadere, quippe quae auerſas facies, alteram alteri, haberent, vocibus tamen in altera variatis Auctor vtendum putauerit, neque id per Synonymiam puram, ſed per translationem variam, vt conferenti vtramque liquet.

Neque putes factum ſatis venuſtati vnius tabulae, ſi verbum vnum non iteretur; quin etiam cum particulis componentibus ipſa verba ſimplicia variari poſtulant; praeſertim ſi proximè collocentur. Qui etſi naeuus fortaſſe videatur, Veneris demum faciem nihil turpat. Exemplum ſuccurrit menti, non tamen Auctor, qui memoriam in marmore dedicans reſtitutae poſt diutinam oppugnationem Vrbis munificentia regali Principis: *Verus* inquit *pater, reddidit vaſtatae Ciues Patriae, Ciuibus Patriam, inſtauratis Templis, reſtauratis moenibus, praetorio foro, Vrbeque tota in meliorem, ne dum priſtinam faciem reparata.* Nam *Inſtauro*, & *Reſtauro*, quae ab antiquo *Stauro* ex quorumdam ſententia componuntur, praeſertim tàm prope in hoc marmore cohaerentia, & pura ſynonyma, quidni venuſtatem frangant, & labefactent Inſcriptionis? Aptiùs fortè ſecundo loco *Reficio*, cùm maximè *Reſtauro* Tullianum nõ appareat.

Iteratio praeterea, niſi fiat ſecundùm leges Rhetorum (de figuris Repetitionis) vitabitur per Synonyma. Quamobrem cenſuram fortaſſe eruditorum veritus fuit Auctor ſpontè Anonymus, in quodam Elogio, ſic fatus: *Conſpiret ergo quantalibet in Medicinam vis conſpirantium.* Hoc tu quidem cum ſtomacho legas. At verò ille non tam ineptè, quàm incomptè (apud Suueertium in ſel. Del.) Saliſburgi de Sebaſtiano Hoflingerio: *laboribus tandem exhauſtus, laborando mortuus.* Comptiùs alter Elogiaſtes eandem ſententiam: *Inter labores tandem & vires exhauſit, & vitam.*

Exigere videtur hic locus, vt à cenſoria nota vindicemus antiquum marmor, quod cùm aurei fuerit ſeculi, ſuccedet nobis citra negocium. Extat autem apud Gruterum pag. CCXXVI. n. 7. exſcriptum à nobis ſuprà, lib. I. de Elogij Etymo, num. IV. eſtque in ordine XXXIV. Cuius initium *Imperatori Caeſari Diui Filio Auguſto, Pontifici Max. Imperatori Decimùm Quartùm, Tribunentià poteſtate Decimùm Septimùm* &c. Iteratam arguet quiſpiam hac ipsà Inſcriptione appellationem Imperatoris: non tamen perperàm, neque autonymicos. Siquidem priore loco indicatur Principatus politicus, & rerum ſummum regimen, quod ille ab ſenatu primus obtinuit Imperij nomine, ex quo etiam Romanae Monarchiae anni coepti ſunt numerari: poſteriore verò loco ſumma belli adminiſtratio, quae ſenatus conſulto peculiari pro rei opportunitate conferebatur ad certam expeditionem. Ità illic Imperator Vrbis atque Orbis Romani vniuerſi deſignatur Auguſtus praeſenti titulo, hìc ſuperioribus titulis quatuordecim ipſis Imperator, ex obitis

totidem bellicis expeditionibus.

Par in Sententijs labes obuenit: quas proinde vt varijs efferas modis, intuere naeuum in ſpecioſà facie, videlicet Senenſi Epitaphio aliàs nitido, quod tibi nunc ſubijcimus

CXVIII.

Nannem Marſilium
*ne * immortalis fieret. id enim de ſe promittebat in XII. aetatis ſuae anno. immatura mors extinxit Praeclara Camilla, illa inquam Marſilij coniux delicias ſuas hic poſuit. quae generoſae prolis ſtudioſa dum * mortalis immortales Nannem & Mutium filios faceret. Quod Dijs proprium humano inuidens ingenio Mors praeripuit*
Anno MDXXX. Die II. Nou

Vtramque profectò ſententiam in ſeparatis Elogijs optimam, in vno coactam minùs iucundè perlegeris. Itaquè variatione opus fuit, quam è diuite venà de facili hauries.

Cauendus porrò aduerſus ſcopulus, eorum ſcilicet, qui ſynonymis abutentes, in puerilem degenerant garrulitatem. Quà quidem notà laborat Elogiaſtes recentior ignotus nobis (niſi forte ſuppoſitius) cuius fragmentum, dum haec tractamus, oblatum ſic habet;

CXIX.

N. N.
Hoſpitibus Heredibus
Gente Patria Natalibus clariſſimis
Pietate Religione Integritate praeſtantibus
Prudentia Dignitate Sapientia exornatiſſimis
Grauitate Fide Charitate illuſtribus
Caeterarumque virtutũ ſplendore nitentibus &c.

Atqui eandem vocem iterare, imo etiam continuare, ſignificatione diuersà perquàm decorum eſt, ſicut in illo Epitaphio Antuerpienſi: *Iacobo Roelans I. C. Clariſs. Honore cum honore defuncto* &c. (Citat Suueertius in Select. Delic.) Nam priore loco eſt Honor pro officio; poſteriore, pro laude & plauſu populi. Et apud Franciſcum Caſatum Mediolanenſem, Elogio de Io. Stephano Brippio: *Magiſtratus ordinarij Quaeſtura inſignitus*: *Mirum*, *In Quaeſtura quaeſturam non habuit*. Ibidem: *Honorem Honori contulit* &c. Adi Capitis ſequentis Membrum IV.

De Incremento, ac Decremento Inciſorum in numeris

Membrum VII.

IMportunum haud fuerit haec à Rhetoribus in vſum Elogiaſtae transferre, exempliſque illuſtrare. Ac incrementi quidem ſpecimen dedit clauſula Inſcriptionis Mediolanenſis: *Fremuerunt adhuc*, allatae nuper Membro V. quae ita deſinit *Domino*, *Domitori*, *Dominatori*. Dabit praeterea ex Sel. Delic. Suueertius in Epitaphio Ingolſtadienſi de Petro Caniſio, qui fertur: *Ob inſignem animi moderationem*, *conſtantiam*, *prudentiam à Summis ad ſumma non rarò Miſſus*, *Vocatus*, *Poſtulatus* &c. quod equidem eſt non ſolum numeri, ſed ſententiae quoquè incrementum. Summos autem pòſt interpretatur Guilielmum IV. vtriuſque Bauariae Ducem, Ottonem Cardinalem Epiſcopum Auguſtanum, Carolum V. Imperatorem, Pium V. Pont. Max. Laurentius item Pignorius Elogiaſtes egregius in obitu Aldinae catellae; *Cuius genio ceſſerat quidquid vſpiam erat Fidei*, *Charitatis*, *Hilaritatis*.

Iam Decrementi paradigma venuſtum citatur apud Suueertium in Brabantinis ad Suburbanum Laurentij BeyerlinK, Canonici Antuerpienſis, in Vico Berchem:

CXX.

PERPETVAE. SALVBRITATI
HONESTAE. VOLVPTATI
AMICAE. QVIETI

quod eſt in numeris duntaxat decrementum, cui adde clauſulam Elogij funebris Antonij Chanut in Ludouicum III. Regem: *Diſcant*, inquit, *Mortales nihil eſſe diuturnum*, *niſi quod aeternum eſt*: *Et hoc vnum eſſe felix* SANCTE VIVERE. SANCTE. MORI. Repete ex libro IV. de Elogij Breuitate Membrum totum XXVI.

XXVI. & ex lib. III. de Perſpicuitate Memb. II. Elogium X.

Non erit ab re noſtra illud obſeruaſſe, ex decremento ferè exiſtere Venuſtam ſiue Agnominationem, ſiue Alliterationem, quae ſcilicet literarum, aut ſyllabarum adiectione fiat. Vt ſi dicas cum Guiniſio: *Hoc tam praelarum eſt, quàm rarum*. Et cum Theſauro *tam egregium eſt, quàm Regium*. Item *Quod aegre ſeculum peperit, momento ſaepiſſimè perit*. Haec autem ſi inuertas, illico ſales perdis. Accipe Epitaphij fragmentum in VValenſteinijum: *Hunc ex claris quidem, ſed modicè faſtigiatis penatibus ea Sors ſuſcepit, quae ligones ſceptris vel GAVDET, vel AVDET aequare*. Ne pigeat Epitaphium recens totum inſpicere, ſub cuius metam cadit perbellè id ſchema: Citat Puccinellius in ſuo Zodiaco ex Diui Ioannis (vulgò) in Concha:

CXXI.

Vincentio Serenio Mediolanenſi
Nobili ſtatuario atque egregio
Architecto
Templi Maximi aedificationi
Praefecto
Qui cùm ſuam in publicis priuatiſque
Aedificijs architectandis domi foriſque
Probaſſet induſtriam
In tota Gallia Ciſalpina communi
Architectorum. conſenſu
Primas conſecutus eſt
Romam à PIO IV. Pont. Max. ad
Fabricationem Baſilicae S. Petri
Proſequendam expetitus eſt
Ampliſſimis praemijs inuitatus
Charitate Patriae retentus
In extruendo Iuriſconſul. Collegio
A ſe pulcherrimè deſcripto
Ciuibus ſuis quàm commodis
Seruire maluit.
Denique cùm in benemerendo de
Architectura, deque Patria
Conſenuiſſet
CLARVS benefactis, & CARVS
Omnibus
Exceſſit è vita Prid. Id. Ian.
An. Sal. MDLXXXXIV.
Aetatis ſuae LXXXV.
Vitruuius Filius Architectus
Patri Opt. M. Poſ. An. MDIC.

CAPVT III.

Lepor in Sententijs.

E Figuris Sententiarum vſitatiores illuſtrabimus hoc loco, quibus ſcilicet illigatur lepor Elogio; reliquas ſequenti libro reſeruantes, quae Sales ſubminiſtrant: quamquàm vtrique negotio vna eademque figura nata eſt pro vario artificio, vt ibidem exponetur. Hic autem non ſententiarum modò figuras, ſed etiam Verborum, & quae Grammaticae vulgò dicuntur, promiſcuè tractabimus.

De Iſocolo, ſiue Compare.

Membrum I.

HOc etiam Membrum, & Prope aequatum vocant Rhetores; eſtque duorum, aut plurium membrorum pari ferè numero ſyllabarum prolatio, Cuiuſmodi eſt, (vt ex Elogiaſtis tantùm exempla petantur) quod ſpurijs, ac ſuppoſititijs adnumerat Gruterus pag. XI. num. 6. Nec, ſi fide antiquitatis caret, venuſtatis idcirco deſiderat laudem, videlicet:

CXXII.

QVO. VADAM. NESCIO
INVITVS. MORIOR
VALETE. POSTERI
POSTHVM. EQ. ROM

Perſimile illi Epitaphio, quod citat Michael Radau è Soc. Ieſu in ſuae Artis Orat. Parte II. Cap. VII. Quaeſt. III.

CXXIII.

HIC . DECVMBO . VIATOR
VIDE . QVID . SVM
FVI . QVOD . ES
ERIS . QVOD . SVM
VALE

In rotundioribus Epigraphis, & quae pleniore decurrunt periodo ad Oratoriae aemulationem, mirùm, quanta ex Iſocolo venuſtas prouenit. Cernitur in marmore antiquo apud Gruterum pag. CCCLXXXIX. num. 4.

CXXIV.

APPIVS . CLAVDIVS
C. F. CAECVS
CENSOR. COS. BIS. DICT. INTERREX. II
PR. II. AED. CVR. II. Q. TR. MIL. III
COMPLVRA . OPPIDA . DE . SAMNITIBVS
CEPIT . SABINORVM . ET . TVSCORVM . EXER
CITVM . FVDIT . PACEM . FIERI . CVM . PYRRHO
REGE . PROHIBVIT . IN . CENSVRA . VIAM
APPIAM . STRAVIT . ET . AQVAM . IN . VRBEM
ADDVXIT . AEDEM . BELLONAE . FECIT

In diſiunctis quoquè, ſeu diſſitis titulorum membris non vulgaris indidem emanat decor. vt apud Gruterum inter Spuria, pag. IV. num. 1. Porticus ita inſcripta:

CXXV.

HINC . MAGNAM . LICET . AE
STIMARE . ROMAM

altero deinde in pariete ad dexteram legitur;

CXXVI.

SALVOS . VENIRE

& ad laeuam.

CXXVII.

SALVOS . ABIRE

quibus binis membris nihil venuſtius, ac magnificentius.

Paritas haec numeri interdum mediam tenet Inſcriptionem. Ita Marcellus Carmelita Pyramidem Beatae Tereſiae inſcribit, nomine Prouinciae Europae

CXXVIII.

EVROPA
CLARISSIMAE . VIRGINIS
ILLVSTRATA . NATALIBVS
INFLAMMATA . VIRTVTIBVS
CVMVLATA . BENEFICIIS
MOLEM. HANC. GRATA. ET. GRATVLANS
EXCITAVIT

Interdum tenet extremam, vt apud Marcellum Buttiglium in nuptijs Ducum Parmenſium, vbi tamen feliciùs abſoluit Elogium, quàm inchoauerat:

CXXIX.

MARGARITAE
Pietatis Amantiſſimae
ODOARDVM
Religionis Obſeruantiſſimum
Virum conuenienti
Terreni Imperij Primæ Vrbis ad limina
Aeterni Empyrei Trina Orbis haec lumina
Ingreſſum ad Iucunditatem
Conſeſſum ad Felicitatem
Egreſſum ad Beatitatem
Annuntiant

[Vbi trina Empyrei lumina appellat Diuos tres Tutelares, quorum Simulacris marmoreis appoſita fuit Inſcriptio.] Conformis eſt clauſula Elogij de ſcriptis Beatae Tereſiae, Marcello Carmelita Auctore: *Altiſſimis referta arcanis, Diuinoque dictata ſpiritu, Prouentu maximo Et huc vſque volutata, Et in poſterum volutanda.* Et alterius apud eundem Auctorem de eadem Diua inſtaurationem aggreſſa Ordinis, reluctante mundo: *Tantum opus inchoauit intrepida, Promouit indefeſſa, Abſoluit glorioſa.*

Ad copiam, haec fragmentorum exempla recentia adijcimus: Gibertus Borromaeus Academicus Animoſus, Elogium de Dionyſio Brippio, Regio in Patria Senatore ſic claudit: *Hoc vnum intulit damnum, vt illo timeret viuo.* Emmanuel Theſaurus Elog. de Octauio Aug. *Ad bellum natus bellum fugauit: Motus eſt Orbis illo moto,*

moto, Quieuit quieto. Idem Elog. de Iul. Caeſare: *Defuere illi hoſtes, Hoſtem habuit Patriam:* Et: *Eam vicit inuitus, qua vixit inuita:* Et: *Pro Roma triumpharat, de Roma triumphauit.* Petrus Labbè de Ludouico XIII. Rege Galliae, ad mortem aegroto: *Menſis idem, & Dies erat, quo lucem primùm aſpexerat* (mox) *eum Diem eodem vultu Et ſalutauit vt primum, Et adorauit vt poſtremum.* Aloyſius Iuglaris in Genethliacis Inſcript. I. *Ludouicum ſine liberis adhuc Natura relinqueret, Quòd illos dare degeneres nollet; Pares, niſi ſerò, non poſſet Princeps optimus.* Et Inſcript. III. *Vulcanus Alibi fulminum, Hic gaudiorum Eſt.* Et Elog. de Diuo Carolo Borromaeo in Virtutib. Infulatis: *Mori volentem coëgit viuere, donec fatigari neſcium Terris eriperet, Caelo redderet.*

De Relatione.

Membrum II.

Relatio, quae & Repetitio, fit initio Inciſorum, Membrorumuè, Vt apud Iuglarem in Chriſto I. Elogio XCIX. de Iudicio extremo: *Damnatur vnuſquiſque ſe Teſte, ſe Accuſatore, ſe Iudice.* Quod quidem ſchema in argumento graui habet locum, & in affectibus vehementibus: Vt apud eundem Elog. C. de Mundi tranſitu: *Vbi nunc homines, Vbi vrbes, Vbi Mundus eſt? Vbi eris & tu, qui haec legis?*

Ab horrore tu certè exporrexeris frontem, ſi legas Inſcriptionem veterem ridendae ſuperſtitionis, apud Gruterum pag. XCVII. num. 1.

CXXX.

FEBRI . DIVAE . FEBRI
SANCTAE . FEBRI . MAGNAE
CAMILLA . AMATA . PRO
FILIO . MALE . AFFECTO
P

& quidem affectus mulieris, ac maternus, quùm vehemens, ac inſanus, eiuſmodi ſuggerit repetitionem. Illud verò, quamquàm Viri nomine, aliqua tamen Praefica conductitia dictante, videtur inſcriptum, quod refert Auctor Sacroſanctae Vetuſtatis pag. CCCCXXIII. videlicet:

CXXXI.

D . M
PORTITORI . PLVTONI . ET
PROSERPIN . HAVE . IVLIA . C. FIL
MAXIMA . FELIX . DOM . TROMENT
SALON . ANIMVLA . DVLCIS
ANIMVLA . SVAVIS . ANIMVLA
IN . DEORVM . NVMERVM . RECEPTA
VNDE . TALE . QVANDO . TALE . ET
CVI . TALEM . V. A. LIX. MEN. VI. D. XII
HOR. NOCT. IX. T. SCRIBONIVS
BARBVLA . CONIVGI . INCON
PARABILI . B. M. P. C. &c

Seueriores damus è recentibus tumulos honorarios, Carolo Vicecomiti patritio Mediolanenſi propoſitos, alterum à Flauio Boldonio iam tùm ephebo, germano meo, videlicet:

CXXXII.

Lugete Iuuenes
Lugete Viri
Ereptum vobis vtriſque
CAROLVM VICECOMITEM
Vobis ò Iuuenes Decor
Vobis ò Viri concidit Decus
Oſſa teguntur marmore
Sed CAROLI mens
Summum tetigit Polum.
Fama Virtutis comes
Non illum hic tegi ſinit

Alterum ab Erycio Puteano Rhetoricam artem profitente Mediolani, ac Regio Hiſtoriographo, videlicet:

CXXXIII

Lugete Ciues Lugete Boni
CAROLVS . VICECOMES
HERMETIS . F
Princeps Iuuentutis
Cui nihil Natura negauerat
Spes Parentum
Delicium Vrbis
Amor Omnium
Dum fictam Tragoediam ſpectatum iret
Verſa cataſtrophe vera ipſe ſpectatur
Heu facinus
Infeſta vi oppreſſus, Infauſto ferro laeſus
Qui neminem laeſit

Sed

Sed in quo omnes laeſi
Cum dolore & luctu omnium
E vulnere expirauit.

Non reticendus Doctor ipſe Puteani, Iuſtus Lipſius, qui librum Primum Electorum dedicans, hocce titulo Epiſtolam praenotat.

CXXXIV.

Ad Sereniſs. Principem
MATTHIAM . AVSTRIVM
Belgicae Proregem
***Imperatoris** Filium, **Imperatoris** Fratrem*

Certè haec *Imperatoris* repetitio neſcio quid ſpirat peregrinae venuſtatis cum energia. Nec ambigas, Lipſium id ſchematis decerpſiſſe ex antiquitate, cui ipſe caput deuouerat; ſic enim legitur marmor apud Grut. pag. CCCLII. n. 5.

CXXXV.

ANICIAE . FALTONIAE
PROBAE . AMNIOS . PINCIOS
AN CIOSQVE . DECORANTI
CONSVLIS . VXORI
CONSVLIS . FILIAE
CONSVLVM . MATRI
ANICIVS . PROBINVS . V. C
CONSVL . ORDINARIVS
ET . ANICIVS . PROBVS . V. C
QVAESTOR . CANDIDATVS
FILII . DEVINCTI
MATERNIS . MERITIS
DEDICAVERVNT

Nec alterum ſimile marmor fallere potuit Lipſium apud Gruterum pag. DLXII. num. 4.

CXXXVI.

T. STATILIO
MESSALINIANO
PRAEF. COH. II
ASTVRVM
SCRIBAE . TRIBVNICIO
SCRIBAE . AEDILICIO

Magnificentiae plurimum conciliat haec figura, vt probat illa pars recentis Epitaphij honorarij inter Monumenta Brabantina apud Suuertium de Guicciardinio, videlicet: *Temporaneum monumentum hìc habes Viator. Quod Franciſcus Suueertius Viro de poſteritate B. M. Poſuit. Donec nobilis Florentina Natio dignum Ciue, dignum ſplendore ſuo marmoreum, & aeternum erigant Epitaphium.*

Excipe, vbi enumeratio tribus plura complectitur, tunc enim repetitione omiſſa concinnior euadet conglobatio, praeſertim vbi res magis eminuerint. Paradigma proferimus ex Octauio Ferrario, nunquam ſatis laudato Elogiaſte, à quo ſequens memoria procuſa legitur:

CXXXVII.

MARIA AVSTRIACA AVGVSTA
VNICO . AD . HANC . DIEM . EXEMPLO
IMPERATORIS
FILIA . CONIVX . NVRVS . ET . MATER
REGIS . SOROR
QVVM . E . GERMANIA . IN . HISPANIAM . PROFICISCERETVR
S . C
A . FRANCISCO . PRIOLO . DIVI . MARCI . PROCVRATORE
REGIO . PARATV . EXCEPTA
FREQVENTI . PRINCIPVM . AC . PROCERVM . OFFICIO
HAS . AEDES . MAIESTATE . SVA . IMPLEVIT
SACRAQVE . MENSARVM . ATQVE . HOSPITALES . DEOS . MISCENS
FORTVNAE . PRINCIPALIS . FVLGORE
PENATES . IN . POSTERVM . NOBILITAVIT
MARINA . PRIOLA
AD . RENOVANDAM . TANTI . HOSPITII . MEMORIAM
H . M . P

Doctrinae etiam inſeruit Repetitio, vt ex Inſcriptione Brabantina conſpicitur, quam hìc totam damus.

IESVM

CXXXVIII.

IESVM . CHRISTVM
Verum Deum & Hominem
In SS. Altaris eſſe Sacramento;
Omnis ratio eſt in virtute Dei;
Omnis ſcientia in fide.
Quòd poteſt eſſe, à Dei potentia eſt,
Quòd ſit, ab eius voluntate,
Quòd ſcimus eſſe, habemus ex Eccleſia quae non errat
& à S. Scriptura, quae non fallit,
Quòd non capimus, ab intellectus eſt infirmitate;
Quòd non credimus, a Patre Mendacij, qui non
ſtetit in veritate.

De Reditione.

Membrum III.

EST Reditio, quemadmodum definiunt Rhetores, Verbi eiuſdem in principio, & fine Membri, aut Inciſi repetitio, cuiuſmodi tritum eſt apud Ciceronem exemplum: *Multi inuenti dolores parentibus, & propinquis multi.* Nec deſunt in veterum memorijs. Gruterus pagina DCCLXIII. num. 7.

CXXXIX.

C . BENNIVS
CAESIAE . OPTATAE
VXORI . SVAE
FECIT . NON . LVBENS
SED . FATVM
FECIT

Franciſcus Pona Elogio de Vxore Domitiani Caeſaris: *Reliquit ea Caeſarem, hiſtrionem ſequuta* (deinde) *Pari ignominia aſſumpſit, Ignominia dimiſit pari.* Idem in fine vnius, & principio alterius, de Claudio Caeſare: *Ieiunum Aurora nunquam, Nunquam ſaturum Nox vidit.* Item in fine tantùm, vt Pona ipſe, Elogio de Vitellio: *Moriens vidit illacrymantem nullum, Audiuit nullum.* Et principio tantùm, vt Ioannes de Pinedà, Epitaphio in Pyramide Iobi Patriarchae afflicti: *Viro optimo cum bona, cum mala fortuna compoſito, Vtriuſque Victori feliciſſimo.*

De Intentione.

Membrum IV.

INtentionem Rhetores interpretantur Verbi eiuſdem repetitionem, in diuerſo tamen ſenſu. Qualis apud Virgilium Ecloga VII.

Ex illo Corydon, Corydon eſt tempore nobis.

ideſt ex illo tempore Corydon eſt nobis ſuauis cantor. Cuius ſchematis accipe ex Antiquis marmoribus varium hoc ſpecimen. Apud Gruterum pag. CCCXXXIII. num. 4.

CXL.

CONSTANTIVS . MVNERARIVS . GLADIA
TORIBVS . SVIS . PROPTER . FAVOREM . MV
NERIS . MVNVS . SEPVLCRVM . DEDIT
DECORATO . RETIARIO . QVI . PEREMIT
CAERVLEVM . ET . PEREMPTVS . DECI
DIT . AMBOS . EXTINCXIT . RVDIS . VTRO
SQVE . PROTEGIT . ROGVS
DECORATVS . SECVTOR . PVGNAR . VIIII
VALERAE . VXSORI . DOLORE . PRIVVM . RELIQVIT

Bis nominatum hic *Munus*; ſed priùs pro ſpectaculo ſumitur, reſpondetque praecedenti voci *Munerarius*, quae exhibitorem ſignificat eius muneris: Poſteriùs autem pro dono, & gratia relata. Item apud eundem Gruter. pag. DCXXXVI. num. 2. Totum exſcribimus, ne violatae vetuſtatis arguamur.

CXLI.

V . F
T. VETTIVS . T. L
HERMES
* SEPLASIARIVS
MATER . GENVIT . MATER . RECEPIT
HI. HORTI. ITA. VTI. OPT. MAXIMIQ. SVNT
CINERIBVS . SERVIANT . MEIS
NAM . CVRATORES . SVBSTITVAM
QVI . VESCANTVR
EX . HORVM . HORTORVM . REDITV
NATALI . MEO
ET. PRAEBEANT. ROSAM. IN. PERPETVVM
HOS . NEQVE . DIVIDI
NEQVE . ALIENARI . VOLO

* i. e. *Vnguentarius*.

Aliter quippe terra hominem hunc genuit, aliter recipit. Vnum in Adamum, parentem primum generis humani, quadrat, eodem genitum modo, & receptum à terra. Lepidam facit hic locus clauſulam alteri memoriae apud eundem Grut. pag. DCIX. num. 3.

CXLII.

AELIAE . RESTITVTAE . ANIMAE
DVLCISSIMAE . BELLATOR . AVG. LIB
CONIVGI . KARISSIMAE . BENEMERENT
AMICI
DVM . VIVIMVS
VIVAMVS

Eſt autem ſenſus; Vitam dum viuimus, laetam ducamus, & iucundam.

De Traiectione.

Membrum V.

EFfloreſcit ex hoc maximè loco venuſtas ſoluti Elogij non minùs, quàm carminis. Si enim ex varietate exiſtit ſpecies Naturae, id ipſum cumulatè praeſtabit Traiectio, quae definitur Rhetoribus: Dictionis eiuſdem cum quadam varietate repetitio. Cuiuſmodi apud Virg. Aeneid. V.

----- haeret pede pes, denſoque viro vir, &
Littora littoribus contraria fluctibus vndas.

Sumpſit autem hinc initium Dedicandi tumuli, qui ſibi & alijs coniunctis ſepulcrum condidit ante obitum: citaturque apud Gruterum pag. DCL. num. 2.

CXLIII.

VIVVS . VIVIS . FECIT
L. LVCRETIVS . L. L. PRIMVS
VESTIAR. SIBI . ET
L. LVCRETIO . L. L. ROMANO
VESTIAR. L. ET
DECIMIAE . L. L. PHILEMA
TION. ROMAN. MATRI

Cui conſonat apud eundem Grut. pag. DCCXXX. num. 3. titulus Tumuli.

CXLIV.

MARCIAE . CANDIDAE
MATRI
PIENTISSIMAE
M. AVRELIVS . LAVRENTIVS
FILIVS
VIVVS . VIVAE
FECIT

Non infrequens antiquis id ſchema, vt indicant illi modi ſaepe obuij: *Coniux Coniugi fecit* in Epitaphijs: Et; *Vixit annos integer integros*. Item: *Quod omnes omnium ante ſe maximorum Imperatorum gloriae ſupergreſſus* &c.

Sed obſerues oportet, Traiectionem aliam eſſe coniunctam, aliam diſiunctam.

Coniunctae ſunt allegata exempla, quibus ad maiorem vſum, & copiam haec etiam ſubdimus. ex Graecis quidem è Sophocle, Aiace Lorario: πόνος πόνῳ πόνον φέρει, ideſt *Labor labori laborem affert*: & ex Heſiodo lib. I. Oper. & Dier.

Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει, καὶ τέκτονι τέκτων:
Καὶ πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

ideſt:

Et figulus figulum odit, & fabrum faber:
Et mendicus mendico inuidet, & cantor cantori.

E Latinis autem proferimus Q. Curtium lib. III.

Vir

Vir viro, Arma armis conſerta ſunt. Ouidium XIV. Metamorph. in perſona Pythagorae nefas putantis veſci hominem carnibus:

Heu quantum ſcelus eſt, in viſcere viſcera condi,
Congeſtoque auidum pingueſcere corpore corpus,
Alteriuſque animantem animantis viuere letho.

Et Sociagum Poëtam Mediolanenſem, non vetuſtum illum, ſed venuſtum, de Diuo Sebaſtiano Martyre telorum ſylua transfoſſo:

Deſuerat tantis membrorum copia plagis,
Inque tuo nullum corpore corpus erat.

Diſiunctae Traiectionis haec habe. Ex M. T. Cicerone III. Offic. vbi Scipio dicere ſolebat: *Nunquam ſe minùs otioſum eſſe, quàm cùm eſſet otioſus: nec minùs ſolum, quàm cùm ſolus eſſet.* Ex Tertulliano ad Scapulam: *Non eſt religionis cogere religionem, quae ſponte ſuſcipi debet.* Calui in Vatin. ex Fabio: *Factum eſſe ambitum omnes ſciunt, & vos hoc ſcire, omnes ſciunt.*

Iam è recentibus Elogiaſtis coniunctae exempla dabunt Carolus Legnanus Mediolanenſis de Comite Giberto Borromaeo: *Lauro cingendus es, quia parentum gloriae perpetuò vernabunt in te. Quid eo virtutum Vere beatius, Cui florum flos corona eſt?* Caeſar Alexius Peruſinus in Coſmopoeiam noſtram, ſeu Mundum ſymbolicum è gentilitijs Orbibus Medicei ſtemmatis Magnorum Ducum Etruriae perfectum: *Illa* (Sapientia) *didicit è Tyrrhenis Orbibus Orbem texere virtutum.* Octauius Ferrarius, qui Epitaphium Aemiliae Iuſtinianae ita claudit: *Alexander Saulius Coniugi incomparabili Amans Amanti poſuit.* Non diſtonat Epitaphium à Suuecrtio citatum inter Brabantina, videlicet:

CXLV.

PIAE . MEMORIAE . SACR
ABRAHAMO . ORTELLIO
ANTVERPIANO
GEOGRAPHO . REGIO
FRATRI . CARISSIMO
ANNA . ORTELLIA
CAELEBS . CAELIBI . H. M. P
MDXCVIII

Alterius, ideſt Coniunctae exemplum pernobile eſt Epitaphium Venetum apud Suueertium, perexiguum illud mole, ſed ſucco plenum, videlicet:

CXLVI.

SEBASTIANI . FOSCARINI
Accipite Veneti Ciues,
Quod eſt optimum in rebus Humanis,
Humanas res contemnere.
Vixi Reip. quandiu potui, mihi certè parum,
Et hìc vno ictu extincto.

De Commutatione.

Membrum VI.

Antimetabole Graecis expreſſiùs, quàm Latinis Commutatio: quae ſcilicet per eadem recurrens verba, ordine inuerſo relegit. Eiuſmodi eſt Theocriti reſponſio, qui ſcitantibus, cur nihil mandaret literis, ὡς μὲν (inquit) βούλομαι, οὐ δύναμαι· ὡς δὲ δύναμαι, οὐ βούλομαι, ideſt *Vt quidem volo, non poſſum; vt autem poſſum, non volo.* Et Ouidij dictum, Amor. lib. II. Eleg. poſtrema

Quod ſequitur, fugio; quod fugit, ipſe ſequor.

Eiuſdem Epiſt. Helenae ad Paridem

At tu diſſimula; niſi ſi deſiſtere mauis:
Sed cur deſiſtas? diſſimulare potes.

Scitus eſt Seneca de Conſolatione ad Heluidiam: *Vomunt, vt edant: edunt, vt vomant.* Iuſtinus de Annibale lib. XXXI. *Nec minùs in ſecundis aduerſa, quàm in aduerſis ſecunda cogitantur.* Iulius Auſonius Pater Dec. Magni Auſonij: *Beatum eſſe, non qui habet, quae cupit, ſed qui non cupit, quae non habet.* Neque praetereundus pater Romanae eloquentiae, Orat. pro Lege Man. *Hoc tantum bellum &c. quis vnquam arbitraretur aut ab omnibus Imperatoribus vno anno, aut omnibus annis ab vno Imperatore confici poſſe?* Itemque Inſtitutor Oratorum Quintilianus lib. I. Cap. X. *Vt nouorum optima erunt maximè vetera; ita veterum maximè noua.* Ex Elogiaſtis antiquis citat Grut. pag. DCCVI. n. 5.

CXLVII.

SEIA . T. F. MARCELLINA . SIBI . ET
VIBENNIO . MARCELLINO . FILIO
VIVA . POSVIT
QVOD . VOLVIT . ET . POTVIT
QVOD . POTVIT . ET . VOLVIT

E recentioribus clauſulam Panegyrico in Regem Galliae facit Stephanus Petiot: *Dent Ludouico Superi ſempiternum Imperium: Reddant ſempiternum Imperio Ludouicum*. Franciſcus Pona Elogio de Iulio Caeſare; *Vir foeminis, Viris foemina*. Ludouicus Vicecomes Elog. de Caeſ. Brippio: *Maximorum parentum non degener filius, Maximorum filiorum parens effici meruit*. Eman. Theſaurus Elog. de Fl. Domitiano: *Hoſtibus muſca, Muſcis hoſtis fuit*. Et Inſcriptione pro foribus Templi Diuae Virginis Celſianae Mediolani, in publicis gratijs pro nato Infante Regis Hiſpaniarum.

CXLIX

ADESTO . CIVIS
INCLYTAM . REGNI . STIRPEM
DIV . ROGASTI . VT . HABERES
VT . DIV . HABEAS . ROGA

Non ita ſapit, quamquam nec deſipit Epitaphium, quod refert Franciſcus Pona poſitum Gentili ſuo, Veronae, videlicet;

CL

IO. BAPTISTAE . PONAE
MED. PHIL
INEXPECTATA . MORTE . SVPERATO
CVM . AETATE . ET . REBVS . FLORENS
OMNEM . SVPERASSET. EXPECTATIONEM
VIXIT . ANN. XXXI. MEN. X. D. XV

De Antitheſi.

Membrum VII.

Regnat in Antitheſi, ſiue Oppoſitione Venuſtas. Et Primùm in his, quae contrariè opponuntur. quod prodit vetus Inſcriptio apud Grut. pag. DCCCCLXXXXIV. n. 3.

CLI.

SEPTVMIAE . L. L. SEVERAE
L. POBLIC. ABASCANT
PRO . MERITIS . PARVM
PRO . FACVLTATE . SATIS

In ſimplicioribus quoquè monumentis haud rarum id ſchema in his praeterea, quae relatiuè, vt exemplis ſubiectis patebit, ex eodem Grutero, nimirum pag. DCLXIX. num. 7.

CLII.

D . M
APHRODISIAE
APHRODISIVS
PATER
FILIAE . POSVIT

En bina oppoſita, ideſt *Aphrodiſiae Aphrodiſius*, foeminae mas, Et *Pater Filiae*. Ita in ſimpliciſſima puritate ſuam iubet eniteſcere venuſtatem Antitheſis. Non diſſimiliter pag. DCCIV. num. 3.

CLIII.

ASPRO
RESIVS . ASPER
PATER . FILIO
PIENTISSIMO

& pag. DCCXCVII. num. 3.

CLIV.

IVNIO . MAXVMO
IVNIA . VICTORINA
VXOR . MARITO
MERENTISSIMO

& apud Scriptorem Sacroſanctae Vetuſtatis, Epitaphium Comenſe

CLV.

MARCELLIAE
PROFVTVRAE . QVAE
VIXIT . ANN. XVI. DIES . XXX
MARCELLIA . MARCELLA
MATER . FILIAE
INNOCENTISSIMAE

Obſeruanda quoquè elegantia ſimul, & dignitas apud Gruterum pag. DCCVI. num. 13.

CLVI.

D . M
SERVI
SEVERI
CASSIA
MISERA . MATER . FILIO . INCOM
PARABILI . AN
XXIV. ARAM . PO
SVIT . ET . SVB . A. D
* *ſub aſcia dedicauit*

Apud eundem pag. MXXXVIII. num. 6.

AEMILIAE

CLVII.

AEMILIAE
EVPHROSYNAE
FILIA
MATRI
OPTIMAE . ET . IN
DVLGENTISSIMAE
FECIT

Item pag. MCXXIX. num. 7.

CLVIII.

D . M
Q. PVPIO . ALPHIO . QVI
VIXIT . ANN. XXXIII. MEN
XI. DIEBVS . XXIII. FECIT
CERINTHVS . CVM . FAVSTO
FILIO . FILIVS

Cum Fauſto intellige Cerinthi filio, Pupij Paphij filij: Vt ſit Pupius Auus, Cerinthus filius, Fauſtus nepos.

Vtriuſque autem Antitheſis extat inter antiqua pernobile marmor apud Grut. pag. DCCCXXXIII. num. 4.

CLIX.

TERENTIAE
VXORI . DVLCISS
* LAETITIAE . OMN. GENITAE
ET . POPVLI . MOERORE . EX
TINCTAE
C. FLORIDVS . CONI . LIB. P
VIXIT . ANN. XIIII. M. II
D. III. H. VIII
S . T . T . L

* i. e. *omnium*

E recentibus memorijs, ſimplicibus ijs, ſeu hiſtoricis digna eſt Lipſio ex Antitheſi contrariorum Inſcriptio feneſtrae vitreae in Muſaeo Suueertiano, quam citat inter Brabantinas ipſe Suueertius in hunc modum

CLX.

FRANCISCO . SVVEERTIO
POSVIT . IVSTVS . LIPSIVS
SIGNAVITQ. IN . RE . * FRAGILI
* FIRMAM . ET . ANTIQVAM
AMICITIAE . FIDEM
CIↃ. IↃ. XCIV. KAL. SEPT

Ex appoſitis verò Negatiuis elegantiſſimus eſt, vt ſemper alibi Iuglaris in Arcum Triumphalem Vrbis Niciae:

CLXI.

Fecialibus pacis ſuae ſponſis
Sereniſſimis Sabaudiae Principibus
MAVRITIO . ET . ALOYSIAE-MARIAE
Senatus Populuſq. Nicienſis
Pro Iani foribus clauſis
Has Triumphales aperuit

alludit autem ad domeſticum, ac inteſtinum bellum Principum Sabaudiae, cui componendo celebratae hae nuptiae inter Patruum, & fratris filiam, annuente Pontifice Maximo.

Neque praetereundum Epitaphium recens Piſanum, cuius clauſula affectum mirè elicit huiuſmodi Antitheſi. Legitur autem in Diui Pauli, videlicet:

CLXII.

MARIAM . DE . MINERBETTIS . NOB. FLOR
nondum aetatis ſuae florem praetergreſſam
maturitate morum immaturam mortem
augurantem. Caeleſteque iter operoſa fide
parantem. Michaelis Griffonij D. Steph.
*Equit. huius Templi Commendatarij amantiſs. eius Viri intempeſtiua dies oculis * abſtulit. Animo * fixit XII. Kal. Iunij Anno*
aetatis ſuae XXIX. Sal. M. D. C. XXIX.
Hic igitur gratiſs. reliquias P. C.

Luſus idem occurrit in ſeqnenti Epitaphio Romano apud Suueertium, videlicet:

CLXIII.

Tarquinio Iacobatio de Facceſchis Romano Perilluſtri titulis tùm Militaribus Terra, Marique tùm Ciuilibus. Qui incolumis & victor à pugnis memorabilibus, Gallica ad Montem Contourium aduerſus haereticos. Nauali ad ſinum Corynthiacum contra Turcas, aliiſque plurimis. Domi ſuae dum feneſtram APERIENDO recedit delabitur in ſcalas & vitam CLAVDIT Prid. Non. Octob. Ann. aetatis ſuae L. & ſalutis CIↃ. IↃ. XCVI. *Martius frater moerens & ſibi Poſ*

Grandiuſculis Antitheſin elicuimus duabus in dictionibus poſitam. Ab hoc item loco contracta eſt Venuſtas argumento, ſi tempus cõputes, tenui, in recenti monumento, quod Bernardinus Cãpellus Spoletinus dictauit in haec verba:

 VITALIANO

CLXIV.

VITALIANO . VICECOMITI . BORROMAEO
PATRICIO . MEDIOLANENSI . VTRIVSQVE . SIGNAT . REFER
OB . EGREGIA . MERITORVM . INSIGNIA
QVIBVS . AVGVSTAE . FAMILIAE . GLORIAM . AEMVLATVS
IN . SPOLETINAE . DITIONIS . FELICI . ADMINISTRATIONE
MAXIMO . REIP . BENEFICIO
OPTIMI . REGIMINIS
PERENNEM . FAMAM . BREVI . EXPERIMENTO
RELIQVIT
S . P . Q . S
IN . CIVIVM . NVMERVM . FAVSTIS . OMNIVM . VOTIS
COOPTATO
PONI . IVSSIT . PROBAVITQ
AN . MDCLIV

Repugnanter quoquè Oppoſita gratiam adferunt non vulgarem, vti ſubiectum oſtentat Monumentum in Ponte Torrentis, ſecundo lapide à Liburno, Portu Maritimo in Etruria, Auctore Franciſco Suico Collega noſtro ; ſcriptum autem, non poſitum, quia res aliter, ac conſultabatur, peracta eſt.

CLXV.

ANTONIVS . BOGES . Petſarum, qui apud Thraces CILIBI ſunt
Nobiliſſimus vnà & opulentiſſimus
*CHRISTI verò cultor in Mahumetanis * terris * integer*
*In exaggerandis * fortunis * innocens*
Declinans impotentiſſimi Dominatoris inuidiam
Liburnum ſeceſſit
Vbi reſtituto cum Negotiatoribus Smyrnaeis commercio
Vt & Homines demereretur, & Numen
Hoc Ponte ſumptib. ſuis erecto
Piorum frequentiae ad Diuae Virginis in Monte Nigro
Peruium iter effecit. MDCLIX

Fermè enim repugnant Integritas inter impiorum commercia, & innocentia inter ſtudia aggerandarum opum.

Porrò Panegyricarum Inſcriptionum contenti hoc loco fragmentis, vt euitetur prolixitas, producimus ſequentes Elogiaſtas: Iuglarem in Templo D. Ioannis Baptiſtae (qui vulgò Vox aeterni Verbi) vt habet: *Echo illius hoc ſuperſtes in ſaxo, quid loquatur, attende. Herodi Epicedia, Chriſto Epinicia : Euchariſtica ſibi, Paraenetica tibi.* Franciſcum Polam Elogio de Tito Caeſ. *Sitiuit aurum auro ſatur.* Chriſtophorum Moronum Auctorem Prognoſtici annalis MDCXXII. quod Eraſmo Caimo Patricio Mediol. nuncupauit *In maximae*, inquit, *beneuolentiae minimum argumentum.* Octauium Ferrarium Epitaphio in Io. Landum: *Ingentium meritorum exiguum hoc monumentum Poſ.* Alphonſum Sinibaldum Elogio funebri in Ioſephum Caſteluillanum Comitē, in praelio fortiter extinctum: *Ingens patriae, & domus lumen nuper, nunc luctus ingens.* Albertum Elog. de Diuo Antonio: *Parentibus fato ſublatis, eorum è cinere vitam didicit.* Item de obitu S. Pachomij: *In lacrymis Monachorum riſus omnium moriebatur.* Rurſus Iuglarem Elogio de ſanguineo Chriſti ſudore: *Proh quàm grauis eſt leuitas noſtra! Nunquam par ſenſit onus, noſter Alcides.* Eundem de Chriſto, filium viduae ad vitam reuocante: *Rogat* (filius) *ſibi feretrum in cunas conuerti: Facit illico de nouo ſpectatore ſpectaculum.* Item de Chriſto puero parentibus, quibus per triduum ſe ſubtraxerat, quaeſito, Elogio XV. *Nunquam aut minori piaculo amiſſus, aut maiori ſolertia quaeſitus eſt Deus.* Mart. Sandelium in Tumulo Aldeinae catellae: *Domini ſui olim oſcula, & deliciae;*

ciae ; nunc moeror , & lacrymae. Poſcit hìc totus referri, quia & breuis eſt, & totus lepor, Tumulus Viennenſis in Auſtria, citatus à Michaele Radau è Societ. Ieſu, videlicet :

CLXVI.

MAXIMILIANVS . CAES . SEMPER . AVG
DEMISSVS . CAELO . REDDITVS . CAELO
NON . OBIIT . SED . ABIIT

Ex eo, & ſuperioribus exemplis habes, vnde facillimè Antitheſim in nullo non argumento excogites, ac rei ſiccitatem peruenuſto luſu compenſes. Obiter autem interponimus cenſoris cuiuſdam iudicium, acre illud quidem, non tamen praeceps atque temnendum, ſuper Epitaphio Mediolanenſi in DD. Petri, & Pauli Inglusſiati, quod ita legitur :

CLXVII

MEMORIAE
STEPHANVS . PVSTERLA
SCALAE . CANONICVS
IN . SPEM . VENTVRAE . RENOVATIONIS
QVOD.*VIVENS.MORTALE.ASSVMPSERAT
ILLVD . *MORIENS . HIC . DEPOSVIT
DE.ANNO.MDLXV. MENSE.IVN.DIE.XXVII

Non enim (inquit ille) hoc loco voces *Viuens* & *Moriens* benè opponuntur, quippe Viuens non aſſumpſit mortale, ſed potiùs geſſit, quod primùm naſcens aſſumpſerat. Itaque reponendum dixit *Naſcens*, quod ei commodè exaduerſo ſteterit *Moriens*. Plura ad Antitheſim lib. VI. De Elogij Argutia, Cap.IV. Memb.IIII.

Haec tibi fuerint, Lector, minora quaſi lumina Sole aduentante euanida, cùm illa prometur Inſcriptio Romana, quam Solis nimirum allegoria per Antitheſin mirificè clarat ; vt non literatum id marmor cum Cicerone appelles, ſed veriùs radiatum. Legimus dudum (namque ex recentibus eſt, ac noſtri ſeculi) ad Sacrarium Diuae Mariae vulgò ſupra Mineruam è regione Sacri Cubiculi Virginis Senenſis : neque ambigendum de Auctore fuit, nempe illo ipſo, qui & Auctor eius Operis magnificentiſſimi memoratur : etſi reclamaret vſus communis marmorum, in queis empticium fere eſſe ſcimus ſcriptorem, & Memoriarum artificem conquiri pretio. Hic enimuerò ſtylus agnoſcitur vernaculus, & foetus ingenij ſpecioſiſſimus illius arguitur, cuius Eminentia nominis exaequat Ordinis gradum, & ipſum Magnanimitas nomen. Non enim (vt mox videbis) eget ipſe aliunde emendicare florem Elogiaſticum, cui de ſuo abundè ſuppetit, vnde Regias domi alat Apes ad mella cuiuſuis characteris. Tu liba & fruere, ſic autem habet Inſcriptio

CLXVIII.

CARDINALIS . ANTONIVS . BARBERINVS
ORDINIS . PRAEDICATORVM . PROTECTOR
OB . SINGVLAREM
IN . SANCTAM . CATHARINAM . VIRGINEM
SENENSEM . EIVSDEM . ORDINIS
PIETATEM
CVBICVLVM
VBI . SERAPHICA . VIRGO
SPONSVM . NVNQVAM . OCCIDENTEM . SOLEM . EXCEPIT
VNDE
AD . SEMPER . ORIENTIS . THALAMVM . EVOLAVIT
AB . ANTIQVIS . AEDIBVS . SEIVNXIT
ET . IN . HOC . SACRARIO . AD . MAIOREM . EIVS . CVLTVM
COLLOCAVIT
ANNO . DOM. MDCXXXVII

En tibi allegoria geminata expreſſum Chriſtum Deum, oppoſitionis autem miro artificio : Inde quidem ſignificari, excidiſſe nunquam Diuina gratia Catharinam, vt quae noxam lethalem patrauit omnino nullam. Hinc autem ſempiternam fore illius beatitudinem ; ac merito, quem habuerat inocciduum in terris, Orientem ſibi perpetuò habituram in Caelo. Simul obiter obſerua, extuliſſe hìc ſeſe tantò altiùs ingenium Eminentiſſimi Antonij, cum aciem intendit in Solem inſtar Aquilae, quantò Animus ad munificentiam planè Regiam natus ſummorum Principum gloriam eſt ſupergreſſus.

De Correctione.

Membrum VIII.

HVius ſchematis (quo ſcilicet dictũ emendamus noſtrum, quia parùm explicatum ſit, aut minùs appoſitè) ſuppeditabunt abundè exempla recentiores Elogiaſtae, mox allegandi. Albertus de D. Thoma Aquinate religioni addicto, ac obſiſtente maternae oppugnationi: *Obduratum parentis animum laſſauit, non vicit Thomae conſtantia.* Giarda in Iubilo Elogiaco de Legatione Caeſaris ad Vrbanum VIII. Pont. Max. Romam ita compellat: *Ferdinandus Auſtrius* &c. *Legatione Caeſarea, ſed Catholica; Regia, ſed Religioſa: Auguſta, ſed Sacra te beat.* Alphonſus Sinibaldus Patricius Lucenſis Elogio funebri in Comitem Caſteluillanum: *Sic tibi laeta mors, non laethalis: Caedes victoria, non caedes.* Natalinus de Graſſis Elog. de Cornelio Cardinale, ac Patriarcha Veneto: *In libera ciuitate, Regia è domo, ad Regiam liberalitatem, non libertatem educto; Auitam aemulanti, non iactanti gloriam* &c. Iuglaris Elog. de Chriſto infante in Aegyptum perlato, ita Aegyptios alloquitur: *Ex Aris pellite Crocodilos, & Cepas; Numina lacrymarum haec ſunt, illis ciendis genita, non placandis.* Simile habetur in recenti Epitaphio Mediolani ad Diui Fidelis de Paula Maria Taurilia: *Quam patronam aucta Religio, Quam matrem reſtituta Pietas Agnoſcit. Re magna Chriſto dicata, Factis, non ſcriptis heredibus* &c. Quippe glorioſius, quia difficilius, ſi rem tuam viuens, integerque alij conceſſeris, ipſe te ſpolians, quàm ſi poſt obitum legaueris, nil tecum exportaturus. In rem autem noſtram obſerua Correctionis particulas in ſuperioribus exemplis duas, videlicet, Negatiuam *Non*, & Auerſatiuam *Sed.* Aliam quoquè habes in Epitaphio Mantuano, apud Suucertium in Sel. Delic. à nobis referendo:

CLXIX.

IOANNES . MEDICES . H . S . E
INVSITATAE . VIRTVTIS . DVX
QVI . AD . MINCIVM . TORMENTO . ICTVS
ITALIAE . FATO . POTIVS . QVAM . SVO
CECIDIT
M . D . XXVII

Concurrit hìc autem cum Comparatione Correctio, *Italiae potiùs, quàm ſuo.* Eadem legit veſtigia Octauius Ferrarius Elogio de Aloyſio Contareno vinculis conſtricto à Rege Turcarum: *Hic non carceris horrore deformata maieſtate, non proximi exitij denunciatione fracto animo, inter tot fortunae minas metuendus magis quàm metuens* &c. Aliter corrigit cum comparatione Auctor Epitaphij Genuenſis apud Suuertium in Sel. Del. de Federico Spinula, morte immatura in praelio excepta, quod ita concluditur: *Sic abiſti, Heu Patriae, imò Europae futurum decus.* Aliam formulam ſuggerit & quidem lepidam Franciſcus Pola in Epitaphio ad ſacram Cellam ſuam in Nigrarienſi, quod non patitur mutilum à nobis referri.

CLXX.

HAVETE VALETE
MANES INFANTILES
RAYMVNDAE
PARTVS OCTIMESTRIS
SCILICET
EX . VTERO AD . TVMVLVM
PROSILISTI
PRAECOCI . VTROBIQVE . FATO
VIXIT . SI . VIXIT . DIES . XVI
IMPERIA . POLA . INFANTARIA
P
CONIVGE . DEFLENTE
QVARTO . NONAS . APRILIS
M . D . C . II

Itaque Conditionalis (*Si*) ſuperioribus particulis correctiuis adiungitur. Hùc etiã ſpectat modus ille ludendi per Diſiunctiuas, vt in Lario Sigiſmundi Boldonij deſcribentis fauces Pluuiernae fluuij: *Ex alto hedera dependens ipſas aquas vel oſculatur, vel bibit.* Quo loco geminata metaphora leporem lepori Correctionis adiungit. Simile habet Leo Matina, Elog. de Venetorum Patrum Prenſatione. *Hinc erumpunt vel fulmina, vel flumina, Praeliorum incendia Extinctura.* Et ille modus, qui Epitaphio recenti Mediolani facit clauſulam, legitur in Diui Caroli ad Patres Diſcalceatos Thereſianos

De

CLXXI.

D . O . M
FRANCISCVM . ARGVIS
Virtus
Per omnes ſere Togae
Gradus euexit
Legatum admirata eſt Roma
Coluit Mediolanum Senatorem
Gauiſa eſſet Cremona Praetore
Niſi intempeſtiuum ipſius obitum
Anno MDCXL
XXX. Octobris doluiſſet

De Agnominatione

Membrum IX.

AGnominatio, quae, & luſus in voce, venuſtatem habet, adfectationi tamen finitimam: Vt proinde haud liberaliùs protrudi oporteat in Elogium. Hocce Schema ſimile quís dixerit bellarijs, quae condita ſaccaro, ſi totum occupent epulum, faſtidio ſunt nec niſi puſionibus in diſcretè apposita ſapiunt. De eius formis, & vſu plura libro ſubſequente. Exempla porrò huc plura intra fines Venuſtatis congerentur, vt diſcas, Lector, ex pluribus pauca legere. Ex antiquis quidem Florus lib. IV. cap.II. de Bello inter Pompeium, & Caeſarem: *Nunquam acrior, neque alacrior exercitus Caeſaris fuit*. Apud Scriptorem Inſcriptionum Sacroſanctae Vetuſtatis legitur Epitaphium de Viro & Vxore in ſepulcro rixantibus: *Hic Bebrius ebrius me ebriam nuncupat*. Inter Graeca eſt breuis illa ſyllabis, numeris plena ad venuſtatem, apud Gruterum pag. DCCCCXXVIII. num. 7. Inſcriptio Vrnae ſepulcralis

CLXXII.

ΠΑΝΤΑ
ΒΑΙΑ
ΒΙΟΥ

ideſt *Vitae omnia breuia*. eſt autem luſus in Βαία, & Βίου. Apud eundem pag. DCCCCXXVI. num. 8. tàm vetuſta eſt (neque nos decedebit luſus) quàm venuſta, digna, quae tota citetur hoc loco.

CLXXIII.

MEMORIAE
SEX. VIGELLI. AQVINAT. QVI
ANN. ATTIGIT. CENTENS
SET. ALTERVM. ET. NONAGENS
PERPET. INOFFENSA. VALETVD
EXEGIT. RELIQVOS. SEPTEM. ET. D. XIIX
DECVBVIT. ET. OCCVBVIT
NAT. LVD. SAECVL. VIII. OBIIT. SEQVENT

centens, ideſt centeſimum. *Set* pro *Sed* antiquis. Eſt autem, cur obſeruetur hoc loco minimè affectata, ſed nata ſua ſponte Agnominatio in *Decubuit*, & *Occubuit*.

Ex recẽtibus Iuſtus Lipſius in Coenotaphio: *A. Demio* &c. *Ad literarum laudem NATO: Harumdem aeterno damno DENATO* &c. Gaſpar de Simeonibus Neapolit. in tres Gratias Antonij Bruni Poëtae Etruſci: *Phoebo auſpice Templa Charitum non tam Graecis RVDERIBVS, quàm RVDIBVS ingenijs obruta, doctus mortalitatem fallere cantu, calamo excitat, dicat* &c. Iuglaris Elogium abſoluit de Chriſto infante Circumciſo ſic habens: *Lacteam vltrà Caeli viam ne credas: Eam qui primus ingreditur, docet eſſe ſanguineam. Ieſu ſocium nemo ſe iactet, Qui hoc eodem itinere non incedat. In diuerſa migrantibus nulla ſocietas aut VIAE eſſe poſſit, aut VITAE*. Albertus Elogio de Diuo Baſilio alloquens Diuum Gregorium Nazianzenum: *Pro ea, quae mutuò vobiſcum interceſſit MORVM, coniunctio, & AMORVM*. Idem de Diuo Ignatio ſuo à Militia ad Clericatum tranſlato: *SAGO in SACCVM vertitur nouo militi*. Romae Inſcriptio Arcus Innocentio X. erecti: *Innocentio X. Romano Pont. Opt. Max. ASPIRATIONE Caelitum, CONSPIRATIONE virtutum ad ſummum Eccleſiae culmen euecto* &c.

Illa verò inuenuſta, deſipienſque Agnominatio, quae ſenſum haud variat, ſicut initio cuiuſdam Epitaphij: *Hoc te monumentum monet Viator*. Quamquam Alliterationis potiùs ſibi nomen vendicat, de qua etiam ſequenti libro.

De Similiter Cadente ac Deſinente.

Membrum X.

NOn multum nos laboramus diſtinguendo haec quaſi duo ſchemata, quòd aliud ſit ſimiliter cadens, vt *Hominem laudas egentem virtutis, abundantem felicitatis*. Aliud verò ſimiliter deſinens, vt *Viuis inuidioſe, delinquis ſtudioſè, loqueris odioſè*. quae duo exempla petita ſunt ex Auctore ad Herennium. quandoque enim haec permiſcentur.

Trifariam id ſchema efficitur, nimirum ſingulis in verbis, In inciſis, in membris; & vbique haud ſpernendam conflat Elogio venuſtatem. Aliàs in carminibus aut totis aut dimidiatis ratio ſimilis deſinendi (vulgò Rythmus) è barbarie ſumpta eſt, quod ſuprà monuimus lib. II. Parte I. Memb. VI. de Verborum barbarie, vbi de ſexto ſeculo.

Primùm itaque in verbis ſingulis pro genere argumenti leporem ſpirat ſimiliter cadens & deſinens, vt probant verſiculi Hadriani Caeſaris, quos de ſe morti proximo cecinit olor infelix, aeternos auſpicatus gemitus, videlicet;

CLXXIV.

Animula vagula blandula
Hoſpes, comeſque corporis,
Quae nunc abibis in loca
Pallidula, rigida, nudula
Nec, vt ſoles, dabis iocos.

Imitatus fortè eſt hunc locum Mart. Sandelius, cuius particula Elogij ſepulcralis in Catellam Hieronymi Aleandri ſic habet; *Aldeina hìc ſita eſt. Bella catella. Candidula, Rufula, Blandula* &c. Et Auctor Epitaphij in regione Lepidana ad Diui Proſperi:

CLXXV.

CLARIMONTO . INFANTVLO
BIMVLO . LEPIDVLO . BLANDVLO
MELCHIOR . CASSELLINVS
MOESTISS. POS

Recole ſuperiùs tradita praecepta Cap. I. Memb. II. §. In affectibus.

Aliter cadentium in verbis ſingulis adhuc accipe. In Epitaphio deridiculo Coſmi Tittae Venatorum principis, hiſtorica fide conſcripto adhibuit hoc ſchema Volunnius Bandinellius patricius Senenſis, ac Sereniſſimi Coſmi Principis Etruriae Nutritius: quod quidem Epitaphium habebis totum in Parte altera huius Operis: Hoc interim contentus fragmento, videlicet; *Aequè bibax, vorax, ſalax, Baccho, Cereri, Veneri milliès litauit in die*. Giarda noſter in Icones Symbolicas Elogium Chirurgiae ita claudit; *Inſtrumentorum ſupellex mirum, quàm tuo muneri vtilis: Attamen omnis Artis felicitas, Dexterae facilitas*.

In Inciſis ſingulis colorem hunc oſtentare videtur Tumulus vetuſtus apud Monaſterium Sublacenſe, quem citat Gruterus pag. DCCLVIII. num. 5.

CLXXVI.

ASCLEPIADES
VALERIAE . SABINAE
CONIVGI
BENEMERENTI
ANIMAE . INNOCENTI
QVAE . VIXIT . MECVM
A . XLV . M . IIII . D . X
MONIMENTVM
FECI

Item Romanus citatus ibidem pag. DCCCI. num. 8.

CLXXVII.

D . M
LVCCEIAE . THETIDI
COIVGI . DVLCISSIMAE
FEMINAE . RARISSIMAE
FECIT . L. ABVCCIVS
TROPHIMVS . B . M
ET . SIBI

Quamquàm neſciuiſſe potiùs, quàm affectaſſe huiuſmodi colorem videri eorum Auctores poſſunt, in queis nullus fucus ſuſpicitur. E recentibus, qui ſtudioſè luſerint, offertur Giarda in Iubilo Elogiaco de Legatione Caeſarea ad Vrbanum VIII. Pont. Max. *Ter aude, Ter gaude, Ter plaude Ter maxima, Chriſtiana, Pontificia, Apoſtolica: Gentilitia melior, Imperatoria maior, Auguſta felicior iam Roma* &c.

Denique in Membris ſingulis inſigne extat exemplum antiquorum, apud Gruterum pag. CCCCXXI. num. 1.

L. IVLIO

CLXXVIII.

L. IVLIO . TROM . ACILIANO
PRAEF. FAB. CONS TAB. MIL
PROC. AVG. PATRON. COLON
QVI . ROGATVS . AB . ORDINE
PARITER . AC . POPVLO . VT
GLADIATORII . MVNERIS . PVBLICI
CVRAM . SVSCIPERET . FECIT
ET. EXPLICITO . QVOD. PROMISERAT
IMPENDIVM . BIGAE . QVAM
POPVLVS . EX . COLLATIONE
LEGATIVI . AC . DONATIVI
EPVLI . OFFEREBAT . REMISIT
EO . ANNO . QVO . ET . OPTIMVS
IMP. HADRIANVS . ETIAM
DVVMVIRATVS . HONOREM
SVSCEPIT

expende illa *Fecit, Remiſit, Suſcepit*, quae ſimiliter deſinunt, etſi non cadunt, quemadmodum apud Ciceronem in Catil. *Abijt, Exceſſit, Euaſit, Erupit*. Giarda Elog. de Regno Vrbani VIII. *Seueritatem à Maieſtate diſiunxit: Iuſtitiae reuerentiam optimis legibus inuexit: Ditionem Eccleſiaſticam armis, & arcibus muniuit: Pontificum omnium numerum ſupremum pro dignitate in omnibus expleuit* &c. Idem in Icones Symbolicas Elogium de Aſtronomia totum ex hoc filo ita texuerat.

CLXXIX.

Aſtrorum ſpeculatrix
Obſeruatrix Caelorum
Motuum Solis, ac Lunae contemplatrix
Dierum, Menſium, Annorum diſtributrix
Quantùm mortalibus Aſtrologia obeſt
Tantùm mortalibus Aſtronomia prodeſt
Nam quantùm Aſtrologia mentitur
Tantùm Aſtronomia verè metitur

Petrus Labbè Elogio de Ludouico XIII. Henrici IV. Gallorum Regis filio: *Hic ſanguinem generoſum dedit vt Pater: Praecepta fortitudinis vt Magiſter: Exempla vt bellorum arbiter*.

Cauendum eſt, quaedam ſimiliter quidem cadere, ſed inuenuſtè; cuiuſmodi terminationes Genitiuorum pluralis numeri in *orum*, *arum*, *orum*. Diſtrahere igitur oportet vel à ſuis ſubſtantiuis adiectiua. Ita Diuus Leo ſerm. VIII. de Ieiunio Decimi Menſis: *In aula mentis poſſit Diuinae vacare ſapientiae, vbi omni ſtrepitu terrenarum ſilente curarum, in meditationibus ſanctis, & in delicijs laetetur aeternis*. Quo loco ſi committas *terrenarum curarum* dictioni venuſtatem ſuſtuleris. L. Florus lib. III. cap. XVIII. *Cùm omne robur fortiſſimorum fideliſſimorumque ſociorum ſub ſuis quiſque ſignis haberet municipalia illa prodigia*. Tu tolle iſtinc copulatiuam *Que*, ſubſtitue alteram *ac*, ſed loco ſuo, quàm foede obſtrepes? Item ſi vocem *illa* loco moueris, leporem haud dubiè perdes. Itaque inſuauiter cadunt illa in Epitaphio, ſeculi quippe rudioris, in Vrbis Piſarum Templo Maximo de Henrico VII. eius nominis Romanorum Imperatore, cuius oſſa *ſecundo poſt eius fatum anno, videlicet MCCCXV. Piſas tranſlata ſummo cum honore* * *fuere, hoc in fano ad hanc vſque diem collocata permanſere*. Ingrata illa quoque Inſcriptio (citatur à Suueertio in Sel. Delic. inter Bononienſia) In Schola publica. *Gregorio XIII.* &c. *ſub felicibus auſpicijs Magnificorum DDD. Io. Baptiſtae Bergarotti Parmenſis, & D. Viti Antonij Modeſti de Curtis Murſonenſis Vniuerſitatis* * *Patronorum, Medicorumque* * *priorum, meritiſſimorũ Die XXX. Men. Decemb. An. Dom. MDLXXXII.*

Perquàm verò iniucundè cadunt membra Inſcriptionis Gandenſis apud eundem Suueertium, quam non ſinè mercede operae noſtrae, tuaeque, Lector, patientiae hìc allegamus. Eſt ea in aduentum Alberti, & Iſabellae, videlicet,

CLXXX.

MAGNI . PRINCIPES . MAGNAM . SVBITVRI . VRBEM
SALVETE
PIIS . CONATIBVS . PARVIS . APPARATIBVS . BENIGNI
FAVETE
SIQVID . DECVS . PROBATE . SI . MINVS . EXCVSATE
TEMPORIS . ANGVSTIAE . CAELI . INCLEMENTIAE
CLEMENTER . CONDONATE
OBSEQVIVM . ATQ. ANIMI . FAVENTIAM . MAGE
QVAM . MAGNIFICENTIAM . IN . RE . TENVI . NOSTRA
SPECTATE
ITA . VOS . REGAT . ITA . VOS . TEGAT
QVI . NOS . QVI . CAETEROS . BELGAS . VOBIS . REGENDOS
VOBIS . TEGENDOS . COMMISIT . PROPITIVS

Lenitur

Lenitur interdum per ſyncopam, vt in vetuſta baſi ſtatuae apud Gruterum pag. CCCCXXXVII. num. 2.

CLXXXI.

MARTIO . QVIR
PHILIPPO
CVRATORI . VIAE . PRAENESTINAE
AEDILICIO . CVRVLI . V. Q. AB . AERARIO
TRIBVNO.FABRVM . NAVALIVM.PORTENS
CORPVS . FABRVM . NAVALIVM
OSTIENS . QVIBVS . EX. S.C. COIRE. LICET
PATRONO . OPTIMO
S . P . P

Eodem pacto alibi in vetuſtis tabulis legitur *Et aliorum fratrum duum* pro *duorum*. Et in recenti Antuerpiae; *Marito benemerenti Maria de Moij duum ex illo liberorum Clarae, & Philippi Mater* &c. ne diceret *duorum ex illo liberorum.*

Nonnunquam ſyncopae loco dictiones mutilae, ac truncae aſperitatem ſimiliter cadentium frangunt. Quod maximè obſeruabis in vetuſto Epitaphio apud Gruterum pag. CCCCXLVIII. num. 5.

CLXXXII.

D . M
G. PASQVI . OPTATI . LIB. PAR
DALAE . IIIIII . AVG. COL
IVL. PAT. AR. PATRONI
EIVSDEM . CORPORIS . ITEM.PATRON
FABROR. NAVAL. VTRICVLAR. ET
CENTONAR. C. PASQVIVS
EPIGONIVS . CVM . LIBER S . SVIS
PATRONO
OPTIME . MERITO

lege *Fabrorum Naualium, Vtriculariorum, & Centonariorum.*

Alijs quoquè caſibus intercipi poteſt concurſus ſimiliter cadentium nominum Subſtantiui & Adiectiui, vt apud Florum lib. III. cap. III. *Atqui haec Caeſarem, atque Pompeium furialibus in exitium Reip. facibus armauit.* Nae tu hic indecorè coniunxeris *furialibus facibus*, quae Auctor tam ſcitè diſtraxit. Franciſcus Maria Delmonacus Elogio de Paulo Conſiliario; *Romano is licet ſatus ſanguine è gente Ghiſleria, obticeo. Gentilitia puto, aſcititia. Alienae virtutis laus, impreſſus color, non ingenitus* &c. Viden' interſtitium illud *puto* inter *Gentilitia* & *Aſcititia*? Hinc ſimilis terminatio lepidiùs perturbatur collocatione verborum varia. Sic Giarda Elogio de ortu Delphini Francorum. *Submiſit caeleſtis prouidentia, cùm prudentia terreſtris deſperabat; Vt agnoſceretur potiùs Numinis munus, quàm partus Hominis; Gratiae opificium, quàm fructus Naturae: Prodigium Virtutis, quàm Artis Portentum.* En vt illa cadant ſimiliter, diſpeſcuntur, Numinis & Nominis, Gratiae & Naturae, Virtutis & Artis. Delmonacus rurſum de Antonij Agellij literatura multiplici: *Luſtrauit linguarum ſacraria Multis imperuia, Recluſa paucis.* Attende ad diſpoſitionem, quemadmodum *Multis* & *Paucis* extrema inciſorum tenenant, *Imperuia* & *Recluſa* medium. Ita cum leporis foenore excluditur ſimile cadens.

De Gradatione.

Membrum XI.

GRadatio, ſiue eiuſdem verbi repetitio quaſi per gradus aſcendendo venuſtatem addit non minimam. Eiuſmodi eſt Epitaphium ex recentibus à Suuertio citatum in Select. Delic. inter Neapolitana perbreui ambitu elegantiam magis exerens.

CLXXXIII.

N. CARAFAE
HVIC . VIRTVS . GLORIAM
GLORIA . IMMORTALITATEM
COMPARAVIT
M. CCCC. L. XX

Colludunt hoc ſchemate cum Elogiaſtis Hiſtorici, & Oratores. Horatius Turſellinus in Flauio Veſpaſiano de eius ſaeuitia in expugnatione Hieroſolymorum: *Ampliùs quingentos captiuorum Iudaeorum quotidie crucibus affixos ab hoſtibus, vt iam ſpatium crucibus deeſſet, corporibus cruces.* Emanuel Theſaurus Orat. Panegyr. II. de Sacra Syndone (inter eas, quas Etruſcorum vulgari idiomate diſertiſſimas edidit) ſic habet: *Opera è ſolo di quella mente, che l'Animo all'Huomo, all'Animo diede il penſiero.* Et Panegyr. III. ad Principem Card. Sabaudum; *Imperciochè s'io miro la magnificenza voſtra nel donar hoggi gli*

ornamenti all' Altare, gli Altari al Tempio, il Tempio alla Religione, la Religione à queſta Città; gran diſconoſcenza ſarebbe, se ne' Templi &c. Idem Elogio de Diuo Ioſepho Virginis Sponſo, & Patre Chriſti nuncupato: *Summa illi auctoritas, Mortalibus imperat Puer, Puero Mater, Matri Sponſus.* Albertus Elogio de Diuo Benedicto euerſore Idololatriae: *Apollini Aras, Victimas Aris auferens.* Giarda Elogio funebri de Annibale Margarutio alludens ad patriam ſimul, & ſtemma gentis: *Septempedano è fonte in Stellam, è Stella in Lunam, è Luna in Solem velut migrauit, E Ciue, cum in Militiam, è Milite in Ducem, e Duce in Tribunum, è Tribuno in Arcis Ferrariae Praefectum euaſit.*

Fit quandoque Gradus abſque repetitione, vt apud Giardam Elog. de Legatione Caeſarea ad Pontificem: *Ferdinandus Auſtriacus Nominis ordine Tertius, Virtute nulli Secundus, Felicitate haud difficile Primus.* Apud Theſaurum preſſiùs Elogio de Flauio Veſpaſiano Caeſ. *Tertius Diuus, Secundus Auguſtus, Primus Pius.*

De Auxeſi.

Membrum II.

Est finitima Gradationi Auxeſis, ſeu Incrementum, quo nimirum ſententia ſemper augetur. Hac figura veſtitur Inſcriptio recens Honorarij tumuli apud Mediolanenſes, videlicet:

CLXXXIV

MARGARITA
CAROLI. ARCHID. AVSTRIAE. F
FERDINANDI. IMPERATORIS. N
RVDOLPHI. II. PATRVELIS
PHILIPPI. III. HISPAN. REGIS
CONSANGVINEA. VXOR. AMOR

Venuſtè ab hoc loco principium duxit Elogij Hieronymus Tancredius Patricius Senenſis, inuitans Orbem terrarum ad Vrbem Romam: *Effundere totus Romam, Orbis Terrarum; viſurus non Hiſtoriae, ſed omnium Parentem optimum: Non Authorem, ſed Argumentum, & in ALEXANDRO VII. Miraculum Octauum* &c. Reliquum Elogij habes in Volumine Senis edito, cui titulus Etruſco vulgari ſermone: *L'Accademia Intronata Feſtante per l'eſſaltatione d' ALESSANDRO VII. al Sommo Ponteficato.* Auxeſim habent eximiam Conſolatoria illa Ceſtij ad Ciceronem petitum inſidijs ad mortem. *Quandocunque perieris, ad deſiderium populi parum vixiſti, ad res geſtas ſatis, ad praeſentem Rempublicam nimiùm, ad memoriam operum ſemper.* Quo ex loco Emanuel Theſaurus ſcitè exprimit Epitaphij fragmentum in Virum aliquem egregium

CLXXXV.

Vixit Ad deſiderium Populi
Parum
Ad res geſtas
Satis
Ad memoriam Operum
Semper

Sed multò antè expreſſum legebatur Genuae in Diui Benigni

CLXXXVI.

HIC. IACET. FRANCISCVS
TALIACARNE. I. V. D
QVI. VIXIT. ANN. LXX
NATVRAE. DIV
PATRIAE. PARVM
GLORIAE. SEMPER
AN. DOM. M. D. LXXXVII
DIE. VIII. OCTOBR

Conſonat partìm Epitaphium vetus apud Gruterum pag. DCCCCLXXXXIV. num. 3. Repete Memb. VII. de Antitheſi Elogium SEPTVMIAE. L. L. SEVERAE &c. Habes in Epitaphio (quod citat Michael Radau, Sigiſmundi III. Poloniae Regis) Auxeſim geminam. *Bellauit ſaepe, Vicit ſemper, Triumphauit nunquam, Quod diceret* &c. Et: *Vixit Annis LXVI. Quod Regum non multi. Regnauit XLIV. Quod pauci. Vbique inculpatus, & propria ſua laude innocens, Quod vix alius.* Ingerit ſe iure in hanc claſſem Ludouicus Aurelius Peruſinus Vir. Cl. qui in Elogio Horatij Baleonij ſic habet: *Cecidit, ſed in acie; ſed dimicans, ſed occidens, fatumque fato obijciens mole preſſus, & multitudine circumuentus, non hoſtium virtute ſuperatus eſt.*

De

De Proſopopeia.

Membrum XIII.

HOc ſchemate nunc rebus inanimis ſenſus, aut etiam ſermo datur, nunc defunctorum perſonae inducuntur loquentes. Prioris generis, de ſermone occurrit in antiquiſſima Inſcriptione Graeca exemplum ad pedes ſtatuae Iouis, de qua Pauſanias Eliacorum lib. V.

CLXXXVII.

ΦΕΙΔΙ'ΑΣ . ΧΑΡΜΙ'ΔΟΥ . ΥΙ'ΟΣ
Μ'Ε'ΠΟΙ'ΗΣΕ

id eſt *Phidias Charmidae filius me fecit*. Item in Aegypto eadem lingua inſcribitur Columna mirae altitudinis:

CXXXVIII.

ΔΗΜΟΚΡΑΤΗΣ
ΠΕΡΙΚΛΥΤΟΣ
ΑΡΧΙΤΕΚΤΟΣ . ΜΕ
ΟΡΘΩΣΕΝ . ΔΙΑ
ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΜΑΚΕΔΟΝΟΣ
ΒΑΣΙΛΕΙΟΥ

id eſt *Democrates Nobilis Architectus me erexit pro Alexandro Macedone Rege*. De ſenſu autem inanimis attributo habet Albertus Elogio de Diuo Antonio num. III. *Erubuit Aurum, tunc primùm ſe iuueni diſplicuiſſe*.

Poſterioris autem generis ſuccurrit Epigraphe ſepulcralis, Grutero quidem fidei ſpuriae, nobis certè ad exemplum legitima, videlicet:

CLXXXIX.

I. MARCELLINA . OCELLA
L. OCELLI . F. CVM . OCELLO
FIL. HIC . IACEO . QVEM
POST . AN. SVBSECVTA
SVM . VIVENS . FILIO . CA
RVI . MORTVA . NON . CA
REBO . CORPVS . MORITVR
ANIMA . PAREM . CVM . COE
LO . PAREM . CVM . INFERIS
AETERNIT . HABET

Celeberrima eſt altera vetuſtiſſimi Epitaphij apud Gades in Hiſpania, quam ſuſpectam habet Gruterus, ſtyli tamen ex bono ſeculo, & commodi ad rem noſtram exempli:

CXC.

D . M . S
SI . LVBET . LEGITO
HELIODORVS . INSANVS . CARTAGINEN
AD . EXTREMVM . ORBIS . SARCOPHAGO
TESTAMENTO . ME . HIC . IVSSI . CONDIER
VT . VIDEREM . SI . ME . QVISPIAM . IN
SANIOR . AD . ME . VISENDVM . VSQ. AD
HAEC . LOCA . PENETRARET

Eius generis leguntur innumerae mortuorum memoriae antiquae, ac recentes. Ex his illa apud Suueertium in Select. Del. inter Neapolitana, videlicet:

CXCI.

DIONEVS . FVI . TORNAQVINTIVS
ANNOS . VIXI . VIX . XIIX
VITAE . INSTABILITATIS . EXEMPLVM
M D X I V

Hinc ducit Franciſcus Maria Delmonacus filum Elogij de Bernardino Scoto Cardinale: *Primum Congregationis germen euaſi in Purpuram* &c. Conſonat Giarda ad Icones ſuas ſymbolicas, Elogio Medicinae

CXCII.

Mater mea me neceſſitas genuit
Quotidie vſus me parit
Vires herbarum, medendi leges
Periclitatio ipſa me docuit
Aeternas vt in corporibus rixas ſedarem
Praecellenti temperamento.
Inſanit quiſquis ſanitatem cupit
Et ſeruatricem ſanitatis temnit

Colludit bellè Laurentius Pignorius in ioculari tumulo Aldinae catellae, quem totum hic citamus in ſtudioſorum gratiam, videlicet:

CXCIII.

HOSPES
ALDINA. Catella heic ſita ſum
Et mecum vnà
Quidni Domino meo credam?
Gratiae, Veneres, Amores.
EGO . SANE
Hiſce omnibus praetuli ſemper
Charitatem;

Charitatem, & Fidem
Quas ſat ſcio
Nulla vnquam terra obruet
A B I . H O S P E S
Et haec pauca Domino meo
Aldina, tuo carmine, Vmbra nobilis
Te ſalutat.

Hùc ſpectat, quùm & viuus memoriam alteri ponens, effert in perſona prima verbum *Poſui*, vel quid ſimile, quemadmodum apud Gruterum pag. CCCCLXXI. num. 8.

CXCIV.
TARRVTENIO . MAXIMILIANO . V. C
ELOQVENTISSIMOQVE . CONSVLARI
PICENIANO . AETATIS . NONODECIMO
VICARIO. VRBIS. ROMAE. LEGATO. AMPLIS
SIMI . SENATVS . SECVNDO . SOCERO
EXOPTATISSIMO . ANICIVS . ACILIVS
GLABRIO. FAVSTVS . V. C. LOCI. HVIVS
ORNATOR . TOGATAM . STATVAM
LIBENS . POSVI

Obſeruari etiam poſcit Auctor Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. in Tumulo Lucretiae, quem habes ex fide Gruteri infrà Memb. XIX. de Exclamatione. Sed ille paululùm variat, appoſitoque participio primae perſonae ex Proſopopeia ita vult inſcriptum: *Collatinus Cariſ. Dulciſ. meae Coniugi incomparabili Lucretiae* &c.

De Similitudine.

Membrum XIV.

HAec figura ſi elegantiùs, quàm ſolet vulgus, tractetur, formoſam Inſcriptionem efficit, exemplo prae alijs L. Flori lib. I. cap. II. de Igne Veſtali per Numam inter ſacra inſtituto: *Focum Veſtae Virginibus colendum dedit, vt ad ſimilitudinem caeleſtium ſiderum cuſtos Imperij flamma vigilaret.* Quem locum imitatur Brunellus Elogio de ipſo Numa: *Aeternos dehinc Veſtae ignes excitans veluti ſidera, flammas Regni cuſtodes deſtinauit.* Adhuc venuſtiùs in ſequentibus Paulus Cittadinus, Mediolanenſis patricius, Elogio de Diua Iuſtina Borromaea: *Sterilis matris ab aluo, hoc eſt è gremio noctis Aurora, à miraculis vitam auſpicatur.* Io. Victorius Briantes Theatrum literarium adaperiens ad Scholas publicas ritè auſpicandas, Liburni in Etruria, alludens ad eum portum maritimum ſimul, & ad nomen Praefecti eius Arcis: *Neptunias feciſti Muſas, Liburnum Ciuitas. Aequor pro fonte, pro Pegaſo Delphinum, pro Phoebo Philippum* &c. Iulius Roſpilioſus Elogio Etruſcè de Antonio Bruno: *Fra poeti famoſi famoſiſſimo, la cui nobil penna ammirata da Roma, honorata dall' Italia SI FA SPADA per contraſtar con gli anni, STRALE per ſaettar la morte, SCETTRO, che può dar legge alle Muſe, TROFEO, che non può cadere, AVGVRIO certo di ſtabile immortalità.* Natalinus de Graſſis in Cardinalem Cornelium Patriarcham Venetorum, clauſit per ſimilitudinis Allegoriam Elogium in hunc modum:

CXCV.
F E D E R I C O . C O R N E L I O
Cardinali Ampliſſimo
Antiſtiti
Et Honorum & Virtutum
Inſignibus ſpectatiſſimo
Ad ſacram Patriae Patriarchiam
Per Patres Conſcriptos
Summi Patris Interpretes
Euecto
Tanquam Soli
Poſt diuturnos turbines
Gratiùs affulgenti
Clerus, Populuſque Venetus
Gratulationis & Obſequij
Argumentum
POS

Aloyſius Applanus Mediolanenſis Elogio de Comitibus Borromaeis ad Carolum Renati filium: *Quamdiù vixeris, Carole Comes Illuſtriſ., Renatum obijſſe non credas. Stas pro Patris Epitaphio filius, Patre non minor. Paria in vobis omnia* &c. Hieronymus Cardanus Mediol. Elogio de binis Cardinalibus Diuo Carolo, & Federico Borromaeis conſanguineis: *Hùc heroinae melligerae, Nec vltrà. Abila, & Calpae vetant, Sapientia & Pietas purpuratae.* Carolus Caſtanus Mediol. Elogio de Paulino Brippio: *Hunc ipſum mirare Luciferum: Praeiuit pleniori lumini: Praeiuit Sfortiae*; alludit autem ad illius

Adnepotem. Hùc tendit Brunelli dictum Elogio de Cn. Pompeio, quùm vocat *rediuiuam Alexandri Magni imaginem*. Et Franciſci Ponae Elogio de Galba Caeſ. *Hoc viuente viſus eſt ſuperſtes Nero*. Illuſtrioris ſimilitudinis paradigma ſuggerit iterum Brunellus Elogio de M. Antonio Triumuiro: *Herculis ſoboles credi voluit. Credatur. Sed Herculis colum, non clauam geſtantis, A quo nihil traxit praeter mollitiem.* Aliter etiam in Epitaphio Hieronymi Saraceni (citat Franc. Suueertius in Select. Delic. inter Seneſia) *Qui dum ab hoſtibus obſeſſam Patriam liberarem, pectus clypeum pro Ciuibus offerens, Victoriam & immortalem mortem reportaui.*

De Interpretatione.

Membrum XV.

ARena haec eſt magnorum ingeniorum, generi quippe Demonſtratiuo naſcitur Interpretatio, & maximè Panegyricis Elogijs. In his tamen luxuries cauetur, ne violetur breuitas Inſcriptionibus praefinita. Breuis ergo Interpretationis ſpecimen dabit ex Selectis Delicijs Suueertius inter Veneta, Epitaphio de Franciſco Venerio in Aede S. Saluatoris, quod non membratim, ſed totum referri poſtulat, videlicet:

CXCVI.

FRANCISCVS . VENERIVS . PRINCEPS
PRISCAE . MAIORVM . VIRTVTIS . AC . DISCIPLINAE . VERAE . IMITATOR
NVLLO. NEC. ADVMBRATAE. LAVDIS. STIMVLO, NEC. PRIVATAE. VTILITATIS
ERRORE . VNQVAM . PERMOTVS . IN . REGENDIS . POPVLIS . SVMMAE
CLEMENTIAE . IN . DICENDA . SENTENTIA . SENATORIAE . GRAVITATIS
PACIS . ET . CONCORDIAE . AMANTISSIMVS . IN . OMNI . SERMONE . SA
PIENTISSIMVS. SEMPER. * IN. PRINCIPATV. NIHIL. PRAETER. ORNAMENTVM
PRINCIPIS . QVOD . EST . IVSTVM . IMPERIVM . PVLCHERRIMVM . LIBERIS
CIVIBVS . EXEMPLVM . VIXIT . ANN . LXVI . D . IV . IN . PRINCIPATV
ANN . . . . . MDXXII

Eſt autem, vbi praefixus aſteriſcus, Interpretatio, cui figurae inſeruit particula *Quod eſt*. Similiter illae vſu tritae *Scilicet*, *Hoc eſt*, *Ideſt*. Nouarinus binas cogit interpretatiuas particulas in paucis verſibus Elogij de Matthaeo Bencio Politiano, ſic habens: *Gallieno Bencio, & Caelia Ceruina parentibus Ingrederis. Hoc eſt Marcelli II. Pontificis Maximi ex Sorore Nepos. Geminae Purpurae ſanguine proximus Tauruſio, Bellarmino. Scilicet clarus naſceris, vt Mundo praeclariùs morereris.* Elegans eſt Auctor Elogij pro Ciuitate Parmenſi de Diuo Franciſco Xauerio Indorum Apoſtolo: *Quid à Franciſco Xauerio non ſperem, Quem ſummo amore complexus, ac pari honore dignatus Paulus Tertus Rom. Pontifex ſtirpis decus, Apoſtoli dignitate cumulatum tranſmiſit ad gentes? Quod igitur, Franciſce, Secundus fueris Paulus Gentium Apoſtolus, à Tertio habes, hoc eſt à noſtro.* Sed implet huiuſce figurae numeros Pellegrinus Pellegrinius Clericus Regularis Congreg. Matris Dei, Elogio in auguſtam Imaginem Chriſti Crucifixi, diademate aureo à Ciuitate Lucenſi decoratam. Et quia in clauſula collocat figuram, totum afferre nec inutile fuerit, nec iniucundum. Ita verò ludit

CXCVII.

Lucenſium faſtis locupletandis
Accedit Coronatum Numen
Populi ſtudijs, Patrum auctoritate
Ordinum conſenſu vniuerſorum
Auro notatum eſt Reip. Caput
Facto noua ratio, verùm optima ſubeſt.
LVCA
Niſi Dominum habeat, ſe liberam negat.
Apud Iudaeos ille quidem
Inclinando Capite Regium nomen auerſabatur
Apud Lucenſes Auguſtiore
Frontis habitu coronam depoſcit.
O caput adminiſtrandae Reip.
Nobis è Caelo delapſum
Vota de te facimus apud te
Regnes quandiu melior non ſuperuenerit
** Hoc eſt aeternùm*

Nec

Nec tamen perpetuò eae particulae affiguntur, vt vides apud Eman. Theſaurum in Mundi Pueritia, Elogio de Abele: *Mortalium innocentiſſimus Artem innocentiſſimam reperit, Paſtoritiam Optimi Principatus imaginem*, ſupple, *Hoc eſt Paſtoritiam*. Elogio dignus eſt Auctor Elogij in fronte Collegij Venetorum nobilium ephehoborum, Octauius Ferrarius, quem hoc loco pronimus ita inſcribentem;

CXCVIII.

VT . VENETA . NOBILITAS
ET . FVTVRA . RESPVBLICA
LITERARVM . CONTVBERNIO
AD . MAGNAE . FORTVNAE . CVLTVM . INFORMARETVR
ET . CAPACES . LIBERAE . DOMINATIONIS . SPIRITVS
HAVRIRET
SENATVS . VENETVS
IN . HIS . SEDIBVS
NVMEROSAM . SPEM
ET . IPSA . LIBERTATIS . VOTA
PVDORI . AC . MVSIS
COMMENDAVIT

Omnis ex Interpretatione huic Epigraphae pompa prouenit. Nam quae propoſita eſt appellatione propria *Veneta Nobilitas*, expolitur per ſubſequens dictum *Futura Reſpublica*. Et illud *Ad Magnae Fortunae Cultum Informaretur*, repetitur aliter, per *Et Capaces Liberae Dominationis Spiritus Hauriret*. Rurſum vtramque ſententiam inculcatam legimus interpretatione ibi *Numeroſam Spem*: *Et ipſa Libertatis Vota*. Leporem habet cum magnificentia Albertus Elogio de D. Benedicto heremicola: *Educandum*, inquit, *ſe dedit Seni; ad multorum educationem excipitur. Tam ſolitudinis ſtudioſus, quàm dignus theatro*. Eſt autem haec ſententiae ex contrarijs compoſitae reſpondens interpretatio. Emanuel quoquè Theſaurus in hac parte mirandus: Cuius prae alijs eſt hoc exemplum in Mundi Pueritia, Elogio II. vbi Caini terrorem animo conceptum ex fratricidio ſic expolit: *At non impunè tulit Proditor. Forum nactus ſyluam ſuam, Teſtem Mortuum, Apparitorem Vmbram, Carnificem Culpam, Iudicem Deum. Ergo inani pauore territus, ac ſe ipſum terrens, Idem ſemper & alius; Ibi ſemper & alibi ſe fugit, ac ſequitur, Scelestus Sceleſtum. Vmbram ſuam pauet Mendax Mendacem. Inter mortis metum, ac vitae odium. Vt nuſquam viuat vbique viuens. Quia timenda non timuit, timet non timenda*. Vide eiuſdem Elogiaſtae in Mundi Pueritia, de Enoch Elogium, cui titulus *Cenſura*; exemplum autem Interpretationis, ſi texturam totam conſideres, incomparabile.

Viſenda quoquè Piſaurenſis tabula (apud Suueert. in Select. Delic.) in Villa Ducis Vrbinatis, quam eapropter proponimus;

CXCIX.

FR. MARIAE . DVCI . METAVRENSIVM
* A . BELLIS . REDEVNTI
LEONORA . VXOR

Animi eius cauſa Villam exaedificauit
** pro Sole pro puluere pro vigilijs pro laboribus,*
vt militare negocium quiete interpoſita
clariorem laudem fructuſq. vberiores
pariat

en tibi ex Aſteriſcis nota expolitio: alterius ex altero.

De Interrogatione, & Subiectione.

Membrum XVI.

INterrogatione Elogiaſtes quoquè vtitur ad vrgendum, quod ex vetuſto marmore indicatur apud Gruterum (quanquam Spurij ſuſpicionem illi ingerat) pag. LXXIII. num. 8.

CC.

FORTVNAE
AVG
OMNIPOTENT
VBI . ERAS
RHAMNV
SIA
VBI . ERAS
QVANTVM . ABFVIT
NE . ROMA . LVGERET
SED . VIVIT . TRAIANVS
VE . TIBI . DECEBALE
MILSS. LEG. VI. ET. XIII. G
DEVOTIS . CAPITIBVS

* ideſt *Milites legionis* &c.
G. ideſt *Geminae*

E recentibus Em. Theſaurus in Mundi Pueritia, Elogio de Lamecho ; *Quorsùm fata conſulis, Lameche, quem inconſultum facta condemnant?* Idem ibidem, Elogio de Iaredo : *Eſt, quo tecum expoſtulem, Fama ; Quae tot praedita linguis, quot plumis, Circa Iaredi laudes implumis es, & elinguis. Nam praeter annos, ac prolem nihil admodum pangis. Non annis viuunt mortales, ſed factis. Tu Iaredi annos prodis, facta perdis. Quid eſt hoc aliud, quàm occidere mortuum?*

Subiectio, qua nimirum noſtrae reſpondemus interrogationi, hìc etiam locum habet, Cuius figurae ſpecimen praebet Em. Theſaurus Elogio de Abelis caede : *Quaeris, quo telo? Ligneo. Nam tali ex materia nata Mors. Quaeris, quid petiuerit? Guttur; Hoc enim Mortis veſtibulum fuerat. Vt non dubites in Abele multatos eſſe Parentes.* Schemate eodem luſerat paulò antè, ſacrificia illius exponens : *Vis ſcire, quàm opima obtulerit? Tales hoſtias vt voraret auidiùs Numen, linguoſam in flammam deuolauit. Nec ſecundas menſas curauit Caini fruges.*

Vtramque, ideſt Interrogationem ſimul, & Subiectionem complectitur titulus funebris ſuprà alteram ex minoribus valuis Templi Laurentiani, Florentiae, de Ferdinando III. Caeſare : Eſt autem (quod praemonearis ad intelligentiam) decerptus partim ex ſacris literis in haec verba ;

CCI.

Fili Hominis
Qui cupiditatum paralyſi malè torqueris
Vis fieri ſanus ?
Serio audi CAESAREM verbo dicentem
Cuncta fui ſed nihil prodeſt

Alia forte offendes altera parte huius Operis.

De Optatione.

Membrum XVII.

CVm alibi, tùm in Epitaphijs maximè ſedem inuenit Optatio, vt apud Gruterum pag. CCCCXC. num. 6.

CCII.

L. VOLVSEIO
D. L. DIO . SEV . AVG
IDEM . QVINQVENNAL
AVE . DIAE
BENE . VALEAS
QVISQVIS . ES

Et

CCIII.

IVLIAE . SP. F
THAIDI
AVE . THAIS
DII . TIBI
BENE . FACIANT

Nec illud ignobile Epitaphium apud eundem pag. DCCCXLII. num. 3.

CCIV.

D . M
HAVE . VOLVSIA
PATERNA . CONIVNX
SANCTISSIMA . TER
ENTIVS . PRIMVS
MARITVS

Refertur ad hunc locum formula clauſulae in veterum tumulis vſitatae, quae & in has notas contrahi ſolita S. T. T. L. hoc erat *Sit Tibi Terra Leuis* ; Cui Precationi oppoſita erat in Tumulis ſontium Imprecatio haec in notas coacta S. T. T. G. *Sit Tibi Terra Grauis*. Ironicè autem Precatio pro Imprecatione vſurpata legitur in Epitaphio Honorario Ioannis Caluini apud Sweertium in Sel. Delic. inter Geneuenſia :

Sic,

CCV.

Sic, CALVINE, quieſcas, atque Leuis Tibi Terra
Sit; tua quò poſſint eruere oſſa canes
Obijt MDLXIV. Aetat. LIV. Maij XXVII.

Ex recentibus legendus in primis Franciſcus Pola affectator Antiquitatis in pompa mortuali ita inſcribens Pyram à dextero quidem latere

CCVI.

Haue perpetuum
Patrone VALERI Cardinalis
Nobis O quoque
Patronus in Caelis ſies optumus
**PHILARMONICI* *Academicorũ nomẽ Veronae
F
Perpetuis damnati tenebris

A latere autem laeuo, per idem ſchema

CCVII.

VALERI . PATER
Benè Quieſcas
Filia tua rogat te Verona
Vti ad ſe ſaepiùs Reſpicias
De Caelo
O & Proſpicias Eidem
VALE . HAVE . VALE
VALERI . PATER

De Epiphonemate.

Membrum XVIII.

ET in Elogijs breuibus ſaepè cadit Epiphonema, nimirùm cùm poſt expoſitam rem, aut factum ſubditur oratio, qualis apud Ciceronem in Catone Maiore: *Senectutem vt adipiſcantur, omnes optant; eandem accuſant adepti. Tanta eſt inconſtantia, ſtultitia, atque peruerſitas.* Iam accipe Inſcriptionem antiquam cum eiuſmodi figura in clauſula, quam refert Auctor Sacroſanctae Vetuſtatis.

CCVIII.

HEVS . VIATOR . MIRACVLVM
HIC . VIR . ET . VXOR . NON . LITI
GANT . QVI . SVMVS . NON . DICO
AT . IPSA . DICAM . HIC . BEBRIVS
EBRIVS . ME . EBRIAM . NVNCVPAT
NON . DICO . AMPLIVS . HEV
VXOR . ET . IAM . MORTVA
LITIGAS

Habet ſiquidem haec clauſula quandam veluti vim Exclamationis, quemadmodum in alio monumento apud Grut. pag. DCCCCXXXV. n. 3.

CCIX.

C. CALENIO . P. FIL
ET . PATRONO
C. CALENIVS . DEMETRIVS
ET
CALENIVS . PRIMVS
ET
CALENIA . FVSCA
B . M
AMICI . OPTIM. AVETE
ET . AVETE
FELIX. LAPIS

Item quod Epitaphium Epiphonemate laſciuit in carmen apud eundem Grut. pag. CCCCXIX. num. 6.

CCX.

D . M
P. HOSTILIO . P. F. POB
CAMPANO . VENATORI
P. HOSTILIVS . TERTIVS
DECVRIO . VERON. ET
ABIDIA . MAXIMA . PARENTES
FIL . PIISSIM. ET . SIBI . QVI
VIXIT . ANN. XXV. D. XXV
SINE . CRIMINE . VITAE
FLORENTES . ANNOS . MORS
IPSA . ERIPVIT . VIVITE . FELI
CES . MONEO . MORS . OMNIB
INSTAT . EXEMPLVM
A. NOBIS . DISCITE . QVI
LEGITIS

Quid enim, niſi Epiphenomatis habent ſpiritum illa: *Florentes annos mors ipſa eripuit?* Quippe vbi meta aetatis indicata fuerat annorum quinque & viginti. Simile eſt pag. DCCCCIV. n. 9.

CCXI.

D . M
CAESIVS . AEQVIDICVS . IAM
CENTVM . CLAVSERAT . ANNOS
FELICES . ANNOS . TOT . TVLIT
HORA . BREVIS
P . P

Turſellinus haud contemnendus eſt in Valeria-

no Caeſare, vbi deſcribit à Sapore Perſa victum, captiuum, atque humeros ſcabelli vice, inſcendenti equum Victori ſubiectantem, moxque ſubdit: *Adeo nulla Maieſtas eſt ab vllo etiam ludibrio tuta.* Haec & ſimilia cum admiratione ferè expreſſa citantur. Citra admirationem ſunt illa: Ciceronis pro Milone: *Pudicitiam cùm eriperet militi Tribunus militaris in exercitu C. Marij propinqui eius Imperatoris, ab eo interfectus eſt, cui vim inferebat. Facere enim probus adoleſcens periculosè quàm turpiter perpeti maluit.* Venuſtatis habet ex Epiphonemate commendationem Inſcriptio recens Romana, quam legimus apud Ciacconium de Vita, & Geſtis Summorum Pontificum, videlicet:

CCXII.

FRANCISCO. GONZAGAE
Qui ſi ad ſenectutem perueniſſet, cum Hercule Gonzaga Cardinale eius Patruo, cuius diſciplinae fuerat alumnus conferri iure potuiſſet. Tanta iam in eo Religio, Prudentia, omniumq. virtutum indoles fulgebat. Vixit an. XXVIII. M. VI. D. XXV. Obijt an. Sal. M.D.LXV.

Alphonſus Sinibaldus Alumnus inclytus Felicis Verduccioli Profeſſoris inclyti, Elogio funebri de Ioſepho Agiaceto, executus ſplendorem natalium, Virtutem bellicam, Pietatis documenta, & in praelio obitam fortiter mortem, ita ſubijcit: *Animam ita caeleſtem effuſo ſanguine laureatam Reddidiſti Caelo. Eò videlicet aduolant Animae grandes triumphaturae, Quibus par aperire Terra Capitolium non poteſt.* Baſilius Corradinus Bonciarij auditor, & Eloquentiae Doctor nobilis, Elogio de eodem Agiaceto. *At iuuenem laudis auidum, Noſcere & Noſci cupidum, Domeſticae gloriae flamma ſucceſum Heu nimis praepropera Peruſina tuba auito decori inhiantem Inflammauit. Quippe praefeſtinata maturitas fructuſque praecoces raro perennant.* Clauſulam faciat Inſcriptio Veronenſis in noua Vrbis Porta, quam citat Suueertius in Select. Delic. in has notas.

CCXIII.

VERONA
Non minus nobilis, quàm antiqua Ciuitas, ac priſcae virtutis memor. Venetae Reip. beneficio non ſolùm muros iniuria temporum corruptos in melius reſtituit. Sed ea quoque ſibi Templorum, Viarum, Pontium, ac Portarum ornamenta adiecit Vt publicorum Aedificiorum magnificentia nulli Vrbium poſtponenda videatur
TANTVM ILLI. PROFVIT. BONOR. PRINCIPVM TVTELA. AC. FAVOR

De Exclamatione.

Membrum XIX.

PRoximo ſubſequitur gradu Exclamatio, quae patheticis in argumentis quaerit ſibi locum, videlicet in magnis affectibus, Velut

I. Laetitiae, qualis eſt Ludouici à Puteo, Elogio de Aduentu Caeſaris Montij Archiepiſcopi Mediol. ad ſuam ſedem: *O vices amabiles! Hic olim barbara Roma Caeſares fecerat crudeliter debacchantes in gregem. Iam mitis Caeſarem mittit ouium defenſorem.*

II. Doloris: Vt apud Ciceronem in Antonium: *O miſerum me! Conſumptis enim lacrymis, infixus tamen pectori haeret dolor.* Accipe antiquam Inſcriptionem Sepulcri, quae Romae legitur, vt apud Gruterum pag. DCLVI. n. 2.

CCXIV.

Q. VIRI. SEVERINI
ATTIA. SEVERINA. ET. Q. VIRIVS
O. NEFAS. PARENTES
* *Viri* pro *Virij*

Similis eſt altera in Vrna argentea, inquit Auctor Inſcriptionum Sacroſanctae Vetuſtatis edit. Ingolſtadij Ann. MDXXXIV. Gruterus autem pag. CCCXLVIII. num. 8. citat vt Romanam duntaxat, apud Card. Genuen. Nos qua forma Auctor Ingolſtadienſis deſcribit, referemus, videlicet:

CCXV.

AEMILIO. PAVLO. PAPINIANO. PRAFECTO. PRAETORIO. IVRISCONSVLTO
QVI. VIXIT. ANNOS. XXXVI
DIES. X. MEN. III. PAPINIANVS. HOSTILIVS. EVGENIA. GRACILII. TVRBATO. ORDINE. IN. SENIO
HEV. PARENTES. FECERVNT. FILIO
OPTIMO

Quanquam

Quanquam quòd in fine verſus apponit Auctor binas virgulas, quibus indicet dictionem interruptam eſſe ſubſequenti verſu terminandam, nos in hac parte minimè ſuffragamur, vt habes infrà Cap. IV. Mēb. II. de Interpungendi ratione.

Nec elegans minus eſt, etſi Grutero laboret antiquitatis fide, quam is idcirco adnumerat Spurijs, Inſcriptio Tumuli Lucretiae Romanae,

CCXVI.

D . M . S
COLLATINVS . TARQVINIVS
DVLCISS. CONIVGI . ET
INCOMPARABILI
LVCRETIAE
PVDICITIAE . DECORI
MVLIERVM . GLORIAE
VIXIT . ANN . XXII
MEN . III . D . VI
PROH . DOLOR
QVAE . FVIT . CARISSIMA

Illam verò vt fidei inconcuſſae allegat Gruterus pag. CCCCXVI. num. 5. etſi execrationis potiùs in Epiphonema prorumpat, videlicet:

CCXVII.

D . M
GIGENNI
AE . VERE
CVNDAE
CC MS
B . M
HEV . MORS
INVIDA

* ideſt *Collegium Centonariorum* * *Municipij Saſſinatium*

Repete Membrum II. de Relatione, quod habet Tumulum: *Lugete Ciues*. Vbi ſcitè inſerta Exclamatio *Heu facinus*. Lepidè etiam in Epitaphio Brabantino apud Suueertium: *Franciſco de Aguilar* &c. *Eluira de Valencia Brugenſis Marito Heu! quondam ſuo, Amoris, & Moeroris Monumentum P.C.* Et Iuſtus Lipſius Epitaphio Saphyri catelli bis exprimit exclamatione, doloris ſenſum: *O heri dolor!* Et: *I. Lipſius olim heu! dominus* &c.

III. Admirationis, vt apud Gruterum in Spurijs pag. XVII. n. 8. Eſt Tumulns Romanus:

CCXVIII.

CINERES . ET . OSSA . PHILOCAPTAE . HIC . S . S * *hic ſita ſunt*
PERPETVAE . MEMORIAE . FACTI . ET . INFAMIAE
CAVSSA . QVAE . INSATIABILI . VENERE . EXHAVSTA
SVBTER . V . V . MORTVA . EST . VIX . ANN * V. V. *Viros*
XXXV . M . IIII . D . X . PARENTES . INFELICISS
TACITO . NOMINE . EXTRA . SORTEM . AD . R. R. POSVERE
O . VORAGINEM . ESVRIENTEM

Ludouicus à Puteo de aduentu Montij (de quo ſuperiùs initio Membri) *O dignus Imperio Caeſar! Cui Maieſtatem Virtus, Maieſtas Virtutem auxit*. Franciſci Gradignani dignum cenſemus Elogium, quod totum deſcribatur:

CCXIX.

DELPHINOLVS . BRIPPIVS
Eques Aureatus
O non auaram Virtutem in Genus Brippium!
Reperit Argenteum Claritate
Honore fecit Auraum
O Brippijs & Prodigam!
Quibus Aurum non ſeculare
Aeternum donat
Sempiternis in laureis

Adijce Franciſcum Polam, qui Reginam Hiſpaniarum Buſſolengho tranſeuntem, Elogio ſuprà fores Hoſpitij ita ſalutauit:

CCXX.

IO . MARGARITA . IO . AVSTRIACA
O quae Incomparabilis Rerum Maieſtvs!
Te ambit
Fortunatiſſimam.
I Felix per tua gaudia

IV. Execrationis, vt Eman. Theſaurus in Tumulo (aliàs citato) Abelis è Caino fratre interempti: *Tales Hoſtias* (Abelis) *vt voraret auidius Numen, linguoſam in flammam deuolauit: Nec ſecundas Menſas curauit Caini fruges. O implacatam cognatorum inuidiam! Tabuit caecà rabie germanus Cain; Ac diù deſignatum Blandè ſeduxit, proditoriè trucidauit*. Et pòſt paulò: *Ah peccantium ſtolidae mentes! Mutum putabat Cain flagitium, compreſſo illo iugulo: Sed Proditorem omnia produnt* &c. Laurentius Pignorius in Tumulo Aldinae catellae, quae ex partu perijt

rijt: *Illam Lucina tenebris Orcinis damnauit, Quae fulgens aſtrum Caelo inſeri Erigones pediſſequa meruerat. O factum male! Malè tibi ſit mala Lucina, Quae tam bonam Catellam perdidiſti. Bene tibi ſit, Bone Viator, Qui tam grande nefas non ſinè lacrymis perlegiſti* &c. Conſpicua eſt memoria in ſaxea columna (apud Suueertium in Select. Delic.) ſecundo, aut tertio ab Vrbe Rauenna lapide, videlicet:

CCXXI.

HEV . CLADEM . HORRENDAM
HIC . ILLE . PERCELEBRIS . AGER . EST
VIATOR
IN . QVO . ACERRIME . VTRINQVE . PVGNANTES
XX. HOMINVM . MILLIA
CONCIDERVNT

Aliorum praeterea affectuum alia offendes apud Elogiaſtas exempla.

De Prolepſi, ac Tmeſi.

Membrum XX.

PRaeter figuras Sententiarum, ac Verborum, etiam à figuris Grammaticis colores, quibus venuſtum cõſtetur, Elogium exquirit. In primis à Prolepſi, nimirùm cùm poſt Totum, ſubijciuntur Partes, vt egit Virgilius Ecloga V.

-------------- conuenimus ambo,
Tu calamos inflare leues, Ego dicere verſus.

Alios locos repete ſuprà, lib. de Elogij Breuitate, vbi de eadem Prolepſi. Praetereà accipe particulam marmoris (apud Gruterum ſuſpecti ac Spurij, certè quidem ad antiquorum normam) in duos Amantes vno clauſos in tumulo: *Dum iuuenem Romam cum victore exercitu ſequor redeuntem. Tempeſtate acti ſaeua in Piratas incidimus. Hei miſelli vaenimus ambo Negotiatori quodam. Ego Gallo, qui me Nouiomagum tranſtulit. Hic Nauclero Luſitano, Remex vt ſuat* &c.

Tmeſis, id eſt Verbi vnius ſiue ſimplicis, ſiue compoſiti ſectio, altera dictione, vel pluribus interpoſitis: qualis eſt apud Ciceronem lib. 1 de Orat. *In quo per mihi mirum viſum eſt, Sceuola, te hoc illi concedere* &c. & apud Virgilium III. Georgic.

Talis hyperboreo ſeptem ſubiecta Trioni
Gens effrena &c.

Quem locum bellè imitatus Giarda, Elogio de Caeſarea ad Pontificem Max. Legatione, ſic Vrbem Romam alloquitur: *Septem quibus inſides, attolle colles: Septem, qui tuum in obſequium ruunt, Trionibus occurre.* Andreas Marianus in Elogij ruinarum Romae, Elog. I. *Ecquis non execretur illos Titanas* (Gothos intelligit, & Vandalos euerſores Vrbis) *hùc ab Arctoo frigore, Septemque Trionibus compulſos, vt per ſeptem gradus Montium ſuis manibus Caelũ reſcinderent* &c Porrò huius figurae haud par Elogiaſtae, ac Vati licentia.

De Hiſterologia, Synecdoche, & Helleniſmo.

Membrum XXI.

EST Latinis Hiſterologia praepoſterus ſermo in vocibus contra naturalis collocationis ordinem. Eſtque id hodie ita frequens, ac ſolemne vèl apud Scriptores primae notae, vix vt retineat nomen figurae: Contingit autem pluribus modis.

I. In Caſibus à verbo rectis, vt illa prae alijs ſexcentis vetus Inſcriptio demonſtrat apud Ingolſtadium, quam citat Gruterus pag. LII. n. 5.

CCXXII.

M E R C V R I O
T E M P L V M
EX . VOTO . S V S
C E P T O . C L . A V
G V S T A N V S
L. L. M

* *Libentiſſime Meritò*

Vbi

Vbi Verbum *Dicauit*, quod in extremo deſideratur, praecedunt, qui ſubſequi debuerant Caſus. Eſt autem, quod obſerues, apud Auctorem Inſcriptionum Sacroſ. Vetuſt. deſcribi alia forma hanc eandem Epigrapham (vt infrà Memb. XXIII. de Eclipſi referemus) ex quo intellige, diſcordari facilè ſtudijs, vbi tota ſtat fides alienis in oculis. Eſt etiam huius modi hiſterologici planus vſus in marmore apud Gruterum pag. LXIII. num. 5.

CCXXIII.

VOTVM . SILVANO . SOLVIT . LIBENS . MERITO
T. F. DIADVMENVS . LVRNESIANVS *Titus Flauius
PRAEGVSTATOR . AVGVSTI

II. In poſtpoſitione Praepoſitionum, maximè variandi gratia. Vt apud Nouarinum Elogio de Matthaeo Bencio: *Nocte intempeſta Inter criptas, & Sepulcreta; Flagella inter & verbera, Sanguine, lachrymis Piorum cineres irrorabas:*

III. In relatiuis Pronominibus Antecedentia ſua praeoccupantibus, Vt illud Ioannis Andreae Alberti Elog. de Marco Lercario Reip. Genuenſis Imperatore: *Hoſtibus aequè notus, ac hoſtes ignoti ſibi, Quorum videre vultus optaſſet, Effusè fugientium terga noſſe vix potuit.* Io. Iacobi Palaemonij orat. X. de pulchritudine B. Virginis: *Quot Caelo & Terris niteſcunt, vno in vultu ſtant dotes*: Et illud à Venetis inſcriptum Arcui ad Atheſim fluuium in tranſitu Auguſtae

CCXXIV.

QVOD . FELIX . FAVSTVMQVE . SIT
ELEONORAE . GONZAGAE . AD . AVGVSTAS . NVPTIAS
PROPERANTI
RESPVBLICA . VENETA
CONSTRVCTO . PONTE . ITER . APERVIT

Superſedemus pluribus exemplis, ne in Iliadem defluamus: vix enim vna aut altera occurrit Inſcriptio, in qua non luceat haec figura.

Deinde illuſtrare oportet Synecdochen, quae etſi Seruio agnoſcitur ſchema Graecum, & Poëtarum proprium; nihilominùs parcè adhibita decorem ſoluti Elogij, venuſtatemque augebit. Vtitur illa Albertus in Tumulo Diui Thomae Aquinatis, quem placet totum referre

CCXXV.

LILIA . PLENIS . MANIBVS
AFFER . VIATOR
FIENT . IMMORTALIA . IN . HOC
CINERE
CASTISSIMI . AQVINATIS . EST
VIX . TAMEN . A . CINERE
MEMINERIS . HOMINEM
IMO . EX . HOC . VNO . COLLIGES
HOMINEM
CAETERA . FVIT . ANGELVS

Siquidem *caeterà* per Synecdochen eſt dictum tam lepidè, quàm modeſtè. Conſule Grammaticos ſuper hoc ſchemate. Eodem vtitur in Elogio laxiore Octauius Ferrarius: *Scipio Feramuſca* &c. *Et ſiue in Patria reos tueretur, ſiue eiuſdem Patriae preces ad Venetum Senatum deferret; virili magis, & incompto, quàm populari dicendi genere, magnos vbique clamores excitauit, & quanta vlla vnquam humana vox, cum admiratione Eloquentiae auditus eſt, CAETERA ſeuerus, ac ſimplex, frugalis idem & largitor* &c. Inter haec venit ad manum Q. Marius Corradus Vritanus de Copia Latini ſermonis, cuius hic locus primùm oculis offenſus caſu eſt: *Nunc mutata eſt MAGNAM PARTEM plurimis in rebus ratio verborum, & tantis in conuerſionibus ipſius penè Orbis terrarum accidit, vt ſinè dubio infinita nouare debeamus* &c. Quo de Auctore & eius placitis quid ipſi ſentiamus, cenſuimus ſuprà libro II. Paraeneſi ad Claſſem II.

Demum Helleniſmus, ideſt Graeca conſtructio, locum quidem reperit in Elogio Latino, ſed modum poſtulat. Exemplum praebet antiqua Inſcriptio apud Auctorem Inſcript. ſacroſ. vetuſt. in marmore Tergeſtenſi, pag. CCCLIV.

P. SCAN-

CCXXVI.

P. SCANTIVS . PHILETVS . FE
CIT . SIBI . ET . SCAN
CIAE . HICE . LIB. REQVI
ETORIVM . AMICIS
BENEFACERE
SEMPER . STVDIOSVS

Benefacere inquit pro *benefaciendi ſtudioſus*: nam carent Gerundijs Graeci: Etſi, vt ſumus praefati, prudenter in hac parte agendum eſt.

De Anaſtrophe.

Membrum XXII.

QVod Capite II. Membro II. monuimus de diſtrahendis nominibus concordantiae lege cohaerentibus, ad Anaſtrophen quidem ſpectat. Quo ex ſchemate, quia non contemnenda venuſtas prouenit Elogio, ſi rectè vſurpetur, paulò hic copioſiùs exempla congeremus ad alias item partes periodi deriuatum, non tantùm ad Nomina ibi tractata, Adiectiua ſcilicet cum Subſtantiuis, atque Subſtantiua, quae vocant Continuata.

Eſt igitur Anaſtrophe Ordo dictionum in periodo perturbatus, idque liberiùs quàm praeſtet Hiſterologia. Exemplis Elogiaſtarum exponimus: Iacobus Accariſius Elogio de Eleonora Gonzaga Caeſari nupta: *Regios thalamos ſi poteſt, extollat humilis calamus*. Marcus Antonius Bigarolus, Mediolani in Academia noſtra Alexandrina Princeps, Elogio de Hieronymo Clericio condiſcipulo, poſt ſtrenuam diſputationem donato Philoſophica Laurea: *Aggeres vbi rupit, aggerauit Triumphos*, ideſt vbi obiecta impugnantium diluit. Henricus Farneſius Eburo in Inſubriae plauſibus ad Iacobum Maynoldum Praeſidem, vt aiunt, Senatus Mediol. *Ita conſilij nunc Regij decus, & Senatus Princeps cùm ſis, Sol tuae virtutis aeternum ignem accendet*. Philippus Corius, Elogio de Delphino II. Brippio: *Centum loquacem linguis quid famam dicis?* Paulus Camillus Paderna, Elogio de Lancellotto Brippio: *In Brippiorum familiae Caelo Siduſnè, an Sol alter extiterit, ignoratur*. Iuglaris Elogio de Chriſto XXV. *Audiri à Chriſto qui vis Quo eum ſitu alloquaris, attende*. Idem Elog. XXVI. *Venationem hominum Vt omnium laborioſiſſimam ſcires: In ea ipſemet fatigatus eſt Deus*. Et XXVIII. *Erigere qui lapſa veniſti, Vbi ſenſeris ruinam, accurris*. Et XXXI. *Quare non ſine cauſa Trigeſimum octauum annum decumbens Iam non, an poſſit conualeſcere, quaeritur, Sed rogatur, an velit*. Et XL. *Tam beneuoli tamen parentis à dextera venire Filijs quidpiam ſiniſtrum non poteſt*. Et XXXXIV. *Pſycagogia Chriſti quae fuerit, vt ediſcas, Quid poſt Coenam agat, attende*. Et LXXVII. *Felix, haec ſi te Phaenomena Fecerint Gymnoſophiſtam*. Et IIIC. de Saulo, qui dein' Paulus: *Legis idololatra, Quam non quia Dei, ſed magis quia Patrum erat, amaret*.

Cauenda porrò tibi eſt in huiuſce vſu ſchematis affectatio, ne in licentiam carminis prolabens ſuo deerret curſu Elogium liberum: Amandaque ferè purior, & tritior verborum ſtructura, praeſertim vbi ſic meliùs, ac liquidiùs ſententia expromitur. Nam idem ipſe Iuglaris Elogio LXXXVII. vbi de Maria Matre, cui Chriſtus rediuiuus apparet, ſic habet: *An decuit in communionem gaudiorum Secundam vocari, quae ſemper prima venerat laborum in partem?* At fortè elegantiùs, quia puriùs, ita: *Quae prima ſemper venerat in partem laborum*. Aut, *quae prima ſemper in laborum venerat partem*. Nam quod agens de Hyperbato (cui Vincentius Gallus noſter in ſuo Rhetore ſubijcit, velut ſpeciem Generi, Anaſtrophen) monet prudentiſſimè Quintilianus lib. VIII. cap. VI. dicens: *Fit enim frequentiſſimè aſpera, & dura, & diſſoluta, & hians oratio, ſi ad neceſſitatem ordinis ſui verba redigantur, & vt quodque oritur, ita proximis etiam, ſi vinciri non poteſt, alligetur* &c. Tota ratio noſtrae cenſurae in hoc potiſſimùm nititur, vt, vbi nulla interuenit in ſtructura verborum aut aſperitas, aut durities, aut diſſolutio, aut hiatus ad Anaſtrophes, Hyperbatiuè vſum ne cogamur.

cogamur. Itaque locum alterum eiuſdem Elogiaſtae, vbi de Reprobis in extremo iudicio, Elogio IIIC. *Auent redire Matris in viſcera*: Nonnè commodiùs & liquidiùs *Auent in viſcera Matris redire*: aut *in Matris redire viſcera*: minimè autem dixerim *Auent in Matris viſcera redire*, quia foret aſperiùs, ac duriùs. At hi (rectè inquis) naeuuli ſunt in facie formoſiſſima, qualis eſt character Iuglarianus, ad decoris vtique incrementum innati.

Quia tamen ab affectatione quàm procul abſcedere Studioſos iubemus, vtpotè quae & frangit ſententiae vigorem, & foedat elocutionem; non ab re putamus fore, ſi vocetur in medium Marcellus Buttiglius Ciuis Placentinus, eruditus caeteroquì Grammaticus, & in amoeniore literatura non mediocriter verſatus; affectatior tamen, quàm ferri poſſit, in compoſitione verborum. Id autem nos eò conſilio facimus, Lector, vt illius inſpecto vitio cautiùs ipſe abſtineas. Hic itaque Auctor Inſcriptionum, quae Regijs in nuptijs Odoardi Farneſij Ducis Parmae cum Margarita Medicea Principe Etruriae propoſitae fuerunt, in Elogio, cuius initium C. IVLIVS CAESAR, haec dictauit: *Cum nouis inſurgentibus Gallorum coniurationibus, Duas ad conſcribendas Legiones in Italiam veniſſet* &c. Et alibi: *Parma Marci Antonij à tyrannide Auguſto ſubleuante liberata*: *Grati animi ad exhibendam ſignificationem, Auxiliares Peditum Equitumque copias Tyranni ad interitum vſque ſubleuatori miſit*. Et alibi: *Cum Romani Conſules tuendam ad Ciuium libertatem* &c. Et: *Suſpice iam dudum ſepulta gaudentis Religionis inſignia Tui aduentus prae gaudio reſurgere conantia*. Quid enim laeſiſſet Lectorem ita ordinans in primo loco: *Ad legiones duas conſcribendas*. In ſecundo: *Parma A tyrannide Marci Antonij*; nam ſi quis hiatum hìc obiecerit in *Parma A*; nos contrà cacophoniam in *Parma Marci*: Nec illi ſuffragabitur diſtinctio vocum, quia *Parma* vnum per ſe verſum conſtituit, & *Marci* ſubſequentem inchoat: idem namque ipſum eſſe nobis perfugium. Ibidem non premes ſcrupulum ſi reliquis membris ita ſtructis totam perlegas:

CCXXVII.

PARMA
A Tyrannide Marci Antonij
Auguſto ſubleuante liberata
Ad animi grati ſignificationem exhibendam
Auxiliares Peditum, Equitumque copias
Ad vſque Tyranni interitum
Subleuatori miſit

Et, ſi nondum auribus ſit ſatis, pro *Ad animi* &c. Quid prohibet variata locutione reponere: *Tanto accepto beneficio grata*, vel *tanti memor beneficij*, Tertio autem loco meliùs: *Conſules ad tuendam Ciuium* &c. Quarto demum: *Inſignia prae tui aduentus gaudio*. Nec poenitebit aliam retuliſſe eiuſdem notae, eodemque Auctore, quò meliùs vitandum deſignemus Anaſtrophes vitioſae ſcopulum: Videlicet

CCXXVIII.

MARGARITAE . MEDICAE
ODOARDI . FARNESII
Ducis Quinti Vxoris
In Aduentum
PARMA
Romanorum Ciuium Colonia
Romanis
Conſulibus, Imperatoribus, Pontificibus, Ducibus
Veris Principibus ſuis
Fida ſemper, nunquam Ingrata
Priſcam ad nobilitatem teſtandam
Recenſem ad exprimendam hilaritatem
Venturam ad felicitatem augurandam
H . M . E

Habes hic enim & initio, & ad extremum, quos aures comptius aliquid deſiderent; vt ſi inchoes *In Aduentum Margaritae Mediceae* &c. & termines *Ad Priſcam nobilitatem teſtandam*, *Recentem exprimendam hilaritatem*, *Venturam felicitatem augurandam*, ſeu mauis tertio caſu reddere *Priſcae nobilitati* &c.

Accipe & has Elogiorum particulas ex eodem: *Augurandam Farneſiae prolis ad perennitatem*: Et: *Repulſis Populonia Turcis duodecim triremibus Barbaros contra Otthomanos*. Et: *Euitandam Mediceorum e Patria ad depulſionem, nouam Florentiae munitionem condidit*: cùm praeceſſiſſet (ne de hiatu vitando dubitares) *Alexander*

xander à Carolo V. Imperatore ſocero Florentinorum Dux declaratus, Euitandam &c. Item alibi poſt *coëgiſſet* ſubdit *populares reprimendas ad ſeditiones.* Alibi: *Fauſtum, Felicem, Fortunatum Farneſianam in Aulam ad ingreſſum, Dei Matris ac Sponſae Diuinam in Aulam aſſumptae patrocinium implora.* Ita paſſim anaſtropham deperit, quam ſemel forte offendit in Tacito hiſce lineamentis, lib. I. Annal. *Deliguntur legiones, quinta dextro lateri, vnde vigeſima in laeuum, Primani* **Ducendum ad agmen**, *Viceſimanus aduerſum ſecuturos.* At hic noſter non in amplitudine Annalium vaſta, ſed in periodo breuiſſima, Inſcriptiunculae; non aliquando, ſed frequens ſed perpetuus haec affectat, quaſi hoc ſolùm penicilli tractu expreſſurus Venerem. Verùm de hoc Elogiaſta ſatis hactenus.

Atque vt intelligamus, id vitium confinio virtutis aximiae fieri periculoſius, etiam in Franciſcum Ponam cecidit, ingenium videlicet ſeculi noſtri viuidum, & cultum: Eius eſt enim illud in Galba Caeſare: *Peior Galba peſſimis, Duxit qui gloriae loco, Tauri fluxiſſe de pelle.* Et Elogio de Octauio Auguſto: *Reipublicae manum in Rempublicam armauit, Viuente quae ipſo didicit mori.* Item de Iul. Caeſare: *Pacis hinc meruit ſedens in Aſylo confodi, Paratis fato percuſſoribus, Togatum qui interfecere, Armatum quem libare arma nuſpuam ſunt auſa.* Huic non diſſimilis Carolus Pona, Elogio in Antonium Aldericum: *Patricius ſed ordo occurret: Virtuti ſi praemium; altas quod iam exiſtimationis radices tuum agit nomen, Exteras quoque quantumuis diſſitas regiones peragrare non dubitet.* Ecce quàm frequens inuerſio in breui ambitu, quamque liberi Elogij dignitati inimica licentia. Neque mirum videatur, quòd Franciſcus Pola Veronenſis è recentibus Elogiaſtis crudus plerumque, vitio eodem ſit infectus, vt Elogio in Baſi ſtatuae ab ſe inſcripto prodit, videlicet:

CCXXIX.

Hanc tibi hic Statuam conlocamus
Decreto Aereq. publico
Contuitu Admirabilis Tuae Virtutis
*Inſignes * cuius circa nos effectus*
In difficillimo rerum ſtatu
Feliciter ſenſimus

Nonnè liberaliùs dixiſſet *Cuius inſignes* &c. quàm inuersè? Id ipſum alibi, vt ad effigiem Crilli Praeſulis: *Scies profectò, ſcies, Hunccine illum eſſe, Animi cuius & Carminis Diuinitas Non opinione colligitur, aut mente; ſed praeſenti fide, gloriaque teſtata?* Quid porrò momenti fuerat, aut quid venuſtatis deperiſſet, reponendo: *Cuius animi Diuinitas & Carminis Non* &c? Praeterquamquod impropriè vſurpatum eſt *Hunccine*, vbi nulla interuenit interrogatio. Volebat *Huncce*, ſed adfectatè: Haec nobis dictantibus offertur ex Selectis Delicijs apud Suueertium in Epitaphio Bononienſi non facilè probãda perturbatio ordinis dictionum. Tuam, Lector, cenſuram poſcimus: Eſt autem huiuſmodi; *VVenceslai Borgardi. Incomparabile O Viator, exemplum. Conſtantiae, atque Continentiae ſancta integritate, & inclyta fide illuſtre, Bonarum * & artium. Cippus, en aſpice, * vt paruus tegit.* Et infrà: *Vale igitur, & his * pia oſſibus dic verba, ſi es pius.* Tota igitur huiuſce erroris ratio illa eſt, quòd minimè diſtingunt inter orationem ſolutam, & ſtrictam: Itaque liberalior ille vſus Anaſtrophes, Hiſterologiae, Hyperbati, aut ſicuius ſimilis figurae, quem in productis Elogiaſtis animaduertimus, haud deſiperet forſan admiſſus in carmine; in proſa verò longe aliter ſuccedit.

Ne verò de Venuſtate malè nos mereri quiſquam arguat, hanc plurium carpentes induſtriam, adeatur ſi placet, Octauius Ferrarius, perlegantur eius Elogia, Et Epitaphia; in queis quot verba numerantur, tot Veneres. Diſpeream nos, ſi vel vnam huiuſmodi inuerſionem repereris. Lege Elogium in Marinum Georgium: *Solem inuictum, cuius benigno ſidere non tam perpetuo vere* &c. Et ibidem: *Deuicti aeternùm populi. Inter paeanas & vota proſequuntur.* Nae hic maluiſſent Buttiglius, Pona, Pola, reponere, *Benigno cuius ſidere: Paeanas inter & vota.* Vbi idem Ferrarius Elog. de Franc. Barberino: *Salue magni patrui, Atque humani generis amor & deliciae, A cuius conſpectu nemo vnquam triſtis abſceſſit.* Quomodo illi? *Cuius ab aſpectu nemo* &c. Vbi ille Hieronymi Bragadeni breue Elogium ita clauſit: *Decuriones dicarunt, Vt ad eius exemplum, Futuri Praeſides exigantur:* Omninò illi ita: *Eius vt ad exemplum* &c. Alios ergo colores amat ſolutum Elogium, quibus decorem

decorem contrahat, hoc eſt Sententias ſublimes, tranſlata ſelecta, phraſim optimam : Ad ſummam forma illi ingenua ſit, oportet, cum naturae decoro, citraque Artis fucum. qualem exhibent venuſtatem ſingula Ferrarij argumenta, cui minimum eſt ſectari conſonantiam & harmoniam numerorum, maximum autem exprimere concinnè ſententiam pro rei dignitate.

De Eclipſi.

Membrum XXIII.

DEnique naſcitur Elogio Venuſtas è caeteris figuris Grammaticis. Ex Eclipſi in primis, cuius extat in marmore Neapolitano recenti exemplum apud Suuertium in Select. Delic. quod tibi reddimus.

CCXXX.

VICTORIAE . CAPICIAE
VXORI . INTEGERRIMAE
NE . QVOS . SINGVLARIS . AMOR . ET . MIRABILIS . CONCORDIA
CONIVNXIT
VEL . MORS . IPSA . DIVIDERET . TVMVLO
HIC . CONIVGIS . CINERES . EXPECTANT . VIRI
IVLIVS . CAESAR . SCONDITVS
POS

Nam ſi dixeris iterata voce *Viri cineres*, numerum certè augebis, gratiam minues. Eclipſi quoque conſtat antiqua illa Dedicatio apud Auctorem Inſcript. Sacroſanctae Vetuſtatis pag. CCCCXLI.

CCXXXI.

MERCVRIO . TEMPLVM
EX . VOTO . SVSCEPTO
CL. AVGVSTANVS . L. L. M
* *libentiſſimè meritò*

ſupple *Dedicauit*. Cuius Eclipſeos leporem non facilè quis aſſequatur plenis laudibus. Cui adde marmor Cluſinum ab eodem Auctore citatum.

CCXXXII.

SEX. PETILIO . PRIMIGENIO
IVSTA . PATRI

ſubintellige *Perſoluit*. Plura in hanc rem ſuperiore libro de Breuitate Elogij, vbi de Eclipſi.

CAPVT IV.

Dignitas in Scriptura

De literarum figura & vſu

Membrum I.

ROmanorum Antiquis literis inſcribi Latinè poſcit quacunque ex materie conſtans Tabula. Antiquas verò intelligimus, quas vulgus maiuſculas rectè vocat, & quas ab Ionibus, ac Dorienſibus Latini accepere, Iulio Caeſare Scaligero Auctore lib. 1. de Cauſis linguae Lat. cap. XXXIX. qui etiam ſubdens *Idcirco autem*, inquit, *dictae ſunt Antiquae, quia recentiores alijs notulis vti maluere, quibus etiam maximam horum partem deſcriptam videmus. Quare etiam Maiuſculae ſunt appellatae.* Vbi liquet, quas vulgus minuſculas vocitat, poſteriores eſſe florente ſeculo, atque adeo indignas marmoribus, & maieſtate veteri. Cui ſententiae ſuffragatur Auctor Diſceptationis Philologicae de Natura, & Vſu literarum (editae Monaſterij VVeſtphaliae MDCIIXL.) cap. XX. in haec verba: *Admodum veriſimile eſt, ſcribendi compendium, & faciliorem celerioremque rationem, minuſculas hodiernas veteribus ante ſecula aliquot praetuliſſe.* Fuerit ergo, neceſſe eſt ſequiore & barbaro ſeculo inciſum marmor, citat Grute-

rus

rus pag. DCLII. num. 2.) quod maiuſculis inſertat recentes duas, t, & a, videlicet:

CCXXXIII.

D . M
SANDALIVS . DICIt
AMBVLA . SAEQVERE
ME . CVM . OENOFORV
CVM . CaLICE . ET
tAPANTIONE

* pro *ſequere*
* *tarantione* Grut.in Indicis cap.XVI.

Nam quòd literae vulgò minuſculae ſtylo feſtinanti,atque currenti inſeruiunt, quid habet cum ſcalpro, cuius opera ſuopte ingenio lenta eſt, atque haeſitans? Sed eſto: Aut minuſculis Inſcriptio tota conſtet,oportet; aut tota maiuſculis, ne in hybridam degeneret. Quò magis amandari debent à Latinis marmoribus literae Goticae, Germanicae, Graecae inuerſae, & ſi quae aliae occurrunt apud Gruterum in corpore Inſcriptionum antiquarum totius Orbis Romani. Is enim, vt benemereretur de omni antiquitate, ſeruare ſtuduit ab interitu conquiſitas inexhauſto ſumptu, ac labore ſuo, & Amicorum, quae vſpiam in Orbe extant Romano Memoriae, non quae ſolùm Romanae: liberum faciens Lectoribus pro cuiuſque ſtudio in rem ſuam eas transferre. Itaque diligentiae illius fuit literarum omnium vèl barbararum monumenta marmorea deſcriptis exemplis colligere; tuae verò, Lector, prudentiae erit ſeligere, quae tuo ſunt optima inſtituto.

Tria praeterea non ſegniter obſeruari debent in literis Maiuſculis exarandis. Primum eſt in Diphthongis; nam etſi ſonus vocalis geminae in vnum coaleſcat; vocales tamen ipſae diuiſim, diſtinctè amant poni. Quare Æ, & Œ, & huiuſmodi alij nexus corrupti ſunt ſeculi, proque his reponi debent AE, & OE; atque adeò in recentioribus, ſeu minuſculis diphthongis moniti ipſi ſumus idipſum ſeruare toto hoc Opere noſtro Auctoritate grauiſſima & exemplo Aldi Manutij. Cuius rei gratiam proferre omnino decet, ac cenſurae ſubijcere Baſim operoſam è candido marmore, erutam nouiſſimè Piſis, & à Caeſare Boncionio Equitum Diui Stephani Baiuliuo, aeſtimatore antiquitatis recto, in Villa ſua repoſitam ad Pugnanum Vicum, à nobis autem viſam, ac diligentiſſimè inſpectam; in qua haec legimus ad vnguem exſcripta

CCXXXIV.

D . M
POMPEIAE
PRIMITIVAE
QVAE · V · A · XXVIII
M · IIII · D · XII
T · POMPEIVS
PRIMITIVOS
PATER · ET
Q · MAECIVS
SEDATVS · CON
IVGI · CARISSIMÆ
ET · CASTAE · FECER

Habet haec Baſis ſcalptam in latere dextero Vrnulam,in laeuo diſcum: In rem autem noſtram diphthongi ibi vocalibus diſiunctis quintùm viſuntur, videlicet verſu primo, ſecundo, tertio, octauo, & vltimo, nam penultimo coniunctis & coëuntibus apparent; ſiue prae ſpatij anguſtijs obſtante margine, ſeu potiùs incuria Sculptoris, qui antè debuit deſignare arctiùs literas (quod quidem valuiſſet & commodè) quàm ſcalprum adhiberet: vt proinde incurioſum ſeſe arguerit Romanae dignitatis.

Alterum obſeruatu dignum eſt in Vocalibus, an admittenda ſint ſiciliqua, ideſt ſupplementa illa vſu amanuenſium trita, ſuperinducta vocalibus linea vice conſonantium M. N. hoc modo Ā, Ē &c. pro AM, AN, EM, EN. Quae, quoniam in bonis marmoribus (quòd viderimus) obuia nuſquàm ſunt, ideò abſtineat, fas erit, ſtudioſus Scripturae elegantis, & mundae. Victorini autem auctoritas,quae aduerſari nobis videtur, libello de Orthographia, non pertinet ad marmora. A Compendijs quidem haud excludimus, vt IIVIR, pro *Duumuir*, IIIVIR & caetera, quae habes in Indicis Gruteriani Capite XX.

Tertium eſt in literis breuitatis ſtudio coniunctis. Nos ergo breuiter improbamus vti debilitates ſcripturae illos nexus, ſiue Vocalis, & Conſonantis, vt Ŧ pro ET, Ѧ pro AT, Ǝ pro ET, ƀ pro IB, Ꝛ pro IR, M pro MA, Ɛ pro EB; Siue Vocalis alteri ſuperpoſitae, vt V̇ pro VI; Seu Conſonantis conſonante, vt N pro NT, & alia huius notae compendia apud Gruterum frequentia, veriùs monſtra ſcripturae nata ex nequitia ſculptoris ſyllabas mancas

cas fundentis; quod per nos obſeruatum eſt in altera è Tabulis Piſanis à Troncio reſtitutis (vt ſup. lib. II. num. VII. Verb. Barbaries) in voce SAVRNINVS; aut ex opere praecipitato, vbi ſpatium iuſtum quidem fuerit, ſed malè antè dimenſum, ac diſtributum. Quemadmodum vidimus factum in ſepulcrali tabula, Piſis eruta, & in Aedibus Caeſaris Roncionij ſupra memorati poſita, Via Mariana. Qua in Tabula Curſor elementarius adductus in anguſtum fecit CO N idest *Coniux*, ſic enim legimus:

CCXXXV.

D M
METTIA · IANVARIA · HIC · ADQ · CO N
B M
Q · OBSEQVENTIVS · SEVERINVS
AVG · PISIS · PAR · FLORENTINOR
SIBI · POSTERISQ · SVIS
* ideſt *Adquieſcit*

Quod autem id opus praecipitatum fuerit, arguunt ibi literae rudes, atque diſtortae: Et quidem deſignatae preſſius aliquantulò literae, quidni reliquiſſent ſpatium, tenuiſſimae literarum I diſiungendae ab N, ita CONI. Excipe praeter dicta ſuperiùs de Siciliquo, quaſdam notas acceptas bonis ſeculis, (notas vocamus nimirum Numerales, vt à literalibus Alphabeti ſecernantur) cuiuſmodi ſunt Ī pro *Primus, mùm*; ĪI pro *Iterum*; eſt enim nota vnitatis gemina praefixa obelo, ſeu virgula, vt à plurali Pronominis recto diſtinguatur. Quamquam & ſaepiùs abſque virgula fiat cum puncto adiecto, I. II. Eodem modo ĪII, ĪV, V̄ &c. pro *Tertiùm*, *Quartùm*, *Quintùm*, vel pro nominibus *Duo*, *Tres*, *Quatuor*, *Quinque*, ſeu pro *Secundus*, *Tertius*, *Quartus* &c. Illas quoquè notas excipe ad vocẽ VIR, ĪIVIR pro *Duumuir*, ĪIIVIR *Triumuir*, ĪIIIVIR, & ĪIIIVIR *Quatuoruir*, ĪIIIIVIR, & V̄IVIR *Seuir*, vel *Sexuir* (nam vtrumque ſcriptum in veteribus lapidibus obſeruauit Iulius Iacobonius) V̄IIVIR, V̄IIIVIR, X̄V̄VIR *Septemuir*, *Octumuir*, *Quindecimuir*: Illas quoquè compendiarias literas P̄C̄ pro *Poſt Conſulatum*, nam P. C cum interpunctione, & abſque virgula ſuperiacente indicat Patres Conſcriptos: Et IV̄L pro Quatuor de quadraginta, ne *Iulium* credas ſignificari. Reperitur IIV̄IR̄ reiecta ad latus virgula ſuper alteram compoſitionis partem pro *Duumuir*.

Quaeret hoc loco ſtudioſus Lector, num litera I, ſicut in ſuperioribus notis, ita etiam in vocibus rectè formetur magnitudine ſupra caeteras literas excedente. Nos quidem id neque omnino improbare audemus, neque etiam ſatis probare, tametſi admittant marmora boni ſeculi, vt viſere eſt potiſſimùm Piſis in binis tabulis coràm inſpectis, & noſtra manu deſcriptis, ac relatis ſuprà lib. II. num. VII. ſub titulo *Verborum Barbaries*. Nam quando, aut quamobrem hoc ſeruetur, adhuc eſt incompertum. Siquidem illorum exiſtit futilis opinio, quòd I cudatur procerius, quùm eſt longa Vocalis quantitate: quando etſi in Piſanis illis facile id obſeruetur; in alijs nihilominùs apud Gruterum, qui tranſmiſſa per amicos exempla, pleraque certè integra fide incorruptaque, ſanctè retulit, cùm aliter obſeruemus, in contrariam ſuperiori ſententiam ire cogimur. Nam pagina apud illum CCCCXXV. num. 7. in marmore Geneuenſi legimus & PONTIFICI, & OPTIMO; videlicet I grandiore in producta pariter, & correpta ſyllaba. Et pag. CIƆXXXIII. num. 5. DIIS MANIBVS, quorum certè eſt alterum breue, alterum longum quantitate. Neque decerni poteſt, quòd I grandius teneat locum gemini II minoris; nam id non perpetuùm fieri, ſed aliquando dumtaxat euincitur ex Piſanis paſſim coràm per nos viſis, & ex Grutero pag. CCCCXXIV. num. 7. vbi legimus AQVILII. Id quod obſeruans Scaliger de Cauſis ling. Lat. cap. XL. *Vſi autem*, inquit, *Antiqui ſunt longiuſcula formula, ipſo I deſcribendo, eùm geminaretur, idque decoris gratia. Sic* IVLII. *Huius conſuetudinis literam longam vocat Plautus in Aulularia.* Pagina verò CCCCXXV. num. 6. legimus CAPITONI. BASSIANO, caſu certè Datiuo: & eadem pag. num. 7. PONTIFICI. Quid, quod interdum vſurpatur pro diphthongo Graeca, EI, Latinis haud ignota? Sic pag. LXXXIV. n. 7.

CCXXXVI.

IMP. CAESAR. D. F. AVG
PARENS. COLONIAE. MVRVM
ET. TVRRIS. DEDIT
T. IVLIVS. OPTATVS. TVRRIS. VETVSTATE
CONSVMPTAS. IMPENSA. SVA. RESTITVIT

Pagina verò CCCCXXVI. num. 5. nequaquam I grandius, ſed ipſum tamen pro gemino, II,

poſitum

poſitum reperimus in hunc modum : MERCATORES. FRVMENTARI. ET. OLEARI, pro *Frumentarij, & Olearij*, hoc etiam paſſim ; At eo, inquies, vſu, quo voces ſaepe truncabant : Eſto : veruntamen erit hìc, quod magis mirere, pag. CCCCXLVIII. num. 5. geminum, II, & ipſum grandius, pro vno poſitum ibi : LIBERIIS. SVIS, pro *liberis ſuis*. Quae quidem omnia bene perpenſa quidni ambiguam reddant huiuſce literae coloſſicae rationem? Praeſertim cùm etiam conſonans, T, ſuſtolli eodem modo cernatur, aliàs vbi ſyllaba truncata intelligitur eſſe quantitate longa, vt apud Grut. pag. CCCCXXV. num. 6. in voce PRAEFECT, pro *Praefecto*; aliàs vbi expreſsè corripitur, vt ibidem num. 5. VIXIT. ANNIS &c. Quin etiam conſonans L ſimiliter, vt pag. CCCCXLI. num. 7. in EPVLVM : & F, pag. CCCLIII. num. 2. in voce PRAEFECTI. & AFRICAE, & alibi.

Placet veſtigia premere eruditiſſimorum noſtri ſeculi, nimirum IVSTI. LIPSI, & ERYCI PVTEANI, quorum alter nomen gentile, alter proprium in caſu gignendi vnico, I, grandiore pro gemino, II, minore deſcripſit ; quippe in recto ſunt *Lipſius*, & *Erycius*. Hoc magis, quòd veteres pro geminatis literis, quae pluratiuum numerum indicabant, grandiorem vnam exarabant, vt in AVG. pro AVGVSTIS, apud Grut. CCCCIV. 2. & in COS. pro CONSVLIBVS apud eundem pag. XLVI. 9. & pag. L. 3. & LXIV. 9. & alibi paſſim, cùm aliter cudatur AVG. & COSS. Caetera porrò elementa paria efficere ſuademur, praeterquàm initijs aut Inſcriptionum, aut Nominum Propriorum, Gentiliumuè, praeſertim vitandae cauſa ambiguitatis.

Digamma Aeolicum, Ⅎ, non temerè vſurpandum, niſi ſubiecto lepore alicuius alluſionis; quod enim in quibuſdam lapidibus antiquis extat, reliquiae sũt obſoletae poſt Tiberium Claudium Inuentorem literae, extabat enim olim teſte Suetonio in pleriſque titulis. Eius porrò Antiſigma ƆC nullo omnino colore admittẽdum, quod nemo non ſemper excluſit; contentus vſitatis Latinorum P, & S, ſicut V conſonante loco Digammatis.

Monſtroſa verò eſt immixtio illa exoticarum literarum in Latinas dictiones, id quod obſeruandum offert Gruterus non rarò. Velut cum pro, O, & ipſo maiuſculo ſupponitur, ω, Graecè minuſculum : Similiter λ pro L, & pro A ; & λλ pro M, poteſtatis alterius elemento : Item Ξ pro E ; & pari inſania ɴ pro N ; & ſimilem in modum alia.

At quid de, U, Vocalibus maiuſculis recèns allecta? An, vt ab, V, conſonante diſtinguatur, quae in angulum incumbit, quaſi inuerſum, Λ, Graecorum, neceſſe fuit variari figuram ; hoc autem bellè factum obtuſo angulo, & ex duabus lineis vna conflata, obliqua illa, ac tumente, extremiſque partibus ſupernè hiantibus, vnde euaderet velut, Ω, Omega Graecorum inuerſum? Inuentum verò lepidum, ſi foret ius nobis in leges veterum Romanorum ; quorum quidem in monumentis, ſi Antiquarij omnes conſulantur, ſi lapides inſpectentur, & marmora omnia, nullum eiuſce elementi apparet vſquam veſtigium. Quia Aldus Manutius diligentiſſimus obſeruator antiquae ſcripturae ſcribit in Orthogrephia ſua per formam eandem & vnam, V, conſonantem & vocalem, vt in voce *Aeſernia* num. 1. OCTAVIVS : in *Aeditimus*, 5. FLAVIVS, & 2. AEDITVAVIT : in *Acilia*, 5. HELVIVS : in *Accius*, 1. DIVORVM : in *Accenſus*, 1. LIVIVS : in *Aedui*, 1. CVRAVERVNT. Neque omittemus eo libro (edito per ipſum Aldum Venetijs MDLXVI. in 8.) ſub voce *Paullus* pag. 580. in qua citatur Terentij Scauri teſtimonium, ſcribi, *Uarro*, per, U, vbi ſcilicet conſonantis loco ſtat, U : ſed & illa conſonans (quod maximè obſeruandum) non fingitur quaſi vna ex Romanis literis ; verùm ex recentioribus, atque illius generis, quas vulgus Curſiuas vocat ; alterius enim generis vocat rotundas. Ita quae inter rotundas eminent Maiuſculae, nihil diſcrepant à Romanis; nonnihil verò, quae inter Curſiuas, veluti *A*, *G*, *P*, *V*, U. Quod liquet ibidem ſub voce *Abijcio*, vbi Curſiuis ſcribitur *Uide etiam*. Suffragatur Iul. Caeſar Scaliger de Cauſis ling. Lat. quo ſubtiliùs philoſophatur nemo ſuper literarum origine, cauſa, poteſtate ; in primis autem figura, ex Mathematica ratione. Hic lib. I. cap. IX. diſputans de origine, & cauſa, Quare, I, &, V, è Vocalibus factae ſint Conſonantes, mirum, cur figuram, in tanta varietate ſoni inuariatam reliquerit ; cur de mutatione

tione tam inſigni ex , V , in , Ʋ , penitùs ſiluerit. Atque adeò lib.I.ipſo cap.XL. apertè eluit, quùm habuit: *I, autem, &, V, conſonantium figuras non excogitarunt* (Latini) *poterant tamen ſic fieri*, ⊦, &, \V, *niſi Aeolicum illud mauis* ꟷ. Quippe nuperrima, & ſeculo Scaligeri hoc eſt ſuperiori,inaudita mutatio iſta,quam intrudunt: quò magis inaudita florenti ſeculo Romanorum? Quis autem Nouator iſte dicendus erit, niſi Typographus quiſpiam inſcia Republ. literatorum? Atque adeò inſcius ipſe ſui, & minimè ſibi conſtans, quem iure miramur ducere hodie poſſe familiam, in hac tanta praeſertim gloria Typographicae Artis. Nam ſi vnius Scriptoris opera inſpicimus, vario quidem praelo, eodem autem loco, ac ferme tampore nuper edita, quae maior aliàs diſſenſio? Proferimus Suetonium, loco exempli, impreſſum Lugduni Batauorum ſemel in officina Ioannis Maire CID. ID. C. XLIV. in 16. cum notis Boxhornij, en tibi libri titulus CAII. SƲETONII TRANQƲILLI &c. In Dedicatoria item BATAVORƲM. Iterùm ipſum Suetonium impreſſum Lugduni ipſius Batauorum per Franc. HacKium An. 1647. in 8. Cuius in titulo, ac reliquo deinceps corpore, Appendice quoque antiquarum Inſcriptionum, in queis praeſertim Ioannes Maire tam mirè variat, vocalis, Ʋ, nuſquam omnino apparet. At neque Maire ſibi conſtat, quùm ad calcem in antiquis Inſcriptionibus intrudit maiuſculis praeter, Ʋ, etiam quae inter recentes minuſcula eſt, u; ſimul etiam admittit, V, pro Vocali. Nam typo continuo ſcribit & CLAƲDIO. DRVSO, & DRuSO, illud temerè varians hic, & alibi. Quemadmodum in vno Voſſij titulo (vt alia taceamus) vbi habet: COMMENTARIORƲM. RHETORICORuM. SIVE. ORATORIARVM. INSTITƲTIONƲM, ſcilicet per Ʋ, u, V promiſcuè: Et, vt effusè videas ingenij laſciuiam, idem ipſe in Suetonio ſuo varius, inter minuſculas Curſiuas ponit, *v*, Epiſt. ad Lectorem *Divulſa*: In notis autem *v*, pag. 578. *Nevè, Octobrivè*, ita ſaepe alibi, vbi iam declarat, Ʋ, grandiuſculam eſſe conſonantem, non vocalem; quippe quae in minuſculis eandem plane figuram retinet. Quare literatorum Principum erit enatam recèns hãc corruptelam,ne latiùs ſerpat, graui cenſura conuellere.

Dignitatem autem habet non modicam detruncatio dictionum, & quaedam quaſi Apocope, qua ex antiquis accepta noſtrates ſcribunt OMNIB. pro *Omnibus*: Q. pro *Que*: LITERAR. pro *Literarum*: ORNATISS. pro *Ornatiſſimus*. Et quùm ſingularem numerum conſonante vnica, pluralem gemina in ipſa abſciſſione diſtinguunt, imitati antiquos in COS. pro *Conſul*: COSS. pro *Conſules*: *Exemplarr.* pro *Exemplaria*: *Impp. Imperatores*: *Caeſs. Caeſares*: Et in Verbis *Poſs. Poſuerunt*: *Paulus Ap.* ideſt *Apoſtolus*; *Petrus & Paulus App.* ideſt *Apoſtoli*: L. ideſt *Lex*: LL. *Leges*: *An. Anno*: *Ann. Annis* ſeu *Annorum*: *Pont. Pontifex*: *Pontiff. Pontifices*.

Vtrùm autem è Venuſtate ſit, quòd ſupra conſonantem, quam geminari oportet, ſicilicum imponamus, vt *Memius* pro *Memmius*; *Anius* pro *Annius*, & praetereà in alijs, vt *Lucilus* pro *Lucillus* &c. hoc ſanè antiquis in more poſitum tradit in ſua Grammatica Marius Victorinus agens de Orthographia; id quidem nos in libris & codicibus ſcribendis (vt ipſe quoquè ſignificat) vſitatum aſſentimur: namque in cudendis marmoribus, & ijs boni ſeculi, niſi cuſoris inſcitia,non admiſerit: Et, cùm noſtrates Typographi vetuſtum vſum retineant, vt in duabus duntaxat literis, nimirùm *m*, & *n* ſicilicum, non quidem ſupra ipſas, verùm ſupra vocalem praecedentem, minuſculis quidem vtentes, imponant; Attamen à marmoribus hoc excludit maiuſcularum ipſa maieſtas, huiuſmodi anguſtias dedignata.

Supereſt obſeruatiuncula de vocali, o, minuſcula inter maiuſculas fere obuia in vno (quod ſciamus) fragmento Ancyrano (apud Gruterum pag. CCXXX.) quod continet Breuiarium Imperij Auguſtaci, illud ipſum (inquit Gruterus) de quo Suetonius in Auguſto, cap. vlt. Ergo conſcriptum & compoſitum ab ipſo Auguſto, florente ſeculo aureo: Sed nunquid ita ab eo deſcriptum ad vnguem, vt in Tabula Ancyrana? Hoc ſi foret, mirandum profectò, quod diminutum, o, fecerit paſſim; in dictionibus PoST, CoS, QVo, ROMANoRVM, CoLLEGA, atque adeò poſt, I, grandius, vt TIBERIo, & alibi ſaepiùs. At hoc non vt imitere, appoſuimus, ſed ne ignorares. Quotum enim quemque reperias ex eruditis, qui ſuum

in vſum hoc traxerit? Multos quidem certè, qui Scriptoris primùm, deinde Sculptoris imperitiam ſummam arguant.

De vſu literae K.

Membrum II.

K, Graeca litera cecinit quodammodo claſſicum iam inde ab antiquis ſeculis, Latinoſque ſcriptores variam in pugnam miſcuit cùm antiquos, tùm recentes. Nos neque vllius partis, neque arbitri, quid ex noſtro ſenſu duntaxat concedendum vſui videatur, ita ſignificamus. Hanc literam, etſi Terentio eiuſdem ſit poteſtatis cum, C, & Q, in ſono, & metro; Priſciano ſuperuacanea apud Latinos; Lipſio recepta Latio non ob vſum, ſed ob luxum; Scaligero praeſcribi minimè ſolita nominibus, quoties, A, vocalis in ſede ſecunda; Auſonio nominibus tantummodò tribus addita: Tamen quando ipſam in antiquis ſaepè cernimus aliter & aliter vſurpatam; neque tribus ſolùm in vocibus, in quas omnes ſcriptores conſentiunt, videlicet *Kalendae*, *Kaput*, (intellige de Capite legis, non animantis) & *Kaeſones* (cognomen eſt Fabiorum:) verùm & in alijs non paucis, vt (cum Capella) in *Kalumnia*: Praetereà in *Karus*, *Kaſtitas*, *ParKarum* (genit. plur. à Parca) *EuoKatus*, *DediKauerunt*, *Kalones*, *Kapax*, *ArKa*, *PorKa*, *Karthago*, &c. Cùm etiam plurimi eſſe debeat Quintiliani authoritas, monentis, nullis in verbis eſſe vtendum ea litera, praeterquàm in his, quae ipſa ſola poſita ſignificat, id eſt in notis, ac verbis ad ſummum truncis: Eam nos ob cauſam allegare compellimur illa omnia monumenta ſuſpecta, ideſt nata ſequioribus ſeculis, vel etiam ſuppoſititia, & ſpuria (qualium non pauca agnoſcit Scaliger ad antiquorum probrum per recentes commenta) quae apud Gruterum, caeteroſque Antiquarios referuntur; ſeu etiam, quae fortè boni ſunt ſeculi, corruptè exſcripta fuiſſe, quemadmodum exemplo nos luculento conuincimus, quod hìc exponimus. Aduectum fuerat Roma ex Hortis IVLII. III. Pont. Max. Florentiam Sepulcrum marmoreum, viſebaturque dudum Regijs in Hortis Sereniſs. Magni Ducis inter varia Antiquitatis cimelia: Pòſt à Sereniſs. FERDINANDO II. dono conceſſum Franciſco Caſulio Collegae noſtro, Viro in paucis erudito ac pio, eximiae idcirco auctoritatis apud ipſum Principem: quod in Bibliotheca noſtra domeſtica aſſeruatum, fecit nobis facultatem liberam attentiſſimè inſpectandi. Et id quidem, ſicut habet Gruterus in Appendice Affectuum Coniug. pag. MCXLV. num. 6. conſpicitur è marmore operoſiſſimo; ſed ex quo non opere magno coarguatur, quiſquis literam, K, ſolennem Antiquis eſſe contendit ante vocalem A; & qui primus haec opinantium familiam duxit, bellum reliquijs ſacroſanctae antiquitatis indixiſſe. Enimuerò illo marmore primùm lecto, tùm collato exemplo Gruteriano ex Boiſſardi (vt adnotat ibi) tabulis, fatemur accenſam nobis non leuiter bilem, corruptam aduertentes, fucatamque lectionem in fraudem priſcae fidei, inque errorem poſteritatis. Rem ipſam ſubijcimus tuis, Lector, oculis, vt quid de reliquis à Grutero fide bona relatis memorijs iudices, facilè inde coniectes. Ergo Gruterus Inſcriptionem, quae gemina eſt, diuerſiſque ſpatijs, in hanc formam proponit:

In Dextro cornu

CCXXXVII.

C. TERENTIVS . ACTIVS
TATIAE . TYCHAE
CONIVGI . KARISSIMAE

In Laeuo

CCXXXVIII.

C. TERENTIVS . ACTIVS
VIXIT . ANNOS . LXXXV
FECIT . TERENTIA
THALVSSA . PATRONO
BENEMERENTI . SVO

Ita ad amuſſim Gruterus, ſeu meliùs Boiſſardus. Atquì aliter protographon marmoris à nobis coràm inuiſum, attentèque deſcriptum, videlicet:

In Dextro cornu

CCXXXIX.

C. TERENTIVS . ACTIVS
TATIAE . TYCHE
CONIVGI . CARISSIMAE

In Laeuo

CCXL.

C. TERENTIVS . ACTI.
VIX. ANNOS . LXXXV
FECIT . TERENTIA
ꟻ ALVSA . PATRONO
BENEMERENTI . SVO

Vbi quàm non in paucis diſcordet exemplum, liquet; Et, ſi religioni tibi quidquam Antiquitas eſt, meritò indoleas, neceſſe eſt. Et ſanè, quòd ſit hocce marmor operoſiſſimum, haud fallit oculum: quemadmodum è contrario literae ſcalpro incurioſo inciſae, vt videre eſt in, Y, ſupereminente caeteris in priore Tabula; poſteriore quoquè in nexu illo infelici literae T cum H, cùm ibi plenae ſcripturae pateſceret ſpatium: Nihil vt dicamus de, T, grandiore, tertiùm cuſa. ſed Boiſſardus, aut cuius oculis hic fidem locauit, cauſam dixerit, cur vocem ꟻ ALVSA diſſoluto nexu, atque SS geminato perſcripſerit THALVSSA: Cur praeterea literam, T, ſemel duntaxat grandiorem voluerit, non tertiùm, vt in protographo; Haec in tabula poſteriore. Nam in priore cur ad quartùm vſque literã, T, excedentem; quae ne ſemel quidem in protographo; cur non, *T*, pariter in I*T*CHE: ſed vna in voce referenda bis fidem violauit, adiecta diphthongo; minimè aduertens, Graecam vocem Graecè ab Auctore inflexam deſiderare caſu tertio diphthongum AE, Quod autem in rem praeſentem eſt maximum, Cur vſurparit, K, pro, C, in Cariſſimae. Nimirum vt hanc quoquè Kalumniam Antiquitas huic homini acceptam referret.

Quamobrem erit ab omni culpa erroris tutiſſimum, & ex placito optimorum Scriptorum, literam, K, nuſquam admittere, niſi in notis, ſeu compendijs, videlicet *K. Ianuar.* ſeu *Kal. Ianuar.* pro *Calendis Ianuarij* EVOK. *Euocatus*: ita vt ſi dictio tota ſit exponenda, non *Kalendis* perſcribas, ſed *Calendis*: Item K. I., ſeu *Kap. Primum*, Caput Primum: *Kar.* & *Karo.* pro *Carthago*: *Vir K.*, Vir Clariſſimus: *K. Mem.* Cara Memoria. Alios antiquos vſus in notis huiuſce literae promes ex Grutero, & ex Amalthea Laurentiana. Sed nec omnes conſectari praeſtat: illos procul dubio, quos aetas noſtra reſtituto nitore cognitos habet.

Hinc patet cenſura de nomine *Carolus* à quibuſdam ſcribi ſolito per, K, *Karolus*. Nam cùm illud exacta Latinitate ſit natum, Latinè autem ſcribendum veniat, ſi litera, K, inchoetur, portentum videbitur monſtroſi partus, nec tam ſcripto habebitur barbarum, quàm re ominoſum fuerit Barbarorum Regno in Italia: vt proinde mirum haud videatur, à Barbaris corruptè ſignari illius nomẽ, cuius indigniſſimè iugum tuliſſent. Eſto igitur in Notis ad normam Antiquorum K, pro *Carolus*; KO. pro *Carolo*; K. P. *Carolus Poſitus* & huiuſmodi: Nunquam tamen omnino dictione integra *Karolus*. Hoc ipſum cenſeto de Nomine *Catharina*, de quo extant exempla Inſcriptionum Ducatus Brabantiae à Franc. Suueertio collecta per, C, fere, vix aliquando per K, quò tandem Latinae puritatis vindices plures, quàm alibi, in illis feliciſſimis terris agnoſcamus. Certè quidem nomen *Caroli* nunquam ibi, niſi per, C, ſcriptum, non rarò autem ſcriptũ occurrit. Quanquam & *Catharina* per K tueri poſſimus; Graecum quippe nomen origine, fortaſſis & terminatione. Ita Graecis Latinè ſcriptis, & vſurpatis permitti natiua litera poterit, vti antiquitùs *Kalare* pro Vocare, ex quo Kalendae.

Dubitabis, vtrùm voces Germanicae, in queis vſus literae, K, frequentiſſimus, Latinè cùm redduntur, ipſam retineant, an verò Latinam, C, ſubſtituant. Nos quidem eius linguae inſcij decernere haud poſſumus; illud autem ſuſpicione attingere; quae voces pronunciari nequeunt, niſi per K, in ijs literam ipſam retinendam, verbi gratia vbi, C, litera praecedit. Sic iu Epitaphijs Viennenſibus (apud Franciſcum Suueertium in Selectis Delicijs) ECKIO . ET . NICOLAO . SALMAE ET . NEOBVRGI . COMITIBVS. Item IOAN. BAPT. FIKLERVS. Atqui vbi liceat

ceat per, C, ſupplere, expungi omnino, K, iubet ſcripturae nitor. Quare in Salisburgenſi monumento, quod legitur apud eundē Suueertium in Sel. Del. in hunc modum:

CCXLI.

VIATOR . PRECES . FVNDE . KNOLLIVS
HIC . IACET

Quidni aequè commodè audias *Cnollius?* ita ergo cudi oportuit. Et in illo, quod refert idem, poſitum Neapoli Auſtriae: IOANNES KATZIVS . NOVIOMAGVS. cur non magis per, C, Latinè *Catzius*, praeſertim cùm Latinè Germanicam vocem *Katz* terminare placuerit *Katzius?*

De Interpretandi ratione

Membrum III.

INſcribendi duntaxat, non communis ſcribendi vſus argumentum hoc aggredimur; atque vbi maiuſculis literis exaratas tabulas ad exemplum Romanorum marmorum propalàm deſtinamus exponere. Fuit ergo inſtitutum veteribus, ſingulas poſt dictiones & voces quanquam vnius literae, apponere punctum ad latus; id primùm neceſſitate, propterea quòd ſinè interuallis, ac tractu continuo verſus ducerent, punctiſque proinde diſtinguerent ſigillatim dictiones: pòſt etiam cum interuallis ac diſtinctione ad venuſtiorem perſpicuitatem, & quandam ſcripturae dignitatem.

Vtrùm autem figerent punctum ad imum literae, an ad medium, dubitatum quibuſdam fuit: Verùm effoſae vetuſtatis reliquiae vtrumque omnino probant; quidquid in more habeat Gruterus & alij in ijs referendis. Namque de puncto ad pedes literae affixo exempla ſuperant; Ad vmbilicum verò, ſeu medium literae teſtantur luculenter, quae noſtris ipſi inuiſimus oculis, praeſertim Piſis per hoc ipſum tempus, per quod iſta tractamus. Ita planè in Epitaphio antiquo METTIA . IANVARIA &c. allegato ſuperiùs Membro I. *De figura Elementorum & vſu*. Altero item citando inferiùs, Memb. XI. De Senſuum diſtinctione, PARTHENI · HAVE. Quibus adde Baſim è marmore candido ibidem à nobis inſpectam, videlicet

CCXLII.

DIS · MAN
L· OVINIO
AMANDO
FECIT
TERTIA · AGATHONIS
LIBERTA · FILIO
PIISSIMO

Reuiſe & illud POMPEIAE PRIMITIVAE, quod ſubiecimus Membro I. huiuſce Capitis. Sed & illud hìc atteximus ibidem lectum à nobis: cum interpunctis (quod obſeruandum eſt) figura triangulari, vt ſaepe alibi, cum ad vmbilicum appingitur punctum.

CCXLIII.

V F
Q· ANQVIRINIVS · SEC
VNVS · OCCIA · AGILE
VXOR · Q· ANQVIRINIO
GAL· SEVERO · F· VI· D· S· E

Exculptum ſubtus cernitur conditorium, cum faſcibus hinc inde thedarum ardentium. Porrò interſtitia tenentur imaginibus (pectore tenus) ad dexteram Viri, ad laeuam Vxoris; Inque imo margine hae literae
SIBI · ET · SVI · P . . . .
Neque aliud reiectandum eſt marmor, inueſtigantibus nobis in agro Piſano antiquitatem forte fortuna oblatum, ad Regiam villam Camilli Campigliae Aedilis Templi Maximi Piſani, ac Praefecti Gazae Sereniſs. Magni Ducis, in pago vulgari nómine Ad Moletrinas Quoſae, & Luniani. Eſt autem Sepulcrum candidum, ita inſcriptum:

CCXLIV.

D M
ANNEAE · C · F · RESTITVTAE
FECIT · A · FAESONIVS
THVDA · CONIVGI · PIENTIS
SIMAE · B · M

Nam contrà quae nullo interpuncto, nulloque interſtitio cohaerent dictionibus dictiones, eae ſummam arguunt aut ſeculi rudis antiquitatem, aut certè elementarij curſoris incuriam: Cuiuſmodi

modi legimus in Villa Caeſaris Roncionij ad Pugnanum Agri Piſani caſtellum, in Sepulcro bipalmari ferè, e candido marmore operosè circumſculpto, videlicet:

CCXLV.

D M
VMMIDIAE · CALAE
FELICIO PATER
CALE MATER
MΥRTILVSTATA
VIXIT · A· XVI· M· VIIII· DIEB· VIII

Habeturque ſculptus in lateribus Gryphus. Hoc Epitaphium citat aliter Gruterus pag. DC LXII. num. 4. In ſecundo enim verſu diſtinguit FELICIO . PATER. In tertio diſtinctionem nullam praeterquàm puncti interijcit; & puncti loco interpoſitam cordis imaginem in exemplari iam vidiſti (quod ſaepe alibi; variaque ſignificat: hìc autem forte dolorem cordi materno intimum. Conſule Iul. Iacobonium in Append. de priſca Caeſiorum gente, cap. XVI.) In qnarto diſtinguit MYRTILVS. TATA, vt in tertio, neque Υ ſuperattollit; ſed & duos interſerit verſus, qui in protographo deſiderantur: Varians quoquè numerum Menſium; Et ſuper haec punctum ad imam partem literae appingens; Atque in fidem ſubſignans *E caſtigg. In Ciceronem Victorij*, qui vidit: Nec ambiguum vt putes marmor, ſupraſcripſit *Piſis*. De loco itaque, ac de loco ſingularitate marmoris conuenimus (vt vides) ambo; ſed quantopere diſcrepemus, iam vidiſti, ex vtriuſque exempli collatione. At vidit (inquit is) Victorius; & nos vidimus, nec oculus fallere noſter nos potuit, & niſi marmor pereat, iudices vltrò facimus ſpectatores cuiuſque oculos: vt iam liqueat, quàm verè ex oraculo Sacri Citharedi *Omnis homo mendax*; ideſt, quàm obnoxius decipi alieno teſtimonio quantùmuis diligens de fide rerum, vti Gruterus. Iam quod ad marmoris huius explanationem attinet, *Myrtilus Tata* intelligitur hic ad diſtinctionem ſuperioris, *Senex* vel *Auus*; nam cùm *Tata* veteribus Patrem, ſenemuè ſignificet, iam Pater indicatur ſuprà *Felicio*. Quod autem ad interpuncta atque interſtitia hìc neglecta, damnemus neceſſe eſt aut ſeculum, aut opificem.

Quaeres, an compungendae literae in extremo verſuum? Negat obſeruatio bonorum marmorum. Nam quorsùm nota diſtinctionis, vbi diſtinguendum nil reſtat? Aut cur interpunctum vſurpes, vbi extat nihil, quamobrem à praecedentibus ſubſequentia, interpoſitu puncti, dirimantur? Itaque etiam voces duae compendiariae, quae in apice tabulae praefigi ſolebant, vt (D. M) *Dijs. Manibus* (V. F) *Viuens. Fecit*; continebantur antiquitùs vno interpuncto; Tres autem voces pro portione, duobus interpunctis (I. O. M) *Ioui. Optimo. Maximo*: Item in eundem modum voces truncae (DIS. MAN) & (IOVI. OPT. MAX) In calce ſimiliter (B. M) *Benè. Merenti* (F. C) *Faciendum. Curauit* (V. S. L. M) *Votum. Soluit. Libens. Merito*; In queis vltima litera nunquam compungitur.

Ac Punctis quidem diſtinguendum literas dicimus, alias proinde diſtinctiones ex decoex Romani marmoris haud quaquam eſſe ducentes, quas in multis vſurpatas obſeruamus cum Franciſco Pola, veluti), Δ, λ, φ, ν, ◡, pleraſque è Graeco petitas, genio potiùs cuſoris intruſas, quàm conſilio probatas eruditorum. Cuiuſmodi eſt cernere in ſuperiore Epitaphio VMMIDIAE, in quo aut interſtitijs, punctiſque omiſſis, aut barbarica diſtinctionis nota verſu tertio dignitatem tabulae violauit inſaniens quadratarius.

Haud leuior controuerſia hìc oboritur de interpunctionibus tribus, hoc eſt Exclamationis, Interrogationis, & Interclusionis, ſeu Parentheſis. Et quidem Franciſcus Pola inter Antiquarios Elogiaſtas facilè Princeps, illas approbans, ipſe per ſe confutatur, quùm in Praefatione ad librum ſuarum Inſcriptionum haec ipſa habet verba: *Notas exclamationis* ! *interrogationis* ? *interclusionis, ſiue parentheſis* ( ) *adhibuimus non quidem exemplo vllo lapidum antiquorum, Sed quorundam imitamento librorum manuſcriptorum non obolarium, vt ſcilicet faciliorem inſcriptionum intelligentiam noſtris ſeculis, minimè Romanis pararemus*. Haec Pola. At parauerit is ingenio ſuo ſeculis non Romanis intelligentiam rnſcriptionum; Nos enim Romanarum intendimus, & ſeculis noſtris, venturiſque fugientem illam vetuſtatem pro modulo virium reuocamus. Nullum igitur cùm exemplum, vt Pola profitetur, lapidum antiquorum, haudquaquam audemus

demus Romanae maieſtatē literaturae in aeternis memoriis duraturam temerare; ſed magis eius candidatis integram, ſanctamque proferre. Magis autem vt modum tradamus, quàm vt placitum comprobemus ſuper re confeſſa, quoſdam velut typos proponemus ex antiquis, & recentibus, quibus vim primùm Interrogationis, deinde Parentheſis, vbi maiuſculis inſcribitur, optimè exertam oſtendemus abſque illa nota, quae minuſculis in vſu eſt (quamquam Romani primùm nondum inuectis minuſcularum formis, maiuſculis duntaxat, ſcribendo, priuatis in codicibus, vſitarentur cum hiſce notis) Nam exclamationis habes iam multa maiuſculis exarata ſuperiore capite Membro XIX.

Interrogationem habet abſque nota Marmor vetus apud Gruterum pag. CLXII. n. 5.

CCLXVI

PROVIDENTIA
AVG
VERE . PONTIFICIS
VIRTVS . ROMANA
QVID . NON . DOMET
SVB . IVGVM . ECCE
RAPITVR . ET . DA
NVIVS
* *Pro* Danubius *Antiq.*

vbi verſus quintus in Interrogationem deſinit, ſed nota negligit. Adde huic marmor ſpurium Grutero, in quo ſcilicet fidem antiquitatis quaerit, non antiquam elegantiam, pag. XXV. n. 5. VIATOR &c. cuius eſt hoc membrum verſu quinto: QVAE . NAM . INQVIES . POLIA . FLOS, interrogatiuè fuſum, non tamen inſignitum puncto. E recentibus occurrit Tabula Mediolanenſis ſupra Ianuam Piae domus ad Diui Celſi, & ea tripartita. Cuius in dextro ſpatio ſic habetur.

CCXLVII

MEDIOLANENSIVM
CIVIVM . PIETAS . SIC
PARVVLOS . FOVET

in laeuo autem

CCXLVIII.

INNOCENTES . IN
VTRAQVE . FELICES
QVIS . NESCIAT . VITA

in medio tandem, & eo ampliſſimo; in quo eſt corpus Inſcriptionis, ſeu titulus loci:

CCXLIX.

MISERABILIVM . INFANTIVM
OPPORTVNA . DOMVS
CVIVS . IANVA . EST . CHRISTVS

Porrò quae in laeuo eſt, in Interrogationem effertur, cum veteri tamen dignitate ſuppreſſae notae, cuius teſtis eſt oculatus à me abſente conſultus Aurelius Boldonius germanus meus, Antiſtes percelebris Templi Diui Stephani, homo ſeptuagenarius, hoc eſt integerrimae fidei. Repete ex lib. II. Claſſe VI. Hiſtorial. Memb. II. de Voce *Dominus* Elogium Mediol. A. D. KAROLO V. &c (quod eſt in ordine ....) cuius clauſula interrogandi habet ſenſum, non autem notam.

Parentheſim autem admitti aliquam vel in breuibus Epigraphis praemonuimus libro IV. de Elog. Breuit. Verùm, vt in minuſculis literis, notam illam ( ) admittere negant antiqua monumenta maiuſculis inciſa. E quibus vnum ſit inſtar plurium exemplum, quod habuiſti allegato lib. IV. Membr. XIX. Cuius initium C. GAVIO . C. F. Duobus autem ipſis verſibus conſtare illam Parentheſim eſt claro clarius; ſed citra ſolennes notas. Quae verò Elogia minuſculis perſcribuntur commoditatis gratia, non pompae, eiuſmodi notas illis non interdicimus.

Reſtat non poenitenda ſtudioſis inquiſitio, quam innuimus ſuperiori Capite, Membr. XIX. ſub Elogium AEMILIO . PAVLO. Vtrùm inchoatis in extremo verſuum Dictionibus patiatur Romanus decor, in marmoribus inquam virgulas binas ſubſequentis in altero verſu indices terminationis. Quod etſi promptum ſit nobis negare ex Volumine toto Gruteriano, & Manutiano de Orthogr. & quotquot à nobis viſa ſunt bona marmora; non nihil tamen ambiguitatis ingeritur voluenti Auctorem Inſcriptionum Sacroſanctae Vetuſtatis, (quas edidit Ingolſtadij in Aedibus P. Apiani anno ſal. MDXXXIV.) cùm aliàs videam deſignari illas virgulas, aliàs item omitti. Veruntamen primùm dicimus, eas memorias non Romanas ipſas eſſe, tametſi Orbis Romani, quemadmodum Auctor in fronte Operis profitetur, vt proinde non vacent, è Scriptura ſaltem, aliqua barba-

riae

riae ſuſpicione. Deinde cùm non idem ipſe fuerit exſcriptor marmorũ oculatus, ſed alienis oculis fidere neceſſum habuerit, vt caſus dabat, facilè in communem ſcopulum humanarum rerum impegerit, hoc eſt erroris & falſi: Id quod noſtriſmet oculis deprehendimus in Mediolanenſi tabula ad Diui Stephani, quam is Auctor nec refert integram (in quod Gruterus quoquè eſt lapſus) & inſuper altera Inſcriptione accumulat, quam rectè Gruterus diſtinctam citat alia pagina multò infra: quae vtra in vrbe extet, Mediolani, vt ille Auctor eſt, an Bergomi, vt hic indicat, quis decernat? Certè quidem alio eſt in marmore, nos enim ibidẽ haud viſimus. Sed & priorem tabulam Gruterus conſtituit Bergomi in S. Stephano in Prolio, in pariete Turris, qui locus ipſe, & ſitus eſt Mediolani, quanquàm ex ruina Turris, ſubſecuta anno ab hinc decimo ſeptimo, marmor ipſum in proximo Turri muro collocatum ſit. Ne cui verò in calumniae ſuſpicionem veniamus, ex vtroque Scriptorum deſcribimus tabulam, & primùm è Sacroſ. Vetuſt. in hanc formam:

CCL.

P. VALERIO . P. LIBERT. PALAT
TACITO
VI . VIR SENIORI
ET . AVGVSTALI
PLVTIAE . HERMIONI
ATILIA . HERMIONAE . ET . ATILIVS
CALL . MATRI . DVLCISSIMAE

Ex Gruteri verò diſtinctis locis, nam pag. CCCCLXXXI. n. 3. hanc partem affert, videlicet:

Bergomi in Sancto Stephano in prolio in pariete turris

CCLI.

P. VALERIO . P. LIBERT. PALAT
TACITO
VI VIR . SENIORI
ET . AVGVSTALI

Et hanc ita diſpoſitis verſibus, aliter à ſuperiore. Alteram verò partem citat pag. DCCXXXVI. num. 14. in hanc omnino formam, & lectione varia, videlicet:

Bergomi in porticu S. Stephani, vt vult Apianus, vt Alciatus Mediolani apud Henr. Lampurium

CCLII.

PLVTIAE . HERMIONAE
ATILIA . HERMIONE . ET . ATILIVS . GALLICAN
MATRI . DVLCISSIMAE

Quaeris, in quo mutilam reddiderit Gruterus priorem tabulam, ſimul & Auctor Sacroſ. Vetuſt. priorem ſuae partem? In tertio ſiquidem verſu inter VIVIR, & SENIORI media eſt dictio trunca RO, non minùs extans, quàm reliquae literae, vt mirum ſit, potuiſſe cuiuſquam minimè oſcitantis oculos fallere. Verùm vt ad Scriptorem Ingolſtadienſem redeamus, cùm is in multis Inſcriptionibus omittat illas virgulas ſectionis indices, praeſertim in his, quae allegat ex finitimis Ingolſtadio terris, & quorum protographas non poteſt Auctor curioſus non coràm viſiſſe, & eſſe contemplatus, omnino alterutrum euinci videtur poſſe; aut barbara eſſe reliqua, aut corrupta exempla: Niſi in partem vitij trahenda ſit inſcitia quoquè Typographi, quem apparet in eo volumine non nuſquam offendiſſe. Quae cùm ita ſint, fieri tutiùs arbitramur, ſi dictiones exitu verſuum interruptae, & ſubſequentium initio abſoluendae abſque vlla nota cenſurae relinquantur. Quòd ſi illa interruptio minimè ſignata obſcuritatem ingeſſerit vllam, erit prudentis Auctoris ita diſtribuere literas, vt integra euadat illa dictio, vèl ſi totum ei verſum attribuere opus ſit.

De Inchoandis in extremo verſus Dictionibus & initio ſequentis Terminandis.

Membrum IV.

Latinae Scripturae nondum planè purgatae, &, vt ita dicamus, adhuc ſuccidae imago illa certis agnoſcitur argumentis, quam in marmoribus, vèl boni ſeculi ſaepè offerunt Dictiones in extremo verſuum perperàm abruptae, principioquè ſubſequentium terminatae. Quamquam non deſint, qui hoc tribuant genio Romanorum; quaſi hi conſilijs grauioribus defixi

defixi ſplendorem monumentorum vel ex magnificentia molium, vel ex dignitate rerum memorandarum petendum arbitrarentur; Elementorum, ac ſcripturae negotium vti minimum ad ſeruiles reiectandum operas. Qua in re ſi culpa vlla eſt, maiorem certè fuiſſe quadratariorum non ambigas, quàm Auctorum; propterea quòd in tanta copia naſcentium quotidie marmorum, vbi opificum inopia laboratur, ille tandem magis idoneus cudendis literis, qui minùs literatus, probaretur. Quò id magis cauendum noſtris temporibus, nè mentis foetus ingenui, ſanique, Operarum incuria (meliùs) ignorantia pingui deformentur; adeò, niſi illis Auctores ipſi Inſcriptionum inſiſtant, & ſculpentium manus quodammodo deducentes ſibimet obſtetricentur, vt abortum aliquem meritò reformident. Nos ergo huiuſmodi monſtra ex Antiquis nonnulla proferemus, quibus ſtudioſos oculatiores reddamus, vt alienis ex offenſionibus cauti aſſequantur, quam meritò depereunt, Elogiaſticam melioris ſeculi venuſtatem.

Primùm itaque quod refert Gruterus pag. XLVIII. num. 6. in memoria Narbonenſi vocem *Signum* ita diſſectam SIG-NVM, pro SI-GNVM, etſi fortè probare videatur vulgaris hodie pronunciatio Germanicae nationis, quae ab noſtra Italica diſcordat; contraria tamen eſt ratio, perſuadens conſonantem, G, non ad praecedentem vocalem, ſed ad ſequentem pertinere, quia ſcilicet praeit liquidam, N, vt patet in dictione *GNARVS*; Ita in *AGNVS* tradit I. Caeſar Scaliger de Cauſis ling. Lat. lib. I. capite XXXV. cui plurimum debet in hac maximè parte Scribendi Latinitas. Praeterea ſicut nulla dictio terminatur per, G, vt ibidem traditur cap. XLVIII. Ita neque ſyllaba non finalis, quoties diuerſa ſubſequitur Conſonans. Quod etiam ad F, P, S trahit Scaliger lib. II. cap. XLIX. Secùs ſi geminetur, vt in *Aggero*, *Aggredior* &c.

Deinde, quod idem Gruterus producit pag. XXI. num. 3. in monumento Romano CRES-CENTIO pro CRE-SCENTIO, ni eadem militaret ratio, nos forte tueremur ex pronuntione Graecorum ſimili, vt in παρασκευὴ, quaſi παρασ-κευὴ; ſic nobis Latinè placet efferre *paraſceue*, quomodo Octauius Pater non ignarus Graecè nos quondam docuit, contra quam vulgus *para-ſceue*, ſono literarum S & C mixto & confuſo.

Validiùs adhuc arguitur veteris ſcripturae corruptela è marmore Lugdunenſi apud Grut. pag. CCCLV. num. 6. in dictione trunca INTEG-ERRIM pro INTE-GERRIM, vbi repetenda ſunt, quae paulò antè de Dict. *Signum.*

Quàm firmo verò praeſidio nitatur marmor Pedemontanum, de quo Gruterus pag. CL. n. 9. Vbi legitur TERR-AEMOTVS, iudicium ferat, quiſquis valet citra fremitum caninum pronunciare ſyllabam *terr*; quam quidem, ſi à reliquo dictionis diſterminas in notis, & in voce diſtermines oportet; vicaria cùm ſit vocis litera.

Quod autem Gruterus pag. XXVIII. num. 2. deſcribit MAGISTE-R pro MAGI-STER, ſatis ſe prodit abſurditas, quandoquidem conſonans ſicut adminiculo eget vocalis ad ſonum ſuum edendum (eſt enim conſonans quaſi ſimul cum vocali ſonans) ita neque pingi ſeparatim debet; ſiquidem, vt luculenter monet Scaliger ibidem lib. I. cap. I. *Accidit Scriptura Voci; Neque aliter ſcribere debemus, quàm loquamur.* Quid? Praeiudicat abundè ei marmori ſeculum ſuum, hoc eſt Valentis, & Valentiniani Caeſs.

Eſt etiam illud futile CVR-AT. pro CV-RAT. apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. inter Hiſpanicas, etſi marmor illud (Tarraconenſe) refertur à Grutero pag. CCCCXLVI. num. 9. emaculatum quidem, ſed an integrum, vt in protographo, non conſtat: quippe hic, vt plerumque, diſponit aliter verſus, & variat literas, aliena non rarò fruſtratus fide. Ergo ſicut in dictione FERO, inquit Herodianus, eò quod ſit diſſyllaba, conſonans, R, poſterioris eſt vocalis, non prioris; haud ſecus in dictione trunca CVRAT. (pro *Curatori*) obſeruare opus eſt.

Abſurdior exibit pronunciatio vocis CO-RNELIVS pro COR-NELIVS apud eundem Auctorem. Nec deeſt ratio. Nam etſi, R, praecedere omnes fere poteſt conſonantes; non tamen cohaerere, vt obſeruat Scaliger lib. I. cap. XXXVII. de conſonantium diſiunctione. Quare, R, in diaſtaſi erit finis ſyllabae praecedentis, non autem principium ſubſequentis.

Eidem pariter Scriptori maiorem aliquantò

habemus

habemus fidem ſincerae allegationis, quàm Grutero, experimentis edocti nonnullis. Quare ſcripturam marmoris, quam hic citat pag. DCCCXII. num. 8. longè aliter ab eo deſcriptam, illis ſcatere mendis pro indubitato habemus, quas Tute hìc obſeruabis, videlicet:

CCLIII.

D M
M. OCTAV
IVS. SATVL
LVS. VIVS. F
SIBI. CONI
VGI. DOMITI
AE. FORTVN
ATAE

Vbi ternas diſpicies ſcripturae corruptelas, 1. OCTAV-IVS. 2. CONI-VGI. 3. FORTVN-ATAE. In primo enim non eſt, V, vocalis, ex qua ſimul cum, A, praecedente confletur diphthongus; ſed eſſe conſonantem trahendam ad vocalem, I, ſubſequentem, liquet ex ſimili voce *Octauus*, in qua prior, V, conſonans comprimit, V, vocalem poſteriorem. Idipſum dic de, I, in ſecundo: trahenda haec igitur ad, V, ſequentem; nam *coniux* non foret vox apta carmini Hexametro, niſi diſſyllaba ſpondaeum efficeret. In tertio demum tractus ipſe prolationis tollit mendam, vt quemadmodum *Fortu-na*; ita etiam *Fortu-natae*.

Iam illum ſectionis modum in EPIST-OLIS, quem apud eundem Scriptorem Ingolſtadienſem offendimus, libentiùs remittimus oculis ſtudioſorum. Extat enim in baſis formam Romae marmor (in Palatio poſteriori, inquit Gruterus, Cardinalis de Valle) quamquam aliter Gruterus idem pag. DLXXXVI. num. 6. de more deſcribens, mendam extriuit continuans dictionem, repoſuitque vſitatam veteribus EPISTVLIS. Vt autem legatur, certum eſt Graeca eſſe, à verbo ἐπιςέλλω inflexam, quod ex ἐπὶ, ac ςέλλω conflatur: cuius Praeteritum Medium ἔςωλα. Vbi autem in ſimplici reperitur principium ſyllabae ex binis conſonantibus, ς, ſeu, S, T, ad vocalem vtique ſequentem pertinentibus, quidni ipſum etiam in compoſito teneatur? Nam eruditè Scaliger lib.I.cap.XXXV. de Diaſtaſi diſſerens *Id*, inquit, *vocum dignoſcitur proportione, quarum vt quaeque initia obſeruamus, ita & ſyllabis adſcribenda iudicamus. Quoniam enim ab his incipiunt voces per ſyllabas, ipſae quoque ſyllabae incipient*. Adducenſque in exemplum vocem *Conſpiro*, *quia*, inquit, *ab N, S, P coniunctim nulla vox incipit, ne ſyllaba quidem incipiet; ſed, N, prioris erit ſyllabae finis in diaſtaſi, propterea quòd à caeteris duabus inuenies principium dictionis Spes*.

Quam verò Spurijs tranſcripſit Gruterus pag. ibi XXVI. num. 1. probatque à ſe minimè lectam in marmore, cùm ita praenotat: *Et hoc tanquam ſi Romae extaret, produxit Apianus, celebratque in antiqq. Fabricius*: Mirum, vt eodem vno ex fonte tam diuerſum tamen hauſerint Gruterus, & Scriptor Ingolſtadienſis. Nam hic aliter multò diſpoſitis verſibus dictionem illam ita ſecat FRAVD-AVERAT, quod quidem mendum ratione tollitur; quibus in ſimplicibus vocibus ſyllaba ſi à vocali incohētur, praecedens ſyllaba vocali terminetur, neceſſe eſt, vt monet Scaliger lib. II. cap. XLIX. Ergo & vbi à diphthongo incohatur, vt in propoſita dictione *Fraudauerat*; cùm diphthongus non ſit niſi vocalis gemina. Eadem Cenſura cadit in vocem *Aedem*, quam ille ipſe abrumpit AED-EM, Gruterus autem variato ſcripturae modo continuat. Sed praeſtiterit, Inſcriptionem vnam integra fide totam referre, ſanam, corruptam, vti nata ſit, quò certius quae imitari ex antiquitate, quae reſpuere opus ſit, habeamus, & bona inter ac mala ſecula (quod ad ſcripturam attinet) dijudicare promptius fiat: Denique vnde facilè intelligas, quid de illa cenſeas Inſcriptione, quam inter Spurias reiecit Gruterus pag.IX. num.3. multò aliter expromptam, quam fecerit Scriptor Ingolſtadienſis lectam ab ſe Patauij (Gruterus cōcordat de loco) in tabula aenea, & ea, inquit, vetuſtiſſima, quam nos cauſa multae corruptelae libēter hìc repraeſentamus. Eſt autem huius omnino formae

CCLIV.

PAVLVS. AEMILI
VS. IMP. N. MACE
DONIAM. TERRA
RVM. IMPERIO
POTITAM. COE
PIT. CVIVS. VNO
DIE. LXXII. VRB
ES. VENDIDIT. ET
IAM. INDIAE. VIC
TOR. PER. VESTI
GIA. LIBERI. PAT
RIS. ATQ. HERC
VLIS. ROMANA. SIG
NA. CIRCVNTVLIT

Viden

Viden' *Coepit*, *Vrb-es*, *Et-iam*, *Vic-tor*, *Pat-ris*, *Herc-ulis*, *Sig-na*, pro *Cepit*, *Vr-bes*, *E-tiam*, *Vi-ctor*, *Pa-tris*, *Her-culis*, *Si-gna*.

Denique omitti nefas eſt cippum apud Gruterum pag. XL. num. 2. In quo legitur PRA-EF. pro PRAEF. dictio trunca, male autem diſiectis vocalibus, quae vnam coaluerant in diphthongum, vnumque in ſonum è gemino mixtum conſpirarant. Quo ſanè obtenditur ludibrium ſuſpiciendae caeteroquin alteri tabulae, quam citat Aldus Manutius in Orthographia ſub voce *Alliſe* num. 2. videlicet:

CCLV.

FABIO . MA
XIMO . V . C
CONDITORI . MO
ENIVM . PVBLICO
RVM . VINDICI
OMNIVM . PECCA
TORVM . ORDO . ET
POPVLVS . ALLIFA
NORVM . PATRONO

Cui corruptelae non diſſimile eſt diſſiduum in QV-AEST. indiuidua ſyllaba apud Scriptorem Ingolſtadienſem; nam, Q, & V, conſonantes ſunt, ergo vocali, ſeu diphthongo ſequenti inhaerere poſtulant, vt ſyllabam vnam conſtituant. Ita in ſimili Scaliger lib. I. cap. X. *Qui*, ait, *& Cui*, *cùm vtrumque ſit monoſyllabum*, *& alterum claudatur vocali*; *poſterius autem conſonante*, *in priore non audiatur ſecundi ſonus elementi*, *in altero autem audiatur*.

Rogabis, Vbi abundant in extremo verſuum literae dictionis, praeſtetnè ſubiici ibidem ac circumduci, quàm in ſequentem verſum transferri, quemadmodum inſtituiſſe prodit Suetonius Octauium Caeſarem Auguſtum, cuius extat depromptum hoc exemplum ex Epiſtola ipſius Auguſti, videlicet:

Nos, *mi Tiberi*, *Quinquatrus ſatis iuegimus*, *luſimus enim per omnes* (*cundè dies*, *forumque aleatorium caleſe-- Frater tuus magnis clamoribus rem* (*mus geſſit* &c

Quòd autem ſubdit Boxhornius vt omninò congruens cum verbis Suetonij monumentum Ancyranum; ni aliter, atque à Grutero proponitur, ſit deſcriptum, vix ſemel, & iterum ſubiectionem illam, ac circumductionem ibi cernimus, neque ipſam tamen complementi dictionis abruptae, ſed totius quidem dictionis. Contrà verò diuiſas voces in alterum verſum terminandas non ſemel reijci, vt cuiuis legenti patet.

De Verſuum, Dictionum, Literarum ſpatijs.

Membrum V.

VT ab dicaculo quodam Cenſore vindicemus Franciſcum Polam Elogiaſtarum noſtri ſeculi in aemulanda antiquitate principem, quaſi licentiùs, ac perperam admiſerit in ſuis Inſcriptionibus ampliora iuſto ſpatia inter dictiones vnius, ac eiuſdem verſus; ſimul vt ſtudij tui, Lector, maius pretium pêr nos fiat; Accipe ex antiquitate, quis fuerit vſus diſtrahendi non modò dictionem à dictione, ſed & literas eiuſdem dictionis, & verſus eiuſdem tabulae.

Dictionum igitur Spatia cùm nulla omninò facerent primi Latinorum, vt idcirco inſtituerint punctis interiectis diſtinguere ſingulatim dictiones; paulatim vſus inuexit vnà cum punctis ipſis commodum interuallum, ex quo faciliùs ſimul & iucundiùs hauriret praetereuntis oculus praeſentem memoriam. Pòſt quaeſita in his quoquè operibus elegantia ſuggeſſit, vt in tabulis amplioribus ſupplerent inopiam tituli diſiectae ampliùs inter ſe voces, vti ſubiectum exemplum repraeſentat quod placet (ſicut caetera toto hoc Membro) petere ex Aldi Manutij Orthographia libentiùs, quàm ex vllo Antiquariorum, quippe inſpectore plurium marmorum, & ſuis maiore in parte oculis vſo. Is ergo ſub voce *Papirius*, num. 3. profert hanc tabulam è Sabinis:

CCLVI.

DEO . INVIC
SERAPI . ET
SERVATORI
D. IVNIVS . D . F . PAPIRIA
VAERGVLENVS
AENEATOR . LEG . VIII
CL. GEMIN . P . FIDEL
NVMINI . SVO . VOTO
SVSCEPTO . D . D

En

En, vt ex raritate verborum ſpirans quiddam magnificentiae implet iucundiùs Lectoris oculos. Adhuc magis in Romano marmore apud eundem ſub voce *Sulpicius*, num. 1.

CCLVII.

DIS MANIBVS
M . SVLPICI . BASSI
AMICI . OPTVMI
L . NONIVS
ASPRENAS
VII. VIR. EPVL

Literarum autem in eadem dictione interualla docilitati inſeruiunt, cùm fundamentum indicant Inſcriptionis, cuiuſmodi apud eundem Aldum ſub voce *Sextilius*, num. 4. Extat marmor Aquini, videlicet

CCLVIII.

S A F R O N I A
Ɔ . L . T E R T I A
SIBI . ET . P . SEXTILIO
PRIMO . HARVSPICI
SEVIR . AQVINI
ET . SVIS . IN . F
P. XII. IN . AG. P. XII

Fundamentum quippe huius Inſcriptionis eſt *Safronia Caiae liberta*, quae & memoriam poſuit. Interdum conferunt ad perſonae dignitatem, cui erigitur monumentum. Vt ſub voce *Polla*, num. 4.

CCLIX.

S E X T I A E
T . FIL
ASINIAE . POLLAE
M. NONII . ARRI
MVCIANI . COLLEG
IVVENVM . BRIXIAN
OB . MERITA

Et vbi in viris cognomen eſt praecipuum, vt ſub voce *Zmyrnaei*, num. 1. eſt marmor Romanum videlicet:

CCLX.

TI. CLAVDIO
O N E S I M O
VIATORI
COLLEGI . MAGNI
CLAVDIA . ZMYRNA
COIVX

Praeſertim ſi Dedicatio fiat Numini, huius literae Nominis diſtinctiùs perſcribuntur, vt ſub voce *Metius*, num. 1.

CCLXI.

F O R T V N A E
P R I M I G E N I A E
TI . CLAVDIVS
HERMODON . ET
METIA . M . F
LOCHIAS . EIVS
SIMVLACRA . DVO
SPEI
COROLITICA . D. D

In mentione Numinis citra Dedicationem ad maiorem hominis vel facti notitiam, vt ſub voce *Speleum* num. 1.

CCLXII.

SOLI . INVICTO
MITHRAE . FL . SEPTIMIVS . ZOSIMVS
V. P. SACERDVS . DEI
B R O N T O N I S
ET . AECATE . HOC . SPELEVM
CONSTITVIT

Ad deſignationem artis, vel officij; vt ſub voce *Nummus*, num. 3.

M . C O R N E L I O
E V H O D O
N V M V L A R I O
C L A V D I A
GRANE . CONIVGI
BENEMERENTI . FECIT

Ad expreſſionem affectus, vt ſub voce *Coniux*, num. 43.

CCLXIII.

T . FLAVIVS . SORATVS
FLAVIAE . SATVRNINAE
CONIVGI. ET. LIBERTAE . SVAE
A M A N T I S S I M A E
FECIT

Affectus vnà, & officij, vt ſub voce *Kalendae*, num. 20. Extat marmor Interamnae, literaſque offert etiam grandiores (quae quando ita formentur, habes infrà Membro XI. de ſenſuum diſtinctione) videlicet.

CCLXIV.

L A E V C A D I I . M E L
H E L V I D I A E . B V R R E N I A E
M O D E S T A E
NEPOTI . HELVIDI . BVRRENI . SE
VIRI . V. C. FILIAE . BVRRENIAE . SE
VERAE . C. F. PVDICITIA . SAPIENTIA
INNOCENTIA . OMNIBVS . RETRO
MEMORABILI . OB . MERITVM . AMO
REMQVE . EIVS . CIVES . INTERAM
NANAE . CIVITATIS . VTRIVSQ
SEXVS . ERE . CONLATO . POST
OBITVM . HVIVS
P A T R O N A E
DEDIG . XVIII . KAL
FEBR
VRSO . ET . POLEMIO
COSS

Nonnunquam

Nonnunquam elegantiae gratia, vt ſub voce *Metius*, num.4. vbi Coniugum nomina ſimilia conferuntur, videlicet:

CCLXV.

M E T T I A E
SVESIAE
M E T T I V S
DAMAS
CONIVGI . BENE
MERENTI
FECIT

Perſaepe citra vllam collationem, vt paſſim occurrit apud Gruterum, nec rarò apud Aldum. In quibuſdam laſciuire cernitur inſulſa cuſorum temeritas, videlicet vbi non elegantiae, non ſenſus, non rationis vllius cauſa literas dictionum latiùs, quàm ordo exigat, diſponunt; vt ſub voce *Monumentum*, num.5. quod tamen marmor aliter ex Smetio literatum legitur, vt apud Gruterum pag. CIƆXLIV. num. 8.

CCLXVI.

HVIC
M O N V M E N T O
VSTRINVM . APLI
CARI . NON . LICET

Quid enim referret tanta cum expreſſione nominis indicare, quod oculis pateret? In illa enimuerò tabula inſaniuit lapicida Elementarius, quam idem Aldus refert ſub voce *Aemilius*, num. 2. videlicet:

CCLXVII.

D . M
M. AEMI
LIO. PLO
C A M I A
NO. P. AELI
VS. PLOCA
MVS. ET. F
SPES. FILI
O. VIXIT
ANNIS. II
MENSE. I
DI. XXVIII

Vbi temerè, ſi vſquam, vna eademque dictio *Plocamiano* ſecta in partes tres, mediam raris literis, extremas preſſis oſtentat, anguſta quantumcumque tabula nequaquã cogente. Quam etiam Gruterus ad amuſſim ita expingit pagina DCLXVI. num. 4

Denique Verſum à verſu praeter ordinem ſaepè diſterminat rei diuerſitas, vt apud eundem Aldum ſub voce *Felix*, num. 12.

CCLXVIII.

D . M
L . RVFICANO
FELICI . RVFICANA
EPIPHANIA . COIVGI

ET . IV
R V F I C A N V S
E S Q V I L I N V S
PATRI BEMR
F C R
* id eſt *Benemerenti Fecerunt*

Quidquid repraeſentet Gruterus (pag. DCCCXXIII. num. 3.) verſibus per paria interualla conſertis. Neque officij ratio prohibet; quin vt Epiſtolis, ſcilicet priuatis tabulis; ita etiam publicis ſubijciatur procul ab Inſcriptionis corpore nomen Inſcribentis, ſi aut Numini inſcribat, aut Principi, cuius imperio ille pareat. Fit etiã ea diſtinctio perſpicuitatis maioris gratia, nec dignitate caret, vt apud Gruterum ſaepè, praeſertim pag. CCCIV. num. 2., quò libenter remittimus Lectorem.

Quibus in antiquitate perſpectis, quis non Polae noſtri Cenſorem liuentem iam notet? Illius quippe Inſcriptiones, vt legenti liquet, diſiectione vocum non hiant inſana, ſed iuſta illa, & modeſta, eliciunt cum venuſtate proſpectus vigorem ſenſuum: ibique iubet voces longiùs diſtrahi, vbi aut res rebus oppoſitae, aut pares paribus collatae militant, ſumma id quidem prudentia; quod cùm vbique obſeruat, tùm maximè inter Inſcriptiones Diuorum n.11. & Conſanguineorum num. 211. ad quas remittimus Studioſum, nè molem hoc loco infinitam congeramus.

Petebat ea ſanè cenſura Elogiaſtam alterum nimio plus ſpatijs indulgentem, quod hoc loco reticendum non eſt, nè aut muneri deſimus noſtro, aut tuo, Lector, profectui. Neceſſum autem putamus Elogium eius deſcribere, vt ſit, nobis remotis, tuus ipſius oculus arbiter: Nam quem omnino ad modum prodiuit illud impreſſum typis, ad eum ipſum hìc reddimus: Nec

aliter

aliter credi poteſt creditum fuiſſe typis, quàm vt Auctoris manu deſcriptum. Videlicet

CCLXIX.

	Adeſte	
carae	.	*charites*
caras	.	*choreas*
	ducite	
Gonzaga	.	*Eleonora*
Ocnaea	.	*Thetis*
Bianorea	.	*Cynthia*
coruſco		*ſidere*
	pulchrior	
exumia	*Italiae*	*lauda*
exumio	*Germaniae*	*bono*
	nubit	
Ferdinando	.	*Caeſari*
Auſtriaco	.	*Peleo*
Germaniae	.	*Mauorti*
Romanorum	.	*Ioui*
Felices	.	*ambo*
Auguſti	.	*ambo*
	Orbem	
Auguſtum	.	*Felicem*
	faciant	
fortes	*gignant*	*Achilleos*
	queis	
Auſtriacae	.	*domus*
	Imperium	
Gonzagae	.	*gentis*
	Maieſtas	
propugnetur	.	*augeatur*
Apollo	.	*Muſae*
alacres	*ducite*	*choros*
Auguſtos	*occinite*	*Hymenaeos*

Nam diſſita illa dictionum quidquid conetur Auctor interpuncto committere, haud efficit tamen, quin primo obtutui tabula paſſim appareat quaſi lacunoſa, quibuſdam duntaxat literarum, quas ſenium eraſerit, veſtigijs extantibus. Caeterùm vix dabis mihi hominem, cui dederit facilis oculus conſequi fugitantes illas tota tabula dictiones diſſipataſque iniectis quaſi frenis lineae continentis contrahere, & ſuum in verſum redigere.

An praefigendae Accentibus Maiuſculae.

Membrum VI.

DE Elogijs per minuſculas literas ductis nihil controuertimus, ſequuntur enim communem ſcribēdi rationem, quae ex conſuetudine tota pendet; nec, ſi veterum mos erat ſingulatim ſyllabis ſuperponere accentus, ac tempora; cogimur nos propterea ab hodierno vſu recedentes, reſtituere Antiquitatem, quae in hac parte obſoleuiſſe credi poteſt.

Ergò de lapidibus, ac marmoribus literatis decernendum hoc loco, in queis maiuſcularum duntaxat eſt vſus. Et nos quidem conſulti haeſimus aliquantùm, auctoritatē venerantes Franciſci Polae, in Praefatione ad ſuas Inſcriptiones, qui ſe profitetur adhibuiſſe Accentus, quà Graues, quà Circumflexos; id autem non ſinè exemplo, inquit, priſcorum lapidum, remittens Lectorem ad Orthographiam Aldi Manutij in vocibus *Carus*, *Cetera*, *Epiſtola*, *Heres*, *Raeti*, *Rufus*, alijſque compluribus: Quaſi verò (hìc nos) quae aliquando admiſſa repereris, ea ſemper tibi obſeruanda putes: aut ſi aliàs omitti cernes accentus, cernes autem plerumque, hunc vſum vulgarem illi alteri ſingulari praeferre nefas ſit.

Licebit itaque Primùm arguere ex eàdem Aldi Ortographia, quòd is vocem vnam reperit tribus ipſis modis efferri apud antiquos, Videlicet *Coiux*, *Coniux*, & *Coniunx*: Cur (cedo) non omnes eos modos probat, ſed ſecundum duntaxat? Cur definierit; *Coniux ſcriberem* aiens, *non Coniunx*, *aut Coiux*? quippe non deſunt vnicuique tuendo memoriae veteres; quas vltrò ingerit: Sed ipſomet allegante habent Romana marmora & *Coiunx*, & *Coniunx*, & *Coiux*. Quid proinde? quo te libet modo ſcripturum? minimè verò; ex varietate iſta potiùs compertam habens temporum corruptelam, incorruptta illa cenſebis marmora, quae & vſus frequentior, & prudentiorum cenſura probabit: quidquid eam vocem ex Caecilio Minuciano alij aliter deducant, in ſuam quiſque opinionem, trahentes. Quamobrem neque in raris marmoribus

moribus probabis vſum accentuum, communem, in queis praeſertim ratio recta, & veterum Grammaticorum obſiſtunt placita, vti mox perſequi aliqnantò accuratiùs neceſſe ducimus.

Ergò repugnare videtur ipſa ratio; Nam ſiue quis naturam attendat accentus, cùm hic vocis ſit comes indiuiduus (dictus eſt enim Accentus quaſi Adcantus, id eſt iuxta cantum) iam marmor literatum vocalem non exigit lectionem, oculo ſatis contentum; Quod ſi quem libido inceſſat recitandi apud alterum, non cogitur propterea indicare, quibus moderamentis ſignetur ibi vox efferenda, quando erigenda, deprimenda, circumflectenda. Itaque ſi accentum definias, quòd ſit vox Syllabae, iam in marmore tacita eſt oratio: ſi, quòd anima verborum, inanimata hìc repraeſentantur verba, & quaſi extinctae ſuperioris aetatis cadauer in memoria poſterorum ſeruatum. Siue notas quis attendat accentuum, non ipſos accentus; tùm enimuerò dicimus, aut ſyllabis omninò ſingulis ſuos imponi accentus oportere, aut planè nullis; quae enim ratio, cur illi duntaxat aut illi, quando accidit omnibus, ſonum aut creſcere, aut deſinere, aut vtrumque? Cur autem vni tantùm ſyllabae in tota Inſcriptione? Hanc Aldus deſcribit ad calcem Orthographiae in explanatione Notarum veterum, ſub Nota, S, videlicet:

CCLXX.

TI. CLAVD. AVG. LIB
GRATIO, LIVIAE
AVG. SER. A'. POTIO
NE. S. T. T. L

Quod marmor Romanum creditur, quia lectum eſt Romae (adnotat ibi Aldus) ſed cùm diuerſis ſimul in locis lectum, nimirum in domo Caeſia, & in Muſaeo Carpenſi, cui non ſuſpecta ſit fides? Non erit ea res ſingularis, quando Iul. Caeſar Scaliger, vt alibi meminimus, marmora multa ſpuria deprehendit in probrum Antiquorum fuiſſe ſuppoſita. Et certè in relato marmore argumentum perſpicuum facit adulterinae ſcripturae, quòd vnam modò ſyllabam A' notatam accentu habet contra antiquam conſuetudinem (monet Aldus in ipſo principio Orthographiae ſuae) contra Quintilianum, contra libros, contra lapides omnes. Eſt omninò conſulendus Aldus ibi ſub litera *A pro AB*. Ad minimùm autem, ſi minus hoc & alia accentibus inſignita marmora illegitima eſſe volumus, ſique bono nata ſeculo; curſoris inſcij temeritati commiſſa certè euincuntur, vt mox ex obſeruatione nonnullorum paulò exactiùs facienda liquidiùs conſtabit: Ni culpam refundere tutiùs exiſtimemus in exſcriptores, qui exempla oſcitanter ab exemplis deſumendo, erratis errata cumulauerint.

Iam ergò ſub voce *Carus* apud Aldum, n. 5. Inſcriptioni Romanae ſeptem verſibus exaratae mirum eſt, vti accentus vnus praefiguratur in A'. FRVM. hoc eſt *A' frumento*, & contra quàm modò traditum ex Aldo.

Numero autem 9. legitur haec item Romana, videlicet:

CCLXXI.

DIS
M'ANIB
COSSVTIA
ARESCV'SA
FELICI
FILIO. SVO'
CA'RISSIM
FECIT
VIX. ANN. XIII

Quo in marmore eſt, quod primùm arguamus, malè pingi Accentum ad, M', in M'ANIBVS. debuit ad, A', ſequentem vocalem, quicum efficitur ſyllaba. Nam quemadmodum litera, M, nequit ſe ipſa ſonum edere, quia conſonans eſt; ita neque ſe ipſa ſonum excutere per Accentum Acutum: corrigendum igitur MA'NIB. Deinde in ARESCV'SA pro Acuto imponi debuit Circumflexus ARESCV^SA, ex regulis Aelij Donati Editione Prima de Tonis, cùm ſit huius vocis penultima natura longa, & vltima breuis. Quod ſi conflixeris, breuem eſſe penultimam, ne tunc quidem conſtabit ille accentus; ſed eo poſito retrahendus fuerit in antepenultimam, ex Donato. Tertiùm in SVO' accentum illum vendicat ſyllaba prior, quia vox diſſyllaba eſt; & vbi poſterior ſyllaba producta, ibi acuenda prior. Quartùm in CA'RISSIM dictione trunca pro *Cariſſimo*; quae enuncianda cùm ſit integra (nam in integris dictionibus, inquit Donatus, obſeruantur accentus) concordantem quoquè cum enunciatione tonum requirit.

quirit. Malè igitur acuitur prima ſyllaba, quia non praecedit accentus antepenultimae ſedem, quam hoc loco ex regulis Donati appetebat. Poſtremùm arguimus, quòd caeteras dictiones videamus ſuis deſtitutas accentibus. Vt nihil iam ſuperſit, quin ambigamus, Tonorum affi- ctionem in his, & alijs huiuſmodi memorijs la- ſciuiae inſcij cuſoris tribuendam eſſe, non vſui prudenti Auctoris, ac proinde trahi in exem- plum non oportere. Neque non fauet Gruterus pag. DCCCIII. num. 12. referens Inſcriptionem decerptam ex Aldo ſub eadem voce *Carus*, num. 26. omiſſis tamen accentibus, quos Aldus aſſignat tribus dumtaxat vocibus in toto corpore; videlicet CA'RISSIMO, PO- STERI'SQVE, EO'RVM. quarum cenſura ex dictis ſimul, ac dicendis colligitur.

Quae verò ſub voce *Cetera*, num. 4. apud Aldum legitur, Neapolitana, patieris, Lector, totam referri, quò planius iudicium ferre queas. Ea verò ſic habetur:

CCLXXII.

⁝ ⁝ ⁝ VeratIo ⁝ A . F. Pal ⁝ Seueriano
Equiti . Róm . Cur. Reip. Tegiânenſium . A'dlectó . in . Ordin
DecurIon . CIui . amantiſſimó . Qui . cum . Priuilegio . Sacer
doti . Caeninenſis . munitus . potuiſſet . ab . honorib . & . munerIb
facile . excuſari . Praepoſito . amore . Patriae . & . honorem . Aedilitat
laudabiliter . ádminiſtrauit . & . dIem . feliciſsIm. III. ID. Ian. Natalis
DeI. Patri. N. Venatióne. Paſs. denis. Beſtis. &. IIII. Feris. dent. &. IIII. Paribus
ferró . dImicantib . ceteroq . honeſtIſſim . apparatu . largiter . exh [illegible]
ád . honorem . quóque . Duumuiratus . ád . cumulanda . munera . Patriae
ſuae . libenter. acceſſit . Huic . cum . &. Populus . In. ſpectaculis. adſidue
BIgas . ſtatui . poſtulaſſet . & . ſplendidiſſim. Ordó . Meritó . decreuiſs
pró . Inſita . modeſtia . ſua . Vnius . BIgae . honore . content. Alterius
ſumptus . ReIp. RemIſit . L. D. D. D. C. I

Quo quidem in marmore tredecim numera- mus verſus, eoſque benè iuſtae prolixitatis; dictiones autem accentu inſignitas non plures, quàm tredecim, quod eſt profectò mirandum, ſed ſicut maximam partem dictionum ſuis fraudatam accentibus videmus, ita quae illos obti- nent, excutiendae ſunt ex praeſcripta ab Aelio Donato norma. Primùm itaque in ſecundo verſu dictio trunca (Rom.) nequaquam fuerat acuenda, proptereàquod Accentus in integris dictionibus obſeruantur. Quòd ſi integra de- ſcribatur (Romano) obtinebit Accentus pe- nultimam ſyllabam, cùm vltima longa ſit. II. ipſo verſu ſecundo vox (Tegianenſium) malè recipit in tertia ſyllaba Circumflexum; qui, quotlibet ſyllabarum ſit dictio, non tenet niſi penultimum locum. Quod fortè animad- uertit Gruterus pag. CCCCLXXXIV. num. 6. vbi eandem Inſcriptionem referens, loco cir- cumflexi reponit Acutum. Sed vtrumque ma- lè, cùm antepenultimus locus praecedere ſibi non patiatur accentum. III. Eodem adhuc ver- ſu vox (A'dlectó) primam, & tertiam acutam ferre nequit. Non primam, quia cùm ſit pe- nultima longa poſitione, in ipſa acuitur, & an- tepenultima graui accentu pronunciatur: Non Tertiam, quia Acutus apud Latinos nunquam vltimum tenet locum. In vna verò, eademque dictione Graues quidem accentus dari plures poſſe (ſi fuerit triſyllaba, tetraſyllaba, ac dein- ceps) Vnum autem duntaxat ſiue Acutum, ſi- ne Circumflexum, docent Grammatici omnes; inter quos Priſcianus, haec habens: *Obſeruatur namque vnus Accentus in integris dictionibus, vt Roma'nus, Hiſpa'nus: In compoſitis verò vnus ſi- militer, vt Maleſanus, Intereálo'ci*: Et Diome- des: *In compoſitis dictionibus vnus accentus eſt non minùs, quàm in vna parte orationis*. Id ipſum etiam Donatus. Itaque dictio compoſita *A'd- lecto'* malè recipit binos accentus in quaque par- te compoſitionis. IV. ver. 3. vox (amantiſſi- mo) eadem de cauſa reſpuit acutum in vltima. V. ver. 6. (adminiſtrauit) pentaſyllaba perpe- ram acuitur in prima, quanquam ſit particula compoſitionis: Nam in compoſitis dictionibus vnus accentus eſt non minùs, quàm in vna

parte dictionis ; Ergo acutus non niſi penultimae, vel antepenultimae apicem petit. Neque fauere huic loco Anniani Poëtae veteris opinionem de acuendo (*Ad*) praeuerbio,quùm ſignificat intentionem, coniectare eſt ex Auli Gellij lib. VII. cap. VII. quippe non id perpetuum eſt, vel in triſſyllabis : vbi verò exceſſus eſt ſyllabarum, vide, nùm commodè acuas (*ad*) primam, quando tres tantùm loci apud Latinos patiuntur accentus. VI. ver. 7. (Venatióne) bene admittit accentum penultima,ſed circumflexum, non autem acutum,quia vltima breuis. VII. ver. 8. (ferró) prior acuenda, non poſterior. VIII. ver. 9. (A'd) ſemel atque iterùm bene notatur acuto : atque vtinam haec tanta religio ſeruata foret in reliquis monoſyllabis, ac reliqua parte ſyllabarum Inſcriptionis multò maxima. IX. ver.eod. (quóque) legitimè accentus priori impoſitus, & in hac tota Inſcriptione vna quaſi hirundo; quae tamen non facit Ver exempli in literis maiuſculis perpetui. X. ver. 11. (Ordó) diſſyllaba in priori tantùm fuerat praefigendus vel Acutus,ſi poſteriorem productam volumus; vel Circumflexus, ſi correptam. XI. ibidem (Meritó) & hìc fuerat ab vltima expungendus acutus ex more Latinorum proprio : Neque diſcretio locum habet, quaſi ſit Aduerbium à nomine diſcernendum, turbandaque idcirco regula accentuum,vti monet Donatus, & reliqui Grammatici; ſiquidem hanc vocem contendit Gaſpar Scioppius ex corruptela cenſeri inter Aduerbia, re tamen eſſe caſum ſextum à nominatiuo *Meritum*. XII. verſu penult. (pró) Circumflexus fuit imponendus, non autem Acutus, quia monoſyllaba eſt producta. Tandem XIII. eod. ver. (módeſtia) tetraſyllaba, perperam in prima acutus; debuit autem in antepenultima, quia penultima breuis.

Pergit ordo Franciſci Polae in allegatione marmorum cum praefixis accentibus apud Aldum Manutium. Sed ne taedium augeamus lectionis noſtrae, perſequentes minutim examen, ſufficiant ablegando vſui Accentuum à maiuſculis literis quaedam adhuc obſeruata apud Aldum. Et primùm ſub voce *Epiſtola*, num. 5. SE'CVRITA'TI &c. hoc idem marmor citat Gruterus (ex fide Smetij, qui vidit) pag. DLXXXVI. num. 6. nuſquam tamen hic notat accentus. Deinde ſub voce *Heres*, n. 5. refertur etiam apud Gruterum pag. DXCIX. num.4. ex fide Smetij, qui vidit, ſed citra vllum accentum. Item ſub voce *Raeti*,num.2.ſi cum exẽplo Gruteriano conferas pag. CCCLXXIII. num.4. quod habuit è Smetio, & Verderij ſchedis, minùs quidem mendoſos accentus conſpicies; ſed vtri fides habenda? melius dicamus, Vtri minor authoritas petendi exempli? Reſtat ex allegatis à Pola, quae ſub voce *Rufus*, n. 19. quaeque apud Gruterum pag. CCCCXXIV. num. 7. deſcripta à Smetio, & Metello, cum vario accentu in *Fratri*. Manutio quidem priore circumflexa Fratri,Grutero autem acuta. Quo quidem ſuper marmore corruptelas binas arguimus apud Aldum. Hae ſunt, in voce eadem *Fratri*, cuius prior ſyllaba acutum poſcit, quia poſterior eſt producta, ex Donati praeſcripto : Et in altera *Ru'finus*, cuius non acui antepenultima debuit, ſed circumflecti penultima *Rufinus*. Verùm etſi reliquae dictiones legitimè fortè recipiant accentus,cur tamen non ſingulis tribuantur, quae capaces ſunt, planum facit, neglectos ab antiquis accentus, ſi qui in marmora irrepſerunt, id eſſe elementarijs tribuendum ſiue temeritati, ſiue inſcitiae. Quod faciliùs nobis perſuademus, cùm & eruditi hoc errore imprudentes ſint lapſi, & quod maximè miremur, ipſe eruditus in paucis ſuperioris aetatis Aldus Manutius, qui ſub voce *Arretium*, vbi exemplis lapidum veterum congeſtis illuſtrat modum illum ſcribendi : *Aninius domo Arretio*; numero dein 22. refert bene grandem Inſcriptionem, poſtrema tantùm, & ea abbreuiata dictione acuto ſignata CO'S, ideſt Conſule. Quam quidem Inſcriptionem hodie in Quirinali exiſtentem, hoc eſt in luce Orbis, quis aduerſariorum traxerit in exemplum, cùm ex oculato teſte Smetio, is accentus minimè appareat? Citat emendatam Gruterus pag.XLV.num.13. Cuius initium (ſi fortè Typograpus noſter numerum paginarum variauerit : *Pro ſalute DD. NN. Aug.* &c. *L. Domitius Valerianus Domo Kapitolia* &c. Omnino autem culpare cogimur, abſolutis Auctoribus, viriſque eruditis, curſores elementarios, adducti obſeruatione recente marmoris, quod viſendum exhibuit nobis Carolus Strozzius Senator Florentinus, ſtudioſiſſimus antiquitatis, cuius reliquias multas domi

ſuae

ſuae ſplendido cum decoro conſeruat. Marmoris porrò exemplum manu noſtra coràm deſumptum ſic accipe.

CCLXXIII.

V F
CVLTORES . HERCVLI`S . SOMNI´ALI´S . IN
DIS . MANI´BVS . SI´BI´ . ET
POSTERI`SQVE . SVI`S . II . QVI´ . INFRA
SCRI´PTI´ . SVNT

Q. CAECI`LI`VS Q. GALLVCELLANVS
T. FABI`VS
L. ATTI`LI`VS
SEX. SCVTARI`VS
&c &c

Quo in marmore quàm multa peccari animaduertimus? In HERCVLI`S, vltimam accentu graui notari, reliquas ſyllabas nullo penitùs, inauditum eſt. fuerat locus dandus acuto, nam grauis in reliquis etſi non appictus, ſubintelligitur, In SOMNI´ALI´S duo Acuti (vt ſuprà dictum) praeſertim continui haud tolerantur. In MANI´BVS quomodo penultima acuta, cùm hoc ſibi antepenultima vendicet, vt paulò ſuperiùs exhibuit ſub voce *Carus* Marmor ex Aldo productum de Coſſutia Areſcuſa. In SI´BI´ male bini Acuti, alter enim grauis ſit oportet. In POSTERI`SQVE ex Acuto Grauem feciſſet ex regulis Grammaticorum. Id etiam in SVI`S. At II vbinam viſum praefigi punctum in maiuſculis? Reliqua è ſuperioribus iudicium petunt: niſi quòd in CAECI`LI`VS, & ATTI`LI`VS, vbi eadem ratio pronunciationis, eadem eſſe debuerat & accentuum. Cur ergo bini illic quidem Graues, hic autem Acuti? Planè ſtatuamus oportet nihil poſſe his exemplis reperiri dignum exemplo.

Obijcies Gruterum ipſum altero marmore accentibus egregiè cumulatum, videlicet, pag. DLXXXII. num. 2.

CCLXXIV.

TI´ CLAVD´ AVG´ LIB
GRATIO´ LIVIAE
AVG´ SER´ A´ POTIO
NE´ S´ T´ T´ L

Hoc vidiſſe Smetius ſubſcribitur à Grutero: & nos ita ad vnguem legi libentiùs aſſentimus, quàm quomodo ex Aldo paulùm ſuprà hoc ipſo Membro retulimus; eſt enim, ſi vtrumque conferas idem marmor, ſed corruptis notis tranſmiſſum ad Aldum, nimirum vno quaſi accentu relicto ad latus literae *A´* quae propoſitio eſt ſequentis vocis *Potione*; quod Aldus emendare debuerat non ignarus conſuetudinis veterum aduerſae. Ergo ſi rectè contemplaris exemplum Gruterianum fideliter ſubiectum à Smetio, non illos agnoſces accentus, ſed commatum notas, quae vicem punctorum ſupplent, ingenio autem praecipiti curſoris elementarij intruſas; idque planè euincit defectus earundem notarum in extremo cuiuſque verſus, quod eſt ſolenne in vſu punctorum, vt obſeruauimus ſuprà Memb. III. de Interpungendi ratione. Claudimus diſſertationem noſtram obſeruatione illa Io. Baptiſtae Corradi in Guarino ab ſe reſtituto; in Appendice Cap. VI. de Ratione interpungendi, vbi de Diſtinctione orationis per ſigna: *Tonorum* inquit, *etſi accurata eſt in pronunciando obſeruatio: in Scribendo tamen, niſi in paucis quibuſdam, apud Latinos nulla eſt*. Quod quidem nos ad ſolam diſtinguendi neceſſitatem redigimus, vbi ſcilicet obſcura, & perplexa foret ſinè accentus appoſitione lectio.

Quae ſit Ortographia Dictionum in Elogio.

Membrum VII.

NOn eſt mens dicere dictionibus ſingulis Orthographiae legem, ne videamur partes Grammaticorum occupare, & corpus iuſti voluminis intrudere loco Membri. Hoc vnum contenti ſumus monere; Quae à Grammaticis traduntur regulae rectè ſcribendi, ab alijs autem aliae, earum opinionem fieri cuique liberam oportere. Quid enim? An non vtrique parti in promptu ſunt ſuarum rationum momenta? Quare nemo nos iure damnauerit, quod cùm voces alias diuerſimode, tùm vocem *Seculum* abſque diphthongo ſcribere maluimus toto hoc Opere, recedentes quidē ab Aldo Manutio, alijs autem adhaereſcentes viris eruditis, quorum, quia notiſſimi, ſuperuacaneum erit in noſtrum praeſidium indicem texere. Ne verò

etiam

etiam Lapides deſideremus, facit Gruterus, praeſertim pag. CIↃLI. n. 2., & CIↃLV. 3., & CIↃLVI. 1. Non quaſi damnemus alios lapides, ſed vt vſum cuique aetati ſuum permittamus, qui quidem cùm in hoc, tùm in alijs patuit hominum inconſtantiae. Bene autem Quintilianus lib. I. Cap. VII. *Verùm*, inquit, *Orthographia quoquè conſuetudini ſeruit, ideoque ſaepe mutata eſt*. Et Marius Victorinus Artis Gramm. lib. I. de Orthographia: *Vt color* inquit, *oculorum iudicio; ſapor, palati; odor, narium dignoſcitur; ita ſonus aurium arbitrio ſubiectus eſt*. Ex quo nobis via pateſcit ad excutiendam in altera voce *Cauſa* opinionem Aldi, & quae ab eo ducitur familia eruditorum frequẽs, contendentis per, ſſ, geminatum ſcribi oportere; *Ex lapidibus* (colligit ille) *Capitolinis, & alijs, & ex ipſo Cicerone, ac Virgilio, vt Quintilianus tradit. Quod apud me* (ſubdit) *tanti eſt, vt omnium praetereà lapidum, quicumque aliter habent, auctoritatem, omnium etymologiarum rationem vincat: quanquam & etymologia adiuuet, vt deducatur à Caueo; & ſit Cauſſa, quaſi Cauiſſa; quod & Scaurus antiquus Grammaticus indicat, licet vnicam, S, in Cauſſa magis probet*. Ita verò congredi nobis placet. Ex lapidibus, inquis, Capitolinis, & alijs duplici, ſſ, Cauſſa formatur? Cur poſthabes lapides alios, & eos Romanos, quos Tute ſubijcis, in queis Cauſa per vnicam S? Neque minùs eſt, cur reiectes qui citantur apud Gruterum, concordes. Nam quomodo in hac parte Cicero, quomodo Virgilius ſcriberet, verba ipſa Quintiliani, quem ad hoc allegas, recitare opus eſt. Quid enim dicat, non oſcitanter intende, lib. I. Cap. VII. de Orthographia. *Quid quod Ciceronis* (ait) *temporibus, paulùmque infrà quoties, s, litera media vocalium longarum, vel ſubiecta longis eſſet, geminabatur? vt Cauſſae, Caſſus, Diuiſſiones: quo modo & ipſum, & Virgilium quoquè ſcripſiſſe, manus eorum docent. Atqui paulùm ſuperiores etiam illud, quod nos gemina, ſſ, dicimus, iuſſi; vna dixerunt, iuſi*. Haec Quintilianns. Quibus ex verbis non potes non concedere, conſuetudinem illam, quae Ciceroniano, Virgilianoque tempore vigebat, de ſcribenda per, ſſ, geminam *Cauſſa*, paulùm infrà exoleuiſſe, ſi modò teſtem attendis: quemadmodum & paulùm ſupra Ciceronem exoluerat altera de *iuſi* per, s, vnicam. Quid tu verò ad haec? Conſuetudo nonne ipſa eſt, quae legem dicit? *Conſuetudo* ait Quintilianus (lib. I. Cap. VI.) *certiſſima loquendi magiſtra, vtendumque planè ſermone, vt numo, cui publica forma eſt*. Magiſtra inquam ſcribendi non minùs, quàm loquendi conſuetudo, vt forma numi adulterina in publicum ne prodeat. I, tu modò, inſtitue loqui ac ſcribere *Caſſus*, *Diuiſſiones*, pro *Caſus Diuiſiones*, qui *Cauſſam* non dubitas protrudere pro Cauſam. Eodem enim ordine haec tria conſtituit Quintilianus, eodemque modo cum reliquis ſimilibus perſcribi à Cicerone & Virgilio; vt neceſſe ſit, alterutrum probes, aut voces eiuſmodi omnes promiſcuè duplici, ſſ, efferendas eſſe, aut omnes vnica continendas. An tu aliam aliter, vbi nullum diſcrimen? Quòd ſi omnes duplici, cur non & vna illam alteram *iuſi*? Siquidem conſuetudo vtraque pariter ſublata eſt; Nihilque intereſt, vtrùm vna quidem ante, altera verò poſt Ciceronem; cum ſit vtraque demum conſuetudo ſublata, & quidem aetate haud damnanda Quintiliani. Enimuerò in ea nos haeremus opinione, aliam veteribus loquendi aetatem, aliam ſcribendi extitiſſe, vt quae illuxit aurea ſermoni, nondum deſineret argentea eſſe ſcripturae: atque vt à Cicerone quidem Orthologiam, ita à poſterioribus, Quintiliano praeſertim, Orthographiam eſſe petendam. Hoc facile perſuaſerit allegatus ab Aldo Scaurus, qui cùm *Cauſſam* quaſi *Cauiſſam* eſſe dictam interpretaretur, ac propterea dici coeptam per, ſſ, geminam; is tamen vnicam, ſ, magis probabat ipſo Aldo teſte: quem ideò vehementer miramur ita pertinacem in concepta primùm opinione teneri, vt minimè obſiſtere dubitet antiquo Grammatico, quem Grammaticum cùm vocis etymon, & ex eo inuectus mos, boni vtique ſeculi, haudquaquam falleret; melioris tamen, & in hac parte florentioris, quod ſubſequutum eſt, probabat. Et quidem de Conſuetudine nunquam ſatis fuerit dictum ad pondus ſententiae noſtrae demonſtrandum. Idem ipſe Aldus in voce *Bibliotheca* conſuetudinis magis vulgatae rationem habendam putat, vt prima & altera ſyllaba per, i, ſcribatur; Aut prima per, y; altera per, i, *Bybliotheca*: nullo autem modo *Biblyotheca* prima per, i, altera per, y: Quippe lapides plures, quos refert,

maiorem profectò, quàm vnum, facere auctoritatem inclinatae in contrariam partem conſuetudinis. Adeoque ipſe Aldus in voce *Pomerium* haec ab ſe inculcata ſignificat de Conſuetudine: *Hinc licet intelligere, quod videor iam ſaepe monuiſſe, conſuetudinem apud veteres valuiſſe plurimùm, Cùm Pomerium, non Pomoerium ſcriberent, licet à Pone, & Moeros, ideſt Muros deductum non ignorarent, vt ait Varro lib.IV. de Serm.Lat. & Liuius lib.I. Nam alioqui pro, V, vſurpabat, Oe, vt Coerare pro Curare, Moeri pro Muri, Oeſus pro Vſus.* Itane? ſuſcipere licet nobis. Si valuit plurimùm apud veteres Conſuetudo, & ipſa in controuerſa voce *Cauſſa* obſoleuit antequàm Latio irreperet barbaries, hoc eſt paulò infra Ciceronem, & ſeculis bonis locutione, melioribus fortaſſe ſcriptione; ecquis neget, non promptè adhaeſurum fuiſſe ſubſequutae conſuetudini Ciceronem, atque aequales illius, ſi reuixiſſent? Et adhaeſerit Aldus noſter vſui non antiquo ſolùm, ſed planè antiquato? Et probabit nidorem opinionis abſtruſae prae alia, quae noua eſt, & repurgata, & tam multis pòſt lapidibus bonis oſtentata? Rectè autem praecipit Agnaeus Cornutus de Enunciatione, vel Orthographia, in haec verba: *Cauſa per vnum, ſ, nec quemquam moueat antiqua ſcriptura, nam & Acuſſare per duo, ſſ, ſcripſerunt.*

Quoniam hùc euaſimus, adhuc ab Aldo ſcitari placet, cuius ſe filium ferat? *Paulli* dicet. Cur (amabimus illum) gemino potiùs LL, quàm vnico, *Pauli*? An quòd ita inſcriptum reperit in antiquis marmoribus, praeſertim Romae in baſi Tiburtina . . . . . IVS. L. F. PAVLLVS &c. Et ibidem P. CORNELIVS PAVLLI. F. SCIPIO &c. quod ſimul adnotat eſſe gentis Aemiliae cognomen. Sit licet. Atqui nullum minùs cognomen affectat ipſe Aldus, qui gentem Manutiam profitetur, inter veteres Florentinas, vt ſcimus, honeſtiſſimam: & Patrem Paulli nomine ſimul indicat proprio, non gentili. Homini, dices, obſeruantiſſimo ſupra quàm dici poteſt, Antiquitatis, placuit antiquum vſum reſtituere. Antiquum tu dicis vſum? Quaſi non etiam vnico, L, fateatur ille, id cognomen inciſum, ſubiectis per ipſummet ibidem antiquis Inſcriptionibus in voce Paulus num. 2. & 4. & ex ea deductis *Paula*, num. 7. & 10. *Paulinus*, num. 1. *Paulina*, num. 3. 5. 6. 8. 9, ſub alijs item vocibus ibi citatis. Quamobrem redigitur controuerſia ad vocem *Paulus* vſurpatam vti proprium Viri nomen, non ampliùs Gentis. Quam vocem ſiue ex cognomine illo antiquo natam velimus, meliùs per vnum, L, ſcriptitari ſuadet accepta vulgi noſtratis, & obfirmata conſuetudo: ſiue petitam ex diminutiuo nominis *paruus*, rem magnam praeſtabit quiſquis de eo eruerit ex antiquitate lapidem vnum per LL geminum inciſo: ſemper autem *paulùm*, *paululùm*, *pauliſper* Aduerbſa, nam *Paulus* nomen adiectiuum rariſſimè niſi ſexto caſu: Siue (quod libentiùs oſtentabimus Chriſtiani) deſumpta vox eſt ex nomine Doctoris Gentium Pauli Sanctiſſimi) è gentibus quippe conſtamus bonam partem) quis neget eruditorum, non niſi per, L, ſimplex appellatum antiquitùs Magiſtrū noſtrum, quemadmodum Graecis Παυλὸν à voce παῦλα, id eſt *quies*, ſeu *finis*: ita Hebraeis *Saulum* prima duntaxat litera immutata? Concordant vetuſtiſſimi Codices Graeci, Latini, neque vllum (ni fallimur) protulerit Aldus aliter inſcriptum marmor. Malumus enimuerò nos cùm ritum, tùm nomen à Caeleſti parente noſtro, quàm ab Ethnica gente aſſumere, ac praedicari PAVLI filij, quàm PAVLLI.

Quae literae, Voceſque ex Antiquis venuſtae.

Membrum VIII.

Literarum, & Vocum antiquitati ſuperſtitum vſus moderatus, ac prudens auget procul dubio Inſcriptioni venuſtatem. Siquidem illae tanquam corruptelae vitandae, quae planè obſoleuerunt, & conſuetudine contraria boni ſeculi deraſae intelliguntur. In quibus (vt ſummatim habeas, quae fusè retulimus per Indicem geminum principio libri II. num. 7. tit. *Verborum Barbaries*) aut abundat Vocalis, vt *Sei* pro *Si*, *Quei* pro *Qui*, *Iouſta* pro *Iuſta*; aut immutatur, vt *Totela* pro *Tutela*, *Oitile* pro *Vtile*, *Ouom* pro *Ouum*, *Bŷnŷmŷrŷntŷ* pro *Be-*

nemerenti: Aut abundat Conſona, vt *Ead* pro *Ea*, *Iuxſta* pro *Iuxta*, *Vicxſit* pro *Vixit*: Aut etiam ſyllaba, vt *Indoteſtato* pro *Inteſtato*: Aut immutatur Conſona, vt *Aſa* pro *Ara*, *Conlega* pro *Collega*: Aut Vocalis ſimul,& Conſona, vt *Poplicus* pro *Publicus*, *Endo* pro *In* &c. Nam litera, Ⅎ, pro, V, conſonante, quam Digamma Aeolicum vocant, à Diuo Claudio Caeſare intruſam, certè ipſo ſublato è viuis ipſam ſimul ſublatam voluit poſteritas. Itaque non ſcribemus OCTAⅎIAE, ſed OCTAVIAE.

Ab antiquis itaque nonnulli Elogiaſtae pètunt,quae hic ſubijciemus;vtrum rectè iudicium noſtrum ſic accipe.

I. *Dicundi*, *Potiundi* pro *Dicendi*, *Potiendi*, ſimiliaque Verborum Tertiae, & Quartae Coniugationis Gerundia,& Paſſiua Participia,quùm rei dignitas quaedam exprimenda fuerit, vt in antiquo marmore apud Gruterum pag.CCCC-LX. num. 4. SACRIFICIVMQ. FACIVNDVM. ſic apud Plautum *Dominum dicundum*. Et apud P. Iouium in deſcript. Larij Lacus: *Inſigne Praetorium habet iuri dicundo*: Aut grauitas, vt apud Terentium *Libido Reipublicae capiundae*; Et apud Ciceronem: *Cuius voluptatis auidae libidinis temerè & effrenatè ad potiundum incitarentur*: Et apud Fortunatum Columbum noſtrum: *Vt & ipſa aperiundi ſecreti neceſſitas, purioris veritatis* &c. Aut quùm fingenda vetuſtas, & repraeſentanda in Inſcriptione, collectis tamen alijs Archaiſmis, qualis re ipſa eſt vetuſtiſſima Puteolis, relata à Grutero pag. XIV. num. 2.

CCLXXV.

C. CLVVIVS . M . F
IIII . VIR
IVRI . DIC . II . VIR . NOLAE
IIII . VIR . QVINQVENNAL
DE. SVO. FACIVND. COERAVIT
IDEM . RESTITVIT
IOVI . O . M . SACR
* *Iuri Dicundo*.

II. *Lachrumae*, *Sulla*, *Sibulla*, *Cupreſſus* voce duntaxat, ſeu pronunciatione videntur eſſe probanda: Scripto autem *Lachrymae*, *Sylla*, *Sibylla*, *Cypreſſus*. Ex quo acris, & adhuc vigens inter eruditos controuerſia videtur non modò dirimi, ſed ex partium votis plenis componi. Siquidem, Y, Graecum ſonat Latinè, V, cum ſono tamen quodam exili, vt amplè obſeruamus ex ſententia eruditorum principum in noſtra Paraeneſi ad calcem libri I. Dierum Atticorum, edit.Mediol. Anno Sal. MDCXXXIX. per Dionyſium Gariboldum. Sed, V, pro, Y, fuit inuectum aetate vetuſtiſſima Ennij, Cicerone teſte in Orat. Itaque feculentiſſimi poſteà ſeculi credi poteſt marmor apud Iulium Iacobonium in Append. de Priſca Caeſiorum Gente cap. IV. in quo legimus, Y, ſemper repoſitum pro, V, in hunc modum:

CCLXXVI.

IYLIO . EYBYLIDAE
C. Y. CORR. TYSCIAE
X. YIRO . PRAEFECTO
AERARII . S. SATYRNI
OB . INLYSTRIA . IPSIYS
MERITA . ET . AMOREM . IYX
TA . CIYES . ORDO . INTE
RAMNATIYM . PATRONO
* i. e. *Clariſs. Viro*
* i. e. *Decemuiro*

III. *Omneis* pro *Omnes* tũ probaretur, quùm audiretur iucundiùs *Omnis*, quàm *Omnes*, ex monito A. Gellij lib. XIII. Cap. XIX. Nam cùm horum vterque ſit Accuſatiuus pluratiuus, diphthongus autem *ei* hodie pei *i* (tametſi malè, & corruptè) pronuncietur, clariùs equidem diſtingueretur à ſingulari Recto, & Patrio: Hoc (inquam) legendo, non inſcribendo placeret obſeruari. Caeterùm quae nomina tertiae declinationis inflectant pluralem Accuſatiuum in *es*, *eis*, *is*, conſule Ant. Mucinum recentem ſcriptorem, in Sua Syntaxi Latina.

IV. *Queis* pro *Quibus*, in carmine pro neceſſitate metri,in pedeſtri ſermone pro ſoni iucunditate; In qua cauenda eſt affectatio.

V. *Siem*, *Sies*, *Siet* pro *Sim*, *Sis*, *Sit*, ſi tu ſies Comicus, vtere; ſin Elogiaſtes, praeterquàm in ridiculis Inſcriptionibus, abſtine. Ipſi namque audiuimus iam tùm ephebi, quo tempore fruebatur Patria noſtra Erycij Puteani diſertiſſima voce in Scholis Palatinis, carpi Inſcriptionem ab ipſo expoſitam, quaſi Antiquitatis olidae affectantem. Ea nunc quoquè, reſtitutis nuper ab incendio aedibus, quarum partem ſuperiorem Scholae obtinent, ita legitur:

CCLXXVII.

QVISQVIS . ES . OTIOSVS . SEV . NEGOTIOSVS
SVSPICE
OTI . HIC . LOCVS . EST
OLIMQVE . FVIT
IN . QVO . THEMIDEM . ET . SVADAM . COLAS
HAEC . TE . VIRVM . ILLA . CIVEM . FACIET
BONA . BONVM
SED . HEIC . FACIET . VENI
VT . IN . OTIO . NEGOTIOSVS . SIES
IN . NEGOTIO . OTIOSVS
ERYCIVS . PVTEANVS . C. R. PROF. ELOQ. ET . HISTORIOG. REGIVS
D . D . D . P . P . P

VI. Afflat etiam ſitum huic titulo vox *Heic* pro *Hic*, quam cauebis non minùs illis *Deico*, *Ieis* &c. pro *Dico*, *Iјs*.

VII. *Darier* pro *Dari* detur Poëtae egenti pro ſtipe.

VIII. *Caius*, *Cneus* oculus legit, lingua mitigat pro, C, ſubſtituens, G; ſed hoc nihil ad rem Elogiaſticam. Caueto tamen, ne reuoces ex antiquis obſoleta *Acnatus*, *Fruces* &c. pro *Agnatus*, *Fruges*.

IX. *Optumus*, *Maxumus*, *Peſſumus*, & huius formae reliqua pro *Optimus*, *Maximus* &c. caliginoſae vetuſtatis reliquiae, diſſipatae iam tùm illuceſcente ſeculo aureo, hoc eſt ex Inſcriptione C. Caeſaris, vt tradit Quintilianus.

X. *Impendia* (vox vſitata apud Polam antiquarium) non ſinè diſpendio venuſtatis vſum ſibi quaerit in Elogio. Nam pro ea vſurpant *Impendium* Cicero, Seneca, & nitidus quiſque Scriptor.

XI. *Quotiens*, *Totiens*, interpoſita, N, pro *Quoties*, *Toties* pertinacis ingenij eſt vſurpare, quamquam non imprudentis: Sed ſi *Centies*, & *Decies*, & *Millies*, expuncta N, proferre eſt moris, quid ni ſimilem in modum *Quoties*, & *Toties*?

XII. *Patronos* pro *Patronus* Romanum hominem in Graeco palliolo ridendum exhibet.

XIII. *Fortom* pro *Furtum*, reliquiae ſeculi plumbei.

XIV. *Aedebos* pro *Aedibus*, terricula mera barbariae.

XV. *Di* pro *Dij* vetuſtum, ſicut *Dis* pro *Dijs*. Sic antiqua monumenta: FECIT. DE. MANIBVS, ideſt *Manibijs* (pro Manubijs) Epitaphia quoquè innumera DIS, vel DIS. MANIBVS. Marmor item Hiſpanicum in Vrbe Murtia, olim Murgis, apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. pag. IX.

CCLXXVIII.

CASTORI.ET.POLLVCI. DIS.MANIBVS.SVL
PITIAE. Q. SVLPITI. F. VOTVM. OB. FILI
VM. SALVTI. RESTITVTVM

Quamquàm Gruterus idem marmor referens legat DIIS. & SVLPITII. corruptis (credimus) exemplis ad ſe tranſmiſſis, vt aliàs non raro. Romae in officina Antonij de Ferrara (ait Gruterus DCLXXXVIII. num. I.) Antiquarij legitur hoc marmor:

CCLXXIX.

QVEM . DI . AMAVE
RVNT . HAEC . MORI
TVR . INFAS . ANNO
RVM . III. MENS. SEX
D. XIIII. ISIATI . FILIAE
B . N . M . ANTINOVS
ET . PANTHIA . PAR

In Nomiſmate, quod C. Marcius Rutilius cognomento Cenſorianus Anno Vrbis CCCCI. Conſulatum gerens excudit, in quo binae imagines Anci Marcij, & Numae Pompilij Romanorum Regum Patris, ac Nepotis ex Filia, ita inſcriptum legitur: NVMAE. ΓOMΓILI. ANCI MARCI, *Pompilij*, & *Martij* (neque ſcrupulum ingerat litera Γ bis inſerta in *Pompili*, quaſi exoticam putes, quia cõmunem illã habuere primùm Latini priſci cum Graecis, dein paululum inflexam ex Γ quadratum Π pro O, & caeteras, propriam effecerunt) In auerſa autem Nomiſmatis parte cuſus eſt Portus Oſtienſis cum roſtro Nauigij (monumentum conditae ab Anco Marcio

Marcio Vrbis Oſtiae) cũ epigrapha: C. CENSO . ROMA . ideſt *Caius Cenſorinus Romanus* (vel *Roma* ideſt *Domo* ex vſu loquendi veterum) id quod obuium ſaepè in vetuſtis Inſcriptionibus , nec non Poëtis aeui florentis, qui & ex antiquitate petunt quandoque vocabula ad maiorem grandis poëmatis dignitatem. In Elogijs ergò noſtris locum habebit, re poſcente, vox *Di*, puta in memorandis Ethnicorum Numinibus, aut ipſorum cultu euerſo per ſatores Euangelij, aut in fabuloſis inuentis, cuiuſmodi eſt Franciſci Ponae in Apotheoſi Viuentium Amicorum, vbi Tabulam affingit ſuſpenſam columnis à GLORIA cum his notis

CCLXXX.

B . F * ideſt *Bonum Factũ*
NVMINVM . REX . IVPITER
BEATA . IN . INSVLA
FREQVENTIBVS . DIS . SENATVM
HABVIT
KAL. MAII . MDCXXIX

Aut poſito *Dis* pro *Diuis* ad amplificationem, vt vſurpauit Erycius Puteanus in Dedicatione Hiſtoriae ſuae Inſubricae, quam non pigebit referre

CCLXXXI.

ILLVSTRISS. ET . EXCELLENTISS
PRINCIPI . ET . HEROI
PHILIPPO . GVLIELMO
DEI . GRATIA
PRINCIPI . AVRAICAE
COMITI . NASSAVIAE
EQVITI . AVREI . VELLERIS
QVEM
HVMANITAS . MAGNANIMITAS
ROBVR . CONSTANTIA
CETERAEQ. VIRTVTES
DIS . QVAM . HOMINIBVS
SIMILIOREM
FECERVNT
ERYCIVS . PVTEANVS
HISTORIAM . INSVBRICAM
AETERNO . CVLTV . D. D

Et licet aduerſari videatur Priſcianus figens antiquitatis veſtigium in vocibus *Ij*, *Dij*, *Ijs*, *Dijs*, eo quòd veteres ſcriberent gemino II porrectas ſyllabas, ex quo poſteriora ſecula dixerint *Dj* pro *Dij*: tamen (audebit ſus Mineruam) quid ſi priùs dictum antiquis eſt *Di*, quàm *Dij*, vel *Dei*? Nam *Dei* vſurpatum legimus apud Gruterum pag. DCCCLXXV. n. 6. DEIS. MANIB. IVLIAE. LARINAE. ET. &c. Item pag. DXC. n. 2. DEIS. ET. GENIO. RHODONIS. DOMITIAE. AVG. SER. cui concordat Auctor Inſcript. Sacroſ. Vetuſtatis, Quòd ſi nomen POMPEIII tribus, III, abſolui placuit Caeſari, Artis Grammaticae doctiſſimo, quemadmodum refert doctiſſimus Orthographiae Claudius Dauſquius, Tract. II. Antiqui Latij, Sect. II. coniectari licet, vix anteceſſiſſe aetati Caeſaris vſum geminandi vocales longas, ac proinde vſitatum priùs ſcribere *Di*, quàm *Dij*, *Dis*, quàm *Dijs*: Certè quod attinet ad vocalem, I, longam, allegat ibidem Dauſquius auctoritatem ſummi Viri aſſerentis, I, non duplicari, idque eſſe ad mentem omnium literatorum, etiam ex vſu; niſi quòd *deuiat*, inquit, *vnus aut alter lapis*, citatque illum *Ab aeuo Augusti*: HERODIAN. PRAEGVSTATOR. DIVII AVGVSTI. Ergo, ſi id intruſum ab aeuo Auguſti, habemus antiquis ſcriptum *Di*, *Dis* priùs, quàm *Dij*, *Dijs*.

Vnde adhuc Scripturae dignitas infringatur.

Membrum IX.

PAr videtur priſcis Romanis fuiſſe cura literatorum marmorum, & incuria literarum; quarum ſcilicet ſcalpendarum operam permittebant laſciuiae ſtolidi vulgi. Hinc facilè irrepſit in Romana monumenta barbaries Romani decôris inimica. An quia vt optimus quiſque tùnc facere malebat, quàm dicere; ita benefacta ſua ſcribenda, quàm bene ſcripta curabat? Vtque rem ipſam deprehendas, citat Gruterus pag. DCII. n. 5. ſepulcri titulum, videlicet:

CCLXXXII.

D . M
C. VERGILIVS . MARTA
NVS . COLONVS . AGRI . CAE
LI . AENEI . ANVLENAE . CER
TAE . COLONAE . AGRI . SS . ANO
RVM . XXII. COIVGI . COIVGALI
CASTAE . CARAE . BONE . PIAE
FIDELI . DVLCI . CARE . AMAN
TISSIMAE . DESIDERATISSIME
SODALICIARIA . CONSILI . BONI . B. M

Vide

Vide inſanam laſciuiam in diphthongis omiſſis. Cui fidem facit Smetius lector oculatus marmoris, Auctore Grutero, qui & adnotatiunculam hanc facit: *Sic multa incorrectè in ipſo marmore*. Non ergo modus quilibet Romanarum Inſcriptionum imitatione dignus eſt noſtra. Vt autem ſpecimen demus earum, quarum ſcripturam velut exoticam repudies, accipe ex Aldo Manutio in Orthographia Marmor Romanum ſub voce *Litus*, num. 1. videlicet:

CCLXXXIII.

IAM . DATVS . EST . FINIS . VITAE . IAM
PAVSA . MALORVM
VOBIS . QVAS . HABET . HOC . GNATAM
MATREMQVE . SEPVLCHRVM
LITORE . PHOCACIO . PELAGI . VI
EXANIMATA S
ILLIC . VNDE . TAGVS . ET . NOBILE
FLVMEN . HIBERV S
VORSVM . ORTVS . VORSVM . OCCA
SVS . FLVIT . ALTER . ET ALTER
STAGNA . SVB . OCEANI . TAGVS . ET
TYRRHENICA . HIBERVS
SIC . ETENIM . DVXERE . OLIM
PRIMORDIA . PARCA E
ET.NEVERE.SVPER.VOBIS.VITALIA.FILA
CVM . PRIMVM . LVCINA . DARET
LVCEMQVE . ANIMAMQVE
VT . VITAE . DIVERSA . DIES . FORET . V
NAQVE . LET I
NOBIS . PORRO . ALIA . EST . TRINO
DE . NOMINE . FAT I
DICTA . DIES . LETI . QVAM . PRO
PAGARE . SVOPT E
VISVM . OLLIS . TACITO . ARBITRIO
CVM . LEGE . PERENN I
SISTI . QVAE . CVNCTOS . IVBET . AD
VADIMONIA . MORTI S

Illas enim dictiones extrema diſtracta litera diſcerpere, quae (cedo) aut lex carminis, aut lepor ſcripturae ſuaſit? Ab eiuſmodi ergo formis abſtinendum.

Hoc tamen comptu neglecto pulchrius & magnificentius videri voluit recens marmor Romae in Baſilica Liberiana iacens ad pedes Altaris D. Franciſci. Eſt memoria Pauli illius Capiſucci, cui Clemens VII. cognitionem commiſit celeberrimae Cauſae Diuorrij inter Henricum VIII. Angliae Regem, & Catharinam Reginam coniugem, Ferdinandi Aragonenſis & Iſabellae Caſtellanae Regum Filiam: his notis conſignata:

CCLXXXIV.

PAVLO . CAPISVCCO . EPISCOPO
NEOCASTEN . VICARIO
PAPAE . ROTAE . AVDITORI
SVBSIGG . GRATIAE . RESCRIPTIS
PRAEPOSITO . PLVRIBVS
LEGATIONIBVS . FVNCTO
IO . ANT . CARD . S
PANCRATII . PATRVO
BENEMERENTI . POSVIT
OBIIT . ANNVM
AGENS . SEXAGESIMVM
III . ID . AVG . M . D . XXXIX

Nec illa vacat horrore ſaltem Hennianae antiquitatis, & laſciuiae poëticae, quae verſus exarat, non à dextera ad ſiniſtram de more ductos, & quaſi iacentes; verùm quaſi erectos, ac ſtantes, cadentibus deorſum hinc inde lineis; atque literae vnius plantam ſubeunte alterius vertice, vt legitur apud Aldum in veterum Notarum explantatione ſub litera, O, videlicet:

CCLXXXV.

O	S
S	I
S	T
A	A
H	S
E	V
I	N
C	T

Mutila haec ſanè Inſcriptio, & caeca, fragmentumque Epitaphij, vt vides; ſed quidquid reſtituas, ac reficias, haudquaquam deleueris formam ſcribendi inuſitatam bonis ſeculis, ac planè informem. Quod planum facit diſſertatio Iulij Caeſaris Scaligeri, de Cauſis linguae Latinae cap. XLVI. vbi verum ſe profeſſus Philoſophum, aggreditur indagare, vter ſit modus naturae propior in ſcribendo, iſnè, quem Hebraei ſequuntur, à dextra noſtra in ſiniſtram introrſum; an noſter, qui à ſiniſtra in dextram extrorſum excurrit. *Eſt enim*, inquit, *motus vna ex cauſis literarum; quare motus ipſius ratio ſiue modus, literarum quoquè generationis erit affectio*. Haec Scaliger; Et poſt multa; *Ad haec*, ait, *multae ſunt rationes, quibus peruersè ſcribere* (Hebraei) *arguuntur. Principiò motus manus naturalis extrorſum eſt: quies enim intus ad pectus, & oculos in foetu: igitur primus motus extrorſum explicatur.* (& poſt pauca) *Ergo obtutus noſter ſuapte natura plus dextrorſum versùm fertur*. Quae fuerit

ergo peruerſitas (ſuſcipimus ipſi) ſi contra motum naturalem, contra vſum & conſuetudinem oculorum cogas deorſùm praecipitare obtutum, & literas ſolitarias in dictionis communionem redigere, deturbataſque è ſede, in qua fixeris, violento motu colligere? Nam ſiue iacé e velis deiectum ſolo marmor, cur non magis ſtabunt literae ad latus, alterius altera in ſeriem, vt circumducenti Lectori obtutum facilè pateant? Siue ſtare illud iuſſeris, ita poſcente ſtructura molis, ecquae tam arcta membrorum ſpatia in opere marmoreo multiformi, quorum aliquod non illa paucula capiat verba, vel vno verſu toto porrecta, vel pluribus caeſim perſtricta? Extant paſſim, apud Gruterum praeſertim in iacente marmore Inſcriptiones, alias atque alias in figuras ductae; in circulum (Grut. CLXXXIV.3.10.12. & DCCCCLXXXIX.3. in Nomiſmatis quoquè, in tumulis, ex his viſuntur Florentiae, ijque recentis memoriae in ſummo Templo) In ſemicirculum (Grut. CLXX. 5. & in Arcu Portae Peruſinae ſeculo Auguſtaeo excitatae, hodie quoquè legimus AVGVSTA . PERVSIA) In triangulum (Grut. CCXXVIII. 7.) alias quoquè figuras, quae tibi facilè occurrent. Erecto autem in marmore non raras offendimus breuiſſimis verſibus vix dictiunculam complexis totam, vt apud Grut. pag. XXVII. num. 1. in binis Columnis Graecè inſcriptis: Et ibid. XXXVIII. 10. & CV. 13. & alibi. Adeò in molibus magni artificij membra omnia plana inſcribere fas eſt, vbi maior tabula impar eſt toti Epigraphae. Quod eſt obſeruare apud Gruterum non ſemel, praeſertim pag. XXI. num. 3. & CXXXII. 1. & CCCLVIII.6.& CCCCXXXVII.3. & DXXXIV.3. & DCXXIII. 1. Viſendus omninò Arcus Traiani ibidem, CCXLVI.9. Item Conſtantini ibidem, CCLXXXII. 2. & alibi. Etiam vbi ne dum par tabula, ſed amplior, quàm vſus poſcat, vt apud ipſum Grut. pag. XIV. n.3. Et XX. 8. XXIV. 5. XXXIV. 4. & CCCXLVIII. 1. & CCCLX. 2. & CCCLXXXV. 2. Congruentiùs quidem ſi cauſa intercedat diſtinguendi membra, ſeu commata, ſeu particulas maiores, vt apud eundem pag. CCCCLXXVI. n.7. & DLXIII.7. & DLXXXIX.1. & DXCII.4. & DXCIII. 3. Alibique.

Haec nobis dictantibus commodùm attulit Sigiſmundus Marcheſius (Patritius Foroliuienſis, Eques Militiae S. Stephani, iuuenis moribus elegantiſſimis, literiſque inſtructiſſimus, Antiquitatis verò ſtudioſus inter primos) accerſitum è Patria monumentum vetuſtum, nondum quod viderimus, vulgatum, nec abſimile quibuſdam alijs (apud Gruterum) è ſuo ſeculo rudi illo, ac degenere, vt arguit tam mentio Caeſaris imperantis, quàm quod exſculptum in Columna, Inſcriptione bipartita in hanc formam, videlicet. In ſummo ſcapo:

CCLXXXVI.

LIBERATORI
ORBIS . ROMANI
RESTITVTORI . LIBERTATIS
ET . REIPVBLICAE
CONSERVATORI
ET . PR.. VI.. VI.. CIAE . LIVIAE
DOMINO . NOSTRO
. . . .
. . . .
VICTORI . ET . TRIVMPHATORI
SEMPER . AVGVSTO

In imo autem ſcapo legitur altera, ſed oppoſitu mutuo ſcripturae, literiſque ſursùm versùm, vt primo aſpectu mirabundus facilè haeſeris, ni corruptela ſeculi inſpecta materiam protinus ſubtrahat admirationis. Ita enim ibi cuſum occurrit:

CCLXXXVII.

IMP. D. N
FL. IVLIO . CONSTANTIO
NOBILISSIMO . CAES

Viſitur haec Columna tertio lapide ab Vrbe Foroliuij, ad locum (vulgò) Plebem Aquaeductus, in Coemeterio, vbi & effigiem Sanctae Crucis ſuſtentat in culmine poſitam. Eſt autem nobis documento, nihil magis deminuere dignitatem Romanae Inſcriptionis, quàm in cippo immobili, non tabula tractabili, damnari viatoris oculos peruerſa, atque praepoſtera lectione. In alijs id genus obliquis habes, quid judices, quoties nimirum facultas non eſt conuertendi obtutum, & curſum literarum recto lumine conſectandi.

Extat apud Auctorem Inſcriptionum ſacroſ. Vetuſt. ſub titulo Italicarum, Vrna cum hac Inſcriptione, videlicet:

D. M. S

CCLXXXVIII.

D . M . S
S POTENTI . INFANTIS
A DVLCISS. AC . PER . HOC
L ALVMNI . CARISS . QVI
V PROPTER . IMMATVR
E MORTEM . ALIVM . FR
MERITOR . SVOR . RE
PORT . NON . POTVIT

* *Potenti* pro *Potentij*
* *Fr*, ideſt *Fructum*

Porrò haec ipſa relata à Grutero pag. MXXXVI. num. 3. legitur abſque appoſito illius dictionis ad latus SALVE, quaſi ab exſcriptore defaecata illo barbarico archaiſmo: quo ſatis monemur, id genus ſcripturae migrare in exemplum non debere. Quam verò apud Gruterum offendis pag. DCLXIX. num. 4. emblemate ſimili vtrinque literarum perpendicularium, quae dictionem efficiunt iniuria mutilatam, ad dexterum latus hanc VLTOR....... Ad laeuum hanc ETVTOR...... quàm ſit ſuppreſſione potiùs, quàm imitatione digna, ſatis monet ipſe Inſcriptionis ſenſus inſulſus: Ita namque legitur. *Antonius Seuerus Aquila hic iacet ſine anima* &c. Viuentem autem volebat iacere in ſepulcro?

Inter haec venit in manus Elogium Cardinalis vere Eminentiſſimi, Iulij Mazarini, Auctore Nicolao Charpy A Sancta Cruce, editum Pariſijs hoc ipſo vertente Anno MDCLVIII. in quo vt perlegimus non ſinè voluptate, atque approbatione iuuenis ad elogia pangenda nati, ecce ſtupentibus euaneſcere ſeriem lectionis, & veluti de repente mutata ſcena, ex Elogiaſte Hiſtrionem apparere. Quandoquidem in ſubſequente pagina IX. nil vſquam occurrit verſuum, nil dictionum, nil Elogiaſticae texturae, niſi vna, & ea ſolitaria ſyllaba (*Ah!*) medium ipſum tenens paginae; quae quidem pagina formae eſt grandioris, quemadmodum totus codex, ſeu vt loquitur vulgus Bibliopolarum, *In folio*. Porrò occupandae legentium admirationi praeſtat credere, quàm iuuandae intelligentiae, appoſitā inibi videmus in margine (ſeu mauis ad oram) paginae hanc notationem literis minuſculis: *In maximi doloris ſignum Exclamatio iſto ſola ponitur*, *& ex interrupta felicitate Galliae interrumpitur Elogij Scriptura, non textura*. Monſtroſum enimuerò (pace Auctoris) ſcripturae commentum. Aptiùs multò licuiſſet interrumpi ſcripturae per Apoſiopeſin, ſeu Reticentiam, vt tradunt Rhetores, per quam figuram oratio ſuperante dolore, gemituque intercipiente abrumpitur. Caeterùm deſideratur hoc loco exemplum non tam Elogiaſtae, quàm Scriptoris cuiuſuis omnino generis: dolendumque eſt maiuſculum id, ac decumanum vitium in laudationem cecidiſſe laudatiſſimi noſtro ſeculo, ac tota laudandi poſteritate Principis, habuiſſeque Auctorem hominem ingenij minime gregarij, neque ſtyli torpentis. E re autem tua, Lector, fuit, vt per nos commonefieres, ab huiuſmodi nouitate ſcribendi etiam atque etiam abhorrere.

De Verſuum ductu, & poſitura

Membrum X.

Verſuum, quibus Inſcriptio omnis continetur, certa forma, ſeu regula praefiniri nulla poteſt. Aliàs namque ductu perpetuo inſcribitur, plenis vtrinque verſibus, aliàs diminutis, ac truncis: Nunc extantibus, ac ſenſim recedentibus; Effuſis, contentis; Alternis, geminatis; & hoc vna, eademque in tabula. Interdum campus interruptus (vt ſuperiore Membro innuimus) ludente ingenio Architecti variam poſitionem poſcit verſuum. Quamquàm autem plus multò conferat in hac parte obſeruatio monumentorum (& huiuſce Operis toto corpore, & apud Gruterum, Manutium, alioſque collectores antiquitatum) quàm noſtra praeceptio; non fuerit tamen ab re, ſelectiora nonnulla hic proponere tùm ex antiquis, tùm ex recentibus, quae multiforme nobis quaſi veſtigium, ſeu Ichnographiam Inſcriptionis aliter, atque aliter diſponendae ſub oculis ponant. Itaque miſſis ijs, quae tractu continuo ad finem vſque feruntur, ſola verſura interciſis dictionibus, quorum apud omnes Scriptores huius ge-

neris infinita ſeges eſt; ſicut etiam quae dictiones abrumpunt deſinente verſu, ſupplendas autem Lectoris intelligentia (id quod habet, ſi prudenter quis imitetur, venuſtatis non minimum) haec breuiter allegamus.

Inſcriptionum quaedam alternant, longis, & curtis verſibus, vt apud Gruterum pag. II. n. 2. In Ara:

CCLXXXIX.

DIIS . DEABVS
OMNIBVS
VETVRIVS L . L
SECVRIVS
PRO . SE . SVISQ

Cui ſubdimus nuper erutum Piſis marmor, & in Armamentario erectum ſtudio & cura Pennae Praefecti, videlicet:

CCXC.

D . M
M. VLPIO . AVG. LIB
VERNAE
AB. EPISTVLIS
LATINIS
VIBIA . THISBE
VXOR
INFELICISSIMA

Quaedam alternis ingeminant, vt in monumento Comenſi apud Auctorem Sacroſanctae Vetuſtatis.

CCXCI.

P. ATILII
P. F. O. V. F
SEPTICIANI
GRAMATICI . LATINI
CVI . ORDO . COMENS
ORNAMENTA
DECVR . DECREVIT
QVI . VNIVERSAM
SVBSTANTIAM
SVAM . AD . REMPVB
PERTINERE . VOLVIT

Non multùm abluditur in Brixienſi memoria, quam ex Apiano accepit Gruterus pag. CCCC LXII. num. 6.

CCXCII.

C. RAESIO
P. F. FAB
AEMILIANO
SENIORI
EQVO . PVBLICO
OMNIBVS
HONORIBVS
MVNICIPALIBVS
PERFVNCTO

Sunt, quae binos dirimunt, binis interiectis, vt apud Grut. pag. II. num. 10. Eſt Comenſis

CCXCIII.

DIIS
DEABVS
QVE . CVM
IOVE

Quandoque ternis, vt apud eundem pag. V. num. 5. Eſt Mediolanenſis

CCXCIV.

IOVI
IVNONI
MINERVAE
Q. V. G. V. S
L . M

Et quae trinos ſupponunt trinis, vt apud eundem pag. XVIII. num. 1. Eſt Romana.

CCXCV.

I . O . M
NVMISIVS
ALBANIVS
ANTISTEMIVS
MINITES
ARTEMAS
FAVSTVS
EX
VOTO

Quaedam anfractu curuantur, vt apud eundem pag. DLXXXVIII. num. 4.

CCXCVI.

D . M
M . VLPIO . AVG . LIB . DIONYSIO
QVI . FVIT . AB . AVRATVRIS
VIX . ANN . XXXXV . M . VI
VLPIA . AVG . LIB . HEROIS
CONIVGI . KARISSIMAE . ET . PIENTISSIMAE
DE . SE . B . M . CVM . QVO . VIXIT . SINE . VLLA . QVEREL
ANNIS . XXV . ET . M . VLPIVS . DIONYSIVS . F . FECER . ET
SIBI . ET . SVIS . LIB . LIBERTABVSQ . POSTERISQVE
EORVM . IN . F . P . XII . IN . AGR . P . XII

Eſt autem haec figura plena antiquae dignitatis. Sunt & quae in conum deſinunt, vt apud eundem pag. XXXIII. n. 9. Eſt Romana, Graecè inſcripta in Arula

CCXCVII.

Η Λ Ι Ω
Μ Ι Θ Ρ Α
Α Ν Ι Κ Η
Τ Ω

conſule ipſum Gruterum pag. CCCCLXXVII. num. 1.

Quaeque ex aduerſo in obeliſcum ab imo ad ſummum perducuntur. Legendus eſt Benedictus Mariottus in ſuo Vertumno, inter Miſcellanea, vbi attollit Auguſtino Maſcardo Elogium in obeliſci formam: indignum id quidem Marmore inuentum, & magis natum Academijs iuniorum, quàm Orbis theatro; quod nos idcirco auertit ab eo referendo. Haud aliter cenſemus, ſi quis formas alias inſcribendi excogitaret marmoribus antiquis inſolentes; etſi olim ceris expreſſas, ac libris; veluti, Theocritum imitatus, Simiae Rhodij Alas, aut Ouum, aut Securim. Tu autem interpretare de figura, quam Elogiaſtae ineruditi ſola deſignet libido, & genius inſanus. Nec verò inſcitè in ouatam formam coëgit Dedicationem Erycius Puteanus, Encomij nimirum Oui, diſertè & amoenè ad miraculum compoſiti. Ita verò inſcripſit:

CCXCVIII.

V . N
INGENIO
PRVDENTIA
ET . FACVNDIA
INCOMPARABILI
D. DAVIDI . FLORITIO
RIQVEBORGTRIGAVLT
THEMIDIS . ET . HYGEIAE
MYSTAE . CORCVLOQ.
ERYC . PVTEANVS
ENCOMIVM OVI
DEDICAT
L . M

Probabitur etiam cùm ouata, tùm qualiſcunque alia figura, quam ſpatium inſcribendum praeſcripſerit. Eſt enim non mediocris ingenij laus aptare operi argumentum, & brutam molem diſpoſitione verſuum congruente Arti animare. Ita in marmorea tabula circulatim ſecta factum cernimus, vt apud Gruterum pag. LXXXIII. num. 10. Tenet namque Epigrapham, quam circino percommodè ambias. Eſt Romae in Ara Caeli, videlicet:

CCXCIX.

ISIDI
FRVCTIFERAE
. . . .
. . . .
POSVIT

* Supplendum eſt nomen Auctoris abſumptum temporis edacitate

De figuris Inſcribendi circulari, ſemicirculari, triangulari recole, quae ſuperiore membro tradita ſunt cum indice exemplorum veterum. Eſt etiam ſciti Architecti ita formam operis conficere, vt argumento obſequatur inſcriptionis. Hinc Ioannes de Pineda è Societ. Ieſu deformaturus quaſi ſepulcrum Iobi, Principis illius quondam pientiſſimi Orientalium, Pyramidem excogitat, illarum ſcilicet gentium ſecutus morem, ipſamque pòſt ſpatijs plenis à culmine ad radices occupat Epitaphio, verba diſtinguens ſingula ſegmentis quaſi lapidum, quibus diſtincta in gradus attollitur moles; ſubiecta praeterea vice baſis Epigraphe ſtricta, cuius exemplum non poenitebit repraeſentare, videlicet:

CCC.

D — * Deo Opt. Max.

O | V | M

ORIENTALI

VM | REGVM

REX | SAPIEN

TISS. | OPVLEN

TISS. | PRINCEPS

HVSITANS | SER

VVS | DEI | CÆLI | IOB

| H | S | E | — * Hic Situs Eſt

MONVMENTVM | HOC

AD | PIETATIS | ET | PATIEN

TIÆ | MEMORIAM | SEMPI

TERNAM | SPEMQVE | RESVRRE

CTIONIS | CVM | REDEMPTORE

CERTISSIMAM | SEPTEM | EIVS

FILII | ET | FILIÆ | TRES | DIES | CASSIA

CORNVSTIBII | VIRO | OPTIMO | CVM

BONA | CVM | MALA | FORTVNA | COM

POSITO | VTRIVSQ. | VICTORI | FORTIS

SIMO | SATANÆ | TRIVMPHATORI | FOELI

CISSIMO | OMNIVM | MORTALIVM | PATIENTISSIMO

ABRAHAMICÆ | FIDEI | ET | SANGVINIS | HEREDI

PROPHETÆ | MAGNO | PARENTI | DVLCISSIMO

A | | *L* | | *P* — * Animo Libenti Poſuerunt

| VIXIT ANNIS CCLXXX |

P *I* *S* — * Pius In Suos

CCCI.

HOSPES . ASTA . ET . PELLEGE

QVI . SE . QVI . SECLVM . VICIT . QVI . SAEVA . SVORVM
FVNERA . AMICORVM . IVRGIA . PAVPERIEM
VLCERA . QVI . CARNIS . QVI . CONIVGIS . IMPIA . VERBA
QVI . CAELVM . IRATVM . MENTE . TVLIT . PLACIDA
INDOMITA . VIRTVTE . IOBVM . PATIENTIA . VIRGO
IAM . VIDVA . HOC . SPONSVM . CONDIDIT . IN . TVMVLO

Quòd

Quòd ſi ſpatium ſuperficiei vnius in mole bipartitum ſit, aut tripartitum, ac deinceps, totidem in Epigraphas diſtribuere par erit argumentum, vt apud Gruterum pag. CCCCXXIII. n. 4.

Epitaphia deſtinata Marito, & Filijs duobus, vbi in tabula ampla ramuſculus medium dirimens reliquit partem alteram Marito, alteram Filijs in hunc modum:

CCCII.

D M S

Q. IVL. MAXIMO . C. V	Q. IVL. CLARO. C. V. IIII. VIR
QVAESTORI . PROV. SICI	VIARVM . CVRANDARVM
LIAE . TRIB. PLEG. LEG	ANN. XXI
PROV. NARBONENS	Q. IVL. NEPOTIANO. C. ✝ I
GALL. PRAET. DESIGN	IIII. VIRO. VIARVM. CVRAN
ANN. XLVIII	DARVM . ANN. XX
CALPVRNIA . SABINA	CALP. SABINA . FILIS
MARITO . OPTIMO	

Adi etiam paginam CCCLVII. à numero 7. vſque ad 13. Et pag. proximè praecedētem n. 3. Item pag. CCCIIX. num. 10. Et CCLXXVIII. num. 1. Et CLIIII. vbi habes Columnam milliariam primi ab Vrbe lapidis triplici diſtinctam epigrapha. Et pag. XLVII. num. 5. 6. 7. 8.

Sin plures extiterint ſuperficies, vt in baſibus ſolidis Columnarum, Statuarumuè, quae ex omni parte inſcribi poſtulent, ordinabis Epigrapham in corpora plura diſtributam, vt in ſuperiore exemplo; vel corpus vnum ad omnes ſuperficies ordine continuabis, quaſi ad ſubſequentes in codice eodem paginas narratione perducta, vt habes apud Gruterum paſſim, praecipuè pag. CCCLXXVIII. num. 1. & CLXXXVI. num. 3. & CIII. 6. & XII. 10. & DCCCLXXXIX. num. 7. & DCCCXCIIII. n. 2. & DCCCCXXX. num. 2. & CIƆXXVII. 4.

Adi Marcum Zuerium Boxhornium in Monumentis illuſtrium Virorum, & Elogijs, pag. 89. vbi deſcribit iconicè Columnnam, quae hodie viſitur, ſecundo lapide à Rauenna, cuius in lateribus ſingulis (eſt enim quadrangularis) binae tabulae Narrationem totam octonis membris abſoluunt. Producimus autem nos recens ac dignum Orbis ſpectaculo, quia ſpectatum fuit probatumque in Vrbe Roma: Quùm videlicet Baldo Catanio Auctore, Alexander Cardinalis Perettus in translatione Cinerum SIXTI V. Pont. Max. ad Baſilicam D. MARIAE Maioris, de Anno MDXCI. Cenotaphium Regia magnificentia erexit. Id erat hexagonum, membriſque ſex Epigrapham abſolutam diſpertiebat per ſingulas Molis facies, ab illa inchoans, quae valuas maximas Baſilicae ſubeunti aduerſa occurrebat, hoc ordine:

CCCIII.

I.
ALEXANDER . PERETTVS . S. R. E. CARD. VICECANCEL
MAGNO . AVVNCVLO
II.
BEATISSIMO . SIXTO . QVINTO
III.
PONTIFICI . MAXIMO
IV.
PATRI . OPTIMO
V.
PRINCIPI . SANCTISSIMO
VI.
CHRISTIANAE . LIBERTATIS . PROPVGNATORI

Ita Pyram quiſquis ambibat ſpectatorum, Inſcriptionem continenti ſerie totam perlegebat, membriſque ſingulis & ſuum pondus encomij aeſtimare licebat, & elegantiam diſtributionis contemplari. Siquidem I. in *Magno Auunculo* deſignatur non tam gradus conſanguinitatis cum Alexandro Card., quàm merita illius, magnitudoque rerum geſtarum. II. *Beatiſſimo*, quia caeleſti nutu faſtigium Pontificij ſcandens reſpondit omninò & Numinis voluntati, & Hominum

minum

minum expectationi. III. *Maximo*, vt qui maximam prae multis ante ſe Pontificibus auctoritatem obtinuit, quod eſt in Eccleſiaſtico Regno praecipuum. IV. *Patri optimo*, cui ſcilicet omnes promiſcuè, Priuati, Principes obſequentiſſimos ſeſe filios, ne dum ſubditos praeſtitere, obſeruantes etiam atque etiam nutuum Romanae ſedis. V. *Principi Sanctiſſimo* non ſolùm legibus latis, ſed liberalitate in bonos, ſeueritate in improbos, vt fama teſtatur. VI. *Propugnatori Chriſtianae libertatis* ob compreſſos ſua tempeſtate hoſtes, claſſe aduerſus piratas comparata, atque auri talentis pluribus in theſauro Arcis Sancti Angeli repoſitis.

Adhuc tamen nobilius exemplum oblatum eſt nullum, quàm apud Franciſcum Polam inter Inſcriptiones liberorum circa parẽtes, n. 199. Vbi exhibetur graphicè vna in ſectiones ſeptem diſpeſcita ſepulcralis Inſcriptio, certante Elogiaſtae ingenio cum operis marmorei magnificentia. Eius ſtudio ſi fortè, Lector, tenêris, adi Aloyſium Nouarinum, Variorum Opuſculorum, qui vnus principio inſcriptus fuit: in cuius calce Inſcriptiones Franciſci Polae; eſtque allegata Inſcriptio pag. 443.

Quod autem de Pyra, ſeu Cenotaphio, necnon de Sepulcro praecepimus, ad molem Templi totam ſi transferatur, cùm illud oculos ſpectatorum implebit, tùm Auctoris commendabit ingenium; nimirum ſi vna Inſcriptio Plurimembris per membra ſacrae Baſilicae potiora diſtributa fuerit. Imaginem huius rei habes apud citatum Polam in Inſcripp. Cardinalium, num. 34. qui rogatu Alberti Epiſcopi adornaturus exequias VALERII Card. in Summo Templo Veronenſi, corpore vno Elogij per membra diſpoſito & Valuas extrà, & ſeriem intùs fulcientium hinc inde teſtudinem Columnarum animauit in hanc formam.

CCXCIV.

Ad Valuas Maiores
EXEQVIAE
CARDINALI . VALERIO

Ad Minores Valuas
IVSTA
CARDINALI . VALERIO

Deinde ad Columnas
OPTIMO . ANTISTITI
RERVM . DIVINARVM

NATO
CHRISTIANAE . RELIGIONIS
BONO

CONSERVATORI
CEREMONIARVM . SACRARVM

PROPAGATORI
PIETATIS . IN . DEVM

PAVPERVM
PATRONO . LARGISSIMO

VERONENSIS . CIVITATIS
PACATORI

MVNICIPVM . VERONENSIVM
PARENTI

Similemque in modum Pyra in medio Templo excitata per facies quaternas vndique titulum vnum deducit, videlicet:

CCXCV.

In Fronte

ANIMAE
MAXVMAE . SANCTISSIMAE
AVGVSTINI . VALERII . CARDINALIS
ALBERTVS . VALERIVS
FRATRESQ. EIVS
FACIVNT
AETERNO . AFFLICTI . DOLORE
VII. ID. IVNII . M. D. C. VI

A Dextero latere
HVNC
INTER . OMNES . VERONAE . EPISCOPP
QVVM
CENTESIMVM . VIGESIMVM . QVINTVM
A . DIVO . EVPREPIO
POSVERIS
INTER . IPSOS . SOLOS . VENETOS
DVODECIMVM . REPERIES
SED . ET
CARDINALEM . SEPTIMVM
PONTIFICVM . VERONENSIVM
CENSITO

A latere ſiniſtro
ANNIS . VIXIT . LXXVI
M. I. D. XV. H. IX
EX . HIS
VERONENSIS . ANTISTES
XLI
CARDINALIS
XXIII

In Poſteriore Pyrae parte
AEVI . PLENISSIMVS . ET . GLORIAE
OBIIT . ROMAE
X. KAL. IVNII . M. D. C. VI
HORA . NONA

De

De Senſuum diſtinctione.

Membrum XI.

PRoximum eſt, vt, cùm de Verſibus interruptis diſſeruerimus, de diſtinctione ſenſuum per eos facienda moneamus. Nam vbi tractu continenti plenis verſibus perſcribitur, non ſecus atque in Oratoria, Hiſtoriaque periodo per interpuncta commodè adhibita, ipſa ſe diſtinguit quantumuis obſcura ſententia. Interruptio igitur verſuum haud dubiè inuecta eſt exprimendae citra interpunctionem ſententiae; ſiquidem maiuſculae literae (quibus inſigniri ſemper marmora traditum eſt initio huius Capitis, Memb. I.) etſi recepto vſu ament diſtinctas puncto vno ſingulas dictiones; reſpuunt tamen & colorum, & commatum notas, ideſt virgulas, & puncta gemina; atque adeò quo clauditur ſententia, punctum vnum in extremo verſus, vt habes ſuprà, Memb. III. §. Quaeres. Fieri autem contingit expreſſionem illam ſententiae non modò in Membris, quae ſunt principales partes periodi; ſed etiam in Inciſis, & epithetis,& particulis quibuſque ſyntaxeos, ſiue ad ſignificationem tantùm, ſiue etiam ad energiam. Interruptionis ergo cũ expreſſione damus exempla primùm ex antiquis,deinde recentibus.

Et quidẽ de Verſu Inciſa, & particulas ſyntaxeos exerente accipe ex Grut. pag. DCXII. n. 11.

CCCVI.

ACILIA . ELEVTHERIS
EPAPHRODITO . FILIO . PIISSIMO
ET . T. FLAVIO . AVG. L. EPAPHRODITO
CONIVGI . SVO
ET. TVCCIAE . ATHENAIDI
ET. ACILIAE . PRAEPONTIDI
FILIABVS . PIISSIMIS
ET. LIBERTIS . LIBERTABVSQVE . SVIS
POSTERISQVE . EORVM

Item pag. DCCXIIII. n. 3. perbellum exemplum in ſingulis exertis particulis conſtructionis, & epitheto cum energia in fine, videlicet;

CCCVII.

D . M
VETTIAE . VICTORIAE
FECIT
C. VETTIVS . HELIVS
ET
EGNATVLEIA . LVCVSTA
FILIAE
INFELICISSIMAE
VIXIT . A. I. M. V. D. XXV

Quod autem citatur pag. DCCCLXXXIII. n. 8. deſcriptum Piſis ab Aldo Manutio, & Grutero tranſmiſſum, nos noſtris oculis viſimus Piſis (vt innuimus Memb. III.) in Aedibus Caeſaris Roncionij in Via S. Mariae, legimuſque paululùm aliter diſpoſitis verſibus, in hunc modum;

CCCVIII.

PARTHENI . HAVE
BENE . VALEAS
QVI . ME . SALVTAS
CVM . SOSSIA . FILIA . MEA

Siquidem Gruterus cum ſecundo verſu tertium continuat: ſed & infra quartum viſus eſt nobis abraſus quintus in ipſo marmore, quod peramplum eſt, quibuſdam quaſi veſtigijs exſtantibus. Ac ne in medium vocetur auctoritas & fides Aldi, à quo deſcriptam, & ad ſe miſſam affirmat Gruterus ſuperiorem memoriam; hominem illum immenſis defixum ſtudijs credere cogimur tranſmiſiſſe per alios exemplum. Itaque Amanuenſes inuidiam colligant, oportebit, infidè exſcriptae tabulae.

Huius generis recens vnum ſubijcimus in monumento Marmoreo Mediolani in Diui Barnabae, Aede Principe noſtri Ordinis, vnde vulgò Patres Barnabitae vocitati, videlicet:

CCCIX.

D . O . M
SS. APOST. PAVLI . ET . BARNABAE
NOMINE
ECCLESIAM
A . CLER. REG. S. PAVLI . DECOLLATI
VETERE . DIRVTA . AEDIFICATAM
MELCHIOR.CRIBELL. EPISCOPVS.TAGAST
ANNO . MDXLVII
CAL. NOVEMB
ALTARE . MAIVS
CAROLVS . CARD. S. PRAX
ARCHIEP. MEDIOL
ANNO . MDLXIIX
NON . SEPT
CONSECRARVNT

Haec enim etſi purior & nitidior fundi poterat; verſuum tamen ſcitè diſponendorum normam percommodam ſubminiſtrat. Vbi duo illi in

primis

primis obſeruandi ſunt verſus, quaſi bini cardines *Eccleſiam*, & *Altare maius*, quibus omnis innititur moles.

Eorum porrò marmorum vetuſtorum, quae cum Inciſis Membra ſimul digerunt, viſendum eſt illud apud Gruterum pag. DCCLIX. n. 2.

CCCX.

D . M
ATILIAE . MAXIMINAE
ANIMAE . INNOCENTISSIMAE
C. AONIVS . VITALIS
VXORI . INCOMPARABILI
QVAE . VIXIT . MECVM
SINE . VLLA . CONTROVERSIA
ANN. XVIII. M. II. D. VIIII
QVAE . TVLIT . SECVM . ANN. XXXXVI
QVAE . DVXIT . SECVM
GLORIAM . ET . HONO . AETERNVM
MEVM . VALE . SOLATIVM

Adde illud ſiue legitimum, ſiue ſpurium, ſcitè tamen ſuppoſitum antiquis marmor, quod refert inter Spuria Gruterus pag. XVIII. n. 2.

CCCXI.

D . M
QVI . ME . VOLENT . VALETE
MATRONAE . MATRESQVE . FAMILIAS
VIXI. ET. VLTRA. VITAM . NIHIL . CREDIDI
ME . VENERI . ALVMNAE . ADDIXI
QVOS. POTVI. PELLEXI. FILTRIS. ET. ASTV
VIRO . HVMATO . NON . VIDVA . FVI
NEC . MARITAE . NOMEN . ADEPTA
QVAESO . NE . INVIDETE
PORTIA . FAMILIA . EST . VENERIS. DOMVS
ILLICIVM . CVPIDINVM
CAVE. VIATOR . NE . ME . DIV. CALCATAM
CALCES

Quam diſtinguendi formam exigit quandoque periculum ambigui ſenſus, vtque encomiū migret in ſatyram interpoſitu punctorum peruerſo. Quod ediſces ex Inſcriptione illa continuo ductu verſuum, indiſtinctiſque Inciſis, videlicet:

CCCXII.

Hic iacet Miles ſtrenuus, parùm iactabundus, multùm vigil nunquam fugax, ſemper diligens, in menſa parcus, in acie metuendus, amicis amicus, vitijs carens, virtute ſumma Dei prouidentia mortuum pro meritis remuneret

Hoc Epitaphium ſicut minuſculis exaratum, promptum eſt corrumpere ſenſu, ſi commata dumtaxat tranſportes hoc pacto: *Hic iacet Miles ſtrenuus parum, iactabundus multùm*, ſic deinceps: Ita ſi maiuſculis (quod exquirit huius Epitaphij dignitas) quùm ſingulae voces puncto firmentur, ſenſus profectò, ſincerus haud conſtabit, & vtrùm laudi inſcriptum ſit, an conuitio. Fiet porrò benè conſultum, ſi diſtribueris ita inciſum verſibus, ac ſpatijs:

CCCXIII.

HIC . IACET . MILES . STRENVVS
PARVM . IACTABVNDVS . MVLTVM . VIGIL
NVNQVAM . FVGAX . SEMPER . DILIGENS &c.

Iam ex recentibus lepidum eſt in hac parte monumentum Mediolanenſe in Diuae Euphemiae, quod ex Zodiaco Placidi Puccinelli ſic habe:

CCCXIV.

SANCTVS . SENATOR . SEPTALA
POST . FRACTVM . NESTORIVM . ALIOSQ. HAERESIARCHAS
PONTIFICIA . AD . CONCILIVM . CONSTANTINOPOLITANVM . LEGATIONE
ET . MEDIOLANENSI . EPISCOPORVM . SYNODO
LEONI . PRIMO . VNICE . CARVS
ATQVE . MAXIMARVM . VIRTVTVM . COMMENDATIONE
TAM . ORIENTALI . QVAM . OCCIDENTALI . ECCLESIAE . ACCEPTISSIMVS
S. BENIGNO . MORTVO . ARCHIEPISCOPVS . MEDIOLANI . CREATVS
SACRVM . HOC . DIVAE . EVPHEMIAE . TEMPLVM
CVIVS . CHALCEDONE . TVMVLVM . RELIGIOSE . FREQVENTARAT
PROPE . PATERNAM . DOMVM . AEDIFICAVIT
VBI . MORIENS . SEPVLCRVM . ELEGIT
GVBERNATA . ANNOS . IIII. ECCLESIA . MEDIOLANENSI
AB . ANASTASIO . II. IN . SANCTORVM . NVMERVM . RELATVS . EST . AN. IID
CAROLVS . SEPTALA . E . METROPOLITANAE . ARCHIPRESBYTERO
EPISCOPVS . DERTHONAE
AD . RETINENDAM . MEMORIAM . POS. ANN. CIↃ. IↃ. LIV

Quae

Quae ſint autem Inciſa, quae Membra, habes ex Indice in altera huius Operis parte, vbi de Periodo.

Dictionibus fere ſingulis diſtingui verſus cogunt interdum anguſtiae tabulae. Cuius rei exemplum ſubminiſtrat primùm Gruterus pag. DCCXXXVIII. num. 3.

CCCXV.

PORCIAE
PROCVLAE
MVMMIVS
MARINVS
MATRI. PIISSIMAE
ET. INDVLGENTISS

Deinde quae noſmet exſcripſimus graphicè exactèque de marmore antiquo Piſis nuper eruto in Aedibus Caeſaris Roncionij Equitis Baiuliui S. Stephani, Patricij Piſanorum ſplendidiſſimi. Vbi ita legimus:

CCCXVI.

D · M
T · MVRTIO
GL·VCONI
MVRTIA
ADIECTA
CONIVNX
ET · MVRTIA
GLYCONIS
FILIA
B · M

Nonnunquam ſpatij interciſi verſus dirimunt cohaerentes dictiones, vt in Geneuenſi monumento apud Gruterum pag. DLVI. num. 1.

CCCXVII.

D . M	
PAPIRIAE . POLCRAE	
QVAE . VIXIT . ANN. VIII	
MESS. II. DIES . XII	
MAGNA . FREQVENTIA	
LEG. XIII	* *Legionis XIII*
EL. EST	* *Elatus Eſt*
L. PAPIRIVS . C. F. PROBVS	
TRIB. MIL	* *Tribunus Militum*
AELIA. AELIANA	
PAR. MOER	* *Parentes Moerentes*
FIL. MER	* *Filio Merenti*
P . C	* *Ponendum Curarunt*

Quod tamen nimis vaſtè ne fiat, vt ſuprà monuimus Membro V. §. *Petebat*.

Diſtinguntur praeterea ſenſus, ſed rariùs, literis grandioribus, quibus inchoatur dictio, quae prima eſt; nimirum in antiquis Legibus, ac decretis, eorumque Paragraphis ſingillatim, vt apud Gruterum pag. DCXXVIII. & VIIII. & DDDDXXXXIIII. num. 2. Et in Summarijs Hiſtoricis, cuiuſmodi eſt Breuiarium Imperij Auguſtaei inciſum marmori apud Grut. pag. CCXXX. Alijs quoquè in marmoribus, & lapidibus ad omnem vſum, ſcilicet Arae, Statuae, Vrnae, Viae, Aquaeductus &c. In quibus tamen, ſi totum Gruterianum corpus euoluas, vſurpatum hoc videas in quatuor ferè literis I, F, L, T, quae in media quoquè dictione, ne dum in principio ſaepe caeteris grandiores formabantur, vt ſuprà monuimus huiuſce Capitis Membro I. Ità ſparſim haec in Grutero occurrent, IMP. pro *Imperator*, INTER, IGNOTOS, IMMATVRA, INFERRI, IVLIAE, vt & IOVI. SERENO, praelongato I initio, & fine. Item FELICITER, L. CANINIVS, TVCCIAE, FL. STILICONI., FELICITER. In alijs quoquè literis promiſcuè id ipſum ſeruare fas eſt intercedente cauſa, vtputa tollendae ambiguitatis, cùm nomina ex Appellatiuis migrarunt in Propria; tunc etiam ſeruandus tenor in continuatis Exempli gr. in Elogio Natalis Comitis perſcribendum erit primis grandioribus, NATALIS. COMITIS, vt alterum nomen dignoſcatur proprium, alterum gentilitium. Ita ADAMAS, DONATVS, CANDIDVS, MANSVETVS, & quaecunque ex Appellatiuis aſſumpta ſunt vel Hominis propria, vel gentis. Caeterùm libentiùs dictiones, verſuſque totos grandiores reliquo cudebant corpore Romani veteres, quàm primas vnius dictionis literas, vt patet,

Gruterum

Gruterum & alios Antiquarios percurrenti.

Verſu ita que grandiuſculis conſtante literis exerebant ferè ſenſum Antiqui, praecipuè in conſecrationibus, vbi nomen Deorum promebant, vt apud Gruterum pag. XXV. num. 1.

CCCXVIII.

IVNONI . PIAE
M. CANVLEIVS . M. L. PHILONICVS
..... POST . AEDEM . CASTORIS

Hinc mos perpetuus in apice Inſcriptionum nnncupandi alicui Numini praelongis literis, vt HERC. SAC. vel DIS. MAN. vel I. O. M. vel DIS. DEABVSQ. &c. Saepe & qui ponit titulum, & cui ponitur, maiuſculis nomen exaratur, vt apud Gruterum pag. XLII. n. 3. vbi pariter inuocatio Numinis praefixa, videlicet:

CCCXIX.

LVNAE . AVG. SACRVM
IN . HONOREM . ET . MEMORIAM
AEMILIAE . L. F. MATERNAE
L. AEMILIVS . MATERNVS
ET . FABIA . FVSCA . PARENTES
S . P . F . C

Titulus quoquè cauſae erigendi marmoris, dedicandique tituli, vt ſaepe PRO . SALVTE. AVGG. vel alterius in hunc modum: Cui non diſſimiles illi tituli PACI . AVG. SACRVM. & GENIO . IOVII . AVG. & GENIO . EXERCITVS. & VICTORIAE . AVG. & ille PERPETVAE . SECVRITATI. Item PIETATI . AVG. &c. PACI . AETERNAE. DOMVS . AVG. Item FORTVNAE . REDVCI . DOMVS . AVG. Item SECVRITATI. Aliquando praecipuum quod in titulo exprimitur, grandiuſculum poſcit cudi, vt apud Grut. CCXXXV. 4.

CCCXX.

OSSA
C. CAESARIS
AVGVSTI . F
PRINCIPIS . IVVENTVTIS

In hunc modum paſſim apud eundem praeſertim pag. CCXXXVI. & CCXXXVII.

Saepe non dignitas perſonae, cui dedicatur, ſed ſenſus, & affectio in perſona dedicante grandiuſculis promitur; vt apud Aldum Manutium in Orthographia ſub voce *Marcius*, num. 23. videlicet:

CCCXXI.

MATIDIAE
AVG. FIL. DIVAE
MARCIANAE . AVG
NEPTI . DIVAE . SABINAE
AVG. SORORI
IMP . ANTONINI
AVG. PII . P. P. MATERTERAE
MINTVRNENSES

Non rarò libido ſculptorum pro lege erat, vt non idcirco ex quacunque antiquitate exempla eſſe petenda, vir prudens facilè intelligat.

De Corollarijs Elogij.

Membrum XII.

QVaeſitum ex nobis nuper fuit, habeantnè locum in ambitu Inſcriptionum corollaria ſententiarum. Cui ſatis nos facturos putamus, ſi exempla veterum, noſtro iudicio non improbanda produceremus. Sed priùs haec ad capita tria, quò promptior imitatio fiat, redigimus: Quaedam enim laudi inſeruiunt, aliae eruditioni, aliae affectibus.

Laudi illud datur apud Gruterum pag. CCCCXVII. num. 4. (ſuprà relatum ex Aldo Manutio, Memb. V.) cuius in ſuperiore marmoris corona deſcriptum repraeſentatur LEVCADII . MEL.

Affectui ſimul, & laudi illud apud eundem pag. DCCCI. num. 18. quod eſt totum afferendum, ſcilicet ad latera aſſertum,

CCCXXII.

LVCILLA . LVCET

D . M
LVCILLAE . L. FILIAE
SECVNDILLAE
P. ATTEIVS
SATVRNIVS . VXORI
KARISSIMAE . QVAE
SECVM . VIXIT
ANNIS . XX
H . M . H . N . S

SECVNDILLA . SALVE

Affectu

Affectui illud in Fronte marmoris apud Gruterum pag. DCCLXXXVI. num. 3.

CCCXXIII.

D | FVRI . ABE | M * *Abe* pro *Aue* antiq.
OLO . FVRIO . PACATO
MVSSIA . VICTORINA
CONIVGI . D. S. B. M. F
QVE . CVM . EO . VIXIT
ANN. XXIIII

Perſimile habes ibi, CIↃXXVI. in Epitaphio, cuius apex ita inſcribitur ſeorſim à corpore: HAVE . MELETINA . SVAVISSIMA . Et DCCXXX. V. 6. ſimili modò praeſcriptum, AVETE . ANIMAE . INNOCENTISSIMAE. Pagina verò CCCCLXXIV. in mo baſis ſupra coronam: HAVE . HERME . HOMO . BONE.

Poſtremò ad eruditionem facit Corollarium in calce Epitaphij, AELIAE, Cap. III. Memb. IV. relati, videlicet: AMICI . DVM . VIVIMVS . VIVAMVS . & illud apud Grut. pag. DCCV. 12. quod in imo ſimiliter marmoris ſepulcralis, factoque interſtitio, & literis minuſculis exaratur in hanc formam paulò diuerſam, etque repraeſentata ſuprà ſit Cap. I. huiuſce Libri, Memb. V. Artic. VI. Nimirum ex Auctore Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. qui Epitaphium ſuo etiam deſtituit Corollario. Ita verò Gruterus

CCCXXIV.

D . M
L. SCONI . FIL . DVLCISS. QVI . V
A. XII. M. VIII. DIES . X. PARENTES
INFELICISSIMI . AMISSIONE . EIVS
PERPETVIS . TENEBRIS . ET. QVOT
TIDIANA . MISERABILI . VLVLA
TIONE . DAMNATI . L

NVLLI . PRAECLVSA . EST . VIRTVS
OMNIBVS . PATET . NON . QVAERIT
CENSVM . SED . NVDO . HOMI
NE . CONTENTA . EST

In Apice quoquè marmoris illud ad inſtitutionem ſpectat morum, apud Grut. DCCCCLVII. 4. Eſt Romanum

CCCXXV.

QVOD . FECERIT . ET . TIBI
ALIVS . FACIET
VERINA . DOMINAE
FAVSTINAE

vbi obiter obſeruabis, vocem *Dominae* Latinè hìc vſurpatam pro Domina domus, ſeu Matrefamilias, vt Lib. II. Claſſe VI. Memb. II. monſtratum eſt.

Erit ſtudij tui, Lector, non contemnendum pretium, vt recens atque in ſolo iacens marmor ſepulcrale inſpectes, quod exſcripſimus Mediolani in Aede Diui Barnabae, Primaria noſtri Ordinis, quà iter Sacerdotibus eſt è Sacrario in Aedem: Dignum equidem Auctore, Viro Ordinis noſtri ſpectatiſſimo, natalibus, Iuris laurea, eruditione ſacra profanaque, elegantia quoquè morum & lepore ſermonis; nuper autem nobis erepto, Innocentio Ab Eccleſia, Mediolanenſi, qui rogatu Aliprandi Patricij Mediolanenſis deque Ordine benemerentis, tumulum his literis adornauit:

CCCXXVI.

LOQVAR . AD . DOMINVM . MEVM
INGREDIENS
VENERATVRVS . NVMEN
. EXORDIA . PRECVM . OPTIMI . ABRAHAE
MORE
A . NOSTRO . PVLVERE . DESVME
ET . BENEFICII . PRETIVM . ANIMIS
FOENERARE
PETRVS . MARTYR . ALIPRANDVS
ET . ANTONIA . CRIBELLA . CONIVGES
SIBI . AC . POSTERIS . POSS
M. D. C. XXIX
CVM. SIM. PVLVIS. ET. CINIS. GEN. CAP. XVIII

Haec autem dicta vocamus Corollaria, vt diſtinguamus à ſententijs moralibus, quae ex viſceribus Elogij ductae vnum cum ipſo compingunt corpus, & clauſulam ſtatuunt: De quibus in altera huius Operis Parte.

CAPVT V.

Decorum Elogiaſte.

De Decoro Elogij ſecundùm Numeros

Membrum I.

ANtè, quid ſit Decorum, aperire neceſſe eſt, quàm accedamus ad Elogiaſticum inſtitutum. Omiſſo autem, quod tradit Tullius in Officijs, Decoro Philoſophico, & Poëtico, tanquam nihil è re noſtra, Decorum ſtatuimus eſſe decentiam quandam Rebus, Perſonis, Temporibus, Locis ſiue in agendo, ſiue (quod peculiare eſt huius loci) in loquendo, ſcribendouè accommodatam. *Nam cùm ſit*, inquit Quintilianus lib. XI. cap. I. *ornatus orationis varius, & multiplex, conueniatque alius alij: niſi fuerit accommodatus rebus, atque perſonis, non modò non illuſtrabit eam, ſed etiam deſtruet, & vim rerum in contrarium vertet. Quid enim prodeſt, eſſe verba & Latina, & ſignificantia, & nitida, figuris etiam, numeriſque elaborata, niſi cum ijs, in quae Iudicem duci, formarique volumus, conſentiant? ſi genus ſublime dicendi paruis in cauſis, paruum, limatumque grandibus, laetum triſtibus, lene aſperis, minax ſupplicibus, ſummiſſum concitatis, trux atque violentum iucundis adhibeamus? Vt monilibus & margaritis, ac veſte longa, quae ſunt ornamenta foeminarum, deformentur Viri; Nec habitus triumphalis, quo nihil excogitari poteſt auguſtius, foeminas deceat. Hunc locum Cicero breuiter in III. de Orat. libro perſtringit, neque tamen videri poteſt quicquam omiſiſſe dicendo: non omni cauſae, nec auditori, nec perſonae, nec tempori congruere orationis vnum genus.* Plura ibi Quintilianus in hanc rem, & cùm in aptè dicendo ſummam reponat curam, oſtendit eum dicere aptè, qui non ſolùm, quid expediat, ſed etiam quid deceat, inſpexerit: deque decoro fusè agit. Tùm quale dicendi genus conueniat ſenibus, quale iuuenibus, militaribus, philoſophantibus, Viris ciuilibus, Principibus, Imperatoribus, Triumphalibus, Comicis, Senatoribus, Popularibus, Ruſticis: Quale item tempori laeto, triſti, anguſto: Quale loco publico, priuato, celebri, ſecreto, Ciuitati alienae, ſuae, Caſtris, Foro, Curiae, Theatro &c. Hos Decôri fontes indicare neceſſe fuit, quò faciliùs, quae deinceps à nobis proferentur placita, combibantur.

Cùm itaque ſtudium noſtrum hoc Opere intendatur potiſſimè Scribendo Elogio numeris ſoluto, conſequens primum eſt, vt illorum marmorum monſtrandum nobis ſit vitium, quae, cùm proſà inſcribi ſint coepta, numeros interſertos admittunt metricos, non ſine Decori iactura, tam ſi Latino illa attendas, quam ſi externo quolibet idiomate exarata. Sic enim (inquit Horatius) Decorum poſcit

Reddere perſonae ſcit conuenientia cuique.

Vt ſi perſonam Hiſtorici ſuſceperit Elogiaſtes, Hiſtorici ſeruet Decorum; ſin Poëtae, Decorum Poëtae. En tibi igitur nemine monſtrante, Monſtrum apud Gruterum (nec enim omnia apud ipſum antiqua marmora aut boni ſunt ſeculi, aut bono digna ſeculo, vt cuiuis inſpectanti patet) pag. DCCCXXVII. num. 3.

CCCXXVII.

DIS . MANIBVS
SERGIAE . NICAE
VIXIT
ANNIS . XVIIII
MENSIBVS . VI
HERMES
SERGI . FRVCTI
CONIVGI . CARISS
HOS . AB . ANIMO
POTVIT. DISIVNGERE. NEMO
NISI . FINITIO . FATI

Non quòd reprobemus colludentia vno in marmore proſam & carmen, quaſi diſtincta inter ſe corpora, in vnam Inſcriptionem conſpirantia. nam de eo praecipimus in altera Parte huius Operis; Verùm quia carminis excludimus intruſum fragmentum in proſam, & numeros metricos ſolutis importunos, ex quibus Elogium Comico ridiculario Auctore credatur, ac ſcenae natum. Siquidem hìc vides poſtremos verſus poëticè exilire. Neque verò protegit vitium,

vitium, quod in Hiſtoricos quandoque & Oratores cadat, vt copioſè demonſtrat Voſſius Inſtit. Orat. lib. IV. cap. IV. num. III. facilè enim currenti ſtylo & inculpatè exciderit in magna praeſertim copia rerum dicendarum; quod in tarditate ſcalpri, & mole nulla Inſcriptionis, veniam haud meretur: praecipuè ſi fluxerit carmen hexametrum prae alijs metris maximè canoroſum, minimèque auribus diſſimulandum, quale eſt in relato marmore.

Accipe alterum ex eodem Grutero, pag. DCCCLXXV. num. 3. ſimili nota corruptum, &, quod magis mirere, Romae natum: Veruntamen ex illis fortaſſe eſt, de quibus Iulius Caeſar Scaliger, aliàs à nobis productus, lib. I. cap. X. de Cauſis ling. Lat. Quod *multa marmora barbariſſima fuere, innouantibus poſteris in veterum contemptum*. Ita verò ibi legimus

CCCXXVIII.

D . M . S
IVLAE
HERESI
SANCTISSIM
VOLENTE · FATO
VIXIT · ANNIS
LXXXII
HIC . SVPER . OSSVA
CINERESQ
TVOS . BENEDICTA
QVIESCIS
FECIT . POMPONIA
TROPHIME
BENEMERENTI

Atque id marmor eſſe degeneris ſeculi, ſiue materno vitio ita natum, ſiue dolo ſuppoſitum, neque propterea trahendum in exemplum, indicat haud diſſimulanter praeter mixtionem illam numeri poëtici *Hic ſuper oſſua, cinereſque tuos benedicta quieſcis*, ipſa vox *benedicta* participio paſſiuo vſurpata, quod barbarum eſſe, monſtrauimus Lib. II. Claſſe IV. Memb. XXVIII. Ex eadem vena videtur exciſum, quod citat Aldus Manutius in ſua Orthographia ſub voce *Torus*, niſi quia inchoata proſa procurrens in carmen, tertio deſinente verſu frangitur, ingenio ſuo reſtituta, quod eſt perquàm indecorum; vt legenti cuiuis conſtabit, videlicet:

CCCXXIX.

D . M . S
IVLIA . FIRMA
SITA . TVMVLO
QVAE . COMMVNE
TORVM . SERVAVIT . CAS
TA . MARITI . ET . FIDEI . PLE
NA . PIETATE . NOBILE . VIXIT
SVBREPTA . EST . OCVLIS
IVVENIS . FATO . DICTAN
TE . INIQVO . MOCIMVS
SABINAE . AVGVSTI
SORORIS . LIB . TABVL
B . M . F

Deterior offertur tabula apud Gruterum pag. DCLXIX. num. 8. vt quae neque proſa eſt, neque carmen ad leges, verùm ex vtroque conflata ad monſtrum. Tumèt legito, & cenſeto:

CCCXXX.

APOLLONIA . QVAE . VOCITABATVR
LAPIDE . HOC . INCLVSA . QVIESCO
IPSO . MIHI . FLORE . IVVENTAE
RVPERVNT . FILA . SORORES
ANNOS . POST . DECEM . ET . OCTO
VENERVNT . VISERE . LVMEN
VNVM . SORTITA . MARITVM
SERVAVI . CASTA . PVDOREM
MATER . MISER . HOC . MONVMEN
EXTRVXIT . OLYMPIAS . AMENS
HAEC . SVNT . BENE . VIVE
VIATOR

Hanc limam ſi admoueas, expolitum habebis paruo negotio Epitaphium recens Mediolanenſe in Diuae Mariae Scalenſis, videlicet:

CCCXXXI.

*Ioannes . Beſutius . iacet . hic . ſacrarum
gloria . legum*

nam hoc & carmen ſonat, & proſam; imò neutrum. Sic itaque componas

CCCXXXII.

IOANNI . BESVTIO
BESVTIVS . IACET . HIC
SACRARVM . GLORIA . LEGVM

Ita proſam à carmine diſpeſces, titulo duplici memoria conſecrata.

De Decoro Elogij ſecundùm Verba.

Membrum II.

VIolatae Venuſtatis reus efficitur, quiſquis, quam ſuſtinet, perſonae decorum in verbis non bene tuetur. Quare ab Elogio graui, ac ſoluto, Panegyrico in primis excluduntur Verba purè poëtica, maximè per Onomatopeiam factitia, quae figura *Graecis inter maximas habita virtutes, nobis vix permittitur*, inquit, Quintilianus Inſt. Orat. Lib. VIII. Cap. VI. de Tiopis Alibi autem, hoc eſt Lib. I. Cap. V. *Sed minimè*, inquit, *nobis conceſſa eſt onomatopeia*: Nobis autem ſiue Latinis ſibi velit, ſiue Oratoribus, vtrumque cadit in rem noſtram. Quod quidem cauere debuit Elogiaſtes recentior, cuius haec ſunt: *Hìc habes, niſi habes, es, quo ab inuidorum baubatibus Te protegas, clypeum ad incolumitatem* &c. Meliùs fortè *Ab inuidorum morſibus te ſerues, baculum*, niſi in baculum ſtylus degeneraret. *Baubari* autem pro *Latrare* apud Lucretium reperitur, ſed malè transfertur.

Praeterea ſacris Chriſtianis hominem imbutum haud decet phraſes Ethnicorum conſectati. In quo pinguior euadere videtur Auctor Epitaphij Bononienſis, apud Franc. Suuertium in Selectis Delicijs, alioquin etiam parum compti, videlicet;

CCCXXXIII.

D. O. M
Amelienſis Pontifex Naccius hic eſt Caeſar
Qui
Vicem gerens Legati Bononienſium
Summa aequitate Ciuibus ius reddidit
Mox annum agens tertium, & ſexageſimum
Conceſſit Orco
Vixit, dum vixit bene

Vbi vox illa *Orco* aſſociare videtur Minoi, Aeaco, Rhadamanto, Iudicibus apud Inferos hunc hominem, qui tanta cum aequitate Ciuibus ius reddidit Prolegatus Bononiae. Quid autem magis olens Ethniciſmi? Siue Orcum vſurpes pro loco Inferorum tenebrioſo; cùm, non vt Ethnici, vnumquemque hominum etiam bonorum ad ſedes infernas deferri, ſed ad ſuperas euadere bonos, vera nos religione imbuti profiteamur: Siue pro Fluuio Inferorum, per quem iurare mos erat Ethnicis: Siue pro Deo Inferorum, aliter Plutone, ac Dite; vtrumque enim vt illis quondam religioſiſſimum, ita nefandum nobis; hìc maximè vbi de homine initiato, hoc eſt Pontifice, inſcriptio fiat. Condonandum faciliùs ſi de Poëta, aut hiſtrione vſurpatum fuiſſet, cui maior licentia; ad exemplum poetae Ethnici, qui ſibi monumentum hoc poſuit audaciſſimum;

CCCXXXIV.

Immortales
Mortales ſi foret fas flere
Flerent diù Camoenae
Naeuium Poëtam
Itaque poſtquam Orci traditus eſt theſauro
Obliti ſunt Romae Latina lingua loquier

Non ineptè autem ibi repoſueris; *Migrauit ad iuſtum Iudicem, Coronam iuſtitiae repoſitam accepturus*, ſeu preſſiùs *Repoſitam ſibi in Caelo coronam iuſtitiae capeſſiuit*.

Quoniam verò alienis periculis cautum fieri, felicitatis eſt, producimus libenter fragmentum Epitaphij Geneuenſis felici quondam ſeculo religionis catholicae vt apparet, illic poſiti (citatur apud Suueertium in Select. Delic.) vbi de Amblardo Goyeto legitur, quod *impio fato conceſſit*. Hoc verò impietatem olet, ſi fatum pro decreto Diuino de ſingulorum hominum obitu vſurpatum vocitetur impium: Sin pro Morte tanquam calamitate omnium maxima, indecorè cum primis adiunctum id feceris: Acerbum autem, Importunum, aut huiuſmodi potiùs, quàm impium, pro Morte, quàm piè ſuſtinuiſſe creditur homo, vt ibi praefertur, *Reuerendus, Inſignis Theologus, Prothonotarius Apoſtol., Abbas, Canonicus, Pietate in Deum, & religione deuotus* &c. Aptiùs igitur ſcripſeris: *Fato piè conceſſit*. Fuit autem Ethnicis in more poſitum appellare Fatum Impium, & liuens, ſicut, & Parcas hominum vitae praepoſitas, Iniquas, Immites, Saeuas Diras.

Neque cenſuram effugit Auctor Epitaphij alterius apud eundem Suueertium, hoc titulo praefixi. *Seruatori Deo, Pacis Cuſtodi: Genio,*

Manibus, *&* *Vmbrae* (Mox incolat) *Georgius EcKard. Ciuis Inſpruchenſis* &c. Illa enim ſynonyma tria pro Anima defuncti adepta Diuinitatem, olere videntur ſitum Ethnicorum, praeſertim extra carmen, cui aliqua licentia eſt.

Quaeres, nùm deceat hominem Chriſtianum nomina Deorum veterum omnia ſupprimere. Et quidem Deorum appellatio, quae morem veterum ſectatur, non auditur ſinè iniuria piarum aurium. Vt meritò laedat oculos Inſcriptio Ferrarienſis in S. Mariae ſupra tumulum Hieronymi Bellacumbae, vbi legitur: *Vale Animula blandula*, *&* *in numerum Deorum tam breui vitae ſpatio recepta* &c. Idque ne ſi quidem interpretere ex ſenſu Pſalmiſtae LXXXI. *Ego dixi, Dij eſtis*, quandoquidem conſuetudo Ethnicorum iam noſtrum occupauit auditum. Ita poëtica n habet leuitatem Chriſtiano indignam Poëta Elogium ſolutum ſuprà deſcriptū lib. III. de Perſpicuitate, Memb. IV. Ex Franciſco Pola de Iano; cuius initium, *Ianuariae tuae*. vbi Deos omnes nuptiales inuocat, quos nimirum colebant Ethnici. Caeterùm quae alio ſenſu vſurpari latiorè poſſunt attributa olim Dijs nomina, non videmus, cur à Chriſtianis marmoribus prohibeantur. Ita *Genius* exempli cauſa etſi aliquibus veterum Ethnicorum Deus habitus, aliquibus tamen Anima rationalis, aliquibus vis, proprietaſque naturae, & metonymicos propenſio, ſeu appetitus naturae ad delectabile. In qua ſignificatione inſcripſit Franciſcus Pola Villam Thadaei Tiraboſci Veronenſis in hanc formam

CCCXXXV.

GENIO . ET . IVCVNDITATI
SECESSVM . HVNC
QVO . IN . REMISSIONIBVS . VTERETVR
THADAEVS . TIRABOSCVS
EX . COMMODO
POSTHABITA . PROPINQVITATI
AMOENITATE

Idem Pyramidem ligneam in ludis publicis incendendam hac epigrapha dedicauit.

CCCXXXVI.

GENIVS . VERONENSIS
LAETABVNDVS
OB . MEMMIVM . PRINCIPEM
DELECTVM

Ita apud Suueertium in Select. Del. Puteolana Inſcriptio vocem eandem in hunc aſſumit ſenſum: *Hortos*, *Porticus*, *ac Fontes marmoreos Ocio*, *ac Genio dicauit*. Ibidem in exitu Hortorum Halderianorum, Erycio Puteano Auctore: *Spectaſti*. *Et plenus voluptate redis*. *Redde gratiam*. *Bene loco*, *locique precare Genio*.

Manes pariter memorabis, non veterum quidem more quaſi Deos, quibus hi ſacra faciebant. Quorum veſtigium exhibet, vt nobis videtur, Ara Prima ſepulchralis familiae Salmenſis (apud Suueertium in Sel. Delic. inter Viennenſia) cuius in faſtigio, non ſecus atque in tumulis Ethnicorum, praeſcriptum legitur DIS . MANIBVS . SACRVM. Neque hanc notam effugit compendioſus titulus D. M. quem refert idem inter Hamburgenſia, Sepulcro hominum Chriſtianorum impoſitum, more veterum, pro quo repones PIIS . MANIBVS. Nobis autem fas erit nomen Manium vſurpare, ſiue pro defuncti Anima, vt in Epitaphio Veneto de Nicolao Throno DVCE inclyto in haec verba: *Cuius innocentiſſimis Manibus Hanc meritam Diuini operis Molem Philippus filius perenni aeternitate Poſuit*. Ita Felix Verducciolus, ad pios Manes Georgij Boreae. Leo Matina Elogiaſtes Magnos Manes appellat Petri Contareni, Glorioſos Manes Emmanuellis Ronquillij vſurpat pro Anima defuncti. Siue pro Anima poſt exceſſum in antro purgatorio tenta, vt apud Suueertium ibi ſupra oſtium Bibliothecae in Epitaphio Ferrarienſi, quod non poenituerit totum hìc accepiſſe, videlicet:

CCCXXXVII.

CVM . CAELIVS . CALCAGNINVS
*Nihil magis optauerit, quàm de omnibus pro fortunae captu optime mereri: Decedens Bibliothecam, in qua multò maximam aetatis partem egit, in ſuorum ciuium gratiam publicauit, & in ea ſe condi mandauit. Tu quiſquis es, rogo, vt Hominis B. M. * Manibus Deum propitium preceris. Ex diuturno ſtudio in primis hoc didicit, Mortalia contemnere, & Ignorantiam ſuam non ignorare*

Siue pro Cadauere, & Cineribus figuratè, vt apud eundem Suueertium inter Ferrarienſia in hoc Tumulo:

CCCXXXVIII.

HIERONYMVS . RYNTIVS
HOC. SIBI. VIVENS . MONVMENTVM . POS
SVOS . OPTANS . * MANES
IN. PERPETVA. ESSE. EIVS. NVMINIS. FIDE
CVIVS . IN . SACELLO . DVM . VIVERET
PIE . SEMPER . MORATVS . EST
ANNO . DOM. M. D. X. L. I

Haud aliter de reliquorum Deorum nominibus decernes. Recole quae ſuprà obſeruata ſunt lib. II. num. II. in Franciſcum Polam de voce Tutanus.

Caetera quaedam vocabula nihil ad Deitatem ſpectantia, ſenſu Ethnicorum mitigato admittere licebit in Chriſtianorum Epitaphijs. Cuiuſmodi eſt *Vmbra* pro Inferorum quondam imagine, bellè transfertur ad Defuncti Animam, vt in Mantuano Epitaphio apud Suuccertium in Select. Delic.

CCCXXXIX.

HIERONYMAE . NIGISOLAE
Forma eminentiſs.
Cui ſummus fauor, qualē mores meruere, non defuit
Vmbra ſuperbiat
Quod D. FRANC. Mantuae Marchio IV.
Raptam luxit
Vixit Ann. XVII. M. VIII. D. XVI.
Lapſu corruentis equi infeliciter obijt
An. MDXII. Prid. Cal. Octob.

Non perſonae tantùm Chriſtianae habenda ratio eſt, verùm etiam loci; quam quidem non habuit Auctor Inſcriptionis pro Dedicatione nouiſſima ſummi Templi Mediolanenſis, non idcirco tamen (putes) reiectae; ſed cùm hiſtoria futili niteretur, ſimul cum alijs, etiam noſtris (quas in Appendice dabimus ad calcem Operis) ſuppreſſa fuit. Eam hìc damus, vt ſin minùs vſui, exemplo certè ſit, atque vt elegantiam ſtyli, quam praefert, hoc vno vitio perire totam aduertas, videlicet:

CCCXL.

D . O . M
Dum . Libitina . tota . vrbe . ſine . diſcrimine
Naſcentes . in . pueros . ſaeuit
Proxima . ſolitudini . Ciuitas . Mediolanenſis
Dei . Matris . opem . implorans
Damnata . voti
Templi . molem . hanc . pario . lapide . extruxit
Sacram . Virgini . Matri . Naſcenti
Perpetuum . ſeruatae . Vrbis . monumentum
D . D . D

Quid enim (cedo) indecorum magis, quàm in fronte Templi & religione chriſtiana, & magnificentia barbarica auguſtiſſimi, cubitalibus imprimenda notis memoria ex appellatione ſtatim obuia Libitinae, Ethnicis Deae, ſiue Proſerpinam mallent eſſe, ſiue Venerem?

Par fuerit piaculum profana ſacris miſcere, quod vehementer dolemus obiectari Franciſco Polae in Elogio de Pace compoſita inter Regem Gallum, Summum Pontificem, ac Venetam Remp. Cuius initium eſt: *O Venetiae, O Roma, O Italia, O Europa* vbi haec habet: *Tranquillitate ergo animos, Quos Duelli timor incertauit hactenus, Araſq. Diui Petri, Diui Marci Candidatae, Hoſtiatae tenete, amplectiminor. Ianum bifrontem, Ianum Cluſium, ſalutate, veneraminor, vti concordiores illi poſthac fiant, vobiſque face hac feſta diutinè liceat vti.* Scilicet Diuorum noſtrorum cum veterum mōſtrorum continuat mentionem; quo quid ab homine cordato alienius?

Ita Sanctos homines in Caelum receptos, quos ritu Chriſtiano colimus, benè, ac Latinè appellabis ad copiam ſimul & ad Dignitatem *Sanctos, Beatos, Diuos*. Caue porrò, ne more Ethnicorum dicas *Deos Genitales, Deos Indigentes, Deos Nouenſiles*, aut aliuſmodi; quamquam de hominibus, quos ſimiliter immortales, ac Beatos Antiquitas credidit, vſurparet haec nomina, ex Latina locutione eleganter.

Ne tamen (caue) ſuperſtitioſus excipias vocem Graecam donatam Latio *Idolum*, quam vulgus applicat ſimulacris Deorum Ethnicorum, ſi tamen natiuae ſignificationi reddideris pro magine, ac Specie, etiam in argumento ſacro, vt ſcitè admiſit Albertus in Tumulo Pachomij, videlicet;

CCCXCI.

PACHOMIVM
TEGIT . HIC . LAPIS
NIHIL . HINC . VIATOR . EFFODITO
SVPERSTITIOSVS
AEGYPTIVS
IDOLA . VIRTVTVM . OMNIVM
HOC . E . CINERE
EXCITARET

Hinc haud inuenuſtas cenſebis in ſacro argumento voces ſacris vſitatas, tametſi peregrinas: quo ſatis tuemur Linum Vacchium Collegam noſtrum, quo Auctore expoſita fuit Peruſiae,

in

in translatione Reliquiarum S. Herculani Epiſcopi, Tabula è regione loci, vbi is pro fide Christiana multatus capite fuit, atque è moenibus praecipitatus; his literis inſcripta:

CCCXLII.

ECCE . TIBI . FORTISSIME . PRAESVL
HERCVLANE
MARTYRII . ET . AGONIS . TVI
ADVERSVS . LOCVS
NVNC . CONFESSIONIS . ET . LAVDIS
AETERNVM . SALVE . ET
SERVA

Vbi non modò vox *Martyrium* peregrina eſt, nobis probata Lib. II. Claſse IV. Memb. VI. verùm etiam *Agon* itidem probata per translationem à certamine profano ad ſacrum, lib. III. De Perſpicuitate, Memb. VIII. num. XI. Sed & vox *Confeſſio* pro laudatione; ſacris dumtaxat Scriptoribus vſitata. Ab argumento triſti, veluti funebri quantum abhorreant luſus in verbis, qui Genio hilari fundi ſolent, nemo non videt. Attamen de homine nequam, aut ſcurra, aut de bruto decorum haud reſpuet. De bruto perpulchrum extat Lipſio Auctore Epitaphium, apud Suueertium in Brabantinis:

CCCXLIII.

HECATAE . SACR
SAPHYRVS domo Batauus
Delicium Lipſij, decus canum
Ingenio, lepore, forma
H. S. E
Triſti fato ereptus
Et feruentibus aquis merſus
Cùm vixiſſet luſtra plus tria
O Heri dolor!
Tuum, Lector, adde
Quiſquis Lipſium amas, imò
Quiſquis elegantiam, aut leporem amas
Quorum iſte theſaurus erat
Abi. Flores ſparge
Si non lachrymas
PLANGEBAT, & PANGEBAT
I. Lipſius olim Heu Dominus
V. Cal. Sept. CIↃ. IↃ. I.

Vbi in ipſo luctu ludere haud indecorum facit conditio brutali tumulati.

De Decoro Elogij ſecundùm ſententias.

Membrum III.

HVc facit vel maximè, quod Membro I. proluſimus, Decorum non aliud eſſe, praeterquàm decentiam rebus accommodatam. Quare Sententiarum aliae decent ſolutam Inſcriptionem, aliae ſtrictam: Item aliae ſunt vbi finis conſtituitur expoſitio rei hiſtorica, aliae vbi exornatio, & haec ſiue Panegyrica oratorià, ſiue Poëtica. Expendendam hinc edimus cauſa intelligentiae Inſcriptionem Senenſem; Cuius ſi argumentum requiras, Epitaphium eſt de homine Chriſtiano; ſi locum, in Aede Auguſta Diui Dominici; ſi ſpeciem, Hiſtorica eſt pura; ſi formam, proſae; ſi denique ſcopum, moeror, & lachrymae Parentis ex filij iactura. Iam non hic (credo) expectabis quidquam Poëtici ſenſus, multò minùs mentionem vllam ridiculam alicuius ex Numinibus Ethnicorum. Sed ecce tibi Parcae, ecce ex fabellis Poëtarum ſententiolae; quae, quòd ex Martiali Auctor expreſſit, magnificè ſe demum tenuiſſe putat perſonam Elogiaſtae hiſtorici; quippe Epigrammatariorum Principis imitator eſt, à quo Tumulus Scorpi ita fuerat abſolutus

Inuida quem Lacheſis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

Ita verò hic noſter ad eius exemplum:

CCCXLIV.

ANGELO . PLACITO
Iuueni . Graecae . Latinaeque . linguae . peritiſs
Mira. Animi. Generis. & . Corporis. nobilitate. clariſs
Sexta . aetatis . ſuae . olympiade . defuncto
Cuius . mores. virtuteſq. omnes . intuentes . Parcae
Senem . putauere
IOANNES . PAPT. Pater . omnium . infeliciſs
Aeternùm . lachrymans B. M. Poſ
Anno . Sal. M D X X I I

Nec fauet auctoritas Aloyſij Iuglaris in Epitaphio honorario Ianotti Rebuffi, in quo (vti ſuprà obſeruauimus lib. I. de Elog. Finitione, num. LVII.) imitatur eundem Martialis locum

cum. Atqui, ſi diligentiùs attendas, non agit is merum hiſtoricum, ſed Panegyriſtam, neque tàm deſcribit obitum, quàm deplorat; ſenſumque Poëtae minùs audaci penicillo exprimit, ne in ſoluto Elogio violet modeſtiae praeſcriptum. Quod quàm religiosè ſeruandum ſit tibi, proponimus Epitaphium alterum, in manus noſtras commodùm incurrens, caeterà optimum, & ſuaue, poëtica tantùm ſententia proſae intruſa palatum aſperans. Citat Suueertius in Select. Delic. inter Baſileenſia, videlicet:

CCCXLV.

TRINITATI . SACR
*NICOLAO . EPISCOPIO . Nicolai F. Typographo . Baſil. Vti . Nominis . ita & . Artis . Induſtriae . Fidei . Erudit. Paternae . Heredi . In . medio . Aetatis curſu . magno . cum . Reip . literariae incommodo . Bonorum . omnium . cum luctu . humanis . exempto . Marito incomparabili . ELISABETHA BAVARA . Vxor . infelicíſs . * Animae ſuae . dimidio . extremum . hocce . coniugalis fidei . & . obſeruantiae . munus . contra votum . perſoluit . Migrauit . V . Vitae ſeptenario . Anno . Salutis . M. D. L. XVI Kal. Ian. H. M. H. S*

namque modus ille *Animae ſuae dimidio*, praeterquàm quod omitti potuiſſet, integro officio, atque affectu deſolatae Coniugis, & ſalua Funerae perſona, licentius quoquè translatus eſt, quàm liberae Inſcriptionis numerus patiatur. Scilicet quia non dedecuit Horatium de Virgilio canere, hoc eſt Poëtam de Poeta altero

Finibus Atticis
reddas incolumem precor,
Et ſerues Animae dimidium meae

ne ideò putet Elogiaſtes ſolutus, ex decoro etiã ſuo eſſe eum loquendi modum, nec ſemper poëticos ſales ſibi ſapere oportere. Non inquam ſemper, quia vbi argumentum quod offertur, nequaquam ſerium eſt, licebit ex poëtis colores ſenſuum petere, & carminis fabulas in proſam cogere. Cuius placiti exemplum longè abſolutiſſimum dabit Laurentius Pignorius in Tumulo Aldinae Catellae, ſcilicet argumento non niſi ad fabulam nato; in quo fas erat comminiſci immortuam ab obitu animam huius brutuli, integram ſenſu, ad inferos receptam, Dijs Manibus adnumeratam, ſideribus dignam inſeri; & quia ex partu mortuam, raptam à Lucina, idque ſenſu omnino inuidiae, aliaque huiuſmodi, quae de hominibus, ac Dijs ſuis pangebant ex laſciuia Poetae Ethnici; nos animi gratia repraeſentamus, in moerore de iactura rerum genialium, exhilarandi, atque in ipſomet luctu Ludibundi. Iam lege inſcriptionis fabulam, & fruere:

CCCXLVI

VIATOR
NI . GRAVE . EST
IVBE . HAVERE . ET . VALERE
SCITISSIMOS . MANES
ALDINAE . CATELLAE
CVIVS . GENIO . CESSERAT
QVIDQVID . VSPIAM . ERAT . FIDEI . CHARITATIS
HILARITATIS
ILLAM . LVCINA . TENEBRIS . ORCINIS
DAMNAVIT
QVAE . FVLGENS . ASTRVM . CAELO . INSERI
HERIGONES . PEDISSEQVA . MERVERAT
O . FACTVM . MALE
MALE . TIBI . SIT . MALA . LVCINA . QVAE
TAM . BONAM . CATELLAM . PERDIDISTI
BENE . TIBI . SIT . BONE . VIATOR . QVI . TAM
GRANDE . NEFAS . NON . SINE . LACHRYMIS
PERLEGISTI
ABI . AMICE . SI . PLACET
ET . CHARITATEM . FIDEMQ. SI . QVAS . HABES
EIVRA
VIRTVTVM . VT . VIDES . INVIDIA . ET
SVPEROS . TANGIT

Quo in Tumulo haud aegrè diſpicias ſparſa ex imitatione lumina Catulliana è luctu Paſſeris, & quae apud alios poëtas venuſtiores ſpirant Veneres. Conſequens inde eſt, in argumento ſerio ſi ludicrum interſeras, ridiculum euadere, ne dum indecorum: Lapſus in hoc fuit Elogiaſtes neſcio quis recentiſſimus, cùm exponeret adoleſcentem in praelio ſtrenuè occumbentem ex ictu ſclopi, Quem inquit *mille nequiuere gladij, Plumbea Sclopetarij pila tetigit. Iturus ad ludos excepiſti pilam, à flamma auſpicantem lumen.* Non hìc autem trepidabis, Lector cenſuram rogatus ſuper Epitaphio, quod nuper commiſit marmori Franciſcus Rondinellius rogatu Thomae Rinuccinij in defunctum fratrem. Scilicet homo non minùs ſacris literis, quàm profanis ad omnem amoenitatem inſtructiſſimus, memoriam Viri Sacrati, cum ſanctitudinis fama defuncti, atque in ſummo Templo Archiepiſcopali ſuo tumulati, conſignandam poſteritati duxit, congeſtis floribus è ſacris Biblijs in hunc ſpirantiſſimum pietatis, & moratiſſimum Titulum, videlicet:

CCCXLVII.

CHRISTO . MORTVORVM . PRIMOGENITO
IOANNI.BAPTISTAE.RINVCCINIO.FLORENTINO.ARCHIEPISCOPO.ET.PRINCIPI.FIRMANO
AD.FOEDERATOS.CATHOLICOS.HYBERNIAE.PONTIFICIA.LEGATIONE.STRENVE.FVNCTO
VIRO . SPIRITV . APOSTOLICO . AC . PASTORALI . VIGILANTIA . PRAEFVLGENTI
QVI . LVMBOS . PRAECINCTVS . INNOCENTIAE . AC . SCIENTIAE
ARDENTES . LAMPADAS . E . MANIBVS . NVNQVAM . DEPOSVIT
CVIVS . DEXTERA . ET . APERTA . ET . CLAVSA . FECIT . VIRTVTEM
MISERICORDIAE.PLENA.SEMPER.AD.PAVPERES EXTENSA.QVOS MORIENS.DIXIT.HEREDES.EX.ASSE
CONTRACTA . CALAMO . PLVRIMOS . ERVDIVIT
CVIVS . PEDES . PACEM . EVANGELIZANTIS . MIRE . SPECIOSI
GREGEM.IRREQVIETO.LABORE.CIRCVMIERVNT.ATQ VLTIMVM TERRAE. PERLVSTRAVERE
ITA . ECCLESIAE . OMNIS . EPISCOPIS . FORMA . VIRTVTVM . FACTVS
TOTIDEM . QVOT . ACCEPERAT . SVPERLVCRATVS . TALENTA
IN . DOMINI . GAVDIVM . VTI . SPES . EST . INTRAVIT
IDIB. DECEMB. AN. SAL. M. D. C. LIII. AET. LXI. NONDVM . EXPLETO
THOMAS . RINVCCINIVS . CAMILLI . SENAT. FIL. S. STEPHANI . EQVES . AC
SERENISS. VICTORIAE . MAGNAE . DVCIS . ETRVRIAE . CVBICVLO . PRAEFECTVS
FRATRI . OPT. MER. MOESTISS. P.

Alteram decori partem in ſententia conſideramus multò maximam, nimirum ſi congruus, & iuſtus comitetur affectus. In quo debet antè Elogiaſtes grauitatem, ac pondus rei perpendere, ne nimis aut effuſus exeat, aut contentus. Huic cenſurae meritò ſubiecit ſe Franciſcus Pola, crebrior ferè, & intemperantior in repetitionibus verborum, quae fere ex animi motu proficiſcuntur. Nihil autem ita frigidam, ac inſulſam orationem efficit, atque importunus affectatuſque exceſſus affectuum. Siquidem excedit ille in Tumulo honorario Iulij Caeſaris Bruſchij, vt hìc videbis:

CCCXLVIII.

Eremitae, Auguſtiniano
Sanctiſſumo . Eidem . Et . Doctiſſumo
IVLIO . CAESARI . BRVSCHIO
In . Sacra . Sua . Familia
Magni . nominis . Magni . Meriti
Qui
Vltima . Extinctus . Aetate
Deſiderium . Sui . Et . Exemplum
Reliquit
Incomparabile
Poſuerunt
Fratres . Auguſtiniani . Omnes
Moeſti Moeſti
Magiſtro Parenti
Merentiſſimo
M. D. C. XIV. Kal. Martijs

Perfrigida certè repetitio *Moeſti Moeſti*. Hìc enim non parentum interuenit affectus in obitu filij, non Vxoris Viro viduatae, neque alius paris grauitatis, in quo ad luctum domeſticorum meritò adſciſcuntur Praeficarum eiulatus, & ſordes. Exclamatione autem nihil feruentius in affectibus: Ea tamen praeter modum repetita mirum quomodo deferueſcit: exemplo

eiuſdem

eiuſdem Polae in marmore Neapolitano, quod è re eſt, vt proferatur, videlicet:

CCCXLIX.

O ſacram mutationem O ſanctam
Caſtorem Pollucem
Dioſcuros
Hocce olim in Templo
Vani colebant Ethnici
Petrum Paulum
Chriſti Diſcipulos
Hocce nunc in Templo
Veri colunt Chriſtiani
O ſacram mutationem O ſanctam

nam Exclamatione loco Exordij bene conciliatur Viatoris intentio ad rei nouitatem quaerendam; In clauſula verò nouam Lector ſententiam expectat, antiquam faſtidit, propterea quòd ſatis ſuperque in hac haeſerit. Iucundiùs itaque lectum fuerit Praeceptum ex narratione tractum ad mores, Exempli gratia, *O qui legis. Te Chriſti Templum ſi polluas, Quàm foeda mutatio!* Luxuriat praetereà hìc Auctor Elogio de Altempſio (vt alia plurima eiuſdem generis omittamus) repetitione eadem vtrinque temerè inculcata, quam, vt imitari vehementiùs caueas, operae eſt hìc deſcribere.

CCCL.

Neges, ſi potis ſis, Neges
Diuini Heroëm Spiritus
Eſſe
M. SLITICVM. ALTEMPSIVM
Archiepiſcopum Saliburgenſem
In quo vno
Virtutes omnes beatiores
Erupiſſe
Praeſenti conſtat fide
Neges, ſi potis ſis, Neges

quid enim (cedò) adeſſet, vnde cieretur affectus in iteratam hanc repetitionem, principio & fine Elogij? Haec verò figura quoniam opportunè adhibita grauitatem iuuat, & ſpiritum indit, en alio in argumento quàm bellè vibrat apud eundem Polam, cuius Elogium ideò lubentes hìc referimus, vt indicemus hunc plerumque felicem Elogiaſten extitiſſe. Fuerat id (inquit ille) exponendum in Armamentario Duumuirali Venetijs, ſed alterum poſitum fuit, illonè melius, nec reſciuimus nos, nec facilè credimus. Vt vt ſit, ita hic noſter inſcripſerat:

CCCLI.

HISCE. IN. ARMIS
STETIT. ACERRIMVS
HENRICVS. IV. GALLORVM. REX
QVVM
HEREDITARIVM. GALLIAE. REGNVM
PER. HOSTES. PER. TELA
ADEPTVS. EST. FELICISSVME
IAM. SATIS. HOSPES. NOVISTI
QVI. CVLTVS. QVAE. RELIGIO
HVIC. DEBEATVR. TROPHAEO
EX. LIBERALITATE. REGIA
HIC. POSITO
S. C
M. D. C. III

Nonnè appoſitè, ſi argumentum ſpectes, & inchoat Auctor Elogium minax, fulgore armorum obiecto in primo verſu, aſpectus toruitate in altero; exin felix vrget victoriam repetitione illa feſtinantem *Per hoſtes. Per tela*: poſtremò repetitione altera inculcanda meritò fuerat, non tantùm commendanda aeſtimatio, & veneratio tanti trophaei, *Qui cultus. Quae religio* &c. Ex quo facilè intelligit Elogiaſtes, decorum ſibi in primis eſſe ſeruandum, vt res graues grauiter enunciet, lenes leniter, truces minaciter, amoenas molliter, grandes magnificè plus ad hoc afferens iudicij, quàm ingenij. Caeterùm dignitas perſonae modum praeſcribit affectibus, nec Virum muliebris decet ſenſus, & actio. Qua in re audentiores fortè videbimur, fortè autem non deſipientes in cenſura Neapolitani Epitaphij hoc ipſo libro relati Cap. I. Memb. IV. Art. II. quod non poenitebit hìc relegere, videlicet:

CCCLII.

Portia Capitia Viua gaudium. Mortua
Mariti gemitus Hìc ſita eſt. Bernardinus
Rota perpetuò moerens, perpetuò lachrymans.
Proh dolor. Quantùm fuit cariſſima

Videtur autem tam effuſa, inculcataque querela haud decere Virum grauem, qualem eruditio ſumma prodit Berardinum Rotam. Permittenda ea mulierculis, quarum eſt inſatiabili luctu tundere ad ſurditatem aures ſapientum: Niſi decorum hìc ſalues, quòd Neapolitanum Caelum in continentiſſimos genios ad affectus

vel

vel honeſtos imprimit. Caſtius tamen officium viduati Coniugis impleturus fuiſſe videtur, ſi ſuppreſſiſſet illa: *Perpetuò moerens, perpetuò lachrymans*. Confer cum noſtra caſtigatione Epitaphium Tarquinij in Coniugem; quod hoc ipſo libro citauimus Cap. III. Memb. XIX. cuius initium: *Collatinus Tarquinius*. Cernes ibi vehementiſſimi affectus moderatam expreſſionem in Exclamatione illa *Proh dolor quae fuit cariſſima*: qui quidem ex antecedentibus defunctae laudibus collectus hìc erumpit, ſtatimque ſubſiſtit. Nam Rotae Epitaphium totum querelis, & luctu textum non perlegitur ſinè taedio. Ne grauere cum eo conferre, quod inſcripſit (apud Suueert. in Select. Delic. inter Romana) foemina tribus ipſis coniunctorum cariſſimis, videlicet:

CCCLIII.

MEMORIAE . INDEFLETAE
PETRO-PAVLO . DE . MONTE . PATRI . OPT
HIERONYMO . ET . SCIPIONI . FRATRIBVS . CARISS
IVLIO . CAECIO . CONIVGI . CONCORDISS
ET . SIBI . FECIT
LANIMIA . IN . SVMMA . ORBITATE

Praeterea mirum quantum intereſt, rationem habere temporis; in hoc enim decorum etiam collocauit, vt meminimus, Quintilianus. Quo in tempore ſaepe veniunt comprehenſae perſonae promiſcui generis, & conditionis. Recole hìc, quaeſo exempli gratia, funeſtum labentis ſeculi annum vigeſimum nonum, quo Vrbs Mediolanum peſtis ſaeuitia internecina laborabat. Edicta autem fuit publica ſupplicatio, & circumlatio ſacrarum Reliquiarum Diui Caroli Tutelaris, extremum tantae calamitatis remedium: ſimul ad excitandam in ciuibus poenitentiam criminum (quae iram illam Numinis accenderant) atque erga tantum Patronum fiduciam decretae ſunt Inſcriptiones binae cubitalibus literis, quae in propatulo expoſitae oculos Ciuium in ſe conuerterent, vnàque animos componerent ad promerendam clementiam Numinis. Ac plebs quidem illiteratorum frequentior multò fuerit literatis, & ea mobilior ingenio, non minùs quàm illi, rictus praeſentis mortis horruerit. Quales credas futurae ſint tabulae exponendae, quae ſenſui Ciuium communi obſequentes, ad Deum erigerent conſternatas mentes? Iam lege, vti potior Tabula ſit inſcripta.

CCCLIV.

AGE . CIVITAS . IN . FVNVS . PRAECEPS
TOTAQVE . PROPE . FVNVS
NON . DIS . MANIBVS . LVDOS . SECVLARES . AC . LECTISTERNIA . VOVETO
SED . SANCTISSIMO . CAROLI . HYPOGAEO
TAM . NOBILIS . DEPOSITI . CONDITORIO
ALBA . FIDE . FACITO
ITA . CAELESTIS . HIC . AESCVLAPIVS
NON . AB . EPIDAVRO . SED . A . SEPVLCRO . ACCITVS
VOLENS . AC . PROPITIVS
GRASSANTEM . LVEM
AVERRVNCET

Vide quàm diſſonum à tempore luctuoſiſſimo commemoraſſe hominibus Chriſtianis Deos Manes, Ludos ſeculares, Lectiſternia, Aeſculapium, Epidaurum, frigidas illas, ac deridiculas memorias inſanientium Ethnicorum? Nonne congruentiùs auditum fuerit è ſacris hiſtorijs, ex Eccleſiaſticis, vti eiuſmodi flagellum auerterint ſaepe populi per poenitentiam, per interpoſitas virorum ſanctorum obſecrationes, per publicas ſupplicationes, per vota? Alteram Inſcriptionem habuiſti ſup. lib. III. Memb. III. cuius initium; *Quod olim*; & ipſam haud melioris notae.

Perquàm opportunè hìc cadit, atque Numine prouido (nè ſcilicet ſummi Viri inuendicata ſit fama) vt in ipſo extremo diſſertationis red-

dantur

dantur nobis literae, Neapoli, quò noſtras dederamus ad amicum, rogantes, inuiſeret tumulum Portiae Capitiae, exemplumque per nos ex Suuertio in Select. Delic. deſumptum, & hoc Membro relatum, conferret eum protographo. Geſſit ille morem, nec ſatis modò votis noſtris fecit, ſed etiam cumulatè. Siquidem & exſcripſit ſumma fide (corruptum quippè foedè apud Suueertium) & diligentia ſumma deſcripſit Mauſolaei imaginem, diſpoſitionem, membra quà ſymbolis, quà epigraphis magnificè adornata. Gratias itaque immortales ille apud nos meruit, quòd, qua parte Berardinus cenſuram noſtram prouocauerat, quaſi in affectus nimio diſſolutior, opera ſua reſtitutus fuerit, & vitium, quod notaueramus, in amanuenſem eius authorem ſpurciſſimum iam refundatur. Vt ergo tumulum integrú habeas Lector, & emendes Suueertium, & allegationes, quas nos decepti, iterum fecimus, videlicet hoc ipſo Membro paulò ſuperiùs, & huiuſce libri Cap. I. Membro VI. Artic. II. ſic accipe.

CCCLV.

PORTIA . CAPITIA
VIVA . GAVDIVM . MORTVA . MARITI . GEMITVS
BERARDINVS . ROTA
THESAVRVM . SVVM . CONDIDIT
FECIT . NOLENS . FECIT . NEC . MORI . POTVIT
RAPTA . EST . E . SINV . CHARITVM
M. D. LVIIII

En tibi acerba quidem, ſed tamen continens querela ex decoro perſonae: cùm erumpentem doloris ſenſum in alteram tabulam dextera parte reijciendum putauerit; impendentem imagini ſuae marmoreae; nam alteri tabulae ſubſtat imago vxoris. Ita verò inſcribitur.

CCCLVI.

Infelix ille
Qui mortua Portia viuus cum ea ſepeliri non debuit
En ſimul hic fingi pertulit
Vt quando aliter nequit
Saltem marmorea coniuge frui liceat
Lugete Muſae interim

De Decoro Elogij ſecundùm Perſonarum diſpoſitionem.

Membrum IV.

NE putes ſermonem hic futurum de collocando in fronte Inſcriptionis nomine vel Hominis, vel Diui, cui illa ponitur; eius autem, qui ponit, in calce ipſius, ita officio poſcente: Eſt enim ea res vſu tritiſſima, & exemplis veterum, ac recentium ita vocalis, vt praeceptis non egeat noſtris. Huic autem diſſertationi materiam praebuit controuerſia inter criticos nuper orta ſuper Epitaphio Mediolanenſi ſeculi ſuperioris in Diuae Mariae (vulgò) Gratiarum, quod ita legitur:

CCCLVII.

IO. IACOBO . RAINOLDO . QVAES. ORDINARIO . PRAEFECTO . REI
FRVMENTARIAE . ET . HELENAE . GHILIAE . PARENTIB. OPT
ALEXANDRO. FILIO . DVLCISS. SIBI . ANTONIAE . CVSANAE . VXORI
LIBER . POSTERISQ. SVIS . IO. BAPTISTA . SENATVS . PRAESES
ANNO . MDLXX

Hoc vbi lectum fuit, arguit quidam, videri ſibi vrbanitatis legem poſcere, vt ſibi Auctor loco praeferret Vxorem, ac reliquos, ipſe poſtremo contentus; ita veteribus poſitum in more, vt

apud

apud Gruterum paſſim eſt obſeruare. Sed occurrit cenſor iudicio acriore, notamque diluens diſtinctione propoſita; Alio, inquit, ſunt ordine nominandi viuentes, alio defuncti : Et his quidem ex dignitate dederim primas, ſecundas, ac deinceps. quò grandior aetas, vel meritum priores delibent Lectoris obtutus, atque animi deſiderantis affectus. Illis autem quò mortis omen, quàm procul auertam, nouiſſimos gradus aſſignauerim, quod quidem monumenti ſuperioris Auctorem conſidero ſumma cum prudentia obſeruaſſe. Nam ibi memoratis primo loco parentibus ſuis, exinde ſuo filio, hoc eſt ipſorum nepote iam mortuo; poſteà demorituris alijs mauult ipſe praecedere, & ponè ſequi vxorem, liberos, poſteros, vti Naturae lex exiget. Et his quidem de ordine inter mortales ſublata controuerſia fuit, defenſuſque propoſitus locus Elogij. Nam inter Immortales ſola vbique praeualet dignitas; & gradus meriti celſioris diuinitùs nobis cognitus. Itaque ſi dedicãdum ſit exempli gratia Diuae Annae, atque eius filiae Virgini Mariae, haec profectò primo nominabitur loco, quia Matre ſanctior, inſcribendumque *Diuae Mariae Virgini, atque eius Matri Diuae Annae.* Omninò autem Diuos quoſcumque poſt Deum Optimum Maximum. Quod quidem nos fruſtra monere ne putes, quaſi de principatu Solis inter ſtellas inituros cõtrouerſiã: cùm te quoque, Lector, nobiſcũ haud dubiè irritauerit Franciſcus Pola, Elogio ſupra allegato lib.II. Parte Priore, num.II. Tit. *Verborum Humilitas*, & hic iterum allegando, ac cẽſorio, quam prouocat virgula cõpungẽdo: ſic enim inſcribit:

CCCLVIII.

DIVIS
PRAESTITIBVS . IVVANTIBVS
GEORGIO . STEPHANOQ
QVI . EST . PROTOMARTYR
*CVM . DEO . OPT . MAX
DICATVM . DEDICATVM . ESTO . HOC . TEMPLVM
QVOD
SANCTVS . MONACHORVM . ORDO
DE . SVA . IMPENDIA
OPERE . CVLTVQ . OMNI
AMPLIAVIT
EXEQVENTE . DOMINICO . COLONIEN
ARCHIMANDRITA
M . D . C . X
LEONARDO . DONATO . PRINCIPE
MAXIMO . FELICI . PERENNI

An verò praeripuerint ſerui Domino locum honoris, & quamquàm Sanctorum inclyti Georgius, ac Stephanus praeceſſerint Deum ipſum Optimum Maximum? Nam & Deum in gregem Sanctorum cogere videtur Pola, & gradu inferiore collocare, poſt illos memoratum. Sed affectata ſtudio intemperato Antiquitas egit Elogiaſtem in ſcopulum; imitatum ſe namque cauſabitur Epigrapham hanc in marmore Comenſi apud Gruterum pag.II. n.10. videlicet:

CCCLIX.

DIIS
DEABVS
QVE . CVM
IOVE

Lubricum enimuerò perfugium; quamquam in Ioue concurrat titulus Optimi Maximi, quo illum Ethnici honeſtabant, ad Deum verum à nobis multò ſanctiſſimè translatum: Nam Ethnici demum plurimam illam turbam, Deorum nomine promiſcuè cenſebant, Nec Iouem tantummodò, ſed & Vaeiouem, ideſt & eum qui iuuabat, & qui nocebat, Optimum aequè ac Peſſimum titulo Diuinitatis conſecrauere. Propterea mirum non eſt, quòd ij Iouem caeteroſque Deos, ac Deas miſcuerint. Sed apage ſordes Ethniciſmi, vbi pura lux Chriſtiana Diuos, nempe homines, immenſo infra Deum Optimum Maximum ſpatio collocat in Caeli regia. Non omnis ergo imitanda eſt nobis Antiquitas; nè poëticae quidem licentiae titulo, vbi imminuitur Dei Maieſtas: Et qui Maronis dictum ex illo Diſticho

Diuiſum Imperium cum Ioue Caeſar habet ad Deum verum transferens luſit de Philippo Rege pellente ex Hiſpanijs Mauros. *Et Deus & Princeps alterno munere regnant* nae hic aculeos ſenſit cenſoris tã eruditi,quã pij, quaſi in ordinẽ hominũ videretur Deũ redigere.

De Decora Elogij clauſula ſecundum Vocem

Membrum V. & Poſtremum

VEnuſtati poſtremam lineam facit, qua clauditur Voce Elogium. Hanc verò ex alia, atque alia partium orationis (de quibus Grammatici) deligimus,non aeſtimantes, quem in pedem periodus deſinat; hoc enim ad communes Rhetorũ praeceptiones ſpectat, ad quos Lectorem remittimus.

Primùm igitur Aduerbio claudimus Inſcriptionem ex illis fere quae ſunt breuiores, cuius extat vetus marmor apud Gruterum pag. CCLXXVII. num. 5. (quam tamen vocem haud libentes in exemplum traxerimus) videlicet

CCCLX.

MEAS . CLAVDIVS . V. P. P. P
N. M. T. D. N. M. QVE . EIVS
SEMPER

ideſt. *Meàs* (accentum praefigere enimuerò debuiſſent in poſteriore ſyllaba, quia non Pronomen, ſed nomen eſt Viri proprium *Claudius Vir Perfectiſſimus*, *Praefectus Prouinciae N. M. T.* (hae tres notae Oedipum manent apud Gruterum, & Antiquarios) *Deuotus Numini, Maieſtatique eius ſemper*. Comptiùs fortaſſe: *Numini Maieſtatique eius ſemper deuotus*, quemadmodum alibi apud Gruterum, CCLXXXVI. 1. CLEMENTIAE . EIVS . DICATVS, aut ex vulgari formula: *Deuotus ſemper Numini, Maieſtatique eius*: Niſi ſumma excuſet breuitas, vt apud eundem CCLVIII. 11.

CCCLXI.

IMP. CAESARI
L. AVRELIO . VERO . AVG
TRIB. POT. III. COS. II
DIVI . ANTONINI . PII . FIL
DIVI . HADRIANI . NEP
DIVI . TRAIANI . PARTH
PRON . DIVI. NERVAE. ABN
AVXIMATES . PVBLICE

Preſſa haec ſanè Inſcriptio, ſi corpus aeſtimes, cui extractis epithetis reſtat *Aurelio Auximates publicè*, ſubintellige *dedicauerunt Statuam*, cuius baſi inciſa haec leguntur. In eam formam, venuſtiorem tamen, habetur apud eundem Grut. XLVII. 8.

CCCLXII.

HERCVLI . IN
VICTO
POMPEIVS . APPIVS
FAVSTINVS
V. C. PR . VRBAN
D . D
FELICITER

Adhuc venuſtiùs, quò breuiùs, & puriùs, apud eundem in Scuto baſi inciſo, quod Victoriae alatae binae attollunt, pag. CXVI. num. 4.

CCCLXIII.

CAESARVM
DECENNALIA
FELICITER

Supple *peracta*. In Inſcriptione quoquè iuſta; ſed vbi terminata ſententia de Imaginis dedicatione lata, ſubſcribitur abruptè SENATVS CENSVIT . PERPETVO . ſupple, Imaginem ibi dicatam *ſeruandam perpetuò*, nec aliquando amouendam. Itaque abruptio illa ſententiae patitur Aduerbio terminari. Hùc refer vſitatam formulam in Votiuis per notas quatuor V. S. L. M. ideſt *Votum Soluit Libens Meritò*, vbi duo Aduerbia claudunt, *Libens* pro libenter, & *Meritò*, contra ſententiam Scioppij ſub perſona Groſippi, quaſi *Merito* adiectiuè ponatur, ſubintellecto *Iure* ſubſtantiuo.

Secundò in Adiectiuum nomen perbellè cadet Inſcriptio, quolibet illud caſu 1. Recto, vt apud Gruterum pag. CCLXXXVII. num. 3.

CCCLXIV.

IMPERATORIBVS . INVICTISSIMIS . FELICISSIMISQ. &c
SENATVS . POPVLVSQ. ROMANVS
VINDICATA REBELLIONE
ET . AFRICAE . RESTITVTIONE
LAETVS

&c pag.

& pag. CCLXX. num. 6.

CCCLXV.

IMP. M. AVRELI . ANTONINI . AVG. &c
T. STATILIVS . CALOCAERVS . NOMENCL. &c
AMPLA . BENEFICIA . DE . INDVLGENTIA
AVGVSTORVM . SVFFRAGIO . PATRIS . EIVS
CONSECVTVS

2. Genitiuo apud eundem pag. CCLXXIX. num. 3.

CCCLXVI.

IMP. CAES. C. VALERIO &c
NVMERVS . MILITVM
CALIGATORVM

3. Datiuo, pag. CXI. num. 6.

CCCLXVII.

GENIO . IOVI . AVG
IOVIA . PORTICV . EIVS . A . FVNDAMENTIS
ABSOLVTA . EXCVLTAQVE
AELIVS . DIONYSIVS . V. C. OPERI . FACIVNDO

Similem in modum toties B. R. N. ideſt *Bono Reipublicae Nato*, & *Principi Indulgentiſſimo* : *Patri Optumo* : *Amico* B. M. ideſt Benemerenti.

4. Accuſatiuo, vt apud Auctorem Inſcript. Sacroſ. vetuſt.

CCCLXVIII.

CASTORI . ET . POLLVCI . DIS . MAGNIS
SVLPITIA . Q. SVLPITII . F. VOTVM . . . . .
OB . FILIVM . SALVTI . RESTITVTVM

5. Ablatiuo, vt in Dedicationibus *Voto ſuſcepto*, vel *Voto ſoluto*. Alibi *Epulo annuo adiecto*.

Tertiò in Subſtantiuum, & ipſum quolibet caſu.

1. Nominatiuo, vt apud Gruterum pag. XLVI. num. 3.

CCCLXIX.

DEO . HERCVLI
IVLIA . MAXIMINA
VOTI . SVI . COMPOS

Item pag. CLXII. n. 9. eſt Inſcriptio Pontis ſupra Danubium

CCCLXX.

PROVIDENTIA
AVG
VERE . PONTIFICIS
VIRTVS . ROMANA
QVID . NON . DOMET
SVB . IVGVM . ECCE
RAPITVR . ET . DA
NVIVS

& ibi curſus vitae ſignatur in clauſula Epitaphiorum. *Vixit Ann. . . . M . . . D . . . Horas ſcit nemo*. Item vbi terminat Nominatiuus agens, praecipuè in breuibus, & Ellipticis, ideſt in queis deſideratur aliquid ad abſolutam ſtructuram.

2. Genit. in ſumma praeſertim breuitate, vt apud Auctorem Inſcript. ſacroſanctae vetuſt.

CCCLXXI.

VOTVM.SILVANO.SOLVIT.LIBENS.MERITO
T. F. DIADVMENVS . LVRNESIANVS
PRAEGVSTATOR . AVGVSTI

Ita frequèns illud : PRINCEPS . IVVENTVTIS . & PATRI . PATRIAE . Et notae illae in Sepulchris L.M. ideſt *Locum monumenti* (ſupple) *ſtatuit*, vel *elegit*.

3. Dat. vt inſcriptio Pontis ad flumen Metaurum:

CCCLXXII.

AETERNI . IMPERATORES
DIOCLETIANVS . ET . MAXIMINVS &c
PONTEM . METAVRO
* ideſt *impoſuerunt*

Simile eſt : OPTIMO . PRINCIPI . Et in Romana inſcriptione Graecè in Inſula Tiberina apud Gruter. LXXI. 1. ΚΑΙ . ΕΥΧΑΡΙΣΤΗΣΕΝ ΔΗΜΟΣΙΑ . ΤΩΙ . ΘΕΩΙ . *Et gratias egit publicè Deo.*

4. Accus. vt ibid. VI. 3. PER. M. SCAVRIANVM . EIVS . PROPRAETOREM item ſaepe : OB . PLVRA . EIVS . IN . SE MERITA , & huiuſmodi paſſim.

5. Ablat. vt ſaepè N. N. Coſs. ideſt *Conſulibus*. Et pag. ibid. LXI. num. 3.

CCCLXXIII.

HAEC . AREA . &c
LITATVRVM . SE . SCIAT
ET . VITVLO . ROBIO . ET . VERRE

toties item : EX . S. C. *Ex Senatus conſulto*. Alibi : PRO . LVDIS : A . FVNDAMENTIS : PROPRIO . SVMPTV : SVA . PECVNIA : DECVRIONVM . POPVLIQVE CONSENSV : EX . VOTO : PLVRIMIS IN . SE . CONLATIS . BENEFICIIS . &c.

Non raro deſinit Elogium in Verbi Subſtantiui monoſyllabum, cùm in ſimplici, breuique memoria, tum illuſtriore ac pleniore ad encomium. Primi generis exemplum apud Auct. Inſcript. Sacroſ. Vetuſt. de quo etiam Gruterus pag. CCCCLV. num. 1.

CCCLXXIV

C. POBLICIO . L. F. BIBVLO . AED
PL. HONORIS . VIRTVTISQ. CAVSA
S. C. POPVLIQ. IVSSV . LOCVS
MONVMENTI . QVO . IPSE . PO
STERIQVE . EIVS . INFERRENTVR
PVBLICE . DATVS . EST

Repete ex Cap. I. huiuſce libri, Memb. VI. Art. II. Epitaphium, cuius initiũ : *Ioannes de Cabaniglis*:

Secundi generis haec eſto, apud Gruter. XLII. 7.

CCCLXXVI

HERCVLES . ET . PHILOTES
ALCIDES . HOMINVM . VICTOR
DOMINATORQVE . FERARVM
PHILOTHERIS . AMICVS . ADES
TV . ILLI . AEQVE . AMOR . ES

Illuſtrior illa, & quamuis hiſtorica, Panegyrico ſimilis : malumus autem exſcribere ex Auct. libri Inſcr. Sacr. Vet. quàm ex Grut. CCCCVI. 7.

CCCLXXVII.

Q. FABIVS . MAXIMVS . DICTATOR . BIS
COS. V. CENSOR . INTERREX . AVGVR
PRIMO . LIGVRES . SVBEGIT . EX . IIS
TRIVMPHAVIT . TERTIO . ET
QVARTO . HANNIBALEM . CVM
PLVRIBVS . VICTORIIS . FEROCEM
SVBSEQVENDO . COERCVIT . MAGI
STRO . EQVITVM . MINVTIO . CVIVS
POPVLVS . IMPERIVM . CVM . DICTA
TORIS . IMPERIO . AEQVAVERAT . EXER
CITV . PROFLIGATO . SVBVENIT . ET . EO
NOMINE.AB.EXERCITV.MINVTIANO.PA
TER . APPELLATVS . EST . COS. V
TARENTVM . CEPIT . TRIVMPHAVIT
DVX . AETATIS . SVAE . CAV
TISS. ET . MILITARIS . REI . PE
RITISS. HABITVS . EST . PRIN
CEPS . IN . SENATV . DVOBVS
LVSTRIS . LECTVS . EST

Adde Verba Actionis paſſim obuia in hiſtoricis inſcriptionibus, *Fecit*, *Poſuit*, *Iuſſit*, *Curauit*, *Dedicauit*, *Reſtituit*, *Refecit*, *Votum ſoluit*, & huiuſmodi.

Denique Interdum Coniunctione fit clauſula, ſed non niſi ad exemplum veterum fiat imitatio. vt apud Gruterum (legitur Romae) pag. CCCX. num. 5.

CCCLXXVIII.

FL. MANILIAE . V. V. MAXIMAE &c   * *Virgini Veſtali*
OB . EXIMIAM . ERGA . SE . PIETATEM . PRAESTANTIAMQVE

Et CXCVI. 4.

CCCLXXIX.

TI . CLAVDIVS
DRVSI . F. CAISAR
AVG. GERMANICVS
PONT. MAX. TRIB. POT
VIIII. IMP. XVI. COS. IIII
CENSOR . P. P
AVCTIS . POPVLI . ROMANI
FINIBVS . POMERIVM
AMPLIAVIT . TERMINAVITQ

ELOGII

ELOGII ARGVTIA LIBER VI.

PROLVSIO.

HAnc partem Elogij tralatitiè vt obiremus, ſuadebat principio corruptela ingeniorum noſtratium, totum illud, quo conſtant, vigoris atque neruorum, contentiſſimè abſumentium in perſequendis omne genus acuminibus, ac ſalibus orationis: Ne nos fortè coeptis illorum infauſtis videremur applaudere, atque vltrò in praeceps labentibus inſiſtere ampliùs ſubiectis ſtimulis, vbi fraena nulla ſint ſatis. Nunc enimuerò vrgeri viſi ſumus, quùm in hoc argumento ingenijs non niſi ſublimibus aſſequendo, nuperrimè, & quidem inſperatò locum occupauerit princeps amoenitatis literariae Emanuel Theſaurus; qui ſi minus noſtrum praeuertit ſtudium, ſpem certè ſtudioſis ademit omnem, maiore aut cum copia ſcribendi, aut gloria. Veruntamen rem penſitantes maturiùs, nihil nos ab inſtituto retardauit; quippe quod aliam pergit viam, neque relinquit integrum, operam Elogiaſtae multò grauiſſimam, in primiſque ſpectabilem, ire neglectum; Et quae hoc magis tempore non tam praeceptores quaerit, qui Argutiarum inueniendarum edoceant modum; quàm cenſores, qui modum praeſcribant inuentis: admoneantque hos Polycratas, vt arridentem benigniùs in ea meditatione felicitatem ingenij, etiam atque etiam temperare ſtudeant, abiectis vltrò, nec ſemel hiſce lapillis, quanticunque nitoris ac pretij: ita enim curſus initi, & nominis cenſum literatorum quaerentis, velle fortunam firmari. Neque porrò nos veſtigijs alijs inſiſtemus in praeſens, quàm quae initio operis poſuimus: nimirum ibimus conquiſitum Elogio formas Argutiarum decentes ex cognato ipſius Epigrammate. Sed priùs quàm fontes illarum aperiamus, muniendum putamus aditum quibuſdam Monitis de vſu earundem generatim, in gratiam Tyrunculorum, ne ſcilicet hi totis ad hanc vnam partem collectis viribus (quod ferè incautis vſuuenit) negotium denique poenitendum ineant; noſque de repetundis, prae quibus pecuniae flocci ſunt, Tempore, atque Opera damnatos, aqua, & igni iuſtè interdicant.

CAPVT I.

De vſu Argutiarum generatim

Monitum I.

Argutiarum artem fere arte carere.

FIdem huic dicto non alius fecerit, quàm recens eius Artis Magiſter Emanuel Theſaurus, à nobis impari ſemper laude productus; opere nimirum illo admirando, & (vt is ad Amicos) quadrageſimum in annum preſſo, quod ſtylo Etruſcorum limatiſſimo cõpoſitum inſcripſit *CANOCCHIALE ARISTOTELICO, ò ſia Idea delle Argutezze Heroiche*. Hìc itaque ſub initium primi Capitis in hanc ſententiam diſſerit; reperiſſe ſe originem Argutiarum apud priſcos Auctores perobſcuram; legiſſe ſcripta complura Oratoria, Epica, Lyrica, Scenica, Inſcriptioneſque complures floribus huiuſcemodi ſcitè conſperſas: Authores porrò ipſos ſcribere argutè ſciſſe, Argutiam neſciſſe; Homero quidem caeco ſimiles, qui, vt ferunt, Roſeum quid eſſet, tenebat, non item quid Roſa: Quin Tullium ipſum, cui argutè loqui

 perinde

perinde erat, atque os reſerare, poſt multam diſſertationem ita demū decernere: *Magiſtram Argutiarum Naturam* eſſe, non Artem: Atque is tametſi faſcem proferat acutè dictorum, non indicaſſe propterea, neque noſſe, quo illa ſolo enata ſint; quaſi quemadmodum Nili, non ſecus Argutiarum fuerint comperta flumina, incompertus fons: quinimò, inquit, illos ridentem, qui rationis Ridiculorum perueſtigandae ſuſceperant curam, nihil in illa tandem arte offendiſſe ridiculi, praeter ſtudium ipſorum inſulſum, conantium eam ad Artis redigere rationem. Ita ferè Theſaurus. A quo tamen productus per interpretē recentem Tullius mauult hoc loco ipſe audiri; adeò vocale eſt eius oraculum pro noſtro Monito, tantaeque in re literaria authoritatis, vt ipſo loquente ſileant alij oporteat; ac de quo Fabius Quintilianus Cap.I. lib.III. Inſtitut.Orat., oraculum ſcilicet alterum Oratoriae, *Praecipuum* inquit *lumen ſicut eloquentiae, ita praeceptis quoque eius dedit vnicum apud nos ſpecimen orandi, docendique oratorias artes M.Tullius.* Quid ergo hic fatur? locus occurrit II. de Oratore in haec verba: *Suauis autem eſt, & vehementer ſaepe vtilis* ***iocus***, *&* ***facetiae***, *quae etiam ſi alia omnia tradi arte poſſunt,* ***naturae*** *ſunt* ***propria*** *certè,* ***neq. vllam artem deſiderant.*** *In quibus tu longè alijs mea ſententia, Caeſar, excellis. quò magis mihi etiam teſtis eſſe potes, aut* ***nullam*** *eſſe* ***artem ſalis***, *aut ſi qua eſt, eam nos tu potiſſimùm docebis. Ego verò, inquit Caeſar, omni de re facetiùs puto poſſe ab homine non inurbano, quàm de ipſis facetijs diſputari. Itaque cùm quoſdam Graecos inſcriptos libros eſſe vidiſſem de Ridiculis, nonnullam in ſpem veneram poſſe me aliquid ex iſtis diſcere: inueni autem ridicula, & ſalſa multa Graecorum. Nam & Siculi in eo genere, & Rhodij, & Byzantij, & praeter caeteros Attici excellunt. Sed qui eius rei rationem quandam conati ſunt, artemq. tradere, ſic inſulſi extiterunt, vt nihil aliud eorum, niſi ipſa inſulſitas rideatur.* Et poſt multa, idem argumentum tractans: *Tempus igitur dicendi prudentia, & grauitate moderabimur, quarum vtinam artem aliquam haberemus; ſed* ***omnia natura eſt.*** Haec Tullius luculentiſſimè, ac diſertiſſimè vt ſemper; & cui (ſi quis hoc loco refragetur) liceat ſubſcribere, αὐτὸς ἔφα. Ac exquirenti ſolum Argutiarum natiuum, & fontem ſalium, nonnè digito penè Naturam commonſtrat, Artem eximit? Id autem certè ex ſenſu primùm ſuo, tùm Caeſaris ea in re verſatiſſimi teſtimonio, quaſi diremtam velit abſque prouocatione controuerſiam. Atqui ſint, dices, Naturae ſales, quamobrem non ad Artem, vt in alijs videmus, redigantur? Nonne & Eloqui, & Philoſophari, & Mederi, & alia tàm multa Magiſtram primùm Naturam habuere, cui tamen ad faciliorem vſum omnium mortalium, atque ad laboris compendium placuit Artem ſubrogare? Planè inquam: Sed habent Argutiae, quae ſapiunt magis, longè aliam, ac reliqua ſtudia, rationem; ſcilicet opus ferè extemporale, & è re in praeſens nata procudendum, in quo propterea vix ingeri Ars poſſit. Id quod luculenter tradiderat Quintilianus Inſt. Orat. lib. VI. Cap. III. de Vrbanitate diſſerens in haec verba. *Hoc quidquid eſt, vt non auſim dicere carere omninò arte, quia nonnullam obſeruationem habent, ſuntque ad id pertinentia & à Graecis, & à Latinis compoſita praecepta; ita planè affirmo praecipuè poſitum eſſe in* ***natura***, *&* ***occaſione***. Et quidē quanti ſit Quintiliani authoritas in hac parte vrbanitatis & ſalium, declarat Princeps vatum argutorum Martialis, eundem inſtituendae Rhetoricis praeceptis iuuentuti per annos viginti Romae occupatum ita compellans lib. II. Epigram.

Quintiliane, vagae mod rator ſumme iuuentae,
Gloria Romanae Quintiliane togae

Quid, quòd habemus rem ipſam loquentem tam multis ijs experimentis, quae apud Emanuelem Theſaurum allata videas? Quid ibi aliud praedicat (vt caetera ſileamus) hiſtoria de Labieno, quem, quòd eſſet irae impotentiſſimus, ſalsè Rabienum dictitabat vulgus? Rudis hercle vulgus, non callens literas, non metaphoras doctus, neque alliterationes. Quid illud de Claudio Tiberio Nerone? Qui vino cùm vteretur mero, & calido, peramoenè ab exercitu, turba ſcilicet Muſis infenſa, Caldus, Biberius Mero appellari eoeptus fuit. Ac de occaſione quidem nonne loco memorato Quintilianus obſeruauit, quòd *ea ſaepe adiuti non indocti modò, ſed etiam ruſtici ſalsè dicant in eum, quiſquis aliquid dixerit prior*, inſtinctu, dicimus nos, genij laſciuientis, & amuſi. Etiam illa, quae expoliti artibus homines, & ad omnem inſtructi

amoenitatem

amoenitatem de repente interdum, ac nullo penitus ad artem intentu mentis effundunt, illa inquam quis neget naturae quodam impetu caeco excidere? Eius notae eſt, quod refert Cicero II. de Orat. in hanc quidem noſtram ſententiam, aiens: *Quid enim hic meus frater ab arte adiuuari potuit, cùm à Philippo interrogatus quid latraret, Furem ſe videre reſpondit.* Eiuſdem notae eſt, cuius meminit ipſe Theſaurus de Iure conſulto, qui cùm iuuenes complures cerneret aſcriptos Pariſienſi Senatui, inclamaſſe fertur: *Iam non eſt hic Senatus, ſed Iuuenatus.* Et ille dialogus apud eundem extemporalis quàm valide rem euincit? An tu quaeſo dederis praeceptionibus Artis locum, vbi tumultuario conatu ſolùm hinc inde militabit ingenium? Quandoquidem conquerentem de ſua inopia Archipoëtam Leo X. Pontifex Maximus interrogauit praeſenti carmine

Dic mihi, cur DITES non cernimus eſſe Poëtas?

ad quem ſubitò Archipoëta cum alluſione ad fabulam, ſimul & ſalſa ambiguitate hexametro tale reddidit pentametrum

DIS fierem, fieret ſi mihi mater OPIS

Vix, cùm ille peracutè ſuſcepit:

Culpa tua eſt: vitio ignaui nam carminis OPEM,
Quam reliqui longam, tu facis eſſe breuem.

Hic autem quis non videt, quàm longè ab fuerit Artis opera? quamque ſicut nullum interrogando, reſpondendoque momentum praeceſſit temporis, ita ſtudium nullum interceſſiſſe dici poſſit.

Quamobrem ſit licèt deſperata ex Theſauro Argutiarum Ars, quippe ius totum ſibi vendicat Natura: Sit amplius eſſentia ignota, origo abdita cuique optimo Scriptorum: cui tamen mirum (vt opere toto ſuo ipſe Theſaurus) quàm familiaris eſt Argutiarum vſus, quàm promptus, quàm obuius: vt vel hinc maximè agnoſcas, eſſe ipſas foetus Diuinae mentis, non humani opificij. Quamquam ne deſperatam priſcis quidem hanc artem dixerimus magis, quàm neglectam: qui, quod afferrent ex arte ad cudendas argutias, vix quidquam habebant reliquum, ſola ferè Natura contenti. Quòd autem ope Ariſtotelica Theſaurus deprehenderit alta demerſam caligine hanc Artem, quòd in lucem traxerit, quòd tractatu accuratiſſimo, operoſiſſimoque polierit, ad vſumque communem accommodauerit, immortalem (quis neget?) gratiam collegit Reipublicae literariae, vt qui ingenia obeſa, nec nata acuminibus, erudire ſtuduit ad ea ſectanda, ſin minus expedire; daturus praeceptis ſuis praeter intelligentiam, ipſam quoque (ſi licuiſſet) facilitatem, quam nos profectò à Natura duntaxat haurimus, alacres ſortiti genios, ac viuaces. Claudimus hoc Monitum authoritate ſummi Elogiaſtae noſtri temporis, Ioannis Andreae Alberti Nicienſis è Societate Ieſu, in Vitis, & Elogijs XII. Patrum; cuius eſt ad Lectorem Praeſcriptio per omnes diſcurrens Veneres, Naturae autem meros luſus profeſſus, non induſtriae, videlicet.

I:

Habes Lector
geſta ac Elogia XII. Patrum
prolata non quia noua, ſed
quia nota
Non ſuſcepta vt laudarentur, quia
laudata cum geſta ſunt
Si Amicus es, praemoneri non indiges
Sin autem, Etſi monuero
nihil feci
Quiſquis es, vel caſtigator eris audaciae
vel imbecillitatem benignitate
ſuffulcies
Non horreſcent aculeos in aculeis nata
Calcari non abnuent licet flores
Pratenſes ſunt
Nullae hic Artis induſtriae
Sunt meri luſus naturae
Ite igitur flores mei
& ſi carpi contigerit
flores eſtis.

Monitum II.

Arte ſumma hebetari Argutias, ac perdi.

GEminum recipit ſenſum appellatio Artis ſummae. Vtrumuis autem vſurpes, Argutias corruptas habes. Primùm, ſi eae plus iuſto frequententur: nam vſu magiſtro nunquam

quam in hac re plus perditur Artis, quàm cùm plus Artis affertur. Et meritò. Nam, cedo, ſunt tibi Argutiae in oratione pro ſalibus? condire igitur debes modicè quidem inſperſis; non largè, non liberaliter ingeſtis: Sunt tibi pro melle? nihil eius aſſiduitate ingratius: Sunt pro aculeis? crebri non pungunt, ſed laniant: Sunt pro gemmis? niſi numerabiles obruunt opus, non diſtinguunt: Sunt ſcitamenta? ſi intemperanter vſurpes, miniſtrabunt pro delicijs nauſeam. Teſtis producitur Ariſtotiles à Theſauro noſtro, lib. III. Rhet. Cap. III. quòd huic videtur Alcidamas frigidus; propterea quòd Argutijs non quaſi bellarijs vtitur, ſed quaſi cibarijs. A nobis teſtis alter, neque minoris inter Latinos authoritatis Quintilianus, qui nomine ſententiarum Argutias tractans lib. VIII. Inſt. Orat. cap. V. ſic praecipit: *Denſitas earum obſtat inuicem, vt in ſatis omnibus, fructibuſque arborum nihil ad iuſtam magnitudinem adoleſcere poteſt, quod loco, in quem creſcat, caret: Nec pictura, in qua nihil circunlitum eſt, eminet: ideoque artifices etiam cùm plura in vnam tabulam opera contulerunt, ſpatijs diſtinguunt, nè vmbrae in corpora cadant. Facit res eadem conciſam quoque orationem. Subſiſtit enim omnis ſententia, ideoque poſt eam vtique aliud eſt initium. Vnde ſoluta fere oratio, & è ſingulis non membris, ſed fruſtis collata, ſtructura caret, cùm illa rotunda, & vndique circunciſa inſiſtere inuicem nequeant.* Similia porrò pergit afferre de colore ipſo dicendi, è crebris ſententijs vitium contrahente. Fauet huic loco querela Senecae in Praefat. Controuerſ. dicentis: *Nihil eſt iniquius his, qui nuſquam putant eſſe ſubtilitatem, niſi vbi nihil eſt, praeter ſubtilitatem.*

Altero ſenſu à nobis exponitur Ars ſumma, cùm nimirum deſidente ingenio, quibus fortè ad Argutias parcior fuit Natura, totum petitur ex Arte praeſidium. Quò fit, vt ſaepe, vbi vſus non venit, argutetur. Quàm verò indecorè? quàm improbè? Niſi putent hi hominum, Argutam eſſe orationem oportere. Quod tamen praecauit Quintilianus loco nuper allegato: *Ego verò*, inquiens, *haec lumina orationis velut oculos quoſdam eſſe Eloquentiae credo. Sed neque oculos eſſe toto corpore velim, ne caetera membra officium ſuum perdant: &, ſi neceſſe ſit, veterem illum horrorem dicendi malim, quàm iſtam nouam licentiam.* Dignum eſt autem animaduerſione, admiſſum iri faciliùs à Quintiliano horrorem dicendi veterem, quàm licentiam recentem, adfectationemque putidam ſchematum. Nam in quae monſtra ſaepe tranſeant exquiſitae curioſiùs vrbanitates huiuſmodi, dabimus infrà, vbi de Vitioſis Argutijs. Ars ergo & Artem diſſimulet oportet, & ſimulet Naturam; id quod diſertè monet Nicolaus Cauſinus Rhetor grauiſſimus, De Eloq. ſacra, & Hum. lib. VII. cap. XVIII. cuius ipſa verba operae eſt referre, videlicet: *Tenendus eſt in vſu (figurarum) modus, ne ſi nimiae fuerint, iiſdem oratio potiùs oblini, quàm diſtingui videatur. Neſcio enim quo pacto non modò in rebus humanis, ſed & in verbis contingere ſolet, vt ſumma voluptas faſtidio ſit vicina; & pulcherrima quaeque ſi fuerint communiora, ſatietate impleant animos potiùs, quàm delectent. Itaque & in Mundo recurſantes diei ac noctis vices lucem efficiunt mortalibus iucundiorem, & Annum temperant hyemis rigor, feruor aeſtatis, amoenus veris decor, & autumni grata maturitas. Quae à Deo in Natura primùm condita, Orator in verbis (ſunt enim quaſi Naturae imagines) imitabitur, nec orationem figuris ſarciet potiùs, quàm decorabit.* Ita Cauſinus; Cuius cùm ſuperiore auctoritas quidni vèl ſtupidis perſuaſum fecerit, vt ab Argutiarum luxu immodico ſibi tandem temperent? Ac Elogiaſtae hoc magis intererit, qui, non vt Orator dictionem intendit, quam contingat aliquando haberi ex tempore; verùm Scripturam ſaepè, ſaepiùs etiam Scalpturam, opus ſcilicet meditatum, commentatumque, in quo vbi crebras per argutias luſeris, arguaris neceſſe eſt, ipſas affectauiſſe, atque enixè conquiſiuiſſe. Tùm verò his te volo. Quae meditatae noſcuntur Argutiae, leporem perdunt; hinc enim grauiter monet Quintilianus, lib. VI. Cap. IV. *Ne praeparatum, & domo allatum videatur quod dicimus:* Item: *Oratorem vt dicere vrbanè volò, ita videri affectare id planè nolo.* Cui conſonat Cicero: *Cauendum eſt*, aiens, *ne accerſitum dictum videatur.* Idem ipſe de Ridiculis, quae ſpecies ſunt Argutiarum: *Quae meditata putantur, minùs ridentur.* Cur autem minùs ridentur, niſi quòd deſipiſcunt? Atqui hoc affectatio praeſtat cognita, & aperta meditatio. Si haec in Oratorem cadunt, cui diſſimulare eſt promptum dictionem extemporalem, quid fiet Elogiaſtae

meditato?

meditato? quid, cuius contentum ſtudium, & exacta elucubratio non calamo duntaxat, ſed & penicillo, & ſcalpro conuincitur? Hinc vt repentinos intelligamus eſſe ſales oportere, obſeruat Quintilianus, venuſtiora longè omnia in reſpondendo, quàm in prouocando exiſtere: At prouocare quidem licet meditato; reſpondere autem non niſi ſubitario; adeò vt ſi vel paululùm haereas, honorem plauſus omnem amiſeris. Obſignet Monitum idem Rhetor lib. XII. cap. X. ſic habens: *Plures eruditorum aliam eſſe dicendi rationem, aliam ſcribendi putauerunt: ideoque in agendo clariſſimos quoſdam nihil poſteritati, manſuriſque mox literis reliquiſſe, vt Periclem & Demadem: rurſus alios ad componendum optimos actionibus idoneos non fuiſſe, vt Iſocratem: praeterea in agendo plus impetus poſſe plerumque & petitas vel paulo licentius voluptates: commouendos enim eſſe, docendoſque animos imperitorum. At quod libris dedicatur, & in exemplum editur, terſum ac limatum, & ad legem ac regulam compoſitum eſſe oportere, quia veniat in manus doctorum, & Iudices artis habeat artifices.* En tibi diſcrimen inter extemporalem, & meditatum ſermonem; dictum inter, & ſcriptum: quò magis inſculptum in marmore ad conſpectum publicum poſterorum, doctorum praeſertim? quae igitur ſanctitas tenenda legis ſcribendi? quae frugalitas? quae caſtitas in petendis cogendiſque argutiarum voluptatibus?

Monitum III.

Argutijs venandis proniora fere eſſe, quò leuiora ingenia.

EST id conſectarium ad praecedens; namque hoc pleriſque vſuuenit, Vbi ingenij plurimum, ibi minimum iudicij. Eſſe autem negabit nemo, non opus ſolùm ingenij, ſed ſtudium, ſed conatum excogitare lepores, commentari è re nata facetias, fundere vèl de improuiſo dicteria. Ex quo fit planum ita deducere cum Quintiliano lib. VIII. Inſtit. orat. cap. V. *Quod ſolas captanti ſententias, multas neceſſe eſt dicere leues, frigidas, ineptas: Non enim poteſt eſſe delectus, vbi numero laboratur.* Leues porrò dicit ſententias, qualis cedo ingenij, praeterquam leuis argumenta? Eaſdem ſynonymo *Inanes* reddit Auguſtus, qui (vt apud Sueton. in Aug. cap. LXXXVI.) perſtringens Antonij ſtylum *An*, inquit, *Aſiaticorum inanibus ſententijs, verborum volubilitas in ſermonem noſtrum transferenda?* Siquidem Aſianos Oratores eiuſce dicendi formae ſatores agnoſcit Cicero in Bruto; quos & Quintilianus in Proëmio libri VIII. corruptis accenſet, notatque defectos iudicio. Ibidem illos ſugillat, qui *quodam inani circa voces ſtudio ſeneſcunt, idque faciunt*, inquit, *gratia decoris, quod eſt in dicendo pulcherrimum: ſed cùm ſequitur, non cùm affectatur.* Atque hoc habent obſeruandum, qui ſe exemplo tueri volunt Ciceronis, cui *aliquando, ſed non in agendo* (vt adnotat Quintilianus lib. VI. cap. III.) *exciderunt, vt cùm is candidatus, qui coqui filius habebatur, coram eo ſuffragium ab alio peteret, Ego quoque*, inquit, *tibi iure fauebo.* Ex quo liquet, aliud eſſe venari te argutias, aliud tibi excidere; & aliud in priuato ſermone ex vrbanitate, aliud in concione ex artis induſtria. Ad non quaeſitos autem ſales, ſed ſponte occurrentes, ſpectat Ciceronis II. de Orat. locus de Curiana defenſione contra Scaeuolam, *quae tota redundauit hilaritate quadam, & ioco, Dicta illa breuia non habuit. Parcebat enim aduerſarij dignitati, in quo ipſo ſeruabat ſuam; quod eſt hominibus facetis, & dicacibus difficillimum, habere hominum rationem, & temporum, & ea quae occurrant, cùm ſalſiſſime dici poſſint, tenere. Itaque nonnulli ridiculi homines hoc ipſum non inſulſe interpretantur. Dicere enim aiunt Ennium Flammam à ſapiente faciliùs ore inardente opprimi, quàm bona dicta teneant; haec ſcilicet bona dicta, quae ſalſa ſint.* Intereſt autem non mediocriter, vt ſibi Tyrones infigant altiùs in mente, quae in allegato Proëmio ille ſubdit, videlicet: *Corpora ſana, & integri ſanguinis, & exercitatione firmata ex ijſdem his ſpeciem accipiunt, ex quibus vires. Namque & colorata, & adſtricta, & lacertis expreſſa ſunt.* Quo nos in genere vnum admiramur in paucis Elogiaſtis Octauium Ferrarium Patricium Mediolanenſem, cuius in raris paginis libelli Elogiorum cernimus

mus abſolutiſſimum typum, quem grandi in volumine vix habeat alter inchoatum; nimium quantum his abſimilem, quos carpit in ſubſequentibus Quintilianus: *Sed eadem* (corpora) *ſi quis vulſa, atque fucata muliebriter comat, foediſſima ſint ipſo formae labore. Et cultus conceſſus, atque magnificus addit hominibus, vt Graeco verſu teſtatum eſt, authoritatem: at muliebris & luxurioſus non corpus exornat, ſed detegit mentem* (mentem inquit detegit? qualem niſi leuem? niſi effoeminatam? Idcirco ſubijcit) *ſimiliter illa translucida, & verſicolor quorundam elocutio res ipſas effoeminat, quae illo verborum habitu veſtiuntur. Curam ergo verborum, rerum volo eſſe ſolicitudinem* &c. Quid etiam intendit aliud cenſura Senecae Epiſt. XXXIII. vbi *Viro captare floſculos turpe eſſe* dixit? Obliquè certè haecce ingenia puerili notabat leuitate: vt aetatum diſcrimen habere diſcant; & quae in impubere commendantur argutiolae crebrae, laſciuientem aetatulam haud dedecentes, eas pudeat cernere in homine adulto ad ſeria, ad grauia vocato: Quid verò in illo dicemus, qui amplius ducere familiam affectat? Quadrabit in hunc altera eiuſdem cenſura Epiſt. IV. *Adhuc non pueritia in nobis; ſed, quod grauius eſt, puerilitas remanet: & hoc quidem peius eſt, quod authoritatem habemus ſenum, vitia puerorum: nec puerorum tantùm, ſed infantium.* Infantium quippe eſt (ſubijcimus ipſi) bellarijs teneri, Infantium planè, quibus nondum ſermo formatus. Caeterùm leuitatem iſtam ingenij depereuntis argutias non alius fortaſſis commodiore expinxit epitheto, quàm Petronius Sat. cap. I. in haec verba: *Nuper ventoſa iſthaec, & enormis loquacitas, Athenas ex Aſia commigrauit, animoſque iuuenum ad maiora ſurgentes, velut peſtilenti quodam ſidere afflauit, ſimulque corrupta eloquentiae regula ſtetit, & obmutuit.* Neque verò eſt tibi, cur neges, iſta ad rem noſtram accommodari; cùm, vti caetera ſcribendi genera, ita Elogiaſticum, cuius materia res quoquè omnes ambit, communibus ſubſit legibus doctorum, ipſa Naturae obſeruatione ſancitis. Plura adhuc in hunc ſenſum inferiùs, cùm de Vitioſis Argutijs.

Monitum IV.

Poëticis ludibundum Argutijs Elogiaſten perſaepe ineptire.

DIſtinctum parumper hìc eſſe volumus Elogium ab Epigrammate, ſeu (meliùs) ſolutum à ſtricto. Quamquam ne ſtrictum quidem excludimus, ſi locum Inſcriptionis gerat in argumento ſerio. Eſt ergo quod prae caeteris animaduertant Tyrones, aliam Poëtae, aliam Elogiaſtae in vſu ſalium eſſe perſonam, neque eandem vnam arenam vtrique patere; vt, quod ille ſibi ſuo vendicat iure, continuò huic arbitremur eſſe permiſſum. Quàm multa in carmine acutè faceteque dicta probantur eruditis, quae, ſi alibi locentur, ſordeant? Exemplo ſit Valerius Martialis in Amphibologia vocis *Ficus*, ad Caecilianum lib. I. Epigr. XXX. ita ludens:

Cùm dixi ficus, rides quaſi barbara verba,
Et dici ficos, Caeciliane, iubes.
Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſci,
Dicemus ficos, Caeciliane, tuos.

Siquidem correptus ab eo Martialis, quòd nomen *ficus* pro fructu vſurparet in quarta etiam declinatione, ac foeminino genere, ſicut ipſum arboris nomen; contendente Caeciliano, ſecundae duntaxat eſſe, ac maſculini; arguit Poëta illius inſcitiam, & ſemet emendare ſimulans, ſugillat argutè obſcaenum Caeciliani morbum. Neque feſtiuus minùs eſt in Paranomaſia lib. I. Epigr. LXVI. videlicet:

Litigat, & podagra Diodorus, Flacce, laborat:
Sed nil patrono porrigit; haec chiragra eſt.

Haec, vt ſuperior, in perſona Poëtae haud dubiè colligunt doctorum plauſum. Neque his minus Etymologia lib. VIII. Epigr. XIII.

Morio dictus erat: viginti millibus emi s
Redde mihi numos, Gargiliane: ſapit.

nempe cum huic mancipio titulus eſſet, non res (eſt enim *morio* fatuus) pretium à venditore repetebat. quamquam non in eo totum acumen conſiſtit, ſed in clauſula inexpectata. Conſule Vinc. Gallum opuſc. de Epigr. Haec inquam in Poëtae perſona ſapiunt, deſipiunt autem in Elogiaſtae. Quod vt planius fiat, accipe

à ſummo

à ſummo Oratorum inſtitutore Quintiliano cenſuram perquàm luculentam; & quae ille de Oratore diſſerit, tu trahe ad Elogiaſten, atque ad generis cuiuſcunque ſoluti ſcriptorem. Itaquè de figuris verborum praecipiens lib. IX. cap. III. *Aliter quoquè* (ait) *voces aut eaedem diuerſa in ſignificatione ponuntur, aut productione tantùm, vel correptione mutatae; quod etiam in iocis frigidum, equidem tradi inter praecepta miror, eorumque exempla vitandi potiùs, quàm imitandi gratia pono. Amari iucundum eſt, ſi curetur, ne quid inſit amari. Auium dulcedo ad auium ducit:* & apud Ouidium ludentem:

Cur ego non dicam, Furia, te furiam?

Hactenùs Quinctilianus: qui ſi attentè à noſtris audiretur, nae ille tantus ad pueriles floſculos pruritus reſidéret. Atque ne eum hominem tetricum fortè ſuſpicere in Poëtas, fecerit ipſius Martialis de ſeſe profeſſio. Nam is, cùm non reſpuat celebrari lib. I. Epigr. I.

toto notus in Orbe Martialis
argutis Epigrammaton libellis:

nihilo tamen minùs lib. II. Epigr. I. de librario, qui Epigrammatum libros ab ſe deſcribebat, canere non veretur

nec tantùm nugis ſeruiet ille meis.

& lib. IX. Epigr. I. quod ſub imagine ſua iubet inſcribi in Bibliotheca Stertinij

Ille ego ſum nulli nugarum laude ſecundus.

Multa quoquè conceſſa Comicis, ex perſonarum decoro. Sed numnàm ſeruum Elogiaſten eſſe volumus, aut ſcurram, aut morionem, vt ipſum ſimili diſciplina imbuendum putemus? Non enim hunc minùs, quàm (quod tradit Cicero II. de Orat.) Oratorem temperantia, & raritas dictorum diſtinguit à ſcurra. Hoc quidem licet interpretari, niſi ſi ſtudioſè homo eius conditionis referendus ſit Author Inſcriptionis, cuius exemplum neque deſiderat antiquitas, ita tamen iocis modeſtum, alliterationibus temperatum, in perſona autem Paraſiti, vt & is ſerioſus quodammodo prae noſtratibus multis videri poſſit, & noſtrates prae illo Paraſiti. Inſcriptio verò eſt Polenſis in Iſtria, citata apud Gruterum pag. CCCXXIX. quae hìc exſcribi poſtulat ad fidem noſtri Moniti.

II.

VIATORES . CIVES . OPTVMI . VEL . ADVENAE
SIVE . BINI . SIVE . SINGVLI . INCEDITIS
SIVE . TVRMATIM . QVOD . MAGIS . ERIT . GRATIAE
SISTITE . OBFIRMATE . GRESSVM . NEC . MIREMINI
SI . MORAMINI . ALIQVANTISPER
DICACVLVS . EQVIDEM . FVI . SVCCINCTVS
SERMO . DARI . VOBIS . NON . POTEST
IVVAT . VOBISCVM . ESSE . AC . AB . ORE . MEO
PENDVLOS . DETINERE . VT . IVVIT . SEMPER
SAXVM . HOC . VOS . VOCAT . QVID . INQVAM
VIVVS . ASSVEVI . PRVDENS . IMPRVDENS
MORTVVS . ITEM . VOS . FALLO . NAM . NON
VOS . VOCAT . QVOD . VACAT . ORE . VERVM
IS . QVOIVS . CINIS . HIC . LATET . OLIM
QVOM . POTVIT . NVNC . HVC . VOS . VOCARI
VOLVIT . VALVITQVE . HOC . HAEC . OLIM
SVA . VOLVNTAS . VOLENTES . VOS . LEGERE
HOC . SCRIPTVM . VAH . QVID . LOQVOR
IMMO . SCVLPTVM . QVAM . AEGRE . VERITAS
ADHVC . SE . MECVM . CONCILIAT . NAM
NEQVE . HIC . ATRAMENTVM . VEL . PAPYRVS
AVT . MEMBRANA . VLLA . ADHVC
SED . MALLEOLO . ET . CELTE . LITERATVS
SILEX . SILENS . ADHVC . QVID . HIC . LATET
LATE . QVOD . EGO . EFFERRI . ET EFFARI
GESTIO . SERTIVS . POLENSIS . PARASITVS
HISTRIO . VESTER . FESTIVISSIMVS
HEIC . CVBO . HOC . VNVM . QVIDEM
TANDEM . SPONTE . DICTVM . VERVM . EST
SIQVIS . DVBITAT . HANCINE . OLFACIAT

HVMVM

HVMVM . OLET . TEMETVM . ET . FLOREM
VINI . VETERIS . QVO . SATVR . SATIS
IVVENIS . HAVSI . AT . SI . VEXI . VITAM
TAM . VOBIS . GRATAM . QVAM . NOTAM
VRBI . ET . ORBI . NON . MINVS . MVNVS
HOC . A . VOBIS . IMPETREM . OPORTET
ADESTE . MIHI . ET . FAVETE
EDICTOQVE . HVIC . VOS . SVBSCRIBITE
ET . OBSIGNATE
SIBI . VESICAM . ONVSTAM . SENSERIT
DOMVM . SVAM . ONVS . HOC . REPORTET
IN . CLOACAM . SI . VERO . FESTINVS . FVERIT
CITERIOR . VEL . VLTERIOR . HOC . LOCO
PRO . RELIGIONE . SE . EVACVET
QVI . NON . PARVERIT . HAEC . MVLTA . ILLI . ESTO
TESTE . ALTERO . VT . CAREAT
CANES . QVOQVE . CAESI . FVSTIBVS
ET . SAXIS . EDICTVM . HOC . SENTIANT
AFFVISTIS . FAVISTIS . ET . OBSIGNASTIS
TENEO . QVOMODO . RISVM . VOBIS . DARE . SITIO
HVI . SENTIO . DICTVM . VOLVI . ESSE
SED . QVID . HOC . EST . QVOD . TAM . FAMILIARITER
ISTVC . PROCEDIT . VERITAS . HAC . PROFECTO
CONTAGIONE . MEI . SITIT . IPSA . QVOQVE
ET . MIHI . SVPPARASITATVR
QVAE . VLTRO . POTVM . INVOCATA . ADVENIT
NVNC . SI . VRBANI . PERHIBERI . VVLTIS
ET . VERITATI . SVPPARASITANTI
ET . ARENTI . MEO . CINERI . CANTHARO
PIACVLVM . VINARIVM . FESTINATE
POST . VALETE . ABITE . IN . REM . VESTRAM
VIATORES . OPTVMI . HIS . NVGIS . AMBAGIBVS
CONDONATI . POSTVMIS

Confer, ſi placet, hanc iocoſam, & ludicram Inſcriptionem cum ſerijs multis noſtri temporis: quò pluribus illas videbis confertas ac ſaginatas iocis, maximè, quibus nihil ſcurrilius eſt, alliterationibus? At aliter, inquies, citat eam Inſcriptionem Voſſius in Appendice ad lib. de Vitijs ſerm. pag. 812. §. vlt. Atque ex barbara voce *Truffis*, quae apud exemplum Gruterianum deſideratur, coniectat eſſe illam recentiorem: Sit licet; careat antiquitatis fide, careat dignitate. Hoc quidem magis è re noſtra. Nam, cùm licentiae plus admiſerit corruptela ſequiorum aetatum, tanta illa continentia, & moderatione, quantam in Paraſito obſeruauimus, quis neget, impudentiam nobis, & luxum ſeueriùs exprobrari?

Hunc quidem, nec alium in ſenſum interpretari licebit Emanuelem Theſaurum, vbi ex Plauto in Perſa producit exemplum Toxili, & Dordali, conuitijs ſeſe mutuis ad riſum proſcindentium. Nimirum ſales illi decent perſonas, qui proinde Comicis & ſcenae libentiùs permittuntur, quàm Academicis, atque marmoreis monumentis.

Monitum V.

Argutiarum ſtudium ſanis mentibus poſtremum eſſe, inſanis primum.

Erit extremum in Monitis, quod fuit in primis curis inſtituendae ad Elogia pangenda iuuentutis: vt ſcilicet ſtudio Argutiarum intempeſtiuo, quo morbo Tyrones in re literaria ferè tenentur, remedium quaeramus. Et quidem efficacius nullum exiſtere arbitramur, quàm

quàm ſi praepoſteram curam parandae ex literis gloriae corrigamus, errore ipſo detecto, ac regia monſtrata via.

Caueat ergo primùm quiſquis Oratoriae, atque (in rem noſtram) Elogiaſticae laudi velificatur, dare ſe tùm maximè Sirenum fraudibus, cùm audit extolli in concione miris modis, atque excipi plauſibus, ſi quando inter orandum ſparguntur liberaliùs, quàm decuit, verborum floſculi, intemperantiùs iactantur cauillationes, vibrantur dicteria: quaſi verò hac vna parte contineatur Eloquentiae neruus, ac ſplendor; atque haec vna, vt Oratorem, ita Elogiaſtem perficiat. Quàm multos magni ingenij, & magnae expectationis adoleſcentes iam altum literaturae feliciter petentes traxere in naufragium hae Sirenulae? Namque Argutias hoc nomine donarunt quidam Latini. Sed tibi, ò ſolertiſſime, circumſpicienda penitùs illa concio eſt; ſitnè pullata tota: quod minimè credas: promiſcua igitur. Tùm autem internoſcas oportet graues à leuibus Auditores: quae enim illi plauſu, & admiratione, hi, ſi bene ſpectas, faſtidio, riſu, atque adeò indignatione proſequuntur. Haec porrò obſeruatio facilè praeterit iuniores: & vt illa fert aetas ludibunda, promptè incurrunt in colludia aequalium, virorum grauium vultum, nutuſque auerſantur. Vis autem intelligere, quàm ſit inconſultus, quàm infelix ille plauſus, quem anhelant aequales tui? Audi Quintilianum moderatorem ſummum iuuentae, quid de iudicio iuuenilis concionis pronunciet lib. XII. Inſt. orat. cap. X. *Nam imperitis*, inquit, *placere aliquando*, *quae vitioſa ſunt, ſcio*. Neque indulgentem eum putes, quòd dicat *aliquando* potiùs, quàm ſemper. Nam in conſequentibus abſolutè loquitur, & cùm cauſam alleget, tantùm abeſt, vt ipſi damnemus factum, quin potiùs condonamus; ſed malè factum prodimus, vt caueatur. Ait igitur: *Vbi quid exquiſitius dictum accidit auribus imperitorum*, *qualecunque id*, *quod modo ſe ipſi poſſe deſperent*, *habet admirationem*, *neque immeritò, nam ne illud quidem facile eſt*. Quaſi is duo in Argutijs diſtingueret (quae à nobis ſequenti capite exponentur) nouitatem dicti, & concinnitatem. Ita quamquam in hac altera peccetur, quod eſt commune vitium in malis argutijs; illa certè incurrens auribus imperitorum nouitas, & maximè ijs deſperata, in admirationem illicò trahat, neceſſe eſt (id enim natura comparatum) quod minimè cadet in homines iudicio pollentes, quique vitium inconcinnitatis obuium conſpicati, aut ſtomachum pro admiratione ſubſtituunt, aut riſum. Te nè verò, qui prudentiae nomen non negligis, imperitos Duces ſequi? te illis fortunam tuam credere? Minimè: *neque vt te miretur turba*, *labores*, monet Horatius, quin eſto *contentus paucis lectoribus*, hoc eſt Magiſtros Artis quàm optimos adhibeto, Oratores etiam conſenſu eruditorum laudatos. Certè nec Ciceronem Magiſtrum quiſquam ſanus reſpuet, qui lib. II. de Orat. *Facetum*, inquit, *atque ſalſum non eſt nimis per ſe inuidendum*: Et erit dices tibi plaudendum? nec exemplum aſpernabere Auguſti, cuius facultatem oratoriam commendans Suetonius cap. LXXXVI. *Genus*, ait, *eloquendi ſecutus eſt elegans*, *vitatis ſententiarum ineptijs*. Non quaſi nos damnemus facetiarum vſum omnem, ſed ſtudium earum praepoſterum. Conſummato in arte permittitur libera meditatio; non ita Tyrocinium ingreſſo. Prior ſiquidem eſt labor, benè, deinde facetè dicere: vt lectis primùm verbis, boniſque ſenſibus deducas curſum orationis, pòſt immiſceas iocos, ac ſales: antè ediſcas telam texere, quàm ſuperinducto acu inſtar phrygionis ludere acuminibus & aculeis. Ac quemadmodum abſurdum dixeris, velle infantulum, cui nondum gradiendi facultas ſit, inſtituere ad ſaltationem; non ſecùs admouere conquirendis argutijs, qui nec dum nouerit accommodatè, & idoneè ad rem propoſitam dicere. Hocce peruerſum ſtudium notat Quintilianus lib. II. cap. XII. diſertiſſimo hoc Elogio: *Sententiae quoquè ipſae*, *quas ſolas petunt*, *magis eminent*, *cùm omnia circa illas ſordida*, *& abiecta ſunt*, *vt lumina non inter vmbras (quemadmodum Cicero dicit) ſed plane in tenebris clariora ſunt*. *Itaque ingenioſi vocentur*, *vt libet*; *dum tamen conſtet*, *contumelioſè ſic laudari diſertum*. Quale autem ſtudium Tyrones inſtituere debeant, ſatis monet ipſa varietas nominum, quibus indicantur Argutiae à Scriptorum optimis. Nam quòd Plutarcho ſunt Laconica Apophtegmata, hoc eſt breuia, & acuta dicta virorum illuſtrium, planum eſt, proludere velle virilitati pueritiam, quae in ſimplici, & laxo ſermone ſua ponit rudi-

menta : Quòd Paradoxa Ariſtoteli, inopinata nimirùm dicta, concordare priùs diſcas oportet cum ſermone communi, ac ſenſu, nè homo refractarius, nè perturbator naturae, aut mente inſanus videare : Quòd Plauto Mulſa dicta, vide, an ex his totam menſam ſtomachus probet: Quòd Ciceroni Venuſtates, Quintiliano, & Martiali ſimiliter Veneres, profectò docemur, Palladi quoque ſuas, Iunoni ſuas dandas eſſe, non tantùm Veneri; nec enim Paridem agit ſeu Orator, ſeu Elogiaſtes : Itaque vt doctè, vt ſeriò vèl priùs, quàm venuſtè eloquatur, exigitur. Quòd Ciceroni rurſum Acumina, nonnè primùm aemulari debet humanus ſermo florentis Veris delicias, vt audiat :

Dum loquitur, vernas fundit ab ore roſas.

rigorem verò ſpinarum, hoc eſt acuminum, non niſi cogente tempore? Quòd vulgo literatorum Sales; ni prompta fuerint alia fercula, fruſtra conuiuaturus accedis. Denique quòd alijs Facetiae, alijs Ioci, alijs Nugae, profectò ſi haec in primis quaeras, puerilem prae te fers genium; ſi ſola quaeras, ſcurrae ſpeciem, ac paraſiti. Ecquid aliud dices ineptire hodie quoſdam (nomina pudet nos indicare ipſorum cauſa) cùm in genere non dico laudatiuo, vbi laſciuire permittitur aliquidpiam, ſed hiſtorico in argumento ſerio, &(quod monſtro ſimillimum eſt) in conſultatiuo atque de ſumma publicae rei, vbi nihil niſi perquàm graue, & in primis ſerium agitatur, omnia tamen in inſanos corrumpunt iocos, in ſcurrilem dicacitatem? quamobrem non illos appellaueris ſermones continenti ſtamine decenter textos, quales exigit ratio : ſed magis Centones ex alijs, & alijs quaſi fruſtulis ſententiarum, & ſchematum, craſſo commiſſas filo ad riſum Theatri captandum, non Curiae aſſenſum, ſuffragiauè ſapientum. Caeterùm cùm audis in veterum diſceptationibus ſedere arbitrum Magnum Quintilianum, neque illorum opiniones probare, aut qui ſententias penè ſolas ſpectant, aut qui omninò damnant; verùm praecipere, mediam quandam eſſe viam tuendam; hinc certè documentum ſanum licebit capere, fore eum tibi gradum facilem ad Elogiaſticae gloriae faſtigium, ſi non antè ad Argutias ſtudium cõuertes tuum, quàm fueris edoctus Inſcriptiones fundere puras, ſimplicesque, cum ſtyli tamen munditie, perſpicuitate, ac dignitate.

CAPVT II.

De vſu Argutiarum Generatim.

Membrum I.

Patefit Argutiae eſſentia.

EX Iulio Caeſare Scaligero ea argutè dicuntur, quae ſunt à vulgo aliena, eiuſque ſuperant captum. Quod dictum vt fiat planius, diſtinguendi ſunt nobis tres quaſi gradus locutionis, è quibus facilis quoquè ad eſſentiam Argutiae deprehendendam acceſſus fiet. Eſt ergo Primùm locutio, pura quidem, ſed iacens quodammodo, ac ſupina : Eſt alia erecta, & hilaris : Eſt denique geſtiens, ac vibrata. Vna Grammaticorum eſt, nimirum ſimplex, ac nuda; altera Hiſtoricorum, & Oratorum, culta, atque elegans; tertia Elogiaſtarum peregrina, & mirabilis; quamquam haec ab Hiſtoricis nonnunquam, & ab Oratoribus maximè Panegyriſtis attingatur. Sicut & ab Elogiaſtis ipſis nonnullo in genere ignoratur (quod expreſſiùs monemus in extremo huiuſce Libri, Cap. VII.) Exemplis hìc ſubijciendis pateſcet, vt hoſce gradus vna eademque peruadat ſententia.

Primum exemplum ſit Pax illa Romanorum cum Sabinis poſt Virginum raptum; quod per primam formam ita efferetur. *Bellum per ipſas Virgines raptas compoſitum fuit, conciliatique populi in amorem mutuum.* Hoc dictum, vt vides, populare eſt. Nobiliùs expreſſit (& erit ſecunda forma) T. Liuius Dec. I. lib. I. *Ex bello tam triſti laeta repente pax chariores Sabinas viris, ac parentibus, & ante omnes Romulo ipſi fecit.* Per tertiam demum formam ita ſublimiùs ſententiam extulit Gregorius Brunellus Elogio de

Romulo

Romulo ſcribens: *Ab Amorum thedis Armorum exorta incendia breui expirarunt: Poſt Virgines raptas Hoſtium quoquè animos rapuit: A quibus Roma Amorem eliciens auitas opes pro dote accepit.* Scilicet à ſimplici charactere ad venuſtum trahitur ſententia, & à Venuſto ad Argutum.

Alterum exemplum de educatione C. Caeſaris Caligulae, quam ita vulgus referebat, & quidem vulgari locutione, apud Suetonium cap. vlt. per illud Hexametron;

In caſtris natus, patrijs nutritus in armis,
Iam deſignati Principis omen erat.

Ipſe verò Suetonius aliquantò cultiùs cap. IX. *Caligulae cognomen caſtrenſi loco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur: apud quos quantum praeterea per hanc nutrimentorum conſuetudinem amore & gratia valuerit, maximè cognitum eſt, cùm poſt exceſſum Auguſti tumultuantes, & in furorem vſque praecipites, ſolus haud dubiè conſpectu ſuo flexit.* Multò his preſſiùs, multoquè feſtiuiùs Franciſcus Pona Elogio de ipſo Caligula: *Miles ab infantia, clypeo priùs exceptus, quàm vlnis.*

Tertium: Artes Octauiani ad Principatum obtinendum ita ſimpliciter deſcripſeris cum Suetonio, cap. VIII. *Atque ab eo tempore exercitibus comparatis, primùm cum M. Antonio, Marcoque Lepido: dein tantùm cum Antonio per duodecim fere annos, nouiſſimè per quatuor & quadraginta ſolus Remp. tenuit,* Nitidiùs ſcripſit Tacitus I. Annal. *Arma quae in Antonium accepit, contra Rempublicam vertit.* At vtroque vibrantiùs Pona, Elogio de ipſo Octauiano: *Reipublicae manum in Rempublicam armauit.*

Quartum: I. Caeſaris pueri labem nefandam plano ſtylo ita retulit Suetonius: *Pudicitiae eius famam nihil praeter Nicomedis contubernium laeſit, graui tamen, & perenni opprobrio.* Subiecto autem conuitio vulgi in triumpho, quem de Gallia idem Caeſar reportabat, ſententia ad ſecundum gradum eſt elata, videlicet: *Gallias Caeſar ſubegit, Nicomedes Caeſarem.* Eandem gradu ſupremo dabit Pona, Elogio de Caeſare Iulio: *Nicomedi à puero Ganimedes;* Subintellige *Iulius fuit.*

Quintum: Eiuſdem turpes amores indicauit ex ſuo primùm ſermone, citraque artem Suetonius: *Ac ne cui dubium omnino ſit, & impudicitiae eum, & adulteriorum flagraſſe infamia;* Mox attulit ſecundo gradu locutionis iactatum ſcomma, quo Curio pater quadam eum oratione *Omnium mulierum virum, & omnium virorum mulierem* appellauit. Quantò collectiùs Pona, tantò fortiùs, & acutiùs, in Elogio ſcribens: *Vir foeminis, Viris foemina.*

Iam iſta quaſi face praemiſſa, facile erit deduci ad explorandam Argutiae, caeteroqui abditam eſſentiam. Ita enim placet Argutiam definire, vt ſit *Rerum diuerſarum in vnum dictum* figurata, concinna, & peregrina coniunctio. Vis libellam Ariſtotelicam admouere, vt hanc probes rectam definitionem? Habes hìc & genus, & differentiam, quibus illa perficitur. Siquidem coniúgere res diuerſas in vnum dictum, non magis arguto ſermoni, quàm alij cuicumque congruit, puta Grammatico, qui ſubſtantiuum & adiectiuum committit; Oratorio, qui ſubiectum atque adiunctum; Dialectico, qui ſubiectum, & praedicatum in propoſitione; & per medium (quod aiunt) vnam propoſitionem cum altera in Syllogiſmo, aut Enthymemate. Illa ergo particula vicem habebit Generis; reliqua verò Differentiae, ſcilicet quòd ipſa coniunctio ſit figurata, concinna, peregrina, ſeu ſingularis artificij: per hoc enim à populari ſermone ſecernitur.

Membrum IV.

De Cauſis Argutiae.

Communes illas rerum omnium cauſas à Philoſopho indicatas cognoſcere in Argutijs, conducet non parum ad earum rectum vſum aſſequendum. Eae nimirum ſunt Efficiens, Materia, Forma, Finis. Igitur ad rem noſtram: Cauſa efficiens Argutiarum Ingenium eſt humanum, non illud cuiuslibet notae, ſed acutum, atque verſatile. Quod videtur innuere Cicero II. de Orat. Vbi facetiarum, ac ridiculi aſſignans primum locum Ambiguo, *Ingenioſi*, inquit, *videtur vim verbi in aliud atque caeteri accipiant, poſſe ducere; ſed admirationem magis, quàm riſum mouet.* Quòd ſi addideris ingenio exercitationem, mirum quantùm eius ſolertia,

ſi multa ſit, perficietur: ſi mediocris, ſtimulata tarditate excitabitur. Hinc enim Ariſtotiles lib. III. Rhetor. cap.X. poſt aſſignatos locos, vnde ducuntur τὰ ἀστεῖα (Vrbana vocat, quae nos Argutias) ſubdit: *Ac fingere quidem eſt ingenioſi, vel exercitati.* Nam ſi quis omni ſit defectus ſolertia, mittemus ab hoc puluere honeſta illa miſſione, qua & petitorem oratoriae laudis inauſpicarum mittit Quintilianus in Proœm. Inſt. orat. aiens: *Nihil praecepta, atque artes valere, niſi adiuuante Natura: quapropter ei, cui deerit ingenium, non magis haec ſcripta ſunt, quàm de agrorum cultu ſterilibus terris.* Ac ſi quaeras, cuiuſmodi ſit hoc ſolers ingenium faber Argutiarum, licet ex Ariſtotile coniectare, vbi de condenda Demonſtratione praecipiens I. Poſt. cap. vltimo: *Solertia*, inquit, *perſpicacitas, per quam cuiuſque rei medium, & cauſa nobis ſtatim occurrit*, ſupple ad conficiendam Demonſtrationem. Ita & in materie Argutiarum vſurpare fas eſt de Solertia; quòd ſit Perſpicacitas, per quam ſtatim occurrit medium, ſeu nexus ad res diuerſas in vnum dictum figurè coniungendas: Et quò fuerint remotiora, quae coniungentur; eò ingenij ſolertioris periculum; vt eàpropter dixerit Ariſtotiles lib. III. Rhetor. cap. XI. *Oportet transferre à propinquis, & minimè apertis, vt etiam in Philoſophia ſimile: Et in longè diſtantibus cernere ſolertis eſt.* Solertiam nos quidem ſuprà gemino epitheto declarauimus Acuti ingenij, & Verſatilis. Quippe ſunt duo eius munera: quà enim ingenium acutum, percurrit, penituſque luſtrat rerum omnium remotiores, minutioreſque naturas, facultates, affectiones; Quaecunque ijs inſunt, circunſtant, accidunt, ſub aſpectum ſuum trahit vniuerſa: Sed quà verſatile, confert illicò ſingula cum re praeſente: collata ſeligit pro tempore, ac in vnum dictum componit, rem hanc illius reponens loco, atque ex vna alteram indicans luſu vario. Ex quo facilè deducimus, huiuſce materiae obiectum in rem noſtram non aliud eſſe, praeterquam Pulchrum ex repraeſentatione verbali; vti Verum ſibi Hiſtoria vindicat, Fabuloſum Poëſis, Probabile Oratoria, Certum Philoſophia, Congruum Grammatica. Igitur totum ingenij negotium in hoc vertitur, vt rerum quidem veritatem proſpectu obliquo indicet, recto autem & aperto ſuum ipſius oſtentet acumen.

Altera cauſa, ideſt Materia, ex qua conſtituuntur Argutiae, rectè ponitur Diuerſitas verborum, & rerum: illorum quidem propinqua exiſtit materia, harum verò remota. Cui placito fauens Cicero II. de Orat. *Facetiae*, inquit, *aut in re poſitae videntur eſſe, aut in verbo.* Tu dictum expone non diſiunctiuè, quaſi in re duntaxat inſint facetiae, quae vtique non niſi in orationem cadunt: aut duntaxat in verbo, quod abſque rei pondere velut pueriles nugas meritò ab cenſu Argutiarum expungunt eruditi. In re igitur, quà verbo ſignificatur; in verbo, quà res obijcitur.

Succedit proximè Forma, quam dicimus, Diuerſarum eſſe rerum in vnum dictum figuratam, & peregrinam coniunctionem. Et per hoc exemptas facimus, extrarias inſtituto noſtro, Argutias ſymbolicas, quas exprimunt Pictura, Scalptura, atque alia corpora, aut argumenta; tacitè duntaxat argutantia: eundem in modum quae nutibus formantur aut geſtibus: non enim hoc loco inſtituimus Oratorem ad digitorum (vt loquitur Cicero) argutias, ſed Elogiaſten ad verborum. Ita & quae voce ſolùm nituntur deſcriptis literis non referendae: & quae corporis tegumentis ſimul ac nutibus, Pantomimorum propriae. Ergo, vti diximus, ita ſe gerit Ingenium: In ſylua enim rerum omnigena rem aliquam aduertit, natura quidem alienam ab re ſibi propoſita; ſed quae per induſtriam conciliari non renuit; Hinc Dictum vnum ex vtraque concinnat, velut ex vocibus diſſonis concentum, & ex diſcordia concordi gratam harmoniam.

Poſtremus eſt Finis, & hic varius. Namque alius Argutiarum ipſarum eſt proprius, alius argutantis: Et huius quidem videtur eſſe Admirabilitas, ſeu fama ingenij praecellentis. Siquidem vt aiebat Cicero ſuper hac materia II. de Orat. *Admirantur omnes acumen vno ſaepe in verbo poſitum.* Et lib. IX. Epiſt. XVI. ad Paetum: *Effugere ſi vellem nonnullorum acutè, aut facetè dictorum offenſionem, fama ingenij mihi abijcienda eſt.* Ciet enim admirationem vſurpatio vocis remotiſſimè ab vſu vulgari petitae, & illa noua, ac inexpectata coniunctio diuerſarum rerum, in dictis praeſertim extemporalibus. Ipſarum verò finis Argutiarum eſt itidem varius, videlicet Cognitio rei multa & velox in audiente, animi

grauis

grauis commotio, ſumma delectatio, admiratio, riſus, plauſus. Sed hoc intereſt, quòd cognitio, commotio, riſus ſaepe ſingulariter, ſaepe promiſcuè ſuccedunt; delectatio autem, admiratio, plauſus communiter. Non etiam pigebit aduertere, idem vnum ſaepe effici oratione oratoria, & argutijs: vtraeque enim docent, mouent, delectant; quamquam Argutiae intentiùs, quod illa indicant Epitheta *Velox*, *Grauis*, *Summa*. Cognitionem rei multam & velocem gignit illud Aeneae apud Virgilium:

Vna ſalus victis nullam ſperare ſalutem.

Commotionem grauem illud Neronis, quùm deſperata ſalute, fruſtraque exquiſitio, qui ſibi inferret necem exclamauit: *Ergo nec amicum, nec inimicum habeo?* Summam delectationem, cùm omnia huiuſmodi dicta lepidiſſima, tùm illud Auguſti apud Suetonium cap. LXXXV. quandò Tragoediam magno impetu exorſus, non ſuccedente ſtylo aboleuit, quaerentibuſque amicis, quidnam Aiax ageret, reſpondit, *Aiacem ſuum in ſpongiam incubuiſſe*. Scilicet quia tragoediam ſcriptam aboleuerat ſpongia, vt moris erat. alluſum inde voluit lepidiſſimè ad Aiacem, argumentum ipſius tragoediae, qui ferro in iugulum verſo incumbens voluntariam mortem obiuit.

Occurret hìc quiſpiam; ex Dictis aut minimùm, aut certè parùm argutis ſummam interdum delectationem percipi: Quale eſt Diſtichon Statij de forma Achillis pueri, Achilleid. lib. I.

Dulcis adhuc viſu niueo natat ignis in ore
Purpureus, fuluoque nitet coma gratior auro.

Interdum & grauem motum effici, vt illo Catonis Oratoris apud Salluſtium in Coniur. Catil. *Non igitur de vectigalibus, non de ſociorum iniurijs: Libertas, & anima noſtra in dubio eſt*; Verùm hìc, ſi benè pendis, ex materia vim trahunt haec dicta aut delectandi, aut mouendi, & quidem vehementer. Aliunde autem haec nobis parantur, vbi materia deſit; nimirum ex ingenio, cuius acumine conquiruntur cuiuis generis materiarum lepores, & ſpiritus. Idipſum cenſeto de Admiratione, & Plauſu, quae etiam Orator ciet vel abſque argutijs; Sed & Moechanici artifices ſuis operibus id aſſequuntur, & alij aliarum artium excellentiſſimi cultores. Reliquus eſt Riſus (& quidem agendo de ſermone) quem mouent modi dumtaxat arguti, hoc eſt iocoſi, ſeu deridiculi, vt ſuo loco demonſtrabimus.

Membrum III.

Argutiarum cenſentur ſpecies.

FOrma, docet Philoſophus, vnumquodque exiſtere. Quare tot erunt conſtituendae ſpecies Argutiarum, quot eius ſunt formae. At nos paucas tantùm attigiſſe contenti erimus, quae ex vſu noſtro videbuntur.

Diuerſarum ergo rerum figurata & peregrina coniunctio in vnum Dictum (quam ſuperiore Membro ſtatuimus formam Argutiae.) Alia, ſpectato eius Authore, demonſtrat, alia conſultat, alia iudicat; ſic illa tria peruadit genera oratoriae dictionis (nam & Oratorem non dedecet modeſtus Argutiarum vſus) hoc eſt Demonſtratiuum, Deliberatiuum, Iudiciale. Argutiae demonſtratiuae, & quidem laudatiuae exemplum citatur à Seneca lib. II. de Benef. cap. XXV. Dictum illud Furnij ad Caeſarem Auguſtum, cùm patri Antonianas partes ſequuto veniam impetraſſet: *Hanc vnam, Caeſar, habeo iniuriam: Effeciſti, vt viuerem, & morerer ingratus*. Vituperatiuae autem eſt illud in filium Salſamentarij: *Tace tu, cuius pater ſe cubito ſolet emungere*. Ad quod genus referuntur Didaſcalicae, vt illud Demetrij Stoici apud Senecam lib. de Prouid. cap. III. *Nihil mihi videtur infelicius eo, cui nihil vnquam euenit aduerſi*. Deliberatiuae exemplum eſt apud eundem de Benef. lib. VII. cap. VII. Romani Imperatoris, cui ob virtutem, & bene geſtam Rempublicam tantum agri decernebatur, quantum arando vno die circuire potuiſſet: *Non eſt vobis opus eo Ciue, cui plus opus ſit, quàm vni Ciui*. Iudicialis eſt apud Val. Maximum lib. VI. cap. II. Principis Priuernatum rebellium Romano Senatui ſciſcitanti, quam poenam illi mererentur; *Quam meretur, qui ſe dignos libertate iudicant*.

Aliter ex obiecto (vt aiunt Philoſophi)

quaedam Argutiarum ſunt purae, quaedam mixtae. Purae aliae ſeriae, aliae iocoſae. Seriarum partim ſententioſae ſunt, ſeu ſenſu exuberantes; partim graues, ſeu motu concitatae. Iocoſae quaedam ſunt Venuſtae, quaedam Ridiculae. Porrò mixtae ex duabus ſunt, aut pluribus puris conflatae, vt graui & venuſta, aut graui & ridicula: Ab exemplis ſuperſedemus breuitatis gratia.

Aliter ex ſubiecto in quo inſident, nam aliae ſunt in verbo, aliae in re, vt Membro ſuperiore innuimus. Quae enim (inquit Cicero II. de Orat.) mutatis verbis ſalem amittunt, in verbo habent omnem leporem; Et quod quibuſcunque verbis dixeris, facetum tamen eſt, re continetur. Itaque vbi ſententia quo illa cunque verbo, aut idiomate, ſalem retinet, in re poſita dicitur argutia; vbi autem vel eodem ſeruato idiomate mutatio verbi vim ſuam perdit, in verbo collocata exiſtit.

Aliter denique ex modo: Eſt enim coniunctio diuerſorum quaedam in nexu vnius verbi, qualis eſt metaphora; quaedam in nexu duorum, quae vocant Praedicatum, & Subiectum, in Enuntiatione figurata: quaedam in medio verbo inter duas enuntiationes, quod vocant Enthymema, ſeu virtutem Enthymematicam. Quae ſingula reſpondenr totidem Intellectionibus, ſeu (vt apud Logicos) operationibus intellectus. Quocirca tot erunt Argutiarum claſſes, quot ſpecies Intellectionis; qui quidem ordo in ſequentibus à nobis tenebitur facilioris doctrinae gratia.

CAPVT III.

De Argutiarum vſu ſpeciatim & Primùm Quae ſunt Primae Intellectionis;

Membrum I.

De Tropo.

QVoniam, quos indicauit in ſua Poëtica Scaliger, Argutiarum fontes, deriuare deſtinabat ad Epigramma Compoſitum, quo tertia duntaxat iuuatur Intellectio: Nos primae ſimul ac ſecundae conſulentes materiem eandem Argutiarum, ſin minùs quantùm alij in praediuite vena eruditionis, & ad laſciuiam ingenij effunduntur; at certè quantùm poſcit vſus Elogiaſtae, perſequemur, modoſque omnes in ſumma quaedam capita collectos exemplis de more productis illuſtrabimus.

Ergo Primae intellectionis, quae ſcilicet imagines rerum ſimplici appellatione repraeſentat, ſubminiſtrat Argutias Tropus; ita apud Rhetores definitus: *Vox à proprio ſenſu in alienum deflexa*: ſeu meliùs: *Vocis à propria ſignificatione ad impropriam cum virtute mutatio*. Ex quo patefit eſſentia Argutè dicti; nimirum vna voce imagines duae diuerſarum rerum nectuntur; alterius quidem rei, cui ſignificandae vox propriè conuenit; alterius autem, cui impropriè: nectuntur, inquam, per virtutem illam in poſteriore definitione indicatam, & per quam vnius rei appellatio fit alteri communis. Quaeris, quae iſta ſit virtus? nos quadruplicem facimus; Similitudinem, Proportionem, Propinquitatem, Diuerſitatem. Ex his duas priores vendicant ſibi Metaphora, & Allegoria: Tertiam Synecdoche, Metonymia, Metalepſis: Quartam denique Agnominatio, Alliteratio, Anagrammatiſmus, & caetera, de quibus deinceps agemus.

Interea ſcitanti fortè, quo iure huc etiam ſeſe ingerant Tropi, qui ſedem ſuperiore libro quaeſierint; ſatisfacere priùs decet: quod à nobis praeſtabitur aperiendo, quid inter Venuſtum & Argutum interſit; Vtque Tropus idem duplici vena ſcatere poſſit.

Venuſtum itaque ab Arguto diſpeſcit (in rem praeſentem) figurata locutio; quae etſi in vtrumque cadat, in Arguto tamen rara & admirabilis

mirabilis euadit, vt monitum eſt praecedenti Capite, Membro II. Venuſtum autem citra admirabilitatem conſiſtit, idcirco ingenij popularis ferè non excedit vires. Itaque Tropus in ipſa locutione figurata princeps intra Venuſtatem continebitur, ſi parum à vulgo receſſerit: ſin multum, in Argutiam excedet. Porrò huius diſcriminis facilè monetur Auditor ſenſu ipſo delectationis, quam ex Argutia maiorem multò percipit. Sed à vulgo parum recedere non illos tropos intelligas velim, qui primùm à ſolerte ingenio cuſi, pòſt vulgi crebra vſurpatione triti cùm fuerint, nouitatem amiſere atque admirabilitatem, quales ſunt *Gemmare vites*, *luxuries in herbis*, *laetae ſegetes*, quos etiam ruſticis dictitari fidem facit Cicero III. de Orat. Verùm ij quidem Tropi, qui à re non admodum remota petuntur; & aut obuij vulgo ſunt, aut labore, ſtudioque leui parabiles. Et quemadmodum contingit recedere à vulgo parùm, multumuè; ita eodem veſtigio accedere ad Argutiae apicem, quem tùm ſcies attigiſſe, cùm acclamationes exceperis audientium, eorum autem è flore literatorum, nihil curans è faece, vt cautum ſuprà fuit Monito V. Namque euenit paſſim, quod ſcribebat lib. VII. Epiſt. XXXII. ad Volumnium Cicero: *Tanta faex eſt* (aiens) *in Vrbe, vt nihil ſit tam Acytheron, quod non alicui venuſtum eſſe videatur.* Ac Tropos attigimus ſuperiore libro vnà cum reliquis fontibus, vnde ſcatet Elogio venuſtas; fortaſſe longiùs prolapſi in Argutiarum vſque fines tranſiliuimus: hic certè ſpatium ingreſſis metiendum totum eſt, & natura formarum introſpicienda penitùs, quò facilis ad nouas Argutias cudendas ſuppetat ratio.

Neque tamen inficiamur, concurrere in idem dictum poſſe Argutum atque Venuſtum; cùm ſcilicet vibratur acumen in materia aut ex ſe venuſta, aut cum quadam verborum concinnitate. In Materia quidem, vt illud impudentiſſimae foeminae ſuadentis puellam, vt Amatori opulento ſeſe dederet,

Stella tibi oppoſiti nocuit contraria Martis,
Mars abijt, ſigno nunc Venus apta tuo eſt.

Itemque Diui Ambroſij de Eleazaro Elephanti mole ab ſe caeſi obruto: *ſuo eſt ſepultus triumpho.* In verbis autem concinnè poſitis, vt illud Martialis de Splendoſoro, puero formoſiſſimo ad bellum in Africam proficiſcente

Tutus vt inuadat praelia, nudus eat.

concinnè ſiquidem opponuntur illa duo *Tutus*, & *Nudus*. Igitur Argutia Venuſtatem adiunctam habens, longè optima cenſetur, perſimilis vino, quod iucundiſſimum vulgò eſt, ſi cum auſteritate inditam ſuauitatem habuerit.

Membrum II.

De Metaphora.

NVllum in verbis ſingulis eſſe modum florentiorem Metaphora, obſeruat Cicero lib. III. de Orat. Proinde principem hìc locum ea poſcit, & exactiorem aliquantò tractationem. Duplicem igitur eam ſtatuimus, Similitudinis, & Proportionis: quamquam & mixtam ex his ſpeciem tertiam agnoſcimus omnium perfectiſſimam, ac huius loci propriam. Siquidem reliquas ſpecies ab Ariſtotelicis aggeſtas reijcimus ſub alios Tropos, Quintilianum ſecuti, ac poſteriores Rhetores, queis fortunatiùs contigit vtilitatem ſtudioſorum ſubtiliore prouehere diſtinctione. A ſimilitudine autem diſcrepare proportionem nemo ambiget, qui meminerit Ariſtotelici illius placiti lib. II. de Anima; *Radicem eſſe ori analogam*: quid enim vocat analogam, niſi vt ſecernat ab vniuoca? At haec ſimilitudinem ingerit, illa proportionem. Hinc non ſatis probatur ſententia Voſſij Inſtit. Orat. lib. IV. cap. VI. num. 11. vbi locum allegatum expendens, collocat in ſimilitudine geminata proportionem, propterea que ſtatuit haec duo differre inter ſe plurimùm. Quae conſecutio quanti ſit, viderit quiſquis Dialecticam vel primis labris deguſtauit. Quod enim planta, vt is loquitur, cum animali confertur, & radix cum ore; non proinde colligimus neceſſariò rationem ſimilitudinis vllam, ne dum geminatam; quippe cùm inter diuerſa quoquè fiat collatio, veluti (& quidem in prima perſiſtendo Intellectione) cùm genus pro genere ſumitur, & pars pro parte, aut toto: quin etiam repugnantia quandoque conferuntur,

conferuntur, vt in Antiphraſi, & Ironia. Illa igitur eſt ſana definitio, quam tradit in Rhetore Vincentius Gallus lib.III. cap.XIII. Proportione videlicet indicari conuenientiam quandam, & comparationem; veluti, cùm dixit Poëta *pedem Montis* pro Montis fundamento, procul dubio nihil pedi animalis habet ſimile pars Montis infima; in eo autem tantùm conueniunt, quòd tàm ſuſtentat Montem fundamentum ſuum, quàm animal ſuus pes. In propoſito etiam Philoſophi exemplo tam capit per os nutrimentum animal, quàm per radicem arbor. caeterùm neque formae, neque figurae, neque ſitus quidem ſimilitudo intercedit aliqua inter os, & radicem. Praeterea quae & ſimilitudine, & proportione conflatur tertia ſpecies, ea profectò non poſſet exiſtere, ſi poſita eſſet Analogia in ſimilitudine gemina; niſi velis tergeminam ſimilitudinem in metaphora collocare, quod abſurdè dixeris. Sed iam ſubiectis exemplis rem omnem diſtinguamus.

Metaphora ſimilitudinis eſt, ſi dicas fontem cryſtallinum pro puro; eadem namque forma, ſeu qualitas perſpicuitatis cùm inſit cryſtallo, & puro fonti, perbellè fons à cryſtallo mutuatur nomen.

Proportionis verò metaphora; ſi cum Caſſiodoro appelles Manus loquaciſſimas, & Digitos linguoſos, de illis nimirum hiſtrionibus, qui per geſtus, quaſi per verba diſertè aperiebant animi ſenſa. Nihil porrò ſimilis figurae praeferunt cum ore Manus, & cum lingua digiti; ſed ſola interuenit in pandenda mente proportio.

Similitudinis denique ac Proportionis, vt cùm Ariſtoteles lib. III. Rhet. cap.VI. Pateram Bacchi appellat Scutum. Vis enim hìc ſimilitudinem? Tam patera, quàm ſcutum figuram habent paſſam, ac rotundam: Vis proportionem? Eſt vtrumque apud Ethnicos inſigne Numinis, Patera Bacchi, Scutum Martis: quae duo ne dicamus inter ſe ſimilia, efficit vſus vtrinſque omnino diuerſus: nam Patera inſeruit potui, Scutum pugnae. Atque hanc tertiam Metaphorae formam nobiliorem videri haud mirum eſt, quòd duarum ſuperiorum bonitatem colligat, & vtrinque verſatilem ſe ſe praebeat, vt & Scutum Bacchi appellare ipſum Pateram poſſis, & Pateram Martis, Scutum. Quod ſanè exemplum ab Ariſtotele propoſitum ſatis oſtendit, Metaphoram ſolius Proportionis haud ipſi notam fuiſſe, cùm ibidem doceat: *Oportet autem, vt tranſlationem ex proportione ductam, ſemper partem etiam in alteram referamus.* Neque enim ſicuti radicem montis appellamus pedem; ita licebit animalis, aut hominis pedem dicere radicem: neque ſi Plinius pediculos dixit ſerpentes, tu contrà ſerpentes puta dracones appellabis pediculos: Ex quo conijcimus, retributionis, ſeu conuertibilitatis laudem competere ferè tertiae ſpeciei, in qua nubit ſimilitudo proportioni. Eius generis exiſtit dictum Demadis, quòd Tubicen ſit communis Gallus Athenienſium: & rectè à nobis vice verſa referetur Gallus Tubicen, v. g. domeſticus: ſimilitudo enim vtrinque congruit ex voce, ſeu cantu; proportio etiam, cùm non eodem modo canant, neque Gallus vocaliter annuntiet, ſicut Tubicen. Eiuſdem generis cùm lachrymas imbrem vocamus, imbremque lachrymas: quia vtrumque ſimilitudinem habet in humore: proportionem verò, quia lachrymae ex oculis cadunt, imber è Caelo. Expinxit hinc Auctor Emblematis in Exequijs Margaritae Reginae Hiſpaniarum, ſepulcrum in formam Conchae marinae praegrandis, ex illarum genere, quae margaritas gignunt, ad nomen ſcilicet Reginae tacitè alludens; quae inſtar Margaritae pretioſiſſimae effecit mortua, vt Sepulcrum Concha dici poſſet, & Concha Sepulcrum; ſubiecto Emblemati hoc Diſticho:

Ex Tumulo Concham facit; ex Concha Tumulum Mors.
Vnio Gemmarum hìc Gemma ſepulta iacet.

Porrò diximus tertiae ferè ſpeciei competere retributionem; nam interdum etiam ſecundae, quemadmodum eruditè obſeruat Vincentius Gallus loco ſuperiùs allegato, in illis exemplis: *Seruus eſt inſtrumentum animatum, & inſtrumentum eſt ſeruus inanimatus.* Item: *Locus eſt vas immobile, & vas eſt locus immobilis.*

Reliquum eſt, vt viam ad Metaphoras quodcunque genus deprehendendas expediamus. Et Primùm in ea, quae eſt Similitudinis, diſtinguimus ſub vnoquoque Genere vniuoco infimo Species omnes, & ſub ſingulis ſpeciebus Indiuidua, ſeu Singularia, hoc pacto. Sub colore, quod genus eſt obiecti oculorum, cenſebimus

bimus Candidum, Nigrum, Viridem, Rubrum cum caeteris: atque ſub his ſingulis quàm multa Indiuidua? v. g. ſub Candido ſunt quaecunque eum colorem participant, Nix, lac, argentum, canities: ſub Nigro pix, atramentum, coruus &c. Idipſum de reliquis. Ergo ſi tibi offeratur metaphoricè exprimendus candor foliorum in lilio, peruenuſtè dices mutuatus ex reliquis indiuiduis, Folia niuea, vel lactea, vel argentea, vel cana: quamquàm hoc poſtremum videtur impar ſummo candori lilij, quod eſt cauendum maximè in metaphoris, vt infrà tradetur. Item pro Monte niuoſo dic lacteum, argenteum, canum: Pro canitie hominis dic capillorum niuem, lac, argentum: Pro argenti fodinis fontem lactis, fontem argenti, venam lacteam: Pro Galaxia (vulgò Via lactea, quae in Caelo viſitur) Viam ſuperum argento munitam, niue conſperſam, lilijs inſtratam. Haec autem in naturalibus: ſimilem in modum & in humanis. Ita ſi velis figuratè dicere Principem in Ciuitate dominantem, occurrent ſpecies plures dominantium, v. g. eorum qui in Exercitu, qui in Naui, qui in Curru. Eritque Dominans, ſiue Dominus loco generis, ſpecies verò in memoratis Dux, Gubernator, Auriga. Quamobrem qui praeeſt Ciuitati, dicetur metaphoricòs Dux, Gubernator, Auriga. Cauendum porrò, ne Metaphora minùs ſignificet vocabulo proprio, ſed potiùs rem augeat, vel certè par ſit. Nam Digreſſionem ex ordine magnificè expreſſeris cum Xenophonte fluctuare, ſeu vndare exercitum; non tamen contrà dixeris vndas in mari exerciturire, ſeu ex phalange digredi.

Iam in Metaphora Proportionis ſpectabuntur haud aliter tria, ideſt Genus, Species, Indiuidua. Genus autem (impropriè loquimur) Analogum, quod nimirum non vnam adſignificat naturam, ſicut Vniuocum; ſed duas ſecundùm quandam rationem mutuam comparatas. Placet proferre exemplum Periclis (apud Ariſt. Rhet. lib. III. cap. XIII.) dicentis, *iuuentutem, quae in bello ceciderat, non aliter è ciuitate ſublatam eſſe, quàm ſi quis Ver ex anno eximeret*. Relegamus nos ergo veſtigia Periclis, & qua ille via ſit aſſecutus, vt Iuuentutem cum Vere componeret, indagemus. Is certè animaduerterat in Iuuentute rationem quandam communem rebus alijs, nimirum viciſſitudinem temporis; Quoniam Iuuentuti Virilitas, huic Senectus ſuccedit: oblataque eſt potiſſimùm in Anno, in quo tempeſtas vna aliam excipit. Quo ex genere emerſere illicò ſpecies, hinc Aetas hominis, illinc Volubilitas anni, belleque tandem coiuere ſub his Indiuidua Iuuentus, & Ver, attributis inter ſe varijs colludentia. Potuit occurrere eadem viciſſitudo temporis in alia ſpecie, v. g. in Die; cuius Indiuiduum Oriens cum Iuuentute concurreret, vti cùm Senectute Occidens, & cum Obitu Nox. Aliud quoquè genus analogum excogitare fas fuit in Iuuentute, puta continuationem motus; namque hominis vita ab vna aetate ad aliam continenti curſu mouetur, & rapitur. Ecce tibi obuia hìc altera continuatio in curſu Circenſi. Primus itaque è carcere impetus Iuuentuti comparabitur, quemadmodum tacta meta Senectuti. Accipe paradigma ex recentibus, lepore haud impar antiquis. Fabritius Sabellius Cardinalis Eminetiſſimus Elogio de Beato Thoma A Villanoua Archiepiſc. Valentino ſic habet: *Hinc zelus ille, quo ne labem, ne rimam Eccleſia pateretur, quamuis mitiſſimus Agnus, aſſurrexit vt Leo, & ſaepe Paſtoris baculum vertit in fulmen*. Totum ferè hoc dictum metaphoris contexitur analogicis, in appellationibus Rimae, Agni, Leonis, Paſtoris: illa verò vibrantior de baculo in fulmen verſo: eſtque proportio ſita in ratione pari figurae baculi paſtoralis, & fulminis, quae longa eſt, & incurua, quae ad feriendum apta, magis autem in fulmine. Verùm quia tam baculus metaphoricòs attribuitur Epiſcopo curanti Chriſtianum gregem, quàm fulmen pugnanti pro grege; idcirco ab vna metaphora ad alteram conſenſione mirabili fit gradus. Adde haec exempla Proportionis: Praedixit Tiberius Caeſar de Caligula alumno ſuo, *ſe Natricem Populo Romano*, & Phaëtontem Osbi terrarum alere. Quid verò ſub translato Natricis ſerpentum immaniſſimi, & Phaëtontis ex fabula percelebris ſubintelligeret, interpretatus eſt Auſonius ita canens

Caedibus, inceſtiſque dehinc maculoſus, & omni
Crimine pollutum qui ſuperauit Auum.

Item Cato iocatus eſt in Q. Aldibium, quòd cùm ſua bona comediſſet, & nouiſſimè domum, quae ei reliqua erat, incendio perdidiſſet: *Propter viam feciſſe* iactans: alludens ſcilicet ad ſacrificium vetus, quod vocabant *Propter viam*, quia

quia ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumebatur.

Quoniam autem proxima periculo eſt translatio, monet Demetrius Phalereus, vt in comparationem aſſumatur; ſic enim, inquit, ſecurior erit ſimilitudo; ſed translatio exuperat, vt ſi quis Pythoni oratori *fluenti contra vos* addens dixerit, *velut contra vos fluenti*; ſic enim facta eſt comparatio rei ſimilis, atque ſecurior eſt oratio: illo verò modo eſt translatio, & periculo propior. Feſtiuiſſima eſt, nec minùs ſecura metaphora apud Ciceronem de Senectute: *At illa quanti ſunt, Animum tanquam emeritis ſtipendijs libidinis, ambitionis, cupiditatum omnium ſecum eſſe?* Epithetis interdum fulciuntur translata, quae ijs deſtituta labant; Cuiuſmodi eſt illud Theognis, qui *Arcum*, quo percutitur, appellauit *Tibiam infidem*, ſeu *ſine chordis*. Nam Tibia periculoſum eſt de Arcu: ac ſine chordis fit ſecurius. Ad quam formam & *Iris* dicetur rectè *Arcus ſine chorda*, Et *Clypeus Phiala Martis*: Et Iunius Baſſus homo in primis dicax, apud Quintilianum *Aſinus albus* vulgò vocitabatur: & Caligulae apud Suetonium *Liuia*, *Vlyſſes ſtolatus*: Et apud Io. Bapt. Vrſum: *Hieronyma Auria Venus caſtiſſima*. De Vitioſis Metaphoris conſule Vinc. Gallum in Rhetore lib. III. cap. XIV.

Illa iucundè fluit Metaphora, quae ex praecedentibus ſponte naſcitur. Exemplum affert recens memoria apud Florauantem Martinellum in ſua Roma Sacra:

III.

VRBANO . VIII. PONT. MAX
CAELESTIS . HVMANAEQVE . REI . DISTRIBVTORI . LIBERALISSIMO
QVOD . ANNO . IVBILAEI . MDCXXV
APERTIS . VTRIVSQVE . MVNIFICENTIAE . VALVIS
XENODOCHIVM . HOC . AERE . PLVRIMO . IVVIT
NOVA . SVPELLECTILE . AVXIT
PRAESENTIA . SAEPIVS . ILLVSTAVIT
SODALITAS . GRATI . ANIMI . MONVMENTVM . POS

Audito enim Anno Iubilaeo ſubit mẽtem apertio Portae Sanctae, & inde facilis, & iucundus tranſitus ad portam munificentiae.

Obſignanda foret haec pars obſeruatione ipſius Galli, Praeceptoris olim noſtri, loco allegato, vbi tradit: *Pulchra admodum eſt illa Metaphora, qua damus ſenſum rebus inanimatis, & vitam, quia noui quid, ac peregrini continet, & rem ante oculos ponit, atque actionem habet*. Suxit autem Author haec mella ex floribus Ariſtotelicis in Arte Rhet. cap. XI. vbi exemplis Homeri illuſtrat Metaphoram à re animata ad inanimatam: Noſter autem ex Virgilio profert argutiora, vt *fluit agmine Tyber*; *lana diſcit mentiri colores*; *Carbaſus vocat auras*; *Araxes indignatur pontem*; *ſagitta bibit colorem*, *telum manu fugit*. Sed iure aliquod additamentum exiges, Lector, ab induſtria noſtra, quod libentes promimus, videlicet, In Antitheſi bellè admodum ludere metaphoram, cuius in proportione poſitae habes exemplum Polae in Epitaphio, vbi puſtulis opponit ſtellas; nam eae in cute hominis maculae ſunt rubentes ſanguine, hae in Caelo luce fulgentes, videlicet:

IV.

Hauete
Manes integelluli
Polae Veſpaſiae Primigeniae
Haue infans delicatula
Ne flete
Mellitiſſimi Parentes
Puſtulae iam non me cruciant
Stellae beant
V. M. VI. D. XVII. H. XVI.
Franciſcus Pater, Imperia Mater
Tantum non flentes
P. P
Contra votum

Membrum

Metaphoram proportionis in medio Elogio ceu gemmam fulgentem, ac totum fere decus ei conferentem, offert in Cenotaphio Auguſtinus Coltellinus Florentinus I. C. de Venturio Epiſcopo S. Seueri, poſteaquam Vrbe terraemotu delata, ille patriam repetens, ac honore Vicarij Generalis cum laude ibi functus, deceſſit. Ita verò in parentalibus inſcriptum.

V.

FAANCISCVM.VENTVRIVM.EPISCOPVM
eruditione, prudentia, doctrina, pietate, religione
inter optimos Summum ſuſpice, Lector.
Quem in SEVERO ſolo
fruſtra placidum miratus Orbis,
concuſſa ſibi credita tellure inconcuſſum,
terrificis chaſmatibus
aedificia tota vaſto demiſſa hiatu vorantibus
impauidum,
ſaeuienti cedentem Numini,
lachrymis prae gaudio obortis
incolumem VRBS excepit:
Obuijs Eccleſiae Purpuratis
VRBANO VIII. Pont. Max. amplexante
Florentia dein
ad patrios lares redeuntem
natalem in ſinum recepit:
Et cùm vigilantiſſimum noſſet
* in OCVLVM elegit Antiſtitis.
Argum dixiſſes
quoad vſque Sapientiae Diuinae nutu
lumina clauſerit,
Vt quem viderat in ſpeculo DEVM
mente liberiùs intueretur.
Illo extincto
inconſolabiles audiſti leſſus
non niſi Alexandro germano ſuffecto ſedandos.
Sic primo auulſo non deficit alter.
Illo demum ſuper Aſtra, vt credere pium eſt,
euecto
id vnum parentando agunt
APATISTAE,
vt eius memoriam recolentes
ſuis, exteriſque
ingenui Viri, ſapientis Academici, &
irreprehenſi Paſtoris proponant exemplar.
Vtinam exempla reſpondeant

Id enim Cenotaphium inſcripſerat Coltellinus nomine Academiae ab ſe domi inſtitutae, ac frequentibus eruditis, ſummis etiam Dynaſtis, magno cum fructu Publicae Rei, celebratae, ſub communi Symbolo *Speculi plani*, cum lemmate vulgari ex Dante

Che la figura impreſſa non traſmuta

Atque hanc alteri Academiae ab ſe pariter fundatae ſubdidit, quam *Vniuerſitatem* appellauit; propterea quòd ex omni natione, omnique lingua ſtudioſos amplectens, facultatem facit quacunque ſuper re, per genus quodcunque diſciplinarum diſſerendi; erecto communi Symbolo *Solis*, adiectoque carmine illo Taſſi

Oltre i confini ancor del Mondo noſtro.

Membrum III.

De Metalepſi, Allegoria, & Aenigmate.

METalepſim quoquè cadere in rationem dictorum, hoc eſt argutiarum, monet Quintilianus lib. VI. Inſt. Orat. cap. III. Cuius quidem exemplo ibi producto nullum praeferre eſt; videlicet. *Cum Fabius Maximus incuſans Auguſti congiariorum, quae amicis dabantur, exiguitatem, heminaria eſſe dixit. Nam congiarium cùm ſit commune liberalitatis, atque menſurae, à menſura ducta imminutio eſt rerum.* Ex quo pateſcit, huius Tropi leporem in translatione varia ſitum eſſe cum quadam gradatione, de qua Rhetores conſuluntor. In loco autem propoſito Fabius Maximus à vocabulo exiguae menſurae procedens ad alterum maioris aequiuocum, infert obliquè paruitatem rei.

Ex Allegoria item Vrbanitas trahitur; nam Metaphorae ſpecies eſt ſiue Similitudinis, ſiue Proportionis; ſed frequentationem habet, eamque in genere eodem. Vt cùm Cicero apud Quintilianum de M.Caelio, qui meliùs obijciebat, quàm defenderet crimina, argutè dicebat, *Bonam dextram habere, malam ſiniſtram*, ducta metaphora proportionis gemina à corpore ad mentem: quod enim in pugna dextram intendimus inferendis vulneribus, ſiniſtram illatis auertendis, hoc facimus agitandis cauſis forenſibus.

ſibus. E recentibus Elogiaſtis Auctor anonymus è Societate Ieſu in funere Iſabellae Reginae Hiſpan. Elogio de illius Aequanimitate in aduerſis: *Detonantem infra te Fortunam ſerena fronte ſpectaſti Iſabella*: tranſlatione petita è Caelo, quod regione Aëris media turbata ipſum imperturbatum durat. Tonare omnino videtur Gaddius in Allocutionib. cùm Guſtauum Sueciae Regem bellicoſiſſimum vocat *Glacialis poli ardens fulmen*. Plenus etiam acumine eſt, ſiquis alius, titulus ille recentis libri, *Vnguis Elogiorum Leonis Matinae Parthenopaei, Monachi Caſſinatis*; quo ſcilicet libro ſpecimen ſe modò exhibere innuit excellentis in arte ingenij, ad vulgatum illud alludens *Ex vngue Leonem*: id quod propriè primùm vſurpatum dedit, deinde Allegoriae materiam, figuratè ſumptum.

Ad Aenigma vſque res peruenit, inquit Quintilianus, vbi de Metalepſi: ac ſubdit Ciceronis dictum in Pletorium Fonteij accuſatorem, cuius matrem dixit ille, dum vixiſſet, *ludum*; poſtquam mortua eſſet, *Magiſtros habuiſſe*: ac mox exponens: *Dicebantur autem* inquit, *dum vixit, infames foeminae ad eam conuenire ſolitae: poſt mortem eius bona vaenibant: quamquam hic ludus per tranſlationem dictus eſt, Magiſtri per ambiguitatem*. En frequentata Metaphora; ſed quia ex altera parte, hoc eſt in voce *ludus* pro Schola facilis eſt captu, difficilis autem ex altera in voce ambigua Magiſtri, inde in Aenigma dictum euadit, quod Rhetores obſcuram vocant metaphoram; nos iuſtiùs Allegoriam obſcuram, quoniam in eo Metaphora frequentatur. Adde alterum locum Ciceronis, cùm illum dixit Conſulem *Dialem*, qui vno die Conſulatum tenuerat: Nam *Dialis* eſt à Dio, nimirum Ioue, ex quo Flamen Dialis dicitur Sacerdos Iouis: Conſulem porrò Dialem dixit ambigua ludens deriuatione vocis, qua ex ambiguitate obſcuritas quaedam naſcitur, ſed iucundè mox detergitur.

Membrum IV.

De Mixtis Argutijs

Metaphora, Synecdoche, Metonymia, Metalepſi, & Hyperbole.

HOſce tropos ſimpliciter adhibitos pertractare non eſt huius loci, vbi Argutias captamus in primis nobiles; praeſertim cùm eam curam à Rhetoribus praereptam malimus, ijs contenti, quae ſuperiore libro de Venuſtate Elogij libauimus. Eſt autem non negligendum Quintiliani placitum lib. VI. Cap. III. de Riſu, vbi genera Argutiarum percurrens, *frequentiſſima*, inquit, *aliorum generum cum alijs mixtura eſt, eaque optima, quae ex pluribus conſtat*. Congruitque cum Ariſtotile Rhet. lib. III. cap. XIII. num. XIII. *Quò plura coniuncta habuerit, eò fiet vrbanior oratio*. Itaque putamus è re magis futurum, ſi formas eorum troporum ex aliorum mixtione perfectas proponamus exemplis ſubiectis. Sed recolenda priùs ipſorum natura; Nam ſynecdoche totum ex parte intelligit, & partem ex toto; ſiue propriè totum & pars ſumatur, ſiue per ſimilitudinem, quo quidem modo Genus habet rationem totius, & ſpecies partis. Item ex Antecedentibus conſequentia colligit, & è contrario. Metonymia verò rem pro cognata, vel vicina ponit; hanc ſiue cauſam pro effectu, ſiue ſubiectum pro adiuncto, & his contraria. Metalepſim ſuperiore Membro excuſſimus, & ante id Metaphoram copioſiùs. Tandem Hyperbole etſi fidem ſuperet augendo rem, vel minuendo; fidem tamen facit veritatis, quae aliter non conſtaret.

Iam accipe paradigmata. Ex Synecdoche, ac Metalepſi ſapit illud reſponſum: *Regnabunt capuli*, in quo capulum remi pro ipſo remo, remum autem pro claſſe vſurpauit; quaſi diceret: qui validiorem comparabit claſſem, is victor regnabit. Hic certè fit poſitio partis pro toto, quod eſt Synecdoches; & per gradus attingitur rei cognitio, quod eſt Metalepſeos.

Ex Metonymia quoquè, & Metaphora conflatur dictum Iuſti Lipſij, qui Cornelij Taciti illuſtrans locum Annal. lib. I. *Indulſerat ei ludicro Auguſtus, dum Moecenati obtemperat effuſo in amorem* Bathylli, ita ille contraxit in ſententiam: *Bathyllus ignis, & delicium Moecenatis*; ſcilicet ignem ponit pro amore, quae metaphora eſt

proportionis

proportionis ; à rebus externis traducta ad hominem, & à corpore ad animum : Sed & amorem effectum pro cauſa efficiente, ſeu vt aiunt, pro obiecto amoris, ideſt Bathyllo. Eodem ex fonte deriuatur Argutia Alberti, Elogio de Diuo Benedicto: *Sororem Scholaſticam aſtra petentem vidit: Dedit itineri comites ſua vota.* Metaphoricòs vota dicit comites; ſed vota vt adiunctum pro ſubiecto, ideſt animo vouente. In funere Iſabellae Reginae Hiſpan. in ſummo Templo Mediolani, ita clauditur Inſcriptio, quae ſymbolum exponit de Bunduica Angliae Regina: *Suadeant alij lachrymas. Peroranti Gratiae in funere, Claude ſi potes, Clepſydram lachrymarum.* Eſt enim Clepſydra nomen fontis proprium in Arce Athenarum, quae ſpecies eſt loco fontis generatim per Metonymiam: Sed ipſa vox fontis datur lachrymis per Metaphoram ſimilitudinis & proportionis; nam & in vtriſque conuenit humor, & ex corde hominis per oculos lachrymae, quemadmodum è viſceribus terrae per meatus fons erumpit.

Ex Metonymia, & Hyperbole animatur locus Epitaphij de Dominico Contareno apud Leonem Matinam ibi: *Hoſtes, ac rebelles gladio: Scriptores Geſtorum multitudine fatigauit.* Nam non ſicut hoſtes, ita Scriptores fatigaſſe intelligitur; ſed cauſam obtulit fatigandi Scriptoribus, multitudine geſtorum obiecta (quod Metonymicòs dicitur) ſed quòd tam multa fuerint geſta, vt hi fatigarentur, non niſi hyperbolicòs vſurpatur.

Ex Metaphora, Hyperbole, & Metonymia vibratur clauſula funebris Inſcriptionis ibidem, de liberalitate Iſabellae Reginae: *Flere tamen vtcunque iuuat, quando vel ipſa inanima Templa textili pullata moerore Funeratam ſui decoris pompam lamentantur.* Quòd lamentari dicuntur Templa, metaphoricum eſt, à re animata ad inanimam: quodque vèl inanima lamentari, hyperbolicum: Denique illud textili moerore pullata, metonymicum; ſignum videlicet moeroris, pro aulaeis atris.

Atque vt obſequamur ſtudioſis, Exemplum hìc adijcimus Elogij recentiſſimi, eam mixturam Argutiarum complectentis. Publicatum id fuit Piſis, cùm ad nuncium euecti ad Vaticanam purpuram Scipionis de Pannochieſchis, Comitis Ilcij, & Archiepiſcopi Piſani, Ioannes Pinoccius Abbas, & ipſius Archiepiſcopi Vicarius Generalis Ignes feſtos variè ludibundos exponeret, huiuſmodi Elogio adornatos

V.

a. Metonymia cum Metaphora proportionis	a. *Sit alibi Vulcanus lethi faber*
b. Metaph. proport.	b. *Hìc laetitiae praeco eſt.*
	Ioannes Pinoccius vt tantae hilaritatis diem produceret
c. Hyperbole	c. *Occidentis Solis vicem*
	c. *Haec lumina ſupplere voluit.*
d. Metaph. proport.	d. *Animi ille gaudium multiplicibus flammarum linguis*
	Expreſſit
	Quando vna ſatis non potuit
e. Alluſio ad Sidus Chiſij ſtemmatis	e. *CHISIORVM. SIDERVM. MVNIFICENTIAM*
	Quà licuit aemulatus
f. Metaph. ſimilit. & proport.	f. *Nouis noctem ſideribus illuſtrauit.*
	Cùm Aquilam fulminum miniſtram non ignoraret,
g. Iterum	g. *Feſto terreſtrium fulminum plauſu eidem alluſit.*
h. Metaph. proport.	h. *Pyris aduolare ſolitae hoſce Rogos excitauit*
i. Iterum	i. *Ferte hùc de cordium ardoribus ſuppetias*
	CIVES
l. Allegoria	l. *Vel in ijs gaudiorum veſtrorum ſemina*
	l. *Laeto lacrymarum flumine*
	l. *Irrigate*

Membrum V.

De Agnominatione.

POſtremò expedire oportet in Diuerſitate poſitam Tropi virtutem. Neque enim in doctrina diu immorabimur, vbi luxuries vulgi ſobrietatem nobis indicit. Nam prima, quae ſeſe offert, Agnominatio, ideſt Ex ſimilitudine literarum deflexio vocis in contrarium; ſiue per adiectionem fiat literae, aut ſyllabae, ſiue per detractionem, ſiue per mutationem, ſiue denique per tranſpoſitionem, illud in primis cauendum in ea eſt, vt luſum in voce comitetur ſententia, eaque non ſubſidens, ſed magis ſubſiliens, hoc eſt, vt ſuperiorem ſententiam augeat potiùs, quàm minuat.

Adiectione ſyllabae ſubſilit ſententia ad doloris expreſſionem in vocibus *Fauſtus Infauſtus* apud Gruterum in antiquo marmore Romano, pag. CCCXXXI. num. 7. videlicet:

VI.

C. IOCVNDO. C. F. EXQ. QVI
XII. AN. VIXIT. ET. SEPTIES
SPECTANTIBVS. IMPP. SER
GALBA. OTHONE. SALVIO. A
VITELLIO. ET. POPVLO. R
SALTAVIT. CANTAVIT. ET
PLACVIT. PRO. IOCIS. QVIBVS
CVNCTOS. OBLECTABAT. SI. QVID
OBLECTAMENTI. APVD. VOS. EST
MANES. INSONTEM. REFICITE
ANIMVLAM. FAVSTVS. NVNC
INFAVSTVS. PATER. FILIO
ET. SIBI. FECIT

Literae quoquè adiectione luſit, ſed minaciter, Sibylla vaticinans.

ἘΣΕΙ͂ΤΑΙ. ΔΗ͂ΛΟΣ. ἌΔΗΛΟΣ.

ideſt *Erit Delus ignota.* Scitè ad amplificationem Emanuel Theſaurus in oratione Academica Cremon. *Fatum neſcient ſcripta, quae factum hoc referent.* Adhuc ſyllabae adiectiuae Stephanus Petiot, Elogio de Ludouico Rege: *Gallia, quae caeterarum gentium ſeruis dat libertatem, ipſa ſeruitutem à ſubditis tolerabat. Adeò probrum illud Imperij nec ferri poterat, nec auferri.*

Detractione literae luſit Aeſchines in Demoſthenem: *οὐ γὰρ τὸν τρόπον, ἀλλὰ τὸν τόπον μόνον μετήλλαξε.* *non enim*, inquit, *mores, ſed locum duntaxat, mutauit.* Terentius in Eun. Act. II. Sc. II. *Video ſentum, ſqualidum, aegrum, pannis, annisque obſitum.* Syllabae, ex Elogiattis recentibus Alexius Ledeſma Elog. de loco, vbi defuncti expiantur: *Amici, Cognati, credite nobis: Hic morari eſt ipſum, ac mori.* Aloyſius Iuglaris Elog. LXXXII. de Chriſto Ieſu, in Epitaphio Iudae proditoris: *Daemonas fugauit aliquoties, fugit nunquam: Admiſit in animo, quos excluſerat à corporibus.* Syllabae ſimul, & literae, Qui Gotardo Naſello ius dicenti, ſed cunctabundo, infenſus, nominis atque cognominis grandibus ad iactantiam literis ſupra Tribunal inſcripti principia deleuit, ac reliquit legendum TARDVS. ASELLVS. Emmanuel Theſaurus in funere Sereniſs. Thomae Principis à Sabaudia frontem rogi hac ornauit Inſcriptione

VII.

CAR. EMMANVEL. DVX. SAB. REX. CYPRI
PATRVO. OPTIMO
QVAM. POTEST. IMMORTALITATEM
MOERENS. MERENTI
CONTRIBVIT

Nec frigidum cauilleris luſum diſſolutae diphthongi ex voce *moerens* in *merenti*, vnde mira emphaſis ſpirat, ſi tamen antecedentia attendas: ſcilicet, quia patruus meretur immortalitatem; filius fratris eam contribuit, quantum poteſt, funere nimirum ſumptuoſiſſimo ac Regali; ſed moerens contribuit, quia mortuo: volebas tu autem, vt volens ac libens? hoc aliter veteres dicerent *contra votum*. Etſi hoc ipſum ferè ſuggerit Vetus Inſcriptio apud Gruterum pagina DLVI. num. 1.

VIII.

Parentes Moerentes
Filio Merenti

Mutatione, bellè Claudius Caeſar apud Suetonium: *Sibi in fatis eſſe, omnia matrimonia eſſe impudica, ſed non impunita.* Apud Ciceronem in Epiſtolis: *Reipublicae nec deeſſe, nec ſupereſſe volo*, bello ſcilicet ciuili aeſtuante locutus eſt Aſinius Pollio. Emmanuel Theſaurus: *Quis illud factum non fictum putet, cùm &c.?* Stephanus

Petiot

Petiot, Elog. de Rege Galliarum: *O nunquam audita prodigia. Stant aquae, fluctus ipſi pendent, credo admiratione librati: contrà natant terrae, non nutant tamen, ſed in naufragio portum tenent.* Denique Sybilla ex huiuſmodi ludicro terrorem elicit praenuntij, *ἔσαι Ρ'ώμη ῥύμη, erit*, inquit, *Roma vicus.* Mutat, ſimulque addit pari lepore Ioannes Baptiſta Beccius Monachus Caſſinenſis, Vir amoeniſſimus, in Elogio ſub Imagine Franciſci Coppolae Patritij Peruſini, poſt obitam Florentinam Praeturam Inſigne geminum reportatum oſtentantis, lilia aurea, Florentinae Reip. Et Aquilam cum Dracone prae vnguibus, Partis Guelfae.

IX.

Auguſta plaude Ciuitas
Et tuos dicito Franciſci honores
Heroum coronae, patriae redundant in gloriam
Turrenae collibus quas legit palmas
Etruriae flos vertit in lilia
Magnanimi Viri
Auro ne crederes violatam Iuſtitiam
Aureis floribus Regia nectitur Aquila
Vngue comprimens auaritiae anguem
Iuſto auguſto heroi
Iure dentur Aquilae pro Inſigni
Aurea Lilia pro Laurea

Denique Tranſpoſitione arridet dictum Ciceronis ad Attic. lib.I. Epiſt.X. *Conſul ipſe paruo animo & prauo, facie magis, quàm facetijs ridiculus.* Vbi etiam ſubiecta alliteratio in facie & facetijs adauget ſententiae gratiam. Verùm de Alliteratione paulò inferiùs. E recentibus non inelegans Agnominatio legitur in tabula aenea ſepulcrali Vrnae affixa, in qua cineres Sereniſſimi Principis Thomae à Sabaudia: *Media inter arma Maritales faces Martialibus adnectens, Mariam Borboniam Regali è ſanguine Viraginem duxit.* In Aetopeia de Mantuano excidio habetur: *Leone terreſtri deficiente, caeleſti exoriente, corrui viribus, non iuribus.*

Perfectior exibit Agnominatio, ſi Tropo aliquo miſceatur, vt praeſtitit Aloyſius Nouarinus per Metaphoram egregiam, Elogio de Marcello, & Paulo: *Saluete Italiae lumina &c. gemina Iris, ſed gemmea.* Sed palmam praeripit Diuus Auguſtinus ſerm. II. de Epiphania: *Quaſi plus fuerit videre nouam ſtellam in eius natiuitate fulgentem, quàm Solem eius in morte lugentem.*

Porrò huius generis argutiae temperandus potiùs nobis fuerat, quà tradendus modus; id quod placitis quatuor mox exequimur.

Primum placitum eſto. Rara Agnominatio fulget clarior. Accipimus ex Quintiliano Inſt. Orat. lib. IX. cap. III. *Haec*, inquit, *ſchemata, & his ſimilia, quae erunt per Mutationem, Adiectionem, Detractionem, Ordinem, vt conuertunt in ſe Auditorem, nec languere patiuntur, ſubinde aliqua notabili figura excitatum, & habent quandam ex illa vitij ſimilitudine gratiam, vt in cibis interim acor ipſe iucundus eſt, quod continget, ſi neque ſupra modum multae fuerint, nec eiuſdem generis aut iunctae, aut frequẽtes, quia ſatietatẽ vt varietas earum, ita raritas effugit.* Hinc licuit obſeruare Epitaphiũ C. Iocundi ſuperiùs deſcriptum, figura eius notae ſingulari contentum fuiſſe. Debet autem videri (quod in primis obſerues) non quaeſita Agnominatio, ſed nata, ac ſponte oblata, cuius paradigma habes praeclarum in Diuo Auguſtino, ſerm. II. de Epiphania Domini hìc allegandum: *Simul*, ait, *eius celſitudinem, humilitatemque commendans; Vt qui in aperto Caelo ſignis ſidereis monſtrabatur Magnus, in anguſto diuerſorio quaeſitus inueniretur inualidus; infantilibus in membris natus, infantilibuſque pannis inuolutus adoraretur à Magis, timeretur à malis.* Nata illa videtur in ſepulcrali titulo de Alexandro Rubeo Epiſcopo Parmenſi: *Hoc optatiſſimo Paſtore ſpes multa gregi: Sed mors propera fructus vberes Inuidit & rapuit. Et cuius iam pridem aduẽtum LVBENS. Exitum ſubinde LVGENS Parma ſuſcepit. Felix qui lacrymas vbique meruit* &c. Habes totum id Epitaphium apud Ferdin. Vghellum Tom. II. Italiae Sacrae, pag. 243. His haerens veſtigijs Elogiaſta recentior, ac facile Princeps noſtri temporis Franciſcus Rondinellus Patritius Florentinus, & A Bibliotheca domeſtica Sereniſs. Ferdinandi II. Magni Ducis Etr. in funere gentilis ſui Octauij Rondinelli exemplum edidit tyronibus, ſimul & cenſuram emeritis: Alludit autem ad faces funeris frequentiſſimas, in hunc modum:

X.

QVI . IVVENVM . SIDVS . HAS . INTER . FACES
EXTINCTVM . VIDES
NE . CALIGA
PLVS . FIDENS . AEVO . QVAM . FIDEI
TE . MORTALEM . MONENTI
AGNOSCE . VITAE . FLVXVM . IN . CERIS
DVM . FLVVNT . ILLAE . LVCENT . AC . LVGENT
QVOD . PINGI . POSSIT . ILLVSTRIVS
IN . HOC . VMBRAE . MAVSOLAEO
VITAE . HIEROGLYPHICVM . ET . MORTIS?
TV . SI . VELIS . INSCRIBERE . PRVDENS
VIRORVM . EST . NON . INFANTEM . NASCI . NATVMQ.
SENESCERE
SED . INFANTEM . MORI . CVM . SENVERIS
SIC . OBI . LECTOR . ET . ABI

Habes hìc ſanè toroſam ſenſibus inſcriptionem, argutiolis autem verbalibus vix duabus pictam, ideſt *lucent*, *lugent*, Item *obi*, *abi*. Sed hae quoquè non ſinè ſanguine ſunt, & ſucco, vt cernis. Ampliùs obſerua apud Gruter. pag. CCLXXX. num. 6. Romanum marmor ſequioris quamquam ſeculi, videlicet

XI.

RESTITVTORI . VRBIS . ROMAE . ATQVE . ORBIS
ET . EXTINCTORI . PESTIFERAE . TYRANNIDIS
DN. FL. IVL. CONSTANTIO . VICTORI . AC . TRIVMFATORI
SEMPER . AVGVSTO
NERATIVS . CEREALIS . V. C. PRAEFECTVS . VRBI
VICESACRA . IVDICANS . D. N. M. QVE . EIVS

Suadere videbatur oblata colluſio vocum *Vrbis* & *Orbis*, vti ponè locarentur, & ex noſtratibus quotus quiſque non aſſenſiſſet? (neque enim deeſt huius artis recens profeſſor, qui illud in exemplum producat: *Cui vix nato, Vrbi & Orbi noto, Numen arriſit*) maluit tamen interpoſitu vocis *Romae* perdere floſculum citò marcidum. Aduerte tamen, in panegyricis Elogijs liberiorem, quàm in hiſtoricis permitti Agnominationis licentiam.

Alterum placitum eſt: Aeminata Agnominatio, ſeu duobus modis facta, v. g. Detractione ſimul & Mutatione poſcit ſententiae concinnitate fulciri, nè licenrior exiſtat. Id quod obſeruauimus factum apud Emanuelem Theſaurum in Patriarchis, Elogio de Lamecho Mathuſaëlis filio, qui primus mortalium polygamiam inuexit, vxoribus duabus ductis. In quem ille ſic ludit: *Bis amans, Bis amens. Non vno contentus iugali vinculo, Gemino te mancipium ligas? Vtramque igitur pellicem, vtramque ſuccubam facis, vt fatidico iam nomine arguaris Lamechus Mechus*. Siquidem vox *Mechus*, vt ſignificet Adulterum, poſcit mutationem vocalis *e* in diphthongum *oe* à Typographo hìc omiſſam. Neque vero eſt, cur quis Authorem corripiat, quaſi immeritò Moechiam obiectet Lamecho; Nam etſi, vti liberas duxit foeminas, ita iuſtè creditur de ambarum vxorum conſenſu geminaſſe coniugium; atque ex Diuo Auguſtino (vt obſeruat Toſtatus in Caput XXIX. Geneſis) plures ducere vxores deſiderio gignendi, non eſt contra Naturam, ſed contra modum Naturae, ſcilicet vt vna ſit vnius; ſed id, vt inquit, *diſpenſabile*, quia cum recto fine cohaeret; ideo in SS. Patriarchis ex diſpenſatione licuit; Atque adeò in lege Moſaica (Leuitici cap. XX. n. 10.) cùm Moechi, & Adulterae lapidibus obrui iubeantur, Digamia praeſens non modò non interdicitur, ſed ad ſuſcitandum fraternum ſemen praecipitur à Deo, & quidem ſeuero edicto, vt patet libro Deuteron. Cap. XXV. num. 5. Neque ſacer Hiſtoricus referens Lamechi factum (Geneſis Cap. IV. num. 19.) Elogio vllo probroſo perſtringit, ac ne vmbram quidem appingit notae: Haec tamen cùm ita ſint, nequaquam

quam improbandus videtur nobis Theſaurus, qui Philologi perſonam eo loco induit, non Theologi; & cùm referret nuptias duplices, quae poſt Chriſtum (lege Moſaica abolita) vetitae ſunt, in execrationem ſcilicet Veneris noſtra aetate apud Maomethicam ſectam vſitatae, Vir temperantiſſimus, & Muſarum, quae caſtae feruntur, in primis ſtudioſus, Genio exſilienti, vt inſultaret, & habenas permiſit, & ſtimulos addidit.

Tertium Placitum. Ab exotico ſi adſciſcatur ſermone, perire non modò lepôrem, ſed etiam puteſcere. Cuius generis occurrit apud recentem Elogiaſten (nomen honoris cauſa ſubticemus) qui Raynerium quendam celebrans, impos ſui ipſius, vna & ſermonis Latini, quem tùm inſtituerat, inquit: *Raynerius hic fuit, Radius nempe in nigredine radians*. Nimirum aduertebat ille Italicè *Rai* dictitari, qui Latinè Radij; & *Nero*, qui Niger. Non abſimili nota temeratur Epitaphium recens Bergomenſe Franciſci Sauij, *Saui*, inquit, *nomine*, *reapſe ſapiens*. Quanquam hic videtur potiùs Alliterationis luſus, quàm Agnominationis. Eximendam putamus ab hac cenſura particulam recentis Elogij Mediol. apud Suueert. in Sel. Delict. quod neceſſum eſt totum afferre:

XII.

MARGARITAE. AVSTRIACAE
Philippi III. Regum Max. Coniugis Auguſtiſſimae
Maieſtatem
** Pacis fatale nomen*
Propagandae Imperatorum ſtirpi
Aptiſſimum connubium
Ac propulſandae omnium moeſtitiae
Propitium aduentum
Io. Fernandeus Velaſchius Caſtellae Comeſtabilis
Laetiſſimus veneratur

neque enim appellat nomen fatale pacis, quaſi per Margaritam, ideſt *Vnionem* Latinè velit alludi ad *Vnionem* barbarè vſurpatam in genere foeminino, ſed magis ad verbum *Vnio*, quo tolluntur diſſidia, conciliantur diſcordes.

Quartum denique Placitum deſcribimus ex Iulio Caeſare Scaligero in Poetica lib. VIII. cap. CXXV. Cuius haec ipſa ſunt verba: *Stolidi quidam triuiales ad nominum alluſionem infeliciſſimos numeros contulerunt. Nihil ineptius ad laudationem. Verbi gratia: Si Minutum Munitum dicas* (amicum Scaliger innuit, virum illuſtrem) *habes enim illuſtriſſimas corporis animique virtutes Gabrielis filij, quibus integros explere queas libros. Ad vituperandum tamen aliquando non ineptè vti poteris, veluti, ſi Doletum oletum interpreteris, aut à Dolo deducas, ſicuti feciſſe legimus Ouidium, cuius extat ille verſiculus: Aut cur non dicam, Furia, te furiam?* Vituperationi itaquè magis, quàm laudationi natas hoc genus alluſiones probant etiam marmora antiqua, quale eſt iurgium inter coniuges defunctos & incluſos tumulo, citatum ſuperiore Libro Cap. III. Memb. XVIII. ibi: *Hic Bebrius ebrius me ebriam putat*. Quare in Elogio laudatiuo cautè admodum ages in eiuſce vſu figurae.

Membrum VI.

De Alliteratione.

Est hoc ſchema in quadam aſſonantia poſitum, nimirum cùm ex prioris vocis ſono deducitur ſonus alius: finitimum ergo dixeris ſuperiori, laxioribus autem ſpatijs incluſum. Fit enim his fere modis:

Primò Diuiſione vocis, Vt cùm Alexandro Macedoni, oblato in ſomnis Satyro, Interpretes polliciti ſunt victoriam de Vrbe Tyro, vocem ΣΑΤΥΡΟΣ diuidentes ita ΣΑ. ΤΥΡΟΣ, Latinè *Tua Tyrus*, videlicet σὰ pro σὴ more Dorico. Et Conſtantino Auguſto imminente praelio, ſomnianti autem profectionem ad Theſſalonicam, infauſtum portenderunt exitum praelij, vocem ΘΕΣΣΑΛΟΝΙ΄ΚΗΙΝ paulùm corruptam diuidentes ΘΕ`Σ. Α΄ΛΛΩ. ΝΙ΄ΚΗΝ. ideſt *Des alij victoriam*. Hinc facile itur ad ridicula. Sic inter varios titulos incidendo tumulo Viri Principis, ſed ex illegitimo concubitu nati, cùm nullus ſatis probaretur, protruſit quidam cauillator ſuum, hoc eſt

XIII.

N . N
TVMVLVS
TV
MVLVS

Secundò Coniunctione, vt apud Emanuelem Theſaurum Lemma Latinum VSV. RARO inſcriptum paterae atque oenophoro, ſeu phialae vini in triclinio viri diuitis natione Germani, qui ſenſu auaritiae, non ſtudio temperantiae in ebrietatem perquàm raro offendebat. Auctor autem Lemmatis homo Italus vulgari idiomate legi volebat Latinis illis vocibus coniunctis ita: VSVRARO.

Tertiò Adiectione multiplici, ſeu vnius & alterius literae, ac ſyllabae, & apud Cornificium: *Demus operam, ne Patres Conſcripti Patres Circumſcripti videantur.*

Quartò Mutatione etiam multiplici, vt cùm de Senatu Pariſienſi, in quo plerique iuuenes aetate florente, iactatum eſt: *Iam non eſt hic Senatus, ſed Iuuenatus.*

Quintò Tranſpoſitione cum mutatione, vt cùm Pupillus Orbilius, nobilis in vrbe Grammaticus, deficiente propter morbum memoria, Pupillus Obliuius eſt appellatus; Vel cum detractione, vt Claudius Tiberius Nero, quod vino delectaretur calido, & puro, Caldius, Biberius Mero.

In hoc tamen ſale adhibendo multum ſalis eſt opus: ferè enim aut barbariem vetuſtatis ſapit, aut puerilem leuitatem: Cuius exemplum (vt illud Quintiliani vſurpem) vitandi certè, non imitandi gratia damus Inſcriptionem Ianuae aereae in ſepulcro Boamundi Principis Antiocheni in Apulia:

XIV.

Vnde boat Mundus, quanti fuerit Boamundus Graecia teſtatur, Syria dinumerat &c.

Quantopere verò inſidietur dignitati marmoris alluſio ad nomē proprium, coniectura fit ex antiquis. Siquidem Epitaphium inſcriptura Vxor Marito optimo defuncto, cui nomen AMANDVS, quotus quiſque è Tyrunculis noſtratibus foret, qui non tàm oblatum ex ipſo nomine, quàm obligatum alliterationi putaret argumentum? vt diceret *Virum optimum, ac dotibus incomparandis verè amandum* &c. Atqui nil tale videmus in mentem veniſſe Auctori Epitaphij antiqui (apud Gruterum pag. DCXCVIII. n. 10.) &, quod magis miremur, Neapolitani; ea quippe gens maximè in affectus effunditur. Eſt autem huiuſmodi:

XV.

OPPIA . T. F. BASSILLA
MATER . INFELICISSIMA
FECIT . BASSO . FIL. OPTIMO
ET . PIISSIMO . ET . SIBI . ET
AMANDO . AVG. L. CONIVGI
ET . LIBERTIS . LIBERTABVSQVE &c

Deſcripſimus totum ſuprà lib. IV. De Elog. Breuit. Memb. IV. vbi & adnotauimus, vt mirabundus ſuſpexerit id Epitaphium P. Iouius teſte Scipione Ammirato in Dialogo, quem inſcripſit *RVOTA*.

Nec deſunt recentia exempla in nomine gentili, temperantia ab his luſibus, & ea bonae notae, quod auget authoritatem placito noſtro, quale eſt Epitaphium Alexandri Sirenae ſummi Poëtae, in quo ne ex conditione quidem Poëſeos, quae habet ſibi familiares fabulas, mentio vlla fit fabuloſarum Sirenum, earumue cantus; quam quidem pruriens vulgus è veſtigio arripuiſſet. Habes illud excerptum ex Suueertio in Select. Delicijs, inter Patauina, videlicet

XVI.

ALEXANDRO . SIRENAE . FVLGINATI . GENERIS . NOBILITATE
ET . MORVM . ELEGANTIA . AC . PROBITATE . ORNATISSIMO . ALIARVMQVE
BONARVM . ARTIVM . AC . POTISSIMVM . LATINAE . ETRVSCAEQVE
POETICAE . PERITISSIMO . CVM . QVO . TOTIVS . SIRENAE . FAMILIAE
CVIVS . VNICVM . ERAT . GERMEN . SPES . OMNIS . EXTINCTA . EST
BAPTISTA . SIRENA . ET . COLVMNA . PONTANA . PARENTES . MOESTISS
TVRBATO . HEV . NATVRAE . ORDINAE . FILIO . OPT. ET . DVLCISSIMO
P. C. VIXIT . ANN. XXV. M. V. D. XXIV. OBIIT . III. NON. FEBR
M.D.LXIV. LACTANTIVS . BRVNAS . ET . IO. BAPT. ELMVS . PROCVRABANT

Haec

Haec à nobis inculcanda ideò eſſe duximus, vt lubricis ingenijs proſpiceremus, quorum aliqua ita hos fucos depereunt, ita perditè ſectantur, vt quod ſanctè Scaliger vſurpabat de nonnullis Odis Horatianis, homines hi tale quiddam peruersè optare arguantur; vnius ſcilicet Alliterationis Auctores, quàm totius Tarraconenſis Reges fieri mallent. Licentiùs profectò in carmine, quàm proſa luditur, quod probat Sepulchrale Elogium Pierij Valeriani apud eundem Suueertium deſcriptum inter Patauina; nam proſa conſtans & carmine, in hoc duntaxat Alliteratio admittitur, Maieſtate proſae illibata, vt hìc vides

XVII.

PIERIO . VALERIANO
BELLVNENSI . POETAE . RHETORIQVE . AMPLISSIMO . CVIVS . PIA
VMBRA . NON . POENITENDVM . HIC . TVMVLVM . SORTITA . EST
NAM . VT . OPTABILIS . IN . PATRIA . ITA . SPECIOSIVS . PATAVII . SVPREMI
OFFICII . DECVS . FATO . AMISSVM . VIRTVTE . RECVPERAVIT
PETRVS . CARRARIVS . AC . IOANNES . BAPTISTA . ROTA . PATAVINI
VNANIMES . GRATO . HOSPITI . POSS

Pieridas dum Pierius ſectatur, & Orci
Nil timet inſidias, hunc fera mors rapuit
Illa necem, aeternae oſtentant haec munera vitae
Hinc medius vitae Pieriuſque neci
Abſtulit haec annos triſtes ac praemia laudum
Atque animam hae ſeruant, inuida mors moritur

Hoc in nomine proprio. In gentili autem eſt, cur obſeruemus apud eundem Suueertium inter Mutinenſia, videlicet

XVIII.

ANNAE . COLVMBAE
ANIMI . CANDORE . ET . CONIVGII . FIDE
MATRONAE . LIBERALI . FORMA
MODESTISS. MORIBVS
ET . CHRISTIANA . PIETATE . ORNATAE
IOAN . BAPT. MOLZA
CONIVGI . OPT. DVLCISS
CVM . QVA . VIXIT . ANN. XX. M. II. D. VI
CONCORDISSIME
MOERENTI . ANIMO . POS

Viuit adhuc niueis volitatque per aëra pennis
Clara pudicitiae fama COLVMBA tuae

Cui ſubiungimus Romanum marmor ſepulcrale inſcriptum metricè, alludens autem ad cognomen Apri, citatum ab Aldo Manutio in ſuaOrtographia ſub voce *Accenſus* num. 2. videlicet

XVIII.

INNOCVVS . APER . ECCE . IACES . NON . VIRGINIS . IRA
NEC . MELEAGER . ATROX . PERFODIT . VISCERA . FERRO
MORS . TACITA . OBREPSIT . SVBITO . FECITQVE . RVINAM
QVAE . TIBI . CRESCENTI . RAPVIT . IVVENILE . FIGVRAM
T. STATILIO. VOL. APRO. MENSORI. AEDIFICIOR. VIXIT. ANN. XXII. &c

cui adijcimus in gratiam curioſi lectoris Tumulum Marci Muſuri Cretenſis è Zuerio Boxhornio deſcriptum, videlicet:

XIX.

MVSVRE . O . MANSVRE . PARVM
PROPERATA . TVLISTI . PRAEMIA
NAMQVE . CITO . TRADITA . RAPTA
CITO

Nè tamen ſuperſtitioſus euadat in proſa Elogiaſtes, damus Alliterationis exemplum in nomine Proprio ſimul ac Gentili ad proſam Panegyricam; in qua ſic poſcebat materia, ſcilicet nata Poëſi, & magis Elego, quàm Elogio. Sed non hinc ſolùm efflореſcit lepor huius Inſcriptionis. Inſunt & quae praeterea obſerues, & quae praeferas aeſtimatione, ſine quibus illa frigeſcerent

frigeſcerent, ac deſiperent. Quippe Author eſt Claudius Achillinus, ille Muſarum Praeſes, & noſtri temporis gloria. Ita verò habet.

X X.

HIC . IACET
ANGELICA . SYLVASPINA
commendatae, & ſuſpiciendae pulchritudinis virgo
quam nullus vnquam mortalium vidit
Quin ſpina punctus
ſylua irretitus
Angelico afflatu correptus
haereret.
Quae niueo digito roſeis labellis admoto
Lucretiae & Helenae famam
aeternùm ſilere iuſſit.
Vno dicam verbo
Cymba Veneris ad hoc ſaxum naufragium fecit
Cupidines ab arcubus feriati
intempeſtiuo cineri haec otia fecerunt
Anno
Cypriae vaſtationis
Sole de Virgine exeunte
Venere deliquium paſſa
Tu verò aeternùm vale

Caeterùm nè pronus, & praeceps fiat ad haec ludicra, quae nimiùm quantùm proxima ſunt periculo frigiditatis, ni aliunde concepent vrbanitatis calorem, duo tibi recentia promimus epitaphia, quorum priùs ſublanguidum viſum fuit Vincentio Gallo eximij iudicij viro, ac noſtro quondam Rhetori; legitur in Oppido Caſtilione apud Inſubres, videlicet:

X X I.

FLORAMONTIS . NOMEN . SORTITVS
NE. AB. ANTIQVISSIMA. NOBILITATE. DOMVSQVE. CASTILIONEAE. SPLENDORE
DEGENERAREM
FLORVI . PRAECLARIS . ANIMI . DOTIBVS . MORVM . AC . VITAE. INTEGRITATE
REI . BELLICAE . DISCIPLINA . STVDIOQVE
AC. IN. LIBERA. MILITVM. VIVENDI. LICENTIA. CONTINENTIA. ADMODVM. SINGVLARI
VT . A . LVDOVICO . FRANCISCOQVE . GALLORVM . REGIBVS
A . FRANCISCO . II. SFORTIA . MEDIOLANI . DVCE
INTER . STRENVOS . PEDITVM . EQVITVMQVE . DVCTORES
INSIGNIS . HABITVS . FVERIM
MAIORA . DE . ME . POTERAT . SIBI . POLLICERI . POSTERITAS
SI . VIXISSEM
OBII . ANNO . A . PARTV . VIRGINIS . MDXL. XVIII. IVL
ELEONORA . PAGNANA . VXOR . BRANDA . ET . BIANOT . FILII . MOESTISS
POSS

Alterum eſt Franciſci Polae in Iacobum Semperuiuum, in quo, ſi attentiùs contemplere, nae huius vitij veſtigium, vmbramque diſpicies. Sic autem accipe:

X X I I.

SOMNO . AETERNALI . SACRVM
IACOBI . SEMPERVIVI
QVID . ME
NON . SEMPER . VIXISSE . QVERERIS?
QVANTVLACVNQVE . VITA
SI . VT . EGO . FECI . VTI . SCIAS
SEMPITERNA . ESTO
FRANCISCVS . POLA . IVRISC. F
CONTRA . VOTVM
AMICO . AMABILISSIMO . ET . B. M

nam etſi ſententia illa moralis de Vitae breuitate ſatis bona eſt; tamen ad Alliterationem illam non fuerat vadendum in ipſo limine, ac ita nudè, ſed primùm tractu aliquo nobili, quò quaſi neſcius deducereris.

Alliteratio feſtiui eſt foetus ingenij; proinde ab argumento videtur abhorrere ſeuero, ac multò magis tragico. Quare quid ſentias, habes, de Elogio Andreae Baiani, in Dominicam I. Aduentus Chriſti, quo repraeſentatur Extremum Iudicium; ſed allitteratione perpetua, quaſi muſiuum opus conflatur, hoc pacto:

X X I I I.

Die critico languentis, & moribundi ſeculi
Illaetabilia, & lethalia praecedent ſigna
Suam Caelum caelabit caelaturam Mortalibus
Sol ſine Sole inſolens, & obſoletus apparebit
Luna illunis videbitur

Stellae

Stellae vt ſtillae cadere
Terra teri motibus
Mare amarè plangere
Orbis orbus
Mundus immundus
Vel ad natale ſuum NIHIL redigi reformidans
Vel ab informi inchoari Chao
Tunc boni tanquam ſurſum conuerſae Arbores
Expectatione ſalutis, & gloriae
Et mali, qui vt peruerſae deorſum radices egerant
Metu damnationis, & poenae
Coareſcent

Praeter frigiditatem eſt cauenda in vocibus deriuatis durities, qualis offenditur in Elogio de Iulio Mazarino Cardinale verè Eminentiſſimo, ibi: *Anguſtiatum Regnum vt Auguſtum redderet, illi creditum eſt*. Non ineptè ſi luſiſſet in *Auguſtum* & *Anguſtum*: Atqui in deriuatione fit aſperum; Praeterquamquòd in Typographum refundimus illam corruptelam, quod barbarie duritiē ipſam cumulauerit reddens *Anguſtiatum* pro *Anguſtatū*, ab *Anguſto, as*, nec extat *Anguſtio*.

De hoc pariter ſchemate, quemadmodum de praecedente meritò aſſerimus, vituperationi, & cauillis accommodatius eſſe, quàm laudationi, adducti cùm ex allegatis hactenus nonnullis iocis, multiſque alijs apud Scriptores veteres; tùm illo apud Athenaeum lib: XIII. cap. XVII. de Gnathena ſcorto Athenienſi. Haec ad virum quendam garrulum, narrantem, ſe in Helleſpontum veniſſe: & *Quo pacto*, inquit, *in praeſtantiſſimam illius loci Ciuitatem non acceſſiſti? Cui cùm diceret is, In quam? In Sigaeum inquit*: Alludens nimirum ad vocem σιγὴ, ideſt *ſilentium*. Verum enimuerò illa placitum noſtrum probat Inſcriptio ſepulcralis recens, ad normam priſcarum inciſa compendijs literarum, videlicet:

XXIV
HIC . SITVS . EST
DID . ORCELL
NOB . FAM . NAT
QVI . CIVIL . BELL
LAVD . IN . ARC . ET . CASTR . MER
OBIIT
AN. AET. LV

Ecce autem haec laudi inſcripta detorſit inuidorum ſtylus ad probrum inſigne, hocce nimirum abutens ſchemate. Quod à nobis deteſtandum hercle magis, quàm imitandum proponitur; aut certè vt è fimo obſcoeniſſimae dicacitatis honeſtos ſales aut laudando, aut innocenter carpendo diſcamus extrahere. Sic autem illi ediderunt:

XXV.
HIC . paraSIT . EST
ſorDID . pORCELL
igNOB . inFAM . damNAT
QVI . iuCIVIL . BELLua
cLAVDi . IN . cARC . ET . CASTRari . MER
male OBIIT
ANimal . fAET . LVt

In Epitaphijs Alliteratione indecora nihil ſcurrilius; vbi quippe dignitas argumenti ſeruanda, & ferè cum moeroris expreſſione. Quo in genere bilem mouit Epitaphium honeſtiſſimae matrone poſitum à coniuge Viro primario. Nam cùm illa eſſet è Bouia familia pernobili, arripuit inde argumentum Auctor, vt ſcriberet: *N. Bouia, N. iugo legis annis LXXV. tolerato, vt Bos alatus ad caeleſtia euolauit* &c. Quàm verò ambiguè brutum cornupetam appellaſſe maritam pudiciſſimam? Quàm abſurdè affinxiſſe boui alas, volatum attribuiſſe? Neque enim Taurum in Zodiaco alatum comminiſcuntur Poetae, vt eò fortè ſpectet alluſio: neque ita adornatus Bos apud Ezechielem Prophetam, typus Lucae Euangeliſtae in Caelum intendiſſe fertur volatum. Atque hanc indecoram alliterationem diximus allegatis de cauſis. Contrà enim cum decoro eſt Epitaphium vetuſtiſſimum Romae ad Pontem Ceſtium, quod citat Aldus Manutius in Orthographia ad vocem *Paullum* num. 1. quod poſcit attentiùs obſeruari, videlicet:

XXVI.
HOSPES . QVOD . DEICO . PAVLLVM . EST . ASTA . AC . PELLEGE
HEIC . EST . SEPVLCRVM . HAVD . PVLCRVM . PVLCRAI . FEMINAE
NOMEN . PARENTES . NOMINARVNT . CLAVDIAM
SVOM . MAREITVM . CORDE . DEILEXIT . SOVO
GNATOS . DVOS . CREAVIT . HORVNC . ALTERVM
IN . TERRA . LINQVIT . ALIVM . SVB . TERRA . LOCAT
SERMONE . LEPIDO . TVM . AVTEM . INCESSV . COMMODO
DOMVM . SERVAVIT . LANAM . FECIT . DIXI . ABEI

Nam

Nam in altero verſu, quod ſepulcrum haud pulcrum dicit, ſi haec duo per alliterationem modò conferret, pueriliter plane luderet; ſed magis reijcit ad ſubſequens dictum *pulcrae foeminae*; quaſi hoc ſibi vellet: Pulcrae debitum fuit pulcrum; atqui huius loci repugnat ius, ſepulcrum quippe ſeorſum à pulcro nuncupatum. Sed & ratio ipſa pulcri videtur luſum transferre ad ſenſum doloris premendum, non voluptatis.

Caeterùm nihil propius frigiditati, quàm vbi ex literis, ſeu dictionum elementis eruitur ſententia. Exemplo ſit vates, cui maior licentia permittitur, & in quo ſi quid ineſt ſalis, totum perditur ſoluto verſu. Audi igitur Auſonium

Qui reminiſco putat ſe dicere poſſe Latinè,
Hic vbi CO ſcriptum eſt, faceret COr, ſi cor haberet.

Item aliter

Reminiſco Rufus dixit in verſu ſuo,
COr ergo verſus, imò Rufus non habet.

Et auſit Elogiaſtes ſolutus, & proſa inſcribens hiſce crepundijs luſitare? Vſurpent licebit Poëtae, ad riſum; nec tamen in re ſeria. Cui porrò non riſum moueat puerile illud in ſermone de re momenti multò maximi à Viro ſupercilioſo, magiſteriumque Politicae profitente: *Vt vnde Imperio nata quies, inquies inde naſcatur: Et demptis A, E, I literis, Amicitia Epiſcopi incolarum MonAſtErIum fiat monſtrum.* Hic tu cachinnos, ſi vales, comprime. In illo enimuerò, apud eundem, moueatur Lectori bilis neceſſe eſt: *En*, inquit, *noua iterum Imperialis belli bilis.* Planè nihil adfectatione putidius huiuſce luſus, quippe qui naſci ex ſe videri malit, & quodammodo furtim exilire.

Itaque ſi quando imprudenti excidat Alliteratio ſuſpectae frigiditatis, expungenda ſtylo eſt; neque ferendum, vt perennent in marmore praecipitati operis vitia, ſimul & probra ipſius Opificis. Stylum poſcebat Tumulus Federici Spinolae (apud Suueertium in Select. Delic.) vbi legitur: *Pro Morinis non timidus mori.* Decrant, credo, phraſes tantae ſententiae pares, ac tanto argumento. Stylum quoque popoſcit initium Tumuli Alexandrini apud Inſubres, caeterà limati & culti; quem totum reddimus, quò clariùs liqueat, formoſam faciem quantùm plerumque vnus vitiet naeuus. Habes apud Suueertium in Selectis Delicijs, videlicet:

XXVII.

ANTONIVS . GILINVS . CONIVGI
SI . INVSITATAM . FACIEM . MOERORIS . MIRARIS . HOSPES
HAEC . PELLEGE . ET . PRO . HVMANORVM . CASVVM . MISERATIONE
IN . DOLORIS . PARTEM . VENIES
TVMVLATA . HIC . QVIESCO . ANNA . HONESTO . ORTA . GENERE
FELICIOR . CONIVGIO . FACTA
SED . QVID . IN . VITA . STABILE ?
TER . ENIXA . POSTREMO . LIBERORVM . SVPERSTITE . QVI . BREVI
FATA . MEA . SECVTVS . EST
IN . IPSO . AETATIS . FLORE . RAPTA . CVM . DELECTARE . VITA . POSSET
CREATORI . QVOD . ACCEPERAM . REDDIDI
M. D. V. XIV . CAL . SEPTEMB . VIXI . ANN . XVIII
CONIVX . ANT. GILINVS . MVTVAE . CONCORDIAE . MONVMENTVM . POS

Siquidem illud in verſu ſecundo *moeroris miraris* prudenti excidiſſe crediderit, imprudens cenſor, ac tetricus. commodius autem fuerit loco *miraris* reponere *ſtupes*, vel *mirabundus ſpectas*, vel quid ſimile. Sicuti neque affectaſſe putemus Cozzam Cottium Epigrammate ſoluto in Fräciſcum Polam, ſed volante effudiſſe illud calamo

XXVIII.

HAVE . PERPETVVM . ET . HABE
VIRTVTVM . TVARVM
TESTIMONIVM

ſi enim ſuſpenſo parumper relegiſſet, non dubitamus, quin oppoſitus ille vocum *Haue* & *Habe* improbatus fuiſſet: & aut ſitum excuſſiſſet vetuſtatis in *Haue*, aſpiratione abiecta, aut alteram vocum *Habe* diſtraxiſſet longiùs, aut ſynonymo reddidiſſet.

Non abſimilem cenſuram ſi recipiat Elogium Liburnenſe, principio duntaxat, erit, cur inter elegantia numeretur noſtri temporis. Dolet nos ignorare Auctorem, ſed enim ille Elogium meretur noſtris diſertius. Eſt autem in Diuam

Vigiliam

Vigiliam Martyrem, quae ſuo interuentu ſeruauit ab interitu Liburnum Vrbem Etruriae maritimam terraemotu quaſſatam Anno Salutis MDCXLV. XIII. Kal. April. Die Sancto Paſchatis, videlicet

XXIX.

Quid hoc monſtri eſt?
Maris more terra dehiſcit, et
ſolum vt ſalum fluctuans
miſeris colonis intentat in ſicco naufragium:
Mouentur domus vt naues
et homines de vita ſoliciti in freto tempeſtatem deuitant.
At VIGILIA
deſperatis rebus fit ſtella polaris.
Sedat illa quaſſatae motus telluris
quae tam bene mentis ſuae motus nouit moderari.
O factum bene!
Dum exterret vigilias ad Dominicum tumulum excubantes
Terrae motus:
VIGILIA
in ſuo tumulo exterret inſultantis Terraemotum.
Habeto ò Liburnum
ſalutem promittenti certam fidem.
Nulla te impetent aduerſa
Dum tales ad tuam cuſtodiam Vigiliae
excubabunt

Illi certè alliterationi *Maris more* parcendum fuerat, ac potiùs dicendum: *maris inſtar*, vel *maris in modum*; ſecùs nulli innixa ſententiae ſerpit humi. Vocat nos Inſcriptiuncula ſepulcralis ex Roma Subterranea Ioannis Seuerani Cap. LXI. quae praeceptum noſtrum liquidius facit.

XXX.

INNOCENTIVS . INNOCENTIO
FILIO . PRO . INNOCENTIA . SVA
BENEMERENTI . QVI . VIXIT
ANNO . VNO . DIEB. XXIII. ORAS. III

Simplex ea quidem, neque inſipida alliterario; quo enim alio nomine benemereri poſſet infans anniculus, praeterquam innocentiae? Robuſta ergo ſententia ſuſtinuit luſum, quamquam aegre in tantulo ſpatio: in ampliore faciliùs. Proinde neceſſarius omnino fuit interpoſitus vocis *Filio*: mirum enim vt caſtum lectorem laedit continuatio, & quaſi conflictus verbalis, nullo aut modico neruo ſententiae. Id quod egregiè cauit Auctor Epitaphij Brabantini apud Suueertium, Elogio non ita preſſo, nec tamen inconcinno: quod ita reddimus.

XXXI.

CLARAE . SPINVLAE
CONIVGI
GENERE . PVDICITIA . FOECVNDITATE
CLARAE
NICOLAVS . SIVORIVS . PATRIT. GENVEN
H. M. M. P

Aues in patentiore ſpatio cernere explicatam magnificentiùs Alliterationem? En tibi ex Theatro Lucenſi Patris Maximiani Dezzae Inſcriptam baſim ſimulacri XII. de Tobia Sirtio, alludentem ex eo cognomine ad Syrtim, in hunc modum:

XXXII.

TOBIAS
Apud exteros caecitatis
Apud noſtros prudentiae nomen
Reip. commodis, & Sirtiae gentis
immortalitati
oculatiſſimus inuigilauit
Qui conſilio prudens, actu ſtrenuus
exitu felix
lacerata per ſeceſſionem Rep.
ita caecutiuit ad ſingulorum delicta
vt vniuerſorum incolumitati
proſpexerit.
Propior naufragio erat
Niſi ad hanc Syrtim appuliſſet
publica ſalus.
Is enimuerò rem armis ſuſceptam,
verbis peregit
Decertandi furorem eluſit decernendi
conſilio
quodque humanam exuperat facultatem
remedium collapſis rebus
ſimul moderatiſſimum, ſimul
praeſentiſſimum excogitauit.
Meritò dicas
ea tempeſtate voluiſſe
Deum Opt. Max
vt in illo Viro mens publica
reſideret.
Quamobrem Athenarum imitatione
ſalubrium conſiliorum Auctori ac Principi
S. P. Q. L
An. à Par. Virg. MDXXXI
Bonauentura Michaelio
Decemuiror
Principe
Theatrale ſimulacrum Pon. Cur

Ex hoc fonte ſcatet Echo, cuius eſt vſus familiaris apud Poëtas, ad quos lectorem remittimus. Et nequid in hoc argumento intactum relinquamus, obſeruandus eſt Andreas Baianus, cuius in Elogio IV. (quod eſt Dominicae IV. Aduentus Chriſti) ſingulis in verſibus reſultat Echo, vt mox audies:

XXXIII.

Qua Iordanis voluitur moeſtus	*AESTVS*
Cicada, cui ros Caeli pro victu	*ICTV*
Solem qui fecit, Solis arbuſta	*VSTA*
Reboant. Hic vox auditur magni	*AGNI*
Turtur gemit. Ver ſinum aperit	*PERIT*
Quo rigor. Iam flores turgent.	*VRGENT*
Praecoces fructus caeleſtis digni	*IGNI*
Poenitentiae fructus, queis Caerea	*AEREA*
Fiunt, & ſoluuntur ferrea	*REA*
Pectora: oculique antea ſudi	*VDI*
In fletus abeunt, ad Iordanis	*AMNIS*
Saucij currunt Cerui mundas	*VNDAS*
Deorſum colles, valles ſublimè	*IMAE*
Tendunt. Sic omnis indirecta	*RECTA*
Aſpera plana, fit inuia	*VIA*

Vtrùm verò decorum Inſcriptionis, maximè ſolutae ferat, vt oſtentando ingenij acumini coaceruatim in tractum praelongum cogantur Alliterationes, ac Biſquaeſita, decernendum id permittimus iudicio cuiuſuis integro: non obliti in primis monitum Ciceronis in Orat. Quod ſcilicet *raritas dictorum diſtinguit Oratorem à Scurra*: Quò magis Alliterationum, & Biſquaeſitorum, quae omnibus dictis ſunt longe leuiora? Item Ariſtotelis Ethic. lib. I. cap. vltimo, ad quem libentiùs remittimus Lectorem. Itemque Quintiliani lib. VI. cap. III. cuius haec ſunt in rem quaeſitam quadrantiſſima verba: *Et haec tam frigida, quam eſt nominum fictio, adiectis, detractis mutatis literis: vt Aciſculum, quia eſſet pactus, Paciſculum: & Placidum nomine, quia is acerbus natura eſſet, Acidum: & Tullium, cùm fur eſſet, Tollium dictos inuenio.* Viden', quo donet nomine hoſce luſus, & quidem ſingulos, & ſolitarios: quo putes donaturũ turbam luſuum, confertam, tumultuantem, confligantemque? Eſt quoquè obſeruandum ex Cicerone, ſuprà citato, quamobrem diſtinguatur ex raritate dictorum Orator à Scurra; *Quòd nos*, inquit, *cum cauſa dicimus, non vt ridiculi videamur, ſed vt proficiamus aliquid; Illi totum diem, & ſine cauſa.* Non ergo vt monſtra ingenij videamur, coaceruandae ſunt nobis Argutiae; ſed vt argumentum, quibus caret ſalibus conditum Lectores afficiat. Meritò Emanuel Theſaurus conſummatae in Argutijs peritiae Magiſter ſupprimendum putauit nomen Auctoris ad Inſcriptionem

tionem

tionem Villae Voluptariae, totam his nugis contextam, cuius initium eſt: *Huc ex Vrbe in Suburbium, Viator, de via deuia, vbi vera, & mera, & pia Volupia colonos colit* &c. Et is quidem (quod maximè notemus) deſcribens, nequaquam ſeruata in literis Romana forma, currenti potiùs per minuſculas calamo effundit; quaſi vt nobis vèl ſola lectio, ita illi ſcriptio nauſeam faceret. Porrò eam perlegat, cui robur triplex circa ſtomachum eſt. Quid enim (Pol!) foedius viſu, quàm Villae elegantiſſimae, & ad honeſtas conditae delicias conſpurcata ſcurrilibus notis frons? An ſi Quintiliano praeceptore (lib. VI. Inſt. Orat.) *Dicacitas ſcurrilis, & ſcaenica perſonae Oratoris alieniſſima eſt*, non erit Elogiaſtae in loco Gratijs, & Nymphis ſacro, vbi coetus ſit ingenuorum virorum, eruditorum plerumque & grauium?

Clauſulam facimus monito ſimili ſuperioris Membri; videlicet ad exoticum ſermonem euadere Alliterationem mancam, qualem apud recentiorem Elogiaſtam obſeruare eſt, caeterà elegantem, & cultam, in funere Annibalis Margarutij Septempedani, Tribuni militum nobilis, in haec verba: *Margaritum, non Margarutium cognomen putes, ſi concordiam ſpectes, quam in bello, hoc eſt in diſcordiae regno inter milites aluit.* Hoc autem non percipitur, niſi ab Italis noſtratibus, & exteris, quiqui barbarè latino ſermoni admiſcent vocem *Vnionem* pro Concordia, quae tamen Romanis erat eadem, atque Graecis *Margarita*, vel Margaritum.

Membrum VI.

De Anagrammatiſmo.

Tollit ſe ſuper Alliterationem artificio maiore Anagrammatiſmus, vox deducta ab ἀναγράφειν; ſcilicet ex ἀνὰ, quod in compoſitione ſignificat *re*, ſeu *rurſum*, & γράφειν *ſcribere*, propterea quòd per hanc figuram, modumque ludicrum literae, è quibus nomen conſtat, reſcribuntur, ac traijciuntur ſurſùm, deorſùm, vltrò, citròque commeantes ita aptè, & concinnè, vt ex ijs aliqua extet ſententia, quae dicitur Anagramma. Atque hoc quidem habetur perfectiſſimum, ſi nihil literarum addiderit nomini, nihil detraxerit, nihil immutauerit: quamquàm literae vnius adiectio, aut detractio, aut immutatio non perdit Anagramma, ſi cum iudicio fiat, vt mox exponemus. Vbi verò ſola ſit diſtractio ſyllabarum, Alliterationis naturam induit, veluti qua luſit Ioannes Hieronymus Queirolus Alumnus Seminarij Genuenſis Elogio in Emin. Stephanum Duratium Card. & Archiepiſcopum ex cognomine DVRATIVS eliciens DVRAT. IVS: *Cuius* inquit *in Aula DVRAT. IVS, regnat Aſtraea, ſordidaeque auaritiae maculae emaculantur*. Repete initium ſuperioris Membri.

In Nomine exemplum anagrammatis perfectiſſimum exhibuit, & quidem geminum vna in voce ROMA, venuſtiſſimoque exornauit carmine B. B. Belga Antuerpienſis, ſic inuertens MARO, AMOR atque ita concinuit:

XXXIV.

Vtcunque Romam verteris,
Reges in illa inueneris;
Namque ipſa ROMA Regibus,
MARO dominatur Vatibus,
Rex ille cordis omnibus,
Rex ille, quem vocant AMOR.

Sub Nomine intellige non proprium modò loci, vt ſuperius, ſed etiam Hominis, vt Cuiatius I. C. clariſſimus, qui ſuomet luſit nomine, ac lingua ſua Gallica vulgari, CVIAS, reddidit CAIVS, nomen itidem Iuriſconſultorum Principis. Nomen quoque Gentile, ſeu Cognomen, vt VALESIVS tranſpoſitum LAVS IESV. Et iunctim Proprium ac Gentile, vt IOANNES. AVRATVS appoſitum Poëtae ſummo, imò Poëtarum inſtitutori Anagramma ARS. EN. NOVA. VATIS. Et illud in I. C. clariſſimum: LAELIVS. ALTOGRADIVS reddidit Franc. Marraccius Cler. Reg. Matris Dei SOL. LEGIS. IVRA. LAVDAT. Adijce nomina Dignitatis, & alia, ſicut ex titulo Sereniſſimi Principis alumni noſtri cùm adhuc impuber eſſet, COSMVS. DE. MEDICEIS. MAGNVS. AB. HETRVRIA. PRINCEPS, eduxit Laurentius Nerius Emporienſis Philoſophus ac Medicus concinnatum abſolutiſſimè

tiſſimè hoc Elogium : HIC. SANE. PERITVS. CAPACISSIMVS. AD. REGENDVM ORBEM. Apud Suueertium quoquè in Sel. Delic. ſub Romanis occurrit purum, putum hoc; SIXTVS. V. DE. MONTE. ALTO, videlicet : TANTOS. EXVLES. DOMVIT. quo illius innuitur facinus haud obſcurũ, vt illo tempore, dignumque Principe ſontibus infenſiſſimo. Vbi obſeruare eſt vſum literae V numeralis in elementarem legitimè migrantis. Nouiſſimè pactum fuit de Pontifice regnante purum hoc & ſanctum,

ALEXANDER . SEPTIMVS
DATVS . ES . IN . EXEMPLAR

Praetereà de conciliatis poſt diutinum, ac duriſſimum bellum Regibus Hiſpaniarum, & Galliarum ſuadente Summo Pontifice cudit Anagramma cum ſubiecto carmine Agapitus Herrera Romanus Collega meus, videlicet :

ALEXANDER . SEPTIMVS
EXPVLIT . ARMA . SEDENS

quod ita expoſuit

Nomẽ ouãtis habes, nec habes ſine Numine nomẽ:
Nomen ad Imperium, Nũmen ad Aſtra vehit.
Magnus in Imperio Macedo qui rexerat Orbem :
Orbem tu pariter par ſimiliſque regis.
His dum diſſimilis ſimili, & tibi foedere diſpar
Numinis aeternum hoc fama peregit opus.
Vnus Alexander Pacem procul expulit Armis ;
Alter Alexander EXPVLIT ARMA SEDENS.

Atque vt licentiam in Anagrammatis conficiendis breuiter adnotemus :

I. Diſſoluitur, ſi opus ſit, Diphthongus in ſuas vocales, vt à Ioanne Aurato in Graeca voce ΙΗΣΟΥΣ bellè luſus eſt ΣΥ. Η. ΟΙΣ. (eſt ὄις diſſyllabum) id erit Latinè TV. OVIS, quo non aliud quadrat magis Epitheton in Ieſum, ouis inſtar mactatum. Item in voce ΠΤΟΛΕΜΑΙΟΣ à Lycophrone in gratiam Ptolemaei Regis : ΑΠΟΜΕΛΙΤΟΣ, ideſt A. MELLE, eo iudicans conſpicuam prae alijs virtutem in ſummo Principe, facilitatem, ac clementiam.

II. Migrat Diphthongus in Vocalem dominantem, Verbi gr. *ae* & *oe* in *e*. Ita Ludouicus Puteus ex voce CAESAR eduxit ARCES, Elogio in Caeſarem Montium Patritium Mediolanenſem, mox Archiepiſcopum, ſucceſſorem Federici Borromaei. Cui Anagrammati per ſe languenti qualem ſententiae ſpiritum, neruumque ſubdiderit, è re fuerit ipſo Elogio hic deſcripto patefacere, videlicet :

XXXV.

PRAESVLE . MORTVO . EXTINCTA
QVADRIENNIVM . MOERORE . SEPVLTA
CIVITAS . MEDIOLANENSIS
TANDEM . IN . CAESARE . MONTIO
FELICI . SVCCESSORE . DEFVNCTI
REDIVIVA . RESVRGIT
QVAMOBREM. VNANIMIS. ANIMATORI. SVO
PRECATVR . VIVE
VIVE . IMMENSE . ANIME
TANTAE . REPARATOR . VITAE
PRAECLARVM . PER . TE . REVIXISSE
IN . QVA . PRIMVM . VIXISTI
A . CAESO . MATRIS . VTERO
SIC . DICTVS . CAESAR
TV . CAESAR . EO . QVOD . ARCEAS
NOMINIS . HOC . ANAGRAMMA
ET . VITA . REVOCATA
MORTEM . CAESAR . ARCES . A . PATRIA

III. Contrà Vocalis migrat in eam diphthongum, in qua dominatur, vt *e* in *ae*. Quod ſcitè vſurpauit Ioannes Baptiſta Beccius elucidatione anagrammatica, & rythmica ſalutationis Marianae ibi :

Salue Regina Mater miſericordiae
Vita, dulcedo, & ſpes noſtra ſalue

ita ipſe tranſponens

Sic te collaudant ſemper Adae, Euae nati :
A dolis nos eruas, erimus grati :

extant enim *ae*, *ae* ex *e*, *e*. Laurentius Nerius in Sereniſs. Coſmum : COSMVS. MEDICAEVS . MAGNVS . HETRVRIAE PRINCEPS ; pro *e* vocali aſciſcens diphthongum *oe* ita vertit, COEPIT. ESSE. REGIVS AC. SVPREMVS. MVNDI. MONARCHA.

IV. Vocalis in alteram tranſit cognatam, ſcilicet *a* in *e* ; Et *e* in *i* ; Et *o* in *u*, ac reciprocè *u* in *o*. Exempla bina promimus de *A* in *E* migrante. Alterum Latinè Iulio Perotta Mediolanenſi, Collega noſtro Auctore, in Alumnum ſuum, ad Principatum euectum Academiae Infoecundorum, Florentiae in Aedibus noſtris, videlicet : CAROLVS. ANTONIVS. GONDVS. ita literis tranſpoſitis redditum : EN. TV SOLVS. CORONA. DIGNVS. Alterum exemplum Italicè, ex Artis huius anteſignano Petro Angelo Guiniſio Patritio Lucenſi. Is, quòd nuptias Romae celebraſſet Curtius Franciottus

ciottus ciuis ſuus, Amicis dolentibus, quaſi praeſagirent, domicilium illius Romam translatum iri, querimonias ſuſtulit Anagrammatico vaticinio, & quidem vulgari patriae idiomate, videlicet:

Curtio Franciotti, e Anna Maria Viualdi
Aurete in Lucca i Nidi à fortunati Amori.

Exemplis alijs ſuperſedemus gratia breuitatis.

V. Ex ſimplici conſonāte fit interdum compoſita, ſeu duplex. V. g. quia *x* componitur ex *c*, *ſ*, ſubſtituit *x* pro *ſ*. Ita Beccius ſuprà citatus, illa ipſa verba Anagrammate altero ita retulit:

Sola orta ex ſtirpe Adam, Arca Dei es
Verùm originale vlcus in te deeſt.

Idipſum de *z* compoſita ex *d*, *ſ*, vel *t*, *ſ*. Ita ex his vocibus *Aloyſius Gonzaga Marchio, Sacri Romani Imperij Princeps E Societate Ieſu* elicuit Marcus Sanctinius aſſumpto *d* pro *z* hoc anagramma *Sic è thymo, ac purpureis cari amici roſis mel egero, nota apis, ingenioſa, dia*. Idem ex ijſdem reſoluto *z* in *d*, *ſ*, hoc alterum: *Si pias hic egero, ſi pias inſero lacrymas; ecce gaudia pijs non moritura meto*. Et illud pro *z* ſubſtituens *t*, *ſ*: videlicet: *Aſt ego omnia mihi in Cruce paro; & in ipſa certiſſimi aſyli ſpe ſecurior ago*.

VI. Geminatur, ſi poſcat vſus, litera conſonans ex licentia Poëtarum, vt *relligio*, *relliquiae* pro *religio*, *reliquiae*: namque inuentum anagrammaticum planè ſapit poëticum. Multò iuſtiùs in ambiguitate orthographiae licebit haerere alterutri parti, ſicut *litera* cum vnico *t*, aut cum gemino *tt littera*.

VII. Omittitur de facili litera H, vt quae nec literae quidem nomen apud priſcos Grammaticos merebatur, ſed Aſpirationis duntaxat. Ita praeſtitit Guilielmus Blancus in nomine, & cognomine cuiuſdam Praeſidis, videlicet: MATTAEVS. CALVENTIVS, ex quo ita extulit: TALES. MVSA. VETAT. VINCI, è contrario aſſumitur, vbi opus fuerit. Idem de omittendis alijs literis, quae non ita religioſè ſeruantur in nominibus proprijs, veluti cùm pro *Ferdinandus* effertur *Fernandus*: Et in cognominibus, quae variè inflectuntur; ita Etruriae Sereniſſimus Magnus Dux & *Medices*, & *Mediceus*, & *Medicius*, & *Medicaeus* cognominatur.

VIII. Si adiungenda ſit litera, ex ijs maximè, quae nomen conſtituunt: Vt in illo IGNATIVS. DE. LOIOLA excogitauit perbellè Franciſcus Bencius tale Elogium, O. IGNIS A. DEO. ILLATVs. vbi litera *ſ* extrema addita eſt, ineſt enim nomini, ſed ſignata minuſcula, quo indicetur additamentum. Recens Auctor Ianſeniſtas carpit, in vocibus CORNELIVS. IANSENIVS ita ludens: SI. NON ES. CALVINVS. ERIs. Id perquàm ſcitiſſimè: ſiquidem ad errores Caluini proximè accedunt iſtorum placita.

IX. Fas erit immutare vocalem in conſonantem exemplo Famiani Stradae è Soc. Ieſu, cuius eſt illud

IVDAS. HISCARIOTES
AH. SIC. TRADIS. IESVM?

ſcilicet *o* in *m* verſâ. Qὸd ſi contendas, in ſacris codicibus perſcribi abſque aſpiratione nomen *Iſcariotes*. Sit licet. Sed neque appellatione literae cenſetur aſpiratio *H*, vt ſuprà obſeruatum num. VII. ita ex facili & abijcitur, & aſſumitur. E contrario conſonantes in vocales ritè mutaueris ex Guilielmo Blanco in illo luſu, verſâ *t* in *u*:

SIXTVS. QVINTVS. DE. MONTE. ALTO
MVNDO. SOLVS. EXTAT. INQVIETVS

& ex Franciſco Marraccio, verſa *u* conſonante in *e*, ibi:

SANCTA. EMERENTIANA. VIRGO
VERE. AGNETIS. CARO. ET. ANIMA

ſcilicet alluſione ad Diuam Agnetem Virg. & Mart. cuius illa fuit collactanea.

X. At gemina, variaque licentia melioribus non probatur. V. gr. vt fiat literae vnius additio, ſimul & alterius in alteram immutatio. Quòd ſi fiat vnius omiſſio, & alterius adiunctio, vna dumtaxat reputabitur licentia; quippe nihil exiſtit aliud, quàm ſimplex vnius in alteram mutatio.

XI. Permittitur vnius, & alterius omiſſio literae, vbi haec crebra eſt in dictione. Quod obſeruauit Ioannes Auratus Poëta Regius in Petrum Ronſardum aemulum Pindari, ludens Gallicè hoc anagrammate:

PIERRE. DE. RONSARD
ROSE. DE. PINDARE

vbi ex quaternis RRRR, binas ritè ſuppreſſit.

XII. Anagramma idiomati nominis vſurpato accommodetur, Latinum Latino, Gallicum Gallico, ac deinceps. Italicè luſit belliſſi-

mè Laurentius Nerius :

STEFANO . PROTOMARTIRE
MORTO . SANTO . FRA. PIETRE

Itaque quod legitur in Gallia ad tumulum Dionyſij Abbatis Coenobij Clareuallenſis, vti peccat in cognomine, vulgari more enuntiato, ad nomen Latinum; ita puritas felicis licet Anagrammatis,mercedem quaerit tantae induſtriae. Sic enim habet :

DIONYSIVS . DE . L'ARGENTIER
ALES . DEI . INGREDITVR . SYON

commendabiliùs fortè, ſi vnica licentia, *l* in *o* mutatae ſcripſiſſet DE. ARGENTIERO. Eius enimuerò expoſitio metrica facilè compenſat venuſtate illam barbariem, videlicet :

Raptus amore DEI ſanctam Dionyſius ALES
INGREDITVR terrā corpore, mēte SYON.

Quamquam naeuum alterum ibi conſpicimus in voce *Syon*, quae nuſquam per y, ſed per *i* ſcribitur *Sion* : ita licentiam alteram ſi depoſcat, ad barbariem impuritate peccabit. Non erit diſſimile iudicium de Anagrammate Latino ex voce extraria ; quod numeris elementorum quantumcumque abſolutum, ſenſuque concinnum, ac plane venuſtum ; perſimile tamen videbitur foeminae,quae quaſi mas laeſus Ariſtotili vocatur. Eiuſmodi eſt illud in Thomam Buſtigallium Foroſempronienſem, è ſacro Ordine noſtro, cùm is in ſummo Templo Parmenſi Concionatorem agens (vt aiunt) quadrageſimalem, plauſus Ciuium in ſe concitaret : quos inter in cognomen BVSTIGALLI, vulgari ſcilicet modo inclinans, luſit quis Latinè TVBIS GALLI, quo canorem vocis eius & ad excitandos è ſomno probroſae vitae animos inuictam efficaciam exprimeret.

Sunt praetereà pro recto vſu Anagrammatis cauenda nonnulla. Ea ſunt

Primùm, ſententia ne remotè nimis petitor. Quem in ſcopulum impegit Elogiaſta recens ita fatus de Romulo : *Nomen Amoris dedit Vrbi, imperandi cupiditati accommodatum* &c. Eò nimirum quod nomen *ROMA* inuerſum legitur *AMOR*. At quotus quiſque huiuſce ignarus inuerſionis aſſequetur ſententiam ? Eruditus praeſertim Graecè, cui è veſtigio ſuccurrit Etymon vocis, alud longe adſignificans ; ῥώμη ſiquidem Latine eſt *robur*, vnde *Roma* Solino Auctore, à Latinis quondam dicta Valentia.

Alterum, bonitatem Anagrammatis ex eo pendere, quòd accommodata ſit ſententia tempori, loco, perſonae, ac rei praeſenti : tantòque illud excellere, quantò cadit opportuniùs : Faciliùſque licentiam admitti multiplicem, vbi raritas concinnitatis interuenerit. Hinc allatum nuper Anagramma in Iudam Iſcariotem, felicius profectò, ſi purum foret ; ſed nihilominus feliciſſimum in licentia modica ; quoniam, ſi quod aliud, maximè concinnum eſt, & congruens perſonae. Hanc verò laudem cumulat puritatis laude in Anagrammate ſuo Laurentius Nerius de S. Dominico :

SANCTVS . DOMINICVS
CANIS . MVNDI . CVSTOS

quo ſcilicet expreſſit ſomnium Matris parturientis Dominicum. Conſule hiſtoriam. In recenti proſcriptione ſectatorum Ianſenij facta per Innocentium X. comprobata per Alexandrum VII. Pontiff. Maxx. non defuit, qui doctrinam Magiſtri damnatam carperet perbello Anagrammate, ac ſignificantiſſimo, videlicet :

CORNELIVS . IANSENIVS
SI . NON . ES . CALVINVS . ERIS

Vbi quidem abundat litera, *ſ*, at alterum purum eſt

CALVINI . SENSVS . IN . ORE

Nam dogmata Ianſenica diligenter excuſſa Caluiniſmum ſapiunt. Rei etiam praeſenti accommodatiſſimum fuit, quod praeſenti excitus facto fudit ex tempore Hieronymus Florentinins Lucenſis Cler.Reg. è Congr. Matris Dei, Vir vndequaque ſpectatiſſimus. Hic tentus graui morbo, vbi primùm afflatus genio implorauit Patriarchae ſui indigetis opem, de repente ſanatus arripuit calamum, ſcriptoque illius nomine

PATER . IOANNES . LEONARDVS

impetu mox primo mentis egeſſit Anagramma puriſſimum praeſenti rei (vt piè credebat) quàm accommodatiſſimum, videlicet :

NON . ALIA . VI . SED . PER . TE . SANOR

Mirandum id quidem. non minus etiam commendanda concinnitas in Petro Angelo Guiniſio ad Nicolaum Leporium, ſeu de Leporis, è Sacra Dominicanorum Familia, qui in Vrbe Luca publicatis carminibus ſuis, & ſacris concionibus in ſummo Templo magna cum fama eloquentiae habitis, geminam facultatem poëticam & oratoriam in ſe praecellentem probauerat ; Eduxit autem Anagramma purum atque appoſitiſſimum ita ludens

NICO-

NICOLAVS . DE . LEPORIS . ROMANVS
ORANDO . AC . VERSV . NIMIS . POLLES

Idem ipſe non minùs bellè de Regina Suetiae cauſa Catholicae religionis nuper ſe Regno abdicante

CHRISTINA . SVETIAE . REGINA
I . REGNAS . IN . CHARITATE . IESV

Cui meritò adſcribendum Petrum Clauarinum Abbatem Caſſinenſium exiſtimabit quiſquis gloriam virtutum longè lateque propagatam praeſenti fide ſuſpezerit in Sereniſs. Ferdinando II., Etruriae Magno Duce regnante, in quem Anagramma hoc purum fudit, minimè fucatae laudis

FERDINANDVS . SECVNDVS . MEDICEVS . MAGNVS . DVX ETRVRIAE
VNVS . EN . MVNDI . DECVS . REGVM . CVRA . DEI . FAX SIDVS . ET . ARDENS

Ingenij enimuerò ille praeripit palmam in hac arte, qui rem faturam certo praeſagio quaſi diuinans pronunciat. Quo numero eſt habitus Valentinus Rubinus Collega quondam noſter Mediolani, auguratus (nobis teſtibus) multò antè Patrono cauſarum ſolicito ſedem Senatoriam, Anagrammate verſum complente hexametrum, in haec verba

MICHAEL . ANGELVS . DE . CATIIS . NOVARIENSIS
HINC . SIC . INVIGILAS . EVADES . ALME . SENATOR

Tertium, amat inſertari carmini Anagramma, cognatum quippe poëſeos, vèl in Epigrapha ſepulcrali, vbi tamen decorum patitur argumenti: quemadmodum in tumulo puellulae apud Suueertium in Select. Del. inter Vratislauiana, quod poſcit à nobis excribi:

XXXVI.

ΕΡΙΤΑΦΙΟΝ

Filiolae Iacobi Monauij Patric. Vratiſlau. ex nominis eiuſdem anagrammatiſmo depromptum

M A G D A L E N A . M O N A V I A
O . A N I M A . V A L D E . M A G N A

MAGDALIS hîc iaceo Magni vnica nata Monaui,
Surrectura bene hac, qua bene condor, humo.
Paruula eram, in vitae ancipites cùm naſcerer auras:
Paruula, mi donec vita manebat, eram.
Paruula eram, de me cùm ſpes foret ampla parenti:
Paruula, cùm raperet ſpem via mortis, eram.
At nunc Caelicolum magnae adſociata coronae
Poſtquam depoſui flebile carnis onus.
Magna feror, magni magno ſub Numine IHOVAE,
Magna ſuper magnos orbe leuata polos.
Magna feror, capiti membrum inſita nobile CHRISTO
Magna ſub Electis, Angeliciſque choris.
O ANIMA, O VALDE MAGNA, ò bene paruula quondam!
Paruula humi, Caelo magna, quid inde mali eſt?
S. Grunaeus faciebat.

Quippe aetas puellaris defunctae blandula, ludibunda huiuſcemodi luſum vèl in luctu adamabat. Aliàs aegrè ſuſtinebitur Elogij tumularis dignitas, ac decorum. Alio in genere, inſcriptione quidem libera, praeſertim panegyrica inſinuare licebit Anagramma: cauendū autem, ne fiat petito ex triuijs modo loquendi, humiliuè ſententia, qua nihil abiectat magis Elogij maieſtatem. Habes ex probatis praeter ſuprà allatum exemplum Ludouici Putei alterum eodem ſuper argumento, videlicet

XXXVII.

CAESAR . MONTIVS
O plenum ſpei nomen
Continet ſecuritatis munimentum
Pulſis moeroribus, timoribus
Exhilaranda, erigenda patria
Haec arcana reclude & effare
In duplicato anagrammate
O . MENS . VTI . SACRA
ARCA . MVNIET . STO
Sto erudienda paſcenda; regenda
Tabulis, Manna, Virga viuentis Arcae
Scilicet Doctrina, Exemplo, Vigilantia
Legiferi Paſtoris
Rectoris Caeſaris Montij
Quid vltra? Et ſto munita patrocinio
Protegentis Arcae animatae
Sera mihi rapiare ò Arca
Et diu ſto

Quibus ex Anagrammatis prius quidem extat purum, poſterius autem vnam admittit licentiam, s, in, t, mutati. Lepidiùs ſi titulo anagramma non indicetur, vt in Epigrapha Villae Sfondratae ad Larium Lacum:

XXXVIII.

Frondibus aternis Laurus
Sfondrata vireſcat
Herculeo capiti decus allatura perenne
AN . EI . LAVRVS
VALERIANVS?
Aeterna obſeruantia viridis
SFONDRATAM
Opus mirae elegantiae
Ab Hercule Parente perfectam
Eius nomine vult coronatam
Ipſe Laurus, & Corona

Nam deſuper impendens ſtemma gentilitium, in quo laurus ex parte frondibus ſpoliata, lucem praemittit luſui Epigraphes de lauru; ſimul & nomini Gentis; quod primùm vulgari lingua fuit *Sfrondati*, pòſt corrumpente vulgo *Sfondrati*. Ac ne te, Lector, expectatione fruſtremur, exhibere placet exemplum geminatae Alliterationis ſimul & Anagrammatis, Auctore ipſo Ludouico Puteo, qui aduentum celebrans eiuſdem Archiepiſcopi, expoſitas imagines patronorum Ciuitatis, SS. Geruaſij, & Protaſij fratrum & Martyrum ornauit Elogio ſoluto cum gemino Anagrammate. Nos in praeſentiarum alterius Elogium ſubdidiſſe contenti ſimus.

XXXIX.

Hauſit gemina proles
Eundem ſanguinem
Et parem indolem attraxit
A pijs, viuidiſque in fide genitoribus
Non degenerantem
Genitique Vitale, & Valeria
Accepimus piè viuere
Didicimus Valere conſtantia
Vt ſtrenuè moreremur ad vitam
Vt aeternùm beati
Feliciter Valeremus in mortem
Et iſtud meum nomen expreſſit

PIVS . ORTVS --- VI. PRAESTO
PROTASIVS

Componit.
Duplici elementorum ſtructura
O pietas, O vis mea hic nunquam occidua
Vbi Diuus honoror
Vbi Defenſor Nominor
O etiam magè firmanda
Praecipuus rector noſtri cultus
In terris Mons eſt

Quartum, nihil ſeruet Anagramma de nomine, aut voce, vnde manat, ex quo ſenſus idem referatur, innuaturuè. Exempli gratia, Si proponatur *Caeſar Montius*, nihil eſt de Montis appellatione retinendum; ſecùs enim rueret Anagrammatis ratio, & in Alliterationem iretur. Quare conflari illud poſtulat, in melioremque formam reſtitui, ingenioſiſſimum caeterà Elogium in Caeſarem ipſum Montium, ad hiſtoriam alludens Suetonij in Auguſto, videlicet:

XL.

FVLMINE . FERIENTE . IN . SIMVLACRO
INSCRIPTVM . CAESAR
LITERA . NOMINIS . PRINCEPS . EFFLVXIT
INTACTVMQVE . REMANSIT . AESAR
EXPRIMENS . ETRVSCIS . DEVM
ET . CECINIT . OMEN . ROMA
AVGVSTVM . POST . C . DIES . TRANSFERENDVM . IN . DIVOS
O . MENDAX . SVPERSTITIO
INTONVIT . ET . NOSTER . AMOR . TETIGITQVE
AVGVSTIVS . NOMEN . AVGVSTIORIS . CAESARIS
AB . ILLO . CAPVT . AVVLSIT . NEQVE . DIMINVIT
INTEGRAVIT . VT . SIT
*AESAR . MONTIVS
SCILICET . VT . ALTER . DEVS . IDEMQVE
* MONS . ET . ARA . SVIS
AVGVROR . HICCINE . DEVS
DIVTVRNITATE . MONS . ET . ARA . SVIS . ERIT . AVXILIO

Namque Montius à Monte profectò eſt dictus, & literae tranſcribi alium in ſenſum debuiſſent. Praeterquàm quòd vnius literae licentia laudem inuidet conſummati Anagrammatis, ſiue legatur *Aeſar* ſuperſtite, ſ; ſiue *Caeſar*, c in ſ mutato. Itaque minùs propriè praeſcripſit hiſtoricus, qui aduentum Montij ad ſedem ſuam tradidit, titulum Anagrammatis; veriùs Mixtae alluſionis ex Anagrammate, atque Alliteratione, quemadmodum luſit Iacobus Motronus Lucenſis in Reginam Suetiae nuper receptae in ſinum Eccleſiae Catholicae; alluſione illa apprimè concinna:

CHRISTINA . REGINA . SVETIENSIS
IN. SINV. CHRISTI. REGIS. RENATA. ES

vno autem r ſuperaddito ex ſuperiore canone: alliteratione verò gemina CHRISTI ex CHRISTINA: & REGIS ex REGINA. Quare nec titulũ Anagrammatis, ſed Alliterationis debuit ſũo Auctor ſuperioris luſus in Tho. Buſtigalli ũ.

Quintum, Anagrammate non reſpuit Elogium ſolutum continuare cum carmine, quaſi clauſula vnius, & principio alterius. Id genus Inſcriptionis à nobis inuentum putabamus eſſe, quoniam exemplũ nullum priùs oblatũ fuerat. Verùm pòſt obtulit Ioannes Paſta in aduentu Caeſaris Montij ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem ita ludens Elogio ſupra valuas Templi Diui Sebaſtiani Martyris:

XLI.

O etiam ſuperis ciuibus
Diuiſque Mediolanenſium iucundiſſime
Qui miſera in Patria tantos plauſus
Caeſar creas
Aeterna felicitate beatum. quantis gaudijs cumulas?
Superſtitioſi Caeſaris quondam oſor
Nunc religioſiſſimo
Gratulor, occurro
Et rubricatus purpurae
Laureatus inſulae
Caeleſtis virtutis Caelo dignae
Ingemino triumphale Io
Et ſagittis alatus
Et vulneribus eloquens
Factum Patriae Patrem Heroem, Ciuem
Vbique praedico
Laeti quoque dicite Ciues
CAESAR . MONTIVS
VICTORES . AMANS
Caeſar victor AMANS
VICTORES quaerit amare
Edomito vitio vincite, Caeſar amat.

Putamus autem natum Academicis Acroamatis potiùs, quàm marmoribus. Hoc igitur habebis cum noſtris Elogijs in Appeudice Operis.

Dignum omnino exiſtimamus Ioſephum Neronium, qui coronidem huic loco faciat, vbi Antonium Montecatinum Comitem, Patric. Ferrarien. ac Fulginiae Epiſcopum celebrat Elogiacis in eius nomen gentilitium Anagrammatis numero quinquaginta ex bona parte puris, videlicet quatuordecim: reliquà licentiam vnam paſſis, ſemel Alliterationis mixturam, quod eſt in tanta copia indulgendum; praeſertim cùm illa non cinnum conflent, ſed orationis laudatiuae ambitum deducto ritè ordine abſoluant: opus equidem immenſi, paucíſque ingenijs tentandi laboris. Iam ſic habet:

MONTE-

XLII.

MONTECATINVS

1. *En matutinos*
2. *In MONTE cantus*
3. *Muſa non tacet,*
4. *Tentans ocium,*
5. *Nec ſunt otia*
6. *Cum ANTeit nos-*
7. *Met ANTONIVS*
8. *Nomine tactus,*
9. *Nomine caſtus,*
10. *Notus hic manet*
11. *Intactus more,*
12. *Notus en micat*
13. *E Comite natus*
14. *Natus & comis,*
15. *Vt omnes vincat*
16. *Vnus comitate.*
17. *Noctium manes*
18. *Multis nocent,*
19. *At non timemus:*
20. *En Mitra notus*
21. *Scuto minante*
22. *Citus en manet;*
23. *Nos tutamine*
24. *Sancto muniet;*
25. *Monet cautius*
26. *Monuit ſanctè*
27. *Hic nos, nae tam, vt*
28. *Sanctius nemo*
29. *Numine tectos*
30. *Docens muniat.*
31. *Tu, COMES ANTONI,*
32. *Cui ſtat nomen*
33. *Tam continens,*
34. *Tu coma nitens,*
35. *Vti Cato manes,*
36. *Non tacitus es,*
37. *Intactus mone.*
38. *Nomine tactum*
39. *Te nos canimus*
40. *ANTONIVM caſtè,*
41. *Nec matutinos*
42. *In MONTE cantus*
43. *Continet Muſa:*
44. *Tecum ſint bona,*
45. *Si tum noceant*
46. *Non tecum ſint.*
47. *Te minor cantus,*
48. *Vt es, non capit:*
49. *At continemus,*
50. *At conticemus.*

Membrum VIII.

De Anarhematiſmo, & Hiſopſephiſmo.

Anagrammate excipitur Anarhema artificij gratia non multùm diſſimilis. Eſt quidem ea vox recens, & à nobis nouata, haud tamen nouum eſt artificium. Nempe cùm in verſu metrico ita loco ſuo verba tranſponuntur, varieque committuntur, vt lege metri ſeruata vno ex carmine plura conflentur. Itaque quod praeſtant in Anagrammate literae, hoc dictiones in Anarhemate (eſt autem *Rhema* Graecè, quod Latinè *Dictum*, *Verbum*, *Vocabulum*) niſi quòd literis peruerſis immutatur ſententia, vocibus autem ſalua manet. Huius porrò Auctor artificj, niſi ſuperiorem quis ſuggerat, viderur extitiſſe Bauhuſius apud Puteanum, qui caeleſtes dotes Virginis Deiparae compendioſo ligans miraculo, edidit Monoſtichon Hexametron, cui nomen tribuit Proteo Parthenio, tot illud verſatile in partes, quot agnoſcuntur ab Aſtrologis in Caelo ſidera, mille nimirum viginti duo. Ita enim is Deiparam compellat:

TOT. TIBI. SVNT. DOTES. VIRGO
QOT. SIDERA. CAELO.

Poſt hunc pepigit Proteum ſuum felicitate haud impari Carolus Sabattinus Peruſinus ſub nomine Monaldi alumni, cuius praemitti poſtulat titulus ad intelligentiam (Eſt autem appendix ad libellum inſcriptum *Praedictio Aſtrologica ſuper orta Maria*) Videlicet

XLIII.

MAGNAE. PVELLAE
INFANTVLARVM. MINIMAE
MAXIMAE. MVLIERVM
VIRGINI. DEIPARAE
SANCTISSIMAE. INTEGERRIMAE. IMMACVLATAE
PATRONAE. DOMINAE. REGINAE
PROTEVS. ISTE. VERSICVLVS
QVI
POTEST. IN. MILLE. FORMAS. VERTI
SACER. ET. DICATVS. ESTO.

QVOT.MARE.DAT.GVTTAS.PRAEBET
TOT.PVPVLA.GRATES

Succedat Proteus Chriſtianus Petri Franciſci Paſſerini, ita Chriſtum compellantis

SI.VIS.ME.DA.MI.TE.COR
REM.VVLT.CVI.SE.DAT

digniore enimuerò appellatione, quàm Protei, qui ne tot quidem effigies poſſit induere, quot replicatur modis hic verſus,nimirũ 39916800, Dactylo ſemper in quinta ſede. Qui etſi Thaumaſtos videri poſſit; ſi tamen ratio ineatur ex arithmetica, nequaquam exiſtet mirabile, quod ſenſu contingitur; Vno nimirum in carmine, vbi numerantur voces vndecim variabiles, eas toties tranſcribi poſſe, quoties ſuprà per notas deſcribuntur, hoc eſt vndequadragiès milliès millenis, & nongentiès ſedeciès millenis, & inſuper octingentis vicibus. Ita & carmina totidem ex illo vno carmine multiplicata habebimus, ſeruata ſemper pedi dactylo ſede penultima. Hactenus de Anarhematiſmo.

Deinde Hiſopſehiſmum aggreditur, qui literis nequaquam tranſpoſitis, ſed ſaluo ordine ipſo ad vſum numerorum acceptis continetur ita, vt nomen rei vnius pro alterius quaſi tropicè vſurpetur; concurrente pari vtrinque numero ex vtriuſque nominis litteris ſupputato. Conſtat enim,elementis Alphabeti diſignatos quondam eſſe numeros Hebraeis, Chaldaeis, Graecis, poſtremò Latinis. Haec porrò figura appellatur *Hiſopſephos* à Graeco ἴσος Latinè *Par*, aut *Aequalis*, & ψηφίζω *Computo*: Eiuſque inuentum perantiquum eſſe indicatur lib. II. Epigramm. Graecor. Epigr. CCLIII. vbi Poëta anonymus Damagoram quendam ſugillans, eum eſſe λοιμὸν, ideſt *peſtem*, ſeu *peſtiferum* infert hiſopſephiſmo: id quod eſt colligere, in calcalculos diſtributa vtraque dictione,hoc pacto:

XLIV.

Vna	δ'	4.	Altera	λ'	30.
	ά	1.		ό	70.
	μ'	40.		ι	10.
	ά	1.		μ'	40.
	γ'	3.		ό	70.
	ό	70.		ς'	200.
	ρ'	100.			420.
	ά	1.			
	ς'	200.			
		420.			

De notis numeralibus apud Graecos conſule Lexica, Grammaticos, & Opuſculum noſtrum, cui titulus *Dies Attici* in *Antelucanis*.

Nam quod apud Syenenſes (vt Heliodorus tradit Aethiopic. lib. IX.) Nilus appellabatur, Annus, eſt hic alterius generis hiſopſephus, nimirum quia Graeca vox Νεῖλος redacta in numerales literas, atque ſupputata ſummam tantam efficit, quanta eſt dierum in anno, 365. vt hic cernis:

XLV.

ν'	50.
έ	5.
ί	10.
λ'	30.
ό	70.
ς̀	200.
	365.

Multò autem numeroſius eſt Anni nomen; Graecè ἐνιαυτὸς, vt liquet ſupputanti,

XLVI.

έ	5.
ν'	50.
ί	10.
ά	1.
ύ	400.
τ'	300.
ό	70.
ς'	200.
	1036.

Neque perperam ea figura commentanda; poſcit namque fundamentum aliquod, ſeu rationem accommodationis, vt exemplo ſuperiore edocemur: Annum ſiquidem Nilus quodammodo refert per annuas temporis viciſſitudines; Per aeſtiuam incremento aquarum, per autumnalem, ac hyemalem decremento, per vernam denique floribus ex eo naſcentibus, partuque crocodilorum,

Ad Eius exemplum Carolus Sabattinus, Peruſinus, eximij Vir ingenij luſit quaſi vaticinans in Pontificem Max. dudum creatum hiſopſephiſmo Hebraico-arithmetico, hoc eſt literas Latinas minuſculas pro notis numeralibus vſurpans ad legem Hebraicarum, Cuius artificij auctor extitit quondam Trithemius quamquam in parte diſcrepet, vt probat eius ſeries, videlicet:

cet : A valet 1. B 2. C 3. D 4. E 5. (interrupta Alphabeti ſerie) & valet 6. F 7. G 8. H 9. I 10. IA 11. IB 12. IC 13. ID 14. IE 15. I& 16. IF 17. IG 18. IH 19. K 20. L 30. M 40. N 50. O 60. P 70. Q 80. R 90. S 100. T 200. &c. At verò Sabattinus Alphabetum purum deducit omiſſa litera K, ſuperuacanea Latinis ex Priſciano, Videlicet:

De electione Summi Pontificis
ALEXANDRI. VII.
Vaticinium Hebraicô Aritmeticum

XLVII.

Fabius	198.
Cardinalis	217.
Chiſius	289.
Senenſis	319.
Erit	174.
Papa	102.
à	1.
die	18.
7.	7.
Aprilis	229.
Anno	101.
	1655.

Eiuſdem de Anno, quo B. Thomas è Villa Noua inter Diuos erat reponendus ſolemni ritu.

XLVIII.

Hic	20.
Thomas	239.
de	9.
Villa	130.
Noua	171.
reponetur	460.
inter	204.
Sanctos	324.
Anno	101.
	1658.

Quaeres, vtra ſeries notarum numeralium ſectanda ſit, Trithemij, an Sabattini? Alterutra dicimus, quamquam antiqua illa tutior videatur, & auctoritatis plus adepta. Verùm, cùm recentiores variè ab illa recedant; namque Emanuel Theſaurus diuerſam allegat, vbi ſcilicet litera K ſeruatur; monendi propterea ſunt nobis, qui argumentum huiuſmodi producunt marte proprio, neceſſe eſſe, vt ſimul appingant notas numerales, quibus viam, rationemque ab ſe initam edoceant; ex quo fas erit cognoſcere, à marmorum dignitate haec abhorrere, eruditorum dumtaxat vmbraculis, ſtudioſorum academijs accepta.

Proinde ex hiſopſephiſmo Elogia tota, quae Cabaliſtica vocant, concinnauit non ſine lepore Benedictus Baſſius Cler. Reg. Teatinus in Heroës quoſdam Venetos: Aliter autem numerauit à memoratis Elogiaſticis. Siquidem Alphabeti totius ſeriem puram, neque in decades poſt decimam literam, vt illi; ſed ſingulari incremento perducitur ab a, quae vnum ſignificat, ad vſque z, quae tres & viginti; Intellexitque monitum noſtrum, & obſeruauit ſubiecto ad calcem libelli ſui Alphabeto cum indice numerali. Nec putes euertiſſe eum leges veterum vel ex parte illa, qua ſaluus eſt vſus nonnullarum literarum (videlicet I pro 1. V pro 5. X pro 10. L pro 50. C pro 100. D pro 500. M pro 1000.) namque minuſculis ipſe vtitur, vt mox cernes, quas veteribus quidem fuiſſe ignotas tam notũ eſt, quàm quod notiſſimum; vt indicauimus libro ſuperiore de Venuſtate Elogij, Cap. IV. de dignitate Scripturae. Iam accipe huius texturae excerpta ex Baſſio exempla duo.

XLIX.

TVMVLVS . IOANNIS , CORNELII

ioannes , cornelius
69. 104.
dux , uenetiarum , inclytus
43. 115. 109.
mundo . mundus . abyt
59. 82. 39.
uti
46.
caelo . ſemper . uiuat
32. 68. 66.
ipſo . die . tumulo . exceptus
53. 18. 90. 101
quo . christus . in . terris . uiſus . eſt
47. 107. 21. 81. 81. 40.
anno . ſaluatoris
38. 121.
M D C X X X

Quae

Quae poſtremae notae ſummam praecedētium conſtituunt. Et quoniam vox *Saluator* ſuſpecta quibuſdam eſt, idcirco pro *Anno Saluatoris* reponere licebit *An. A. Mundo. Redempto.* Ita vtrinque conſentiet ſumma

13. 1. 59. 86.

Alterum exemplum

L.

NICOLAI. DVCIS. CONTARENI. CREATIO

ioanne. cornelio
52. 81.
pijſſimo. principe. ad. ſidera. euecto
99. 82. 5. 64. 63.
nicolaus. contarenus
84. 116.
ſenatorij. ordinis. princeps
100. 80. 90.
ſummo
71.
totius. ſenatus. populique. gaudio
94. 89. 118. 53.
dux. uenetiarum
43. 115.
eligitur. anno
93. 38.
M. D. C. XXX

Verùm ne deſipiat id inuentum, innuenda duntaxat, non exprimenda ſumma numerorum; Verbi cauſa, ſi ad extremum Inſcriptionis legatur, *Anno quèm colligis*, ſeu, *Annum iam habes*; ſeu *Annum, ſi ſapis, ne ſcitare*, ſeu quid ſimile. Studendum porrò; vt ipſa Anni indicatiua formula eandem ipſam in ſummam numerorum referatur, quo purum exiſtat Elogium eo ſchemate.

Legitur in nouis marmoribus genus aliud Inſcriptionis, quae Chronographica vocatur; vbi literae numerales è reliquo extantes corpore dictionis, ſeculum ſignant, & annum: Cuius non paucae occurrunt apud Franc. Suueertium tùm in Brabantinis monumentis, tùm in Selectis Delicijs. Verùm ſi noſtram roges ſententiam, è tam multis vix vna, aut altera dignitatem habet exempli, adeò barbariem olent. Ac primùm inter Brabantina legitur Louanij in Area caſtri, inciſum lapidi hoc Diſtichon

E Terræ Vanæ eſt VeCTVs LapIs Iſte rVInIs
CVIVs qVInte qVIdeM, CaroLe VICtor eras.

hoc, ſi pro numeralibus legas V, C, L, I, M, promit tempus victoriae inſignis à Carolo Caeſare relatae, videlicet Annum ſalutis MDLVI. namque V ſignificat quinque, C centum, L quinquaginta, I vnum, M mille ex vſu vetere Latinorum. Cur autem (ſuſcipimus nos) non hìc ſimul pro numerali ſumatur T, ac reliqua ibidem elementa ex more priſco? Sanè, inquies, ea apud poſteros exoleuere. Sit licet: ſed nouum commentum ſit ſalſum oportet, vt ſapiat eruditorum palato, quale non inficiamur in parte exiſtere adductum hìc exemplum; niſi quòd formula illius minuſculi characteris, maiuſculis Romanis interpoſitis, nihil praebet priſci decoris. Nam, vt eruditè M. Antonius Muretus ad Epiſtolam XL. Senecae notat, *Omnia ſcribebant veteres ijs literarum formis, quas hodie maiuſculas vocamus*. Itaque nos libentiùs Romanas ipſas literas perpetuò ſcripſerimus, grandiuſculas illas tamen, quas numeris deſtinamus, neque ab vſu veterum marmorum in hac parte aberraremus, vt liquet ex traditis Libro ſuperiore. Argutius nonnihilò eſt Chronographicum è Selectis Delicijs inditum Portae Kipdorpianae in Vrbe Antuerpia his notis

S. P. Q. A
aVXILIVM. sVIs. DeVs

ſcilicet monumentum eſt inſignis facti; & id quidem non exprimit, quaſi celebritatis eius memoria inextincta per ſe ipſa omni poſteritati ſit praeſto futura, ſi tempus duntaxat ſignetur, qui fuit Annus MDLXXXIII. Porrò exponit mox Suueertius tùm Annum, tùm factum, propulſatos ingenti caede Gallos aggreſſos vrbem Antuerpiam cum minima ciuium iactura.

Caeterùm abundat illud Chronographicum, vbi notis literarum nudis poteſt commodè ſignari tempus more Romano. Quam cenſuram conflare ſibi videtur apud Suueertium in Select. Delic. Epitaphium VVilhelmi Ducis; quod legitur Duſſeldorpij, in quo poſt comprehenſas decaſticho laudes defuncti, cùm ſubijci potuiſſet proſa Tempus mortis, maluit Author numerali diſticho id praeſtare in hunc modum

QVInta renaſCentIS CVM LVX affVI ſerat annI,
CLIVensIs prInceps regna beata petIt.

Quid verò, vbi ad carmen Chronicum etiam notae numerorum ſolemnes apponuntur? Id ipſum in Epitaphio Coloniēſi apud Suueertium

de-

de Cornelio Schulting, vbi poſt Dodecaſtichon ſubijcitur hoc Diſtichon

Vt LVX aXe poLI fortIs CasVra GeorgI
CoeLItVs à Chara Morte VoCatVs abeſt

& mox Obijt ann. MDCIV. XX. April.

Quomodo non iſto luxu violetur Inſcriptionis caſtitas? Eodem vitio laborat aequalis illius & conterranea Inſcriptio ad tumulum Ludgeri Heresbachij, quam habes apud eundem Suueertium. Argutulum eſt in extremo Epitaphium Bruxellenſe (apud Suueert. in Brabant.) poſitum Ioanni Godſcalcano ad Bogardos: Nimirum poſt expoſitum metro vitae illius curſum & labores, ſubdito Diſticho proditur Mortis tempus per literas numerales ſimul & dictum morale, videlicet

QVaLIs hoMo tV nVnC, ego tVnC, at qVaLIs ego nVnC
TaLIs tV tVnC, et sI benè dIVes erIs

Nec laudem exempli detrectauerimus Tumulo Colonienſi, etſi corpore minùs puro, quem ad nos tranſmiſit Roma Abbas Michael Iuſtinianus, excerptum ex hiſtoria ſua Italico ſermone (cui titulus: Degli Huomini Ragguardeuoli di Scio, del Rito Latino) nondum in lucem edita. Eſt autem huiuſmodi

LI.

D. O. M.
Admodum R. & Eximio P. * F. Vincentio
Iuſtiniano Graeco-Romano S. T. Magiſtro
Commiſſario Generali Inquiſitionis, & huius
Generalis * Studij * Regenti

* expunge *F.*

* lege *Academiae* * *Rectori* vel *Moderatori*

Quem, licet ad faſces ſublimi è ſanguine natum,
Sacrato Pietas ſubdidit Imperio.
Cui doctrina apicem, demiſſio mentis abyſſum
Conceſſit, gremio clauditur ille meo

fLos egreDItVr, & fVgIt VeLVt
VMbra. *Iob Cap.* 14.

Scilicet poſt proſam, & carmen ſolemne eſt in Epitaphio ſubdere Dictum moratum, tum mortis tempus: quae duo ſimul non indecorè hic mixta cernuntur.

CAPVT IV.

De Vſu Argutiarum ſpeciatim quae ſunt ſecundae intellectionis.

Membrum I.

Argutae Enunciationis natura.

SEcundae Intellectionis opus Enunciationem tradunt Logici: Eandem admittunt Logiaſtae, ſed modo diſſimili. Primùm illis nomina duo coaleſcunt per verbum veluti per copulam, idque ſimpliciter, & ex natura ſermonis: At his figuratè, & praeter naturam, ex ingenij ſolertia quaeſito nexu. Quo quidem nexu non illicò ſecunda intellectio conſtituitur, (nam etiam prima inde exiſtit, ſi benè memineris, quod de Eſſentia Argutiae definitum eſt Cap. II. in extremo Membri I.) ſed vbi ampliùs neceſſum habet nexum logicalem, in quo

illa

illa haereat. Atque vt rem exemplis explanemus, Allegoriam tu facies primae intellectionis, ſi cùm Cicerone in Caelium oratorem dicas, *Bonam dexteram, malam ſiniſtram habere*; tota quippe ratio figurae poſita eſt in metaphora illa ſolitaria, etſi geminata in genere eodem; vt abſolutè, & abſque verbi copula fas ſit dexteram manum appellare *facultatem accuſandi*, & ſiniſtram *defendendi*. Sin autem dicas cum illo Bubulco ſene de Veſpaſiano (Suet. cap. XVI.) *Vulpem pilum mutare, non mores*; exiſtet pariter Allegoria, ſecundae verò intellectionis; nam huic metaphorae frequentatae *Vulpem, pilum, mores*, niſi inſerueris copulam ſeu nexum verbi *mutare*, haud quaquam certum elicies ſenſum.

Deinde quaerenti, vtrùm in Argutijs enunciatiuis exigatur ad earum veritatem aperta dicti cum re conſenſio, in hoc quoquè diſcrepare conſtabit Elogiaſten à Logico. ſiquidem in his non modò amat veritas tegi velo figurae, quemadmodùm in fabulis, & Apologis, vbi aliud dicimus, aliud intellectum volumus; ſed ipſa contenta ſolummodò apparere, haud curat ſubſiſtere. Cuius placiti ratio eſt finis potiſſimus earundem Argutiarum in audiente (vt ſuprà diximus) Delectatio nimirum cum Admiratione, cui gignendae par eſt ſola ſpecies veritatis, nec ea tamen euanida, aut apertè commenta, alioqui nihil venuſtum ſpirabit, nihil mirabile; ſed affectatum quiddam obolebit, puerile, ac putidum. Itaquè ſi valdè ea ſpecies obtendatur, habebit interuentu figurae praeſidium ſuum, ex quo ſolida praeferatur. Venuſtum enim, & Mirabile, vt afficiant, neceſſum non habent ſubſiſtere; quin eò miramur magis, ac proinde oblectamur, quò quid & ſubſiſtit minus, & magis apparet; ſcilicet haud ipſa res eſt, quam in Argutia primùm intendit auditor; ſed magis ingenij ſolertis commentatio illa feſtiua, atque in acumine vibrato raritas. Reliquum eſt, vt locos ſubinde indicemus, ex quibus quaſi fontibus petuntur ſecundae intellectionis Argutiae. Sunt autem harum aliae in verbo poſitae, aliae in re. Primùm igitur de ijs, quae in verbo.

Membrum II.

De Ambiguo.

Ex *Ambiguo dicta*, inquit Cicero II. de Oratore, *etſi argutiſſima putantur, ſed non ſemper in ioco, ſaepe etiam in grauitate verſantur*. Et infrà: *Ambigua ſunt in primis acuta, atque in verbo poſita, non in re*. Cuius loci natura quae ſit, paulò inferiùs pandit, *Ambiguum*, aiens, *per ſe ipſum probatur id quidem vèl maximè: Ingenioſi enim videtur, vim verbi in alìud atque caeteri accipiant, poſſe ducere*. Et quia de Ridiculis potiſſimè ſermonem inſtituerat, ſubijcit de Ambiguo, *ſed admirationem magis, quàm riſum mouet*. Quibus ex locis coniectare licet, Ambiguum eſſe aliud alio ingenioſius. Namque interdum ducitur vis verbi in aliud, atque caeteri accipiant è praeſenti continuatione ſermonis, accepturi aliàs illo quoquè ſenſu, quem argutans intendit, ſi ſermo mutetur; Quia nimirum id verbum diuerſa ſignificat ex vſu vulgari; totuſque lepor eſt poſitus in traduducenda ſignificatione ab vna ad aliam materiem ſermonis. Tritum eſt exemplum de legibus Athenienſium ſaeuiſſimis, quas tulerat quidam nomine Draco, de quibus illud vulgò ferebatur: *Verè Draconis leges, non hominis*. Vulgare enimuerò genus Ambigui, nec dignum cenſu Argutiarum, quod ingenijs cuiuſuis notae eſt promptum; Niſi ſenſu vibretur. Ait enim Quintilianus lib. VI. cap. IV. *Non quia excludenda ſint omnino verba duos ſenſus ſignificantia: ſed quia rarò bellè reſpondeant, niſi cùm prorſus rebus ipſis adiuuantur*. Profertque praeclarum ex Cicerone exemplum: *Cum*, inquit, *obijceret Miloni accuſator in argumentum factarum Clodio inſidiarum, quòd Bouillas ante horam nonam diuertiſſet, vt expectaret, dum Clodius à villa ſua exiret, & identidem interrogaret quo tempore Clodius occiſus eſſet, reſpondit SERO*: quo non tam horam veſpertinam ſignificauit, quam tarditatem necis, quae maturiùs patranda fuerat, vt ſcilicet homo tam nefarius è medio citiùs tolleretur. Seu alio iuuetur ſchemate, verbi gratia Relatione, vt illud Fauſti, Sullae filij (apud Macrob. lib. II. Saturnal.) cuius ſoror cùm duos eodem tempore moechos haberet, Fuluium Fullonis filium, & Pompeium Maculam, *Miror*, inquit ille, *ſororem meam habere maculam, cum fullonem habeat*. Eſt enim ambi-

guum hoc argutum propter concinnam relationem maculae à proprio vocabulo ad appellatiuum translatae, cum fullone, cuius eſt curare, ac polire veſtimenta: Vel Repugnantia, vt apud Athenaeum (lib. XIII. cap. XVII.) dictum à Gnathena ſcorto nobili: Cùm tripudians Pauſanias cognomento Lacus, in cadum quendam incidiſſet, *Lacus*, inquit, *in cadum incidit*. Vel translatione praetenſa, vt de Portio Catonis filio, qui cum Marphadatis hoſpitis ſui vxore, cui nomen Anima, conſueſcens, illud exciuit in vulgus; *Vſque eò amici ſunt Portius & Marphadates, vt vna ſit eademque Anima vtriuſque*. Sumitur autem anima metonymicòs pro voluntate, quae in anima ſedet. Id quod Cicero mitiùs dixerat in Laelio: *Amicitiae ius in eo eſt, vt vnus quaſi Animus fiat ex pluribus*. Sed ex Ambiguo ſumpta hìc fuit Anima pro vxore hoſpitis vulgò nuncupata. Itaque vbi vocis ambiguitas vulgò accepta & cognita, ibi minùs vt diximus, ingenioſus eſt luſus; neque idcirco mirabilis, neque ſummè iucundus, niſi aliunde ſapor acceſſerit, puta ex concinnitate ſumma rerum, ac pondere, vt exemplis veterum citatis patet. Quibus appone recens (amplius tamen centeſimi anni) ex Mauſoleo Mediolanenſi ad Diui Nazarij, videlicet:

LII

IO. IACOBVS . MAGNVS . TRIVVLTIVS
ANTONII . F
QVI . NVNQVAM . QVIEVIT
QVIESCIT . TACE

In quo, etſi obuius ſit vulgò in tumulis ſignificatus verbi *Quieſco*, de homine defuncto; ſecundo tamen loco poſitum, vbi praeceſſit proximè ſignificatu peregrino de homine militante, cui non ſapiat haec ambiguitas? Suueertius autem in Select. Delic. (editione Colonienſi, an. MDCXXV.) omnem ferè perdit ſaporem corrupto exemplo, vt patebit conferenti cum protographo ipſo Mediolani, à nobis ſumma fide hìc exſcripto.

Interdum vis verbi in aliud ducitur, atque accipiant caeteri, idque ex ſolo dicentis ingenio; quod genus argutiae in primis probatur, quibuſdam captioſum appellatum. Fit enim aliquando translatione noua vocabuli, vt apud Macrobium, cùm Plancus in iudicio amici deſtruere vellet moleſtum teſtem, interrogauit (quia ſutorem ſciebat) quo artificio ſe tueretur, ille vrbanè reſpondit *Gallam ſubigo*. Nam *ſubigo* de foemina inuſitatum, ad eam tranſtulit metaphoricòs; videri autem volebat locutus propriè de galla, quam tritam miſcent ſutores rebus alijs conficiendo atramento ſutorio; ſed re vera intentauit illi exprobrationem adulterij, nam Plancus in Maeuia Galla nupta malè audiebat. Aliquando ſermone trunco, vt apud Ciceronem; cùm Titius ſtudioſè pila luderet, & idem ſigna ſacra noctu frangere putaretur, gregaleſque cur in campum non veniſſet, requirerent; excuſauit Veſpa Terentius, quòd *eum brachium fregiſſe* diceret; quaſi diceret ſibi, ſed ſubticuit cui, ſubintelligens ſignis Deorum. Aliquando proprietate vocis praetenta obtruditur figura, vt in illo Martialis ad Baſſum lib. II. Epigr. LIV.

Colchida quid ſcribis, quid ſcribis, Amice, Thyeſtē?
Quid tibi vel Niobe, Baſſe, vel Andromache?
Materia eſt, mihi crede, tuis aptiſſima chartis
Deucalion; vel, ſi non placet hic, Phaëton.

Non enim intelligi vult Deucalionem, vel Phaëtontem eſſe materiem aptiſſimam ſcribendi Baſſo, qui ſuſceperat Thyeſtem, Niobem, & Andromachen; Verùm per Deucalionem indicauit metonymicòs Aquam, per Phaëtontem Ignem, in quae digniſſima forent proijci, & perire ſcripta Poëtae inſcitiſſimi. Aliquando demùm ex proferentis modo, puta ironico, vt quod Nero de ſeruo peſſimo dixit: *Nulli apud ſe plus fidei haberi: nihil ei neque occluſum, neque obſignatum eſſe*. Id quod ſeriò de fideliſſimo ſeruo poſſit dici, ironicè de furum callidiſſimo, qui nullum non ſcrutatur, non reſignat locum, vt inde rem ſurripiat.

Et quanquam Aequiuocis moueri magis admirationem, quàm riſum monuerit Cicero; ſi quis tamen aliena ab idiomate ſignificatione iocetur, ſcurrantium more applauſum colliget. Eius notae videri poteſt Epigrapha illa inſcripta cubili defunctae meretricis: HIC . CAMPVS VBI . TROIA . FVIT . Vox enim *Troia* apud vulgum Italorum pro *Porca* translata ad ſalaciſſimam foeminam, nihil tale Latinè ſignificat.

Non erit poenitenda obſeruatiuncula Enunciationis ex idiomatis genere ambiguae, quae fertur inciſa in ſacra Aedicula Diuae Virginis imminente mari ad Sauonam, vrbem Liguriae, videlicet:

IN

IN. MARE. IRATO. IN. SVBITA. PROCELLA
INVOCO. TE. NOSTRA. BENIGNA. STELLA

Quod quidem diſtichon haud eſt promptum decernere, ſitnè Latinè dictatum, an Italicè; vtroque certè currit idiomate, quidquid in Latina Syntaxi Antonius Mucinus adnotet vocem *Mare* in ſexto caſu pro *mari* vſurpatam neceſſitate metri duntaxat apud Ouidium in Ibin. & apud Plautum in Rud. Gratis enim id aſſerere videtur, licereque ex his locis, quia plures ſunt, canonem ſtatuere, quòd vtroque modo terminetur caſus ſextus eius nominis, quamquam priore frequentiùs. Nam praeter duos illos Poëtas allegatur etiam à Io. Iouiano Pontano (lib.I. de Aſpirat.) Lucretius:

E mare primùm homines, è terra poſſit oriri
Squamigerum genus, & pecudes erūpere Caelo.

vbi adnotat, ſextum caſum à recto in e, ac generis neutri, exire tam in e, quàm in i. citans etiam marmor antiquum à nobis allatum Lib.I. Elog.II. Q. FILLIVS &c. vbi habetur EX. EO VECTIGALE pro *Vectigali*. Antiquis enim in recto fuit hoc *Vectigale*, pro quo poſtea *Vectigal*. Caeterùm ſcripto quidem hi bini verſus obtendunt ambiguum; pronunciato autem diſtinguunt à Latino Etruſcum vulgare in tribus illis vocibus, *Irato*, *Inuoco*, *Stella*, Nam Hetruſci in prima ſonum vltimae ſyllabae anguſtum edunt, in altera penultimam producunt, in tertia priorem per *e* ſtrictam efferunt; omnia haec more (quod ſcimus) à Latinis diuerſo.

Peregrinum omnino eſt illud genus Ambigui, appellatum quibuſdam Diaulicum, ideſt Enunciatio retrograda contrarium efficiens ſenſum. Cuius exemplum ſtricta oratione concinnatum, quod eſt artificij maioris, dictauit liuor Viro Principi irritato in Regem cognatum. Nam gratulantibus huic nuptias Principibus Aulae vniuerſis, is abſens voluntario exilio, ne communi officio deeſſe putaretur, hoc dedit perſcriptum Diſtichon gratulatorium ſpecie, ingenio autem, & genio malo imprecatorium, videlicet:

REX . TIBI . CONNVBIVM . FORTVNENT . NVMINA . LONGO
TEMPORE . NEC . STERILIS . SIT . TIBI . PROGENIES.

Quod ſicut ille peruerſo animo fuderat; ita verbis peruerſis legendum, interpretandumque in hunc modum voluit;

PROGENIES . TIBI . SIT . STERILIS . NEC . TEMPORE . LONGO
NVMINA . FORTVNENT . CONNVBIVM . TIBI . REX

Nec minùs ingenioſè ſtudia Abelis, & Caini filiorum Adami repraeſentauit quidam, imaginibus vna in tabula pictis inſcribēs vnum & idem Carmen; ac prioris quidem in hexametrum currens, videlicet:

Sacrum pingue dabo, non macrum ſacrificabo.

Poſterioris autem ipſum retrogradum, atque in pentametrum cohibitum, quo ingenium exprimeret fraterno oppoſitum, atque peruerſum; ſic autem legis

Sacrificabo macrum, non dabo pingue ſacrum.

Nam illa retorta gradatio, qua per literas ipſas eademmet prorsùm relegitur oratio, turbato duntaxat interſtitio confinium dictionum, tam vana ea eſt, cùm nihil de ſenſu variet, ac proinde nihil ſalis aſſumat; quàm operoſa proximè ad inſaniam, proinde digna ſtudio vel perditi capitis, vel magis damnati Tartaro Genij, cuius eſt improbus quidem labor, ſed pretio vacuus. Eius generis cenſeri poſſet, niſi in duobus peccaret, Inſcriptio circumducta Horologio Solario;

EN . GYRO . TORTE . SOL . CYCLOS . ET . ROTOR . IGNE

Siquidem ponit caſum rectum *cyclos* quaſi longum in vltima ſyllaba, cum tamen ſit per omicron, hoc eſt breuis: item retrogradiens efficit *ygne* pro igne contra leges orthographiae.

Membrum III.

De Diuerſo.

Ambiguo ſuccedit limine proximo Diuerſum. Cuius ſchematis natura multiplex per ſpecies varias, quas ſuis nominibus ex vſu Rhetorum, & exemplis è re Elogiaſtica mox percenſebimus, quò promptior meditatio fiat, pandetur. Hae ſunt:

Prima, *Dialogia*, per quam vox ambigua repetitur ſignificatione diuerſa. Huiuſmodi eſt

dictum illud Lucillianum apud Donatum in Terent. *Carcer vix carcere dignus*. Vbi vox *carcer* tam pro homine nefario, quàm pro cuſtodiae loco vſurpatur. Talis eſt clauſula marmoris Narbonenſis (Repete ex lib. V. de Venuſt. cap. III. Memb. IV.) *Amici dum viuimus, viuamus*. In qua priùs vitam intelligit, poſteriùs fortè & vigilantiam, vt ex illo Plinij in Praefat. ad Hiſt. Natur. *Vita Vigilia*. Hinc etiam manauit illud ſalsè iactatum à vulgo in Neronem (apud Suet. cap. XXXIX.)

Quis neget Aeneae magna de ſtirpe Neronem?
Suſtulit hic Matrem, ſuſtulit ille Patrem.

Nam priore loco verbum *ſuſtulit* eſt de medio tollere, poſteriore in humeros tollere. Franciſcus Marianus Patricius Mediol. hinc hauſit argumentum Elogio de Equite Franciſco Brippio: *In diuerſa*, inquit *fortuna nunquam diuerſus*. Hùc pertinet quod, de Alexandro Rege memorat Valerius Max. lib. VI. cap. IV. Dario enim vno iam & altero praelio virtutem eius (Alexandri) experto, atque ideo partem Regni Tauro tenus monte, & filiam in matrimonium cum decies centum millibus talentum pollicente, cùm Parmenion dixiſſet, Se, ſi Alexander eſſet, vſurum ea conditione, reſpondit: *Et ego vterer*, * *ſi Parmenion eſſem*. * ideſt ſi tam demiſſo eſſem animo, quàm tu: Sed ego Alexander ſum, ideſt Magnanimus &c.

Secunda, *Ploce*, cùm vox iterata perſonam, ſeu quaſi perſonam priùs ſignificat, pòſt mores, aliamuè qualitatem. Et quidem Perſonam, vt apud Poetam Sulmonenſem

Talis erat Mater, ſi modò Mater erat;

pro, ſi moribus maternis praedita. Quaſi perſonam, vt apud Plautum in Aſinaria Act. I. Sc. II.

Nam mare haud eſt mare: Vos mare acerrimũ.

ideſt, Vos eſtis moribus maritimis. Iam qualitatem aliam in nomine perſonae repetito innuit Alexius Ledeſma Collega noſter, Elog. de Diuo Alexio patrijs in aedibus ignoto: *Quaerebant* (ſupple *Parentes*) *Alexium in Alexio*, in eo ſcilicet, quem praeſentem habebant, neque agnoſcebant. quod profectò imitatione Ciceroniani loci in Verrina eſt aſſecutus: *Aetnenſis ager ſic erat deformis atque horridus, vt in vberrima Siciliae parte Siciliam quaereremus*. i. e. qualitatem Siciliae propriam, quae eſt ſoli vbertas, & ſegetum laeta facies. Colluſit & Nicolaus Cauſſinus de ſtylo Plinij alicubi vitioſo: *Nonnulla*, aiens, *neglecta, & inculta Plinium deſiderare videntur in Plinio*. Hinc manauit lepor ille Vlpiani: *Mulier, quae mulier fieri non poſſit*, ideſt, quae virum pati non poſſit. Tritus quoque ille modus loquendi, ſed opportunè lepidus, quem habet Albertus de S. Antonio: *Iam maior factus ſe ipſo eſt*.

Tertia, *Cinnus*, duarum rerum diuerſarum colligatio: Vt illud P. Syri mimographi:

Tam deeſt auaro, quod habet, quã quod non habet.

Iucundus hic extitit, qui ſibi moriens tumulum inſcribi iuſſit, nomine SIMILIS, in hunc modum:

LIII.

SIMILIS . HIC . IACET
CVIVS . AETAS . QVIDEM . MVLTORVM . ANNORVM . FVIT
SEPTEM . TAMEN . DVMTAXAT . ANNIS
VIXIT

ſibi volens, annis ſeptem dumtaxat, abdicata militia, exegiſſe vitam in agro otioſam, & quietam. Habes hunc tumulum in Vita Adriani ex Dione, Georgio Merula interprete, in volumine operum Io. Bapt. Egnatij. Hùc ſpectat principium Tituli ſupra Sceleton in Noſochomio S. Mariae de Conſolat. Romae. *Quod hoc vides, Amice, Corpus ſine corpore* &c. Totum habes ſuprà, lib. III. de Perſpicuitate, Memb. X. Elogio LXXX.

Quarta, *Paradoxum, Inopinatum*, ſiue *Suſtentatio*, cùm ſuſpenſis legentium, vel audientium animis aliquid haud expectatum ſubiungitur: Vt illud vulgatum, ſingularis tamen acuminis dictum apud Terentium in Heaut. Act. V. Sc. I.

---- *In me quiduis harum rerum conuenit,*
Quae ſunt dicta in ſtultum; caudex, ſtipes, aſinus, plumbeus.
In illum nihil poteſt; nam exſuperat eius ſtultitia haec omnia.

expectabas tu autem, dicturum: Nam exſuperat eius

eius ſapientia omnes homines. Hoc ſale vſus quoquè eſt Cicero (apud Quintil. Inſt. Or. lib. VI. cap. III.) Cùm hominem mendicum ſimul, & improbum laudare videretur: *Quid*, inquit, *huic abeſt, niſi res, & virtus?* Sed deſipit quodque ſcomma, ſi cum illo componatur, cuius auctor Diuus Hieronymus natione (vt ſcimus) Dalmata, vulgò Sclauus. Is conuiciatori ſcitanti, *Quid intereſt inter Sclauum, & Aſinum?* *Paries*, reſpondit. Nam conuiciator foris adſtabat; itaque paries erat intermedius. Sed conuiciatori verbum *Intereſt* pro *diſcrimen eſt* vſurpabatur; non pro interiectum. Ex Elogiaſtis Albertus Elog. de S. Franciſco Aſſiſinate, cui pro martyrio, quod ſitiebat, oblata ſunt à barbaro Principe honoris gratia Aurum, ac Gemmae, *Nouum*, inquit, *crudelitatis genus eſt, muneribus cruciare*.

Quinta, *Correctio*, quae tollit, quod dictum eſt, & reponit, quod magis aptum videtur. Hac ludit,ſed illudit probroſiùs Cicero pro Caelio in ſororem Clodij: *Quod quidem facerem*, inquit, *vehementiùs, niſi inimicitiae intercederent cum iſtius mulieris viro. Fratrem volui dicere. Semper hìc erro*. Albertus Elogio de S. Baſilio è ſolitudine profecto ad haereſes refellendas: *Ex vmbra igitur vocatus ad Solem: veriùs Sol vocatus ad vmbras, quas ſuâ luce diſſoluat*. Idem Elogio de B. Auguſtino: *Puer puerilia facere, ludere, otiari: At non erant haec otia, ſed labores. Iam tùm materia lachrymis parabatur*. Idem de S. Antonio Eremitam agente in ſepulcro: *Igitur viuus ſepulcro conditus; ſi tamen viuus, qui toties iam obierat*.

Sexta, *Deriuatio*, Cùm voces coniunguntur, quarum vna ab altera deriuatur. In quo argutus eſt Lucilius l. 30. *In omni*, inquit, *aduerſitate fortunae infeliciſſimum genus infortunij eſt fuiſſe felicem*. Plautus quoquè in Pſeudolo Act. IV. Sc. I. *Memorem immemorem facit, qui monet, quod memor meminit*. Nec minùs iucundus in Oratore Cicero ad Brutum: *Itaque efficis, vt, cùm gratiae cauſa nihil facias; omnia tamen ſint grata, quae facis*.

Septima, *Antitheſis*, quâ duo diuerſa opponuntur. Qualis apud Macrobium eſt Caeſaris Auguſti, qui audita infantium caede, iubente Herode Rege patrata, *Meliùs eſt*, inquit, *Herodis eſſe porcum, quàm filium*. Et apud Albertum Elogio de S. Pachomio; qui Nilum crocodilo vectus traiecit: *Vilis ac horridus hominum funerator, Homini Angelo cymba fuit*. Recole de Antitheſi lib. V. cap. III. Membrum VII.

Membrum IV.

De Contrario.

NVſquam ita emicat lepor ingenij, vt cùm contraria iuxtà committit. Emicuit in Scipione Aemiliano, qui rogatus ſententiam in Senatu, vter altercantium Conſulum de ſuſcipienda aduersùs Viriatum prouincia mittendus eſſet, Ser. Sulpitius Galba, an Aurelius; Neutrum, inquit, mihi mitti placet; *alter nihil habet, alteri eſt nihil ſatis*. Quo dicto vibrauit ex oppoſitione contrariorum acumen; elanguiſſet autem ſimplici hac enunciatione ſententiae; Alter inops rerum eſt, alter inexplebilis; ſeu Inopia, qua alter laborat; &, qua alter Auaritia, duo ſunt, quae homines ad maleficium breui compendio impellunt. Aculeata, ne dum acuta fuit ab hoc loco reſponſio Phocionis apud Plutarchum. Is cùm populum aliquando paulò liberiùs in concione reprehenderet: Demoſthenes ait: *Trucidabit te plebs, Phocion, ſi paululùm inſanierit*: Cui Phocion: *Quin te potiùs, ſi paululùm reſipuerit*. Committe illa duo inſanire, & reſipiſcere, tùm quantùm ferire nata ſint, intelliges. Ex Elogiaſtis autem maximè acutus Albertus, Elogio de S. Baſilio per Valentem haereticum agitato: *Baſilius*, ait, *toto Imperio iubetur excedere. Erraſti Valens. Nunquam ille tuo vixerat in Imperio. Vbique Patria Virtuti eſt, & exilium. Quàm procul abs te Baſilius vixerit, diſce Valens, quàm tu procul ab illo*. Ineſt hìc, vt vides, oppoſitio contrariorum gemina.

Breuiuſculis Epigraphis afflant Cōtraria formam & ſpiritū. Accipe exemplum ex ſubiectis. Extat Comenſis tumulus, citatus à Suueertio in Sel. Del. de Benedicto Iouio, ſed repurgatū referemus hìc ex Lario Sigiſmundi Boldonij, videl.

LIV.

Quem inuida Mors vult eſſe mortuum
Hiſtoria patria, Orationes, & Carmina
BENEDICTVM . IOVIVM
mori non ſinunt
Iulius Epiſcopus Nucerinus memoriae
Patris opt. Poſ. MDLVI

In Exequijs Florentiae per Magnum Ducem celebratis Mariae Auſtriae Auguſtae, ex abortu extinctae, vnam è minoribus Ianuis Templi Franciſcus Rondinellus inſcribens, Proëmiolo hoc praemiſſo:

LV.

O viri ad vos clamito
Et vox mea ad filios hominum

mox corpus Elogij contentione gemina contrariorum ita perficit:

AVGVSTA
TERRAM . IMPLEBAT
NVNC . CINIS . EIVS
VIX . TOTAM . IMPLET
VRNAM
FILIVS . ANTEQVAM . NASCERETVR
MORTVVS . EST

Feſtiuior nullus (quod adhuc viderim) Alberto in hac parte; à quo ita inſcribitur

LVI.

BRVNONIS . TVMVLVS
ATTIGISSE . ITINERIS . METAM
RERIS . VIATOR
PRIMVS . HIC . EST . LAPIS . A . VITA
BRVNO
HINC . VIVERE . PRIMVM . COEPIT
ET . HIC DESIIT
MORI

Alludit autem ad hiſtoriam Canonici Pariſienſis de Profeſſore illo ſapientiae celeberrimo, quo defuncto, & ſua confeſſione, cùm in feretro iaceret, aeternis damnato ſupplicijs, Brunonem, refert is, territum ſpectaculo abdicauiſſe Mundum, ac vitam ſanctiſſimam iniuiſſe. Cuius tamen hiſtoriae fidem eleuat Albertus praefatione ad Lectorem; cùm, quòd expuncta nuper Breuiario Romano, inter apocrypha iure computetur. Hoc ad intelligentiam tumuli appendiſſe neceſſe duximus. In Selectis Delicijs legitur Tumulus Neapolitanus Lucilij Pontani à Stella Pontana Matre poſitus, vbi carmini haec Proſa ſubijcitur: *Dies L. non impleſti Filiole. O breue Naturae ſpecimen! Aeternus parentum moeror, ac deſiderium.* Adijce titulum ſepulcri communis Canonicorum in Aede Regia Diuae Mariae Scalenſis Mediolani, ex Puccinelli Zodiaco, in hanc formam:

LVII.

VIVENTES
IN . SPE . RESVRRECTIONIS . MORTVIS
CANONICIS
P . P

Neque temnendus communis Tumulus Cantorum (vt vocant) Capellae Papalis in Vrbe, quem refert Florauantes Martinellus in ſua Roma ſacra, poſitum in Valicella.

LVIII.

CANTORES . PONTIFICII
NE . QVOS . VIVOS . CONCORS
MELODIA . IVNXIT
MORTVOS . CORPORIS
DISCORS . RESOLVTIO
DISSOLVERET
HIC . VNA . CONDI . VOLVERE
ANNO . MDCXL

Sed hìc addas licet tumulum honorarium Franciſco Rondinellio Auctore poſitum Gentili ſuo in has notas:

LIX.

Quae Parca delectum neſcit in ſenibus
Quorum nempe nemini parcit
Caeca nouit in adoleſcentibus
Quorum legit meliores
Vno ſe docet
OCTAVIVS . RONDINELLIVS
Quem illa maturae virtutis adoleſcentem
immaturè demeſſuit
Mori deſtitit VI. Cal. Aug.
ſex vltra decem natus annos
paucos, ſi Patris deſiderium ſpectes, & Patriae
ſi Caeli non item.
Lector
Vita ſi ſcias vti, longa eſt
Academici N. N. moerentes
Poſ.
MDCXLV

Repete ex libro V. Cap. III. Membrum VII. de Anthiteſi.

Tranſlatis

Tranſlatis mixta Contraria ſalſiora fiunt. Hoc perfecit Ioannes Aloyſius Cerchiarius Clericus Somaſchenſis de Antonio Bruno Poëta Etruſco: *Silete Graculi, quotquot obſtrepitis. Cycnus non ad mortem, ſed ad nominis immortalitatem ſui Lyricos numeros modulatur.* En metaphora gemina à bruto ad hominem & quidem per proportionem ducta, Graculi, & Cycni pro Poëta inepto, & egregio. Oppoſita verò, Mors, & Immortalitas. Albertus Elog. de D. Bonauentura ex Sacro Ordine (vt aiunt) Minorum: *Orantis aeſtus, & iacula Caelum ſenſit. In quod nihil potuere Gigantes, Minores poſſunt.* En Anima oratrix bellatrix metaphoricòs, ac Caeli expugnatrix: Religioſi autem praeferentes nomen Minorum quàm ſcitè Gigantibus oppoſiti! Idem Elog. de Diuo Antonio confirmante ſalutaribus monitis Didymum: *Didymum eius temporis lumen, ſed caecum, ferre docuit caecitatem, non conqueri.* Tranſlationem cum contrarijs niſi caecus hìc non vides. Nam ad illuſtriorem caeteris locum vocaris apud eundem Albertum argutijs inexhauſtum; Elogio de Diuo Auguſtino vbi ſoluentem deſcribit clam Matre ex Africa, quò liberiùs in libidinem fraena laxaret: *Aeneam* inquit *diceres; niſi quòd fumantem Troiam non liquerat, ſed vehebat ardentem.* Aculeos porrò omnes poſt ſe relinquit, quem quidam vibrauit in nobilem Matronam ex Baianis Thermis reuertentem: *Penelope* inquit *venerat, redijt Helena:* quae duo opponuntur Metonymia immixta ſubiecti pro Adiuncto: namque, Penelopem poſuit pro caſta, Helenam pro impudica.

Oxymoro quoque mirum quàm ſapiunt Contraria. Eſt autem Oxymoron dictum, quod primo quidem guſtu fatuum, pòſt autem acutum percipitur; nam ὀξὺς eſt *acutus, acer, acidus,* & μωρὸς *fatuus*, Hinc ὀξύμωρον *Acutifatuum*, quod fit, cùm idem negatur de ſe ipſo. Vulgare eſt, ſed palato vulgi haud dignum, quod de Catone referebat Cicero III. Off. *Nunquam dicente, ſe minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus eſſet: nec minùs ſolum, quàm cùm ſolus eſſet*: ideſt (vt idem Cicero interpretatur) ſe & in otio de negotijs cogitare, & in ſolitudine ſecum loqui ſolitum. Itaque ſicut, doctore Quintiliano, prima ars dicentis eſt, ne ars eſſe videatur: ita eò acutiùs dictum exit, quò minùs acutum, atque adeò fatuum initio viſum fuit. Hoc ſchema Comicis frequens, vt apud Terentium in Eun. Act. II. Sc. II. *Omnia habeo, neque quicquam habeo; nihil cùm eſt, nihil deſit tamen.* Et in Andria, *Coactus tua voluntate es.* Poëtis quoque, vt cùm *Sapientiam inſanientem* dixit Horatius, & ſe *conſultum errare*: Et cùm Ouidius *impietate piam*; Et *ne ſit ſcelerata, facere ſcelus.* Et, cùm Martialis *non bene olere, qui bene ſemper olet.* Apud Elogiaſtas verò vix quidquam frequentius. Iuglaris Elogio XVII. de Chriſto IESV: *Ratae maius non eſſe charitatis Diuinae miraculum, quàm quòd ſontium gerere perſonam potuerit. * Stupidus es, quiſquis hoc ipſum * non ſtupes. Homo iniurius famae ſuae, tibi iure Monſtri ſit loco: Quantò aequiùs Deus, Quem voluiſſe ſordidum fingere, deſtruere eſt?* Idem Elogio ſequenti: *Stat illi pro cibo ſolius abſtinentiae ſapor: Ipſamet illum querela ventris impinguat.* Albertus de Patre Diui Franciſci Aſſiſinatis, ad ceſſionem bonorum adigente: *Effecit paucioribus indigentem, cùm omnia ſuſtulit.* Idem de D. Auguſtino vitam libidinibus anteactam execrante: *Inſelix vita, quae neſcis viuere ſinè morte.* Idem de D. Baſilio; quocum Iulianus Caeſar mutua exercuit odia: *Odia ſua in Iulianum Apoſtatam collegit omnia, Quia in illo omnia collecta vitia cognoſcebat; ſed & in Iuliano habuit * quod amaret, * magnum ſcilicet ſui odium.* Idem de D. Benedicto cogitationibus impudicis iactato: *Nunquam caſtior Venus fuit, quàm cùm eius animum aggreſſa: Nunquam honeſtior Benedictus, quàm vbi Venerem infeſtam habuit. * Amica tantummodo nocet Venus, * Torquendo iuuat.* Idem de D. Auguſtino, cùm adoleſcens peccata non ſua iactaret cum ſodalibus: *Sua faciebat Aurelius, quae non fecerat: nec ſe pudebat vllius, niſi quòd omnino non eſſet impudens* (deinde claudit Oxymoro) *Miſerum, in quo pudenda res pudor eſt.*

Membrum V.

De Repugnante.

HAe prae caeteris & acuti ingenij eſt, & amoeni ſpecies argutiarum, quam non immeritò inter flores cum Roſa conferas: adeò delectat ſimul, & pungit, praeſertim ſi alterum

ſchema

ſchema inſeretur. Eſt autem laboris pretium aperire huius loci naturam priuſquàm exempla prodantur, quae quia in relatione conſiſtit, duo ſimul repugnantia inuicem opponit. Sunt ergo repugnantia (vt à Vincentio Gallo Inſtitutore noſtro accepimus, Rhetoris lib. II. Cap. XV.) quae neque certa lege, neque numero inter ſe differunt, ex quo diſpeſcuntur à Contrarijs: Ac fiunt (inquit) quum vni contrariorum naturaliter conuenientia, cùm altero contrariorum conferuntur. Veluti nocendi voluntas, non laudare, vituperare, verberare, non ſalutare, & alia id generis, quae propriè Inimicitiae conueniunt; ſi haec cum Amicitia comparentur, Repugnantia ſunt. Ita ſtertere, quod dormientis eſt, ſi ad vigilantem referas. Et deſipere, ſi ad prudenter loquentem. Quomodo autem tractetur hic locus, audiri primus omnium ſuo iure poſtulat Florus lib. I. Epitomes. Cap. XIII. vbi deſcribens Vrbis incendium per Gallos Senones patratum: *Paſtorum*, inquit, *caſas Ignis ille, & flamma paupertatem Romuli abſcondit.* Proprium enim Ignis eſt detegere ſuo lumine occultata tenebris: Florus autem ſibi voluit, deletis eo igne Paſtorum caſis, ac tugurijs, quibus tùm Roma conſtabat, magnificis inſtauratam fuiſſe aedificijs. Audiendus item Cicero, qui II. Verrina exponens, intra portum Syracuſanum claſſem Athenienſium infeſtam, cùm vi, ac multitudine nauium inuaſiſſet, victam fuiſſe, ac ſuperatam non tam Syracuſanorum viribus, quàm loci natura; *In hoc portu*, inquit, *Athenienſium nobilitatis, Imperij, gloriae naufragium factum exiſtimatur.* Ac naufragium quidem fluctibus profundi competit, portui autem ſecuritas: ſed quia clades illa in portu contigit, belliſſimè duo illa repugnantia committuntur. Indidem acumina petunt Scriptores ſacri, praeſertim Diuus Ambroſius Off. lib. I. Cap. XL. vbi deſcribens in praelio, oppreſſum Eleazarum ex ruina Elephanti ab ſe confoſſi; *Cuius*, ait, *ruina incluſus magis, quàm oppreſſus, ſuo eſt ſepultus triumpho:* Siquidem triumphus ex praelio ſoſpiti, ac victori datur, ſepultura, victo ac caeſo; quomodò ergo ſepultus triumphet, aut ſepeliatur triumphans? Ex elogiaſtarum recentibus Auctor è Collegio Rom. Soc. Ieſu Elogium in M. Antonium Bonciarium ita exorditur: *Oculorum hic luce caſſus, Muſarum oculus vixit.* Repugnant enim, vt ſit alijs oculus, qui ſibi ipſi caret oculis. In recenti Epitaphio Rom. (apud Sueertium in Sel. Del.) de Andrea ab Auſtria Principe & Card. Praefecto Belgicae prouinciae: *Eam incomparabili prudentia, & fortitudinis laude adminiſtrauit: Perduelles Armatos Togatus terruit* &c. Terrere autem armatorum eſt, non togatorum; maximè verò, ſi armati ipſi terrendi. Albertus Elog. de D. Antonio adoleſcentulo, cùm in Patria cogitaret ſolitudinem petere: *Solus*, ait, *viuit in Patria.* Dictum quàm lepidè, nam ſolum viuere, & in patria viuere, contraria ſunt; repugnant ergo de vno eodemque ſimul Antonio praedicari. Idem ibidem: *Qui linguam ſilentio iam deuouerat, infantiam retenturus in ſenio.* Vide vt poteſt infantia cum ſenectute coire. Et de D. Benedicto, cui Florentius varias poſt inſidias venenatum porrigit panem: *Panem*, inquit, *veneno imbuit, ſceleſtus etiam beneficio.* Et de eodem in antrum ſecedente: *Aſylum innocentiae in antro feritatis exiſtimans.* Rurſus de D. Antonio: *Erat ſepulcro proxima cauea: Hic ait erit gymnaſium vitae, vbi mortis eſt cathedra:* Et de D. Pachomio Heremita, ex Milite: *Primam ratus gloriam latuiſſe: primum Imperium, ſi ſeruiret.* Claudat iam riuos Albertus, iubet Aloyſius Nouarinus è Cler. Reg. Theatinis in huiuſce loci vſu ſpectandus; Cuius extat Elogium II. in B. Iulianam Virg. & Mart. Videlicet

LX.

Quàm bene, Quàm iuſtè
quae virtutibus, quae Deo nupſerat
Homini iungi noluit
qui bonitati, qui iuſtitiae repudium dederat
*** Patrem Hoſtem habuit**
*** Matrem Nouercam**
Dei contemptores contempſit Virgo
contemnenda ipſa, niſi ipſos
contempſiſſet

Idem feliciore vena fudit Elogium de D. Bartholomaeo Apoſtolo, omnino adſcribendum, videlicet

LXI.

Vnus eram proq. vno Caelo deuotus hoſtia
Nunc ego mihi detractus
Nouo impietatis portento
Alter, & Idem
Hoſtia ſum gemina

Exu-

Exuuiaſque ipſe gero mei
Cultroſque ferreos, & rorantia ſanguine vincula
Trunco Crucis affixi
Magne tibi Trophaeum Crucipotens
Mox etiam Victima cadam
Nec repetitis cadam vulneribus
Nil, niſi vulnus vnum

Cerne, quàm tota vndequaque geſtit haec Inſcriptio, in illo praeſertim ſchemate repugnantiae, *Alter, & Idem*: ſimul in Acutè dicto *Ego mihi detractus*, Et *Exuuias ipſe gero mei*. Sed & illa pugnant, *Vnus eram*, cum, *Hoſtia ſum gemina*.

Membrum VI.

De figurata Comparatione.

ETſi Comparatio concinnè facta in Argutias referri poſſit, vt Cap.ſeq. Memb.IV. trademus, multò id magis intercedente translatione.

Et primùm ex Metaphora à bruto ad hominem, cuius formae extat apud Plutarchum in Demoſthene, qui cùm ab Areopagitis damnatus, & populum fruſtrà rogans, vt conſilium illorum de ſua condemnatione cognoſceret, clàm aufugeret, reſpexiſſe fertur ad Arcem Athenarum, ac dixiſſe: *O Pallas Vrbium cuſtos, Cur tribus infeſtiſſimis beſtijs delectaris, Noctua, Dracone, & Populo?* Vbi ineſt etiam Paradoxum, ſeu Inopinatum, cùm nemo expectaſſet in numero beſtiarum, quarum duae iam ſpecies praemittebantur, continuando cenſendum fore Populum; & cum brutis conferendum: quae quidem eſt diſſimilium comparatio.

Deinde ex Metonymia, v. g. continentis pro contento, Vt illud Catonis apud Plutarchum; Poſtquam tres Bythyniam Legati Romae delecti ſunt, quorum vnus podagra, alter capite vulneribus confoſſo, tertius amentia laborare videbatur, ridens Cato, *Populus Romanus*, inquit, *Legationem emittit, quae nec pedes, nec caput, nec cor habet*. Nam in corde mentem conſtituebant quidam veterum. Totus autem lepor ex committendis ſimilibus, ideſt partibus humani corporis eluceſcit, ſed harum poſtrema figurata.

Ab Allegoria, vt eiuſdem apud eundem; Cùm aliquando Populum Rom. importunè tumultuantem, à partiendo ac diuidendo frumento auertere ſtatuiſſet, in hunc modum orſus eſt: *Difficile quidem eſt, Quirites, ad carentem auribus ventrem verba facere*. Pro ventre Populum, pro defectu aurium turbam, tumultumque furentium vſurpabat. In quo etiam admiſcetur metonymia, Aurium pro auditione, quae in eis fit. Comparantur autem ſimilia, ideſt Corporis partes.

Plura docebit vſus cum lectione Elogiorum varia, quam haud deſiderabis hoc Opere euoluendo.

CAPVT V.

De Vſu Argutiarum ſpeciatim Quae ſunt Tertiae Intellectionis.

Membrum I.

Arguti Enthymematis Natura.

EX formis Argumentationum, quibus cudendis Intellectio tertia occupatur, perfamiliare eſſe Elogiaſtae Enthymema, exulare quàm procùl Syllogiſmum, quiſquis Elogij naturam recolit, haud ambiget. Nam quia amat Elogium Argutias, atque hae breuitatem, ne diffluant; planum fit, Enthymema, quod è tribus Syllogiſmi partibus, contentum duabus eſt, & ſeruire breuitati, & iuuare argutias, vt, ad quod natae ſunt, punctim feriant, alio propterea

ſea nomine vſurpatae Ciceroni *Acutè & facetè dicta*. Ac Enthymema quidem, cùm de Argutijs diſſerimus, aliud intelligas oportet ab Rhetorico; quamquàm & hoc in ſtructuram venit Elogij, vt in altera parte huius Operis indicabimus. Nã quod ſuperioris Capitis Membro primo diſſeruimus de Argutae Enunciationis natura, id ipſum proportione poſitum volumus de Arguto Enthymemate: Cuius tota vis illatiua non in natura conſiſtit, ſed magis in mentis ſolertia; vt nexus, per quem ex antecedenti propoſitione deducitur conſecutio, artificio magis, quàm re nitatur; neque tam verum inferat, quàm pulchrum, & ad veri ſpeciem ingenioſè confictum. Itaque vbi Orator Enthymemate pugnat, Elogiaſtes ludit: Ille robuſtus vrget, hic allectat iocoſus: Ille quodammodo in acie, hic in theatro rem peragit, diſparique vterque contentione anhelat palmam.

Membrum II.

Species Arguti Enthymematis.

ORatorium Enthymema, ſi tractationem ſimplicem ſpectes, duplex eſt. Aut enim antecedens praeit, & ſubit conſequens, aut contrà; praecedit conſequens, ſubſequitur antecedens. Quod vt clariùs innoteſcat, ſic accipe. Propoſitio cum ſua ratione Enthymema eſt; nam ratio, eſt nexus, ſeu (vt vocant Dialectici) medius terminus, quo infertur Propoſitio. Aut ergo rationem priore loco ſtatuis, deinde propoſitionem, aut inuerſo ordine: quod ne temerè facias, & promiſcuè, ipſa dictabit Arguti dicti natura, vt mox indicabitur. Iam vtriuſque ordinis exemplum dabit Iuglaris ex Elogio Primo de Chriſto Ieſu, Dei Filio ab aeterno: A propoſitione quidem cum ſubiecta ratione, qui ordo naturalis eſt, Elogium inchoat in hunc modum: *Amicus ſilentij Deus eſt: Semel in tota aeternitate locutus*. A ratione autem, tùm propoſitione, qui eſt ordo artificialis claudit ipſum Elogium ita: *Cum nullis* (Verbum Diuinum) *regatur caſibus*, *Nullius eſſe ordinis poteſt*. Sed & hanc clauſulam praeceſſit proximè Enthymema prioris generis, ex propoſitione primùm, dein ratione: Videlicet: *Hoc nimis anomalum Verbum eſt: Omni praeſens, & infinitum in tempore*. Ac ne in hiſce argumentationibus exquiras ſemper particulas, quae rationem indicent, breuitas & laconiſmus Elogij ferè renuit, (vti cauimus lib. IV. Memb. VI. §. Cauſales.) ſaepe etiam elegantia ſermonis, & caſtitas. Dabit & Albertus exemplum vtriuſque ordinis continuatu Elogij de S. Pacomio. Ac primùm de propoſitione, & ratione, tum contrà de ratione, ac propoſitione: *Concurrentes vndique excipiebat vt hoſpites: haud ita repente vt filios. Prudentum nemo ſubitos foetus probauit* (Deinde) *Beneficium temporis eſt partus perfectus. Triennio ſuſtinebat vota petentium*. Vtrique tu Enthymemati adieceris particulas cauſales, quibus rationem à propoſitione diſpeſcas. Priori quidem ſecundo loco, vbi ratio ſubſequitur: Poſteriori autem primo, vbi praeit: Sed eas meliùs deſiderabis, quamquàm nè in hoc fias ſuperſtitioſus, accipe exemplum boni elogiaſtae Caroli Legnani Mediolanenſis in laurea Comitis Giberti Borromaei: *Lauro cingendus es. Quia parentum gloriae perpetuò vernabunt in te* (Ecce propoſitioni ſubiecta ratio cum particula Cauſali: deinde concludit ſimili Enthynemate abſque particula) *Quid eo virtutum Vere beatius, Cui florum flos corona eſt?*

Quando autem Propoſitio, aut quando ratio priorem locum poſtulet, e ſubiectis locis cognoſces; in queis alter, & alter cernitur ordo; ſemper tamen poſteriorem ſedem tenet Argutia. Propoſitio prior eſt ibi, apud Athenaeum Dipnoſophiſt. lib. VI. Cap. V. Polixenus paraſitus, cognomento Ptemocopis, cùm nigri panes eſſent appoſiti ab eo, qui illum ad coenam conuocarat: *Ne multos*, inquit, *ne noctem inducas*. Nam Ratio, ob quam panes multos apponere ita nigros vetabatur, fuit, ne noctem induceret. Apud eundem lib. VI. Cap. V. Pauſimachus eum paraſitum, qui à vetula nutriebatur, *Contrarium pati* dicebat *ab illis*, *qui cum vetula coirent*: *Cùm ipſe ſemper in ventrem accipiat*. In membro priore proponit, in poſteriore probat. Id quod clariùs in rem noſtram diſtinxit Machon Comicus inquiens: *Nunc cuncta fiunt* (ecce propoſitio; deinde Ratio) *Haec*

non

non concipit: In ventrem at hic capit diebus ſingulis. In his ordinem ſi inuerteris, peribit lepor. Simile eſt illud Corydi paraſiti (apud eundem) Cùm Pyromachus panem in lente intingeret, catinumque ſubuertiſſet, *Dignus eſt* (inquit) *qui puniatur: Quando neſciens comedere, pinxit.* Ratio verò praecedit Propoſitionem in ſequenti exemplo: Aphranius de Columbis in Galea foetificantibus luſit hoc diſticho:

Militis in galea nidum fecere columbae:
Apparet, Marti quàm ſit amica Venus.

Hìc enim naturalis ordo loquendi ita fert: Apparet, quàm ſit Venus amica Marti, quia Columbae fecere nidum in galea militis &c. Obiter obſerua originem huiuſce acuminis eſſe Metonymiam geminam, per quam ſumpſit Numina tutelaria pro rebus, quae ſunt ſub eorum tutela. Nam ex fabulis veterum ſub tutela Veneris ſunt Columbae;ſub Martis verò Arma bellica. E recentibus Elogiaſtis perelegans Ioſephus Silos Cler.Reg.Theatinus inter breues Epigraphas expoſitas Neapoli in publica ſupplicatione Diuae Virgini ſinè macula conceptae, pro gratijs agendis de peſtilentia eliminata, hanc pangebat:

LXII.

Quotquot erepti nuperae vaſtitati, viuitis
Adeſte huc frequenti Corona.
Sertum Vos ipſi illibatae Virgini nectite
Ob Ciues ſeruatos.

Arguta, quae ſuccedit, ratio, ex Metaphora manat proportionis in propoſitione, i. e. *Corona*, vnde alludendi ſumit occaſionem ad vſum Romanorum in coronandis victoribus.

Rurſùs Enthymema argutum aliud expreſſum eſt & apertum, cuiuſmodi fere ſunt ſuperiora; Aliud tacitum ſeu ſubintellectum. Vtitur hoc Florus lib. I. Cap.XI. vbi de Aequis populis bello domitis à L. Quintio Cincinnato, cùm is ab aratro ad Dictaturam vocatus fuiſſet. In aciem (inquit) profectus, *Ne quid a ruſtici operis imitatione ceſſaret, victos more pecudum ſub iugum miſit.* Quem locum ita in Enthymema expoſueris. Quia noluit ab ſtudio ruſtico, quod iam inſtituerat, ceſſare, miſit hoſtes victos ſub iugum: Simul argutiae fons aperitur, metaphorae proportionis, quae & ambiguum conſtituit in voce *Iugum*, translatae ad bellum à re ruſtica, & à bruto, hoc eſt boue, ad hominem. Et illud tacitum eſt apud Ouidium de Phaone in perſona Sapphus poëtriae, quae formoſiſſimum iuuenem perditiſſimè adamabat:

Hunc Venus in Caelum curru vexiſſet eburno:
Sed videt & Marti poſſe placere ſuo.

Ex recentibus Iuglaris iucundus eſt in clauſula Elogij de D. Polycarpo Smyrnenſium Epiſcopo: *Vitam ſuam moriens Clariorem fecit in flamma.* Namque ſupplicium eius vitam totam conſeruauit, & multò, quàm reliqua virtutum exempla, effecit clariorem, non quia in flammis, ſed quia magis horrendum, & Chriſti cauſa ſuſceptum.

Quantò autem fuerit tectius enthymema, eò mirabilius vibrabit acumen. Cuius non aliud fortè luculentius exemplum, quàm quod allegat Seneca de Beneficijs lib. II. Cap. XXV. de Furnio Caeſarem Auguſtum alloquente. Nam cùm Patri Antonianas partes ſecuto veniam impetraſſet, *Hanc* inquit, *vnam Caeſar, habeo iniuriam tuam: Effeciſti, vt viuerem, & morerer ingratus.* Tectiſſimum eſt id Enthymema, & (vt Commentator in Senecam ait) callidiſſimè dictum. Nam ita argumentatio ſoluitur: Beneficij iſtius magnitudo efficit, vt ego non ſim ſoluendo,quantùcunque vita protrahatur: Ergo ingratus viuam & moriar, ſaltem in oculis hominum. Ex quo rectè infertur Caeſar iniuriam intuliſſe, quia effecit ingratum. In his porrò exemplis, ſi bene inſpectas, liquet, artificioſam magis, quàm veram eſſe Enthymematis arguti conſecutionem, vt ſuperiore Membro praemonuimus.

Hùc referri videtur figura Reticentia, per quam plus dicitur tacendo, quàm ſi exprimeretur. In quo ſalſus eſt Franciſcus Pona Elogio de Vitellio Caeſare: *Plebem infimam Comitem, hiſtriones A conſilijs, lenones A cubiculo habuit; Pueros neſcio quomodo.*

Ironia itidem, ſeu magis Ridiculum, quale eſt dictum Brunelli Elog. de Magno Pompeio: *Graeca fide inter Diuos eſt relatus*: Alludit autem ad illud Euripidis in Iphigenia Taurica: *Graecia nequaquam nouit fidem.* Itaque latenter infertur hoc enthymemate Contrarium.

Noëma quoquè, ideſt ſententia, qua plùs intelligi volumus, quàm dicimus. Huius paradigma egregium dedit Plutarchus in Phocione: Ariſtogitonem, ait, ſycophantam Athe-

nienſes

nienſes damnatum vinculi coërcebant. Is rogatum Phocionem mittit, vt paululum velit ad ſe viſendum accedere. Aſſenſus Phocion. cùm hanc eius facilitatem ſui damnarent, atque illum conarentur ab itinere iam coepto deflectere: *Sinite* inquit: *nam vbi locorum iucundiùs, quàm in carcere Ariſtogitonem viderim?* Ex hoc autem latenter intelligi Phocion volebat, ſceleſtum eum hominem eſſe, flagitioſum, ac dignum carcere. Luſit non minus ſalsè Martialis lib. I. Epigr. LVIII.

Qui pinxit Venerem tuam, Licori,
Blanditus, puto, Pictor eſt Mineruae.

Ex quo tacitè inferebat, malè pictam eſſe Venerem; quaſi voluerit Pictor adiudicare Mineruae, non Veneri, palmam pulchritudinis, vſurpato Paridis loco. Praeſertim ſi Noëmati Hyperbole immiſceatur, feſtiuior geſtit oratio: Vt vulgò iactabatur Romae de Neronianis aedibus, quibus *Aurea Domus* erat nomen:

Roma domus fiet, Veios migrate Quirites,
Si non & Veios occupat iſta domus.

Nam quantumcumque ampla, & immanis illa domus extiterit; nec tamen Vrbem Romam totam occupauit, nec minùs multò ad Veios ſe ſe extendit.

In Agnominatione ſimiliter ineſſe poteſt Enthymema tacitum; Cuius generis eſt, quam refert Cicero II. de Orat. Cato cùm cuidam dixiſſet: Eamus deambulatum: Et ille: *Quid opus fuit de?* Imò verò, inquit, *Quid opus fuit te?* Ex quo latenter intulit, eum hominem nihili eſſe, vt opus illo non haberet. Caeterùm ad enthymema expreſſum reuocatur Acutum dictum, cùm per Enthymema exponitur. Vt apud Albertum Elogio de S. Franciſco. *Virtutis ſpecies verè corporeis oculis viſa tunc temporis in Franciſco* (Eſt propoſitio: mox ratio) *Tot mirabiles ſui amores excitabat in animis intuentum.*

Repugnans, enthymematicè tractatum: Vt apud eundem de S. Benedicto inter ſpinas ſe volutante: *Hoc ſatellitio Venus erat arcenda: Impatiens pungi, quae tamen tota conſtat aculeis.*

Membrum III.

De Imagine.

IMaginem hoc loco intelligimus aliter, ac Rhetores, à quibus graeco etiam vocabulo εἰκὼν vſurpatur. Et autem εἰκὼν figura (inquit lib. V. Inſt. Orat. Cap. XI. Quintilianus) qua exprimitur rerum, aut perſonarum imago: Seu (vt definit Nicol. Cauſſinus lib. VII. ex Iul. Rufini p. 28.) qua perfectae formae ſimiles conferuntur. Similes inquit, formae, quia in translatione quadam conſiſtunt; ſiue ſimilitudo propriè ſubſit, ſiue proportio, ſiue vtrumque: ideoque Ariſtoteles (Rhet. III. Cap. XI.) Imagines omnino translationes appellat. Quarum quidem translationum munus eſt rem non ſolùm geſtam indicare, ſed etiam vti geſta eſt, ad viuum, ne dum ad verum, repraeſentare, quod eſt imaginis proprium. Cuius exemplum (praeter ea, quae habuiſti ſuprà Cap. III. Memb. II.) extat apud Auct. ad Herenn. *Ibat in praelium corpore tauri validiſſimi, impetu Leonis acerrimi.* Sed & ſimplex ſimilitudo ſimpliciter, ac citra translationem tractata, Icon appellatur, vt apud Ciceronem de L. R. *Mare, quod ſua natura tranquillum ſit, ventorum vi agitari, & conturbari ſolet; Sic Populus Romanus.*

Nobis autem Icon, ſeu Imago, figura eſt Enthymematis, quae rem non veram quidem, ſed quaſi veram repraeſentat: fictionem apertam vocant nonnulli. Itaque ſi rem ſpectes, falſa imago eſt; ſi verò imaginem ipſam, vera imago eſt, quia ſimilitudinem veri ita refert, vt audientis mens perſpicax haud fallatur. Dabit primùm Florus exemplar lib. I. Cap. XIII. Vbi deſcribens Bellum Gallicum, *Quod tempus*, inquit, *Populo Ro. neſcio, vtrum clade funeſtius fuerit, an virtutum experimentis ſpecioſius. Ea certe fuit vis calamitatis, vt in experimentum illatam putem Diuinitùs. SCIRE VOLENTIBVS IMMORTALIBVS DIIS, AN Romana virtus imperium Orbis mereretur.* En tibi pulcherrimam huius imaginis imaginem. Conſtat enim duabus partibus inſtar Enthymematis, hoc eſt Narratione, ſiue mauis Propoſitione; tum Illatione, ſiue Ratione, ſiue mauis Interpretatione; *Scire volentibus Immortalibus Diis* &c. quae illatio haud quaquam vera eſt, ſed conficta ex ingenio Scriptoris, ita belle tamen conficta, vt

neque

neque falſam dixeris, neque te quidem deceptum, ſed magis delectatum vrbanitate eius dicti, quod rem ſimilem vero; non tamen veram offerre valuit. Eiuſdem eſt formae dictum ipſius Flori Cap. I. de Populo Rom. *Nam tot laboribus, periculiſque iactatus eſt, vt ad conſtituendum eius Imperium contendiſſe Virtus, & Fortuna videantur.* Familiaris eſt Imago Poëtis non minus, quàm ſolutis Elogiaſtis. Sic luſit Virgilius illo Diſticho:

Nocte pluit tota, redeunt ſpectacula mane:

ecce priorem Enthymematis partem, deinde alteram Icone formatam

Diuiſum Imperium cum Ioue Caeſar habet.

Neque enim hoc verum, ſed ad veri ſpeciem ingenioſè cõmentatum. Sic Martialis de Ape electro incluſa concluſit carmen, lib. I. Epigr. CXII.

Dignum tantorum pretium tulit illa laborum:
Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori.

neque aliquid minùs credibile, quàm à bruto mortis genus intentum, aut praeoptatum. Sic idem in Symmachum Medicum, qui ad ipſum aegrotantem venerat pluribus comitatus alumnis diſciplinae gratia, lib. V. Epigr. IX.

Centum me tetigere manus Aquilone gelatae:
Non habui febrem, Symmache; nunc habeo.

habuerat vtique; ſed tùm ſolum habere coepiſſe fingit, vt Medicum carpat.

Hinc maximè canora Lyra Marini Etruſci Vatis, eo volumine, quod inſcripſit GALERIA. vnde in rem tuam, ſtudioſe Lector, exſcribere nõ piget Epigraphas tres metricas, Etruſco idiomate, in queis Imago Elogiaſtica mirè oſtentatur. Ac primùm in Chriſti crucifixi imaginem à Iacobo Palma depictam in tabula:

PIETOSO, quanto accorto
Foſti, ò d'Adria felice illuſtre ingegno,
Quando nel crudo legno
Feſti eſſangue, e non viua la figura
Del Rè de la Natura,
* *Che sè viuo il faceui, * il tuo colore,*
Dato gli hauria col ſenſo anco il dolore,
* *Pur tale è la Pittura,*
Che per noſtro conforto
* *Spireria, parleria, ſe non ch' è morto.*

Imaginem hic diſtinguis geminam argutiſſimè figuratam. Altera verò Epigrapha vnam offert artificio haud minoris aeſtimandam, ad Imaginem pictam Raphaelis Vrbinatis:

MORISTI RAFAELLO?
Haueſſi almen te ſteſſo
Pria che moriſſi, di tua mano eſpreſſo.
* *Chi sà, ſe'l tuo dipinto*
Mirando eguale al viuo, al vero il finto,
Hauria Morte ſchernita,
Diſtrutta l'ombra, e Te laſciato in vita?

Tertia in ſtatuam Zoili, Imaginis figuram tergeminam ſubijcit propoſitioni; viuacioribus ingenijs exemplar intuendum.

COLVI, che mai tacer non ſeppe viuo,
Hor quì ſcolpito tace,
E benche d'Alma priuo
Pur di tacer gli ſpiace:
Più gli ſpiace il ſilentio, s'io ben penſo,
Che l'eſſer ſenza ſenſo.
O s'egli ſenſo haueſſe,
E fauellar poteſſe,
Che diria di colui, che l'hà formato
Senza lingua inſenſato?

Poëticus quoque in Epiſtola luſus cenſetur Iacobi Gaufridi ad Claudium Fieſchium ſcribentis de raptu Helenae à Guidone Rheno Pictore ad viuum expreſſo: In quo nihil praeter motum deſiderari cùm dixiſſet (haec prior pars enthymematis) concluſit: *quem forſan negauerat illi Pictor, ne potuiſſet iterum rapi.* Ex Elogiaſtis autem primus prodit Ioannes Andreas Albertus Elog. de S. Franciſco Aſſiſinate bonis paternis cedente: *Ita parenti ceſſit hereditatem, vt vèl ipſum induſium conſtantiſſimè repudiarit* Repudiaſſet & corpus, ne quid parentis retineret in ſeſe: fortaſſe hoc vno auariſſimo placiturus parenti, quò minùs eſſet eſurus.* Et Elog. de Diuo Antonio: *Petentibus monita ac leges filijs. Dedit moriens ſe relicto. Emuncto penitus corpore, Docturus* vèl ipſos vermes ieiunia quae ſuſtinuit.* Et Elog. de S. Baſilio: *Subſignaturo Caeſari exilij decretum editum, ſella primùm effringitur* Suſtinendo non fuit Domino, Tanti erat ponderis crimen conceptum; ſedere nec decuit pacis perturbatorem* (eſt gemina icon) Et mox: *Miniſterium recuſauit iterum ac tertiò tentatus calamus* In illum ſe fus transferat pietatis, quo carebat mens impia.* Idem Elog. de Io. Bapt. Lercario Legato Reip. Genuenſis ad Caeſarem Bononiae Auguſtali corona donatũ à Clemente VII. ita ludit: *Coronae Caeſaris, vt plauderet qui diſceſſerat, redijt cum Corona: * Obuiam triumphanti Patria occurriſſet * Niſi quod*

tota cum illo regrediebatur triumphans. Icon & ibidem paulò antè, ſed ordine inuerſo: *Ne inter honores diſſidium oriretur, cùm ſui feciſſet omnibus votum, Omnibus fuerat addicendus.* Aloyſius Iuglaris Elog. XII. de Ludouico Iuſto, Galliae Rege, Rupellae obſidionem circumducto aggere deſcribens Iconem ſubijcit geminam: *Nouum littus impoſuit Mari* ⁎ *Quod vel non poſſet, vel non auderet excutere.* ⁎*Et coactos in obſequium fluctus inculcare peruicacibus neceſſitatem obedientiae iuſſit.* Eiuſdem porrò de eodem Elogium II. Icone frequentata compingitur vſque ad clauſulam; dignum ergo, quod hic totum referatur: ſed ante monere opus eſt, titulum Elogio praefixum ſtare loco prioris partis Enthymematis, quae aliter Elogio intexi debuerit. Ex quo ſimilium exemplum licebit petere. Ita verò Iuglaris.

LXIII.

Naſcens ter oculos ac manus in Caelum attollit.

Quis eum adultum in Terra detineat
⁎ *Quem vel naſcentem attrahere Caelum*
Coepit?
⁎ *Mundum, quia Dei Templum eſt*
Ita Ludouicus ingreditur
Vt eleuatis manibus agat illico Sacerdotem.
Illi victimam defuiſſe ne puta
Cui tota vita ſacrificium fuit.
⁎ *Oculatiſſimus Animus*
Primo telluris offenſus aſpectu
Nihil in ea ſe dignum reperiens
Aliò conatus eſt auolare.
⁎ *Violenti Caelum ſi rapiunt*
Cedat Caelitum Regnum Gallorum Regi
Cui primus fuerit manuum vſus
Vitam aeternam apprehendere.
⁎ *Feſſo ſufficiendus Atlanti*
Explorat illico oculis pondus ſuum.
⁎ *Et ruenti regendo Mundo*
Paratiſſimas admouens manus
Partes ſuas vel cùm nondum poſſet agnoſcere
Iam implebat.
⁎ *Miraculum eſto alijs*
Praecox hoc deſiderium Caeli
Mihi, non quòd aliquando coeperit
Sed quòd nunquam deſierit
In Caelum intendere
Prodigium eſt.

Feſtiuus cum primis eſt Octauius Ferrarius in Epicoedio Zazzerinae Franciſci Putei Catellae: quod nefas fuerit abruptũ citare praeſertim cùm Icones duae totum fere occupent. Ita ergo ille:

LXIV.

Lugete ò Veneres Cupidineſque
Zazzerina Catella dulciſſima
Delicium Domini, qui ſeculi Amor eſt
Viuere deſijt
Idque dum familiam augere parat
Verniſque catulis heriles curas oblectare ⁎ Hactenus Pars prior
⁎ Lucina lucem inuidit ⁎Imago Prior
Ne proſerpinam Caelo Canem inuideret
At vobis ſit malè tenebrae Orci
Quae cuncta bella deuoratis.
Te quidem poſſet dulce ſolatiolum
Heri facundia
Quae pallentes reos letho vindicat
Illinc euocare, vnde negant redire quemquam
⁎ Sed periculum eſt ⁎ Imago poſterior
Si eum orantem
Immitis Aulae Regnator audiat

Ne

Ne cum Catella reuulſos Manes & ſontium turbam
Amittat Orco.
Interim eſto ſalutata Catella bella,
Quae nihil vnquam peccauiſti,
Niſi quòd es mortua
Amata Domino quantum amabitur nulla
Vos ò
Lugete Veneres, Cupidineſque

Non poenituerit onerare exemplis paginam, quorum ex imitatione magnum eſt oneris pretium. Legendus offertur Petrus Labbe in Vita Ludouici XIII. Regis Gall. Elogio II. *Anteceſſit magnos natales ingens terraemotus.* * *Trepidantis Europae tumultus fuiſſe creditur* * *Vt mirum non ſit, ſi tota nunc timetur Europa, Qui antè timeri coepit, quàm homo eſſet.* Eſt hìc Iconis expolitio. Et Elog. V. *Lucem adhuc ſalutabat Ludouicus. Cùm ecce noua in Cygno Caeleſti Stella naſcitur,* * *Accendit eam Caelum, vt magnos natales illuſtraret.* * *Lucere in Cygno voluit, vt fatidica Auis, Quantus Heros Galliae naſceretur, praediceret.* En hìc quoquè Iconem geminam. Artificio eodem decurrunt reliqua, praeſertim XXI. & XXIIX. & XXXVII. In Tumulo, ſiue Vrna, vbi oſſa Sereniſſimi Thomae Principis à Sabaudia, habetur: *Magni Caroli Emanuelis Sabaudiae Ducis Vltimogenitus* * *Vt fraternas virtutes omnes colligeret.* Lepidè hoc dictum; non tamen ea mens fuit parentibus, Thomam vltimo loco gignere potiùs, quàm primo, aut altero; vt ſcilicet colligeret virtutes maiorum natu.

Per Imaginem, ſed ordine partium praepoſtero Virginius Soncinus Epitaphio fratris, Morti, quam vocat nomine Fati, ſenſum tribuit, & conſilium in rapiendo germano, ita inſcribens

LXV.

IO. BAPTITA. SONCINVS. CORVINVS
Q. Fabij Filius Patricius Brixienſis
Patauij Primarius, Piſis ſinè aemulo
Praxis Interpres Medicae
* Ne quem nemo ſuorum temporum ſuperauit
Se ipſum, dum maiora vocant, ſuperaret
* Inuido praereptus Fato
Immortalia pijſſimè reddens Deo
Huic mortalia Tumulo
In nouiſſimum reddidit diem
Aetatis ſuae Anno XLV
Salutis MDCIIL
Prid. Kal. Sept.
Moeſtiſſimi iuſſu Patris
Virginius ex ordine Iudic. Brix. Co. & Eq.
Inter cariſs. Fratris funera lugens
Inſolamen Poſ.

Haud diſſimile, quod extat in Epitaphio Io. Baptiſtae Ruſchij, ibidem poſiti, Auctore Aſcanio Penna, Patricio Peruſino: *Cùm ingenij magnitudine etiam de breui vita contenderet, ſolicita Mors, ne diem vitaret ineuitabilem, feſtino letho ſoporauit agentem annum XXXXIV.* Alexander quoquè Adimarus Patricius Florentinus, Etruſcarum Muſarum lacte nutritus, in ſua Melpomene, quam ſtylo vulgari compoſuit, Elogium XXVI. de Marino Poëta aetatis noſtrae Principe, vt Latinis interſeratur, iure poſtulat, neque tu, Lector, grauabere. Ita verò habet:

LXVI.

GIOVAN-BATTISTA. MARINI
Caualiero dell' abito di Sauoia
Quando vedeſſe ſcendere di Parnaſo le
Noue Muſe, & Apollo ſteſſo
A cantar le ſue lodi
Non ſerebbe facilmente celebrato à baſtanza.
L'vdì Napoli, oue ei nacque,
Anzi il Mondo tutto
Riſonar con ſi dolce lira
* *Che fù marauiglia non addolciſſe, e non*
Addormentaſſe l'iſteſſi Morte:
Ma ne fù nondimeno ſuperiore,
Mentre s'impoſe al Crine così viuo alloro
Che manterrà ſempre il ſuo verde.

Nam neque edulcatur Mors, neque ſoporatur; ſed inſtar viuentis, ſentientiſque fingitur, cuius

leniri iracundia poſſit, & ſopore ſenſus occupari. Similis color inducitur apud eundem Adimarum Elogio XXXXVII, de Petro Guicciardinio, in Legationibus apud Summum Pontificem, & Hiſpaniarum Regem pro Sereniſs. Magno Duce Etr. plurimum famae adepto: Cuius clauſula obitum referens habet: *Sè non pareſſe in certo modo, ch' egli haueſſe Con la ſolita ſua modeſtia ſfuggito quei titoli. Poiche il giorno, che giunſero di paſſaggio in Firenze il Card. Barberini, & il Card. Sacchetti da importantiſſime Legationi * Quaſi cedendo loro il luogo, ſi ſpedì da queſta vita per il viaggio del Cielo.* Volumnius Bandinellus in Epitaphio ludicro Coſmi Tittae Venatoris hocce ſchema feſtiuus venatur, aiens: *Cum Morte pellicem ſimulante congrediens Strenuè luctatus occubuit. * Hinc ſuis ſtipatus moloſſis proſperè perrexit ad Manes. A quibus triſaucem inferum ſuperas exportaſſet ad auras, Ni fidem quam viuens Proſerpinae vouerat, Mortuus ſeruaſſet infractam.* Scilicet morbi lethalis genus, ab homine neque intellectum, neque curatum, immò verò intemperantia Veneris irritatum non abſimili exitu vitae à curſu toto. Audiendus omninò Princeps amoenitatis literariae noſtri ſeculi Claudius Achillinus, cuius eſt foetus ingenioſiſſimus Epitaphium in Menochium, Papiae ſculptum in marmorea vrna ſumptuoſa, ſub eius effigie. Hoc eſt:

LXVII.

IACOBVS · MENOCHIVS
MAGNVM . IVSTITIAE . ORACVLVM
IN . PEDEMONTANA . PATAVINA . TICINENSI . CATHEDRA
TVM . MEDIOLANI
QVVM . SENATOREM . MOX . PRAESIDEM . ET . REGIVM . AGERET . CONSILIARIVM
DENIQVE . IN . VNIVERSO . ORBE . AVDITVS
HIC . TACET
* CONSVLENTI . TAMEN . ADHVC . RESPONDERET
SI . PLVRA . QVAM . SCRIPSIT . DICI . POSSENT
OBIIT
ANNO . CHRISTIANO . MDCVII. DIE . X . AVGVSTI
NATVS . ANN. LXXV

Coronidem poſcit huic loco facere laſciuiens imaginibus Leo Matina Epicoedio illo in primis formoſae Matronae doloribus exanimatae; quod totum frequentata coaleſcit imagine, in hanc formam:

LXVIII.

Heu Heu
Quae in te acerba ſaeuiere tormenta
Cupidinum fax?
Nigrae, reor, Erynnes
Tantum ſunt auſae lumen extinguere.
Fallor.
Recentem in Pſichen
Atiquum Veneris recruduit bellum.
In necem tuam conſpirauere Amores.
Nunc experior
Ad quid impias geſtent faces;
Nimirum
Vt tibi, & Pulchritudini perſoluant funera.
Vah feralem Venerem.
Libitinam te in poſterum appellabo.
Sepulcris, non Talamis praeſidentem.
Abi infelix Pulchra
Cum Sole contendentia claude lumina
Formae, & Iuuentae valedic.
Interim Aequoris vndas, meas ſcito lachrymas:
Et quae Tumulo ſunt ſuperpoſita ſaxa
E lamentabilis Niobis
Exciſa crede Simulacro.
Heu, Heu.

Membrum IV.

De Argutijs claudentibus Elogium.

NIhil ita prodit germanũ ſtricti Epigrammatis Elogium ſolutum, atque clauſula, quae genus omne Argutias admittit. Quamobrem Epigrammatariorum lambentes praecepta,

cepta, dabimus intuendas exemplis, Elogiorum formas magis vſitatas. Sed priùs recolenda diuiſio Epigrammatis ex Iulio Caeſare Scaligero (Poëtic. lib. III. cap.CXXV.) quam citat Vincentius Gallus Opuſc. de Epigrammate cap.IV. & in ſequentibus fusè exponit; Quòd ratione Argutiae eſt vel Simplex, vel Compoſitum. illud rem indicat vel nuda, & ſimplici narratione, vel ornata ad decorum, & cum venuſtate: Hoc autem ex narratione deducit aliud quiddam, quod aut Maius ſit, aut Minus, aut Aequale, aut Diuerſum, aut Contrarium. Quae quidem ſpecies ſunt Comparationis in ampla vocis ſignificatione: Et quia momentum maius eſt ad ſtudioſorum fructum in propoſitione exemplorum illuſtrium, quàm accurata vocum, & praeceptorum diſquiſitione, ſubijciemus idcirco per ſingulas illas Comparationis ſpecies ſelecta Elogia, praemiſſis poëticis exemplis ex Opuſculo Galli, vt apertiùs fiat, coniunctiſſima inter ſe, & quaſi parallela eſſe Elogium & Epigramma, ijſdemque ex fontibus argutias hauriri, vtrique claudendo.

I. Primùm igitur Maioris conſecutio in primo cernitur Epigrammate Martialis de Amphitheatro Tiberij Caeſaris: *Barbara pyramidum ſileat* &c. quod poſt narrata quinque Orbis miracula, claudit praeponens ijs Amphitheatrum hoc diſticho:

Omnis Caeſareo cedat labor Amphitheatro:
Vnum pro cunctis fama loquatur opus.

Id ipſum praeſtat Martialis de Leone, qui Gubernatorem offenderat, vbi poſt expoſitam Leonis iniuriam, & poenas datas iuſſu Caeſaris, ita infert:

Quos decet eſſe hominum tali ſub Principe mores,
Qui iubet ingenium mitius eſſe feris?

Franciſcus Remundus, Clericus Regul. Somaſchenſis, proſa & carmine cum ſummis ingenijs conferendus, de Beatae Virginis Mariae Natali ita Matrem Diuam Annam alloquitur

Fauſta Parens nimiùm, partus contemne dolores
Gaudia quanta tuo parta dolore manent?
Aſpice, quos fundat vultus pueriliss honores;
Quantus & in placido fulgeat ore decor.
En ad vagitus Natae deſcendit Olympus:
Quin etiam ipſe ſua labitur Arce Deus.
Quid poterit maior? ſi iam ſinè viribus Infans
Supremo in terras euocat Orbe Deum?

Iam quomodo Elogiaſtes deducat Maius in clauſula, cerne in ſubiectis Elogijs, vbi breuis praecedit Narratio. Petrus Labbè Elog.XXVI. de Ludouico XIII. Rege Chriſtianiſs. poſt Expugnatam Rupellam:

LXIX.

Pietatem Regis admirare.
Ille Triumphantem in Euchariſtia
CHRISTVM
Pedes tota Vrbe proſequi voluit,
Vt ſignificaret omnibus
Deum ſuis Victorijs praeiuiſſe
Olim Rex Dauid Arcam Foederis
Ludibundo greſſu comitatus
Docuit, ludum cum Deo grauem eſſe ſapientiam.
Praeludebat Arca Euchariſtiae, Foedus Sacramẽto
Dauid Ludouico, Ludus Triumpho.
Vicit Dauidem Ludouicus.
Plus eſt Triumphare cum Chriſto,
Quàm ludere.

Aliquantò prolixior eſt Narratio, ſed ad clauſulam deducendam ex comparatione Maioris fuerat neceſſaria in Titulo Claſſis Rhetoricae, Romae cum inuiſeret Regina Suetiae Collegium Clementinum; Auctore Petro Antonio Bonfilio, Rhetoricae Artis Interprete: Ita verò inſcripſerat:

LXX.

Excipit te Reginam
Regina terrarum Eloquentia,
Et aureas catenas effundit
Vt te detineat.
Non dominari in te cupit,
Sed cedere Thronum ſuum.
Regia Maieſtate
Maiorem addes grauitatem Eloquio.
Candore Virgineo
Sermonem puriorem facies.
Non patieris fucum in oratione,
Quae in corpore non admittis.
Liberata Sceptro Dextera
** Accipe CHRISTINA Virgam*
Mercurij
** Et Populorum in Animis*
Nobiliùs regna.

Narrationes hae, dices, artificioſae ſunt; Accipe

iam ſimplicis exemplum Epitaphio, quod propediem expectat lucem, Mediolani in Diuae Mariae Celſianae, Auctore Sebaſtiano Reſta Mediol.

LXXI.

IO. PETRVS. LASANIA
In Eccleſia Maiore
Prothoſtatuarij nomen conſecutus
Aedem hanc
Quam nulla ditauit Statua
Suo donauit Cadauere.
Iactet Metropolitanum Templum
Tanti Opificis ſchemata
Iactabit Opificem Mariana
Baſilica
Obijt An. Sal. M. D. C....

Vbi aperta eſt comparatio maioris. Adhuc breuioris normam habes ex Eman. Theſauro in funere Sereniſſimi Thomae Principis à Sabaudia, Alludit is ad luctum Sereniſſimae Chriſtinae Ducis Regiae, & reliquarum Principum conſanguinearum, videlicet:

LXXII.

Si redimi lachrymis Manes poſſent;
Ereptus reuiuiſceret
THOMAS
Nemini nobiliores impenſae lachrymae;
Reginas habuit Praeficas

Non minùs ſapit Petrus Labbè de Ludouico XIII. Rege Gall. Elog. IV. *Exuit in lucem, Sole caeleſtem Libram ineunte. Naſcente Iuſtiſſimo Rege debuit dierum & noctium aequalitas eſſe. Sed aequalitas in Sole minor, quàm in Ludouico. Vix ille aequalis in vno, alteroque ſigno. Ludouico dies omnis, & menſis in Libra eſt.*

II. Minoris autem illationem habet ex Epigrammatarijs Caſanoua de C. Iulio Caeſare, illo Tetraſticho

Spectat Alexandri picta vt certamina Caeſar:
Aſt ego nondum aliquid geſſi, ait illachrymans.
Quid? ſi & Alexander ſpectaſſet Caeſaris acta:
Dixiſſet; Perſas vincere pigritia eſt.

Ex Elogiaſtis verò Petrus Hadrianus Van Den BroecKe Belga, Aſſumptionem Beatae Virginis in Baſilica Piſana, Epigraphe expoſita proſecutus:

LXXIII.

Aſſumptae Imperatrici
Vetus pietas Piſana
Nouo litauit apparatu.
Ne quid Sacrarum Aedium aeternitati deeſſet,
Limpida perennitas Aquarum acceſſit.
Hac, aut Hac oculos circumuolue
Vbique aut ſpolia Orientis
Aut barbarae hoſtium manubiae occurrent
Quas non auari Victores Piſani
Auguſtae monumenta Virgini dicarunt
Haec quaterna miracula operum
Si videre incipies
Septena Antiquitatis admirari deſines

Viſenda quippe ſunt Piſis in Summo Templo feſtus Apparatus ſumptuoſiſſimus per annos ſingulos ipſo die Virginis Aſſumptae: Cui tùm quidem accedit Fons ante aditum Templi deductus, cùm haec luſit Elogiaſtes. His adde è quibus olim Templum aut excitatum, aut exornatum, ex Oriente pretioſa marmora, ex hoſte barbaro aenea ſigna, valuae, Corinthia, & his pretio adnumeranda, quae omnia ad quatuor redigit capita, & admirandis ſeptem operibus ab Antiquitate iactatis, poſthabenda dicit per hyperbolen quidem, nec tamen immanem; ſunt enim illa Piſana verè miracula noſtro ſeculo.

A Minori item claudit non Minori cum Venuſtate Auctor Mediolanenſis ad Imaginem Siciliae Inſulae in funere Iſabellae Hiſpaniarum Reginae, quam Graeco habitu repraeſentatam, fronte auratis ariſtis redimita, manu Aetnae montis ſimulacrum praeferente, ſcatente ex oculis fletu hac Epigraphe animauit.

LXXIV.

Graeco quidem Habitu
Non Graeca tamen Fide
extinctae
ISABELLAE
parentat hìc Sicilia.
Vtinam Optimae Principi
Quàm fertilis olim frugum
Tam ferax eſſet nunc lachrymarum
At quàm ingenti dolore aeſtuet
ab Aeterno quem praefert aeſtu
Metiri poſſes, ni minor hic foret

Et

Et illa Epigraphe ſepulcralis Neapolitana in Aede Oliuetana, apud Suueertium:

LXXV.

MEMORIAE . PICOLOMINEAE
Qui legis haec, ſubmiſſiùs legas, ne dormientem excites.
Rege Ferdinando orta MARIA Arragonia hìc clauſa eſt
Nupſit Antonio Picolomineo Amalſae Duci ſtrenuo
Cui reliquit III. Filias pignus amoris mutui
** Puellam quieſcere credibile eſt, quae mori digna non fuit*
Vixit Ann. XX An. Dom. MCCCCLX. Obijt
Aerumnarum portus, Meta laborum

III. Deinde Aequale, quod & Par, Clauſulam Argutè imponit, vt Epigrammati, ſic Elogio. Claudianus de Apro, & Leone ita cecinit.

Toruus Aper, fuluuſque Leo coiuere ſuperbis
Viribus: hic ſetis, ſaeuior ille iuba.
Hũc Mars, hũc Cibele laudat. dominatur vterq;
Montibus: Herculeus ſudor vterque fuit.

Iam cerne, quod opponimus Elogium, in ſententiam deſinens conſimilem; à pari ductum; Auctore Alexandro Adimaro Etruſco Elogiaſte, in ſua Melpomene, Elog. XXXXIX. videlicet:

LXXVI.

MARIA
la Nobiltà de tuoi Natali
la Chiarezza della tua Vita
le Tenebre della tua Morte
Che nel Diadema della tua Arme, e ne' duoi Campi di eſſa
come in cifra il giorno delle tue eſſequie
ti ſcoprirono figliuola del Marcheſe
Bernardino Capponi
E Moglie del Marcheſe Camillo Baglioni:
Scoprirono ancora in quanto amaro dolore
ſi terminaſſero le tue Nozze:
Però non reſtò ciglio aſciutto in conſiderare
sì bel Corpo, non sò ſe più vicino al Parto, che alla Pira
ſpirar due Anime quaſi in
vn punto
la tua, e quella del figliuolo battezzato
nell' iſteſſo limite della vita
Ambedue come nel fine
ſimili fra di loro nell' Innocenza

Claudit Aloyſius Iuglaris cum Elogio XXIV. ſeriem quoquè praecedentium, quibus vitam membratim laudauit Alexandri Bertij religioſiſſimi adoleſcentuli; ita verò breue concinnat Elogium:

LXXVII.

Erubeſce prouidentiam Pueri
Senectus improuida
Mariae diſcipulum in magiſtrum aſſume.
Laus & tibi aliqua occupanda eſt.
Coeperit ille bene, Tu deſine.

ſic aequiparare licet ſenibus ſanctitatem Puerorum, ſancto exitu, ſanctum initium. A pari terminatur.

terminatur, aut, meliùs, conflatur Tumulus Mediolanenſis in Diui Franciſci ex Zodiaco Puccinellij, num. 136.

LXXVIII.

PHILIPPVS . CAIMVS
PROBITATIS . CVLTOR . EXIMIVS
HIC . VIVENS . QVIESCEBAT
HIC . QVIESCIT . ET . MORTVVS
ANNO . DOM. M. DXXXIX.

Hinc petitus lepor tumuli Liuiani, relati ſuperiore lib. V. Cap. I. Memb. VI. Artic. II. de Metonymia, §. ſextùm Efficientes. Adijcimus Membrum IV. Elogij in Diuum Brunonem, Io. Andrea Alberto Auctore, quod quidem ita eſt Membrum, vt ſe ipſo corpus conſtituat perfectum; videlicet:

LXXIX.

Multorum ea vox Mortui Animos
Vellicabat & corda
Nec enim vni tantùm operatur
Deus prodigia, vnius interitum
Aliorum vtilitatibus foeneratus.
Septem eiuſdem voluntatis
Conuenerant:
Vno Sapientis è funere qu otiam in
Geaecia, tot per id tempus in
Gallia excitati.

Intelligentiam argumenti dabit Nota ad Elogium BRVNONIS TVMVLVS Cap. ſuperiore, Memb. IV. De Contrario. Habet cum lepore dignitatem clauſula Epitaphij Auguſtani apud Suueert. in Sel. Del. poſiti in Fuggerano Sacello.

LXXX.

D . O . M
IACOBVS . FVGGER . AVGVSTANVS
omnium ſui Ordinis ac Nationis ornamentum
Maximiliani, & Caroli V. Impp. A conſilio
diuitiarum inuſitatarum partu
liberalitate in omnes, vitae integritate, animi magnitudine
nulli ſecundus
Cùm nemini conferendus viuens fuerit,
poſt obitum inter mortales referendus non erat.

A Pari nec ſinè acumine clauditur Inſcriptio ſepulcralis Neapolitana Io. Iouiani Pontani, quam repete ex lib. 1. Elog. LXIII.

Subit hic in memoriã lepidiſſimum in clauſula tetraſtichon Zanchi de Acone, & Leonilla fratribus. Tu acc pe, ſimulque Elogium haud inferioris pretij, & quidem in clauſula.

LXXXI.

Lumine Acon dextro, capta eſt Leonilla ſiniſtro,
Et potis eſt forma vincere vterque Deos.
Blande puer, lumen quod habes, concede ſorori:
Sic tu caecus Amor, ſic erit illa Venus.

Iam Elogium attende. Fuit expoſitum Mediolani in aduentu Caeſaris Montij Card. Ad ſedem Archiepiſcopalem, videlicet:

LXXXII.

Veniſti ò magnum incrementum Patriae
Reduxiſti maiorem virtutem
Adduxiſti multiplicem gloriam
Coronatam Tiara, ornatam Purpura
Veneror Gratulor
Et gaudijs praeludens cano
Abieras virtute CAESAR
Redis in honore AVGVSTVS
Manſurus alter à Caeſare Pater Patriae
Ingredere

Erat enim Ciuis, *Iuueniſque* iam excultus literis, & moribus optimis, ad Aulam Rom. ſe contulerat, vnde in Patriam reuerſus eſt Archiepiſcopus, & Cardinalis. Vt igitur committuntur quaſi Paria in Epigrammate Amor, ſeu Cupido, & Venus; ita in Elogio nomina Caeſar & Auguſtus, quae olim vno in Viro coiuerant Principe Orbis, & Patre Patriae.

IV. Diuerſum

II. Diuerſum ineſt extremo Epigrammatis Martialis ad peſſimos coniuges concordi nequitia morum, diſcordi genio, videlicet:

Cùm ſitis ſimiles, pareſque vita,
Vxor peſſima, peſſimus maritus,
Miror non bene conuenire vobis.

& illud:

Pars maxillarum tonſa eſt tibi, pars tibi raſa eſt:
Pars vulſa eſt; Vnum quis putet eſſe caput?

Elogiorum autem haec accipe, informante clauſulam Diuerſo. Caeſar Freſia è Societ. Ieſu in exequijs Sereniſs. Thomae Principis à Sabaudia, Elog. III. de illius Pietate inter Arma bellica:

LXXXIII.

Amicus Marti THOMAS vſque ad Aras
Caeterà pugnaciſſimus
Vna in Templa ſponte imbellis
Iis locis veniam ſemper dedit
Vnde nullo non die ſupplex ad Aram petebat.
Operantibus adeſſe quotidie aſſuetus
Superſtites pietati flammis reliquias
Suos in victimam iam dicat cineres.
Quondam igitur vincenti Ara,
Iacenti iam eſto Mauſoleum

Diuerſa enim ſunt, ſi conferas, Ara, & Mauſoleum. Legendus Leo Matina in ſuo Vngue, De Matrona, quae pariendo defecit:

LXXXIV.

Diſcite Mulieres
En voluptates doloribus enectae.
Partus meus mortem mihi parturijt.
I, crudelis infans
I, maternam fuge aluum
Vitae adhuc neſcius, in funeribus iam verſatus.
INFELIX
Mortem viſceribus incauta gerebam.
Quem clauſi vtero
Obſcuro mancipauit me ſepulcro.
Viperinum morem nondum natus, Nate, didiciſti.
Ipſa tibi vitam, Tu mihi diras
Et iniuſta iuſta paraſti
Crudelis commutatio
** Luctum pro luce, Inferias pro Naenijs*
Dediſti
Diſcite Mulieres

En bina inter ſe diuerſa, Luctus, & Lux; Inferiae, & Naeniae. Italico etiam idiomate Alexander Adimarius Elogium in eandem terminat vrbanitatem. Eſt decimum in ſua Melpomene, videlicet:

LXXXV.

COSIMO MINORBETTI
Eguale nella Nobiltà à Nobili della ſua Patria
Superiore nella dottrina à molti gran litterati del ſuo tempo
Et à niuno inferiore di buontà.
Canonico Fiorentino apparue lo ſplendore de Sacerdoti
Archidiacono del medeſimo Duomo la norma del viuer Chriſtiano
Veſcouo di Cortona la Regola de perfetti Prelati.
Il Gran Duca Coſimo II
Che lo conobbe tale, lo propoſe capo all'educatione
Del Prencipe Ferdinando ſuo Primogenito
Et egli nelle Morali, nelle Politiche, e nelle Diuine ſcienze
ammaeſtrandolo
Fù ſeco nella gita all' Imperadore quaſi Raffaello
con vn generoſo Tobbia
* In cio ſolamente diuerſo
Che quella Angelica ſcorta
Sparì da gli occhi humani dopo il ritorno:
E queſti
(Oh dolore Oh perdita lagrimoſa)
nell' iſteſſo viaggio

Et

Et illud non inſulsè deſinit apud Suucert. in Sel. Del. inter Baſilienſia

LXXXVI.

SISTE . VIATOR
ET
*GEORGIO A COLLEN Patri octogenario pro pietate tua condoleto. Sic oris, vt moris probi, heic conditur EVGENIVS è nobili COLOMORVM Gente apud Megalopyrgenſes oriundus, Spes Patriae, columen Familiae, Iuuentutis exemplar, dum Rheno per aeſtum recreatur, vortice abreptus, in ipſo aetatis flore, in medio ſtudiorum curſu, *pro Italia, quam cogitabat, Caelum adit M. D. XXCVII. XVI. Aug.*

Loco Diuerſorum belle premitur in fine Marmor recens Romae in Periſtylio Caenobij D. Mariae *de Pace*: videlicet

LXXXVII.

Ioſeph Sardolus I. V. C.
nobilis Tudertanus
inter
publicae, priuataeque
vitae curas
Sui memor
ſibi condidit
viuens
vbi conquieſceret
mortuus
Piaculare Sacrum
in hoc Templo
perpetuò celebrandum
inſtituit
* *Alterum Mortalitatis*
monumentum
Alterum Pietatis
Kal. Ian. MDCXXXXVIII.

Nihil certè hac clauſula commodius ad enarrata duo capita obſignanda. Quibus adde Epigrapham Arcus, Ioanne Paſta Auctore, in aduentu ad ſuam ſedem Caeſaris Montij Card. Archiepiſcopi Mediolanenſis: vbi alluditur ad ſedem, quam habuere olim Caeſares Mediolani, & ad coronam ferream, quae ibi aſſeruatur, imponenda capitibus Caeſarum. Ita verò inſcribit:

LXXXVIII.

Auguſta Vrbs quondam
numeroſo Caeſare
redeuntibus vicibus
iterum eſt inclyta Caeſare.
Vnus hic, & multiplex:
Nec clamydatus ad ſanguinem,
Purpuratus ad vitalem amorem.
Bellatores olim Caeſares
coronauerim ferro
Amantem Caeſarem
aurum decet

In Epitaphijs, vbi multa hiſtoricè percenſueris ornamenta defuncti, nomina dignitatum, ac munerum, ingentemque inde collectam gloriam, argutè ſubijcies ſepulcri humilitatem, quae omnia illa abſorbet, ac extinguit. Cui praebet exemplum Romanus Tumulus in Templo IESV dicato, apud Ferdinandum Vghellum in Italia Sacra, to. I. vbi legitur

LXXXIX.

ODOARDVS CARDINALIS FARNESIVS
Alexandri Parmae, & Placentiae Ducis, & Mariae Luſitaniae Filius; Alexandri Card. Farneſij, Templi nominis Ieſu Fundatoris Pronepos; Epiſcopus Tuſculanus; Legatus Patrimonij; Domus Profeſſae Societ. Ieſu, eiuſque Sacrarij Fundator. Protector Regnorum Luſitaniae, Aragoniae, Angliae, Suetiae, Nationis Heluetiae Catholicae, Reip. Raguſinae, Vallis Tellinae, Ordinis Cartuſiani, Orfanorum, Foeminarum à quaeſtu

pudicitiae

pudicitiae ad caſtitatem religioſam deſugientium, Hoſpitij S. Iacobi Inſanabilium; Sodalitatum Roſarij, Charitatis, Mortis, Sacri Vexilli, Montis Carmeli, Sancti Caroli. Quae omnia curae ſuae commiſſa in Vrbe loca beneficijs ampliſſimis atque erogata pecunia locupletauit. Extra Vrbem inſuper Coenobia, & Templa fundauit. Egregius Princeps, Romanaeque Curiae, ac Sacro Cardinalium Collegio viuax etiam poſt mortem prudentiae ac pietatis exemplum.

De tanto demum nomine, ſi virtutem excipias, exiguus hic cinis eſt.

Quod ſalſius adhuc reddet indita Diuerſo allegoria, vt in Epitaphio perſimili praeſtitit Antonius Caballus, omnino obſeruandus, videlicet:

XC.

Antonium. Franciſcum. de Caballis. Emporien. ac. Ciuem. Senen. E. ſacra. Minorum Franciſcanor. Familia. Concionatorem. generalem. Doctorem. rudiarium. Ad. ſummam Etruſcae. Prouinciae. adminiſtrationem. per. gradus. Ordinis. prouectum. Sereniſs Leopoldo. Principi. ab. Etr. Theologum. nec. non. A. ſacris. Confeſſionib. per. vicennium A. Petro. Manero. Seraphici. Ord. Generali. Praeſule. poſt. Epiſcopo. Traſaconen Principem. in. Italia. Theologum. proclamatum. Qualem. porro. congreſſus. publici triginta. &. amplius. in. primarijs. Europae. Ciuitatib. demonſtrarunt. diſſertatorem profundiſſimum. ac. ſubtiliſſimum. Vita. integerrimum. moribus. ſuauiſſimum diſciplinae. Seraphicae. obſeruantiſſimum. Eheu. tam. multis. clarentem. fulgoribus facem. vnus. turbo. mortis. extinxit. Anno. Aetatis. ſuae. LIV. & die altero. Salutis hum. MDCLVI. VI. Idus. Nouemb. qui. dies. quondam. ſubtiliſſimi. Scoti. Collegae Antonius. de. Caballis. Filius. Fratris. Canon. Emporien. I. V. C. Mon. Poſ. MDCLX

Antonius Franciſcus Caballius Emporienſis Praelector rude donatus

Anagramma

Subtilis porro ac prudens Arni Scotus fuerat, Eccleſiae lumina donans

V. Poſtremò argutam ex contrarijs clauſulam praebet Epigramma Martialis ad Fidentinum

Fama refert, noſtros te, Fidentine, libellos
Non aliter populo, quàm recitare tuos.
Si mea vis dici, gratis tibi carmina mittam:
Si dici tua vis, haec eme, ne mea ſint.

Nae commodiùs ſtringunt Contraria ſubſequentibus Elogijs. Et primo in ingreſſu Montij Card. & Archiepiſcopi hunc prae caeteris titulum in Arcu expoſuit Ludouicus à Puteo

XCI.

CAESARI. MONTIO
Qui in Principibus Vrbibus
Magnorum Regnorum
Virtutum luce, doctrinae radijs
Dignitatum ſplendore Patriam
illuſtrauit
moxque ardenti charitate incendit
et fouet
verus illius Pater.
Exultante pietate gratulatur
Ciuitas Mediolanenſis
et pia currit in amplexus
quae dederat amans ſinum.
** Oderit Roma Caeſarem parricidam*
** Amabit altera Roma parentem Caeſarem*

Arctiùs colluctantia in extremo Elogij ſi poſcis

Contraria

Contraria, cernes in Epitaphio VValenſteinij, videlicet:

XCII.

Nobilis Miles
Dux, Imperator
Caeſari ſimilis
Hic iacet Albertus
Ferdelandiae Dux
Victor Victus
Deſertor Deſertus
Dum Sceptrum quaerit
Feretrum reperit
Diſce Viator
Non ſemper audaces
Fortuna iuuat

lepidiùs in ſequenti:

XCIII.

Fui
Non Sum
Eſtis
Non Eritis
SILVIVS . PALLADIVS
Qui
* *Vt moriturus Viueret*
* *Vixit vt Moriturus*

In quo non niſi clauſulam pendimus, etſi principium item contraria videatur committere. Nam de totis Elogijs per frequentata Contraria deductis agemus in altera Parte huius Operis. Pulchra eſt, quae ex narratis, haud tamen praeuiſa ſuccedit clauſula per contraria, cuius formam habes in Epitaphio apud Suueert. in Select. Delic.

XCVI.

THEODORVS . ZVVINGERVS : BASILIENSIS
cùm ex Philoſophia tenebras
ex arte Medica humanas miſerias
deprehendiſſet
ſummi boni cognoſcendi, potiundique
deſiderio accenſus
Chriſtiano Philoſopho dignam
mortis commentationem inſtituit
* *Viuenſque mortuus eſt*
Vt mortuus viueret
B. Annos LIV. Men. VII. D. VIII
ʘ. An. Chriſti MDXIIC. Id. Mart

* B. pro V. *Bixit* Antiq. ʘ. pro Mortuus eſt. Repete ex lib.III. Membr. VIII. In grauiſſimis Epigraphis mirùm quantopere militat Contrariorum congreſſus. E quibus habeto vnam in funere magnificentiſſimo Iſabellae Reginae Hiſpaniarum Mediolani celebrato. Animabat haec effigiem Hiſpaniae Regio cultu ornatae, ſceptrum gerentis, cuius in ſummo fulgens Heſperus, index Hiſpaniae, quae & Heſperia dicta, quaſi in Occidente ſita. Haec ad Inſcriptionis intelligentiam, quae ita legebatur:

XCV.

Poneret Imperij decora Hiſpania
Niſi manum intuens ſuam
quam ISABELLA regebat
Non tam Sceptri admoneretur, quàm moeroris.
Grauiſſimus dolor
cui pondus addit voluptas prior.
* *Ridere poterat*
Quod Occidentem finxerit Aſtronomus
* *Quod ISABELLAE Mors fecerit*
lamentatur.

en illa colliſio oppoſitorum, *Ridere poterat*, & *Lamentatur* : *Finxerit*, & *Fecerit*.

Membrum V.

De alijs Argutiarum formis in clauſula Elogij.

PRaeter enumeratas à Scaligero Epigrammatis compoſiti Argutias in clauſula, quae quidem praecipuae ſunt, & veluti fontes; caeterarum quoque nonnullas proponit Opuſculo ſuo Vincentius Gallus; id quod à nobis in argumento Elogiorum obſeruari par eſt.

Clauditur ergo Elogiũ ſubſequentibus locis, quos indicare ſat fuerit, iuſſo Lectore ſtudioſo, illorum explicationem petere apud Rhetores.

I. A ſimili illuſtratur expoſitum in exequijs Iſabellae Reginae Hiſpaniarum, in ſummo Templo Mediolani, ſymbolum Solis deficientis, cum ſubiecta tellure floribus veſtita languentibus & lẽmate adiecto *A languore languor*.

Illuſtratur

Illuſtratur autem hoc Elogio de liberalitate defunctae:

XCVI.

Quàm aurei dies fluxere miſeriae
affulgente ISABELLAE liberalitate!
Quàm pretioſa in Aris vernauit amoenitas
Splendidè eiuſdem è manibus auro depluente!
Ornatu planè baſilico ridentia Templa
Omnium ordinum florida ſtudia viſa ſunt.
At, Heu dolor! ISABELLA languente
omnium vigor elanguit
deflorvit iucunditas
* *Languente ſic ſole cuncta langueſcunt*

Decorem geminat Agnominatio, nec ea quæſita, ſed ſponte oblata ſimilitudini in clauſula Elogij Mariani, quod primum lilij folium refert, Auctore Sebaſtiano de Nouaës, e Societ. Ieſu cui titulus eſt *Electa vt Sol* Ita verò Elogium deſinit:

XCVII.

O verè vt Sol electa
Quae maculato parentis in vtero
Non ſorduiſti!
Etenim Sol loci ſordes abſumit
Non aſſumit

A ſimili per fabulam plenum leporis eſt Elogium iiſdem in Exequijs ſub imagine Inſubriae deflentis, videlicet:

XCVIII.

Ex quo campus extiti Martis
aerumnarum meſſem collegi.
quondam felix Inſubria.
Meis tamen malis
parciùs lachrymas indulſi
Vt in tuo funere
Largiùs implerem oculos
ISABELLA.
Vacuam cineribus vrnam
Spectate Ciues
Condidi corde
Huic tumulo tot Heliades
ſeruo
quot incolas

Rurſus à ſimili ex hiſtoria naturali, mirifica eſt ad exemplum Interpretatio Symboli, cuius corpus *Cometes*, lemma: *Non aliunde*: Conſpecta fuit inter alias Patauij in Honoribus publicis decretis Beato Andreae Auellino ex Clericis Regul. Theatinis, Eius Auctor Ioannes Maria Caſatus Placentinus ex eodem Ordine, Principum linguarum peritia clarus, Siriacè compoſita, & Syriace exarata. Interpretatio ea eſt:

XCIX.

BEATO. ANDRFAE. AVELLINO. C.R.
Natalia dat Caſtrum Nouum in Lucania.
Inſtructuro in Inferos caſtra
Patriae Auorumquè non adfuit ſplendor
Vt adeſſet quod colluſtraret
Inglorius Orbem ingreditur
Orbis Gloria
* *Fulget vt Cometes*
NON ALIVNDE.

In ſua quoque Melpomene Alexander Adimarius Elogium VI. lingua vernacula pangit, clauſula à ſimili concinnata, videlicet:

C.

OH CARLO LVIGI
Duca di Gioſioſa, e Parì di Francia
Per fiorir Fiorenza di leggiadriſſimi fiori
Non mancaua altro che quella nuoua, & aurata corona di generoſi figliuoli
Che il magnanimo, & amabil CARLO Duca di Ghiſa
tuo Padre
hà ricourati dal freddo Cielo della Senna, sù le temperate riue dell'Arno.
Ma la mutanza dell'umane coſe hà volſuto, che vn'

improuiſo inuerno offenda il candore de'
gigli, & il minio del tuo bel volto.
Forſe perche l'ordine della tempor al Primauera anco in
te ſi riconoſca;
Quella nel colmo delle ſue bellezze vien dal calore della
State e dal deſiderio dell' acque oppreſſa
Tu nel più bello de' tuoi pregi, e nella copia immenſa
d'infinite Gratie, e Virtù
da fuoco di maligna Febbre, e da ſete d'Idropiſia aſſalito
languiſci.
Confortati nondimeno
Perche i Gigli, quanto han più vita, han anco minor
vaghezza: Mà le Roſe quanto han più ſete
hanno anco maggior colore

At vbi ſimilitudini immiſcetur contrariorum contentio, mirum quantùm vibratur Inſcriptionis clauſula! Hoc praeſtitum egregiè à Petro Antonio Bonfilio, inuiſente Collegium Clementinum Romae, Chriſtina Regina Suetiae, cum ſingularum Scholarum fronte Elogijs elegantiſſimis animata, Superioris Grammaticae titulum hunc propoſuit:

CI.

Clauem hìc ſuam
CHRISTINA
Ars tibi literaria defert
Quae tot Gentium lingua loqueris.
Aditum ad Scientias meliùs patefacies.
Non ad lutoſam riuorum aquam
Sed ad fontes ipſos deduces.
Cùm ex ſermone
cognoſci homines ſoleant
Inijcitur de te certamen
toti Europae,
Quaelibet Prouincia
Ex ſermone ſuam Te dicit.
Non mentitur lingua Tua
CHRISTINA
** Cum Sol Sapientiae ſis*
*Et * omnium, Et * ſingulorum eſſe potes.*

II. A Sententia, ex enarratis collecta. Graue in hac parte eſt Epitaphium Traiano Bocalino ponendum Venetijs in Diui Georgij Maioris, cui obitum inuidentia peperit illorum, quos liberiore ſtylo pupugerat:

CII.

Qui dudum
Defunctus viuebam in ore Virùm
Ne moriente fama bis perirem
TRAIANVS BOCALINVS
Encomiaſte hoc lapide
VLADISLAVS. REX. IV. POLONIAE
Meae cauit immortalitati
Abi Docte
Nam pene felix; dum ſaeuit Inuidia
Et habeas Reges Mecoenates
Qui beent poſt fata
Virtutem.

Scitè Adimarius in Melpom. Elogio VI. quod etſi prolixius, diſpendium quidem paginae, ſed compendium fecerit imitationis. Ita verò inſcribit:

CIII.

CASSANDRA
Nata di Coſimo Bardi Conte di Vernio
e di Lucretia Guicciardini
Come Gemma di infinito pregio per lo ſplendore d'una

ammirabile

ammirabile, e riuerita bellezza, e d' vna
infinita virtù
incaſſata con auuenturoſe nozze nell' oro puriſſimo del
generoſo Piero di Franceſco Capponi fratello
dell' Eminentiſs Card Luigi
Accrebbe i proprij ſplendori col ſereno dell' Abate
Franceſco, e del Marcheſe Scipione ſuoi
chiariſſimi figliuoli
con la fortezza in ſoſtener la perdita dell' amato marito
con la prudenza, con la vigilanza, col giudizio
con la carità, onde innocentiſſima
conſeruò la ſua vita, e reſſe la
Caſa
Il perche ſembrando vnica Fenice; fù richiamata dalla
caduca pira della terra all' eterna luce del Cielo
il giorno della glorioſiſſima Natiuità
di GIESV. CHRISTO. N. S.
** Atteſtandoci col proprio ſucceſſo*
Che morendo i Giuſti non incontrano la Morte
Mà la Vita d' vn fortunato Natale

III. Ab Allegoria ex Metaphora proportionis pernobile eſt Elogium ſub Imagine Flandriae, plorantis in Exequijs Iſabellae Reginae ſuprà memoratae, cuius initium eſt:

CIV.

Aſſueta funeribus Flandria
Et aſſiduis erudita praelijs. &c

Habuiſti totum lib. III. de Elog. Perſpicuitate, Memb. IX. Sed habe recentius, & amoenius ſpecimen à Bomplano, de Roſa, Inſcriptione morali: cum ſubiecta ſcientia. Videlicet:

CV.

Flos Solis, aut Sol Florum
Roſa eſt
Dum aperitur, dat Auroram.
Aperta Meridiem
Dum languet, exibet Occaſum
Pro radijs explicat frondes
Pro ſplendore odorem fundit
Minor tamen Sole
Quia non renaſcitur;
Imo Maior Sole
Quia non tota occidit
Deficiente colore non deficit odor
Diſce Naturae documentum.
Odor eſt Symbolum Famae,
Color Fortunae
Si deficit Fortuna, Fama non deficiat.

IV. Ab Imagine formatur in exitu Epigramma Martialis lib. I. Epigr. CXII.

Et latet, & lucet Phaëtontide condita gutta
Vt videatur Apis nectare clauſa ſuo.
Dignum tantorum pretium tulit illa laborum;
** Credibile eſt ipſam ſic voluiſſe mori*

Non diſſimilis notae eſt Elogium in Exequuijs Regijs Iſabellae, ſub effigie Germaniae; cui ſunt Imperatoria inſignia, & adſtans Aquila biceps

CVI.

Quae glaciali durata ſidere
obcalluit inter arma
Germania
Belliqu e aſperata rigoribus
crudeſcere nouit in perduelles
ISABELLAE
mollita funere
tenereſcere didicit imbellis
ac pene lacrymis extabeſcere
Inſultantem

Inſultantem ISABELLAE mortem
Ah! Fulmina ſaltem opprimeret Ales Auſtriaca:
** Sed & ipſa dolore conſternata iacet.*

Feſtiuiſſimum eſt, ſiquod aliud, in Clauſula hoc ſchemate geſtiente Epitaphium VBERI Equi cuius *Cineres mobilitate ſuſpectos lapide cluſit Iacobus Saluiatus herus.* Totum habes ſup. lib. III. de Perſpicuitate, Memb. I. num. III.

V. A Conceſſione cum quadam inſultatione finitur Epigramma Martialis I. C. lib. I. de Portia Catonis Filia, Bruti vxore:

Coniugis audiſſet Fatum cùm Portia Bruti,
Et ſubtracta ſibi quaereret arma dolor:
Nondum ſcitis, ait, mortem non poſſe negari?
Credideram ſatis hoc vos docuiſſe Patrem.
Dixit: & ardentes auido bibit ore fauillas.
I nunc, & ferrum, turba moleſta, nega.

Eodem ſchemate argutum terminatur Elogium funebre de eadem Iſabella Regina, ſub picta Hiſtoria Bunduicae Reginae Angliae, armis tectae vno excepto capite, militeſque alloquentis, iniecto lemmate: *Bunduicae orantis gratia ingruentis praelij horrorem vincit.* Ita verò habebat Elogium:

CVII.

Armatam timeant
BVNDVICAM
Romani
Illa tamen vulnerat, quia inermis
Ludit ferro manus, oris aurea pugnat gratia
Miſcet omnia, nec tonat, Fulminea minùs potuiſſet.
Vita carior Ducibus eras
ISABELLA
Quae Charites omnes tecum ipſa geſtabas
Gerere bellum poterat miles nec timere nec optare
Cogente Gratia hoc tantùm ingrata
Quòd beneficij conferendi adimebat libertatem
Suadebant alij lacrymas
Peroranti Gratiae in funere
Claude ſi potes clepsydram lacrymarum.

VI. Contrarium ſi repugnantibus conflari videatur, rarum clauſulae Elogij afflat leporem. Docuit exemplo ſimili Martialis de Damis, videlicet

Aſpicis, imbelles tentant quàm fortia Damae
Praelia, tàm timidis quanta ſit ira feris.
In mortem paruis concurrere frontibus audent:
Vis, Caeſar, Damis parcere? Mitte canes.

Videtur enim Vates repugnantia duo committere, hoc eſt, vt mittantur canes in Damas, & ita eae ſeruentur à morte: cùm à nullis, quàm à canibus lacerari ac perimi ſe metuant. Non repugnant tamen iſta, imò bene cohaerent; proptereaquod ea ſunt conditione Damae, vt inter ſe pugnantes ad mortem non alio, quàm canum latratu atque immiſſu dirimi valeant, & fuga ſibi quaeque conſulere. Iam accipe eiuſdem typi Inſcriptionem in Exequijs Philippi III. Hiſpp. Regis:

CVIII.

PHILIPPVS III
Inclytus Florentiſs
Imperatorum Regumque Filius
Gener Socer Parens
Qui Filijs Auguſtiſſimis
Dotalem Auſtriacae ſtirpis generoſitatē partitus
Mortalitatis impatiens
Corporis robur aetate media fraudatum
Naturae munificenriſs. reſtituit
* Omnibus ereptus Nulli mortuus
Hìc lugetur

Cui enim prima facie pugnare non videatur, nec vni poſſe competere, vt idem omnibus ereptus ſit, & nulli mortuus? Sed ſi attentiùs perueſtiges ſenſum, bene coibunt, vt ex oculis quidem rapi potuerit, non ex memoria, quae fiet immortalibus illius Regis meritis immortalis.

Et contradictorijs, vt apud Ignatium Bomplanum, Inſcriptione Morali de Auro, vere aurea, quam ſic habe:

CIX.

Auro viuimus
Non eſt tamen aurea vita,
Sed ferrea.
An ludimus Naturam?
Illa dat Aurum
E terra, velut e corde
Nos e corde ferrum rependimus.
Aurum Cordis Virtus
Vitium eſt ferrum.
Parce Natura
** Sine Auro aurei eſſent mores.*
Vis aurea reddere ſecula?
Aurum nega.

Miranda

Miranda nunquam ſatis clauſula Epitaphij ſibi poſiti à M. Ant. Bonciario apud Suueertium in Sel. Del. inter Peruſina. Videlicet:

CX.

Non ego, Hoſpes, deflendus tibi. Ne erres. Tu à me leuandus. Mihi aduersùs perpetuas hoſtes Podagram, Chiragram, Caecitatem, Paupertatem, Inuidiam ſemper ſtetit inuicta Hilaritas. Diuae illae Caeleſtes donabant pugnanti auxilium, Vincenti triumphum. Mors ipſa eſt mihi, quā fuerat Vita, liberalior. Iſta vnum Soli pedem non conceſſit, haec quatuor indulget, plures pollicetur; iſthic diuturnos, alibi aeuiternos. Quandiu vixerim, quaeris? Hoc ego & viuens ſciebam. TRIGINTA. DVOS. ANNOS. ET VNAM. NOCTEM. Abi, obi felix.

VII. Comparatio in Demonſtratiuis, & Panegyricis perfamiliaris eſt in extremo Elogij. Qui quidem locus parum diſcrepat ab Aequali, ſeu Pari. Argutè luſit Carolus Puccettus Florentinus Elogio in Sereniſs. Coſmum III. Etr. Principem, quod medium adornabat Tabulae, elegantiſſimo ad miraculum tractu Emblematis, ac lemmate multiplici variegatae. Hanc ſua perfectam manu expoſuit anniuerſario die natali eius Principis Valerius Spada Ciuis Florentinus, ſcribendi, ac delineandi Magiſter vnus in paucis noſtrae aetatis. Ita verò Puccettus:

CXI.

Tu quiſquis es
Qui ab Eois, Occiduiſque adueniens oris
Venerabile Tuſciae ſolum ancipiti tangis pede
COSMI
Magni Etruſcorum Principis
Admirare Nomen, Stemma, Virtutem.
Maxima profectò Virtus
Quid enim aliud inſigniores in eo Mathematicae diſciplinae
Muſicae praeſertim
Quàm Sapientiam, Aetatis immaturae miraculum
prae ſe ferunt?
Maximum quoquè Nomen
ΚΟΣΜΟΣ
Templum Dei eſt
Vbi ſanctius Religionis exemplar?
Maximum & Stemma
Hoc eſt ab ipſo Caelo acceptum Inſigne
Vetuſtiſſimam Generis, atque Regentium ſeriem
oſtentat.
Ter itaque Maximum ſinè piaculo illum dixeris.
Rediens autem renuntia tuis
Inaniter ſe iactaſſe Antiquitatem
Habet quippe ſuos Etruria
TRISMEGISTOS

Ad planiorem argumenti notitiam hoc habe. Elogio illa in Tabula coronam fecere diſpoſiti circùm Orbes ſex è ſtemmate Mediceo, quos ingenioſo inuento Franciſcus Cionaccius Florentinus typos eſſe voluit Mathematicharum ſex diſciplinarum, videlicet Muſicae, Aſtronomiae, Aſtrologiae,

Aſtrologiae, Coſmographiae, Geographiae, Geometriae, impoſita cuique Orbi epigrapha ex Dante Poëta Etruſco. Ac Orbi ſuperno pro Muſica inſcripſit ex XXX. de Purgatorio

Dentr' alle note de'gli eterni giri.

Primo ad dexteram pro Aſtronomia ex I. de Purgat. hoc adiecit lemma

E di ſalire al Ciel diuenta degno.

Primo ad laeuā pro Aſtrologia ex IV. de Purg. ita appinxit

Che ſuole à riguardar giouare altrui.

Ad dexteram rurſus alterum Orbe pro Coſmographia hoc animauit hemiſtichio ex XXXIII.

. . . . *Più alto feſtina*

Rurſus ad laeuam Orbi ſuppoſito pro Geographia ſic accinuit ex Paradiſi eiuſdem Dantis X.

Che notabil fien l'opre ſue

Denique infimo Orbi, qui coronam perficit, Geometriae typo hoc praefixit carmen ex Parad ſi XXIV.

Anco la verità che quinci pioue

Horum ſignificatuum rationem non afferimus, nec enim eſt noſtri inſtituti; nec inueſtigationis huius laudem par eſt, erudite Lector, nos tibi inuidere.

VIII. Emphaſis vſus creber eſt in extremo praeſertim Epitaphij. Ea formatur, quod citat Ferdinandus Vghellus in Italiae Sacrae to. I. inter Faneuſium memorias, num. 33. ſed purgandum ab aliquanta barbarie, videlicet:

CXII.

R.D.Domino Antonio de Pinarolo Sacr. Theol.Mag. Ord. Min. diuerſis Prouinc. iterum Miniſtro, Epiſc. Fanenſi, ſuae Cathedralis Eccleſiae, praediorumque omnium optim.reſtaur. bonorumque ſibi à Deo dat. hilari eleemoſ. hoc ſupereſt ſepulcrum. vixit annos LXXXV. obijt anno ſalutis MCCCC. IC.

Quòd enim dicit, hoc illi ſupereſſe ſepulcrum, exprimere haud potuit viuidiùs liberalitatem, & profuſionem Praeſulis in ſubditos populos.

VIIII. Periphraſis, ſi peregrina fuerit, argutí locum implet in clauſula, cuius generis eſt caeterà ſimplex, etſi caſtum Epitaphium Patauinum in Diui Antonij, citatum apud Vghellum in Italiae Sacrae to. altero inter Vrbinatum memorias. Cuius in calce Periphraſis gemina, ſed altera ex raritate venuſtior, videlicet:

CXIII.

Antonio Tubetae Patauino
Athen. Antiſt
qui pub. Metaphyſ. ann. II
ſup. XL
profeſſus eſt. Diui Antonij
prouinciae anno II. Praefuit XX.
plura mo. edidit
an. aetatis altero & LXXX
naturae ceſſit
Hoſpitium hoc ad diem nunquam
reuerſurum

Scilicet pro hoſpitio tumulum, pro die nunquam reuerſuro ſibi vult diem Iudicij, qui quia extremus huius ſeculi, & meta curſus diuturni Caeleſtium orbium, rectè nunquam reuerſurum dicit.

X. Correctio, qua plus ſubijcitur, in hunc cenſum venit. Quod praeclarè obſeruatum ab Ignatio Bomplano, Inſcriptione Morali de Statura; vbi habet

CXIV.

Menſura Corporis Animus.
Paruus eſt
cui Magno in Corpore Anima parua.
Magnus
cui paruo in corpore Magna Anima.
Excellit quiſquis ingenioſior
Ingenio magis creſcimus
quàm Corpore.
Habet creſcendi metam Corpus
Ingenium non habet.
Ergo vel Ingenio creſce, vel Corpore.
* *Erraui*
Ingenio creſce.
Naturae eſt creſcere Corpore
Creſcere Ingenio Virtutis eſt.

Quod ſchema locum habet, vbi licentior videri poteſt Metaphora, cui minus quidem ſubditur ex tranſlatione, nihil tamen ex laude minuitur, vt apud eundem Bomplanum de Templo Diui Petri Vaticano: ſic enim ludit:

Siſte

CXV.

Siſte Viator
Hoc Templum eſt Orbis angulus
ſed Orbe maius
quò vel Caelum deſilit
vel è quo nos ſubſilimus in Caelum.
Ante ingreſſum
Ampla patet Area
quaſi proſcenium Maieſtatis
Surgit in ea Obeliſcus
Debellatorum Inferorum Trophaeum:
Deinde eminent Gradus
quibus fit facilis ad Superos aſcenſus.
Poſt Gradus
ſeſe ingens effundit Porticus
ſeu potiùs Portus Generis humani
Nec caſu Columnis proſpectus nititur
Vt ſciant primo aſpectu Mortales
Hoc eſſe Mundi columen.
I nunc, Ingredere
*Non templum, ſed * Caelum videbis*
** Aut Vicarium Caeli Templum.*

Siquidem vbi Templum hoc Caelum appellari audis, ſuperlatio dicti fidem minuit pulchritudinis: At vbi correctio Vicarium reponit Caeli, illico offertur ex contentione Templi ipſius cum Caelo immenſa quaedam ſpecies elegantiae; ſubit mentem amplitudo vaſtiſſima, proſpectus maieſtas, Auro fornices vndique rutilantes, picturae hinc inde & emblemata beantia oculos, Numinis praeſentia toto ſpirans Templo, loci denique ſanctitas digna Caelo; Vt penè maius ſit, quod animo conceperis, quàm quod pedem inferens conſpiceris oculo, ſi quid tamen in terris maius vſquam conſpicabere.

XI. Epiphonema quoquè, cuius habet typum in clauſula Bomplanus Elogio de Maria Vere ineunte, Concepta.

CXVI.

Exuat Terra Hyemem ſuam:
Si Flos eſt indicium Veris
Iam Flos Dei conceptus eſt.
Ad nutum ſcilicet Obedientiae
mutantur Tempora.
Eua vocem Serpentis audiente
Ver abijt in Hyemem:
Maria vocem Angeli audiente
Hyems abijt in Ver.
Hyems Mundi Mors, Ver Vita
Sic Eua Hyemem peperit
Ver Maria.
Illa Mortem, Haec Vitam
** Vtraque audiendo.*
** Tantum intereſt, quem audias*

Praeſertim vbi intenditur epiphonemati vis, alluſione ad aliud, cum admixtione comparationis maiorum, vt magnificè praeſtitit Petrus Antonius Bonfilius Somaſchẽſis Inſcriptione Gymnaſij Philoſophiae in Collegio Clementino, Romae, cùm Regina Suecorum Chriſtina eius Academia adyta inuiſeret, diſpoſitis vbique Elogijs, & Epigrammatis. Ita verò inter alia ibi luſit:

CXVII.

Conſcende Philoſophiae exedram
CHRISTINA
Et quam ſinè fictione didiciſti Sapientiam
ſinè inuidia communica.
Facillimus tibi labor eſt
Te ipſam tantùm oſtende
Iamque omnia Philoſophorum praecepta
tradideris
Vnicum Bonum in Virtute ponere
à Te optimè diſcent
Quae Regiae Fortunae munera
Virtutis amore abieciſti.
** Quanta Aeui noſtri felicitas eſt*
** Quod vèl Reginas habet*
moribus philoſophantes!

Nam grauiſſimum eſt Platonis dictum illud l. de Republica Dialogo, vbi habet de Regibus Philoſophis: *Niſi vel Philoſophi Ciuitatibus dominentur; vel hi, qui nunc Reges, Potenteſque dicuntur, legitimè ſufficienterque philoſophentur* &c. Ad quod alludens Auctor Elogij Bonfilius ſententiam validiùs vibrat, ad Reginas, quae ſequioris ſunt ſexus, dictum trahens.

XII. Oxymoron, ſiue Acutum dictum, quod habet vim amplificandi. Quo de genere eſt clauſula, quam imponit Ignatius Bomplanus Inſcriptioni ad Aedem Lauretanam, videlicet:

Deinè

CXVIII.

Deinè domus eſt?
An Caelum Terrae?
Stat ſe ipſo;
ſuo tempore,
non infra aeterna & ſtabilis:
Caduca
Angelorum manibus aduecta
Trahit ad ſe ſe
quidquid vbique illuſtre
Naturae, Artis, Gratiae opera
Homines, Angelos, Deum
ignota quadam omnipotentia
quaſi nouum magnitudinis centrum.
Niſi potiùs nouum Caelum
Et noua Terra eſt
Hoc Caelum
decebat exinanitum Deum:
Haec Terra
placebat non inanis, & arida
Sed foecunda verbo.
Caelo, & terra conſtare debebat
Domus capax Dei Hominis
Hìc
VERBVM . CARO . FACTVM . EST
* *An excelſius eſt infinito*
Infinitum in paruo?

XIII. Comminatio non ſimplex, ſed ſchemate vibrata. Qualis eſt apud Vrſum in Inſcriptione Pauſilypenſi, cuius perpetuus tenor natura argumenti ſeuerus, inexpectato demum ſchemate in gemmam lucet, Vt vides

CXIX.

Praedium hoc
Villa, Pomarijſque munitum
Nec vlli obaeratum
Fabius de Dura Eques Parthenopaeus
Maribus primogenitis legauit
Perpetuoque nexu fidei commiſit poſterorum
Ne vnquam vllam ob cauſam
Vendant, Diſtrahant, Pignori dent
Secus ſi faxint, poſſeſſione cadant
Remque ipſam, vſumque fructumque vti vti fuerit
Iure mancip. aut quoquo alio iure
Adeant, Capiant, Vindicent
Secundo ex ſe loco geniti
Eademque lege nexi teneant;
Ni teneant
Primogenitorum Poſteri repetunto
* *Lapide hoc Indice, Caelo Vindice*
An. Sal. Hum. CIƆIƆXXXV.

XIV. Ex enumeratis partibus collectio totius: Enumeratio autem ſi varia fiat, & correlatiuè deducta, venuſtiùs Toto clauditur. In titulis breuioribus fermè habet ſedem. Huius typum exhibuit Romulus Marchellus Collega noſter, Genuae; Cùm primùm Diui Bartholomaei Aedes cum continente Coenobio à ſacra Armenorum familia ad noſtram, quae Diuo Paulo militat ſub nomine Diui Barnabae, tranſlata patuit. Vario enim Elogio, & Emblemate vndique diſpoſito, foribus Coenobij haec ille inſcripſit

CXX.

BARTHOLOMAEVS . PAVLVS . BARNABAS
Ex
Armenia Roma Cypro
Genuae
vno collecti domicilio
cultro enſe lapide
has fores cuſtodiunt.
Apage Profane
vnum violare nequis, niſi trino ſcelere.
Accede Pie
vno veneraturus obſequio
Apoſtolicam Triadem

Comparatio mixta repugnantibus perquàm iucundè ſalſa in clauſulis. Typum vulgauit Ioſephus Silos Neapolitanus Clericorum Theatinorum, ab amoenitate ingenij Princeps, Inſcript. V. ad Aram Capuanae porticus in pompa Capitis ſimul & ſanguinis D. Ianuarij (qui ſanguis ad Capitis conſpectum ebullit) in has notas:

CXXI.

Aſſertori & Parenti publico
Diuo Ianuario
Laureato Antiſtiti, Martyri Infulato
ob reportatas
Priſcas Nuperas
Ab Hoſtibus A Flammis
victorias
Gratulabunda Capuanae Sedis nobilitas;
Anniuerſarios triumphos inſtaurat
* *Nihil porrò inter iſthaec trophaea*
Luculentius

Luculentius
** Quàm ſectum Victoris Caput*
Fuſus Cruor.

Praefert haec Comparatio Caput & Cruorem caeteris trophaeis Ianuarij Martyris in pompa anniuerſaria triũphantis. Quod verò trophaeum exiſtat Caput non Victi, ſed Victoris ſectum, & cruor fuſus, omnino repugnantiam ſonat.

XVI. Metaphora ſimiliter ſapiet, cui praecedens dictum facit ex congruenti aditum. Hinc bellè Silos allegatus luſit in publica Supplicatione ex voto, ad Diuam Virginem ſine labe conceptam, pro abacta peſtilentia, Ara Nili ſic inſcripta.

CXXII.

Aſſueta à Conceptu Palmis
Auguſta Virgo
teterrimam nuper peſtilentiam
profligauit
Soſpitatrici inclytae
Aram ponimus, immolamus corda

Namque Ara verè poſita, conſequens fit immolatio, quae ab Hoſtijs ad Corda transfertur.

XVII. Fabulae ex proportione accommodatio mirè ſapit. quod carmine praeſtitit Martialis ad Caeſarem Epigr. XXI. trahens fabulam de Orphaeo ad ſupplicium Sontis in arena exhibitum: Cuius, poſt deſcriptam ſcenam, concluſionem hanc ſubdit:

Ipſe ſed ingrato iacuit laceratus ab Vrſo:
Haec tamen vt res eſt facta, ita ficta alia eſt.

Imitatus eſt egregiè locum Io. Baptiſta Vrſus Inſcribens ianuae Gymnaſij Regij Neapoli, videlicet:

CXXIII.

PHILIPPO. III. REGE
D. Petro Fernandez de Caſtro Lemens Com.
Prorege
Deſcripta olim alendis Equis Area
grandiore Muſarum fato
Erudiendis deſtinatur ingenijs
* Vera iam fabula
Equina effoſſum vngula
Sapientiae fontem.

XVIII. Interrogatio quoque ex admiratione non parum indit leporis, vbi maximè fiat alluſio: cuiuſmodi ad dictum Chriſti Domini de centuplo pro vnoquoque obſequio ſibi praeſtito alludens Petrus Antonius Bonfilius Somaſchenſis ſuprà memoratus, num. XI. Inſcribens Auditorio Theologiae, ad eandem Chriſtinam, quae ex ſtudio SS. Patrum, ac Theologorum admonita erroris ſui, fidem patriam eiurauit, Catholicam amplexa eſt, atque eius cauſa Regnum Suetiae potentiſſimum abdicauit. Ita verò Bonfilius:

CXXIV.

Excipe Chriſtina
dulciſſimos ruentem in amplexus
ipſo in limine nutricem tuam
Huic tu Animae vitam debes
Illa tibi maximum decus
Regium Deo munus obtuliſſe
Hic fidem tibi datam confirmat
copioſiſſimam in Caelo fore
mercedem tuam.
* Quanta eris inter Beatos Chriſtina
dum pro vno relicto
Centeno diademate coronaberis?

XIX. Poſtremum locum damus Agnominationi, nullum omnino daturi, ſi deſtituta ſit neruis ſententiae; & luſu duntaxat vocum puerili nixa. Habes ex Ioſepho Silos exemplum, vt caetera illius, obſeruandum. Eſt Inſcriptio III. quam expoſuit Neapoli in Porticu Capuana excipiendo Capiti & Sanguini D. Ianuarij ſplendidè excitata, videlicet:

CXXV.

Vindici ac Propugnatori Vrbis
Diuo Ianuario Magno
Aram religione, quàm mole aut cultu
auguſtiorem
inaugurant Capuana ſubſellia.
Inſigni hac pietate
Caritatem, Bella, Luem
Vrbi & Regno cauent.
Erunt ſub tanto Ciues patrocinio
Sine metu, Sine motu.

* Metum autem ad arma externa refert, Motum ad ciuilia, & inteſtina, quibus vtriſque vno tempore vexatum fuerat Regnum nuperrimè.

Plures adhuc formas argutandi in Elogij clauſula cùm imitatione Martialis, cùm obſeruatione Elogiaſtarum erit promptum comparare.

CAPVT

CAPVT VI.

De Vitioſis Argutijs.

CONfinia eſſe virtutibus vitia in hoc maximè ſcribendi genere deprehendimus, in quo, qui famam affectant ingenij, non rarò ſtomachabundos Lectores incurrunt, fructumque laboris exſibilationẽ pro plauſu referunt. Quare ne tota pereat opera hactenus nauata cudendis argutijs, huius quoque pretium erit poenitendum, ſi vſum illarum peruerſum, & quid peccari contingat, breuiter indicauerimus: auſpicijs potiſſimùm Quintiliani, cuius ſparſa praecepta colligemus, vt ſub vnum aſpectum cadant.

Vitioſae igitur Argutiae ſeptem fere cenſentur. Hae ſunt: Stulta, Falſa, Nimia, Superuacua, Communis, Leuis, Inepta. Sed vt natura ſingularum introrſùm inſpectetur, faciliuſque declinentur, recolere oportet, quae tradidimus huiuſce Libri capite II. de Argutiae eſſentia, Memb. I. Et quae de Cauſis eius, Memb. II. Etenim ſi Argutia definitur *Rerum diuerſarum in vnum dictum figurata, concinna, & peregrina coniunctio*; Sique in ſylua rerum omnigena Ingenium hominis *rem aliquam* aduertit *natura* quidem *alienam ab re propoſita*, ſed quae *per induſtriam conciliari non renuit*: quidquid in hoc vel exceſſu peccabitur, vel defectu, Argutia exiſtet vitioſa: Quod his modis contingit.

I. Si coniunctio illa in vnum dictum fiat rerum ita diuerſarum, vt conciliari renuant, quia repugnantiam habeant concinnitatis inimicam, exiſtet Argutia Stulta. Vt ſi dicatur *Equus hominem exhalans*, vel *Homo ſe ipſum equitãs*, de Centauro, cùm haec impoſſibilia ſint. Talia ſunt, quae de Dijs ſuis luſerunt Ethnici; repugnantia Diuinitati; vt, cùm Valerius lib. I. cap. I. §. vlt. ante Externa, referens Decretum Senatus, Ne Matronae vltra trigeſimum diem luctus ſuos ob Cannenſem pugnam ſuſceptos extenderent, vt ab his Sacra Cereris peragi poſſent, concludit in hanc ſententiam: *Qua quidem conſtantia obtinẽdae religionis magnus Caeleſtibus inuectus eſt rubor, vlterius aduerſus eam ſaeuiendi gentem, quae ne iniuriarum quidem acerbitate ab eorum cultu abſterreri potuerit.* Quid enim ſtultum magis, ne dicam impium, quàm Deo ruborem pudoremque tribuere? Ne carmini quidem permittendae huiuſmodi ſententiae: Sancta quippe eſt Poëſis, ac Diuinis laudibus pangendis nata; ſed & Poëtae ab Ethnicis ipſis ſancti appellati: quare vnde clauſulam Epitaphij Patauini defendat Auctor, quiſquis fuit, ipſe viderit; in hominem autẽ Chriſtianum, licet ſtylo Ethnico pactum, videlicet:

CXXVI.

LONGOLIVM inſano Ciceronis amore flagrantẽ
Mercurius nobis abſtulit ante diem.
Scilicet, ille ſibi ne linguae auferret honores.
Heu! Diuos etiam, liuor acerbe, petis?

II. Si res diuerſae conciliari renuant defectu ſimilitudinis, quae nulla vel modica intercedat, exiſtet Argutia Falſa. Vt qui dixit *pedibus Virgilianorum carminum perferri Aeneam ad regnum aeternitatis*. Quid enim pedi carminis cum pede animantis? Et qui ſchidia oſſium tracta è capite vulnerati adoleſcentuli tradens Matri; *Infelix*, inquit, *foemina, nondum filium extuliſti, & iam oſſa legiſti*. Nimis aegrè trahitur collectio oſſium ex rogo defuncti more veterum ad acceptionem oſſium ex capite vulnerati.

III. Si renuant propter exceſſum, quia res aſſumpta immoderatè alteri ſuperfertur, concinnitate excluſa, exiſtet Argutia Nimia. Vt qui de Viro forti dixit, quòd *bella vmbone propelleret*. Huius generis implet hodie ſcenam Tribunus militum glorioſus, re tamen vrgente perpauidus, cuius eſt (iactitat) *exploſos in ſe bombardarum globos, placido porrectu dexterae exceptos, in hoſtem clade ingenti repulſare*.

IV. Si conciliatio rerum quidem fiat; ſed talis, vt facie ingenij, ac ſolertiae blandiatur, excuſſa autem riſum habeat, quae peregrina, & admirabilis fuerat futura, exiſtet Argutia Superuacua. Vt de eo, qui ſterilitate agrorum primùm vexatus, deinde naufragium paſſus dicitur ſe ſuſpendiſſe; *Quem nec Terra recipit, nec Mare; pendeat*: Ac de eo, cui Pater ſua membra laceranti venenum dedit, *Qui haec edit, debet hoc bibere*. Et de luxurioſo, qui abligurito patrimonio ſimulabat mortem ſibi inferre: *Necte laqueum: habes, quod faucibus tuis iraſcaris: Sume venenum, decet luxurioſum bibendo mori*.

V. Si quod vni datur, quadret in alterum, erit Argutia Communis, minore enim cũ induſtria. Vt ad Sextium altero carentem oculo Appius;

Coenabo,

Coenabo, inquit, *apud te, vni enim locum eſſe video*. Hoc in omnes luſcos conuenit.

VI. Si coniunctio verbis inſiſtat, non rebus; hoc eſt puerilibus iocis contineatur, aut aequiuocis extra figuratam locutionem, erit Argutia Leuis. Qualis adhortatio illa ad Alexandrum, vt ſolennibus ludis in Vrbe Olympia ipſe quoquè curſu certaret; *Curre*, ait ille, *in nomine matris tuae*. Erat enim Matri Alexandri nomen Olympia. Leuitatem obijcit Quintilianus Ciceroni, quòd (extra Actionem quidem) Candidato cuidam, qui coqui filius habebatur, cùm coram eo ſuffragium ab alio peteret: *Ego, Quoque*, inquit, *ibi iure fauebo*. Quod ſi leuitatem habet hoc dictum, in quo tamen duae inſunt argutiae verbales, idest, *Quoque* (antiquitus) pro *Coque* per Agnominationem, & *iure* quaſi pro *iuſte*, ſenſu autē ambiguo pro liquore ex coctura: Caueant ſibi, quibus ita familiaris eſt luſus in voce.

VII. Si non ſeruet Induſtria decorū, erit Argutia inepta: Ac decorum in tribus potiſſimè, Perſona, tempore, loco (Recole de decoro in ſententijs, Lib. V.) Ad perſonam inepta videtur Argutia in Epitaphio Chriſtiano de Iuuene tricenario defuncto, vbi legitur: *Cuius mores virtuteſque omnes intuentes Parcae ſenem putauere*. Nec protegit imitatio Martialis in Epitaphio de Scorpo, cuius eſt clauſula:

Inuida quem Lacheſis raptum trieteride nona,
Dum numerat palmas, credidit eſſe ſenem.

Nam licuit homini Ethnico memorare Lacheſim vnam Parcarum ac Deam Ethnicis; licuit poëtanti, licuit de victore in ludis publicis; adde & hoc in perſona ipſius iuuenis, *Ille ego ſum Scorpus* &c. cuius à decoro non videtur alienum conqueri obliquè de Dea, quae ſibi praeciderat ſtamen florente in aetate. Atqui nec homini Chriſtiano id licuerit, nec Elogiaſtae ſoluto, nec intra ſacra noſtrorum Templorum. Ad Tempus videtur ineptus iocus in Epitaphio de Laelio Capilupo inſigni Poëta, apud Suueert.

Si vera eſt, Laeli, Samij ſententia vatis,
Quae tua nunc anima eſt, antè Maronis erat.
N. N. *Amico Poſ.*

Si enim Maronis animam vult immigraſſe in Laelij corpus, quia Maronis carmina egregiè eſt imitatus; cùm hic iaceat extinctus (eſt enim tumulo inſcriptum Diſtichon) iam Anima Maronis non eſt Laelij, quòd eius corpore ſoluta in aliud migraſſe ex ipſius certè Samij placito conuincitur. Denique ad locum ineptè ludi putatur in Epitaphio Ticinenſi, aliàs ingenioſiſſimo, quod hìc exſcribimus ex Puccinellio, videlicet:

CXXVII.

Philippi II. & III. Cathol.
Neſtori aut potius Regiae mentis Conſiliario Bartholomaeo Brugnolo Senatus Mediol. Praeſidi Qui tanquam nouus Vlyſſes Syrtes omnes enauigauit. Italiae Regens in alto Syrenum ſemper contempſit voces. Senator inter Scyllam & Charybdim tuto medius continenter euaſit. Iuſtitiae ſemel atque iterum Praefectus, glorioſè antrum Cyclopis effugit, in omnique publico munere à Cyrcaeis poculis abſtinuit. Hieronymus, & Annibal Nepotes ex fratre Patricij Ticinen. P. C. Ann. ſuae aet. LXI. Obijt IV. Non. Sept. MDCIII.

Iam fabulae primùm de Neſtore, tùm de Vlyſſe aſſumptionem concinnam hìc eſſe, nemo negabit, alteram praeſertim per partes accommodatam implere numeros omnes Allegoriae: Verùm ineptam loco iudicabit, quiſquis loci conditionem aduerterit, nimirum ſepulcri, cui congruit (hoc magis, quo dignior defunctus) vel cum affectibus doloris, & commiſerationis, vel ſaltem abſque iocis laudatio, ad quod quidem non conducit vſus fabulae, praeſertim vbi multiplex illa & operoſa accommodatio nata potiùs eſt oſtentationi, quàm affectibus. Nam nec fabularum cantilenae locum habent in luctu, nec fleri ſententiolis poteſt, vt ait Quintilianus. Quare vt Epidicticae Inſcriptioni, in qua datur affectari laudem ingenij, conſentanea fuerit Vlyſſis Allegoria de ſummo Viro Magiſtratibus geſtis laudatiſſimo; ita Sepulcrali diſſentaneam arguit loci aſpectus lugubris, & humanae fragilitatis horrenda in mortuo repraeſentatio.

CAPVT VII.

Quae quibus locis Argutiae congruant.

QVia inter Vitioſas Argutias cenſuimus Ineptas, quae ſcilicet decorum non ſeruant ex triplici capite Perſonae, Temporis, Loci; reſtat, vt placitum referamus ad genera Cauſarum,

& his

& his ſubiectas ſpecies, de quibus in ſequenti Operis parte. Repetere autem oportet traditas ſuperiùs Cap.II. Memb.III. huiuſce Libri, ſpecies Argutiarum ex obiecto; tùm quaeſtionem hic propoſitam ſic decernimus.

In Demonſtratiuo genere vel laudatur, vel vituperatur ab Elogiaſte non ſecus, & ab Oratore. In quo Materia diſtingui debet, & Finis. Et quidem Laudatio, cuius materia grauis & finis ſerius, V. g. Principis Viri, quò merita illius eluceant, & ad imitationẽ accendant; haec Graues poſcit Argutias, Iocoſas interdicit. Cuius autem materia leuis, aut amoena, ſcilicet ad delectationem nata, non reſpuit venuſtas, quae inter Iocoſas numerantur. Leuis autem illa praecipuè, quae ioci cauſa exponitur. Quod ſi materia ſit quidem grauis, Finis tamen oſtẽtatio ingenij proprij cum delectatione legentis (quod vocant genus Epidicticum, ſub Demonſtratiuo contentum) cùm graues recipit, tùm ex Iocoſis venuſtas, has quidem perquàm moderatè, & citra laſciuiam. Nam in materia leui, & amoena maior vtique eſt licẽtia. Haec de laudatiuo Elogio. Vituperatiuum autem, ſimiliterque Ironicè laudatiuum Argutias graues iocoſis, & his quidem ridiculis immixtas patitur: Id meliùs in leui materia. Exempla in graui laudatiua, & ad finem ſerium praebebit prae alijs Elogiaſtis recentibus Hortenſius Pallauicinus in Vitam Magnae Deiparae, Et in Caeſares Auſtriacos; Aloyſius Iuglaris in Patres Inſulatos Orientalis, & Occidentalis Eccleſiae; Lucas Bertolotus è Congreg. Fulieſium in varios; Conſtantius Martinellus ſparſim, praecipuè in D. Thomam à Villanoua; Maximianus Dezza in Heroes Theatri ſui; Felix Verducciolus paſſim, in primiſque, in Reginam Suetiae ad Romanã fidem Regno abdicato traductam; Leo Matina in Duces Reip. Venetae; Octauius Ferrarius in libello Elogiorum, & Epitaphiorum edito. In leui materia concinnarunt Elogia Chimentellus in Iberum equum; Vrſus in Bucephalum, & in Calamum ſuum; Pola in bruta varia; Bomplanus in Roſam, in Exilium, in Timorem. In Epidictico genere legẽdus Theſaurus in Patriarchis: In Vituperatione eminet Pola in XII. Caeſares Latino, & Italico vulgari ſermone ſingularis: Res autem leues vituperauit prae alijs Vrſus ludens in Tumulo Cupidinis, in Reſtem, quo Iudae fractum eſt iugulum, in Tumulis quoque Iudae Iſcariotis, Simonis Magi, Martini Ludderi, Ioannis Caluini, & Mahometis.

Demõſtratiuo Elogio ſubijcitur Hiſtoricum, & Didaſcalicum. Illud, ſi purum fuerit, ſequetur hiſtoriae fuſae conditionem, ideſt ieiunum erit ab argutijs; ſin floridum, quo de genere eſt L. Florus in Epitoma, non reſpuet venuſtas perparcè tamen; & eas fere non quaſi ab Elogiaſta ipſo cuſas, ſed quaſi alterius Auctoris ab ſe citatas. In argumento autem graui ſententioſas admittit, quarum eſt multa paucis docere. Id quod Didaſcalico iuſtiùs debetur: Huic praetereà, vbi doctrinam alienam confutat, graues iocoſis, ideſt venuſtis immixtae.

In Deliberatiuo genere Elogiaſta ſerijs vtetur, quà ſententioſis, quà grauibus, pro conditione argumenti. Venuſtis aegrè locum inueniet, ridiculis omnino nullum, niſi in argumento iocoſo.

Denique in Iudiciali Graues propriam habent ſedem ad motum; itemque Mixtae ex graui, & venuſta ad cauillationem.

Hiſtorica pura ſunt fere antiqua omnia marmora Sepulcralia, Triumphalia, Theatralia. Didaſcalium exempla habes altera Parte huius Operis, ſuo loco. Quemadmodum & Deliberatiui generis, & Iudicialis.

Miſceri autem haec tria genera in Elogio ſimiliter contingit, ac in oratione, vt paſſim obſeruabis, & nos infrà indicabimus.

Porrò Venuſtas Argutias alicunde quidem excludimus, non autem Venuſtatem, vt omnis Epigrammatis, ita & Elogij indiuiduam comitem: quam quibus ex locis conquiras, habuiſti ex proximo libro V. de Elogij Venuſtate.

Ridiculas autem argutias, ne quid Lector deſideres ad complementum huius inſtituti, tractandas reijcimus in tempus aliud, ſiquod ſucciſiuum tulerit data nunc ipſum nobis grauiſſima prouincia.

FINIS.

INDEX

INDEX I. ELOGIASTICVS.

Seu

CENSVS AVCTORVM RECENTIVM.

Quorum Elogia hoc volumine prodeunt

A

AGapithus Herrera Romanus Clericus Regul. Barnabita.

A. Thyſius.

Alexander Adimarus Florentinus.

Alexander Bandinellus Senenſis, Abbas, Alexandri III. P. M. gentilis.

Alexander Burrius Marchio, Etruſcus, Tribunus Max. ſub Ser. Magno Duce Etr. Ferd. II.

Alexius Ledeſma Modoëtienſis, Cler. Regul. Barnabita.

Aloyſius Applanus Mediolanenſis.

Aloyſius Iuglaris è Societ. Ieſu.

Aloyſius Nouarinus Cler. Reg. Theatinus, & Scriptor.

Alphonſus Rhaudenſis (vulgò Rhò) Mediolanenſis.

Alphonſus Sinibaldus Lucenſis.

Andreas Baianus Luſitanus.

Andreas Marianus Bononienſis.

Antonius Caballus Emporienſis.

Antonius Cardinalis Barberinus Romanus, Vrbani VIII. Fr. F.

Antonius Chanut. è Societ. Ieſu.

Antonius Maria Herba Mediolanenſis.

Aſcanius Perſius.

Auguſtinus Coltellinus I. C. Florentinus.

Auguſtinus Maſcardus Genuenſis.

Aurelius Boldonius S. Th. Laur. & Praepoſit. Mediolanenſis.

Aymo Corius Mediolanen. Cler. Reg. Barnabita.

B

Baldus Cataneus.

Bartholomaeus Comes Romanus.

Baſilius Corradinus Peruſinus.

Benedictus Baffius Cler. Reg. Theatinus.

Benedictus Mariottus Etruſcus.

Bernardinus Campellus Spoletinus.

Bernardinus Rota.

Benedictus Manzonius Ceſenas Ord. Minor. S. Franciſci.

C

Caeſar Alexius I. C. Peruſinus.

Caeſar Baronius S. R. E. Cardin.

Caeſar Freſa è Societ. Ieſu.

Carolus Caſtanus Mediolanenſis.

Carolus Legnanus Mediolanenſis.

Carolus Rainoldus Mediolanenſis.

Carolus Puccettus Florentinus.

Carolus Sabattinus Peruſinus.

Chriſtophorus Giarda Cler. Reg. Barnabita.

Chriſtophorus Moronus Equ. Laur. Aſtron. Mediolanenſis.

Claudius Achillinus Bononienſis.

E

Emanuel Theſaurus Comes, & Eq. Taurinenſis.

Erycius Puteanus.

Euſebius Sarrinus Ord. Ciſtercien. Abbas.

F

Fabritius Sabellus S. R. E. Cardinalis.

Famianus Strada è Societ. Ieſu.

Fauſtinus Fagaeus Mediolanenſis.

Felix Verducciolus Humanit. Profeſſor in Almo Gymn. Peruſiae.

Ferdinandus Vghellus Florentinus Abbas Ciſterciensis.
Flauius Boldonius I. C. Mediolanenſis.
Fortunatus Columbus Cleric. Regul. Barnabita.
Franciſcus Caſatus Mediolanenſis.
Franciſcus Cionaccius Florentinus.
Franciſcus Cradignanus Mediolanenſis.
Franciſcus Gualdus Ariminenſis.
Franciſcus Maria Delmonacus Cler. Regul. Theatinus.
Franciſcus Maria Florentinius Lucenſis Phyſ. & Hiſtor.
Franciſcus Marraccius Lucenſis Cler. Reg. è Congr. Matris Dei.
Franciſcus Pola I. C. Veronenſis.
Franciſcus Pona I. C. Veronenſis, & Scriptor.
Franciſcus Rondinellus Florentinus.
Franciſcus Suicus Mediol. Cler. Reg. Barnabita.
Francuccius I. C.

G

Gaſpar de Simeonibus Neapolitanus.
Georgius BecKherius Elbigenſis.
Gibertus Borromaeus Comes Mediolanenſis, hodie S. R. E. Cardinalis.
Gregorius Brunellus Mediol. Abbas Canonic. Reg. Lateranenſium.

H

Henricus Farneſius Eburo, Human. Lit. Profeſſor in almo gym. Tycinenſi.
Hiacynthus Libellius ex Ord. Praedicatorum, & Sacri Indicis A Secretis.
Hieronymus Cardanus Mediolanenſis.
Hieronymus Florentinius Cler. Reg. è Congr. Matris Dei, Lucenſis.
Hieronymus Imolenſis ex Ord. Min. Obſeruant. S. Franciſci.
Hieronymus Tancredius Senenſis.

I

Iacobus Accariſius è Societ. Ieſu.
Iacobus Cauatius Monachus Caſinenſis, & Scriptor.
Iacobus Gaddius Florentinus.
Iacobus Philippus Camola.
Iacobus Philippus Thomaſinus Patauinus.
Iacobus Pighettus Bergomas.
Ignatius Bomplanus è Societate Ieſu.
Innocentius ab Eccleſia Cler. Reg. Barnabita.
Ioannes Aloiſius Cerchiarius Cler. Regul. Somaſchenſis.
Ioannis Ambroſius Mazenta Cler. Reg. Barnabita.
Ioannes Andreas Albertus è Societate Ieſu.
Ioannes Baptiſta Beccius Decanus Caſinenſis.
Ioannes Baptiſta Marinus Eq. & Vates.
Ioannes Baptiſta Maſculus è Societate Ieſu.
Ioannes Baptiſta Robertus Aquenſis.
Ioannes Baptiſta Vrſus è Societate Ieſu.
Ioannes Dominicus Roſcellus Genuenſis.
Ioannes Iacobus Palaemonius ex Baronibus Terrae Toracae.
Ioannes Iacobus Reſta Senior Mediolanenſis.
Ioannes Maria Caſatus Cler. Reg. Theatinus.
Ioannes Nicolaus Boldonius Cler. Reg. Barnabita.
Ioannes Paſta Mediolanenſis.
Ioannes Pineda è Soc. Ieſu.
Ioannes Pinoccius Senenſis Abbas, & Vic. Gen. Emin. Card. Archiep. Piſarum.
Ioannes Victorius Briantus Cler. Reg. Barnabita.
Ioannes VVouerius Antuerpienſis.
Ioſephus Silos Cler. Reg. Theatinus.
Iugurtha Tommaſius Senenſis.
Iulius Perottus Cler. Reg. Barnabita.
Iulius Iouius Epiſc. Nucerinus.
Iulius Roſpiglioſius Piſtorienſis, hodie S. R. E. Cardinalis.
Iuſtus Lipſius.

L

Laurentius Martinozzius Abbas Caſinenſis poſt Epiſc. Ilcinenſis.
Laurentius Nerius Emporienſis Phyſ. Profeſs. Patauij in almo Gymn.
Laurentius Pignorius.
Leo Matina Monachus Caſinenſis.
Linus Vacchius Cler. Reg. Barnabita.
Lucas Bertolotus è Congr. Fulienſium.
Ludouicus A puteo è Soc. Ieſu.
Ludouicus Aurelius Peruſinus.
Ludouicus Vicecomes Mediolanenſis.

M

Marcellus A Matre Dei, Carmelita Diſcalceatus.
Marcellus Buttiglius Placentinus.
Marcus Antonius Bonciarius.
Marcus Antonius Bigarola Mediolanenſis, Academiae Alexandrinae Princeps.
Marcus Sanctinius.
Martinus Sandelius.
Maurus Bagnolus Cler. Reg. Barnabita.
Maximianus Dezza Cler. Reg. è Congr. Matris Dei Lucenſis.

N

Naeuius Poëta.
Natalinus de Graſſis Canon. Eccl. Patriarch. Venetijs.
Nicolaus Baccetius Ciſtercienſis Abbas.
Nicolaus Borbonius.
Nicolaus Cauſinus è Soc. Ieſu.
Nicolaus Charpy à Sancta Cruce.

O

Octauius Ferrarius Mediolanenſis Human. Liter. & Polit. Profeſſor in Gymn. Patauino, & Scriptor.
Octauius Lancellottus Peruſinus Human. Lit. in Patria Doctor. rudiarius.

P

Paulus Aemilius Elephantutius Senator Bononienſis.
Paulus Camillus Paderna Mediolanenſis.
Paulus Cittadinus Mediolanenſis.
Pellegrinus Pellegrinius Cler. Reg. è Congreg. Matris Dei.
Petrus Adrianus Vanden BroecKe Flandro-Belga.
Petrus Angelus Guiniſius Lucenſis.
Petrus Antonius Bonfilius Cler. Reg. è Congr. Somaſchenſi.
Petrus Antonius Conſalonerius Cler. Reg. Barnabita.
Petrus Clauarinus Caſinenſis Abbas.
Petrus Labbe è Soc. Ieſu.
Philibertus Marchinus Cler. Reg. Barnabita.
Philippus Corius Mediolanenſis.
Philippus Ricaſolus Florentinus.
Philomatus, hodie ALEXANDER VII. Pont. Max. Senenſis, è Gente Chiſia.
Proſper Cribellius Mediolanenſis.

R

Renatus Comes Borromaeus Mediolanenſis.
Rodulphus Monaldus Peruſinus Abbas.
Romulus Marchellus Cler. Reg. Barnabita.

S

S. Grunaeus Vratislauienſis.
Samuel Bonellus Anglus.
Sebaſtianus Nouaës è Soc. Ieſu.
Sebaſtianus Reſta Mediolanenſis.
Seraphinus Caſolanius Mon. Caſinenſis.
Sigiſmundus Boldonius Mediolanenſis.
Similis . . . . . .

T

Thomas Guidinius Senenſis.

V

Valentinus Petronius Neapolitanus.
Valentinus Rubinus Cler. Reg. Barnabita.
Valerius Chimentellus Florentinus, Human. Lit. Profeſs. in almo Gymn. Piſano.
Virginius Soncinus I. C. Brixien.
Volumnius Bandinellus, hodie S. R. E. Cardinalis.

Z

Zuerius Boxhornius.

INDEX II. TYPICVS

Seu

QVIBVS IMPOSITA INSCRIPTIO AD EXEMPLVM

Notarum ſignificatio.

L. Librum, P. Paginam, E. Elogium indicat.

A

Academiae. Libro I. Pagina 44. Elogio LXXII.
Academiae. L. 2. P. 51. E. XI.
Academiae. L. 2. P. 131. E. CXLIX.
Academiae. L. 2. P. 347. E. DCXLII.
Academiae. L. 2. P. 367. E. DCLXVII.
Aedium fronti. L. 1. P. 17. E. IV.
Aedium fronti. L. 2. P. 230. E. CCCXV.
Aedi ſacrae. L. 2. P. 62. E. XXVI.
Aedi Lauretanae. L. 6. Cap. V. M. V. P. 728. E. CXVIII.
Aediculae. L. 2. P. 208. E. CCLXVI.
Aediculae. ibi. P. 239. E. CCCXLI.
Aedibus hoſpitalibus. L. 2. P. 280. E. CCCCXXXII.
Aedibus. L. 2. P. 309. E. DXLII.
Aedium magnificarum fronti. ibi. P. 324. E. DXC.
Aedi, & Arae. L. 3. P. 410. E. XLII. & E. XLIII. & XLIV.
Aedibus, & Hortis. ibi. P. 426. E. CX. & E. XCI.
Aedibus S. Inquiſitionis. L. 4. M. XX. P. 516. E. CCCXVIII.
Aedibus hoſpitio claris. L. 5. P. 564. E. CII.
Aedibus epheborum nobilium. L. 5. P. 589. E. CXCVIII.
Aedibus hoſpitio claris. L. 5. P. 593. E. CCXX.
Altari. L. 2. P. 126. E. CXLII.
Altari ſubdio. Cap. IV. M. V. P. 193. E. CCXLII.
Altari. L. 4. P. 452. E. LXI.
Arae Prograph. P. 5.
Arae. L. 2. P. 55. E. XVIII.
Arae Maximae. L. 2. P. 191. E. CCXXXVIII.
Arae. ibi. P. 198. E. CCLII. & CCLIII.
Arae. ibi. P. 210. E. CCLXX.
Arae. ibi. P. 254. E. CCCLXVIII.
Arae. ibi. P. 270. E. CCCC.
Arae. L. 4. P. 439. E. IX. & X.
Arae. ibi. P. 487. E. CLXXXVI. & CLXXXVII.
Arae. L. 4. P. 495. E. CCXXIV.
Arae. L. 4. P. 516. E. CCCXIV.
Arae. L. 4. P. 519. E. CCCXXV.
Arae. L. 5. P. 534. E. IV.
Arae. L. 5. P. 565. E. CX.
Arae. L. 6. P. 728. E. CXXI.
Arae Romanae. ibi. P. 481. E. CLX.
Arae L. 5. Cap. IV. M. XI. P. 636. E. CCCXIX.
Arae. L. 6. Cap. V. M. II. P. 707. E. LXII.
Arae Puteolanae. L. 5. P. 622. E. CCLXXV.
Arci. L. 2. P. 105. E. CIII. cum cenſura.
Arci. ibi. P. 276. E. CCCCXV.
Arci. ibi. P. 329. FEDERICVS.
Arci. L. 5. P. 541. E. XXIII.
Arcui Rom. L. 1. P. 19. E. XIII. & XIV.
Arcui Genuen. L. 1. P. 20. E. XV. XVI. XVII. & XVIII.
Arcui Mediol. L. 1. P. 20. E. XIX.
Arcui Rom. L. 1. P. 22. E. XXVIII.
Arcui Mediol. L. 6. P. 677. E. XII.
Arcui Florent. L. 1. P. 27. E. XLIII.
Arcui Nicien. in Gall. Narbon. ibi. E. XLIV.
Arcui Veron. L. 2. P. 49. E. IV.
Arcui Rom. L. 2. P. 129. E. CXLV.
Arcui Mediol. ibi. P. 161. E. CLXXXII.
Arcui Mediol. ibi. P. 165. E. CLXXXVIII.
Arcui Genuen. L. 2. P. 236. E. CCCXXVIII.
Arcui Rom. ibi. P. 238. E. CCCXXXVII.
Arcui Mediol. L. 2. P. 249. E. CCCLVIII.
Arcui Mediol. L. 6. Cap. V. M. IV. P. 716. E. LXXXII.
Arcui Veron. L. 2. P. 301. E. DXXIV.
Arcui Rom. ibi. P. 369. E. DCLXXIII.
Arcui Parm. L. 3. P. 421. E. LXXVII.
Arcui Rom. L. 5. P 650. E. CCCLXIV.
Arcui Rom. L. 5. P. 652. E. CCCLXXIX.
Arcui in Ianiculo. L. 3. P. 428. E. XCIV.
Arcui Mediol. L. 4. P. 443. E. XXXV.
Arcui Rom. L. 4. P. 445. E. XLIII.
Arcui Rom. ibi. P. 446. E. XLV.
Arcui Antuerp. L. 4. P. 453. E. LXV.
Arcui Rom. ibi. P. 457. E. LXXXVI.
Arcui Rom. ibi. P. 460. E. CXVII.
Arcui Mediol. L. 4. P. 483. E. CLXVIII.
Arcui Mediol. ibi. P. 484. E. CLXIX.
Arcui Mediol. L. 6. P. 686. E. XXXV.
Arcui Rom. L. 4. P. 494. E. CCXVI.
Arcui Mediol. L. 6. Cap. III. M. VI. P. 690. E. XXXVII.
Arcui Rom. ibi. P. 514. E. CCCI.
Arcui Mediol. L. 6. P. 691. E. XL.
Arcui Rom. ibi. P. 516. E. CCCXV.
Arcui Mediol. L. 6. P. 718. E. LXXXVIII.
Arcui Rom. L. 5. Artic. 11. P. 544. E. XXXIII.
Arcui Nicienſi. L. 5. P. 577. E. CLXI.
Arcui Mediol. L. 6. P. 719. E. XCI.

Arcui Monetali Antuerpiae. L. 4. P. 493. E. CCXI.
Arcui Nuptiali Mantuae. L. 5. P. 615. E. CCLXIX.
Armorum bellicorum aceruo, Prograph. P. 7. ſub extremum paginae.
Armis in Veneto Armamentario dedicatis à Rege Galliae. P. 646. E. CCCLI.
Atrio Piae domus. L. 4. P. 452. E. LXIII. cum cenſura.
Aulae Collegij I. C. Mediol. L. 5. P. 564. E. CIV.

B

Balineo. L. 1. P. 19. E. XI.
Baſi marmoreae. L. 1. P. 16. E. II.
Baſi Statuae ſymbolicae. L. 1. P. 34. E. LX.
Baſi Statuae votiuae. L. 1. P. 36. E. LXVI.
Baſi ad Pyramidem C. Ceſtij Rom. L. 2. P. 296. E. CCCCXCIII.
Baſi. L. 4. P. 489. E. CXCVI.
Baſi. L. 5. P. 600. E. CCXXXIV.
Baſilicae Mercatorū. L. 2. P. 344. E. DCXXXIV. & DCXXXV.
Bibliothecae. L. 2. P. 345. E. DCX.
Bibliothecae, in qua Sepulcrum. L. 5. P. 641. E. CCCXXXVII.
Bibliothecae. ibi. P. 348. E. DCXLV.
Bibliothecae. ibi. P. 79. E. DCLXXXV.
Bracteae ex auro puriſſimo. L. 3. P. 431. E. CI.

C

Campanae aereae. (Barbarè) L. 2. P. 67. E. XLV. & P. 245. E. CCCLIII.
Campo Militari. L. 4. P. 455. E. LXXVII.
Cauponae. L. 3. P. 431. E. CII.
Cenotaphio. Vide infrà, litera S. in voce *Sepulcro*, litera C.
Cippo. L. 1. P. 16. E. III.
Clypeo Votiuo. Prograph. P. 3.
Clypeo in numiſmate. Prograph. P. 3.
Cypeo. Prograph. P. 8. & P. 9.
Codicillo. L. 1. P. 23. iterum. ibi.
Columnae in Patria deſerta. L. 1. P. 18. E. VIII.
Columnae in Patria deſerta. L. 2. P. 137. E. CLXVI.
Columnae ſub imagine ſontis diſſecti. L. 1. P. 24. E. XXXII.
Columnae pro termino. L. 2. P. 113. E. CXI.
Columnae infami. L. 1. P. 25. E. XXXIII.
Columnae in introitu Aethiopiae. L. 2. P. 137. E. CLXVII.
Columnae conſecratae. Mediol. L. 2. P. 326. E. DXCVII. cum cenſura.
Columnae conſecratae. Romae. L. 2. P. 329. E. DCVIII.
Columnae conſecratae. Mediol. L. 2. P. 348. E. DCXLIII.
Columnae. L. 4. P. 433. E. XXXIV.
Columnae antiquae recens erutae. L. 4. P. 462. E. CII.
Columnae Traianae. Romae. L. 4. P. 491. E. CCIII.
Columnae in Aegypto. L. 5. P. 586. E. CLXXXVIII. (errore Typograph. CXXXVIII.)
Columnae in Agro Rauenn. L. 5. P. 594. E. CCXXI.
Columnae Foroliuienſi. L. 5. P. 626. E. CCLXXXVI. & CCLXXXVII.
Cornu Amaltheae eburneo, Prograph. P. 2.
Cruci ſuper malo aureo. L. 2. P. 185.
Cubiculo D. Catharinae Sen. L. 5. P. 579. E. CLXVIII.
Curiae Rom. ſiuè Capitolio. L. 1. P. 17. E. VII.
Curiae Piſanae. L. 2. P. 57. 58. 59. E. XIX.
Curiae Regiae. L. 2. P. 236. E. CCCXXXI.

D

Decretis in marmorea tabula. L. 2. P. 57. & 58. E. XIX.
Diademati aureo. Prograph. P. 2.
Diademati aureo. L. 2. P. 63. E. XXXI. (ſeculi corrupti.)
Domui oratoriae. L. 2. P. 254. E. CCCLXIX.
Domui religioſae. L. 2. P. 366. E. DCLXIII.
Domui piae. ibid. E. DCLXIV. & DCLXV.
Domui, vbi pauperes aluntur. L. 3. P. 416. E. LXXII.
Domui Saliorum Palatinorum. L. 4. P. 489. E. CXCIV.
Domui hoſpitio illuſtratae. ibid. E. CXCVIII. item ibi P. 490. E. CXCIX.
Domui, vbi aluntur Paruuli. L. 5. P. 608. E. CCXLVII. & CCLVIII. & CCXLIX.
Donario pretioſo. L. 2. P. 64. E. XXXV.
Dono. L. 5. P. 576. E. CLI.

E

Equo Troiano. Prograph. P. 3.
Euchariſtica B. Andreae Auellino. L. 4. P. 518. E. CCCXXIII.
Exequijs generalibns. L. 2. P. 288. E. CCCCLX.
Exequijs Regijs. L. 3. P. 390. E. V.
Exequijs magni Viri. L. 3. P. 401. E. XXVI.
Exequijs Auguſtae. ibi. E. XXIV. & XXVII.
Exequijs per formulam priſcam. L. 3. P. 391. E. VI. & P. 408. E. XXXVII.
Exequijs ad exemplum formulae priſcae. ibi. E. XXXVIII. (errore Typogr. XXXXVIII.) & E. XXXIX.
Exequijs propugnatorum Patriae. L. 3. P. 420. E. LXXV.
Exequijs Regijs. L. 4. P. 482. E. CLXIII. cum cenſura, & P. 483. E. CLXV.
Exequijs Viri Principis. L. 4. P. 537. E. XI.
Exequijs Regijs. L. 5. P. 540. E. XXII. item ibidem. P. 545. E. XXXVIII. item P. 585. E. CLXXXIV.
Exequijs Auguſti. L. 5. P. 590. E. CCI.
✝ Vide littera F. in voce *Funeri*.
Enſi dono miſſo. L. 3. P. 404. E. XXXII.

F

Feneſtrae Vitreae. L. 5. P. 577. E. CLX.
Fluminis alueo. L. 2. P. 293. E. CCCCLXXII.
Fluminis,pilis,& ſtructuris. L.2.P.365.E.DCLXI.
Fonti. L.2.P.237. E. CCCXXXII.& CCCXXXIII.
Fonti. L. 2. P. 302. E. DXXX.
Fonti. L. 3. P. 398. E. XVI.
Fonti. L. 4. P. 493. E. LXIV.
Fonti baptiſmali. L. 2. P. 250. E. CCCLIX.
Fonti Vaticano reſtituto. ibi. P.251. E. CCCLX.
Fonti. L. 2. P. 295. E. CCCCXC.
Fonti ex vrna ſepulchrali. Prograph. P. 5.
Fonti. L. 1. P. 29. E. L. LI. LII. & LIII.
Foro Ariminenſi. L. 4. P. 481. E. CLXI.
Funeri. L. 2. P. 120. E. CXXIX.
Funeri Regio. L. 2. P. 302. E. DXXVIII.
Funeri ex formula Latinorum veterum. L. 3. P. 391. E. VI.
Funeri Regio. ibidem. E. VII. Paulò aliter. L. 4. P. 483. E. CLXIV.
Funeri Regio. L. 3. P. 420. E. LXXIV.
Funeri Principis. L. 4. P. 465. E. CVIII. & ſeqq.
Funeri Patris, ac generatim Principis. L. 4. P. 483. E.CLXVI. quod & Sepulcro. L.4. P.515. E. CCCIV.
Funeri Principis Regij. L. 6. P. 674. E. VII.
Funeri Patroni. L.5. P.591. E. CCVI. & CCVII.
Funeri Iuuenis Patricij. L. 6. P. 676. E. X.
Funeri pro clauſula. L. 4. P. 519. E. CCCXXVI.

H

Hermae marmoreo. L. 2. P. 161. E. CLXXXI.
Hortis. L. 1. P. 16. E. I.
Hortis Vaticanis. L. 2. P. 236. E. CCCXXX.
Hoſpitali Pauperum. L.2.P.259.E.CCCLXXVI.

I

Ianuae cubiculi. L. 1. P. 30. E. LV.
Ianuae Xenodochij (vulgò Hoſpitalis) Mediol. L.2.in ſerie Barbararum Inſcript. P.72. E.LX.
Ianuae Templi. L. 2. P. 190. E.CCXXXVI. item P. 191. E. CCXXXVII.
Ianuae Aedium Collegij Cleric. Reg. L.6. P.728. E. CXX.
Imagini Sereniſſimi Coſmi aere excuſae. L. 1. P. 23.
Imagini S. Anathalonis. L. 2. P.61. in ſerie Barbararum. E. XXIII.
Imagini hominis improbi. L.6. P. 693. E.XLIV.
Imagini Nili fluminis. ibi. E. XLV.
Imagini Anni. ibi. E. XLVI.
Imagini Conclauis Vaticani, Anno 1655. ibi. P. 694. E. XLVII.
Imagini Apotheoſis B. Thomae ex Villanoua. ibi. E. XLVIII.
Imagini Vgonis Principis. ibid. P.65. E.XXXIX.
Imagini Auguſtini Tornielli. L. 2. P. 124. E. CXXXVII.
Imagini Tancelini Cartuſiani. L. 2. P. 230. E. CCCXVII.
Imagini Hugonis Cartuſiani. ibid. P. 231. E. CCCXVIII.
Imagini Petri IV. Sardae Lemou. Cartuſiani. L.2. P. 239. E. CCCXLII.
Imagini Gaſparis Scurerij Praemonſtratenſis. L.2 P. 261. E. CCCLXXXI.
Imagini Coſmi Minerbetti. L.6.P.717.E.LXXXV
Imagini Glotti Peruſini. L. 2. P. 264. E. CCCLXXXIX.
Imagini Ludouici Sfortiae. L. 2. P. 271. E. CCCCII.
Imagini Hiſpaniae. L. 6. P. 720. E. XCV.
Imaginis SS. Haymonis,& Vermondi. L. 2. cum cenſura. P. 286. & 287. E. CCCCLVII.
Imagini S. Siri. L. 2. P. 306. E. DXXXIX.
Imaginibus SS. Patronorum Mediol. L.6.P.690. E. XXXIX.
Imagini Symbolicae Iuſtitiae. L. 2. P. 333. E. DCXVI.
Imagini Scipionis Papafauae. L. 2. P. 367. E. DCLXVI.
Imagini D. Brunonis ad Chriſtum traducti. L.6. P. 716. E. LXXIX.
Imagini Iani, cum Cenſura. L.3.P.403.E.XXXI.
Imagini Symbolicae Flandriae. L. 3. P. 420. E. LXXIV.
Imagini B. Mariae ſine macula conceptae. L. 6. P. 727. E. CXVI.
Imagini D. Barnabae. L. 3. P. 431. E. C.
Imagini Auguſti Caeſ. L. 4. P. 459. E. XCV.
Imagini Sabini Graecè in Aſia. L.4. P.488. B.
Imagini Principis receptae Caelo. L. 4. P. 499. E. CCXLIII.
Imagini B. Andreae Auellini. L.4. P.507. E.CCLXXVI.
Imagini Franciſci Coppolae. L. 6. P. 675. E. IX.
Imagini Diuae Vigiliae Seruatricis Liburni Portus. L. 6. P. 683. E. XXIX.
Imagini Inſulae Siciliae in funere Regio. L. 6. P. 714. E. LXXIV.
Imagini Ludouici Iuſti, Regis Gall. infantis in lucem editi. L. 6. P. 710. E. LXIII.
Imagini Franciſci Petrarchae. L. 5. P. 545. E. XXXIX.
Imagini Io. Baptiſtae Marini. L. 6. P. 711. E. LXVI.
Imagini Toſelli Soraynae. L. 5. P. 566. E.CXIV.
Imagini Symbolicae Aſtronomiae. L. 5. P. 583. E. CLXXIX.
Imagini Raphaelis Vrbinatis Pict. L. 6. P. 709. E.
Imagini Symbolicae Medicinae. L. 5. P. 586. E. CXCII.
Imagini Chriſti Crucifixi apud Lucenſes. ibi. P. 588. E. CXCVII.
Imagini D. Bartholomaei. L.6. P. 704. E. LXI.
Imagini Chriſti Domini Crucifixi. L. 5. P. 709. Italico metro.
Imagini Delphinoli Brippij. ibi. P.593. E.CCXIX.

Imagini B. Iulianae Virg. & Mart. L. 6. P. 704. E. LX.
Inſigni Militari. L. 2. P. 180. E. CCXIX.
Inſulae Comacinae deuaſtatae. L. 2. Paroeneſi. P. 14. E. CXVI. & CXVII.

L

Laminae Plumbeae in fundamento Sacelli. L. 2 P. 108. E. CIX.
Lapidi ad fundamenta Templi. L. 2. P. 116. E. CXXI.
Item. ibid. P. 165. E. CXC.
Item. P. 378. E. DCLXXXIV. cum cenſura.
Lapidi Milliario Romae. L. 4. P. 516. E. CCCXII.
Lapideae moli. ibi. P. 517. E. CCCXIX.
Libello Theorematum ad diſput. L. 5. P. 550. E. LVIII.
Libello, ſuper orta Maria Praedictionis Aſtrologicae. L. 6. P. 692. E. XLIII.
Libro Miſſali auro, & Margaritis illuſtri. L. 2. in ſerie barbararum Inſcrip. P. 63. E. XXXII.
Libro ad erudit. dedicato. L. 2. P. 103. E. XCVIII.
Libro, cuius titulus Eccleſiaſtes. L. 2. P. 114. E. CXVIII.
Libro ſacrarum precum. L. 2. P. 179. E. CCXVII.
Libro Gruteri de Antiqq. Inſcriptt. L. 2. P. 235. E. CCCXXV.
Libro Muſaei Iouiani. ibi. P. 238. E. CCCXXXVIII
Libro Carminum Bruni. L. 3. P. 409. E. XLI.
Libro Eraſmi Rotherodami. L. 3. P. 427. A. B.
Libro Elogg. in XII. Patres, Alberti. L. 6. P. 655. E. I.
Libro Apotheoſeos viuentium Amicorum. L. 3. P. 447. E. XLVIII.
Libro Hiſtoriae Inſubricae, Puteani. L. 5. P. 624. E. CCLXXXI.
Libro, in quo Encomiũ Oui, Puteani, L. 5. P. 629. E. CCXCVIII.
Lucernae aeneae. L. 3. P. 429. E. XCVIII.

M

Martyrij loco, S. Herculani. L. 5. P. 643. E. CCCXLII.
Muneri, ſiue dono generatim. L. 5. P. 576. E. CLI.
Muneri, ſiue Dono generatim. L. 5. P. 650. E. CCCLX.
Muneri, ſiue Dono generatim. L. 5. P. 651. E. CCCLXV.
Item CCCLXVI.
Muneri, ſiue Dono generatim. L. 6. P. 676. E. XI.

N

Numiſmati. Prograph. P. 1. B.
Numiſmati. L. 2. P. 193. A.
Nuptijs, ambiguè. L. 6. P. 699.
Numiſmati. P. 221. B.
Numiſmati. P. 222. A. B.

O

Obeliſco. L. 2. P. 292. E. CCCCLXX. & E. CCCCLXXI.
Obeliſco. ibi. P. 298. E. DX.
Obeliſco. L. 4. P. 506. E. CCLXX.

P

Parentalibus. L. 2. P. 200. & 201. E. CCLV. & CCLVI.
Peplo Lineo. Prograph. P. 4. B.
Phialae aureae. Prograph. P. 2. A.
Pomo aureo. Prograph. P. 2. B.
Ponti Anienis Fluuij. L. 1. P. 28. E. XLVII. & XLVIII.
Ponti Rubiconis Fl. L. 2. P. 362. E. DCLVI.
Ponti ad Metaurũ Fl. L. 5. P. 651. E. CCCLXXII.
Ponti ad Piſas Arni. L. 4. P. 316. E. CCCXVII.
Ponti ad Danubium. L. 5. P. 651. E. CCCLXX.
Ponti ad Liburnum Etr. Portum. L. 5. P. 578. E. CLXV.
Ponti Danubij. L. 5. P. 818. E. CCLXVI.
Portae Vrbis. Prograph. P. 12. B.
Portae Ludouicae Mediol. L. 2. E. LXII.
Portae Volaterranae. L. 2. P. 99. E. LXXXVIII.
Portae Noſocomij. L. 2. P. 240. E. CCCXLIV.
Portae Naeuiae Romae. L. 4. P. 455. E. LXXIV.
Portae Romae. L. 4. P. 459. E. XLIV.
Portae Florentiae Vrbis. L. 3. P. 447. E. XLIX.
Portae Vrbis pro Principũ ingreſſu. L. 5. P. 583. E. CLXXX.
Portae Templi, in publica ſupplicatione, peſtilentia ſaeuiente. L. 5. P. 647. E. CCCLIV.
Portae Veron. L. 5. P. 592. E. CCXIII.
Porticui. L. 2. P. 62. E. XXVII. in ſerie barbararum.
Porticui Magnificae. L. 2. P. 98. E. LXXXIII.
Porticui. L. 5. P. 570. E. CXXV. CXXVI. & CXXVII.
Porticui Rom. L. 5. P. 651. E. CCCLXVII.
Portui Anconit. L. 2. P. 295. E. CCCCXCI.
Portui Lariano. L. 4. P. 516. E. CCCXVI.
Praetorij foribus, vbi carceres. L. 1. P. 17. E. V.
Praedio cum Villa, & Pomarijs. L. 6. P. 728. E. CXIX.
Praetorio. L. 3. P. 408. E. XXXVI.
Praetorio. ibi. P. 428. E. XCIII.
Praetorio. L. 5. P. 564. E. CVI.
Praetorio. L. 5. P. 578. E. CLXIV.
Ptochiae. L. 5. P. 548. E. LIII.
Pyrae Mortuali. L. 2. P. 51. E. IX.
Pyrae Feſtae. L. 6. P. 673. E. V.
Pyramidi C. Ceſtij. L. 2. P. 294. E. CCCCLXXXII.
Pyramidi Octogonae Cumberlãdenſi. L. 4. P. 500. E. CCXLIV.
Pyramidi ad tempus. L. 5. P. 570. E. CXXVIII.
Pyramidi Honorariae, Iobo excitatae. L. 5. P. 630. E. CCC.
Pyramidi honorariae in ludis publicis. L. 5. P. 641 E. CCCXXXVI.

S

Sacello. L. 2. P. 158. E. CLXXV.
Sacello. ibi. P. 169. E. CXCVII. & CXCVIII.

Sacello. ibi. P. 177. E. CCXIII.
Sacello. L. 2. P. 192. E. CCXL.
Sacello. ibi. P. 209. E. CCLXVII.
Sacello. ibi. P. 211. E. CCLXXII.
Sacello. ibi. P. 238. E. CCCXXXIX.
Sacello. L. 2. P. 259. E. CCCLXXVIII. & CCC-LXXIX.
Sacello. ibidem. P. 260. E. CCCLXXX.
Sacello. ibi. P. 265. E. CCCXCII.
Sacello. L. 2. P. 347. E. DCXL.
Sacello. L. 3. P. 392. E. VIII.
Sacello. ibi. P. 393. E. IX.
Sacello. L. 3. P. 436. E. XIX.
Sacello. L. 4. P. 495. E. CCXXII.
Sacrario Baſilicae. L. 2. P. 247. E. CCCLVII.
Sceleto Muliebri. L. 3. P. 422. E. LXXX.
Scholae Rhetorices. L. 5. P. 623. E. CCLXXVII. Item. L. 6. P. 713. E. LXX.
Scholae Philoſophiae. ibi. P. 727. E. CXVII.
Secretario Iudiciali. L. 2. P. 376. E. DCLXXXI.
Sepulcro. Vide in extremo poſt litteram V.
Signo Iouis. L. 4. P. 439. E. V. & VI. & VII.
Signo Mithrae. L. 4. P. 440. E. XIV.
Signo Herculis. ibi. E. XV. & P. 442. E. XXVII.
Signo Herculis. ibi. P. 458. E. LXXVIII. & L-XXXIX.
Signo Herculis. L. 2. P. 292. E. CCCCLXIX.
Signo Apollinis. L. 4. P. 458. E. LXXXVII.
Simulacro Montis Etnae. Prograph. P. 9. A.
Simulacro Montis Etnae. L. 2. P. 300. E. DXXII.
Simulacro Regiae Veneris, & Hymenaei. L. 1. P. 33. E. LVIII. & P. 34. E. LIX.
Spelaeo. L. 4. P. 475. E. CXL.
Spelaeo. L. 5. P. 613. E. CCLXII.
Statuae Equeſtri aureae. Prograph. P. 2. B.
Statuae Veneris. L. 1. P. 29. E. XLIX.
Statuae ad Sepulcrum. L. 2. P. 53. E. XIII. cum cenſura.
Statuae Heluidiae Patronae Interamnatum. L. 5. P. 613. E. CCLXIV.
Statuae Plinij. L. 2. P. 283. E. CCCCXLIV. cum cenſura vſque ad P. 285.
Statuae alterius Plinij. ibi. P. 286. E. CCCC-LVI.
Statuae S. Simpliciani. L. 2. P. 98. E. LXXXIV.
Statuae Ferd. Albae Ducis. ibi. P. 105. E. CII.
Statuae Chriſti Seruatoris. L. 2. P. 203.
Statuae Card. Cornelij. L. 2. P. 117. E. CXXIII.
Statuae Greg. XIII. P. M. L. 2. P. 170. E. CC.
Statuae Philippi II. Iuſtitiae ſymboli. L. 2. P. 170. E. CC.
Statuae eiuſdem Philippi. L. 4. P. 444. E. XXXV.
Statuae eiuſdem Philippi. P. 501. E. CCXLIX.
Statuae ſymbolicae virtutis Humilitatis. L. 2. P. 230. E. CCCXVI.
Statuae Iulij III. P. M. L. 2. P. 336. E. CCCXXIX.
Statuae Mariae Bauariae Archid. L. 2. P. 299. E. DXVIII.
Statuae Valerij Pudentis. L. 2. P. 340. E. DCXXII.
Statuae in aere auratae Craſſi Iunioris. L. 4. P. 483. E. CLXVII. cum cenſura.
Statuae Ant. Marcellini. L. 4. P. 469. E. CXCVII.
Statuae Heluidiae. L. 4. P. 493. E. CCXIV.
Statuae Petronij Maximi. L. 4. P. 498. E. CC-XXXVII. & CCXXXVIII.
Statuae Nic. Sandonninij. L. 2. P. 383. E. DCL-XXXVIII.
Statuis Fratrum Tyndaridarum euerſis. L. 3. P. 403. E. XXX.
Statuae Niobes. L. 3. P. 423. E. LXXXII. & vſque ad E. LXXXV.
Statuae C. Caeſaris Aug. Filij. L. 4. P. 439. E. IV.
Statuae Leonis X. P. M. L. 4. P. 462. E. I.
Statuae Sixti V. P. M. ibi E. II.
Statuae Pij V. P. M. ibi. E. CI.
Statuae Veſpaſiani Caeſ. L. 4. P. 501. E. CCLV.
Statuae Sulpicij. L. 5. P. 533. E. I.
Statuae Philippi III. L. 5. P. 554. E. LXXI.
Statuae Franciſci Guiniſij. L. 5. P. 561. E. XCVI.
Statuae L. Iulij. L. 5. P. 583. E. CLXXVIII.
Statuae Q. Fabij Maximi. L. 5. P. 652. E. CCC-LXXVII.
Statuae Philippi. ibi. P. 584. E. CLXXXI.
Statuis trium Diuorū in aduentu Sponſae Principis. L. 5. P. 570. E. CXXIX.
Statuae Tobiae Sirtij. L. 6. P. 684. E. XXXII.
Statuae C. Raeſij. L. 5. P. 628. E. CCXCII.
Statuae Iouis. L. 5. P. 586. E. CLXXXVII.
Statuae Zoili. L. 6. P. 709. Italico metro.
Statuae togatae Tarrutenij Maximil. ibi. P. 587. E. CXCIV.
Statuae Matidiae Auguſti Fil. L. 5. P. 636. E. CCCXXI.
Statuae N. L. 5. P. 598. E. CCXXIX.
Statuae Sextiae. L. 5. P. 613. E. CCLIX.
Statuae Fortunae. L. 5. P. 613. E. CCLXI.
Statuae Bigae, Veratij. L. 5. P. 6 7. E. CCLXXII.
Statuae Patroni. L. 5. P. 622. E. CCLXXVI.
Statuae Aurelij Imperat. L. 5. P. 650. E. CCC-LXI. Item CCCLXII. & CCCLXIII.
Stemmati Donghio. L. 5. P. 546. E. XLIV.
Statuae humanae. L. 6. P. 726. E. CXIV.
Stemmati Mediceo. L. 6. P. 725. E. CXI.
Suburbano Laur. Beyerlink. L. 5. P. 568. E. CXX.
Symbolo Academico. Prograph. P. 10. A. B.
Symbolo Academico. L. 1. P. 35. E. LXI.

T

Tabulae Sacrae. L. 1. P. 21. E. XXIV.
Tabulae aereae Decreti. L. 1. P. 22. E. XXX.
Tabulae probroſae. L. 1. P. 24. E. XXXI.
Tabulae Euchariſticae. L. 1. P. 27. E. XXXVIII.
Tabulae Votiuae. L. 5. P. 651. E. CCCLXVIII. Item. CCCLXIX. Item CCCLXXI.
Tabulae Votiuae. L. 5. P. 652. E. CCCLXXVI. Item CCCLXXVIII.
Tabulae Sacrae, in qua depictum Extremum Iudicium. L. 6. P. 680. E. XXIII.
Tabulae Sacrae, in qua depicta Poenitentia Hebraeorum ad Iordanem. ibi. P. 684. E. XXXIII.
Tabulae, in qua Vrbs Roma deſcripta. ibi. P. 685. E. XXXIV.

Tabulae

Tabulae Legis Imperatoriae contra errabundos. L. 1. P. 18. E. VIII.
Tabulae Votiuae. L. 5. P. 628. E. CCXCIII. Item CCXCIV. Item CCXCV.
Tabulae Votiuae. L. 5. P. 636. E. CCCXVIII.
Tabulae Legati. ibi. E. X.
Tabulae Votiuae. L. 5. P. 628. E. CCLXXXIX.
Tabulae Votiuae. L. 5. P. 623. E. CCLXXVIII.
Tabulae Fictae. L. 5. P. 624. E. CCLXXX.
Tabulae Votiuae Graecè. L. 5. P. 629. E. CCXCVII.
Tabulae Votiuae. L. 5. P. 629. E. CCXCIX.
Templo SS. Gregorij, & Steph. L. 2. P. 49. E. V. Item L. 5. P. 649. E. CCCLVIII.
Templo S. Stephani. L. 2. P. 62. E. XXVIII. inter barbaras inſcript.
Templo Saluatoris. L. 2. P. 64. E. XXXIV. inter barbaras Inſcriptiones.
Templo Maximo Mediolani, ponenda: cum cenſura. L. 5. P. 642. E. CCCXL.
Templo S. Victoris. L. 2. P. 67. E. XLVI. inter barbaras Inſcriptiones.
Templo Maximo Piſarũ. L. 6. P. 714. E. LXXIII.
Templo S. Barthol. Apoſt. ibi. E. XLVII. inter barbaras Inſcript.
Templo B. M. & B. Luciae. L. 2. P. 69. E. LIII. inter barbaras Inſcript.
Templo S. Dionyſij. L. 2. P. 73. E. LXV.
Templo S. Victoris. L. 2. P. 176. E. CCXI.
Templo D. Petri in Vatic. L. 2. P. 192. E. CCXXXIX.
Templo D. Virginis Auxiliatricis. L. 2. P. 216. E. CCXCV.
Templo Chriſti apud Indos occid. L. 2. P. 240. E. CCCXLIII.
Templo Pantheo. L. 2. P. 296. B.
Templo Pantheo. L. 4. P. 515. E. CCCXI.
Templi fronti in ingreſſu Principis. L. 2. P. 312. E. DLI.
Templo cum Coenobio RR. PP. Capucinorum. L. 2. P. 368. E. DCLXX. item. ibi. E. DCLXXI.
Templo B. V. ſine macula conceptae. ibi. P. 370. E. DCLXXIV.
Templo Chriſti à Magis adorati. ibi. E. DCLXXV.
Templo in ſupplicatione tempore peſtis. L. 3. P. 398. E. XV.
Templi Delphici fronti. L. 3. P. 429. A.
Templo D. Georgij. L. 4. P. 442. E. XXVIII.
Templo Dianae Epheſ. L. 4. E. LVII.
Templo Concordiae. L. 4. P. 459. E. XCIII.
Templo Iſis. L. 4. P. 488. E. CLXXXVIII.
Templo B. M. apud indos Occident. ibi. P. 491. E. CCII.
Templo Reip. L. 4. P. 492. E. CCVI.
Templi portae ad nouũ Praeſulem. L. 4. P. 499. E. CCXLI.
Templo Cybeles, & Iſidis. L. 4. P. 512. E. CCXCII.
Templo Iouis. L. 4. P. 520. E. CCCXXVIII.
Templo DD. Pauli, & Barnabae. Mediolani. L. 5. P. 633. E. CCCIX.
Templo Cathedrali amplificato. L. 4. P. 529. & & 530. E. CCCLIV. & CCCLV. cum caſtigatione infra P. 531.
Templo amplificato cum iure Epiſcopali vindicato. ibi. P. 530. E. CCCLVI.
Templo donis ditato. L. 5. A. V. P. 533. E. LXVII.
Templo D. Petri in Vaticano. L. 6. P. 727. E. CXV.
Templo in publica gratulatione. L. 5. P. 576. E. CXLIX.
Templi valuis in aduentu Praeſulis. L. 6. P. 691. E. XLI.
Templo Mercurij. L. 5. P. 509. E. CCXXXI.
Theatro in aduentu Principis Mediol. Prograph. P. 5. B.
Theatro Rom. L. I. P. 21. E. XXVI.
Theatro Rom. P. 22. E. XXVII.
Theatro Bellonae, ac Muſis ſacro. L. 2. P. 301. E. DXXIII.
Theatro Sacro Chriſti Naſcentis. L. 3. P. 407. E. XXXV.
Theatro Diuae Thereſiae. L. 4. P. 464. E. CIV.
Theatro Diui Herculani. ibi. E. CV. CVI. CVII.
Theatro Infantis Regij naſcentis, Mediol. L. 5. P. 565. E. CXI.
Thermis Rom. L. 2. P. 297. E. DVII.
Torqui aureo Ceruae. Prograph. P. 2. A.
Tribunali Sacrae Paenitentiae. L. 2. P. 303. E. DXXXIII.
Tribunali Sacrae Paenitentiae. L. 2. P. 342. E. DCXXX.
Tripodi aeneo. Prograph. P. 6. A.
Tripodi. L. 2. P. 234. B.
Triunphali ferculo. Prograph. P. 3. B.
Triumphali marmori. L. 1. P. 19. E. XII.
Triumpho Ludouici XIII. poſt expugnat. Rupell. L. 6. P. 713. E. LXIX.
Trophaeo Aeneae de Mezentio. Prograph. P. 7. A.
Trophaeo Caroli Magni de Longobardis. ibi. B.
Trophaeo Zerbini de Orlando. ibi. A.
Trophaeo Metij Curtij de Romulo. ibi. P. 10. A.
Trophaeo Parmenſium de Federico Caeſ. L. 2. P. 111. E. CXII.
Trophaeo Sfortiae de Gallis perduellibus. L. 2. P. 164. E. CLXXXVI.
Trophaeo Rom. de Samnitibus. L. 4. P. 486. E. CLXXVII.
Trophaeo Caeſ. de Filijs Pompei. L. 4. P. 506. E. CCLXXIV.
Tumulo Culicis. Prograph. P. 10. B.

V

Valetudinario. L. 2. P. 327. E. DXCVIII.
Verſiculo Protheo. L. 2. P. 276. E. CCCCXIV.
Vexillo S. Crucis. Prograph. P. 9. A.
Vexillo Militari. L. 2. P. 274. E. CCCCVIII.
Viae Vrbanae. L. 1. P. 17. E. VI.
Viae Triumphali. L. 2. P. 48. E. I. & II.
Villae Thadaei Tiraboſchi. L. 5. P. 641. E. CCCXXV.

Villae veſtibulo. L. 1. P. 39. E. LXIX.
Villae Nicolai Leucij. L. 2. P. 325. E. DXCII. & DXCIV.
Villae Bernardini Rotae. L. 4. P. 470. E. CXXVII.
Villae Bernardini Rotae. L. 3. P. 426. E. XCI.
Villae Bened. Siluatici. L. 2. P. 325. E. DXCIII. & L. 4. P. 507. A.
Villae Franc. Suueertij. L. 3. P. 426. E. XC.
Villae Thomae Guiniſij. L. 4. P. 506. E. CCLXXV.
Villae Sfondratae. L. 6. P. 690. E. XXXVIII.
Villae Ducis Vrbin. L. 5. P. 589. E. CXCIX.
Votiuae Deo Magno Aeterno. L. 1. P. 26. E. XXXV.
Votiuae pro itu, & reditu legatorum Veronenſ. L. 2. P. 104. E. XCIX.
Votiuae Tabulae Ioui. L. 4. P. 488. E. CXCI.
Votiuae Ioui, Marti, Fortunae, & L. 1. P. 27. E. XLI. & XLII.
Votiuae S. Sauinae. L. 2. P. 74. E. LXVI
Votiuae Aeſculapio. L. 2. P. 195. E. CCXLIV.
Votiuae Dijs. L. 4. P. 494. E. CCXVII.
Votiuae Cereri. ibi. E. CCXVIII.
Votiuae incerto. ibi. P. 495. E. CCXX.
Votiuae Herculi. ibi. E. CCXXI.
Votiuae Herculi P. 5 4. E. CCCIII.
Votiuae Caſtori, & Polluci. L. 4. P. 500. E. CCXLV.
Votiuae incerto. ibi. P. 501. E. CCLII.
Votiuae Diti, & Proſerpinae. L. 4. P. 503. E. CCLX.
Votiuae Siluano. ibi. P. 504. E. CCXV.
Votiuae Fortunae. L. 4. P. 506. E. CCLXXI.
Votiuae Cybelae. L. 1. P. 27. E. XXXIX.
Votiuae Cybelae. L. 4. P. 512. E. CCXCIII.
Votiuae Fortunae. L. 5. P. 534. E. III.
Votiuae Fortunae. L. 5. P. 549. E. LVI.
Votiuae Serapi. L. 5. P. 6 2. E. CCLVI.
Votiuo Templo Iſi. L. 5. P. 533. E. II.
Votiuo Templo Mercurio. L. 5. P. 599. E. CCXXXI.
Votiuae Auribus Deabus. L. 1. P. 21. E. XXV.
Vibi Romae. L. 5. P. 556. E. LXXVI.
Vrnae argenteae. Prograph. P. 2. Aemilij Pauli.
Vrnae Teſtaceae. ibi. P. 4. A.
Vrnae ex Sepulcro in fontem. ibi. P. 5. A.
Vrnae duorum cadauerum. L. 1. P. 36. E. LXV.
Vrnae Sepulcrali honorariae. L. 2. P. 118. E. CXXIV.
Vrnae in cippo quadrangulari. L. 3. P. 429. E. XCV.
Vrnae Sepulcrali marmoreae. L. 5. P. 542. E. XXVIII.
Vrnae Sepulcrali marmoreae. L. 5. P. 581. E. CLXXII.

X

Xenodochio Romae. L. 6. P. 670. E. III.

SEPVLCRO

A.

Adoleſcentum

Antiq. Adoleſcentulae. P. 55. E. XVII.
Antiq. Adoleſcentis. P. 116. E. CXX.
Recent. Adoleſcentuli. P. 162. E. CLXXXIV.
Recent. Adoleſcentis. P. 243. E. CCCLIX.
Antiq. Adoleſcentuli. P. 323. E. DLXXXVII.
Antiq. Adoleſcentis. P. 522. E. CCCXXXV.
Antiq. Adoleſcentis. P. 522. E. CCCXXXVIII.
Antiq. Adoleſcentulae. P. 523. E. CCCXLIII.
Antiq. Adoleſcentuli praecocis. P. 554. E. LXX.
Recent. Adoleſcentuli. P. 568. E. CXVIII.
Recent. Adoleſcentis. P. 586. E. CXCI.
Antiq. Adoleſcentis. P. 679. E. XVIII. & XIX.
Recent. Adoleſcentulae. P. 689. E. XXXVI.
Recent. Adoleſcentis. P. 718. E. LXXXVI.

Antiſtitum
varij ordinis

Recent. Abbatis. P. 54. E. XVII. cum cenſura.
Mali Seculi. Rectoris. P. 63. E. XXXIII.
Mali Seculi. Epiſcopi. P. 64. E. XXXVI.
Barbar. Archipresbyteri. P. 68. E. L.
Recent. Epiſcopi. P. 116. E. CXXII.
Recent. Archiepiſcopi. P. 118. E. CXXV.
Recent. Archidiaconi &c. P. 119. E. CXXVII.
Recent. Datarij, & Cam. Ap. VII. Viro. P. 121. E. CXXX.
Recent. Archipresbiteri, & Cimeliarchae. P. 123. E. CXXXV.
Recent. Abbatis. P. 125. E. CXXXIX. cum cenſura.
Recent. Abbatis. P. 126. E. CXXXXIII. cum cenſura.
Recent. Epiſcopi. P. 129. E. CXLVI.
Recent. Archidiaconi, & Vic. Gen. Archiep. P. 245. E. CCCLIV.
Recent. Epiſcopi. P. 252. E. CCCLXII.
Recent. Sacrae RR. Iudicis XII. viri. P. 304. E. DXXX.
Recent. Epiſcopi. P. 314. E. DLVIII.
Recent. Epiſcopi. P. 3 5. E. DLX.
Recent. Epiſcopi. P. 339. E. DCXX.
Recent. Epiſcopi. P. 426. E. LXXXIX.
Recent. Epiſcopi. P. 447. E. L.
Recent. Epiſcopi. P. 507. E. CCLXXVII.
Recent. Praeſulis Generalis Dominicanorum. P. 527. E. CCCLII. & CCCLIII.
Recent. Protonotarij Apoſt. P. 545. E. XL.
Recent. Epiſcopi. P. 566. E. CXIII.
Recent. Epiſcopi. P. 625. E. CCLXXXIV. errore Typographi è loco ſuo deturbatum.
Recent. Epiſcopi. P. 640. E. CCCXXXIII. cum cenſura.
Recent. Archiepiſcopi, & Legati Pontif. P. 645. E. CCCXLVII.
Recent. Archiepiſcopi. P. 646. E. CCCL.
Recent. Epiſcopi, euerſa terrae motu Ciuitate ſeruati. P. 671. E. V.

Recent. Epiſcopi. P. 726. E. CXII.

Varia

Antiq. Alumni filij loco. P. 536. E. IX.
Antiq. Amantium. P. 525. E. CCCL.
Antiq. Amabilis contubernalis. P. 508. E. CCLXXXIII. (errore Typogr. CCLXXXII.)
Antiq. Amantis, ac ſe ſuis manibus perimentis. P. 450. E. CCI.
Antiq. Amantis. P. 359. E. DCLXIII.
Antiq. Amici. P. 613. E. CCLVII.
Antiq. Athei, ſeu Epicurei. P. 511. E. CCXXXIX.
Antiq. Atheae, & Salaciſſimae. P. 634. E. CCCIX.
Antiq. Aui. P. 497. E. CCXXX.
Antiq. Aurigatoris. P. 32. B.

S E P V L C R O

B

Brutorum.

Recent. Catellae. P. 586. E. CXCIII.
Recent. Equi. P. 388. E. III.
Antiq. Equi. P. 460. E. XCVI.
Recent. Canis. P. 643. E. CCCXLIII.
Recent. Catellae. P. 644. E. CCCXLVI.
Recent. Catellae. P. 710. E. LXIV.

S E P V L C R O

C

Cardinalium

S. R. E.

Auguſtini Cuſani. P. 36. E. LXIV.
Bonuiſi Bonuiſij. P. 100. E. XCI.
Dominici Capranicenſis. P. 115. E. LXIX.
Nicolai Ardinghelli. P. 119. E. CXXVI.
Bartholomaei Guidiccioni. P. 122. E. CXXXII.
Bartholomaei Cueua. P. 164. E. CLXXXVII.
Ioannis Suauij. P. 186. E. CXXVIII.
Gulielmi Alani. P. 242. E. CCCXLV.
Hieronymi Pamphilij. P. 304. E. DXXXVII. (errore Typogr. DXXXVI)
Iacobi Sadoleti. P. 314. E. DLIX.
Angeli Nicolini. P. 316. E. DLXII.
Io: Bapt. Pallauicini. P. 317. E. DLXIV.
Io: Arcimboldij. P. 316. E. DLXIII.
Michaelis Bonelli. P. 318. E. DLXVI.
Antonij Triuultij. P. 322. E. DXXXIV.
Vincentij Caſtrutij. P. 318. E. DLXX.
Io: Antonij, & Auguſtini Triuultiorum. P. 440. E. XII.
Odoardi Farneſij. P. 712. E. LXXXIX.

CENOTAPHIO, ſeu tumulo honorario.

Caroli V. Caeſaris. P. 28. E. XLVI.
Iannotti Rebuffi. P. 32. E. LVII.
Thomae Principis à Sabaudia. P. 717. E. LXXXIII.
Antonij I. Acciaioli. P. 31. E. LVI.
Io: Toëraſij. P. 39. E. LXX.
Io: Franciſci Coſtaei. P. 165. E. CLXXXIX.
Nicolai Riccardij. P. 309. E. DXL.
S. Antonij: P. 474. E. CXXXVII.
S. Bernardi. P. 523. E. CCCXLIV.
S. Ignatij. P. 524. E. CCCXLV.
S. Brunonis. P. 702. E. LVI.
S. Io: Baptiſtae. P. 536. E. VIII.
S. Pachomij. P. 642. E. CCCXCI.
Reginae Hiſpp. P. 540. E. XXII.
Thomae Principis à Sabaudia. P. 714. E. LXXII.
Fl. Valerij Martiani. P. 543. E. XXX.
Auguſtini Valerij Card. P. 632. E. CCCIV. & CCCV.
Alexandri Magni. P. 552. E. LXIII.
Alexandri Peretti. P. 631. E. CCCIII.
Io: Caluini. P. 591. E. CCV.
Franciſci Venturij. P. 671. E. V.
Nicolai Contareni. P. 695. E. L.
Mariae Auſtriae Auguſtae. P. 702. E. LV.
Octauij Rundinelli. P. 702. E. LIX.

Communi Sepulcro.

Recent. Piorum Sodalium. P. 49. E. VI.
Recent. Familiae. P. 105. E. CC. cum cenſura.
Recent. Familiae. P. 176. E. CCX.
Recent. Familiae. P. 486. E. CLXXXII.
Antiq. Familiae. P. 508. E. CCLXXX. (errore Typogr. CCXXX.)
Recent. Familiae. P. 534. E. V.
Recent. Familiae. P. 553. E. LXVI.
Recent. Familiae. P. 558. E. XCII.
Antiq. P. 613. E. CCLVIII.
Italicè, & ridiculè. Familiae. P. 70. E. LVI.
Antiq. Familiae. P. 70. E. CCLXXXI. (errore Typogr. CCXXXI.)
Barbarè. Marium ex familia. P. 70. E. LIV.
Barbarè. Foeminarum ex Familia. P. 70. E. LV.
Recent. Marium ex pia Sodalitate. P. 266. E. CCCXCIII.
Recent. Foeminarũ ex Parocchia. P. 490. E. CC.
Recent. Puellarum innuptarũ, atque infantium. P. 551. E. X.
Antiq. Mariti, Vxoris, & reliquae Familiae. P. 629. E. CCXCVI.
Antiq. P. 633. E. CCCVI.
Recent. Patris, Fratrum, Mariti, & ſuo. P. 647. E. CCCLIII.
Recent. Parentibus, Filio, Vxori, & Poſteris. P. 648. E. CCCLVII.
Antiq. Honoris gratia conceſſo P. 652. E. CCCLXXIV.
Recent. Canonicorum. P. 702. E. LVII.
Recent. Cantorum. P. 702. E. LVIII.

S E P V L C R O

E

Equitum. Vide. N. Nobilium.

SEPVLCRO

F

Filiorum.

Antiq. Filij. P. 35. E. LXII.
Antiq. Filiae. P. 374. E. DCLXXIX.
Antiq. Filij cum Matre inceſta. P. 424. E. LXXXVI. & LXXXVII.
Antiq. Filij P. 441. E. XXI.
Antiq. Filij cum Patre. P. 446. E. XLVII.
Recent. Filiae. P. 448. E. LII.
Antiq. Filij. P. 457. E. LXXXIV.
Antiq. Filiae. P. 471. E. CXXX.
Antiq. Filiae. P. 472. E. CXXXII.
Antiq. Filiae. P 478. E. CLIII.
Antiq. Filij. P. 506. E. CCLXXII.
Antiq. Filij. P. 511. E. CCLXXXVIII.
Antiq. Filij. P. 522. E. CCCXXXVI.
Antiq. Filiae. P. 523. E. CCCXLIII.
Antiq. Filiae. P. 535. E. VI.
Antiq. Filioli. P. 537. E. XII.
Antiq. Filij. P. 539. E. XIX.
Antiq. Filij P. 547. E. XLV. & XLVI.
Antiq. Filij. P. 551. E. LXI.
Antiq. Filij. P. 554. E. LXVIII.
Recent. Filij. P. 552. E. LVII.
Antiq. Filij P. 563. E. XCIX.
Antiq. Filij. P. 575. E. CXLVII.
Antiq. Filiae. P. 576. E. CLII. & CLV.
Antiq. Filij. P. 576. E. CLIII. & CLVI.
Antiq. Filij. P. 591. E. CCX.
Antiq. Filij. P. 592. E. CCXIV. & CCXV.
Antiq. Filiae impudiciſſimae. P. 593. E. CCXVII.
Antiq. Fratre geniti. P. 558. E. LXXXVIII.
Vide littera M. Matris cum Filio.
Antiq. Filij. P. 616. E. CCLXXI.
Antiq. Filiae Infanti. P. 635. E. CCCXVII.
Antiq. Filij dodecennis. P. 637. E. CCCXXIV.
Suſpecti Seculi. Filiae. P. 639. E. CCCXXX.
Recent. Filij. P. 643. E. CCCXLIV.
Antiq. Filij duodecennis, Saltatoris, Cantatoriſque celebris. P. 674. E. VI.
Antiq Filij. P. 678. E. XV.

Formoſae

Recent. P. 642. E. CCCXXXIX.
Recent. P. 680. E. XX.
Recent. P. 712. E. LXVIII.

SEPVLCRO

I

Imperatorum.

Antiq. Gordiani. P. 60. E. XX.
Barbari Seculi. { Probi. P. 61. E. XXII. / Caroli Magni. P. 187. E. CCXXX.
Recent. Caroli V. P. 235. E. CCCXXVI. cum cenſura.
Barbari ſeculi. Caroli Magni. P. 242. E. CCCXLVI.
Antiq. Titi. P. 545. E. XXXVII.
Recent. Maximiliani Auſtrij. P. 579. E. CLXVI.

Incertorum.

Antiq. P. 424. E. LXXXVIII.
Antiq. Viri. P. 444. E. XLII.
Antiq. Item. P. 454. E. LXXIII. (errore Typogr. LXXVIII.
Antiq. Item. P. 471. E. CXXXI.
Antiq. Item. P. 513. E. CCXCV. & CCXCVI.
Plurium Antiq. P. 497. E. CCXXXII.
Foeminae Plurium Antiq. P. 488. E. CLXXXIX.
Plurium Antiq. P. 497. E. CCXXIX.
Autiq. P. 523. E. CCCXL.
Recent. P. 556. E. LXXVII. & LXXVIII. & LXXIX.
Antiq. P. 558. E. LXXXIX.
Recent. P. 570. E. CXXIII.
Antiq. P. 574. E. CXLI.
Antiq. P. 581. E. CLXXII. & CLXXIII.
Antiq. P. 590. E. CCII.
Antiq. P. 591. E. CCIX.
Antiq. P. 593. E. CCXVII.
Antiq. P. 600. E. CCXXXIII.
Recent. P. 606. E. CCXLI.
Antiq. P. 614. E. CCLXVI.
Antiq. P. 616. E. CCLXX. & CCLXXIV.
Antiq. P. 625. E. CCLXXXV.
Antiq. P. 633. E. CCCVIII.
Suſpecti ſeculi. P. 639. (errore Typogr. 396.) E. CCCXXIX.
Recent. P. 678. E. XIII.

Infantium.

Antiq. Filiolae. P. 29. E. LIV.
Antiq. Pueruli. P. 36. E. LXVII.
Antiq. Infantis. P. 49. E. III.
Recent. item cum cenſura. P. 50. E. VIII.
Recent. item cum cenſura. P. 68. E. XLIX.
Recent. Abort. P. 73. E. LXIII.
Recent. Infantulae. P. 318. E. DLXVIII.
Antiq. Infantis. P. 488. E. CXCIII.
Antiq. Infantulae. P. 496. E. CCXXVIII.
Recent. Infantis. P. 498. columna I.
Antiq. Infantis. P. 500. E. CCXLVII.
Recent. Infantis. P. 502. E. CCLVII.
Recent. Geminorum Infantium. P. 520. E. CCCXXIX.
Recent. Infantulae. P. 537. E. X.
Antiq. Infanris. P. 537. E. XII.
Antiq. Infantulae. P. 549. E. LIV.
Recent. Infantuli. P. 552. E. LXV.
Antiq. Infantuli gurgite abſorpti. P. 554. E. LXIX.
Antiq. Infantis bimuli. P. 554. E. LXXII.
Antiq. Infantis. P. 560. E. XCIV.
Recent. Geminorum Maſculi, & Foemellae. P. 560. E. XCV.
Recent. Infantulae. P. 580. E. CLXX.
Recent. Infantuli. P. 582. E. CLXXV.
Antiq. Infantis bimuli. P. 614. E. CCLXVII.
Antiq. Infantis trimulae. P. 623. E. CCLXXIX.
Antiq. Infantis. P. 627. E. CCLXXXVIII.
Antiq. Infantis Anniculae. P. 633. E. CCCVII.
Recent. Infantulae Semeſtris. P. 670. E. IV.

Recent.

Recent. Infantis Anniculi. P. 683. E. XXX.

Ingenuorum.

Antiq. P. 26. E. XXXVII.
Recent. P. 100. E. LXXXIX.
Recent. P. 322. E. DLXXXV.
Antiq. P. 439. E. XI.
Recent. P. 451. E. LIX.
Recent. P. 478. E. CLVI. cum cenſura.
Recent. P. 680. E. XXII.
Antiq. P. 500. E. CCXLVII.
Recent. P. 542. E. XXV. & Antiq. XXVIII.
Recent. P. 558. E. XCI.
Antiq. P. 637. E. CCCXXV.

SEPVLCRO

L

Literatorum:

Ingenuorum promiſcuè, ac Patriciorum.

Recent. P. 20. E. XXI. cum cenſura.
Recent. P. 28. E. XLV.
Recent. P. 35. E. LXIII.
Recent. P. 186. E. CCXXIX.
Recent. P. 243. E. CCCXLVIII.
Recent. P. 252. E. CCCLXIII.
Antiq. P. 256. E. CCCLXXII.
Recent. P. 270. E. CCCCI.
Recent. P. 283. E. CCCCXLV.
Recent. P. 284. E. CCCCXLVII.
Recent. P. 287. E. CCCCLVIII.
Recent. P. 321. E. DLXXXI.
Recent. P. 321. E. DLXXXII.
Recent. P. 336. E. DCXVII.
Recent. P. 339. E. DCXXI.
Recent. P. 340. E. DCXXIV.
Recent. P. 340. E. DCXXV.
Recent. P. 341. E. DCXXVI.
Recent. P. 341. E. DCXXVII.
Recent. P. 341. E. DCXXIX.
Recent. P. 342. E. DCXXX. & DCXXXI. & DCXXXII.
Recent. P. 343. E. DCXXXIII. cum cenſura.
Recent. P. 719. E. XC.
Recent. P. 355. E. DCLVI. & DCLVII.
Recent. P. 357. E. DCLVIII.
Recent. P. 383. E. DCLXXXIX.
Recent. P. 395. E. XII.
Recent. P. 639. E. CCCXXXI. & CCCXXXII.
Antiq. P. 640. E. CCCXXXIV. eſt audaciſſimum.
Recent. P. 711. E. LXV.
Antiq. P. 441. E. XXII.
Recent. P. 451. E. LVI.
Recent. P. 457. E. LXXXIII.
Recent. P. 484. E. CLXXI.
Antiq. P. 485. E. CLXXIV.
Recent. P. 486. E. CLXXIX.
Recent. P. 497. E. CCXXXIV.
Recent. P. 504. E. CCLXII. (errore Typograph. CCXII.)
Antiq. P. 513. E. CCXCIV.
Recent. P. 517. E. CCCXXI.
Recent. P. 518. E. CCCXXII. cum cenſura.
Recent. P. 712. E. LXVII.
Recent. P. 538. E. XIV.
Recent. P. 544. E. XXXIV.
Temporis dubij. P. 548. E. CXIII.
Recent. P. 726. E. CXIII.
Recent. P. 548. E. LI.
Recent. P. 720. E. XCVI.
Recent. P. 556. E. LXXX. & LXXXI.
Recent. P. 696. E. LI. cum praecedente cenſura.
Medij temporis. P. 557. E. LXXXIV.
Recent. P. 575. E. CXLV.
Recent. P. 702. E. LIV.
Recent. P. 576. E. CL.
Recent. P. 679. E. XVII.
Recent. P. 585. E. CLXXXVI.
Recent. P. 641. E. CCCXXXVII.

Quibus adde.

Recent. Pictoris, & Architecti. P. 503. E. CCLIX.
Recent. Poetae Latini, Etruſciq. P. 678. E. XVI.
Recent. Pictoris. P. 512. E. CCXCI.
Recent. P. 543. E. XXIX.
Recent. P. 558. E. XCIII.
Recent. Architecti. P. 569. E. CXXI.
Antiq. Grammatici. P. 628. E. CCXCI.
Recent. Statuarij. P. 714. E. LXXI.

SEPVLCRO

M

Recent. Maledici. P. 498. E. CCXL.
Antiq. Mariti. P. 502. E. CCLVI.
Antiq. Mariti. P. 444. E. XLI.
Antiq. Mariti. P. 637. E. CCCXXIII.
Antiq. Mariti. P. 576. E. CLIV.
Antiq. Mariti, & Vxoris. P. 551. E. LIX.
Recent. Mariti, & Vxoris. P. 558. E. XC.
Antiq. Mariti, & Vxoris. P. 508. E. CCLXXIX. (errore Typographi. E. CCXXIX.)
Antiq. Mariti. P. 613. E. CCLX.
Antiq. Mariti. P. 613. E. CCLXII.
Recent. Mariti, & Vxoris. P. 482. E. CCLVI.
Antiq. Mariti, & Patris. P. 614. E. CCLXVIII.
Antiq. Matris cum Filio. P. 586. E. CLXXXIX.
Antiq. Mariti. P. 628. E. CCXC.
Antiq. Matris. P. 574. E. CCXL.
Antiq. Matris. P. 577. E. CLVII.
Antiq. Mattis, & Filiae. P. 625. E. CCLXXXIII.
Antiq. Matris. P. 635. E. CCCXV.
Antiq. Matris, & Vxoris. P. 635. E. CCCXVI.
Recent. Mariti. P. 644. E. CCCXLV.

Matronarum.

Antiq. P. 455. E. LXXV.
Recent. P. 544. E. XXXV.
Antiq. P. 549. E. LV.
Antiq. P. 556. E. LXXV.

Recent. P. 120. E. CXXVIII.
Recent. P. 282. E. CCCCXLIII, cum cenſura.
Recent. P. 320. E. DLXXVII.
Recent. P. 679. E. XVIII.
Recent. P. 683. E. XXXI.
Recent. P. 715. E. LXXVI.
Recent. ex partu extinctae. P. 717. E. LXXXIV.

Militum.

Recent. P. 176. E. CCXII. cum cenſura.
Barbarum. P. 181. E. CCXX.
Recent. P. 181. E. CCXXII.
Sequioris Seculi. P. 320. E. DLXXVIII.
Recent. P. 358. E. DCLX.
Recent. P. 363. E. DCLVII.
Recent. P. 400. E. XXII.
Antiq. P. 406. E. XXXIII. & XXXIV.
Antiq. Commilitonum duorum. P. 450. E. LIV.
Antiq. P. 451. E. LVIII.
Recent. P. 512. E. CCXC.
Recent. P. 548. E. LII.
Recent. P. 720. E. XCII.
Antiq. Plurium caede mutua cadentium P. 555. E. LXXIV.
Recent. P. 577. E. CLXIII.
Recent. Militis Anonymi, Ambiguè laudati. P. 634. E. CCCXII. & CCCXIII.
Recent. Nobilitate, & probitate in Militia inſignis. P. 680. E. XXI.
Recent. P. 681. E. XXIV.
Recent. P. 698. E. LII.

SEPVLCRO

N

Recent. P. 71. E. LVII. cum cenſura.
Recent. P. 99 E. LXXXVII.
Recent. P. 10[illegible]. E. XCII. & XCIII.
Recent. P. 102. E. XCV. & XCVI. & XCVII.
Recent. P. 123. E. CXXXVI.
Recent. P. 124. E. CXXXVIII.
Recent. P. 127. E. CXLIV.
Recent. P. 159. E. CLXXVI.
Recent. P. 161. E. CLXXXIII.
Receut. P. 163. E. CLXXXV.
Recent. P. 167. E. CXCIII.
Recent. P. 168. E. CXCV.
Recent. P. 172. E. CCII.
Recent. P. 173. E. CCV. & CCVI. cum cenſura.
Recent. P. 174. E. CCVII.
Recent. P. [illegible]. E. CCXIII.
Recent. P. 637. E. CCCXXVI.
Recent. P. 718. E. LXXXVII.
Recent. P. 181. E. CCXXI.
Recent. P. 223. E. CCCII.
Recent. P. 235 E. CCCXXVII.
Recent. P. 262. E. CCCLXXXII.
Recent. P. 303. E. DXXXIV.
Recent. P. 318. E. DLXVII. & DLXIX. cum cenſura.
Recent. P. 319. E. DLXXI. & DLXXII. & DLXXIII.
Recent. P. 321. E. DLXXIX.
Recent. P. 323. E. DLXXXVI.
Recent. P. 329. E. DCVI. cum cenſura, & ibi E. DCVII. (errore Typogr. DCVI.) cum cenſura.
Recent. P. 331. E. DCXIII.
Recent. P. 332. E. DCXIV.
Recent. P. 342. E. DCXXXI.
Recent. P. 354. E. DCLV.
Recent. P. 357. E. DCLIX.
Recent. P. 358. E. DCLX. & DCLXII.
Recent. P. 365. E. DCLXII.
Recent. P. 431. E. CIII.
Recent. P. 456. E. LXXIX. & LXXX.
Recent. P. 460 E. XCVIII. & XCIX.
Recent. P. 474. E. CXXXVI.
Recent. P. 484. E. CLXX. cum cenſura.
Antiq. P. 485. E. CLXXII.
Antiq. P. 491. E. CCIV.
Antiq. P. 631. E. CCCII.
Recent. P. 648. E. CCCLVII.
Recent. P. 716. E. LXXX.
Recent. P. 509. E. CCXXXIII.
Recent. P. 518. E. CCCXXIV.
Recent. P. 519. E. CCCXXVII.
Recent. P. 547. E. XLIX.
Recent. P. 550. E. LVII.
Recent. P. 552. E. LXIV.
Becent. P. 556. E. CXV.
Recent. P. 581. E. CLXXI.
Recent. P. 584. E. CLXXXIII.
Recent. P. 592. E. CCXII.
Recent. P. 700. E. LIII.

SEPVLCRO

P

Plurium.

Recent. P. 330. E. DCX. & DCXI.
Recent. P. 332. E. DCXV.
Recent. P. 367. E. DCLXIX.
Recent. P. 433. E. CVIII.
Secent. P. 441. E. XX.
Antiq. P. 486. E. CLXXV.
Recent. P. 486. E. CLXXVI.
Antiq. P. 497. E. CCXXXV.
Antiq. P. 515. E. CCCX.
Recent. P. 542. E. XXVI.
Antiq. P. 555. E. LXXIII.
Antiq. P. 563. E. CI.
Antiq. P. 574. E. CXLIII.

Pontificum Maximorum.

Clementis VIII P. 22. E. XXIX.
Sixti V. P. 246. E. CCCLV.
Innocentij VIII. P. 326. E. DLXI.
Adriani VI. P. 328. E. DCIV.
Martini V. P. 498. E. CLXXXIII.
Leonis XI. P. 460. E. XCVII.

Principum

Principum.

Barbari ſeculi. P. 99. E. LI.
Recent. P. 100. E. XC.
Seculi mali. P. 369. E. DCLXXII.
Recent. P. 401. E. XXV.
Recent. P. 440. E. XIII.
Recent. P. 456. E. LXXXI. cum cenſura.
Recent. P. 479. E. CLVII.
Recent. P. 505. E. CCLXVIII.
Antiq. P. 538. E. XIII.
Becent. P. 545. E. XXXVI.
Recent. P. 575. E. CXLVI.
Recent. P. 580. E. CLXIX.
Recent. P. 588. E. CXCVI.
Antiq. P. 636. E. CCCXX.
Recent. P. 715. E. LXXV.

Probi Viri.

Recent. P. 42. E. LXXI. cum cenſura.
Barbarè. P. 68. E. XLVII.
Barbarè. P. 69. E. LII.
Recent. P. 99. E. LXXXVI.
Recent. P. 207. E. CCXCVIII.
Recent. P. 228. E. CCCXII.
Recent. P. 244. E. CCCL.
Recent. P. 251. E. CCCLXI.
Recent. P. 256. E. CCCLXXII.
Recent. P. 257. E. CCCLXXIII.
Recent. P. 259. E. CCCLXXVII.
Recent. P. 264. E. CCCLXXXVIII.
Recent. P. 265. E. CCCXC. & CCCXCI. cum cenſura.
Recent. P. 288. E. CCCCLXI. cum cenſura.
Recent. P. 288. E. CCCCLIX.
Recent. Barbarè. P. 319. E. DLXXIV.
Recent. P. 337. E. DCXVIII.
Recent. P. 359. E. DCLXIV. cum cenſura.
Recent. P. 364. E. DCLVIII.
Antiq. P. 444. E. XXXIX. & XL.
Antiq. P. 502. E. CCLVIII.
Recent. P. 557. E. LXXXIII. & LXXXV.
Recent. P. 725. E. XC.
Recent. Ioannis quondam Papae. P. 487. E. CLXXXIII.
Recent. P. 645. E. CCCXLVIII.
Recent. P. 720. E. XCVI.
Recent. In Sacello. P. 642. E. CCCXXXVIII.
Recent. Plurium. P. 266. E. CCCXCIV.
Recent. P. 720. E. XCIII.
Recent. P. 579. E. CLXVII.
Recent. P. 715. E. LXXVII.
Recent. P. 716. E. LXXVIII.

Probae Foeminae.

Recent P. 71. E. LVIII. cum cenſura.
Recent. P. 109. E. CXI. cum cenſura.
Recent. Barbarè. P. 125. E. CXLI.
Antiq. ſequioris ſeculi. P. 189. E. CCXXXIV.
Antiq. P. 441. E. XIX.
Antiq. P. 486. E. CLXXXI.
Barbarè Plurium. P. 68. E. XLVIII.

SEPVLCRO

R

Seculi Barbari. Regis. P. 66. E. XL. & XLI.
Seculi Barbari. Regis filiae. P. 66. E. XLII. cum cenſura.
Seculi Barbari. Regis. P. 67. E. XLIV. cum cenſura.
Seculi Barbari. P. 379. E. DCLXXXVI. cum cenſura.
Recent. P. 486. E. CLXXX.

SEPVLCRO

S

Sanctorum.

Seculi ſequioris.
Papiae, & Mauri Martyrum. P. 61. E. XXI.
Marci Papae. P. 61. E. XXIV.
Siricij Papae. P. 61. E. XXV.
Bonifacij Papae IV. P. 63. E. XXIX.
Thomae Confeſs. P. 63. E. XXX.
Primi Martyris. P. 65. E. XXXVII.
Benedicti Papae IV. P. 65. E. XXXVII.
Gorgonij Mart. P. 196. E CCXLVII.
Senatoris Septalae Archiepiſc. Mediol. P. 634. E. CCCXIV.
Recent. Iobi Patriarchae. P. 630. E. CCC.
Recent. Antonini Archiepiſc. Florentini. P. 118. E. CXXIV.
Recent. Sixti II. Papae, & Mart. P. 196. E. CCLVIII.

Varia.

Antiq. Scorti. P. 194. E. CCXIX.
Antiq. Scorti Salaciſſimi. P. 593. E. CCXVIII.
Antiq. Sapienter inſani. P. 586. E. CXC.
Recent. Suplicio affecti. P. 53. E. XV.

SEPVLCRO

V

Vxorum.

Antiq. P. 21. E. XXII.
Antiq. P. 37. E. LXVIII.
Recent. P. 53. E. XIV.
Recent. P. 54. E. XVII. cum cenſura.
Recent. P. 102. E. XCIV.
Recent. P. 173. E. CCIV.
Recent. P. 340. E. DCXXIII.
Recent. P. 682. E. XXVII.
Antiq. ex partu extinctae. P. 414. E. LVIII.
Recent. P. 432. E. CIV.
Antiq. P. 444. E. XXXVI.
Antiq. P. 454. E. LXX. & LXXI.
Antiq. P. 457. E. LXXXV.
Antiq. P. 497. E. CCXXXI.

Recent. P. 499. E. CCXLII.
Recent. P. 504. E. CCLXI.
Antiq. P. 508. E. CCXXVIII. (errore Typogr. CCLXXVIII.
Antiq. P. 515. E. CCCVIII. & CCCIX.
Antiq. Vxoris cum Viro. P. 521. E. CCCXXXIV.
Antiq. P. 522. E. CCCXXXIX.
Antiq. P. 525. E. CCCXLVII.
Antiq. P. 539. E. XVII.
Recent. P. 540 E. XX.
Antiq. P. 540. E. XXI.
Antiq. P. 542. E. XXVII.
Antiq. P. 546. E. XLII. & XLIII.
Recent. P. 547. E. XLVII. & XLVIII.
Antiq. P. 573. E. CXXXIX.
Antiq. P. 574. E. CXLII.
Antiq. P. 634. E. CCCX.
Recent. 646. E. CCCLII. Item correct. P. 648. E. CCCLV. & CCCLVI.
Antiq. P. 577. E. CLIX.
Recent. P. 577. E. CLXII.
Antiq. P. 582. E. CLXXVI. & CLXXVII.
Antiq. P. 590. E. CCIV.
Antiq. Vxoris, & Viri, iurgantium. P. 591. E. CCVIII.
Antiq. P. 193. E. CCXVI.
Recent. P. 599. E. CCXXX.
Antiq. P. 613. E. CCLXIII.
Antiq. P. 614. E. CCLXV.
Antiq. P. 624. E. CCLXXXII.
Antiq. Vxoris, & Matris. P. 635. E. CCCXVI.
Antiq. Vxoris. P. 636. E. CCCXXII.
Antiq. Vxoris. P. 638. E. CCCXXVII.

INDEX III. LEXICVS

A, indicat Primam columnam Paginae : B, ſecundam : E, Elogium : L, Librum : P, Paginam.

A

A, pro Ab, ſine accentu ſcribendum ex Aldo (interpretare ſupra literas maiuſculas, ſeu Romanas) L. 5. P. 616. A.
Ab Auraturis, officium, ſeu Ars antiquis. L. 5. P. 679. E. CCXCVI.
Abbas, vox Graeca, ſed vſu mollita, ob neceſſitatem noui Magiſtratus inuecta. L. 2. P. 124. De Monachis circumſcribitur, Pater Monaſtarum, Pater Maximus, Aſceta maximus, Magiſter Monaſterij, Pater Sacrorum, Archimandrita. ibid.
Abbatia, ipſa Dignitas. P. 125. E. CXL. vel Abbatiatus, vel Monaſterij Praefectura.
Abbatiſſae vocem tuetur neceſſitas. Pro qua meliùs Archimandritis, Praefecta Coenobij. P. 124. B. & Virgo Maxima, Mater Max. Mater Sanctimonialium &c. 125. A. Virginis Maximae appellatio quondam Praefectae Veſtalium defenditur in Virginibus Chriſto dicatis.
Ablatiuus abſolutè ponitur, quamquàm diſcordans à caſu principali. L. 4. P. 507. A. B. & ſeq.
Accentus literis maiuſculis imponi vetat natura accentuum. L. 5. P. 616. A.
Accentuum regulis plura examinentur marmora. à Pag. 616. ad 619.
Acytheron pro Inuenuſtũ, Graec. L. 6. P. 666. A.
Admiralius, noua vox, vitanda. Pro qua Maris Praefectus, vel Graecè Thalaſſiarcha. L. 2. P. 179.
Aedes Diui Ambroſij, eleganter Aedes Ambroſiana. L. 2. P. 270. Ita Aedes Paulina, Antoniana &c. ibid. Cauenda alicubi durities, & ambiguitas. P. 271. Non tamen dicetur SanPaulina Aedes. ibid. A.
Aetates numero pluratiuo, vox boni ſeculi. L. 2. P. 356. A.
Aeuitates num. plur. vox Ciceroniana. L. 2. P. 356. A.
Agape Graec., Lat. Charitas, pro ſtipe egentium, vox minimè accepta Latinis. L. 2. P. 260. A. B.
Agnes, etis, malè declinatur, pro Agne, Agnes. L. 2. P. 208. B.
Agon Graec. vſurpatur Lat. pro Certamine, & pro Certaminis loco. L. 3. P. 413. B. Transfertur à loco profano certaminis ad ſacrum Martyrij. L. 5. P. 643. A.
Agonia, pro conflictu naturae in Moribundo, vox barbara. L. 2. P. 78. B.
Agoniſtarcha Graeca vox probata Latio pro Praefecto certaminis publici. L. 3. P. 412. B.
Alipta, vel Aliptes, Graeca vox Latinis cognita, pro Magiſtro Athletarum. L. 3. P. 414. E. LIX.
Ampliter, vox antiquata, pro qua Amplè. L. 2. P. 72. Ante Elogium LXI.
Anagrammatiſmus ars, Anagramma opus. L. 6. P. 685.
Anathematiſmus quid ſit. L. 6. P. 692. Eius Auctor, quis. ibid.
Anaſtrophe poetarum licentiae, ac rudi Antiquitati permiſſa, vitanda Elogiaſtae ſoluto. L. 2. P. 55.
Anatole Graecè, Latinè Ortus Solis. L. 3. P. 417. A.
Angelus pro Coeleſti nuntio vox Graeca in Latium legitimè adſcita. L. 2. P. 187. A. & 188. B. & ſeq. Synonymis redditur ex decoro B. & P. 188. A. Angeli Cuſtodes Latinè B. & E. CCXXXIII. Archangeli vox Latinè probanda. P. 189. A.
Anguſtiatus non dicitur, ſed Anguſtatus. L. 6. P. 681. A.
Annus Iubilaeus Lat. vſurpandus. L. 2. P. 246. Pro eo eſt etiam Annus Chriſtianorum ſecularis.
Antianus, barbarum. Pro eo de aetate eſt Senior, de dignitate Princeps, Primus &c. L. 2. P. 179.
Antiquitas verborum vitanda; non quidem antiquorum, ſed antiquatorum. L. 2. P. 55. Exemplum in Elogio XVII.
Antiquitates, num. plur. vox Gellio nota. L. 2. P. 356. A.
Antitheſis figura. L. 6. P. 701. B.
Apoſtata à fide non dicitur. Pro eo Deſertor fidei. L. 2. P. 263. A.
Apotropaeos Graec. Lat. Depulſor malorum eſt epitheton Herculis, & Apollinis. L. 3. P. 416. A.
Aqua non dicitur Lat. Benedicta, ſed Piacularis, Luſtralis, Sacra Lympha, Ita Aqua Baptiſmalis. L. 2. P. 380. A. B.
Ara vota, eſt, quam quis vouit Deo. L. 4. P. 487. E. CLXXXVI. & ſeq.
Arae minores, quae ſunt ſub communi Cella Templi; Impropriè vulgò Capellae: ſicut nec Latinè Sacella, niſi ſub Cella ſint propria. L. 2. P. 209. B.
ARAM. ANTI. NICA, GENTI. NICA. interpretare Aram (ſupple Dedicauit) pro victoria Genti victrici. Formula barbara ad marmor antiquum. L. 2. P. 81. A. & B.
Archidux, vox hybrida, ſed vſu probata. L. 2. P. 164. & E. CLXXXVIII.
Archiatrus (Graeca vox Latinis accepta) eſt Medicus Principis, non Princeps Medicorum. L. 3. P. 412. A.

Archiepiſcopatus, vel Archiepiſcopalis dignitas, eſt ampliſſima Infula. ibi.

Archiepiſcopus, Graeca vox, Latio iure inuecta. L.2.P.117.B. Circumſcribitur Sacrorum Rex, Sacrorum Princeps, Auguſtus Flamen. ibi. & P. 118.

Archiereus pro Archipresbytero ſynonyma Latinis non reſpuenda. L. 2. P. 112. A.

Archiflamen, vox hybrida, & ſuſpecta. In antiquis marmoribus habetur Primus flamen. L. 2. P. 112. A.

Archimandrita Graec. vſurpatur Latinè, pro eo, qui vulgò Prior Coenobij, ſeu Abbas. L. 2. P. 117. B.

Archipraeſul, vox malè nouata. L. 2. P. 111. B. Quomodo reddenda. ibi.

Archipresbyter, vox Graeca, Latinis non ingrata. L. 2. P. 112. A. & P. 117. B.

Archiſacerdos, vox hybrida, malè nouata. L. 2. P. 112. A. Quomodo reddenda. ibid.

Archiſtrategus, Graecè, Latinè non ignota, pro Imperatore Maximo, ſeu Summo Duce exercitus. L. 3. P. 416. B.

Arctos, Graec., Lat. vſitata pro Septentrione. L. 3. P. 417. A.

ARGVTIA Elogij. L. 6. P. 653. Cap. I. Monitum I. Argutiarum Artem ferè arte carere. ibi. Mon. II. Arte ſūma hebetari Argutias, ac perdi. 655. Mon. III. Argutijs venandis proniora ferè eſſe, quò leuiora ingenia. 657. Mon. IV. Poeticis ludibundum Argutijs Elogiaſten perſaepè ineptire. 658. Mon. V. Argutiarum ſtudium ſanis mentibus poſtremum eſſe, in Sanis primùm, Argutiae aliter appellatae ab alijs, videlicet; Laconica Apophtegmata, Paradoxa, Mulſa dicta, Venuſtates, Veneres, Acumina, Sales, Facetiae, Ioci, Nugae, Bona dicta, Dicta breuia, Dicta vrbana, Sententiae, Sirenulae.

Cap. II. Patefit Argutiae eſſentia. P. 662. Argutè illa dicuntur, quae ſunt à vulgo aliena, eiuſque ſuperant captum. Tres ſunt gradus locutionis. Prima Pura, ſed iacens, & ſupina: Secunda Erecta, & hilaris: Tertia Geſtiens, & vibrata. Prima ſimplex, ac nuda: Secunda culta, & elegans: Tertia peregrina, & mirabilis. Definitur Argutia, Rerum diuerſarum in vnum dictum figurata, concinna, & peregrina coniunctio. ✝ Obiectum Argutiae eſt Pulchrum ex repraeſẽtatione verbali. ✝ Cauſa quadruplex: Efficiens Ingenium humanum, illudque acutum, & verſatile: Materia, Diuerſitas verborum & rerum: remota quidem rerum eſt, propinqua verborum: Forma, Rerum diuerſitas in vnum dictum figurata, & peregrina coniunctio: Finis in Argutante Admirabilitas, & fama ingenij praecellentis; In Argutijs multiplex, i. e. Cognitio rei multa, & velox in audiente, Animi grauis commotio, Riſus, Summa delectatio, Admiratio, Plauſus: ex his primi tres fines ſaepe ſingulariter ſuccedunt, ſaepe promiſcuè; reliqui communiter. ✝ Ex genere ipſo materiae aliquando gignitur delectatio, & grauis motus: defectu materiae ſuppletur Argutijs. ✝ Argutiarum aliae ſunt, ſpectato Auctore, Demonſtratiuae, Deliberutiuae, Iudiciales: aliae ſpectato obiecto Purae, Mixtae: Purae, vel Seriae, vel Iocoſae: Seriae, vel Sententioſae, i. e. ſenſu exuberantes, vel Graues, i. e. motu concitae. Iocoſae vel ſunt Venuſtae; vel Ridiculae: Mixtae conflatae ſunt ex duabus, aut pluribus.

Cap. III. P. 666. Argutiae Primae intellectionis, i. e. qua rerum imagines ſimplici appellatione repraeſentantur, ſunt. 1. Tropus, vox à proprio ſenſu in alienum deflexa; fit quatuor modis; Similitudine, Proportione, Propinquitate, Diuerſitate. Duobus primis continentur Metaphora, & Allegoria; Tertio Synecdoche, Metonymia, Metalepſis; Quarto Agnominatio, Alliteratio, Anagrammatiſmus, &c. ✝ Tropus venuſtatem afflat, & Argutiam, modo diuerſo: Hanc, ſi locutio figurata multum recedat à vulgo; Illam, ſi parum. Interdum in idem concurrunt Venuſtas, & Argutia, cùm vibratur argutia in materia ex ſe venuſta, aut cum concinnitate verborum. ✝ Metaphora alia ſimilitudinis, vt fons cryſtallinus, pro puro, quia eadem forma perſpicuitatis ineſt cryſtallo, & puro fonti: alia proportionis, cum non eadem interuenit forma rebus collatis, ſed quaedam conuenientia, & comparatio, vt manus loquax & digiti linguoſi de hiſtrionibus, qui per geſtus quaſi per verba aperiunt animi ſenſa: alia ſimilitudinis ſimul, & Proportionis, vt Bacchi ſcutum de Patera: vbi ſimilia ſunt in rotunditate figurae Scutum, & Pátera, ſed vſu diuerſa, nam ſcutum pugnae, pátera potui ſeruit. ✝ Ratio inueniendae Metaphorae ſimilitud. eſt, Vt ſub omni genere vniuoco infimo diſtinguantur omnes ſpecies, & ſub ſpeciebus Indiuidua: quae dein indiuidua comparentur inter ſe, & vnum vſurpetur pro alio. V. g. ſub Colore, (obiecto oculorum) ſubſunt Candidus, Niger, Ruber, &c. Sub Candido autem Nix, Lac, Lilium, Argentum &c. Dic ergo; Lilij folia niuea, vel argentea, vel lactea, pro candida. Proportionis inueniendae, vt ſub Genere (impropriè ſumpto) continente naturas duas ſecundùm rationem mutuam inter ſe comparatas ſpectentur Species, & ſub his Indiuidua. Vt ſub viciſſitudine temporis ſunt Vita hominis, Curſus Anni, & Diei; ſub Vita Aetates, i. e. Iuuentus, Virilitas, Senectus; ſub Anno Ver, Aeſtas &c. Ergo licebit dicere Ver Hominis pro Iuuentute, Occidens pro Senecta &c. ✝ Metaphora licentior fulcitur particulis ſimilitudinis, Sicut, Velut &c. Item Epithetis ✝ Amoena

eſt, quae ex praecedentibus ſibi munit viam, P.670. B. Peregrina, quae dat rebus inanimis ſenſum aut vitam. ibi. A. B. ✝ Metalepſis in gradatione eſt poſita. Vt pro tenui congiario heminarium. Nam Congiarium eſt genus ad donum & menſuram (conſule Ambr. Calepinum) Ergo à liberalitate fit gradus ad menſuram, & à congio menſura ampla ad heminam exiguam. ✝ Allegoria fit ex metaphora ſimilitudinis vel proportionis frequentata, in eodem genere. Vt de Patrono melius obiectante crimina, quàm defendente, dictum eſt habere bonam dexteram, malam ſiniſtram. ✝ Aenigma eſt metaphora obſcurior, vt Conſul Dialis de illo, qui Conſulatum tenuit vno die: Dialis enim dicitur de Dio, i. e. Ioue, vnde Flamen Dialis Sacerdos Iouis &c. ✝ Plurium Troporum mixtione fiunt meliores Argutiae, vt Synecdoches cum Metalepſi in illo: Regnabunt capuli, i. e. Vincet is, qui claſſem validiorem habuerit. Nam Capulus remi pro remo ponitur, & remus pro claſſe, pars ſcilicet pro toto gradatim. ✝ Agnominatio eſt ex ſimilitudine literarum deflexio vocis in contrarium: quatuor modis. 1. adiectione literae, vt fatum neſcient ſcripta, quae factum hoc referent; aut adiectione ſyllabae, vt Fauſtus Pater, morte filij infauſtus. 2. detractione literae, vt ſenex pannis, anniſque obſitus; aut ſyllabae, vt de igne purgatorio, hic morari eſt ipſum ac mori. 3. mutatione, vt de facto mirabili, quis hoc factum non fictum putet? 4. tranſpoſitione, vt Laudatio, & Adulatio. ✝ Mixta tropo argutior fit, vt de duobus ſummis Viris, Saluete Italiae lumina, gemina Iris, ſed gemmea. ✝ In vſu Agnominationis haec caueto: 1. Rara agnominatio fulget clarior, nec videri debet quaeſita, ſed nata, & ſponte oblata. 2. geminata, v. g. detractione ſimul & mutatione fulciri poſcit concinnitate ſententiae, vt de Lamecho Auctore primo Polygamiae, Lamechus Moechus. 3. adſcita ab exotico ſermone non ſapit, vt illa Raynerius fuit Radius in nigredine radians. 4. alluſio nominum omittenda, vbi adeſt materia laudationis ex dotibus animi & corporis. ✝ Alliteratio fit, cùm ex prioris vocis ſono deducitur ſonus alius, pluribus id modis. 1. diuiſione, vt in tumulo Nothi, Tumulus, Tu mulus. 2. coniunctione, vt Duratius (cognomen Cardinalis in regēda Eccleſia iuſtiſſimi) Durat ius. 3. adiectione, vt agere, ſatagere. 4. mutatione, vt Senatus, iuuenatus. 5. tranſpoſitione cum mutatione, vt Claudius Tiberius Nero, Caldius Biberius Mero. ✝ Cautè vtendum Alliteratione, ne vel barbariè peccetur, vel puerili leuitate, praeſertim in Inſcriptione ſoluta. ✝ Alliterationis bonae exempla in nomine proprio. Pag. 679. E. XVII. In gentili. E. XVIII. & XIX. In vtroque ſimul. P. 680. E. XX. Exempla alia ad cenſuram vocata. ibid. ✝ Inſeruit hoc ſchema vituperationi magis, quàm laudationi; adhibitum indecorè congruit. Scurrae (exemplum antiquum defenditur. P. 681. E. XXVI.) frigiditati eſt proximum etiam in carmine. 682. A. Cenſura in nonnullas Inſcriptiones recentes, ibi. nonnullae probantur. 683. & ſeq. ✝ Ad Alliterationem reuocatur Echo: Eius exemplum in Elogio ſoluto. 684. B. Suadetur vſus Alliterationis, & Biſquaeſiti rarus. ibi, & ſeq. Manca eſt Alliteratio vadens ad ſermonem exoticum. 685. B. ✝ Anagrammatiſmus. P. 685. Eſt figura, qua literae alicuius vocabuli reſcribuntur, & ſurſum deorſum traijciūtur vltro citroque commeantes, ita vt ex ijs extet aliqua ſententia, quae dicitur Anagramma. Hoc erit perfectiſſimum, ſi litera nulla deſit aut ſuperſit, vt Roma, Maro, Amor ✝ fit in nomine proprio, vel gentili, vel ambobus, vel Patriae, vel Dignitatis, vel omnium ſimul. Exempla ibi, & ſeq. ✝ Licentiae in anagrammate cōficiendo ſunt. 1. diſſolutio diphthongi in ſuas vocales. 2. migratio illius in vocalem dominantem. 3. vocalis in diphthongum. 4. vocalis in ſibi cognatam, A in E, E in I, O in V, & V in O. 5. conſonantis ſimplicis in duplicem. 6. geminatio conſonantis ex licentia poetarum. 7. omiſſio literae H. 8. adiectio literae ex illis, quae nomen conſtituunt. 9. mutatio vocalis in conſonantem. 10. licentia gemina aegrè admittitur. 11. omiſſio vnius, aut alterius literae, vbi crebra ſit in dictione ✝ Anagramma accommodandum idiomati nominis, Latinum Latino. ✝ In eius vſu haec obſeruanda. 1. ſententia nè remotiùs petatur. 2. accommodetur tempori, loco, perſonae. 3. amat inſertari carmini, etiam Epitaphijs ex decoro defuncti. v. g. puellae aut bruti. Admittitur interdum Elogio ſoluto, & panegyrico. 4. Nihil ſeruet de nomine, aut voce, vnde manat. 5. continuat Elogium ſolutum cum carmine. ✝ Panegyricus plenus ex Anagrammatis. P. 692. ✝ Anathematiſmus eſt ſchema, per quod in verſu metrico verba ex ſuo tranſponuntur loco, & variè committuntur, vt lege metri ſeruata, ex vno fiant plura carmina. Vt *Tot tibi ſunt dotes, Virgo, quot ſidera Caelo.* Quod ad mille viginti duo carmina multiplicatur. ✝ Hiſopſephiſmus, qui literas non tranſponit, ſed ſaluo ordine accipit ad vſum numerorum, ita vt nomen vnius rei pro alterius quaſi tropicè vſurpetur. Debet adeſſe fundamentum eius quaſi tranſlationis, vt quia Nilus refert viciſſitudines annuas temporis, nimirum incremento aquarum aeſtatem, decremento autumnum & hyemem, floribus inde naſcentibus Ver; idcirco Nilus appellatus eſt Annus, & vocis Graecae literae inueniuntur conficere numerum dierum Anni. Nam ν' ſignificat 50.

ξ 5. ι 10. λ' 30. ο 70. ς' 200. ✝ Ex hoc ſchemate tota conficiuntur Elogia dicta Cabaliſtica. P. 694. E. XLIX. in queis numerus ex literis ſingularum dictionum collectus efficit numerum anni, quo ponitur Inſcriptio. ✝ Chronographica huc refertur, in qua literae numerales ex vſu Latinorum è corpore reliquo dictionum extantes ſignant ſeculum & annum. Parum probatur hoc figurae. Exempla, 695. A. B. Cenſura varia, ibi, & ſeq.

Cap. IV. Argutiae ſecundae intellectionis. P. 696. fiunt, cùm duo nomina inter ſe nectuntur mediante Verbo, vt Vulpes pilum mutat, non mores, dictum in Veſpaſianum auarum. ✝ Elogiaſtes à Logico diſcrepat, quod ad veritatem argutae Enunciationis non exigit apertam veritatem, i.e. dicti cum re conſenſionem, imò apparentem ſolùm, non ſubſiſtentem. ✝ Ambiguum eſt vox duos ſenſus habens diuerſos, ex vſu vulgari, ſed vnum magis communem, à quo trahitur ad alterum, quem ſuggerit res praeſens. Iuuari debet rebus, non ſolis verbis, Vt interroganti Accuſatori, quo tempore Clodius eſſet occiſus, Serò (reſpondit Cicero) non tam de hora veſpertina intelligens, quàm quod homo nefarius fuerat maturiùs occidendus. Interuenit quandoque vſus vocis translatae ſenſu nouo, & inuſitato. Exempla ſunt P. 698. A. B. ✝ Ab exotico ſermone petita ambiguitas ſcurrilis fit. ibi. Exemplum artificioſae enunciationis idem ſignificans in diuerſo idiomate. 699. A. Artificioſior Retrograda, quae contrarium efficit. Exempla ibi. ✝ Diuerſum habet has ſpecies. 1. Dialogiam, qua vox ambigua repetitur ſignificatione diuerſa, vt in Epitaph. Amici, dum viuimus, viuamus. Priore loco pro vita, poſteriore pro vigilia (ex Stoicis) vel pro voluptate (ex Epicureis) 2. Plocen cùm vox iterata prius perſonam, poſtea mores ſignificat. Vt de Alexio domi incognito Parentibus: Quaerebant parentes Alexium in Alexio. 3. Cinnum, duarum rerum diuerſarum colligationem, vt Tam deeſt auaro quod habet, quam quod non habet. 4. Paradoxum, vt de homine mēdico, & improbo; Quid huic abeſt, niſi res, & virtus? 5. Correctionem, vt de S. Antonio in ſepulcro vitam agente: Viuus ſepulcro conditus, ſi tamen viuus, qui toties iam obierat. 6. Deriuationem, cùm voces coniunguntur, & vna deriuatur ab altera; vt Infeliciſſimum genus infortunij eſt fuiſſe felicem. 7. Antitheſin, vt Melius eſt Herodis eſſe porcum, quàm filium. ✝ Contrarium, vt de duobus competitoribus mittendis ad bellum, neutro idoneo, dictum eſt; Alter nihil habet, alteri eſt nihil ſatis. Exempla breuium Inſcriptionum ex Contrarijs. P. 701. B. & 702. A. B. Contraria cum translatis argutiora; Etiam Oxymoro, ſeu dicto, quod primo guſtu fatuum, pòſt acutum percipitur, vt nunquam ſe minus otioſum eſſe, quàm cùm otioſus eſſet: nec minus ſolum, quàm cùm ſolus eſſet. ✝ Repugnantia, cùm quae vni contrariorum naturaliter conueniunt, cum altero contrariorum conferuntur, vt ſi voluntas nocendi conueniens inimicitiae coniūgatur cum amicitia; Ita in Florentium, qui Diuo Benedicto panem porrexit venenatum; Panem veneno imbuit, ſceleſtus etiam beneficio. Exempla P. 704. A. B. & 705. ✝ Comparatio figurata, ſeu quae tropis miſcetur, vt ex Metonymia. Sic Cato de tribus Legatis, quorum vnus podagra, alter capite vulneribus confoſſo, tertius amentia laborare videbatur; Populus, inquit, Romanus Legationem mittit, quae nec pedes, nec caput, nec cor habet.

Cap. V. Argutiae Tertiae intellectionis. P. 705. quorum ſpecies ſunt. 1. Enthymema Elogiaſticum. Differt à Rhetorico, quia eius tota vis illatiua non conſiſtit in natura, ſed in mentis ſolertia, neque tam infert verum, quàm pulchrum, & ad veri ſpeciem ingenioſè fictum. ✝ Argutum enthymema diuiditur in Naturale, in quo praecedit Propoſitio, ſuccedit Ratio, Vt de Diuino Verbo: [Hoc nimis anomalum Verbum eſt, omni praeſens, & infinitum in tempore] Et Artificiale, ex Ratione prius, deinde Propoſitione, vt de eodem Diuino Verbo [cùm nullis regatur caſibus, nullius eſſe ordinis poteſt] Vter horum modorum, & quando ſit tenendus, ipſa dictabit argutia; haec namque ſecundum amat locum. Exempla ibi plura. ✝ Diuiditur etiam in expreſſum, ſeu apertum, cuiuſmodi ſunt allata ibi; Et tacitum, ſeu ſubintellectum; Vt de Æquis populis bello domitis à Cincinnato, qui ab aratro ad Dictaturam venerat [Ne quid à ruſtici operis imitatione ceſſaretur, victos more pecudum ſub iugum miſit. Enthymema quò tectius, hoc argutius; Exempla 707. B. Informatur figuris Reticentiae, Ironiae, Sententiae, ibi, & 708. ✝ Imago Elogiaſtica eſt figura Enthymematis, quae rem non veram, ſed quaſi veram repraeſentat, alio vocabulo Fictio aperta. Conſtat Propoſitione, & Ratione. Vt de bello Gallico Romanis funeſtiſſimo [Ea fuit vis calamitatis, vt in experimentum illatam putem Diuinitus: Scire volentibus Dijs, an Romana virtus imperium Orbis mereretur. Exempla plura, etiam Poetarum, ibi. P. 709. & Elogiaſtarum, ibi. B. & 710. 711. 712. ✝ Argutiae claudētes Elogium, arguunt ipſum cognatū Epigrammatis. P. 712. ✝ Epigramma ratione Argutiae duplex, Simplex, & Compoſitum: illud indicat rem ſimplici narratione, nonnunquam ornata, & venuſta: hoc ex narratione deducit aliud vel Maius, vel Minus, vel Aequale, vel Diuerſum, vel Contrarium. Exempla Maioris Poetica primum, deinde Elogiaſtica. P. 713. numero I. vſque ad 714. A. Minoris, ibi, num. II. vſque ad

ad 715. A. Aequalis, num. III. vſque ad 716. Diuerſi. 717. num. IV. (errore Typogr. eſt II.) vſque ad 719. Contrarij. num. V. A. vſque ad 720. + Aliae formae Argutiarum in Clauſula Elogij, ibi, num. I. Simile. Simile per fabulam. 721. A. per hiſtoriam. B. per contrariorum contentionem. 722. A. II. Sententia. III. Allegoria. 723. IV. Imago. V. Conceſſio cum inſultatione. 724. VI. Contrarium cum repugnantibus, Et cum contradictorijs, ibi. VII. Comparatio. 725. VIII. Emphaſis. 726. VIIII. Perighraſis. X. Correctio. ibi. XI. Epiphonema. 727. XII. Oxymoron. ibi. XIII. Cōminatio cum ſchemate. 728. XIV. Collectio totius ex partibus. XV. Comparatio cum repugnantibus. ibi. XVI. Metaphora, cui praecedentia faciunt aditum. 729. XVII. Fabulae accommodatio ex proportione. ibi. XVIII. Interrogatio cum admiratione. ibi. XIX. Agnominatio neruis fulta ſententiae. ibi.

Cap. VI. Vitioſae Argutiae ſeptem. P. 730. Stulta, Falſa, Nimia, Superuacua, Communis, Leuis, Inepta. Prima oritur ex repugnantia rerum committendarum, Secunda ex defectu ſimilitudinis, Tertia ex alterius exceſſu, Quarta ex apparente ſolùm peregrinitate, Quinta ex conuenientia cum alijs, Sexta ex locutione minimè figurata, Septima ex indecoro perſonae, vel temporis, vel loci.

Cap. VII. P. 131. Decôri leges, vt in Demonſtratiuo genere, cuius materia grauis, & finis ſerius adhibeantur Argutiae graues: cuius materia leuis, aut amoena, Argutiae venuſtae, quae ſunt ſpecies Iocoſarum: Cuius materia grauis, & finis oſtentatio ingenij, graues, & venuſtae, ſed hae moderatè. In vituperatiuo graues mixtae iocoſis, & his ridiculis. In Hiſtorico puro, argutiae nullae: in florido venuſtae, cum moderatione: In Hiſtorico materiae grauis, ſententioſae, quae ſcilicet pauçis multa docent. In Didaſcalico, ſi tantum docetur, ſententioſae; ſi confutatur, graues iocoſis mixtae. In Deliberatiuo ſententioſae, & graues, venuſtae vix, ridiculae minimè. In Iudiciali graues, interdum mixtae ex grauibus, & venuſtis ad cauillandum.

Articulus fidei impropriè, dic caput fidei. L. 2. P. 263.

Aſiaticus character eſt ſtylus, ſeu ſermo laxus, immodicus, redundans tam verbis, quàm ornamentis, cui opponitur Laconicus, id eſt preſſus, & caſtigatus. L. 4. P. 474. & 475. A. & per totum Librum.

Auditor Principis (vulgaris appellatio) Latinè eſt Conſiliarius Principis priuatus, ſeu domeſticus. Item Cauſis audiendis Praepoſitus. L. 2. P. 171. A.

Auditor Rotae, Vide Rotae Iudices.

Aue, priore loco; Vale, poſteriore, ad defunctos in Epitaphijs. L. 4. P. 502. E. CCLVI.

Aue (vel Haue, aſpiratum) initio Epitaphij, & Vale, in fine. ibi. P. 523. E. CCCXXXXIV.

Aula, de Templo, vbi nullae porticus, ſeu Alae, vox perperam vſurpata. L. 2. P. 220. & 221. propriè eſt locus ſub Dio; translatè eſt Principis domus, quae ſolet ante ſe habere locum ſubdialem.

Aula, etiam de parte aedium potiſſima (vulgò Sala) & hic foedus abuſus eſt vocis. ibi. A. Pro ea eſt Oecus, & Triclinium. Prior de publico, poſterior de priuato. B. Emendatur locus Ciceronis à Nizolio corruptus, & à Lexicorum Auctoribus bona fide exſcriptus, quod eſt vnicum praeſidium abutentium voce Aula. P. 221. A. B.

Auſtrius, an Auſtriacus rectè vocetur Ferdinandus Regis Philippi frater? L. 2. P. 106. &c. Auſtrius decernitur; ſed meliùs Ab, vel De Auſtria exemplis veterum. ibi. A. B.

Auſus, us. gen. maſc. declinat. 4. non noua Vox, ſed ex antiquis Latinorum boni ſeculi accepta. L. 2. P. 361. & ſeqq. Sicut Mandatus, tus; pro Mandatum, ti: & Cic. Fretus, tus; Peccatus, tus; pro Fretum, ti, Peccatum, ti. P. 362. A. Ratio à iucunditate ſoni tota pendet. ibi. B. P. 363.

B

Baccalaureus (Ital. Bacciliere) vox cauenda, vel praefanda. L. 2. P. 343. B.

Baptiſmus, & Baptiſma, vox Graeca, breuitatis Elogiaſticae gratia, & vetere inſtituto Chriſtianorum probanda. L. 2. P. 250. B. pro ea Latinè probantur Sacrum Lauacrum, Salutaris vnda, Fons vitalis, vel ſacer, vel luſtralis, vel caeleſtis, Ablutio ſacroſancta &c.

Barbararum vocum Indicem diſertum texuit Gherardus Io. Voſſius Lib. de Vitijs ſermonis, apud quem reperiuntur, quae in memorijs barbaris per nos citatis occurrunt.

Barbaries frequens in marmoribus Voluminis Gruteriani. L. 2. P. 75. B. Soloeciſmi, ibi, & duobus Elogijs LXVIII. &c. & Elog. LXIX. &c. Barbariſmi. P. 76. A. & E. LXX.

Barbaries Inſcriptionibus. L. 2. P. 78. & ſeq. Contrahitur vel in ſingulis vocibus, vel in coniunctis. In ſingulis dupliciter, Non Latinis vel ortu, vt linguae peregrinae voces Latio non admiſſae; vel vſu, vt Latinae obſoletae. + In coniunctis dupliciter, Soloeciſmo, & Barbariſmo. Soloeciſmus eſt oratio incongruè conſtructa primo contra Canones Grammaticorum, deinde miſcendo incongruè peregrina Latinis. Barbariſmus praeter tradita à Grammaticis fit. I. Rhythmo, cùm eodem modo verſus deſinunt. 79. & 80. B. II. Tepoco, ſeu Acroſtichide, cùm ex ſummitate verſuum componitur aliqua oratio. III. Parhomio, quo multae voces ſtruuntur ab eodem elemento inchoatae. ibi. IV. Parergo exotico, item deformibus elementis. V. Solutae orationis & ſtrictae confuſione. 81.

Baro Latinis veteribus in malam partem, hodie in bonam, pro Viro Principe per feudum conſtituto à Rege in imperio ob res fortiter geſtas. L. 2. P. 166. A.

Baſilica vox Graeca, Latinis vſitata pro Aede ſacra, pro Domo Regia, & alia quauis ampla, cognoſcendis Cauſis deſtinata, vt hodie Vicaria Regia Neapoli. L. 2. P. 343. Et vbicunque habentur publicè Conſilia, Iudicia, Conuentus, & vbi Magiſtratus habitant.

Baubari pro Latrare. L. 5. P. 640. A.

Benedico, neutrum, pro Laudo, barbarum eſt. L. 2. P. 378. Item Benedicor perſonale paſſiuum, vt vulgus vſurpat. ibi. Benedicere, verbum neutrum, & Benedictio, nomen, in ſacris approbantur. 379 A. B. Benedictus, participium paſſiuum, barbarum eſt. 378. B. Benedictum, nomen ſubſtantiuum, Ciceronianum eſt. ibi. Benedictio Sacerdotalis Latinè erit Precaria Sacerdotis Crux ritu ſolemni: Vel Solemnis ritus Crucis precariae per Sacerdotem. L. 2. P. 380. A. Simile de Pontificia.

Benefactor, vox Latinis inſolens. L. 2. P. 287. Pro ea eſt Beneficus, Benemerens, Benemeritus. ibi. Et L. 4. P. 488. E. CLXXXIX. cum nota ſubiecta.

Beneficium Eccleſiaſticum, impura locutio. Pro ea Lat. Prouentus Eccleſiaſticus, Sacerdotium. L. 2. P. 263. B. &c. Pro Beneficio Simplici Sacerdotium ſimplex. Ita Sacerdotium pinguius. 264.

Benemerentiſſimus, & Benemeritiſſimus, voces ſuperlatiuè impurae. L. 2. P. 288. B. Pro ijs ſunt Optimè merens, Optimè meritus, & comparatiuè Melius, aut Magis Merens, vel Meritus. Sic Peſſimè meritus, & Peius meritus: Neque dicitur Malemerentiſſimus. 289. A. Neque ſimplex Merentiſſimus. B.

Biblia ſacra Elogiaſtes aegrè admittens, mauult dicere Sacras literas, vel paginas: ſacros codices vel libros: ſacra volumina. L. 2. P. 213. B.

Biſquaeſitum, aliter Alliteratio, Aſſonantia, Ital. Biſticcio. L. 3. P. 427. Eius vſus ſit rarus. L. 6. P. 684. B.

Blaſphemia, vox vitanda Latinè. Pro ea eſt Execratio, Deteſtatio, Maledictum. L. 2. P. 218. B. Pro verbo Blaſphemo eſt Execror, Deteſtor, Maledico. Pro Blaſphemator eſt Maledicus, Procax, Contumelioſus, Conuitiator, Execrator. ibi.

Bombarda à bombo, & ardore, vox bene nouata, & accepta. L. 2. P. 358. A.

Brephotrophium, Graeca vox Latinis Elogiaſtis nota (vulgò) Hoſpitalis domus, in qua pueri infantes aluntur. L. 2. P. 260. E. CCCLXXX. &c.

BREVITAS, Elogij comes. L. 4. P. 437. A. Laxitas ſtyli negat Elogijs P. Iouij titulum Elogiorum; ita Vitis Impp. Corn. Nep., Vitis nonnullorum Suet., Septem Regibus L. Floti, Viris illuſtr. Plinij Sec., Tyrannis Lampridij Rom. Principib. Egnatij, Epitomae Turſellini, & ſcriptis aliorum Iouij ſectatorum. B. Breuitas ex his manat, ✝ 1. Epithetorum parſimonia. 438. Illorum ſcilicet, quae ad amplificandum nata ſunt, non quae ad docendum. Exemplum ad docẽdum Elog. I. II. III. Quae ad ornandum, pauca ſint, praeſertim vbi deliguntur plena ſpiritu, & grauitate. 439. & 440. Exempla Elogij vno Epitheto cõtenti. ibi. A. B. Duo aſſumentis, ibi. & 441. A. B. & 442. A. Tria, vbi aliunde conſtet breuitas. B. (Epitheta ad laudem non ſemper continuantur, ſed aliqua intercedunt ad notitiam, ibi.) Quatuor etiam, ibi, & 443. A. Cauendum, ne pluribus degeneret in barbariem. Exempla A. B. Exempla repudianda. E. XXXII. & XXXIII. Toleranda. E. XXXIV. Probanda. E. XXXV. P. 444. E. XXXVI. & XXXVIII. Elogia hiſtorica in vſu Epithetorum modica. E. XXXIX. XL. XLI. & XLII. ✝ Synonymorum, vbi ſumma breuitas propoſita. P. 445. Sint ea licet Nomina, Verba, Aduerbia. Exempla bona, vbi conglobatae voces rerum diuerſarum. E. XLIII. XLIV. &c. & P. 446. E. XLV. Cenſura, ibi. A. Exemplum iterũ bonum. E. XLVI. Admittuntur Synonyma vitandi gratia taedij, B. & E. XLVII. Exempla recentium abſque Synonymis. 447. Admittuntur ad expreſſionem, ſed parcè. 448. Exemplum vetera, & recentia, ibi. Exemplum recens Epithetis confertum, ſynonymis vacuum. E. LIII. ✝ Repetitionum, ſeu ſpecierum figurae Repetitionis. P. 449. & ſeq. Videlicet Relationis, ibi. Conduplicationis. 450. A. Inuerſionis, ibi. Praeſertim vitanda mera verboſitas, vbi nulla figura, ibi. Repetitio fig. conceditur (ſi aliunde conſtet breuitas) Primò ad docendum. B. 2. ad ordinem temporis. 3. ad diſtributionem partium. Exempla 451. E. LVI. &c. 4. ad magnificentiã. B. & E. LVII. 5. ad Emphaſim. A. & E. LVIII. & B. LIX. 6. ad vrgendum, ibi. 7. ad affectus. 452. A. 8. ad congeriem magnarum rerum. E. LX. Repetitionis frigidae exemplum. E. LXI. Traiectio ſit rara, ibi. B. Exemplum LXII. & LXIII. ✝ Coniunctionum. P. 453. Copulatiuarum vitanda frequentia, ibi. Exempla A. B. & 454. Interdum neceſſitas admittit. 455. E. LXXIV. Ex more coniunctio adhibita enumerando ante vocem vltimam. E. LXXV. Ex neceſſitate B. Ad energiam E. LXXVI. &c, Ad perſpicuitatem. 456. &c. (Exemplum redundantium Coniunctionum E. LXXXI.) Item ad energiã 457. E. LXXXII. &c. & in affectibus E. LXXXIV. Caeterum Diſſolutio frequentior Coniunctione. A. Exempla. E. LXXXV. & ſeqq. B. & 458. vbi fusè de vocibus [libens, merito] aduerbialibus. In breuiſſimis Epigraphis neglecta diſſolutio B. Exempla tria. Coniunctionis ſimul & Diſſolutionis vſus opportunus. 460. Elog. ridicul. XCVI.

XCVI. Coniunct. omiſſae exempla recentiā. 460. & 461. Alicubi admiſſae. 462. Coniunctio neceſſaria ante Totum, vel Genus poſt enumeratas partes, vel ſpecies, ibi. Exemplum vetus E. CII. Et vbi diuerſa committuntur. 463. E. CIII.

✝ Tranſitionum intra corpus Elogij. P. 463. ✝ Tranſitio duplex, I. Perfecta, eſt clauſula, ſeu epilogus rei dictae, & propoſitio, ſeu exordiũ dicendae. II. Imperfecta eſt ex his altera. A. Elogijs pluribus vnum in corpus coeuntibus poteſt Elogium gerere Exordij vicem tam ad totum corpus, quàm ad partes maiores. Clauſulae vicem ſimiliter. Etiam ad alia ſcribendi genera. Exempla, ad corpus Elogiorum, ibi. Ad corpus mixtum vario Elogio, Carmine, Symbolo, Emblemate, ac ſubinde ad partes ſingulas. 464. A. B. & E. CIV. Item ad corpus varij Carminis, & Emblematis in Theatro gemino. B. & E. CV. CVI. CVII. Ad orationem ſolutam exempla duo. 465. A. Datur Tranſitio ab Elogio ad Elogium in corpore ipſo, Perfecta, vel Imperfecta. Exempla A. B. & à Pag. 466. ad 469. In Pona artificium adfectationi finitimum, vbi clauſula praecedentis Elogij fit principium ſubſequentis. A. B. Theſaurus in corpore Elogij perfectis tranſitionibus mirabilis potius, quam imitabilis. 470. A. B. Clauſula poſt corpus Elogiorum perbellè fit Elogio. 468. & ſeq. ✝ Particularum Expletiuarum. P. 470. Hae ſunt coniunctiones ſubiunctiuae Quidem &c. Similitudinis, Sicut &c. Interpretatiuae, Scilicet &c. B. Cauſales Nam &c. 471. A. B. & ſeq. (admittuntur tamen in Elogio vnius periodi, vbi plura membra) Quae finem indicant, Vt, Ne &c. 472. A. Illatiuae, Ergo &c. Aduerſatiuae, Sed &c. ibi. Quando Expletiuae admittendae, exempla B. E. CXXXIII. & 473. & ſeq. ✝ Si voces neceſſarias ſolum admittat. 474. Hinc vitat Pleonaſmum, A. praeterquam vbi intẽditur Energia, B. Cenſura in Inſcriptionem redundantem, 475. A. Aſiaticiſmum in compoſitione, ibi. Probantur particulae Syllabicae ad energiam, B. Cenſura multiplex in marmora quaedam antiqua, ibi, & 476. A. B. & 477. A. (Exceptio cauſa energiae, ibi.) & in recentia, ibi. & B. Correlatiuorum alterum ſufficit, alterum abundat, niſi prope committantur ad energiam, ibi, & 478. Cenſura adhuc in recentia redundantia, B. & 479. & 480. A. Literula vna abundans vitiat Laconiſmum proprium Elogij, B. Cenſura multiplex vſque ad 485. A. Breuitatis ſtudio Antiqui cùm voces non neceſſarias cauebant, tùm neceſſarias ipſas decurtabant ſyllabis, aut in elementa ſolitaria contrahebant. B.

✝ Si nudas, & proprias afferat. P. 485. ideſt nudas Epithetis, & minimè translatas. Exempla antiqua. A. B. & 486. A. Recentia B. Admittitur Periphraſis breuis, ibi. Nuditas, & proprietas amatur, vbi vel ſumma breuitate opus eſt, vel Perſona maximè celebris. 487. Obſeruatio in nomen proprium ſuppreſſum in Epitaphio. E. CLXXXIV.

✝ Membris in Inciſa contractis per Participia praeteriti temporis. P. 487. Exempla antiqua. ibi. A. B. & 488. & ſeq. Interdum breuis Inſcriptio amat laxari in membra, maximè ad perſpicuitatem, & ſuauitatem. A. B. Exempli recentia B. E. CXCVIII. & 490. E. CXCIX. & CC. De vſu Participij ſimul & Membri exemplum antiq. E. CCI. Praecepti elucidatio ad praxim. B Cenſura in marmor recens. 491. E. CCII. Praecepti ampliatio ad Participium Futuri. A. B. ✝ Aut per Gerundia. 491. Exempl. antiq. E. CCIII. & per Gerundiua. Exempl. antiq. E. CCIV. Exempl. recent. 492. E. CCV. ✝ Aut per Verbalia. 492. finita in or. A. Exempl. antiq A. B. recent 493. E. CCIX. & CCXI. In vx. A. Exempl. antiq. B. In bilis, ibi. ✝ Aut per Epithera adiectiua. 494. Exempl. antiq. ibi. & 495. & recent. promiſcuè, ✝ aut per ſubſtantiua, quae & cõtinuata. 496. vt illa, Pater Patriae, Princeps iuuentutis &c, Exempl. antiq. A. B. & 497. Continuatorum ordo triplex, Generis, Conditionis, Officij B. Exempl. recent. 498. Geminantur interdum B. Multiplicantur. 499. E. CCXLI. & CCXLII. ✝ aut per Praepoſitiones. 499 & ſeqq. Hae ſunt, Ob, ibi, & 500. A B. Propter, ibi: Contra, ibi: Sub, 501. Ex, A. B. Ab, 502. A. Supra, ibi. In, A. B. Sine, ibi, & 503. Exempla ſub ſingulis ✝ aut contractis membris in Aduerbia. 503. Vel ſine caſu, vel cum caſu. Sine caſu, vt Viritim A Cum caſu, vt Salutis ergo B. & 504. Item Cauſa, vel Gratia, vt honoris cauſa &c. A. B. & 505. ✝ aut in Ablatiuos abſolutos. 506. ſiue per Participium, ſiue per Nomen. Exempla prioris antiqua A. B. Recentia, ibi, & 507. A. B. etiam contra cãnones communes Grammaticae, vt Ille ſibi ſe viuo tumulum fecit. A B & 508. A. In quo cauenda barbaries. B. & ſeq. Ad abſolutos referuntur alij communes ablatiui, vt Cauſae &c. 509.

✝ Aliunde contrahi poſcit P 509. vt ex Genere, ſuppreſſa numeratione ſpecierum, & ex Toto ſuppreſſa partium. Exempla antiq. & recent. A. Ex vocibus deriuatiuis. B. Ex primitiuis, ibi. Ex notis numerorum aduerbialibus ibi, & 510. A. (Excipe energiae gratia, ibi, & B. & diſtinguendi temporis:) ex particulis quibuſdam compoſitiuis, vt Seſqui, A. B.

✝ Officit Breuitati Parentheſis, niſi perbreuis ſit. P. 510. Exempl. Virgilij, ibi. Exempla in marmoribus antiquis breuiſſimae Parentheſis. 511 A. Ablatiuus abſolutus non habet rationem Parentheſis, ibi. Cenſura in quoſdam recentes Elogiaſtas. B. Exempla probata recentium, & antiq. promiſcuè, ibi, & 512. ✝ Et Periphraſis, niſi perbreuis. P. 512. Exempla

pla breuiuſculae antiq. A.B. & 513. Periphraſis pari conſtans numero ſyllabarum, ac res deſcripta, & optima cenſetur, & lepida, ibi, A. Cenſura in marmor vetus non boni ſeculi. B.

✝ Conducit Ellipſis, quae eſt partis orationis ad plenitudinem ſermonis conſtituendam defectio. P. 513. Dupliciter, vel ex vſu communi loquendi, vel ex rei obiectu. Primo modo, vt Equo publico, ibi. Similis Deo os, humeroſque. 514. A. Verbum EST deſideratũ. B. & Verbum Actionis, vt Poſuit, ibi, & 515. A. Item Paſſionis. A. B. Alijs quoque locutionibus. Altero modo ſupprimitur nomen rei inſcriptae, quia cernitur, vt in fronte Pantei; M. Agrippa Fecit; ſupple hoc Templum. Et cum rei nomine Verbum actionis. 516. A. B. Cenſura in quaedam marmora, exercitationis gratia. 517. A. B.

✝ Zeugma. P. 517. & ſeq. Exempla veterum, & recent. ibi. Cenſura in recens marmor. E. CCCXXII. Exempla probata. E. CCCXXIII. & CCCXXIV.

✝ Syllepſis, quae, quod deeſt, è proximo aſſumit, variatis attributis ad ipſius cum proximo conuenientiam 519. Exempla antiq. & recent. ibi.

✝ Prolepſis. P. 520. cùm praecedit Totum, quod in partibus deinde intelligitur, vt Tarquinios Reges ambos, Patrem vouiſſe, Filium perfeciſſe, i. e. Templum. Exempla marmorum, ibi. Aut contrà cùm partes praecedunt Totum, vel Species Genus. 521. B. Exemplum, ibi.

✝ Emphaſis, quae plus ſignificat, quam dicit. P. 521. & ſeq. Exempla varia veterum, maximè ſepulcralium. 522. & 523. Et recentium, ibi, & ſeq.

✝ Synonyma breuiora, v. g. Vt, pro Poſtquam. P. 524. Voces ſimplices, vt donum tulerunt, pro contulerunt. Exempla marmor. antiq. ibi, & 525. Syncopata, vt fabrum pro fabrorum. A. Exempla marmorum antiq. Contracta ex duobus in vnum, vt Viden'? pro Videſne? Cauenda verò affectatio.

✝ Diminutio numerorum, vt in pauciores ſyllabas, aut literas declinet ſententia. P. 525. Exempla Elogiaſtarum. 526. A. B. ✝ Elogij comes indiuiduus Laconiſmus. 526. & ſeq. nimirum in ſententijs: Quo ſaepè cogitur Elogiaſtes anguſtijs conceſſi ſpatij ad inſcribendum, ab inſcitia Curatorum operis. ✝ Monitum, vt in memorijs Virorum illuſtrium, quorum non poteſt omnia perſequi Elogiaſtes, breuitate praeſertim Tabulae prohibitus, illa deligat, quae rara, & perſonis, locis temporibus minus vſitata feruntur, vnde non tam obueniat gloria illi Viro, quam ingeratur legentibus poſteris ſtudium imitationis. Illuſtratur Monitum facto memorando. P. 528. Stringitur Cenſura in marmor in hac parte vitioſum, & emendatur ab Vghellio noua Inſcriptione, quae facti hiſtoriam ex modo, ac caeteris circumſtantijs admirabilem reddunt, ac dignam aeternitate.

Bulla Pontificia, barbarè dicitur. L. 2, P. 256. Latinè Diploma Pontificium, vel Apoſtolicum, ibi, & 257. E. CCCLXXIII.

Burggrauius, Germanis nomen ex quodam genere Feudi, neceſſitate admiſſum. L. 2. P. 169.

Burgus, vox barbara, vitanda. L. 2. P. 326. A. Repete ſup. ex P. 291. E. CCCCLXIII; Excipe vocem, Burgi, gorum, nomen loci proprium in Sardinia, B. & Compoſita ex eo nomina propria locorum, vt Aſciburgi, Oppidum.

C

C, pro G, praeterquam in duobus Caius, & Cneus, pro Gaius, & Gneus, obſoletum in ſcriptura. L. 5. P. 623. A.

Cadauer translatè pro veſtigijs, ac ruinis aedificij, Vrbis &c. L. 2. P. 114. A. B. & E. CXVI. & CXVII.

Cadaueris humani Periphraſis varia, ad Epitaphia. L. 5. P. 556. B. & ſeq. ab Elogio LXXVIII. ad LXXXVI.

Caelum numero ſingul. tutius vſurpatur. L. 2. P. 380. Excidit nobis imprudentibus, aliàs plurali, aliàs ſingulari,

Calendas Nouembria barbarè dixeris, ſed Nouembres, aut Nouembris. L. 2. P. 71.

Caliga, pro Militia, propriè eſt poſtremae claſſis. L. 4. P. 490. B.

Camera Apoſtolica eſt Collegium Antiſtitum, qui Pontificio aerario praeſunt. L. 2. P. 120. Eius Praefectus Latinè, Ab aerario Pontificio &c. Neceſſitas adiunctae poteſtatis approbat Latinè dici Camerarium Sanctae Rom. Eccleſiae, ibi. B. & E. CXXIX.

Camera pro Cubiculo, impropria vox. L. 2. P. 10. E. CCLXXI. & ſeq.

Camerarius à Camera pro Cubiculo, vox barbara, Latinè A Cubiculo, vel Praefectus Cubiculi, vel vna voce Admiſſionalis. L. 2. P. 120. A. Camerarius à Camera, pro Aerario, Lat. Aerarij Praefectus, vel Ab aerario.

Cancellarius, vox barbara. L. 2. P. 172. Pro qua Lat. Scriba; ſi de illo, qui ſcribit Acta publica: ſi per literas nomine Principis, Ab Epiſtolis, A ſecretis. Magnus Cancellarius hodie vox nouae dignitatis, Latinè tenenda. P. 173. E. CCIV. & CCV.

Canonicè electus, impura locutio, pro qua Secundum canones electus. L. 2. P. 245. A.

Canonicus, vox Graeca, accepta Eccleſiae Latinae, pro Viro ex Collegio religioſorum, qui precibus horarijs in Templo publicè fundendis ſunt addicti. L. 2. P. 244. Hinc Canonicatus pro munere Canonici, & Canonicalis, pertinens ad Canonicum.

Canonizare,pro Referre in Diuorum numerum, vox ſpuria. Pro ea Latinè eſt Conſecrare. L.2. P.221. Pro Canonizatione eſt Conſecratio,ibi; In Canonem Diuorum referre (pro, in Indiculum) vox impropria: nam Canon Latinis tributum erat frumentarium. Formae variae Latinae locutionis. P.222.

Capella pro loco ſacris deſtinato, intoleranda vox Latio. L.2. P.208. Latinè eſt Aedicula, Sacrarium, Sacellum, ibi. Cella. 209. A. Sed cella ſolùm, ſi membrum ſit à corpore Templi diſtinctum, non ſi ſub cella Templi communi.B. Pro Capellano Sacrificulus,Sacerdos, Arae, vel Sacelli Praefectus, Ab Ara, A Sacello, Ab Aedicula. ✝ Vbi Praefecturae huiuſmodi adiunctum, eſt aliud munus, ex neceſſitate permittitur; ſed cum adiecto ad leniẽdam duritiem. Pro Capellaniâ eſt Sacerdotium. P.210. A. & ſup. P.199. A.

Capita deuota militum, quae dicantur. L.5. P.549. E. LVI. & ſeq.

Capitaneus pro eo, qui ius exercet in maleficia vox aegrè permittenda. L.2. P.174. Pro Rectore aut Ciuitatis, aut Exercitus,aut pro Magiſtratu,omnino vitanda. ibi. & P.175 E. CCVIII.& CCIX. Capitanei duodecim Reip.Mediol. (aliàs Duodecim Prouiſionis) Lat. Proceres duodecim Reip. &c. vel XIIVIRI Reip. Med. vel XII. VIRI Principes Reip. Med. ibi. Pro Capitaneo Iuſtitiae erit Lat. Praefectus rerum Capitalium.P.175.& 176. Vel Praefectus Iuſtitiae. 176. Cenſura in Elogia CCXII. & CCXIII. Quando vox Capitaneus pro Magiſtratu Latinè vſurpanda exemplo ex veteribus. P.177. A. Capitanea familia ſuum Latinè retinet nomen, ibi. B.

Capitulum de Canonicis,vox abſurda.L.2.P.244 Pro qua Latinè Ordo,vel Collegium Canonicorum,ſeu Canonicale. ✝ Capitulum Reuerendiſſimum erit Lat. Collegium Cathedralis Eccleſiae. P. 245. B.

Capuccini,Patres Franciſcanae Familiae ſeuerioris diſciplinae rectè appellantur, nouae rei nouo vocabulo. L. 2. P. 367. & 368. Si Capitiatos à Capitio Lat. dices, non diſtingues ab alijs Ordinibus; nec, ſi Cucullatos, eadem de ceuſa.

Cardinalis de ſacra dignitate proxima ſummae, vox origine Latina, inflexione ſcitè nouata. L.2. P.114.A. Nomen adiectiuum, cui ſubintelligitur ſubſtantiuum Antiſtes. Hinc Cardinalatus, dignitas. P.115.A. Synonymicè Purpura ſacra, ſeu Vaticana, ſeu Cardinea. Infula, vel Trabea Cardinea, Regale Sacerdotium. ibi.

Carrocium, de Carro caſtrenſi, vox rectè nouata L. 2. P. 110. B. Eius deſcriptio varia, ibi. Inuentor ibi. Vſus, P. 111. E.CXII.

Caſtellanus pro Arcis Praefecto, inepta appellatio, cùm congruat habitatori Caſtelli,ſeu parui caſtri. L. 2. P. 180. Synonima ſunt Arcis Praefectus, Cuſtos, Praepoſitus, Praeſes. P. 181. Eius munus, Arcis praefectura, ibi. & E. CCXXI. & CCXXII.

Caſtellum diminutum à Caſtro, qui locus eſt muris munitus L. 2. P. 322. B. Hinc Caſtellanus habitator Caſtri, non Arcis Praefectus, vt inſanum vulgus vſurpat. ibi.

Caſti dies,pro Ieiunio vſurpati. Vide Ieiunium.

Caſtigatio Tumulorum Tempelij, & VVameſij. L.4. P.484. E. CLXX. & CLXXI.

Caſtigatur Inuitamentum Regiarum Exequiarum Mediol. L. 4.P.482.E. CLXIII. vſque ad Pag. 483. E. CLXV.

Caſula, pro indumento Sacerdotali ad Sacrum peragendum, vox noua, & (ſi poſſit) vitanda. L. 2. P. 249. B. Pro qua ſacrum pallium, Sacra palla, Sacerdotalis palla, Amiculus,ſeu amictus Sacerdotalis, Sacer podêris.

Catholica, Graeca vox, Latinè admiſſa ex neceſſitate. L. 2. P. 249. Lat. ſonat Vniuerſalis, vel Perpetualis, de Eccleſia Chriſtiana.

Catarroſae guttulae defluxus, Ital. (Mal di gocciola) L. 4. P. 447. E. L.

Catechiſmus Graeca vos prudenter cauenda, cùm Latina locum repererit, cum adiecto neceſſario, i. e. Inſtitutio Chriſtiana, Diſciplina Chriſtiana, Elementa Chriſtianae doctrinae, Initiamenta Chriſtiana. L. 2. P. 217.

Cauſſa, per geminum ſſ. reprobatur contra Aldum. L. 5. P. 620. A. B. & P. 621. A.

Centaurus vitioſa tranſlatione Equus hominem exhalans, vel Homo ſe ipſum equitans. L. 6. P. 730. A.

Ceremoniae pro Ieiunio dictae,Vide Ieiunium.

Ceres ſacra pro S. Euchariſtia venuſtè dicitur. L. 5. P. 541. A.

Cereus non benè Latinè dicitur Benedictus, ſed Inauguratus. L. 2. P. 379.

Centgrauius nomen Germanicum ex Feudo,neceſſitate admiſſum. L. 2. P. 169.

Chriſma,ex Graeco vox accepta pro Sacra Confirmatione. L. 2. P. 249. A. Chriſmare non dicitur, ſed Chriſmate inungere, ibi.

Chriſtianitas, vox noua, pro Religione Chriſti; Latine inuecta; pro vniuerſis Chriſti cultoribus barbarè vſurpatur. Pro hac enim eſt Res Chriſtiana, Vniuerſitas Chriſtianorum, Orbis Chriſtianus &c. L. 2. P. 369.

Chriſtifideles, vox compoſitionis ineptae, ſignificationis impropriae, pro ijs, qui Chriſti religionem ſuſceperunt. L 2. P. 240 Latinè, & propriè Chriſtiani; Chriſti cultores, vel ſectatores; Chriſtianae fidei cultores; Chriſticolae; Chriſti familia, vel ſecta. A Chriſti diſcipuli. Pro fides Chriſti eſt fides in Chriſtum,& Chriſtiana religio, vel cultus.

Chriſtus vocabulum Graecum, iure Latij donatum, de Deo homine. L. 2. P. 184. Tam appellatiuè, quàm propriè. P. 184. & 185. Latino more dicitur & Chriſtus Ieſus, & Ieſus Chriſtus. B. Chriſtianus nomen non habet

gradum Comparationis aut Superlationis. P. 186. B. Synonymis gradus hi exprimendi. A. & E. CCXXIX. & ſeq. A. Chriſtianiſſimi cognomentum Regis Gall. Latinè vſurpatum. B. & P. 187. E. CCXXX. Chriſtianitas rectè pro Chriſtianorum moribus, non pro Rep. P. 187. A. B.

Ciborium vulgò impropriè: Pro quo Graeca vox Latio accepta, Hierotheca, & Latinè Sedes Euchariſtiae, Aedicula Euchariſtiae, Sacroſanctum tribunal. L. 2. P. 265. A.

Cimeliarcha pro Praefecto ſacrorum theſaurorum Latinis renendum, ex Graeco iam receptum. L. 2. P. 123. Quomodo aliter efferendum, ibi. Cimeliarchion de loco, vbi ſacri theſauri. Cimeliarchatus, ipſa dignitas. L. 2. P. 123.

Cinnus, figura quid ſit. L. 6. P. 700. B.

Cippus, monumentum ex lapide in militaribus vijs, memoriam prodens alicuius facti. Prograph. P, 11. A.

Clepſydra lachrymarum, pro lachrymis indeficientibus. L. 6. P. 673. A.

Clerus, peregrina vox admiſſa. L. 2. P. 243. Latinè Ordo Eccleſiaſticus, ſeu Ordines Eccleſiaſtici, B. E. CCCXXXVIII. Inde Clericus Latinè Sacris miniſterijs deſtinatus, Sacris initiatus. Et Clericatus, vox D. Hieronymo nota, ibi.

Cloaca, vox, propriè, & hiſtoricè ſumpta, & ex neceſſitate, non eſt ſordida vox. L. 2. P. 51. B. Translatè, ſordida, ſi primo ſordes adſignificet; ſecus ſi viam ſubterraneam, ibi.

Coaeuus, vox nonnullis controuerſa, ſed nobis haud damnata. Pro ea citra controuerſiam eſt Aequalis. L. 2. P. 306 A.

Coaetaneus, vox quibuſdam ſuſpecta, nobis non damnata. Tutiùs dicitur, Aequalis Ciceronis, ſeu eiuſdem cum Cicerone aetatis, aut temporis, Pro Coaetaneus Ciceronis. L. 2. P. 306. B.

Coenobita legitimè appellatur, qui cum alijs in commune vitam religioſam ducit. L. 2. P. 249. A. & 250. Hinc Coenobium pro ſede, vel aedibus Coenobitarum.

Coëpiſcopus, vox hybrida, pro qua Synepiſcopus tota Graecè, Latinè non improbanda. L. 2. P. 112. A.

Cognationem non dicam ſpiritualem, ſed contractam per ſacrum lauacrum, aut ſacram Confirmationem. L. 2. A. B.

Cognatus, pro fratre Vxoris, vel Mariti, ſtultiſſima appellatio. L. 2. P. 320. B. Vt etiam Cognata pro Vxore Fratris, vel Sorore Mariti. ibi. Vocabula ſingularia, Fratria, Glos, Leuir, Sororius, quibus iſta ſignificantur, controuerſa ſunt. B.

Cognomenta, quae & nomina Quaeſititia, extrinſecùs acquiſita euentu, vel habitu corporis. L. 2. P. 108. ſi veteribus Latinis nata, ea Latina appellatione tenenda ſunt; ſin vulgò recentium, vulgari; cum inclinatione tamen Latina. L. 2. ibi. A. B.

Cognomina Etruſca in, i, impurum, terminanda Latinè in, es, vel in eus. L. 2. P. 98. vel in ius, P. 99. & 100. vel in aeus, vel eius, ibi. P. 101. Manantia ex vulgari, nihil praeter Latinam terminationem poſcunt, ibi. A. B. Compoſita ex nomine gemino, vel ex articulo, & nomine, eodem quo ſimplicia, modo tractanda. P. 101. B. & 102. & 103. In, a, impurum Italicè, & Latine in, a, vel ius, ibi. Quae parum diſcrepant à nominibus proprijs, terminatione alia diſtinguenda ſunt. P. 103. B. in a, cum accentu Italicè, amant Latine in, aus, vel atus, vel ates. P, 104. A. Quae ambiguitatē efficiunt, ſexto caſu efferuntur cum praepoſitione De. P. 107. B. & 108.

Colendiſſimus, ſuperlatiuum cōtra leges Grammaticorum. Vide Reuerendiſſimus.

Columna infamis dicta Mediolani. Quam cenſuram patiatur Inſcriptio ad vltimam laudē. L. 4. P. 481. A. B.

Collateralis, pro Praefecto ſtipendiorum militarium, vox barbara, niſi adiuncta dignitate probetur illius vſus. Pro ea eſt, A ſtipendijs militaribus. Cuius munus generica voce praefectura. L. 2. P. 174.

Collegiata. Vide in Eccleſia. Collegiatus. ibid.

Commanipuli, ſunt eiuſdem manipuli milites. L. 4. P. 458. E. LXXVIII. Spartiatae dicuntur barbarè Commanipulones.

Compraesbiter, malè compoſita vox. Pro ea Sympresbyter. L. 2. P. 112. A.

Comes, primùm fuit Praefectus Regiorū Equorum, Militum &c. Pòſt Feudo donatus cum poteſtate in aliquas terras. Ita Latinè probatur haec vox. L. 2. P. 164. & E. CLXXXVI.

Comeſtabilis pro noua dignitate, alibi gentium alia; vox neceſſariò nouata. L. 2. P. 170.

Commiſſarius citra neceſſitatem vox vitanda Latinè. Pro ea Iudex, ſeu Inquiſitor, ſi de re inquirenda, aut iudicanda. L. 2. P. 171. Pro Adminiſtratore Vrbis, eſt Praetor: Pro Curatore rei Ciuilis, eſt Praefectus, Praeſes &c. rei Militaris, v. g. diſtribuendi in hybernis legiones, eſt Praefectus, vel Metator hybernorum, ibi, & P. 172.

Comitia, de Cardinalibus, & Electoribus Latinè dicuntur. L. 2. P. 268. B Illa, Comitia Pontificia, quae de creando Pontifice; haec, Imperatoria, quae de Imperatore. Aliter eſt coetus, conuentus Cardinalium, Electorum &c.

Commodare de pecunia interdum dixere Plautus & Cicero. L. 2. P. 381.

Communiceps, vox de natalibus ſuſpecta, pro qua eſt Ciceroni Municeps, relata tam ad aliud, quàm ad idem, & commune municipium. L. 2. P. 286. A. & E. CCCCLVI. & P. 287. E. CCCCLVII.

Compatriota, vox barbara, pro qua Ciuis, communis ſcilicet patriae, ſi Ciuitatis iure haec

potitur; ſin minùs, Popularis Conterraneus. L. 2. P. 284.
Concanonicus vox malè nouata ex Latino, & Graeco. Pro qua Syncanonicus. L.2.P.112.A.
Concilium de Praeſulibus, cuiuſmodi fuit Tridentinum cum Epitheto, Generale, Lat. vſurpatur. L. 2. P. 267. & 268. A. Aliter Conuentus procerum Eccleſiae, vel Principum ſacrorum ordinum.
Concionator, vox bona, de Sacro, vel Euangelico Oratore. L.2. P. 251. Aliter, A concionibus. Orator Sacer, vel Euangelicus, vel Chriſtianus: Et Graeca voce accepta, Eccleſiaſtes.
Conciuis, vox ſpuria. L. 2. P. 283. Pro ea eſt Ciuis, relata ad Ciuitatem (& aliam, & eandem, ſiue communem. P. 284. Exempla Ciceronis, & Marmorum plura B. & P. 285.
Condoleo, pro Miſereor, vox perperam vſitata. L. 2. P. 332. B.
Condiaconus, malè compoſita vox, ex Latino, & Graeco. Pro ea Syndiaconus. L.2.P.112.A.
Conduceriatus, vox ſacrae dignitatis, neceſſitate poſcente vſurpanda. L. 2. P. 126.
Confeſſarius, vox barbara, pro qua A ſacris confeſſionibus, A ſacra poenitentia, Arbiter conſcientiae. L. 2. P. 210.
Confrater, vox barbara. Vide in Confratres.
Confraternitas pro Corpore Piorum, ordinis profani, minime Latina vox. L. 2. P. 271. Eius loco Sodalitas, Sodalitium. Pro Archiconfraternitas erit Princeps ſodalitas. P. 272.
Confratres pro Religioſis eiuſdem Coenobij, vox barbara, pro qua Collegae, Sodales. L. 2. P. 265. E. CCCXC. Pro Confratria erit Sodalitas, Collegium, Societas. P. 266. Non tamen dicetur Diui Franciſci Sodalitas, ſed Familia; & Franciſcani familiares, ibi.
Coniugum commune Epitaphium excutitur, & expolitur. L. 4. P. 482. & E. 162.
CON QVEM (diſiunctim) barbarum, pro Cum quo. L. 2. P. 75. B.
Conſecratio Latinè, quae Graecè Apotheoſis. L. 1. P. 21. B. & E. XXIV.
Conſiliarius, pro Conſilium dante, Latinè dicitur. L.2.P.170. Etiam A conſilijs. Hinc A conſilijs politicis, militaribus, ibi. Priuatus Conſiliarius, qui vulgò Auditor. P. 171. A. Conſiliarius ſtatus, barbarè, pro A conſilijs politicis, ſeu ciuilibus, ibi. De Conſilio ſecreto, barbarè, pro A conſilijs in ſanctiore, vel intimo concilio, ibi. B.
Conſiſtorium, extra neceſſitatem vox ablegāda. L.2.P.331. Pro ea eſt Conſeſſus, Senatus, Conuentus etiam de Cardinalibus coram Pontifice. Neceſſitas videtur interuenire, cùm de Sacri Conſiſtorij Aduocato. Locus, vbi habetur vulgò Conſiſtorium, eſt Lat. Senaculum, ibi.
Contfanonarius de Militia, eſt barbarum; de Principatu in Rep., Latinum ex neceſſitate. L.2. P. 170. Dignitas ipſa, ſi de vno capite, quomodo Latinè efferenda: ſin de pluribus, ibi.
Contemporalis idem quod de Coaeuus, & Coaetaneus.
Contemporaneus, vox nonnullis controuerſa, nobis haud damnata. Probatur magis Graeca Synchronos in Latium admiſſa. L. 2. P. 307. B.
Contribulis, vox de barbarie ſuſpecta, pro qua eſt Ciceroni Tribûlis non modò ad alienam, ſed etiam ad propriam, & communem Tribum relata. L. 2. P. 286. B.
Contritio, male; pro quo Latinè Deteſtatio criminum, Poenitentia. L. 2. P. 210. Vide Poenitentia.
Conuentus inepta vox de Religioſis contubernalibus. Pro ea Coenobium. L 2. P. 126. B. Apta quidem de illorum conſeſſibus, vulgò Capitulis. P. 135. E. CLXIII.
Corolitica ſimulacra. L. 5. P. 613. E. CCLXI. Interpretare expreſſa in lapide corolitico, ſeu (meliùs) coralitico, quia repertus ad Coralium fluuium (inquit Dalecampius) candore ebori proximo, & quadam ſimilitudine, vt adnotat Plinius.
Corollaria Elogiorum ſunt lemmata extra Elogij corpus, vel in apice, vel ad latera, vel ad calcem. L. 5. P. 636. & ſeq.
Corpus recta translatione vſurpatur de Collegio, de libro, & ſimilibus. L. 2. P. 112. & ſeq. & L. 5. P. 584. E. CLXXXI. Item de familia. L. 2. P. 113. A.
Correctio figura, quid. L. 6. P. 701. A.
Creaturae, vox barbara; pro qua Res creatae, Rerum natura, Res conditae, Creata, Rerum vniuerſitas &c. L. 2. P. 290.
Cultores, ad Deum relati (vulgò deuoti) L. 4. P. 458. E. LXXXIX.
Cumalter (coniunctim) Latinum fuit, hodie antiquatum, pro Cum altero. L.2. P. 75. B.
Cumpartem (coniunctim) pro Cum parte, Antiquatum, ibi.
Cuiuſcunquemodi (coniunctim) vox compoſita, antiquata. L. 2. P. 111. A.
Curatus, pro Adminiſtratore Sacrorum myſteriorum, vox & impura, & inepta: Pro qua eſt Lat. Curio vel Flamen Curialis. L.2.P.134.A. E. CLIX. & CLX. Inde Curionatus, pro munere, ſeu officio, ibi, & P. 135. E. CLXI. & Curionium, pro Curionis annuo redditu, & pro ſtipendio extra ordinem: Et Curionia, orum, pro functionibus Curionum.

D

Daemon, vel Daemonium Latinè vox inuſitata (pro hoſte humani generis) L. 2. P. 212. B. & 213. A. Eius loco Cacodaemon, Malus Genius, Malus Angelus, Spiritus nequam, Laruae, Manes, Empuſae, Striges, Lemures, Lamiae, Lares, Furiae, Tartarus.
Datarius, vox ex neceſſitate nouata, & probata. L. 2. P. 121.

De, Praepoſitio Cognominibus, ſeu Gentilitijs nominibus interdum praemittenda. L. 2. P. 117. B.

Decanus, vèl ſi quaſi Decimanus appellatus, haud Latina vox. Pro qua Canonicorum Maximus, neceſſitate probatur, Vbi certa dignitas exprimenda. L. 2. P. 127. A. B. & E. CXXXXIV. & P. 128. Decanus Sacri Collegij minus Latinè; Pro Antiquior inauguratus, ſeu Cardinalium antiquiſſimus. ibi. Ita pro Decano Epiſcoporum, Natu maximus Epiſcoporum. ibi. Decanatus, dignitas, amat efferri voce communi Praefecturae ſacrae, vel alia. Vide in Voce Praelatus.

Decapitatus, vox barbara, pro qua Lat. decollatus, ſecuri percuſſus. L. 2. P. 326.

Decorum Oratorium, quid ſit. L. 5. P. 637. A. Elogiaſticum, quid. B. & ſeq.

Delicia, num. ſing. vox antiquata. L. 2. P. 55. B. & E. XVII. & P. 83. B.

Delubrum pro Templo Chriſtianorum non probatur Baronio. L. 2. P. 191. A. B.

Demeritum, nomen ſubſtantiuum pro commiſſo peccato, ſeu ſcelere, ineptiſſimè vſurpat vulgus. L. 2. P. 382. Imò nec in vſu eſt. P. 383. Demereor non eſt Male mereor, ſed bene. ibi.

Dendrophorus, qui ligna, vel arbores, vel materiam ad machinas defert; vox Graeca, Latinis probata. L. 3. P. 412. A.

Deorum appellatio in Elogio ſoluto, & graui, auribus piorum dura. L. 5. P. 641. A. Neque Deorum Genialium, Indigetum, Nouenſilium, pro Sanctis noſtris Caelo receptis. P. 642. B.

Deputatus dicitur vulgò interdum, qui ad negotium publicum peragendum mittitur, ſed barbarum eſt. L. 2. P. 364. Pro quo Latinè Legatus. Interdū qui praeficitur operi; pro quo Praefectus, Curator, Magiſter, Praeſes cum adiecto rei, vt Praefectus Annonae, vel Ab annona. De pluribus vno, erit II Vir ab annona, III Vir à frumento. P. 365. &c. Hinc munus ipſum Praefectura, Cura, Magiſterium &c.

Deriuatio figura, quid ſit. L. 6. P. 701. B.

Deſcendentes, & Aſcendentes, voces Latinae, ſed puriùs pro illis ſunt Nepotes, Poſteri, Poſteritas: Pro his Patres, Aui, Maiores. L. 2. P. 330.

Deſignari de illo dicitur, qui paulo antè eligitur, quam promoueatur ad dignitatem. L. 2. P. 128. B.

Deuotus, & Deuotio, voces Latinis aliud ſignificantes, ac vulgò noſtratium. L. 2. P. 232. Deuouere Latinè eſt Deſtinare, Dedere, Sponte ſubire pericula, calamitates, mortem, vt alter ſeruetur, Malum alteri imprecari, ibi. A. Hinc Deuotio eſt Deſtinatio, Execratio, vel Deditio ſui ad mortem pro ſalute aliena, etiā pro cultu Dei. Deuotus eſt Execrandus, Deditus, Addictus, Spontè ſubiens mortem, & calamitates alterius gratia. B. Olim deuotus in partem tantummodo malam: Hodie ſolum in bonam. P. 233. A. ✝ Deuoti propriè ſunt Religioſi Profeſſi, & Sanctimoniales. ibi. Et Clerici ordine Subdiaconali initiati. B. & E. CCCXX. Deuotus homini viuus profiteri, nemo poteſt Latinè loquens. P. 233. B. & P. 234. A. Inſanientium Ethnicorum fuit vſus illius formulae erga homines viuentes, *Deuotus Numini, Maieſtatique eius*. A. B. Pro Deuotus alicui homini eſt Lat. Dicatus. P. 336. Dedicatus. A. B. & P. 237. Dicatiſſimus, Dedicatiſſimus, Addictus, Deditus, Mancipatus, Studioſus, Obſeruans, Obſequens, cum ſuis ſuperlatiuis. ibi. Vide L. 5. P. 624. E. CCLXXXI. & P. 238. Deuotus animus Latinis veteribus ſuſpecta vox de adulatione. A. Affectus deuotionis dici non improbatur. B. & E. CCCXXXIX. Erga Diuos pietatis meliùs, quàm deuotionis affectus. ibi. & P. 239. ✝ Pro deuotione Catenarum Diui Petri, dic Religionem Catenarum, vel pietatem in Catenas. Pro Deuoto in Deum, vel Diuos erit Religioſus. ✝ Pro loco magnae deuotionis, Loci veneratio, vel Religio. A. B.

Di, pro Dij, & Dis, pro Dijs antiquum hodie admittitur, memorandis Ethnicorum Numinibus, aut fabuloſis inuentis. Interdum Di, pro Diui ad amplificationem. L. 5. P. 623. A. B. & 624. A. B. Dijbus, pro Dijs dixit rudis antiquitas. L. 2. P. 84. A.

Diabolus pro communi hoſte humani generis vitanda vox, ni cogat aliter decorum materiae, aut ſacri ritus. L. 2. P. 212. A. Diabolica machina de bellica, vox peregrina, & inuenuſtè tranſlata. Pro ea erit Fatalis, Funeſta, Infenſiſſima. L. 5. P. 534. B. & ſeq.

Diaconus pro Principe Miniſtrorum Sacerdotis approbata Latinè vox. L. 2. P. 249. A. Subdiaconus vox ſpuria, pro qua Hypodiaconus, ibi.

Dialis (à Dio, i. e. Ioue) etiam vt à Dio, Dialis, i. e. vnius diei per aenigma. L. 6. P. 672. B.

Dialogia quid ſit. L. 6. P. 699. B.

Dicta breuia, & Dicta bona vocauit Argutias Cic. 2. de Orat. L. 6. P. 657. B.

Diaetarchus (Graeca vox, Latinè vſitata) Praefectus Diaetae, i. e. Coenationis. L. 3. P. 412. A.

Digamma Aeolicum Ⅎ pro, V, conſonante inuentum. L. 5. P. 602. A. Obſoletum Auctore extincto. L. 5 P. 622. A. Vide etiam L. 2. P. 76. B.

Dignitas Latinè de omni Magiſtratu. L. 2. Magiſtratuum profanorum. P. 156.

Diphthongi Vocalibus diſiunctis ſcribendae ſunt in Elogijs. L. 5. P. 600 A.

Diſpenſatus à Papa, puriùs dicetur Canone ſolutus à Pontifice. L. 2. P. 263. B.

Diſſolutio Rhetorica eſt Coniunctionum omiſſio. L. 4. P. 457. A.

Diuorum appellatio non temere tribuenda probis hominibus defunctis. L. 2. P. 235. A. B.

Diuus

Diuus de homine in Caelum recepta etiam veteribus dictus. L. 2. P. 191. De Christianis in Caelũ aſſumptis rectiùs dicitur. 192. A. Diuus, Sanctus, Beatus de noſtris. De Diuo etiam Ethnici. B. & 193. Etiam Dius de noſtris Latinum 193. A.B. Et Deus; ſed minimè audendũ inconſulta Romana ſede. ibi. Honores Diuis delati, Diuales melius, quàm Diuini. ibi. B. & 194. A.B. Illorum Synonyma. E. CCXLIII. De Sancto Ethnici. P. 195. A. De Beato ijdem. B.

Doctor de illo, qui laurum Doctoralem accepit, vox Latinè dura. L. 2. P. 339. Eſt Doctor, qui actu docet. A. Malè quis dicitur Doctor vtriuſque Iuris, laurea Iuris duntaxat inſignitus. B. Doctor Theologus, qui de Cathedra Theologiam docet. Pro Doctore ex ſola laurea eſt Lat. Coronatus, v. g. inter Theologos &c. Item laureatus. 340. Vel Theologus coronatus, laureatus &c. Vel laurea Theologiae donatus, inſignitus, inſignis, Vel Theologiae decoratus inſignibus; ſeu lauro redimitus: Vel doctrinales infulas Theologiae conſecutus. ✝ Doctor, non Collegiatus, ſed de Collegio v. g. Theologorum. Doctor qui actu docet, etiam Profeſſor. 340. A. Praelector, nunquam autem Lector. B. Pro Doctoris funtione eſt Profeſſio, Interpretatio, Praelectio, nunquam verò Lectura, ibi, & 341. Neque Lector Philoſophiae primarius, ſed Interpres Philoſophiae primo loco; vel primae ſedis Philoſophus interpres. 342. Ipſa dignitas primae ſedis, honor primi ſuggeſtus. ✝ Iuris Doctor licentiatus (pro eo qui laureae ſumptibus impar, priuatum Doctoris priuilegium accipit) barbare dictum. pro eo eſt, Iure Ciuili (vel Canonico) initiatus, vel Ritè initiatus, ſeu legitimè initiatus Iure, aut legibus. ✝ Doctor Iubilarius, male; pro eo eſt Doctor rudiarius, vel emeritus. 343. A. ✝ Iuriſta pro publico Iuris profeſſore, aut pro Iuriſperito, barbara vox. ibi.

Doctor Collegiatus, Vide in Eccleſia Collegiata.

Δωδεκάθεος, Coena ſecretior Auguſti. Prograph. P. 10. A. & L. 3. P. 413. A.

Dominus, vox ortu Latina, vſu & ſenſu hodie plerumque barbara. L. 2. P. 275. Titulus Domini debitus Deo, Diuis, hominibus, quibus eſt poſſeſſio, vel poteſtas in Domum, Familiam, Vxorem, Mancipium, Ordinem, Remp. Rem priuatam, Regnum, Terras &c. 276. ✝ non praeponendus, ſed apponendus proprio nomini, ibi, & 277. vſque ad 281. neque id ex obſequio, ſed ex vero. Magnificentiùs ſupprimitur. 281. B. & 282. Dominus, titulus Feudi, Latinè adhibetur. L. 2. P. 165. A. Vicedominus (alterius ſignificationis) barbarè. Pro eo eſt Prodominus, Domini Vicarius. Familia quae vulgò *Viſdomini*, Latinè Viſdominia. ✝ Condominus pro Socio feudi, Latinè probatur, ibi, & E. CLXXXIX. ✝ Dominus de Caeſtre, ineptè, ſed Caeſtris. 165. & 166. Nec de Fontes, ſed Fontanus, ibi.

✝ Dominium pro ipſo Feudo: E. CXCI. Dominatus, Dominatio pro eodem. ✝ Dominatio Veſtra, cui nullum eſt Feudum, appellatio putidiſſima. 277. B. Latinè alloquendum ad ſecundam perſonam, non tertiam, & eam num. ſingulari, Tu, Tuus, Maieſtas tua, ibi.

Domnus, & Domna, cum Diminutiuis Domnellus, Domicellus, Dominella, Domicella, barbarae omninò voces. L. 2. P. 278. A.

Don, eadem, qua Domnus, laborat foeditate, praefixum Latinè nomini proprio; Vel ſi cum Epithetis illis, Reuerendus Pater Don Nicolaus N. &c. Caſtè, & magnificè dices, Nicolao N. Patri Reuerendo. P. 278. B. Nec Fratris praenomen dandum Religioſo Viro, nec Sororis Sacrae Virgini: Sed apponere licebit, etſi de Collega ſolum, non germano. ibi. E. CCCCXX.

Drappus, pro panno, vox barbara. L. 2. P. 78. B.

Dromus (Graeca vox Latinè admiſſa) eſt Curſus. L. 3. P. 413. B.

Dulcioriloquus, pro dulci ore loquens, vox cõpoſita antiqua, Elogiaſtae ſerio vitanda. L. 2. P. 111. A.

Duodecemuiri dicti à Mureto SS. Apoſtoli. L. 2. P. 110. A. Duodecemuiratus, vel Duodemuiratus eſt Apoſtolatus, ibi.

Dux, gradus Feudatarij, qui eſt primus à Rege Vox neceſſitate admiſſa. L. 2. P. 164. & E. CLXXXVII. Hinc Ducatus, ipſa Feudi ſpecies.

Dyſis Graecè, Latine Occaſus Solis. L. 3. P. 457. A.

E

Eccleſia, vox Graeca, Antiquis Latinorum nota. L. 2. P. 189. A. Pro coetu Chriſtianorum, & proloco. A. B. contra Vallam. Eccleſiarcha pro Eccleſiae Praefecto, B. Synonyma Eccleſiae pro loco, Baſilica, Templum, Aedes. 191. Fanum, Delubrum Baronio excluduntur. ibi.

Eccleſia Collegiata, vox impura, Pro Collegio Canonicorum inſignis. Neceſſariò additur Canonicorum ob alios pios ſodales abſque Sacerdotio alicubi adiectos, certum corpus conſtituentes. L. 2. P. 245. A. Qui vulgò Doctor Collegiatus, Latine E collegio v. g. Iuriſconſultorum. ibi. B. & P. 340. B. & 342. E. DCXXXI.

Eccleſiaſticus de homine, meliùs dicitur ordinis Eccleſiaſtici, ſeu ſacri. L. 2. P. 260. B.

Effigies non dicitur de Pictura, ſed de figulina. L. 2. P. 351. B.

Eleemoſyna Graecè, Latinè Miſericordia, pro eo, quod egentibus datur, vox minimè accepta Latio. L. 2. P. 258. Pro ea eſt Stipis in pauperes erogatio, Beneficentia, vel miſericordia in egenos. Munus gerens Eleemoſinarij eſt Praefectus egentium ſtipi, Egentium curator, vel Pater, A ſtipe egentium. Pro liberali eleemoſinario erit, De egentibus benemerens. 200. aliter ſup. 258. B. & 259.

Ellipſis praepoſitionis, vt κατὰ, vſitata in Latinis

nis Elogijs cum quarto caſu, vt Patronus omnia praeſtantiſſimus. L.4. P.514. E.CCXCIX.

Elogium. hoc vocabuli debetur Graeciae. L. 1. P. 15. A. Ab ἐλλόγιον, vel ἐκλόγιον, vel εὐλογία, vel λογιόν. Non eſt peregrinum in Latio, ibi. Dicitur & Eulogium. B. Varia ſignificat. Eſt teſtificatio ſimplex ſuae ſententiae. 16.17.18. Item Commemorario breuis de aliquo cum honore. 19. A.B. etiam cum dedecore. 23. & 24. Item Reſponſum, ſeu teſtificatio in vtramque partem cum ſubiecta ratione. 25. 26. 27. Epigramma ſtrictum numeris 27. B. Conſtans Epigrammate numeris mixto ſolutis & ſtrictis, 29. Elogium eſt Epigramma ſolutum, ac pedeſtre. 30. 31. Etſi careat Argutia 32. Item eſt proſa oratio arguta, & breuis, Elogium vox media ad laudem, & vituperationem 23. 24. 25. Eſt Inſcriptio ſeu Titulus 30. Eius materia res omnes, i. e. Virtutes & Vitia, Recte facta & flagitia, ſententiae, Conſilia, Vota, Iudicia, Quae ſunt hominis, Bruti, Naturae, Caſus &c. Definitio per Ledeſmam tradita, imperfecta. 32. Elogium Epigramma, Item Epigrammatis Epigramma 32. B. Elogium cognatum Epigrammatis. 34. A. Elogij ſoluti verſus in formam Elegiaci carminis. 35. B. Vera eius definitio, Quod ſit Inſcripta rebus ad poſterorum vtilitatem oratio. 37. Ad diuturnitatem eſt natum, & literis conſignandum B. Elogij moles ex Epigrammate petenda, 38. Elogium Atomon vna conſtans dictione. 38. B. Simplex interdum Compoſito longius. ibi. An Elogiorum titulo rectè praefigantur Oratoria & Hiſtorica. 40. B. Elogia iuſto prolixiora, ſolutae potius Elegiae, quàm ſoluta Epigrammata. Recenſentur ex ijs plura, ibi, & 41. Elogium non ſolus facit Laconiſmus, ac verſuum inciſio, ibi. Eius dotes quatuor Perſpicuitas, Breuitas, Venuſtas, Argutia. 47. Elogium gerit partes Exordij ad corpus Elogiorum ſiue in Theatro, ſiue in volumine; Et ad genus multiplex ſcribendi Elogio, carmine, proſa. Et partes Dedicatoriae Epiſtolae; Item Epilogi. L. 4. P. 403. & ſeq.

Elogiaſta ſtudeat in primis Latinae, & emendatae locutioni. L. 2. P. 47. B. Cui aduerſatur Verborum Raritas, Humilitas, Sordes, Obſcenitas, Antiquitas, Peregrinitas, Barbaries. ibi. Elogiaſtae boni gloria praeferenda Lyrico Vati. L. 2. P. 74.

Emblema pro carmine ſubijcit proſam ad leges Elogij. L. 1. P. 34.

Enthymema Elogiaſticum aliud à Logico. L. 6. P. 706. A.

Epigramma vſurpatum pro Elogio ſoluto. L. 1. P. 27. & 28. & contrà. Deſcribitur eſſe Elogium poeticum, & ſtrictum, 30. Epigramma Graecè, & Latinè Inſcriptio. ibi. Antiquis erat monumētum quoquò modo inſcriptum. A. B. Non omne Epigramma Argutum, 32. Aliud ſimplex, aliud compoſitum. Plinio eſt Carmen argutum, & breue. ibi. Metricum Martialis de Scorpo tractatur ſolutè à Iuglare de Rebuffo. ibi. B. Adſtricti, in morem ſoluti deducuntur verſus in antiquis monumentis. 36. 37. Epigrammatis breuitas quot in verſus arctetur. L. 1. P. 38.

Epigraphes Villae Iuliae ad Vrbem commentatio. L. 1. P. 39. Collatio cum Epigrapha funeris Toëraſiani, ibi.

Epigraphica ars Inſcribendi, vox è Graeco nouata affinis ſimilibus alijs Latio approbatis Prograph. P. 13.

Equo publico (formula ſolemnis in antiquis marmoribus) pro Donatus Equo publico. L. 4. P. 513.

Eques ſingularis, veteribus, qui Equo vno, hoc eſt ſtipendio vno, ac ſingulari militabat. L. 2. P. 264. A. Equus duplaris qui duobus.

Era, ſeu Aera, initium temporis, à quo ſupputationes Aſtrologicae, ſcitè ad ſupputationem Anni Chriſtiani. L. 2. P. 66. A.

Et Poſteriſque, inſcitia quadratariorum incuſum, pro, *Et poſteris*.

Etruſcorum formula in nominibus proprijs, ac Gentilitijs (vt Alexander Altouiti) pro ex familia Altouitorum, Latinis eſt peregrina, & barbara. L. 2. P. 104. A. Eſt enim ex Hebraico, Syriaco, & Graeco. ibi. A. B.

Euangelium Graeca vox, Latinis tenenda; nec ſufficit Latina interpretatio Bonus nuntius. L. 2. P. 250.

Euachariſtia, Graeca vox probata Latinis. L. 2. P. 201. Synonyma ſunt Menſa Dominica, vel caeleſtis, vel Diuina, Conuiuium Dominicum, Caeleſte epulum, Coena caeleſtis, Frugis Diuinae cibus, Eccleſiae conuiuium, Myſterium fidei, vel vnitatis, vel pacis, Myſtica menſa &c. Vide in Ceres.

Excommunicatio, vox gratis nouata, pro qua Eſt Sacris interdictio, A communione piorum excluſio, Pontificia imprecatio, vel execratio, & (Latinè accepta è Graeco) Anathema. L. 2. P. 218. Pro Excommunicato eſt Anathematizatus, Anathemate perculſus, Pontificio iure execratus, Abſtentus, Sacer.

Exconſul, idem eſt atque Conſularis, ideſt qui Conſulatu functus eſt. L. 4. P. 509. B.

Exconſul, & Exconſule (coniunctim, & per omnes caſus) pro Conſularis, vt ſup. L. 2. P. 131. A.

Exorciſta, vox ſacri muneris Graeca, acceptior Latinae Eccleſiae, quàm Latina, Adiurator. L. 2. P. 125. B.

Exorata Iſis, i. e. quae preces exaudiuit. L. 4. P. 488. A. Seu oratione flexa eſt. L. 5. P. 533.

Expraetor, idem ac Praetorius, vt ſup. Exconſul.

Exquaeſtor, & Exquaeſtore (coniunctim, & per omnes caſus) pro Quaeſtorius, ſeu quaeſtura perfunctus. L. 2. P. 131. A.

Excorrector
Expraefectus
Expraepoſitus } Vt in Exconſul & Expraetor.
Exſignifer
Exuicarius

F

Factio, vox ancipitis ſignificationis, Latinis aurei ſeculi vſitata. L. 2. P. 355. A.

Famigeratus, pro fama clarus, vox impura. L. 5. P. 538. B.

Fanum pro Templo Chriſtianorum non probatur Baronio. L. 2. P. 191. A. B.

Fas, nomen, caſu ſexto, vox antiquata. L. 2. P. 55. Cenſura in marmor recens. E. XVIII.

Fecit facere, Fecit fieri, formula in marmoribus inuſitata. L. 2. P. 290. Etſi Fecit cum infinito alterius verbi interdum reperitur. P. 291. E. 464. Vſitata ſunt Verba. Iubeo, Mando, Impero, Praecipio, cum infinitis paſſiuis varijs pro varietate rerum. 292. 293. Vel cum Participio paſſiuo futuri Verbum Curo. 294. Vel ſuppreſſo Curo) verba Actionis, per quam opus factum eſt, adiecto inſtrumento, v. g. pecunia ſua, vel De ſuo fecit, poſuit, ſtrauit, erexit &c. 295. & 296. Vel Verba ipſa abſolutè, vt Fecit, Refecit, Conſtruxit, Ampliauit, reſtituit. 297. vſque ad 303.

Feriflectifrontijugùs, ex quatuor vocibus vna compoſita, reſpondens Graecae ϑηροζυγοκαμψιμέτωπος. L. 2. P. 3. A.

Feſtiuitas pro Die feſto impropriè, vt & Dies Feſtiuus. Pro ea eſt Feſtum, vel Dies feſtus. Ita Apparatus feſtus, non feſtiuus. L. 2. P. 265. A.

Feſtum Sancti Ambroſij Latinè Ambroſalia: Ita Laurentalia, Petrilia &c. Vel Ambroſianae feriae &c. L. 2. P. 271. A. ✝ Cauenda alicubi durities. B. Octaua Sancti Ambroſij, Latinè Octodialia Sancti Ambroſij. ibi.

Feudùm, vocem nouam rei nouae Neceſſitas admittit. L. 2. P. 163. A. & E. CLXXXV. Feudi inuentores Longobardi, Italia occupata Anno ſalutis DCXXII. ✝ Definitio Feudi, B. Diuiſio, ibi. Feudatarij voce non vtar, ſed circumſcriptione, Inſignis Feudo: aut nominis alicuius ſpeciei, v. g. Comitis, Marchionis &c. ibi. vel nominibus genericis Reguli, 168. Dynaſtae, Toparchae, vel Toparchi, Demarchi, vel chae; Arcontis 169. Nomina Feudatariorum peculiaria quaere ſuis locis. Ea communis ſunt generis, vt hic, & haec Comes &c. 167. A. Pro Comitiſſa meliùs Domina Comes &c. vel Illuſtriſſima Comes. ita reliqua. Auribus vulgi morigerari interdum licebit; 168. E. CLXXXXVI. Haec nomina amant poſtponi vt non Comes N. ſed N. Comes. 169. & E. CXCIX.

Frater quis dicitur in ſacris literis quatuor modis Natura, Cognatione, Gente, Affectu. L. 2. P. 153. B.

Frater de Viro Religioſo praepoſitum nomini proprio non eſt Latinum. L. 2. P. 266. & 278. B. Poſtpoſitum autem non improbatur. 267. A. & E. CCCXCV. & CCCXCVI. B. Sodalis meliùs, quàm fratris. Ita Sodales Franciſcani &c. Item Collegae, Familiares &c.

Fraternitas Latinè eſt mos fraternus; barbare pro pia ſodalitate. L. 2. P. 271. A.

Fuimus Troës, Adagium pro, Periuimus. L. 5. P. 556. B.

Fuit, pro Mortuus eſt, eleganter dictum. L. 5. P. 556. E. LXXV. & ſeq.

G

Gabellum, vel Gabella, pro Vectigal, aut Cenſus, vox barbara. L. 2. P. 78. B.

Generalis, pro ſummo Magiſtratu ſacrae familiae, ſolitaria vox, barbara. Erit Latina cum adiecto, Generalis Praeſul &c. L. 2. P. 131. A. Eius Synonyma, B. & 132. E. CL. & CLI. & CLIV.

Genitiuos plurales ſecundae declinat. primi Latinorum Graecos imitati dicebant Meum, Deum, Liberum, pro Meorum, Deorum, liberorum. L. 4. P. 525. B.

Genius pro Anima rationali, vel pro vi, & proprietate Naturae, vel propenſione Naturae ad delectabile vſurpari poteſt ab Elogiaſta, non Ethnicorum more pro Deo L. 5. P 641. A.

Gentiles pro alienis à Coetu Chriſtianorum, impropriè dicunt, pro quibus ſunt Gentes: pro vno, homo ex Gentibus. L. 2. P. 211. Item Ethnici, Idolatrae, Gentilis propriè eſt Conterraneus, Popularis, Eiuſdem quoque nominis, ſeu familiae, ibi. Et E. 272.

Gerundia Verborum Coniugationis III. & IV. in *undi* pro *endi*, vt Dicundi, Potiundi &c. ſeruiunt exprimendo rei dignitatem, aut grauitatem, aut Antiquitatem. L. 5. P. 622. A.

Gloriae, arum (L. 1. Cap. II. apud A. Gellium) Latinè probatur. L. 2. P 356. A. B.

Graduale, carmen cantandum, gradus pulpiti ſcandente Diacono ad Euangelium. Vox tenenda Latinè. L. 2. P. 250.

Graduatus vox Latinis inaudita, quomodo circumſcribenda, cùm de ſacro honore, cum de literario. L. 2. P. 130.

Gratiae per Sanctos impetratae, vulgaris & minus Latina locutio. L. 2. P. 213. Pro ea ex vſu veterum, Epitheton dabitur Sancto (de miſerijs praeſentibus per ipſum excuſſis) Auxiliator, Adiutor, Propitius, Memor. ibi. Placidus, Reſpiciens, Praeſens, Celer, Serenus, Stator, Seruator, Salutaris. P. 214. A. Salutifer, Opifer, Miſericors. B. vel (ſi de impendentibus propulſis) Defenſor Tutelaris, tutela, B. Cuſtos, Comes, & Cuſtos, Conſeruator, Comes, & Conſeruator, Diuus ſecuritatis, Praeſtes, Felix, Soſpes, vel Soſpitalis. P. 215. A. B. Vel (de praeſtitis proportione beneficijs) Pacifer, Exoratus, Obſequens, Iuuans, Iouius, Redux, Pollens, Potens, Inuictus,

uictus, militaris, Frugifer, Pie meritus. 216. Aut deſcribendum, vt E. CCXCV. CCXCVI. & P.216. E. CCXCVII. 217. Imagines ſacrae non miraculoſae, ſed miraculorum, vel prodigiorum frequentia religioſae; editis miraculis celebres, fama ſignorum venerabiles. 217.

Gratitudo, & Ingratitudo voces malè nouatae, extãtibus Latinis è bono ſeculo. L.2.P.110.A. & P. 371.

Gratulari eſt aliquando Gratias agere, vnde Gratulatio eſt Gratiarum actio. L.2. P.262. B.

Guardianus de Antiſtite ſacri Ordinis Franciſcanorum, vox Latinè abſurda, pro qua communes illae appellationes Moderator, Rector, Praeſul, Antiſtes &c. Aut propria (reſpondens vulgari) Cuſtos. L.2. P.135. B. Synonyma. P. 136.

Gubernator pro Rectore locorum non ſolum Nauium, Latinis dictus. L. 2. P. 158. etiam brutorum, ibi. Synonymum, Praefectus. P.159. E. CLXXVI. Gubernium pro Gubernatore vox improbata. ibi. A. Hinc Gubernatio, aliter Praefectura.

H

Haereſis Graecè, vox Latinorum antiquis accepta, ſed ſignificatione media. L. 2. P.242. Chriſtianis in malam partem. Hinc haereticus, & Sectarius.

Haue, Abe, pro Aue. L. 5. P. 637. A.

Hercules ſomnialis. L. 5. P. 619. E.CCLXXIII.

Hiatus in concurſu vocum non eſt tam ſuperſtitioſè vitandus. L. 5. P. 559 B. &c.

Hierodũlos Graeca vox, Latinè ſacris inſeruiens, ſacrorum miniſter. L. 3. P. 416. A.

Hiſopſephiſmus quid ſit. L. 6. P. 692.

Honor Latinè de quocunque Magiſtratu. L. 2. P. 156. A. & 157.

Hoſpitale pro domo accipiendis, & curandis aegrotis deſtinata barbarè vſurpatur. Pro ea Noſodochium. L.2.P.72. Poſt Elogium LX.

Humilia verba vitanda. L. 2. P.48. Praeterquam in argumento ridiculo. L. 4. P. 460. E.XCVI. Humilitas verbalis alia in imparibus translatis ibi, & ſeq. Alia in proprijs 49. A. Cenſura in marmor antiq. E. III. Alia in ſententijs ibi. E.IV. Alia ratione diſpoſitionis ibi. E. V. Alia in Epithetis inferioribus dignitati rerum aut perſonarum. B. Vindicatur Pola ab immerita cenſura. E. VI. Alia in tranſlatis à rebus ignobilioribus domeſticis. 50. A. Alia in improprietate. Alia in compoſitione poetica, ibi. Alia in Epithetis ſuperlatis, item in hyperbolicis comparationibus, B. Denique in Diuinis homini attributis. 51.

Humilitas pro virtute Chriſtiana, vox perquàm inepta. L. 2. P. 227. Humilitas Latinis ad naturam relata opponitur altitudini. Ad mores deteriùs accipitur. A. Humilio Verbum Latinè de Naturalibus ſolùm: apud Ciceronem non reperitur. B. & 228. Humilitatis vox ad virtutem trahitur vel ex argumento iam inſtituto A. vel Epitheto, v. g. humilitas Chriſtiana. B. & E. CCCXII. aut Voluntaria, A. Pro Humilitas eſt Demiſſio B. & 229. A. Facilitas B. Contemptus ſui, Deſpectus ſui, Depreſſio ſui, Abiectio faſtus, Pompae neglectus ibi. Modeſtia. E. CCCXIV. &c. & E. CCCXVIII. Cognitio ſui 230. B. Homo humilis erit Latinè Voluntariè humilis, ſpontè demiſſus, Chriſtiana facilitate praeditus, Cum Chriſto, aut pro Chriſto abiectus, ibi. Honoris impatiens. E. CCCXVII. Humilis ſeruus in Epiſtolis ſubſcribendis vox vtraque impura. Pro ea eſt, Tibi addictiſſimus, mancipatus; tui obſeruantiſſimus, 231. A. In dedicationibus *Hanc Statuam, v.g Humilis & gratus Poſuit:* Latinè pro humilis erit pronus, venerabundus, adorabundus, vel Obſequij & grati animi ergo. A. In precibus pro humiliter peto, erit, ſubmiſſo genu, procumbens, ſupplicabundus peto B.

Hyaridae voces ſunt ex linguis diuerſis compoſitae, vt è Graeca, & Latina. Damnantur, niſi Latinis boni ſeculi acceptae. L.2. P. 111. B.

Hyperbaton eſt inuerſio recti ordinis conſtructionis. L. 5 P. 596. B.

I

I, litera interdum longiuſcula prae caeteris eiuſdem dictionis. Cur hoc facerent Antiqui, nondum liquet. L. 5. P. 601. A. &c. Tutiùs pro gemino II vſurpatur, vt IVSTI. LIPSI, pro Lipſij, 602. A.

Icon ſeu Imago alia eſt *Elogiaſtae*, alia Rhetoris. L. 6. P. 708. A. B.

Idolum pro imagine, ac ſpecie rectè vſurpabit Elogiaſtes. L. 5. P. 642 B.

Iehoua, vox Hebraica, Latinè exponitur, Qui eſt, fuit erit. L. 3. P. 417. B.

Ieiunium Latinè dicitur. L. 2. P. 254. A. Ieiunium aliud diurnorum, aliud biduanum, triduanum, denarium, vicenarium, quadragenarium. Aliter dicitur Eſuriales feriae, Caſti dies, Ceremoniae diurnae, biduanae &c. Quadragintadiale ieiunium (vulgo Quadrageſimale) temporale triduanum ieiunium (vulgo Quatuor Temporum) P. 271. B.

III. vbi quoties Magiſtratu aliquis functus ſit, deſignatur, interpretare *Tertiùm* magis, quàm *Tertiò*, vt Tertium Conſul. L. 4. P. 510. A. etſi non ſit inuſitatum *Tertiò*, ibi. E.CCXXXVII.

Imagines miraculoſae, quomodò Latinè. Vide in gratiae per Sanctos impetratae.

Imago Latinis dicta eſt de Pictura, Sculptura, Fuſoria, Figulina. L. 2. P. 351. B.

Immaculatae Virginis Mariae Conceptioni (ſubintellige Ara vel Templum Dicatum) L. 2. P. 370. Emaculandus titulus ex voce Immaculatae impura. Pro qua erit, Intemeratae, Sanctae &c. Elegantius pro Conceptioni vertitur

Virgini Mariae ſine macula conceptae. Ita pro, Chriſti Circumciſione, erit Chriſto Circumciſo: Aſcenſioni, Aſcendenti &c.

Immobilis dictas erga Principem, pro Stabilis, & perpetua, pulchrè vſurpatur. L. 5. P. 541. B.

Impendia, pro Impendium, inuenuſtè apud Polam. L. 5. P. 623. A.

Imperatoris appellatio interdum pro bellica adminiſtratione, interdum pro politica ſumitur. L. 5. P. 567. B.

Impraeſentiarum, pro in praeſentia, antiquum eſt, non tamen antiquatum. L. 2. P. 75. B, & 76. A.

In illo tempore, & *In diebus illis* formulae ab Eccleſia in Diuinis vſurpatae, ex vſu Latinorum ſunt aurei ſeculi. L. 2. P. 139. Non ſemper deſignant momenta temporis certa, ſed magis ſpatia, & fines. ibi, & 141. B. Latini, Graecique Scriptores ita locuti, ibi, & 140. Hae formulae non perperam frequentantur ab Eccleſia. 141. A. B. Continent energiam B.

In Chriſto Pater, In Chriſto Filius phraſes Graecae Latinis tenendae, vbi decorum ſuadet; ſecus reddendae Latinè. Vt obdormire in Chriſto: (dempto in) Obdormire Chriſto. L. 2. P. 269. & 270.

In ſuis, pro in ſuos, ſeu erga ſuos, locutio antiquorum, Ciceronis etiam ac Virgilij, parcè tamen vſurpanda. L. 4. P. 502. B.

Incarnatio, vox nouata, Latinè ac purè Humanatio, Corporatio, Aſſumptio vel ſuſceptio humanitatis, ſeu humanae carnis, humanae naturae. L. 2. P. 225. A. Pro Incarnor, aris, eſt Humanor.

Incuruiceruicumpecus, ex tribus vocibus vna compoſita, pro pecus pronum. L. 2. P. 111. A. Elogiaſte ſoluto metuenda.

Indigetes ſunt Dij ex hominibus aſſumpti. Nobis rectiùs dicentur homines pij in Sanctos relati. L. 2. P. 382. Aliter homines conſecrati, vel Pontificio ritu Diuis adlecti.

Indigitare propriè Inuocare. Calepino deducitur ab indicando. L. 2. P. 382.

Indigitamenta, ſunt libri Pontificales Latinis veteribus; nobis etiam Rituales, ibi.

Indiſcreta Trias, optime dictum de Deo Trino, & Vno. L. 5. P. 535. A.

Indulgentia Papalis, impropriè vſurpatur vulgò. L. 2. P. 257. Proprie dicetur Venia à Papa conceſſa. ibi. vel Abſolutio Pontificia. P. 258. E. CCCLXXV. & ſeq. A. Vel Expiatio publica à Pontifice Max. indicta. B. Iubilaeus aliquid amplius ſignificat. ibi.

Infirmaria, pro Valetudinario, vox barbara. L. 2. P. 210. E. CCLXXI. &c.

Ingioſtra, vox impuriſſima, pro ambitu Membri Coenobij: Sin pro loco ſubdiali, columnis in ambitu efficientibus porticum, impropriè Clauſtrum; propriè Periſtylium. L. 2. P. 210. E. CCLXXI.

Ingratitudo. Vide Gratitudo.

S. Inquiſitionis officium Latinè, & magnificè expreſſum. L. 4. P. 516. E. CCCXVIII.

Inquiſitor Generalis, cum adiuncto Haereticae prauitatis, Latina locutio de ſacro Magiſtratu. L. 2. P. 122. Circumſcribitur eleganter, Cuſtos Catholicae veritatis, ibi. E. CXXXIII. Sanctum officium Inquiſitionis praeter ſuprà allegata, etiam Salutare officium cuſtodiae fidei catholicae. ibi.

Inſepultus dolor, bellè, pro perpetuus, in Epitaphijs. L. 5. P. 540. B.

Inſignijs, pro Inſignibus, barbarè. L. 2. P. 345.

Interpuncta ſingulis dictionibus, & vocibus, etſi literae vnius, apponenda more Romano. L. 5. P. 606.

Inuidere actiuè ſumptum, pro intueri nimis. L. 3. P. 419. A.

Ironia figura. L. 6. P. 707. B.

Irreptus participium ex neutro Irrepo male deductum. L. 1. P. 34. E. LX.

Iudicij Vniuerſalis dies, eleganter Dies cenſorius. L. 2. P. 251. A. & E. CCCLXI.

Iure, merito, bina ſynonyma coniunctionem poſcentia vel expreſſam, vel tacitam; nec eſſe ſubſtantiuum cũ adiectiuo, contra Scioppium quouſque hic antiquũ producat exemplum. L. 4. P. 458. A. & 459. A.

Iuriſta, Vide Doctor.

Ius Patronatus, impropriè dictum. L. 2. P. 264. A. Latinè eſt Gentile Sacerdotium, ſi ius deuoluitur ad gentem, & familiam tantùm: ſin ad alienos ſpectat, eſt ius prodendi Sacerdotis. A. B.

Iuxta, pro Erga, eſt antiquatum. L. 5. P. 622. E. CCLXXVII.

L

Lachryma per y, non autem per u, lachruma, ſimileſque dictiones. L. 5. P. 622. vbi componuntur controuerſiae eruditorum.

Laicus, vt opponitur ſacris initiato, non eſt Latinum, ſed de re potius dicitur, quàm de homine. L. 2. P. 261. B.

Lantgrauius nomen ex Feudo Germanis, neceſſitate admiſſum. L. 2. P. 169.

Lapis benedictus (ad fundamenta Templi) non eſt Latinum. L. 2. P. 378. Pro eo eſt lapis luſtratus, initiatus, rite auſpicatus, ſolemni cum precatione inauguratus, ſolemni ritu ſacer, ceremonijs ſolemnibus conſecratus.

Latinae voces non ſunt, ortu, vel vſu, i. e. quae vel intruſae ex peregrino ſermone, vel natae in Latio, ſed obſoletae. L. 2. P. 78. B.

Latinitas in coniunctis vocibus corrumpitur ſoloeciſmo, vel barbariſmo. L. 2. P. 79. Exemplum ſoloeciſmi, Elogio LXXIII.

Latinius, Latiniſſimè non dicuntur Latinis contra Conradum. L. 2. P. 186. A.

Lector pro Doctore vox barbara. Pro ea eſt Doctor, Interpres, Profeſſor, Praelector. L. 2. P. 340. B. & ſeq.

Lectura pro Doctoris profeſſione non minus barbara, quàm ſuperior. ibid.
Libens, Merito in antiquis Inſcriptionibus Aduerbialiter ſumi probatur contea Scioppium. L. 4. P. 458. & ſeq.
Libri Pontificales Latinis dicti Indigitamenta: Nobis etiam Rituales, & Pontificales. L. 2. P. 382. B.
Lintrarij, i. e. Nauicularij. L. 4. P. 496. E. CCXXV.
Lipſanum, Graeca vox, eruditis Latinorum coepta probari, pro Reliquijs. L. 3. P. 414. A.
Literae coniunctae prohibendae ſunt Elogio, vt A pro AT, M pro MA &c. L. 5. P. 600. B.
Literae G, & S grandiuſculae, & extantes reliquis eiuſdem dictionis, pluratiuum indicant numerum, vt AVG, Auguſtis; COS. Conſulibus. L. 5. P. 602. A.
Litera K non admittenda in integris dictionibus, ſed in compendijs duntaxat, vt K. Caput, non Kapur; K. vel Kal. Calendis, non Kalendis. L. 5. P. 604. 605.
Literae L. & T grandiuſculae prae caeteris in eadem dictione. Probabile eſt factas decoris gratia. L. 5. P. 601. B. & 602.
Litera v, pro V ſiue Vocali, ſiue conſonante monſtroſa eſt inter Romanas. L. 5. P. 602. & ſeq.
Literae Praenominum recte, ſunt Virorum, inuerſae Mulierum, vt C. Caius, Ɔ Caia. L. 2. P. 76. B.
Literis Maiuſcolis tantùm inſcribi oportere. L. 5. P. 599.
Literatura (contra Obertum Giſanium) vox Latina boni ſeculi, pro Arte, quae de literis tractat. L. 2. P. 354. Et pro literarum cognitione, & ſcientia 355. A. Literator aliquando pro eo, qui literas nouit, aut docet, aliquando pro imbuto tantùm literis, non perfecto, ibi. Pro literatura etiam dicitur Eruditio, Doctrina. B.
Locum tenens, de illo qui fungitur vice Principis, Magiſtratus, aut alterius Praefecti, barbara appellatio. L. 2. P. 332. Latinè autem, ſi munus ſit temporarium, eſt Legatus: ſin perpetuum, Vicarius, vel Vice agens v. g. Proconſul. Pro locum tenens generalis, eſt Vicarius generalis. In Rota (quia haec conſtat ex pluribus) eſt, In Rota Vicarius, vel Agens in Rota vice Principis (Principem intellige Magiſtratum totum.)
Logos, Graeca vox, vſitata Latinis, pro ſermone ridiculo, & contemnendo. Apud Emin. Theſaurum more Graeco pro ſerio adhibetur, nec ineptè, poſtquam praemiſit titulum ſerium vocis compoſitae Dialogiſmus. L. 3. P. 416. A.

M

Madrigalis, certa ſpecies carminis Etruſci, vox noua, non improbanda, quia noui carminis. Citra neceſſitatem genericè indicabitur Carmen Etruſcum. L. 2. P. 361.
Magiſter domus erit etiam Latinè Oeconomus. L. 2. P. 384.
Maior domns, impura locutio. Latinè eſt Praefectus, vel Magiſter domus. ibi.
Maior Ciuitatis barbarum. Pro eo Rector, Princeps, Praefectus, Moderator. ibi.
Maior (in ordine ſacro Camaldulenſium) Latinè erit Summus Antiſtes, Praeſul Maximus. ibi.
Maioriſſa inter ſacras Virgines, barbarum. Eſt Latinè Praefecta, vel Antiſtita. ibi.
Maledicor perſonale paſſiuum, barbarè dicitur. L. 2. P. 378. B. Maledictum, nomen ſubſtantiuum, Latinè. Maledictus particip. paſs. barbarè. ibi, & ſeq.
Malefactor, vox apud Plautum. L. 2. P. 288. A. Nitidiùs dicitur Male meritus, Male merens, Et (ſuperlatiuè) Peſſimè meritus, ibi. B.
Mamma, pro Auia, vel Matre, antiqua Vox Elogiaſtae vitanda extra iocum. L. 2. P. 55. E. XVII. & ſeq.
Manes in Elogio vſurpari fas eſt pro Anima defuncti, ſiue pro Anima in antro purgatorio. L. 5. P. 623. E. CCCXXXVII. Siue pro Cadauere, & cineribus, ibi, & 642. E. CCCXXXVIII.
Manibus, & Manibijs, pro Manubijs, antiquatum. L. 5. P. 623. A.
Manutij (Aldi) placitum de Signo, & Statua cenſuram patitur. L. 2. P. 350. B. & 351. A.
Marchgrauius, Nomen ex Feudo Germanis, neceſſitate admiſſum. L. 2. P. 169.
Marchio, & Marchiſus (finibus Imperij Rom. tuendis primùm inſtitutus, deinde ius Feudi adeptus) vox Latinè tenenda. L. 2. P. 164. A. B Hinc Marchionatus. ibi.
Mare in ſexto caſu etiam in, e, extra neceſſitatem metri. L. 6. P. 699. A.
Mareſcalcus, vel Mareſchalcus, nouae dignitatis noua vox Latinè tenenda. L. 2. P. 177.
Martyr de Chriſtiano, qui teſtimonium Chriſto dederit fuſo ſanguine, vox è Graeco in Latinum ritè traducta. L. 2. P. 195. Nam vox Latina Teſtis impar eſt rei ſignificandae. ibi.
Materiale de aedificijs, barbarè. L. 2. P. 384. A. Latinè Materiarum. B.
Matheſis, Graeca vox, Lat. Inſtitutio, eruditis Latinorum accepta. L. 3. P. 416. A.
Mediaſtuticus, nomen Sūmi Magiſtratus Campanis veteribus. L. 2. P. 177. A.
Memoria, continuatiuo caſu, meliùs, quàm genitiuo. vt Puer dulcis memoria, quam dulcis memoriae. L. 5. P. 534. A.
Memoriae, num. plur. vox bono ſeculo nota. L. 2. P. 356. A.
Memoriam facere, pro Epitaphium inſcribere ſepulcro. L. 4. P. 488.
Merito, Libens aduerbialiter vſurpata. L. 4. P. 458. & 459.
Meritiſſimum ſubſtantiuè quandoque ſumptum

Plauto,

Plauto, & Ciceroni, pro Maximum meritum. L. 4. P. 458. B.
Meritiſſimus, adiectiuum, vox probata + Merentiſſimus autem inuſitata, & ſeculi corrupti. L. 2. P. 289. A.
Meſembria, vox Graeca, Latinè eruditis cognita. L. 3. P. 417. A.
Metalepſis. L. 6. P. 671. A.
Metonymia. ibi. P. 672. A.
Millia decem, antiquis Latinis; Millia quinque; Millia centum; Millia deciès centum, quibus notis ſcriberentur. L. 4. P. 452. A.
Miraculoſae imagines Sanctorum, Vide Gratiae per Sanctos impetratae.
Miſſa pro Re Diuina apud Chriſtianos, Vox Latinè tenenda. L. 2. P. 196. Tum quia rei nouae, ibi: tum quia Metonimicè à Miſſione, 197. A. Voces genericae Hoſtia, Sacrum, Sacrificium, Res Sacra, Res Diuina, adiuncta vel loci, vel aliàs ſupplebunt Vocem hanc Miſſa. Per appoſitionem vocis praecedentis. E. CCXLIX. loci. E. CCL. & P. 198. A. & E. CCLI. CCLII. & CCLIII. Pro Miſſis, Inferiae. B. Sacrũ funebre pro Miſſa Mortuorum. Solemnia anniuerſariae parẽtationis pro Officio Anniuerſario cum Miſſa de Requiem. Miſſa Collegij; vel Conuentus, pro Conuentualis, vel Capitularis. 199. Miſſam pro aliquo facere, vel offerre Latine dicitur, pro alicui applicare. Anniuerſariae inferiae, pro Anniuerſario defunctorum.
Mitratus, barbarè. Eſt Lat. Infulatus (ſupple, Sacerdos vel Antiſtes) L. 2. P. 130.
Mitti honeſta miſſione, de Milite emerito. L. 4. P. 474.
Monialis, vox trunca, Pro qua Caſtimonialis, Sanctimonialis, Sacra, vel Sacrata, vel Deuota Virgo. L. 2. P. 264. B.
ΜΟΝΟΤΡΙΘΕΟΣ Latinè Vnitrinodeus, Voces nouatae, Graeca benè, Latina male, quia praeter neceſſitatem. L. 2. P. 111. A.
Morio, onis, fatuus, ex genere illorum, quos habent Principes in delicijs. L. 6. P. 658. B.
Mors per Periphraſim varie deſcripta. L. 5. P. 555. & ſeq. ab Elogio LXXIII. ad LXXVII.
Mortale, de Peccato non dicitur, ſed Mortiferum, Lethiferum, Capitale. L. 2. P. 377. & ſeq.
Mortificatio, & Mortifico, voces ſunt peregrinae. L. 2. P. 206. Latina ſunr pro Verbo Mortifico, Prauas affectiones extinguo, Cupiditates frango, libidini, aut Voluptati bellum indico, Appetitus contraho, ac ſedo. A. B. & P. 207. Formulas multas habes ad copiam, non ſolum ad puritatem ſermonis. Pro nomine Mortificatio ſunt haec Synonima, Temperantia, Continentia, Abſtinentia, Caſtitas, 208. A. B. Item Procuicatio iucundorum, vel voluptatum. 229. E. CCCXIII.
Mortuus eſt nunquam dicebant antiquiſſimi Latinorum, & quare. L. 2. P. 195. B.
Municipium non quaeuis Ciuitas, ſed cuius Ciues donati Ciuitate Romana &c. L. 2. P. 324. A.
Munus pro Spectaculo publico, & pro dono lepide repetitum. L. 5. P. 573. E. CXL.

N

Nauis de Eccleſia, hoc eſt Templo, vox impropria, & male inuecta. L. 2. P. 218. & ſeqq. Pro Naui media eſt, Lat. Cella; pro Lateralibus, Alae. Vbi nullae Alae, adhuc dicitur Cella: + non, vt vulgò, Aula. 220. & 221.
Nepos ex fratre, ex ſorore, pro Filio fratris, vel ſororis, locutio Latinis inſolens. L. 2. P. 310. Nepos (generis communis) propriè eſt filius filij, filiaeue, referturque ad Auium, vel Auiam. 311. Ita Neptis. Ergo Lat. non Nepos ex fratre &c. ſed fratris filius, aut ſororis. Vel Fratre, aut Sorore genitus, vel natus. 313. Patrueles ſunt Fratris filij. 314. Nepos fratris eſt filio fratris genitus. 315. A. Nepotes Sacerdotum nominandi cum adiecto (ex legitimo matrimonio) 316. E. DLXI. &c. Nepos ex fratre apud veteres dictus Nepos ipſius fratris. 319. B.
Neſtoris fabula allegoricè tractata in Epitaphio. L. 6. P. 731. E. CXXVII. cum adiectione cenſurae.
Noctuabundus tabellarius, qui de multa nocte ambulauit. L. 5. B. 534. B.
Noëma figura. L. 6. P. 707. B.
Nomen Inſcribentis Latino more priorem occupabit locum; Poſteriorem verò illius nomen, cui inſcribitur. Interdum tamen contrà. L. 2. P. 370 & ſeq. Dignitatis perſonarum haberi poteſt ratio.
Nomina peregrina, quae ſunt hominis propria, quomodo Latinè terminanda. L. 2. P. 96. Hebraica, ibi, & 97. Grãeca, ibi. A. B. Germanica. B. Scythica. 98.
Nomina Gentilitia, Vide Cognomina.
Nomina propria locorum Italica vulgaria, tenenda quidem, ſed inflectenda Latinè. L. 2. P. 112. B.
Noſocomium, vox Graeca Latinis notiſſima, vulgò Domus, in qua aegroti curantur. L. 2. P. 260. E. CCCLXXX. &c.
Notarius pro eo, qui Teſtamenta conficit, & publicas ſcripturas, vox peruerſè vſurpata, pro qua eſt Tabellio. Notarius Latinè fuit, qui in Iudicio, vel extrà excipiebat Acta Notis, vel literis. L. 2. P. 333.
Nouae res ſecundum formam tantùm, antiquis efferendae nominibus, cum Epitheto, quo forma noua exprimatur. L. 2. P. 112. B.
Numiſma non dicitur Lat. Benedictum (ùulgò cum Indulgentia) ſed piaculare. L. 2. P. 380. B.

O

O, & OE, pro Θ, ad indicandum defunctum, inſcitia fecit Quadratariorum. L. 2. P. 76. B.
Θ Graecis, Nota numeri IX. L. 2. P. 79. A. Item (eſt vſitatum Latinis) damnati capite in Iudicio,

dicio, L. 3. P. 411. Item defuncti, in Epitaph. P. 415.

Obijt, de mortuo non dicebant antiquiſſimi Latinorum: & quare. L. 2. P. 195. B.

Obſcenitas verborum nunquam admittenda. L. 2. P. 52. num. IV. Ea eſt de rebus Venereis. Neceſſitas iubet, quàm tectiſſimè eas efferri. Exempla veterum, ibi. Cenſura in recentes, ibi. In marmora quaedam Gruteriana. 53. A. In recens Alexandrinum. B. ✝ Neque vitatur Translatis obſcenitas, quae proprijs interdum ſunt inuerecundiora. ibi. ✝ Ab honeſtis abſtinendum verbis, quae vulgus exponit obſceno ſenſui. ibi. Quae famam foedant, tectè efferenda. ibi. E. XV. Vitanda, quae obſcenitatem non vſu veterum, ſed vulgari noſtratium ſonant. 54. E. XVI. & ſeq. Et quae ſexum deuelant vèl primis oculis. ibi. A. Cenſura in Elogiaſtas recentes. A. B. Item praepoſteritas verborum contra vſum boni ſeculi. ibi, & 55.

Obſeruandiſſimus, vox impura. Vide Reuerendiſſimus.

Octaua (hoc eſt Feſtum ad octo continuos dies) alicuius Sancti, Latinè Octodialia (cum adiecto) v. g. S. Ambroſij. L. 2. P. 271. B.

Oecumenicus, pro Vniuerſalis, vel Generalis, Latinè permittitur in titulis Conciliorum. L. 2. P. 218.

Offertorium pro illa parte Miſſae, quae tenet Oblationis tempus; Vox origine Latina, idcirco tenenda. L. 2. P. 250.

Officialis, de re ad officium ſpectante, non de Miniſtro Magiſtratus. L. 2. P. 354. A.

Onomatopeia, ſpecies eſt imitationis. L. 2 P. 110. Excluditur fere ab Elogio graui, & ſoluto. L. 5. P. 640.

Oppidum aliquando eſt infra vrbem, aliquando pro Vrbe vſurpatur. L. 2. P. 324. A. Oppidani ſunt habitatores Oppidi infra Vrbem, Ciues Oppidi pro Vrbe.

Optumus, Maxumus, Peſſumus, pro Optimus &c. ſunt obſoleta. L. 5. P. 623. A.

Oratorium, pro loco ſacro ad orandum, Latinè dicitur. L. 2. P. 253. Pro qua etiam Domus Oratoria. 254.

Orcus, cùm de homine Chriſtiano, vox indecora. L. 5. P. 640. A. B.

Ordo, abſolutè dictus, intelligitur de Decurionibus Ciuitatis; cum epitheto Ampliſſimus, de Senatu. L. 2. P. 287. A.

Originale, de peccato non dicitur, ſed originarium. L. 2. P. 337

Ornithon Graecè, Latinè Auiarium. L. 3. P. 417. A.

Orthodoxa, de Eccleſia, vox Graeca Latinis accepta ex neceſſitate, ſonat Rectè credens. L. 2. P. 241. & 242. Poſcit adiunctum ſubſtantiui, Religio, aut ſimile.

Oſſua, pro Oſſa, Antiq. L. 5. P. 639. (errore Typogr. 396.) E. CCCXXVIII. Inde Oſſuarium, Vrna, in qua conduntur mortuorum oſſa.

Oui encomium ſcripſit Puteanus, praemiſſa Dedicatione Elogiaſtica per figuram Oui. L. 5. P. 629. E. CCXCVIII.

Oxymoron figura quid ſit. L. 6. P. 703. A.

P

P. litera, Latinis priſcis communi figura cum Graecis Γ. L. 5. P. 623. B.

Pagus interdum pro pluribus domibus ruſticanis in vnum coagmentatis; interdum pro tractu, ditione, & agro vnius iuriſdictionis ex multis vicis conſtante. L. 5. P. 323. B.

Palaeſtrita (Graeca vox domeſtica Latio) pro Luctatore. L. 3. P. 414. & E. LIX. & LX.

Palatium Proregis, vel Gubernatoris dicetur meliùs Regia. Palatium Iuſtitiae, Praetorium. L. 1. P. 17. E. VI. ✝ Palatium de domo priuatorum, vox barbara; de Principum quorumlibet, ſuſpecta. L. 2. P. 307. De ſummi Principis, translatè vſurpatur. 308. Quae in ſingulis Vrbibus ſubiectis Principi ſedes eſt Proprincipis, propriè Praetorium. ibi. A. & 309. Comes Palatij Pontificij, meliùs Palatinus Comes Pontificius. 308. B. Sacri Palatij Magiſter, ex neceſſitate permittitur: puriùs Apoſtolicae Aulae Magiſter. 309. A. B. ✝ Domus ſummi Principis, propriè dicitur (de Imperatore) Domus Auguſta (de Rege) Domus Regia (de alio Principe) Domus Principalis. Ita Domus Ducalis, Marchionalis &c. Vel pro Domo Regia, Aedes Regiae, etiam Praetorium. 310 B. ✝ De domo priuati hominis magnifica, pro Palatio dic Tectum magnificum, Aedes amplas, Praetorium. ibi. ✝ De Villa priuata, ſed operoſa, & ampla, Praetorium. ibi. Pro Palatio Conſilij, eſt Baſilica. Vide Baſilica.

Pancratiaſtes (Graeca vox Latinis nota) eſt Omnis luctae peritus. L. 3. P. 414. & E. LIX. & LX.

Pantheon, ſacrum Dijs omnibus. L. 3. P. 412. B.

Pantomimorum ſtudium. L. 6. P. 664. B.

Papa, Graecè, Latinè magnificentiùs ad linguae dignitatem Pontifex Maximus, vel Summus. L. 2. P. 128. Synonyma ſunt, Chriſtianae Reip. Dictator, Arbiter vnicus Religionis, Sacrorum Imperator &c. ✝ Papatus nitidiùs Pontificatus Max. Suprema infula, Sacer & Auguſtus Principatus, Chriſti Regnum. 129. E. CXLV.

Paradiſus de loco terreſtri (Geneſis cap. 2.) vox tenenda cum adiuncto Terreſtris, tanquam propria, etſi peregrina. L. 2. P. 211. & 212. Quae tamen amat Latinè verti Hortus amoenus, Beatus hortus. De Caeleſti, vitanda vox, pro qua Caeleſtis Regia, vel Regio, vel Patria, vel ora: Aula Regis immortalis, Caeleſte domicilium, vel Regnum, ſedes Beatorum & (expeditiùs) Caelum.

Paradoxum, ſiue Inopinatum. L. 6. P. 700. A. B.

Paraſceue Graeca vox, Graeco more enuncianda, quaſi Paraſ-ceue, non Para-ſceue. L. 5. P. 610. A. B.

Parentheſis

Parentheſis prolixae ab Elogio alienae exemplũ. L. 4. P. 510. A. ✝ Parentheſis eſt ſententiae interpoſitio ad ſenſum non neceſſariae. ibi. P. 511. Eius notae ( ) non adhibentur in literis maiuſculis. L. 5. P. 608. B.
Parlamentum, vox male nouata; pro qua Curia ſuprema. L. 2. P. 112. B.
Parochus pro Adminiſtratore Myſteriorum, vox è Graeco accepta Latinis. L. 2. P. 248. ✝ Ex ijs, qui ſubſunt, Paroecia dicitur, non Parochia, ex alio etymo voce deducta. Et Paroecialis Eccleſia, non Parochialis. L. 2. P. 176. E. CCXI.
Participia Tertiae, & Quartae Coniugationis Verborum in *undus*, pro *endus* ſeruiunt exprimendae dignitati, grauitati, antiquitati. L. 2. P. 622. A.
Patriarcha, vox ſacri Magiſtratus, è Graeco in Latinum legitimè translata. L. 2. P. 117. Circumſcribitur Sanctus Aris Rex. E. CXXIII. & Sacris Aris Praeſes. A. ✝ Patriarchatus pro ipſa dignitate. Item Patriarchia. ibi.
Patriota, & Compatriota, voces barbarae. Pro ijs ſunt Popularis, Conterraneus, & (ſi è Ciuitate) Ciuis. L. 2. P. 305.
Patronos, pro Patronus malè. L. 5. P. 623 A.
Paulus pro vnicum, l, non Paullus gro geminum, contra Aldum Man. L. 5. P. 621. A. B. Eſt à Graeco παῦλα, Latinè Quies, & Finis; ab Hebraico Saulus, S, litera in P mutata. ibi. B.
Pedibus Virgilianis Aeneam ferri ad Regnum aeternitatis, vitioſa translatio. L. 6. P. 730. B.
Perdius, & Pernox, venuſtè de illo, qui diem noctemque totam ſtudet. L. 5. P. 534. B.
Periphraſis eſt rei deſcriptio pro plura verba, quae vnico pronunciari poterat. L. 4. P. 512. A.
PERSPICVITAS. Virtus quàm ſit neceſſaria Elogio & cuicunque generi ſcribendi, & quàm foeda Obſcuritas. L. 3. Proluſ. P. 385. & ſeq. ✝ Obſcuritatis Scopuli ſunt hi.
I. Cùm quid praetermittitur in Narratione neceſſarium ad intelligentiam. 387. Vt nihil ornetur, amplificeturuè, non prius expoſitum. ibi. Actiones plures non ſatis notae, narrandae ſingillatim; ac narrationi cuique ſubdendae amplificationes, aut exornationes. 388. Vbi actio nota, non habet opus narrari, ſed tantùm innui, immixtis Argutijs, & illuſtrationibus. ✝ Orator Narrationem ab amplificatione ferè diſtinguit; Elogiaſtes autem vtramque artificioſè in vnum quaſi textum componit, laconiſmo iubente, ſic vt vno tempore doceat, & delectat. 389. A. ✝ Neceſſitas opplendi margines Elogiorum Scholijs arguit vitium obſcuritatis. A. ✝ Aliquando Argutiae narrationem praeeunt, & aditum ad eam ſtruunt. B. ✝ Narratio vnius actionis interdum in partes ſcinditur, & ſingulis Sales apponuntur. B. & 390. A. ✝ Caueat qui ad aeternitatem inſcribit, ne alluſione ad res praeſentes contineatur, quae cum temporum variatione immutantur, & conduntur in tenebris. A. B. Vindicatur ab iniqua cenſura titulus Exequiarum Philippi III. B. & E. V. vt imitatus formulam antiquorum. A. B. & 391. E. VI. & VII.
II. Cùm aſſumitur Tropus minùs notus, ſpectata ratione loci, & legentium, quibus offertur Inſcriptio. 391. A. ✝ Monitum; vbi ſit opus Scholijs in margine Elogij. B. & 394. A. Satius eſt argumentum praeſcribere Elogio ad vulgarem omnium notitiam, quàm margines totos occupare. 393. A. B. Allegoriae apertae exempla, & reconditae. 394. B. 395. & 396. ✝ Interdum ſubobſcura ſit propoſitio, cùm ſubnectitur expoſitio.
III. Adhuc modis quatuor. Primùm cùm ex naturali Hiſtoria obſcura conſtituitur Allegoria. 396. A. Exempla Hiſtoriarum notarum. B. E. XIII. & 397. A. & 399. E. XIX. ✝ ſpectant lemmata ſymbolis Academicis praefixa ex Poetis celebrioribus, quae vèl vna in voce perſpicuitatem habeant. B. Secundùm cùm Fabula minus nota. 397. Exempla Fabulae notae. A. B. E. XIV. Obſcurae. 398. E. XV. Obſcura, ſi attextu in ipſo Elogio explicetur, probatur E. XVI. Exemplum Hiſtoriae cum Fabula. E. XVII. Tertiùm cùm Adagium aut non tritum, aut mediocriter doctis incognitum, niſi ſi doctioribus tantùm Inſcriptio exponatur. 399. A. Exemplum triti Adagij. ibi. Obſcurioris. B. & E. XX. ✝ Probatur obſcurum Adagium, ſi attextu claretur. 400. E. XXI. Quartùm cùm Auctoritas, ſiue Sententia Scriptoris profani, aut ſacri, niſi ſit celebris & eruditis trita; Hoc in Elogio, ſicut in Symbolo Academico. A. Exempla de Elogio varia. A. B. & 401. A. ✝ Ab Allegoria ſe eximit, qui ſententiam ſuppreſſis verbis Scriptoris, ac in imitatione conſiſtit. Exempla. B. ✝ Elogium ex ſententijs auctorum varijs totum compactum ad oſtentationem ingenij, & eruditionis amat citari in marginibus & nominat ſingulorum Auctorum, & locos. B. & 402. ✝ Elogia domeſtica ſupellectili contenta, ex narratione tamen illuſtri cum admixta amplificatione cùm ab obſcuritatis periculo recedunt longiùs, tùm ad veterum magnificentiam propiùs accedunt. ibi. Exempla duo, alterum laxius, alterum preſſius. B. 403.
IV. Cùm miſcentur Elogio voces Poeticae indigentes interprete, quia ſolis Poetis vſitatae. 403. Exempla E. XXX. & XXXI. Excipiuntur Elogia iocoſa in gratiam eruditorum cudi ſolita. B. Hùc ſpectant locutiones poeticae ad perſpicuitatem nihil conducentes 404. A. B.
V. Cùm verba fictitia vt inuſitata, ita incognita. 404. Exempla. A. B. Excipe conſenſu, & vſu probata. Exemplum. B. E. XXXII.
VI. Pro vocibus proprijs translatae longiùs, & per Catachreſim, ſententiam obſcu-

rant. 405. Tranſlata varia expenduntur. A. B. & 406. A. B. Tranſlata ſubobſcura per ſubiectam expoſitionem cum compendio temperantur. B. Cauenda tranſlatio ſenſu improprio. B. & ſeq. Exemplum bonae tranſlationis, & alluſionis. 407. E. XXXV.

VII. Priſca verba. 407. Antiqua ſunt alia ab Antiquatis: illa adhuc in vſu, ſed raro; haec obſoleta. 408. A. Antiquorum vſus Poetis liberior, quàm ſolutis Elogiaſtis. Notatur Pola E. XXXVI. & Voſſius ibi. A. Alludenti ex propoſito ad morem priſcorum permittũtur verba priſca. A. B. E. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. & P. 404. A. Aliàs priſca verba arguunt leuitatem Auctoris. A. Reum illum in Remp. conſtituunt. B. Cenſura in Elogiaſtas quoſdam antiquarios. ibi. & 410. A.

VIII. Externa, ſeu peregrina verba. 410. & ſeq. Graeca non admittit Elogium, ſi exponatur in omnium gratiam (ſecùs ſi eruditorum tantùm, vti Panegyricum, & alludatur ad dictum celebre. 411. A. aut ſit vox Graeca eruditorum Latinorum vſu trita) ✝ ſemper autem Latinis literis ſcribi Graeca poſtulant. ibi. Donata Latio haec ſunt Poluandrion. B. Dendrophorus, Archiatros, Phonaſcus, Diaetarchus, Agoniſtarcha, Pantheum, & alia. ibi. 412. 413. Lipſanum pro Reliquijs non ita tritum videtur. 414. A. Iudicium de alijs. ibi, & 415. Θ, nota in Epitaphijs vſu accepta. ibi. A. B. Oratio Latina Graecis literis expoſita barbara eſt, ne dum obſcura. B. & E. LXV. & LXIV. Voces IHS. XPS ita ſcribi obtinuit vſus, & religio. 416. A. De logos apud Theſaurum ſeriò vſurpato, iudicium. ibi. De alijs apud Maſculum, & Polam. B. & apud alios. ibi, & 417. A. Obſcuritati Graecae vocis non tritae medetur ſubiecta ſententia expoſitiua, Aut ratio materiae, Aut loci. A. B. ✝ Quod de Graecis, id ipſum de peregrinis quibuſcunque. ✝ Omnino Latinè quae poſſunt, efferri praeſtat. ✝ Latinae Inſcriptioni lemma peregrinum poni licebit in fronte, aut calce, dum ſermo ille ignotus non ſit loco, vbi exponitur. 418. A. Exempla varia. ibi, & 419. Notatur barbariae admittens in corpore Elogij externam locutionem citra neceſſitatem. E. LXXIII.

IX. Aequiuoca. 419. Niſi indicetur eorum ſignificatio continuatione verborum, aut appoſito B. Exemplum prioris imitandum. ibi, & 420. Ne tamen in aequiuocis licentior ſit Elogiaſtes. ibi. Poſterioris exemplum emendandum. E. LXXVI. & P. 421. E. LXXVIII. & LXXIX. ✝ Epitheti locum ſupplebit Pictura, aut Appendix id genus. ibi. A. ✝ Caſuum eorundem continuatio dirimenda, ne ſententiam obſcuret. 422. A. B.

X. Aenigma. 422. A. Bifariam conceditur. I. Cùm res, cui aenigma inſcribitur, eius intelligentiam iuuat. B. Exemplum. ibi. II. Si à re tranſportato aenigmate, praeſcribatur Titulus. 423. A. Exempla. E. LXXXII. vſque ad LXXXV. Adde, ſi acutis ſolùm ingenijs proponatur, intellectu facile. 424. Ampliùs ſi propoſitum ſimul exponatur. Exemplum. B. ✝ Aenigma portentoſum in marmore Bononienſi, haud imitandum Elogiaſtae, ſed viſendum tamen, E. LXXXVIII. cum expoſitione. 425.

XI. Amphibologia ex verbis contextis nata. 425. Exemplum cum cenſura. A. Exemplum imitandum. E. LXXXIX. Alterum cum cenſura. E. XC. & XCI. Caue, ne contrarium colligatur ex eadem ſententia. 427. B.

XII. Biſquaeſita. ibi. Fiunt primum in elementis. Exempla. Deinde in Syllabis. Exempla. ibi, & 428. Tum in Dictionibus. ibi. Quocunque modo Perſpicuitas aegrè ſeruatur. Exemplum caſtum Polae. E. XCIII.

XIII. Literae ſolitariae praeter legem communem ingeſtae Elogio. 428. Vix id conceſſum Sibyllae. A. B. & Apollini Delphico. 429. Exempla veterum bona. E. XCV. XCVI. & XCVII. ✝ Quaedam hodie incognita, fuerunt antiquis cognita. B. Elementis ſolitarijs veterum Rom. reſtitutis hodie per Viros eruditos vti licet. ibi. Notae numerales veterum aliae tenendae, aliae reſpuendae. B. & 430. Exponuntur omnes metro per Petrum Adrianum ibi. Ex his quae tenendae. B. Exemplum improbatum Elementorum. ibi. Probatum. 431. Rurſus improbatum. E. CI. Exemplum ſcurrilis Aenigmatis cum expoſitione. E. CII. Tria adhuc improbata. CIII. CIV. & CV.

XIV. Afferuntur Notae, ſeu literae ſingulares ex antiquis hodierno vſu probatae. 432. & ſeq. Harum aliae per ſe perſpicuae, alias res ipſa, cui inſcribuntur, declarat. 433. Intereſt ad earum notitiam notitia morum & legum veterum Rom. B. Et ad earum vſum, vt vigeant conſuetudines illorum, & ritus. ibi, & 434. Expoſitae vulgo Inſcriptiones notas poſcunt vulgares, eruditis reconditas. A. B.

XV. Vſitata Dictionum compendia ex antiquitate. 434. Inuſitata. 435.

XVI. Additamentum ad Perſpicuitatem Inſcriptionis hiſtoricae. 436. Vt diſtribuatur Totum in Partes per totidem Membra, aut Inciſa cum fig. Diſſolutionis. Exemplum. E. XIX.

Phaenomena Graecè num. plur. Latinè Aſtra, & Stellae; ſed propriè Apparitiones, ſiue Apparentia, quod de omnibus in Caelo apparentibus humano viſui vſurpatur. L. 5. P. 596. B.

Phalerata veritas pro fucata, bellè dictum. L. 5. P. 541. A.

Philomuſus, Graeca dictio, Latinis familiaris idest Muſarum amicus. L. 3. P. 413. A.

Phonaſcus, Graeca vox, Latinè vſitata pro Magiſtro vocis, ac pronunciationis. L. 3. P. 412. A.

Pientiſſimus, pro Pijſſimus, vox ſeculi ſequioris,

etſi

etſi plena energiae, & compendium laudum. L.4. P.494. E. CCXV. &c. ✝ Epithetonpientiſſimi tributum Chriſto Domino aptiſſimè, vtrum verò nitidiſſimè? L.2.P.49.& 50.E.VI.

Platea Mercatorum, impropria locutio, pro Forum Mercatorum. Quae muro ambitur, & Aedes habet pro Conuentibus, & Cauſis Mercatorum, dicitur Baſilica. L.2. P.344.

Plebanus, pro illo, qui in inſigniori Aede myſteria adminiſtrat, barbara vox. Pro ea eſt Paſtor Paroeciae, Dominus Plebis, Curio Plebis. L. 2. P. 133.

Plenipotentiarius, vox nuperrima, temerè nouata. Latinè eſt Legatus cum plena poteſtate, vel Fecialis Maximus. L.2. P.178.&179.

Ploce figura quid ſit. L.6. P.700. A.

Poenitentia, ad animum relata, Latinè dicitur; ad corpus, barbarè. Pro voluntarijs ergo poenis quomodo Latinè reddatur, habes. L. 2. P. 231.

Poenitentiarius, appellatio Sacri Magiſtratus, Latinis probanda. L.1. P.121. Amat circumſcribi, A ſacra poenitentia, Sacrae Poenitentiae Praefectus, vel Praepoſitus. ibi, & 122. Hinc Maior Poenitentiarius. 121. A.

Politeuma, Graeca vox, Latinè (Feſto interprete) Municipatus. L.3. P.416. B.

Poluandrion (quinqueſyllabum) Coemeterium, vbi multa ſepulcra, vox Graeca Latinis accepta. L. 3. P.411. B.

Pontifex, à Ponte conſtructo, quondam dictus, materiem alluſionis venuſtae ſuggerit Inſcriptioni antiquae. L. 5. P.608. E. CCLXVI. ✝ Pontificium, pro Pontificatu vox noua, poſthabenda veteri. L.2. P.116. B.

Potentatus de dominatione, & poteſtate Latinè dicitur, non de homine, penes quem eſt Potentatus. L.2. P.354. B. Pro eo eſt Dynaſta, Princeps, qui cum imperio eſt: Et num. plur. Proceres.

Poteſtas, interdum Latinè; qui Magiſtratum politicum gerit. Dictus etiam Praetor Vrbanus. Hodie Praetor abſolutè, quia in re militari non amplius vocatur Praetor. L. 2. P. 353. B. Vicarius Poteſtatis nitidiùs Vicarius Praetorius. 354.

Praebenda, dae, barbarum; pro Praebenda, dorum. L.2. P.264. A. Hinc Praebendarius, qui Praebenda percipit, vox toleranda. Purior erit Collega ſingularis, Duplaris &c. qui vnã, qui duas ſtipes, ſeu diſtributiones percipit. ibi.

Praedeceſſor, vox Latinis incognita. L.2. P.273. Pro Praedeceſſores omnes ſunt. 1. Omnes retro. 2. Omnes ante ſe. 3. Deceſſores (& num. ſing. Deceſſor.) 4. Priores. 5. Anteceſſores. 6. Praeceſſores. 7. Praecedentes. 274. 275.

Praelatus, ſubſtantiuè, vox barbara, adiectiuè Latina. L.2. P.129. Latinè tamen cum adiecto, Sacris Praelatus, vel per ſynonyma, Sacrorum Antiſtes, Praeſes, Princeps; Sacer Dynaſta, ſeu Magiſtratus: Infulatus Myſta, vel vna dictione, Praeſul. ✝ Num. plur. Eccleſiae Proceres. Praelatos vulgò Minores, ideſt Plebanos, Priores, Archipresbyteros, & huiuſmodi Latinè dices Antiſtites, aut Principes minorum Sacerdotum: Maiores autem, vt Epiſcopos, Archiepiſcopos &c. (voce generica) Reges ſacrorum. ✝ Pro Praelatura erit Praeſulatus. ibi. E. CXLVI.

Praepoſitus, Latina vox tùm appellatiuè, tùm propriè de Templo, & Sacris. L. 2. P. 123. Tranſlata ad munus Politicum, & Sacrum. Politici exemplum. E. CXXXVI. Sacri. 124. E. CXXXVII. & CXXXVIII. Ipſa Dignitas Praepoſitura, aut Praepoſitatus, aut per circunſcriptionem, Eccleſiae Praefectura.

Praepoſteritas Naturae, pro ordine Naturae praepoſtero. L. 5. P. 534. A.

Presbyter, vox citra neceſſitatem vitanda. Pro qua eſt Sacerdos, & pro Presbyteratu Sacerdotium. L. 2. P. 217. Neceſſitas interuenit, vbi hic ordo à reliquis ſecernitur, vt in titulo S. R. E. Presbyter Card. Presbyterium pro Sede Presbyteri ſolemni ritu operantis.

Praeſes refertur ad Ordinem, Concilium, Curiam, Senatum. L 2. P. 117. A. Non dicitur de ſolo Cuſtode, ſed etiam de Rectore, & Gubernatore. 159. Nec ſolùm de ſummo Rectore, ſed etiam de illius Vicario. 160. ✝ Praeſes abſtinentiſſimus pro Adminiſtratore iuſtitiae incorrupto. ibi. Praeſes publicae ſanitatis, i. e. Cuſtos (161.) deſcribitur Septemuirorum (ſi ſeptem ſint in Magiſtratu) à publica ſanitate tuenda Princeps. 162. A. ✝ Praeſes in Senatu veteribus boni ſeculi dicebatur Princeps. 161. A. & E. CLXXXIII. Cenſura in E. CLXXXIV. de Praeſide ſanctioris Cõcilij. 162. Hinc Praeſidatus, & Praeſidentia, Dignitas Praeſidis. A. B. Ius Praeſidale. ibi.

Praeſidens, titulus vulgaris, de ſummo Moderatore ſacri Ord. Ciſtercienſium, minùs Latinè. L.2. P.136. A. B. Pro eo eſt Praeſes. 138. E. CLXVIII.

Praetor, Exercitus ductor Romanis primùm appellatus, deinde Prouinciarum Praefectus. L. 2. P. 158. B.

Praetoriani Milites nominis Chriſtiani, Item ordo Praetorianus &c. dici bellè poſsũt Equites Melitenſes. L.2. P.353. B.

Praetorium, pro domo Praetoris, Proprincipis, Proregis, Legati &c. Vide Palatium. Et pro aedificio ruri, eleganti, & amplo. ibi.

Primas, atis, pro eo, quod primus eſt dignitate (Ciceroni eſt Princeps) vox tranſlata ad gradum quendam ſacrae dignitatis ex maioribus, nata (vt conijcimus) Latinitate adhuc vigente. L.2. P.118. A. B. Hinc Primatus pro ipſa Dignitate. ibi. Et Primatialis Eccleſia, cui Primas praeeſt. ibi.

Primicerius, pro Notario Principis, vox nouata poſt linguae forſan interitum. L.2. P.119. & 120. E.CXXVIII. In re ſacra duntaxat admit-

titur ex neceſſitate: pro illo, qui primas tenet inter Diaconos, & reliquos ordines Eccleſiaſticos. 120. A. B. Primiceriatus, ipſa Dignitas. B.

Princeps, vox conſonantior, quàm Primus. L.5. P.538. B. Eſt etiam gradus Feudi. ✝ Princeps Iuuentutis, Epitheton genericum, ſpecies omnes virtutum, quae iuuenem ornant, complectens. L.4. P.439. E.IV. ✝ Princeps, tempore Auguſti idem erat, ac primus, ordinem ſignificans, non imperium. L. 2. P. 147. A. Paulò pòſt etiam imperium. B.

Prior, de certa ſacra Dignitate, non vſurpanda vox citra neceſſitatem. L.2.P.126. Ad Monachos relatus, dicitur Coenobiarcha: Ad Clericos, Praeſul, Antiſtes &c. Prioratus vulgò, Dignitas, amat circumſcribi, ſacri faſces Prioris, vel Prioris Praefectura. In Militia Melitenſi appellatio Prioris neceſſaria. P.127. A.B.

Prioriſſa, de ſummo gradu inter ſacras Virgines, vox barbara. Vide in Abbas, vbi de Abbatiſſa. De gradu inferiore, ideſt Prouicaria Abbatiſſae, dicitur Lat. Proantiſtita, Propraefecta, Promater. Ita etiam appellabis Vicariam Prioriſſae, quam vulgus Supprioriſſam. L. 2. P. 126. A. B.

Priuilegiatus, vox impura, pro qua Priuilegiarius, & Priuilegium. L.2. P.305.

Proantiſtes, pro Vicario Antiſtitis, ſiue Epiſcopi, ſiue alterius Praeſulis, Latina vox. L. 2. P.131.B. & E. CXLIX. Vide Procancellario.

Procancellario, vox compoſitione ritè nouata, & per omnes caſus, ac numeros vſurpata. L.2. P.131. A. Ita Proantiſtite, Prorege, Proprincipe &c. Hinc Procancellariatus.

Proconſule, Promilite, Proquaeſtore } Latinis veteribus per omnes caſus, & numeros, ideſt Proconſul, ſeu loco Conſulis &c. Ita Exconſule, ſeu Exconſul, qui fuit Conſul. L.2. P.131. A.

Proceſſio, vulgò malè vſurpatur. Pro qua Lat. Sacra pompa; ſi pro deferenda Sacra Euchariſtia, aut ſacris Reliquijs, Imaginibus &c. L.2.P.266. Sin ad exorandum Deum, eſt Supplicatio publica, Publicum ſupplicium. Si pro Gratijs agendis, eſt Gratulatio. Pro ſolemni Proceſſione, dic Pompam illuſtrem, inſignem, magnificam, ſplendidam, apparatam. 263. ✝ Actus ipſe procedendi dicitur Proceſſus ſacri Ordinis in publico; Ordo procedentium in Pompa, vel Supplicatione, vel Gratulatione. Proceſſionaliter, barbarè. Pro eo, In morem ſacri proceſſus. Pro perſonis procedentibus erit Agmen ſacrum ſupplicantium.

Proceſſus criminalis, impura locutio. Eſt Lat. Cognitio Cauſae criminalis, ſicut Cauſae ciuilis. L.2. P.333. Pro Cauſarum proceſſibus, Lat. Cauſarum quaeſtiones, diſceptationes, cognitiones, iudicia. ✝ Proceſſus pro faſce tabularum, & libellorum, quae actitata ſunt pro Tribunali, Lat. Acta, orum. ibi.

Proëpiſcopus, vox ſuſpecta, quia hybrida. L. 2 P. 131.

Profanare de Templo, vel ſacro vaſe, & quidem auctoritate legitima; ſed elegantius eſt Exaugurare. L. 2. P.261. A. ✝ Profano, pro dedico, vox Latina, ſed cautè adhibenda, quia obſcura, & ambigua. L.3. P.420. B.

Promoueri ad ſacros Magiſtratus, vel ſacros Ordines, Latina phraſis. L.2. P.128. Hinc Promotio, & Promotus. Circumſcribi non reſpuit. ibi. An Promoueri ſit ipſum, ac deſignari. ibi.

Pronaon antiquis Ethnicis erat Templi veſtibulum, Chriſtianis erat praeterea Pluteus, ſeu Pulpitum ad legendas populo Homelias, aliud à ſuggeſtu, vnde hodie habentur Conciones. L.2. P.218. B. & 219. A.

Propontifex, Propraeſul } Pro Vicario Epiſcopi, Latina ſunt. P.131. A. Hinc Propontificatus, Propraeſulatus. ibi. B.

Proportio quid ſit, & quomodo differat à Similitudine. L. 6. P.667. A. B. & 668. A. B. Proportionis Metaphora non habet genus propriè ſumptum. 669. A.

Proſeucha aliter Noſocomium, vulgò & barbarè Hoſpitale aegrotorum. L.2. P.240. E. CCCXLIV.

Protectio de Militia, & Pugnis Circenſibus, quae militiae habent ſpeciem, vſurpatur. De alijs praetereà eſt Fides, Clientela, Tutela, Patrocinium. L. 2. P. 346.

Protector extra militiam, & pugnas Circenſes Latinè eſt Patronus, Defenſor, Tutelaris, & figuratè Tutela. L.2. P.347. & 348. Diui tutelares, Cuſtodes, Praeſides, quos vulgus Protectores. Excipe illos, qui intenta hoſtium arma viſi ſunt praeſentes auertere, & profligare, vt Diuus Iacobus merito Hiſpanorum Protector dictus, & Diuus Caſimirus Polonorum. 399.

Protomartyr vox Latinè adhibenda. L. 2. P. 196. B.

Protomiles, Protopontifex } Voces hybridae, malè nouatae. L.2.P. 111. B. Quomodo reddendae. ibi.

Protonotarius Participans, Latinè erit, VIIVIR Protonotarius. L.2. P.303.B. ✝ Etſi vox Protonotarius hybrida eſt. ibi. P.119. A. Melius circumſcribitur Notariorum Primicerius, vel Princeps. ibi.

Prouincia hodie ad veterum Latinorum conſuetudinem, de Regione etiam voluntaria deditione recepta, quae per Praefectos regitur. L.2. P. 325. A. Translatè de quocunque munere, ac ſtudio. A B.

Prouincialis, pro Magiſtratu, ſeu Praefectura ſacrae familiae. L.2. P.131. Sed cum adiecto, Prouincialis Magiſter, vel Praefectus &c. Synonyma. ibi, & 133. E. CLV. & ſeq. ✝ Prouincialis ſine adiecto eſt homo ex Prouincia. B. & E. CLVI.

Proximus,

Proximus, cum vulgò dicitur Amor in proximum, minimè Latinum eſt. L.2. P.222. Pro quo Latinè Amor in alterum,vel in homines, vel hominum. ibi. B. vel in hominum genus, in omnes ordines. 223. A. Pro Amatore proximi eſt Amans omnium,Amicus,Studioſus, vel In alios officioſus, Officijs in alios clarus, Ad beneficentiam pronus, Charitate in omnes conſpicuus &c. Variae formulae ex Elogiaſtis, ibi, & alijs Scriptoribus. B. ✝ Emaculatur Epitaphium. ibi. E. CCCII.

Pſaltzgrauius, nomen Germanis ex feudo, neceſſitate admiſſum. L.2. P.169.

Pſeudopontifex, vox hybrida, malè nouata. L. 2. P. 111. B. Quomodo reddenda Latinè. ibi, & P. 112. A.

Pſycacogia Graecè eſt Latinè deductio Animarum, ſeu Regimen. L.5. P.596, B. Pſicagogos epitheton Mercurij à deducendis Animis, & attribuitur Suadelae, ſeu Eloquentiae, quae flexanima dicitur.

Ptochia (Graeca vox, eruditis Latinis nota) vulgò Domus, vbi publicè aluntur Pauperes. L.3. P.4 6. E. LXXII.

Ptochodochium (vt antecedens) eruditis nota, Latinè vſurpatur pro domo, in qua Mendici aluntur. L.2. P.260. E. CCCLXXX. &c.

Puncta poſt dictiones, vel ſi vnius fuerint literae, apponenda, vbi nimirum ſcribitur literis maiuſculis. Ea vel rotunda ad imum literae,vel rotunda, aut triangularia ad medium. Nulla tamen in extremo verſuum. L.5.P.606.& ſeq. ✝ Puncta Admirationis, Exclamationis, Interrogationis nulla in literis maiuſculis. ibi.

Purgatorium, vox ritè nouata, rei nouae hominum cognitioni. L. 2. P. 199. Periphraſticè erit Ignis purgatorius, Purgatoria tormenta, Temporariae poſt mortem poenae, Flammae purgatrices, Ignis luſtralis, Temporalis Erebus &c. 200.

Q

Quadrantaria Meretrix, hoc eſt viliſſima, quae pro quadrante corpus locat. L.3 P.422. A.

Quantum fuit cariſſima! Clauſula Epitaphij apud Gruterum, quam tuemur contra Cenſorem Grammaticum. L.2. P.374. & 375.

Quartier Maſtro in Germanorum militia, vox vulgaris, Latinè eſt Diuerſoriorum metator. Cui ſi accedat Epitheton *Generalis*, erit qui vulgo *Quartier Maſtro Generale*. L.2.P.171.B.

Quotiens, & Totiens improbantur cum, n; rectiùs Quoties, & Toties. L.5, P.623. A.

R

Rara Verba rarò adhibenda, ſcilicet neceſſitate poſcente. Vt Phoenix gen. foemin. ſi de foemina ſingulari vſurpetur. L.2. P.47. & 48.

Reatus pro crimine patrato impropriè dicitur. L. 2. P. 359. A.

Recipere ſibi ius, eſt (quod vulgo) reſeruare. L. 2. P. 55. E. XVIII. Vbi notatur vox Fas, malè vſurpata ſexto caſu.

Redemptor de Chriſto Deo, vox Latina. L. 2. P. 241.

Referendarius (pro Magiſtro libellorum ſupplicum apud Pontificem Max. vel apud Regem) impura vox, nec niſi cogente neceſſitate vſurpanda. L.2.P.118. Circumſcribitur ex paritate. P. 119. A. & E. CXXVI. ✝ Referendarius vel Gratiae nuncupatus, vel Iuſtitiae. B.

Regnum, propriè eſt Regio, quam Rex poſſidet: Translatè quidquid locorum quis poſſidet, etiam ſine ſummo Imperio, vt feudum. L.2. P.325.B. Etiam ſedes brutorum. 326. A.

Reliquiae Sanctorum (pro oſſibus, & cineribus, & alijs rebus ad vſum quondam hominum, qui pòſt recepti ſunt in Caelum) Latina locutio. L.2. P. 252. & 253. Vox Graeca Lipſana non ita omnibus cognita.

Reminiſco, pro Reminiſcor, lepidè carpitur ab Auſonio. L. 6. P. 602. A.

Requieſco actiuè pro Siſto. rarum, ſed Virgilianum: Pro Requieſcere facio, aut obſoletum, aut barbarum. L.2.P.81.E.LXXXI.& P.82.A.

Res gerere, propriè de re bellica. L.2. P.113. B. Sicut Operari, de re ſacra, ſeu ſacrificio: & Agere de re forenſi.

Reſidens, Nomen ex Participio, de Oratore ordinario Principis, vox durior. Lenitur reſolutione in ſuum Verbum. L.2. P.182.

Reſpiciens Fortuna, ideſt, Quae priùs aduerſa, pòſt ſecunda. L.5. P.534. E. III.

Reticentia figura. L.6. P. 707. B.

Retrograda enunciatio contrarium efficiens ſenſum. L.6. P.699 B.

Reuerendiſſimus non dicitur Latinè. L.2.P.254. Participia in dus non habent gradum comparationis, nec ſuperlationis. 255. A. Pro Reuerendior erit, Maiore dignus reuerentia; Pro Reuerendiſſimus, Maxima &c. Alijs ſupplendum epithetis, V. g. Epiſcopus Vigilantiſſimus, Ampliſ., Sanctiſs., Spectatiſs., Probatiſs., Religioſiſs., Illuſtriſs., Clariſs. Vel Primarius, Eximius, Inclytus, Incomparabilis, Apprimè reuerendus, Plurimùm colendus &c. 256. ✝ Epitheta honoraria amant poſtponi nominibus proprijs. ibi.

Reuerentiſſimus, vox ſuperlationis ex alio Participio, probata. L.2. P.256. B.

Rhythmus in ſoluta Inſcriptione damnatus quid ſit. L. 2. P. 79. B

Romanzi, vocabulum Etruſcum, illis inditum, qui fabulas tractant ſolutas numeris. L. 1. P. 31. B.

Rotae Iudices, non improbanda appellatio, quoties ſit aliud Tribunal in Ciuitate, pari numero Virorum, neque hi certa appellatione inſigniti. L. 2. P. 303. Secus vocandi Latino more Triumuiri, Quatuoruiri &c. pro numero, quo fuerint in Rota. ✝ Addi poterit particula

ticula *litibus iudicandis*, ſeu *Iuri dicundo*, vel *Iuris dicundi*. Aliter Triumuiratus Iudicum, ſeu Triumuiratus litibus iudicandis &c. ibi. A. B. † Romanae Rotae Auditores Latinè permittitur dici. 304.

S

Sacerdos, Praefecta ſacrarum Virginum appellata antiquis; Nobis id nomen vetitum de Sanctimonialibus. L. 2. P. 384. B.

Sacramenta Eccleſiae, neceſſitas dici probat. Pro ijs Latinè ſunt Myſteria. L.2. P.265. B.

Sacriſtia eſt Lat. Sacrarium. Eius Praefectus. A. Sacrario. ibid.

Saluator de Chriſto Domino, vox controuerſa. Pro ea Seruator, vel Soter. L.2. P.201. & 202. Eam ignorat Auctor Theſauri Lat. L. Agnoſcit Manutius. ibi. Rationes pro voce Seruator. † Seruare eſt ſalutem conſeruare, & reſtituere. A.B. Seruator in marmoribus recentibus. 203. E. CCLX. & CCLXI. † Rationes pro Saluator. ibi. & 204. Synonyma. ibi. Salutaris pro Saluator Latinum eſt. ibi.

Sanctes, nomen Viri proprium, Sanctus appellatiuum. L. 5. P. 195. A.

Sanctus, ui Altare dicatum, Praeſes vocatur eius Altaris. L. 2. P. 55. E. XVIII.

Sceletus, Cadaner aſſiccatum. Item Syntaxis vniuerſa omnium corporis oſſium inuicem commiſſarum. L.3. P.422. B. & E. LXXX. † Eſt generis maſculini tam de homine, quàm de bruto, cùm Graecè abſolutè ſit ὁ σκελετός.

Schiſma, vox Graeca, Latinè ex neceſſitate probata. L. 2. P. 243.

Scimitarra, vox Turcica, Latinè eſt Gladius, ſeu Enſis falcatur. L. 2. P. 112. B.

Scloppus, & Sclopetus, voces ritè nouatae. L.2. P.356. Ictus illius expreſſio varia Latinè. 358.

Se viuus, pro Se viuo, in antiq. marmoribus. Peccatum quadratariorum. L.2. P.76. B.

Secretarium, vox legitimè nouata. L.2. P.375. Dicitur de loco, vbi in Cauſis Reorum Iudices rogabantur ſecretò ſententias, pro Tribunali poſt à Praetore pronunciandas.

Secretarius, vox vitanda, niſi dignitatis adnexae neceſſaria ſignificatione probetur. L.2. P.173. & 174. Pro ea eſt A ſecretis.

Secularis, & Laicus, vt Eccleſiaſtico opponitur, vtraque vox barbara. L.2. P.260. Pro illis Latinè eſt Profanus, ſeu Ordinis profani. † Seculum dicitur de Tempore, non de conditione, ſeu ſtatu hominum, qui ſacris non ſunt initiati. 261. & 262. Item 366. Seculum eſt curſus centum annorum, vt A Chriſti ortu Seculo ſexto ſupra decimum, pro Anno MDC. † Haec formula non eſt vſui, cùm aliquid annorum ſignificandum eſt ſupra ſeculum. Item eſt iuſta hominis aetas, vt ſui ſeculi decus. † Viuere in hoc ſeculo, pro in hoc Mundo, impura locutio. 367. A. Obijt huius ſeculi anno LXXX. non improbanda locutio, ſi ſeculum ſit priùs indicatum. B. E.DCLXIX.

Seculum abſque diphthongo placet ſcribere, contra placitum Aldi. L.5. P.619. B. & ſeq.

Seneſcallus, vel Seneſchalcus, hodie eſt Praefectus Regiae Menſae, vox praeter neceſſitatem vitanda. L. 2. P. 177. & 178. Tutiùs adhibes ſynonyma, Dapifer, ſtructor menſae, ſtructor epularum &c. ſeu Graecè Architriclinus, Trapezocomus, Tricliniarcha.

Sepulcrum, quaſi ſeorſum è pulchro. L.6.P.682. A. † Sepulcri Periphraſis varia. L. 5. P. 557. ab Elogio LXXXVI. ad XCII.

Seſqui, ſignificat maius dimidio, vt Anno Seſquimilleſimo pro Milleſimo, & quingenteſimo. L. 4. P. 510. A.B.

Sicarius non eſt ſimpliciter, qui vulgo Aſſaſſinus. L.2. P.381. ſed Sicarius conductitius, vel conductus; Percuſſor emptitius, vel emptus.

Siciliquum eſt ſupplementum literae, formatum linea vocalibus ſuperinducta, vt Ā, pro AM; & Conſonantibus, vt SVM̄VM, pro SVMMVM. † Non admittitur in Marmoribus, praeterquam in compendijs, vt ĪIVIR, ideſt Duumuir. item Ī. Primus, vel Primum; ĪI Secundus, vel Iterum. L.5. P.600. & 601.

Siem, Sies, Siet, relinquitur Comicis. L. 5. P. 622. B. Legitur tamen Mediolani in recenti marmore. 623. E. CCLXXVII. & Romae in recentiore (citando in altero Volumine huius Operis) aegrè tamen imitando.

Signum Latinis fere fuit è ſolida materia ſimilitudo Dei, vel Hominis: Pro quo etiam Statua, ſi poſita ſit in foro, aut loco publico, & profano. Dicitur Signum, non Statua, cùm haeret in eadem materia, ex qua educta eſt, Vnde Sigillum, in gemma inciſum. L. 2. P. 350. A.

Simulachrum Latinis dictum indiſcretè de Deo, Homine, Bruto, Re inanima. L.2. P.351. A. B. Dictum de Sculptura, Pictura, Fuſoria.

Sirenulae Argutiae appellatae. L.6. P.661. A.

Sodalitium, pro Collegio piorum, vox impropria. Pro eo Sodalitas. Hinc Collegae Sodales. L.2. P.265. B. Vide Frater de Viro Religioſo.

Solemnis, de die feſto ſacro, Latinè dicitur, ſed ſenſu diuerſo à vulgari. L.2. P.246. Solemnis Latinè eſt, qui ſingulis annis, aut certis temporibus celebratur: at vulgo eſt celebris. Quo ſenſu erit Latinè Dies celebris, Feſtum celebre, Sacrum ſolemne celebre. † Solemnitas vulgo, eſt Latinè Celebritas feſti. ibi. Solemnis pro ſolitus. 247. B. Solemnizo, verbum barbarum, pro Solemne feſtum ago. † Sacrificium non dicam ſolemnius, ſed maius; vel maiore ritu, apparatu, pompa. 248. † Sacrificium feſtum (i.e. apparatum) & Feriale: Item publico ritu, priuato ritu: Item publicis ſolemnitatibus, priuatis ſolemnitatibus. Pro ſolemniſſimum dic Feſtiſſimum, Celeberrimum, Inſigne, Memorabile, Maxi-

ma cum pompa &c. ✝ Solemnitùs vox antiquata, pro ſolemniter. L.4.P.442. E.XXXVIII.

Solitaurilia, gen. neutri, num. plur. Vox ex tribus compoſita. L. 2. P.111, A. Conſule Ambr. Calep.

Sonectus, ſpecies Italici poëmatis, Vox bene nouata. Circa aetatem Dantis inuentus eſt. L. 2. P. 360. Cum Epigrammate conuenit potiùs Madrigalis, quàm Sonectus. ibi. Citra neceſſitatem vtendum voce generica Carminis Etruſci. 361.

Sordida verba vèl in ridiculis vitanda ab Elogiaſte Confertur Catulli locus & Martialis. L.2. P. 52. A. ✝ Sordida non ſunt Acetum, Spongia, Pulegium; contra Senecam. ibi. Sordidorum vſum neceſſitas probat, vt in ſacris ritibus, exemplo vocis Vacca. ibi.

Spatia inter dictiones maiora, quàm punctum ferat, probantur in marmoribus. L.5. P.612. A. B. & 613. A. ✝ Literarum quoque in eadem dictione, Quando, & Quamobrem. ibi. A B. & 614. A. Item Verſus à Verſu. B. ✝ Dictionum ſpatia inſana damnantur. 614. B. & 615. A. B.

Sperare dolorem, poëtica locutio, Inſperatum malum Ciceroniana. L. 5. P. 535. A.

Spes indubia, venuſtiùs dictum, quàm ſpes certa. L. 5. P. 534. E. V. &c.

Spiritualis, de re Diuina, non eſt Latinum. L.2. P. 205. Neque (per Syncopam) Spiritalis. A. & P.206. A. Pro exercitio Spiritali dic Pietatis. vel Religionis. Item exercitium ſalutare. Pro gaudio ſpiritali, dic Spiritus Mentis, Animi. A. ✝ Incorporale eſt vitatum in contentione Corporalis duntaxat. B. Pro eo ſynonyma plura Latina. B. & ad pag. 206. A. B. ✝ Pro Cognatione ſpirituali circũſcribendum Cognatio, vel neceſſitudo legitima per ſacrum lauacrum contracta. ibi.

Sponſus non dicitur poſt nuptias, niſi alludatur ad tempus praecedens. L. 2. P. 360. B.

Sputum, ſi propriè, & hiſtoricè, & ex neceſſitate vſurpetur, haud ſordida Vox. L.2. P.51. A. B. Tranſlatè ſordida; Cum deriuatis ſputatilicum, Conſpuo, expuo. ibi.

Squilla, fuit Latinis ſpecies piſciculi, & herbae; hodie pro Tintinnabulo barbarè dicitur. L.2. P. 78. B.

Stapes, vel Stapia, pro ferreo inſtrumento ab lateribus Equi pendente, vox ritè formata, & fortè bono ſeculo. L. 3. P. 358. ✝ Reperitur & Biſtapia, & Strapes, edis. Aliter Subex pedaneus. 359. A.

Statua Latinis ferè fuit è ſolida materia, ſimilitudo Dei, vel hominis (pro ea etiam Signum, ſed in domibus aut Templis ſolùm) eaque expreſſa. & à materia vnde educta eſt, diiuncta. L. 2. P. 350. A. ✝ Statua trunca, ſeu pectore tenus, tribus nominibus è Graeco donatur: Herma, Thoracides, Protoma, vel Protome. L. 2. P. 351. B. Quocunque illa modo ſit, Sculpta è marmore, Celata, Picta, Ficta. 352. A. Generico etiam nomine Imaginis gaudet. B. ✝ Statua ſub aere, i. e. aere ſuperfuſa, non autem aenea intelligitur. L. 4. P. 501. Ita Statua ſub auro, i. e. aurata, non aurea. ibi. A. Dicitur & auro ſaperfuſa, & Auro illuſtris. Ita ex aere aurato, ideſt Aenea & aurata.

Status pro Terris ſubiectis ditioni Principis, vox impura. L. 2. P. 329. Pro illa eſt Ditio, Res, Prouincia 330. ✝ Pro Secretario Status eſt Lat. A ſecretis ciuilibus, vel politicis, ibi.

Studium Paduae (pro Patauina Academia, vel Gymnaſio, vel Athenaeo) vox impura. L. 2. P. 341. E. DCXXVI.

Sub Rege Philippo, pro Regnante, ſeu Regnum adminiſtrante Philippo, Latina eſt locutio. L. 2. P. 326. B. Venuſtius, Rege Philippo, Octauio Caeſare, Cicerone Conſule. 327.

Subſtantia pro facultatibus, & opibus, Lat. L.5. P.628. E. CCXCI.

Subdiaconus. Vide Diaconus.

Suffraganeus de Epiſcopo, malè nouata vox. Pro ea eſt Epiſcopus auxiliaris. L.2.P.265.A.

Superbiam Cicero intelligit, cum dicit Ignorationem ſui. L.2. P.230 B.

Superior, de eo, qui cum poteſtate praeeſt, Latinè non dicitur. L.2. P.359. B. Illius loco eſt Moderator, Praefectus, Magiſter, Praeſes. ✝ Superiorum permiſſu, in Conceſſione librorum edendorum, minùs Latina Formula. Pro qua erit: Permiſſu, Conceſſu, Arbitrio, De licentia Magiſtratuum, Poteſtatum, Praefectorum, Moderatorum, Patrum, Praeſidum, Cenſorum, Quaeſitorum &c. L. 2. P. 360. A. Item Maiorum, Principum, Procerum. 373. & 374.

Supplebanus, vox benè compoſita, ſed ex impura ſimplici, i. e. Plebanus. Pro qua Propaſtor Paroeciae, Procurio Plebis. L. 2. P. 133. & 134.

Supplicium aliquando eſt idem, ac Supplicatio. L. 2. P. 262. B.

Suppriorisſa, de ſacra Virgine in Coenobijs, vox barbara, pro qua eſt Proantiſtita, Propraefecta, Promater. L.2. P.126. A.

Suſpenſus, pro Cenſura Eccleſiaſtica, erit Latinè Eccleſiaſtico munere ad tempus ſubmotus, vel Abſtinere iuſſus. L.2. P.263. B.

Synaxis, cum adiecto, Sacra, pro Sacra Chriſtianorum communione, quia vox Communio in eum ſenſum non quadrat. L 3.P 411.B.

Syndicatus, vox bene nouata, à Syndico, ideſt illo, qui Cauſam eandem iudicat, vel publicae à Ciuitate electus patrocinatur. L.2.P.333. Pro ea etiam eſt Syndici munus.

Syndicus pro Penſionario, vox nitida (Penſionarium dicimus qui accipit, non qui ſoluit penſionem) L.2. P.333. B.

Synecdoche quid ſit. L.6. P.672. A.

Synonyma verba ſunt, quae eandem habent ſignificationem,

ſignificationem, vt Modus, & Ratio; Amor, & Dilectio. Quorum Apparatus ad Elogia neceſſarius, ne verbum idem iteretur. L. 5. P. 566. & L. 4. P. 445.

Syrma pro cauda veſtis, quae terram verrit, vox Graeca eruditis cognita. L. 3. P. 416. B.

T

Talentum, vox peregrina, Latinè toleratur, vbi alluditur ad locum inſignis Scriptoris, v. g. Sacri Euangelij. L. 5. P. 645. E. CCCXLVII.

Tata, antiq pro Sene, vel Auo. L. 5. P. 607. A.

Templi totius cuſtos, Lat. Aedituus. L. 2. P. 265.

Templi partes praecipuae tres. Prima pars ſanctior, vbi pſallitur (barbarè Chorus) Latinè ex Graeco eſt Odaeum; vbi ſacrum fit (barbarè Capella maior) Latinè Cella ſacratior, ſeu ſanctior, Adytum, Sacrum penetrale. ✝ Secunda, per quam intratur, extrinſeca facies, Frons, Limen; Intrinſeca Pronaon, Veſtibulum. Alicubi facies occupatur atrio, ideſt Area cum ambiente porticu. Tertia, media pars ſi columnis hinc inde fulcitur, dicitur Baſilica; huius autem pars contenta columnis (barbarè Nauis media) eſt Templi cella: Porticus autem hinc inde (barbarè Naues laterales) Alae Templi. L. 2. P. 219. A. B.

Templum pullatum textili moerore, pro apparatum cultu funebri. L. 6. P. 673. B.

Tempus Graecè apud probatiſſimos Scriptores in obliquis caſibus admittit praepoſitionem. L. 2. Digreſs. I. P. 139. Et Latinè ſimiliter. 140. A. ✝ Temporis caſus ſiue per quando, ſiue per quandiu, pendet à Praepoſitione vel expreſſa, vel tacita, Graecè, & Latinè. B.

Teneor, pro Debeo, barbarum eſt. L. 2. P. 360. B.

Theſaurarius (pro eo, qui publico nomine in aes receptum, & expenſum curam exercet) barbarum eſt. Pro eo eſt Aerarij cuſtos, ſeu Praefectus, vel Ab aerario. L. 2. P. 123. B.

Titularis de Sancto, cui Templum, vel Ara dicata, malè nouata vox. L. 2. P. 348. A. Pro ea eſt Praeſes, Tutelaris, Cuſtos (adde) Templi, Arae &c.

Trinitatis Auguſtae nomen Latio legitimè, & commodiſſimè inuectum. L. 2. P. 183. & 184. ✝ Trias, vox Graeca non repudianda. Trinitas tamen multo aptior ad exactam veritatem myſterij, idcirco neceſſitate inuecta. A. B.

Trinunus, pro Deo Trino, & vno, ritè nouata, & compoſita dictio. L. 2. P. 111. A.

Triſeclisenex, pro trium ſeculorum ſenex, epitheton Neſtoris, vox compoſitione licentior, vitanda Elogiaſtae. ibi.

Tropus quid ſit. L. 6. P. 666. A.

Tumulus inſperatus, de morte improuiſa, & inopina, venuſtè dictum. L. 5. P. 535. E. VI.

Tutelaris Latinè de eo, qui barbarè Protector extra militiam, vel belli ſpectacula. L. 2. P. 348. A.

V

Vacca, vox ſordida, neceſſitate permittitur in Elogijs. L. 2. P. 52.

Vale, abeuntibus dicebant veteres, quod obeuntibus aeternum. L. 4. P. 523. E. CCCXLIV. ✝ Initio Epitaphij Haue, In fine Vale. Ibid.

Varorum morbus palabundus, ſonantius dicitur, quàm palans. L. 5. P. 538. A.

Vaſallus, vel (gemino ss) Vaſſallus, vox male inclinata pro qua Latinè eſt Vas beneficiarius, aut cliens fiduciarius. L. 2. P. 180.

Vectigal Latinè, quod barbarè Gabella, vel Gabellum. L. 2. P. 344. Eſt de tributo vecturae, vt vectigal vinarium &c. De faciendis autem, ac reficiendis Operibus publicis ad tempus, & de ſartis tectis in perpetuum, eſt Latinè Vltrotributum, ibi.

Venerandiſſimus, barbarè. Vide Reuerendiſſimus.

Veniale, de peccato, malè. Pro eo eſt peccatum lenius, minus, minimum; Vel labecula. L. 2. P. 378.

VENVSTAS Elogij manat ex quinque fontibus. L. 5. P. 533. Videlicet:

✝ Primus Fons eſt Elegantia in Verbis ſingulis.

I. Natiuis, & ijs ſelectis. Exempla marmorum antiquorum, ibi, & 534. A. Recentium B. Excipitur Catachreſis in verbis nondum vſu mollitis. 535.

II. Amoenis, i. e. vocabulis rerum aſpectu elegantium, vt Hortorum, Solis &c. Vel auditu iucundarum, vt Echo. 536. Hinc vena Anagrammatum prouocanda.

III. Lenibus, in quibus plures Vocales, quã Conſonantes, Suaue lenius eſt, quàm Dulce; ibi: praeſertim E, & I: Item Conſonantes, L, M, N, V, vt Belua, quàm Fera: Compoſita leniora ſunt ſimplicibus, vbi Euphonia praeualet, vt Deliteo, quàm Lateo: Diminutiua, vt Animula quàm Anima. Exempla marmorum antiquorum, ibi, & 537. In grandi argumento Diminutiua lenia non ſunt vſui, ſed Grauia, & Sonantia.

IV. Sonantibus, quae habent vocales. A. O. 537. & ſyllabas plures, vt Amplificare, quàm Ampliare. Hùc ſpectant Compoſita, Superlatiua, Finita in bundus; In or, Deriuatiua. ibi, & 538. A. ✝ Et plures literas, vt Princeps, quàm Primus. B. Exempla marmorum. ibi. Et vbi in plura verba ſenſus expoſitus, vt Arcus triumphis inſignis, quàm Triumphalis. A. Cauenda grandiſonantia poetica. B. & verba minùs pura. ibi.

V. Grauibus, i. e. quae vim habent maiorem ſignificandi. 1. Verba actionis, quàm Verbum ſubſtantiuum, vt Iacet ſub hoc marmore, grauiùs quam, eſt. 2. Quae vim bonitatis, & vitioſitatis maiorem exprimunt, vt Pudicitia impenetrabilis, quàm ſeceſſum amans. 3. Quae difficultatem, aut facilitatem,

tem ; vt Collis dorſum clementer accliue. 4. Quae affectum; vt Maritus parui temporis. 5. Quae ad hyperbolem flectunt, vt Animus immenſitate metiendus. 540.

VI. Translatis. ibi. ✝ Metaphora ab Animato ad Inanimatum, vt Foemina virtutum foecunda. A. Ab inanimato ad inanimatum. 541. vt In primo aetatis flore praereptus. Ab animato ad inanimatum, ibi, vt Phoenix literatorum. Ab inanimato ad animatum. 542. vt Ardere, pro Amare. A Diuinis ad humana. 543. vt Caeleſtis patrona, pro foemina Principe benefica. ✝ Metonymia. 544. Adiuncti pro ſubiecto, vt Hic tumulata eſt Pietas, pro homo pius: Subiecti pro adiuncto. 545. vt Hyeme creuerunt Alpes, pro Niues. Continentis pro contento. 546. vt Romanum pectus, pro Romana virtus. Inuentoris pro inuento, vt Iuuenta ſacrata Marti, pro Militiae. Rei effectae pro efficiente. 547. vt Fortuna redux, pro quae facit redire. Efficientis, ſeu Inſtrumenti pro re effecta. 548. vt Calamus Liuij inuictus, pro hiſtoria Liuij nulli ſcriptorum aequanda. Signi pro re ſignata, vt Aquila pro Romano Imperio: Materiati pro materia. 549 vt Alpes pro marmore. ✝ Synecdoche. ibi. Partis pro Toto, vt Anima incomparabilis, pro Homine &c. Totius pro parte, vt Iacet hic Marcus, pro eius oſſa. Generis pro Specie, vt Antiqua artis miracula reuocauit; de Arte Medicinae. 550. Speciei pro genere, vt ſuum Carthago Tullium dedit, pro D. Cyprianum eloquentiſſimum. Numeri pluralis pro ſingulari, vt Chriſti ſacros vultus, pro ſacrum vultum. Conſequentis pro antecedente, vt Honor pro Dignitate. Antecedentis pro Conſeq. vt in Epitaph. Puellis raptis ab vbere, pro defunctis. 551. ✝ Allegoria, i. e. continuata translatione. ibi. vt Filius baculus eſt, cui Patris aetas iam feſſa adnitatur. Exempla marmorum antiquorum; Recentium. 552. Cenſura in recens Epitaphium. 553. A. B. ✝ Metalepſi (citra licentiam, vt vitetur durities & obſcuritas) vt Romulus Caelum mendacio acquiſiuit, pro falsò eſt creditus Caelum ſcandiſſe. 553. A. ✝ Catachreſi (in vocibus vſu mollitis) exẽpla ex Rhetoribus. B. Cenſura in marmor recens. ✝ Hyperbole, modeſtè adhibita. 554. vt de Infante mortuo dicitur, ſimilis fuiſſe Deo. ibi. Alia multa exempla marmorum antiq. & recent. 555. Exemplum Hyperboles immoderatae, vt caueatur ſimile. ibi. ✝ Periphraſi (quae per plura deſcribit, quod vno verbo efferretur) non ea prolixa. ibi. Exempla veterum marm. Periphraſis Mortis. ibi. Defuncti. ibi. Cadaueris. 556. Sepulcri. 557. ✝ Antonomaſia. 558. In nomine communi loco proprij, & contrà. Vel Proprij vice proprij. Exempla. ibi.

✝ Secundus fons eſt Concinnitas in ſtructura verborum. 559. 1. Si vitetur aſperitas in concurſu, vt in ſex, & ſexaginta: maximè vnius deſinentis, & alterius inchoantis, vt Olympico collecto puluere. Non eſt fere metuenda, vbi comma interuenit. ibi. Vitandus hiatus vocalium concurrentium, immodicus tamen & vaſtus. B. Non eſt immodicus *Soli inuicto, & Lunae aeternae*. Exempla marmorum antiqq. 2. Si diſtrahantur caſus inter ſe concordantes, vt Epitaph. SVAVI. Eudoxus, & Mutice FILIO Parentes, Praeſertim Adiectiui, & Subſtantiui, citra obſcuritatem ſentẽtiae, 560. Exempla marm. antiqq. Et recent. 3. Et voces ſimiliter cadentes & deſinentes. 561. Siue Continuatorum, vt Cuius municipale ius, pro Cuius ius municipale; Siue non longè diſtantium, vt Illuſtribus Viris grato, raris decorato moribus, pro raris moribus decorato. Vitanda hic adfectatio; In quo aures iudicium ferent. Exempla. Interdum non ſat eſt diſtraxiſſe, amplius mutandum regimen caſuum, vt Cypriano Chori Praefecto, pro Choro Praefecto. 4. Si voces copulatae diſtribuantur. 562. vt Nulla hyemis ratio habetur, aut noctis, Exempla antiqq. marm. Quae diſtributio interdum eſt neceſſaria, ne dum venuſta, ibi, & 563. 5. Si fiant verſus correlatiui. ibi. vt Vrbem hanc Moenibus, Theatris, Aedificijs Inſtaurauit, Decorauit, Illuſtrauit &c. Vbi primum primo, ſecundum ſecundo, tertium tertio redditur. 6. Si adſit ſynonymorum copia. 566. ne vox eadem iteretur. Cenſura in vitioſas Inſcript. ibi. Exempla bonarum. 567. ✝ Non ſat eſt variari compoſitionem, ſi eadem in voce ſimplici conſiſtat. A. Neque cum variatione repeti, niſi ad leges bonae repetitionis. ✝ Cauenda puerilis garrulitas in Synonymis congerendis. 568. Item Copia ſententiarum. 598. A. Cenſura in Epitaphium vitioſum ibi. 7. Si fiat Incrementum Inciſorum in numeris, vt Domino, Domitori, Dominatori. Et Decrementum, vt Hoc factum tam praeclarum eſt, quàm rarum. 569.

✝ Tertius fons in Sententijs. Quarum hae potiores:

I. Iſocolon, i. e. plurium membrorum pari fere numero ſyllabarum prolatio. 569. vt in Epitaph. Vide, quid ſum. Fui quod es. Eris quod ſum.

II. Relatio, i. e. eiuſdem vocis repetitio initio Membrorum, aut Inciſorum. 571. vt in Cenotaphio: Lugete iuuenes, Lugete viri &c. Vobis ò Iuuenes decor, Vobis ò Viri concidit decus. ✝ Si plura tribus numerentur, fiet conglobatio, repetitione omiſſa. 572. Exemplum. ibi.

III. Reditio, i. e. Vocis eiuſdem in principio, & fine membri, aut inciſi repetitio. 573. Exemplum marmoris antiqui, ibi.

IV. Intentio, i. e. Vocis eiuſdem repetitio, ſenſu diuerſo. 573. vt in antiquo marmore, Amici, dum viuimus, viuamus. Pro dum viuimus,

uimus, laetam viuamus vitam.

V. Traiectio, i. e. Dictionis eiuſdem cum varietate repetitio. 574. vt in Epitaph. antiq. Viuus Viuis fecit.

VI. Commutatio, quae per eadem recurrens verba, ordine relegit inuerſo. 575. vt Quod voluit, & potuit; Quod potuit, & voluit (in marmore antiquo)

VII. Antitheſis, ſiue Oppoſitio. 576 (vt antiq. marm.) Pro meritis parum, pro facultate ſatis. Item (antiq. Epitaph.) Pater Filio poſuit.

VIII. Correctio, qua dictum noſtrum emẽdamus vti parum explicatum, aut minus appoſitè. 580. Vt in Epitaph. de Milite occiſo, Tibi laeta Mors, non laethalis: Caedes, victoria; non caedes. Correctionis particulae Non, Sed, Potiuſquam, Imò, Si, Niſi &c. Exempla ibi.

IX. Agnominatio, ſeu luſus in voce. 581. Vt (in Epitaph. antiq.) Decubuit, & Occubuit. Huius figurae frequentia faſtidium ciet. Similiter cadens, ac deſinens 582. Vel in verbis ſingulis, vt in Coenotaphio Canis: Aldeina hic ſita eſt, Bella catella, Candidula, Rufula, Blandula: Vel in Inciſis, vt (Epitaph. antiq.) Coniugi dulciſſimae, Foeminae rariſſimae: Vel in Membris, vt Quantum mortalibus Aſtrologia obeſt, Tantum mortalibus Aſtronomia prodeſt. Monitum de inuenuſtè cadentibus. 583.

XI. Gradatio, i. e. Eiuſdem vocis repetitio per gradus aſcendendo. 584. vt (Epitaph.) Huic Virtus gloriam, gloria immortalitatem comparauit. Etiam ſine repetitione, vt Flauius Veſpaſianus Caeſar, Tertius Diuus, Secundus Auguſtus, Primus Pius.

XII. Auxeſis, qua ſemper augetur Sententia, 585. vt (in Epitaph.) Vixit Naturae diu, patriae parum, gloriae ſemper.

XIII. Proſopopeia, qua rebus inanimis ſenſus, aut ſermo datur, 586. vt (in baſi ſtatuae) Phidias me fecit. Vel inducuntur perſonae defunctorum loquentes, vt (Epitaph.) Marcellina hic iaceo. hoc de hominibus, & de brutis tumulatis.

XIV. Similitudo procul à vulgari vſu tractata, 587. vt (Elog. de S. Iuſtina) Sterilis Matris ab aluo, hoc eſt è gremio noctis Aurora à miraculo vitam auſpicatur.

XV. Interpretatio, ſeu Iteratio verborum, vel ſententiarum rem eandem inculcantium, 588. vt (de Imagine Chriſti, auro gemmiſque coronati à Ciuitate Lucenſi, quae libera eſt) Vota de te facimus apud te: Regnes, quandiù melior non ſuperuenerit, hoc eſt aeternùm. ✝ Interpretandi particulae ſunt, Scilicet, Hoc eſt, Quod eſt, Id eſt. Quae etiam ſupprimuntur reductis nominibus ad formam continuatorum, vt (Elog. de Abele) Artem innocentiſſimam reperit, Paſtoritiam, optimi Principatus imaginem. 589.

XVI. Interrogatio, 590. vt (Epitaph. antiq.) Vbi eras Rhamuſia? Vbi eras? Quantum abfuit, ne Roma lugeret? ✝ Subiectio, qua noſtrae reſpondemus interrogationi. Exemplum. ibi.

XVII. Optatio, vt (in Epitaph.) Haue Thais: Dij tibi bene faciant. Item: Sit tibi Terra leuis.

XVIII. Epiphonema, ſiue Acclamatio poſt expoſitam rem. 591. vt (Epitaphium antiquum in coniuges iurgantes ita deſinit) Heu Vxor etiam mortua litigas

XIX. Exclamatio, in affectibus magnis. 592. vt Doloris (Epitaph. antiq.) Q. Virij Seuerini Attia Seuerina, & Q. Virius, O nefas, Parentes. Exempla laetitiae, admirationis, execrationis varia, antiq. & recent. ibi,

XX. Prolepſis figura Grammatica, 594. Exemplum ex Epitaph. ibi.

XXI. Tmeſis. ibi. Exempl. Elog.

XXII. Hiſterologia. 594. Exempl. antiq. marm.

XXIII. Synecdoche Gramm. ibi. Exempl. Elog.

XXIV. Helleniſmus, i. e. Graeca conſtructio moderatè adhibita. ibi.

XXV. Anaſtrophe licentior, quàm Hiſterologia. 595. Repete ſup. Fontem 2. Num. 2. Cauenda licentia poetica in Elogio ſoluto, ibi. B. Cenſura in affectatos & licentiores. ibi. & 597.

XXVI. Eclipſis. 599. In marmoribus frequens reticetur verbum Poſuit, & ſimilia.

✝ Quartus Fons, Dignitas in ſcriptura. 599.

I. In literarum figura, & vſu. Literae ſint Romanae, i. e. Maiuſculae, excluſis minuſculis, & peregrinis, vti ſunt Goticae, Germanicae, Graecae; item inuerſis. 600. Diphthongi vocalibus diſiunctis AE. OE. Siciliqua ne admittãtur, vt Ā pro AM. M̄ pro MM. niſi in Compendijs IIVIR. pro Duumuir. I̅ pro Primum, I̅I. pro iterum: Neque literae mixtae Ⱦ, pro ET. ✝ Probatur litera I grandior, pro gemino II, vt LIPSI, pro Lipſij, aut ad decorem pro vnico I. ſicut etiam L. T. F. ſed G. & S. grandiores in extremo compendij indicant numerum pluralem, vt AVG. pro Auguſti, COS. Conſules. 602. A. Digamma Aeolicum F, pro V conſonante excludendum, & Antiſigma ƆC pro PS, & Graecarum mixtio, & *v* pro V. 602. B. ✝ Truncandae dictiones ex vſu accepto, vt COS. pro Conſul, COSS. pro Conſules. Repete de Perſpicuitate num. XV.

II. Litera K ne admittatur, niſi in notis, vel compendijs, vt K. vel Kal. pro Calendis. In vocibus Germanicis, ſi commode poſſit, reddatur K per C. 605.

III. Interpuncta facienda poſt ſingulas dictiones, & notas 606. Siue ad imum literae

ſiue

ſiue ad pedes: puncto ad medium vel rotundo, vel triangulari. Poſt extremas verſuum literas non additur punctum. A. B. Pro punctis non admittũtur illae notae I, Δ, λ, φ, ỿ, ⌣. Nec eſt locus punctis admirationis, Interrogationis, Exclamationis, neque notis ( ) Parentheſis, 107. 108. Neque virgulas binas in fine verſuum ad dictiones inchoatas, & initio ſubſequentium perficiendas. B. Neque accentum loco puncti in apice literae. 619.

IV. Dictionis deſinente verſu inchoatae, ac principio ſubſequẽtis abſoluẽdae abruptio niſi ex recta ratione non fiat. 609. ſyllabis vtrinque integris, vt ſi-gnum, nonſi-gnum; cu-rat, non curat. Male fit ſubſectio, & circumductio reliquae dictionis, Vt *Forum aleatorium caleſe-cimus* ſed praeſtat in verſum ſequentem referre.

V. Diſtrahitur dictio à dictione vltra ſpatium puncti, & literae vnius dictionis altera ab altera, non tamen immodicè idque vel docilitatis gratia, vel dignitatis, vel affectus, vel officij exprimendi. Et verſus à verſu in eadem tabula, gratia diuerſitatis: Et nomen inſcribentis à reliquo corpore Elogij, ſi Numini, aut Principi inſcribatur. 612. & ſeq.

VI. Accentus non cadunt ſupra literas, maiuſculas. 615. & ſeq.

VII. Ortographiae ratio nitatur exemplis antiquorum; vbi controuertitur, liberum eſt ſequi quodlibet exemplum, dummodo ſit boni ſeculi. Placet idcirco ſcribi ſeculum ſine diphthongo; Cauſa cum vnico, s; Paulus cum vnico, l. 619. & ſeq.

VIII. Voces ex antiquis in ſcriptura ſunt hae venuſtae, Dicundi, pro Dicendi, vbi dignitas referenda. Lachrymae, non Lachrumae; Omnes, pro omneis; Queis pro quibus, vbi ſonus iucundior. Siem, pro Sim vix admiſerimus extra iocos. Cauendae Heic, pro Hic; Darier pro Dari; Acnatus, pro Agnatus; Optumus, pro Optimus &c. Di, pro Dij in Elogio fabuloſi argumenti, aut hiſtorico de Dijs Ethnicorum, & Di pro Diui admittuntur. 621. & ſeq.

IX. Venuſtatem perdunt haec; Omiſſio diphthongorum ſuis locis, literae extremae diſtractae à corpore dictionis in extremo verſuum. 625. A. Dictiones conflatae ex literis ducta deorſum, non autem iacente linea. B. (excipe Inſcriptiones in triangulum, circulum, ſemicirculum, aut diſſectas in membra) Dictiones oppoſitu mutuo ſcriptae, literis ſurſum verſum. 626. B. Appoſitio vocum ad latus, literis vna alteri ſubiectis. 627. A. Interrupta, & euaneſcens ad multum ſpatium ſeries inſcriptionis; vna Interiectione in medio poſita, vti nota admirantis animi. A. B. Verſuum ductus, & poſitura varia, pro arbitrio; Ductu perpetuo, & plenis verſibus; Aut extantibus viciſſim, ac recedentibus; longiſue, & curtis, ſingulis, binis; An fractu curuis, in conum deſinentibus; ad figuras varias, Rotae, Pyramidis, Oui &c. Ex ſpatijs membri bipartitò, tripartitò &c. 677. & ſeq.

XI. Senſuum diſtinctio reſpuit virgulas appingi, aut puncta gemina. 633. Amat perrumpi verſus vt totis periodis, etiam membris, ac Inciſis, Dictionibus interdum ſingulis reſpondeant verſus ſinguli. 634. ✝ Negligit aliquando perrumpi ad legem diſtinctionis; imò & confundit, cùm ſenſu ipſo colligi poteſt. ✝ Diſterminantur ad diſtinctionem dictiones, in eodem verſu, 635. A. Grandioribus literis inchoantur quandoque membra, quandoque dictiones; maximè ad praeuertendam ambiguitatem. B. ✝ Et totas dictiones ſcribebant, 636.

XII. Corollaria admittuntur, ibi. Id eſt Dicta Elogio appoſita, extra ipſum corpus, nimirum in apice, in calce, ad latera, in ambitum. Ad laudem, ad affectum, ad eruditionem.

✝ Quintus Fons, Decorum eſt Elogiaſtae. 638. Decorum eſt Decentia quaedam rebus, perſonis, temporibus, locis in agendo, loquendo, ſcribendo. Hoc multiplex in Elogiaſta.

I. Decorum ſecundum numeros. 638. Ne proſae textura frangatur poëticis numeris. Non eſt indecorum carmen proſae vel praemiſſum, vel ſubiectum, vt corpus diſtinctum.

II. Decorum ſecundum verba, 640. Proſam dedecet vox purè poëtica, praeſertim Onomatopeia, vt Baubari, pro Latrare, ✝ Hominem pium mentio Deorum Manium, Numinum, Ethnicorum, Fati &c. ✝ Locum ſacrum ſimiliter. Et profana ſacris mixta, aliqua tamen translatione conſecrantur, vt Agon pro loco Martirij 643. Argumento ludicro non negantur, quae fuerunt Religioſa Ethnicis.

III. Decorum ſecundum ſententias reijcit à loco ſacro, & perſona religioſa ſenſus ex fabellis, aut Ethniciſmo, ibi, & ſeq. Etſi fiant ex imitatione ſcriptorum veterum. Item à proſa ſales poëticos, niſi in argumento iocoſo 644. Admittit locutiones etſi non purae Latinitatis in argumento ſacro, petitas è ſacris literis, 645. E. CCCXLVII. ✝ Affectus exigit iuſtos, i. e. vt modus congruat conditioni argumenti. Cauetur hic vſus rectus figurarum quibus exprimuntur affectus, maximè Repetitionis, & Exclamationis. Affectus muliebres dedecent Virum ✝ Tempori luctuoſo incongruae ſunt fabellae.

IV. Decorum ſecundum collocationem perſonarum. Prior locus datur Numini, aut Homini, cui Inſcriptio ponitur, Poſterior ponenti. 648. ✝ In Epitaph. primus locus digniori ex pluribus defunctis, quibus commune fit Epitaphium. Vbi verò cenſentur viuen-

tes,

tes, quibus deſtinatur Sepulcrum, occupabit primum locum Auctor (ſi ſibi commune fecerit) vt nomen ab reliquis arceat. Vbi inſcribitur (v. g. in dedicatione Templi) Caelitibus, primus locus Deo, deinde Deiparae, Angelis, Diuis ex gradu hierarchico. 649. Cenſura in E. CCCLVIII.

✝ Sextus Fons. Decora Elogij clauſula ſecundum Vocem, 650. quae alia atque alia eſſe poteſt, ex obſeruatione veterum marmorum. Nam deſinere illud poteſt. 1. In Aduerbium, vt Semper, Feliciter. 2. in nomen Adiect. recto caſu, vt laetus, conſecutus. 3. in Subſtant. vt Compos, & per omnes caſus. 4. in Verbum ſubſtant. etiam monoſyllabum, eſt, es. 5. in Verbum actionis, vt poſuit, reſtituit, dedicauit. 6. in Coniunctionem, vt ampliauit, terminauitque.

Verba non antiqua, ſed antiquata vitat Elogiaſtes. L. 2. P. 55. ✝ Rara rarò vſurpat, & niſi ex neceſſitate. L. 2. P. 47. ✝ Nouata quae Latinè, quae barbarè, expenduntur in altera Parte Libri 2. per Claſſes ſeptem à pag. 96. ad 384. ✝ Humilia omnino vitat, ideſt inferiora dignitate Perſonae aut Rei, 48. vel praepoſterè collocata, 49. B. vel à rebus domeſticis ignobilioribus translata, vel impropria, & inepta, 50. A. vel Contraria, B. vel cum homini Diuina tribuuntur extra amplificationem, 51, A. B. ✝ Sordida vitat 51. A. niſi neceſſitate prematur, ſed ſenſu proprio, & hiſtorico. E. XII. Translato vitat auctoritate Ciceronis, & Horatij. In rebus ſordidis circuitione vtitur, 52. A. Sordidam locutionem facit verborum continuatio: interdum interruptio Scripturae. ✝ Peregrina vitat, i. e. alterius linguae, quàm qua ſcribitur, niſi bono ſeculo ſint vſu inuecta. Locus Taciti emendatur à Lipſio, habitus idiotiſmo Graeco vitiatus, 56.

Verborum barbaries, ſcopulus hodie paucis inoffenſus. L. 2. P. 56. A. Eſt vitium poſt Auguſti tempora illapſum in Sermonem Romanum, ibi.

Vicarius Generalis Latinè de illo, qui Epiſcopi vices gerit in vniuerſa Dioeceſi. L. 2. P. 245. A. Dicitur & vna voce Propraeſul, Propontifex, 131. Pro Vicario Foraneo, eſt Lat. Vicarius Prouincialis, vel Dioeceſanus. 245. B.

Vicarius Prouiſionis vulgò Mediolani dictus (in Etruria *Proueditore della Graſcia*) vox barbara. Pro ea eſt Annonae Praefectus, vel Curator. L. 2. P. 182.

Vicecancellarius (de Magiſtratu S. R. E.) compoſitio vocis barbara, Lat. eſt Procancellarius (ſed & Cancellarius ex neceſſitate tantùm dicitur appellandi noui Magiſtratus) L. 2. P. 130. ✝ Item eſt Procancellario, indeclinabile. 131. A.

Vicecomes, origine compoſitionis eſt vox barbara (In Cognomen familiae nobiliſſimae, & Regiae migrauit vſu legitimo) L. 2. P. 130. ✝ Pro Vicario Comitis eſt Procomes, ita Promarchio, Produx, non Vicemarchio &c. ibi, & 131. Damnatur impuritatis Elogium CXLVIII. ✝ Pro gradu quodam, & titulo Feudi eſt Procomes magis, quam Vicecomes. 164. B.

Vicelegatus, vox impura, pro qua eſt Prolegatus, & (per circumſcriptionem) Vicaria legatione fungens. L. 2. P. 131. A.

Viceprinceps, Vicedominus } malè compoſitae voces. Pro ijs eſt Proprinceps, Prodominus. Hinc Proprincipatus, Prodominatus. L. 2. P. 130. & 131.

Vicerector, impura compoſitio, Lat. Prorector. L. 2. P. 130. & E. CXLVII. & Prorectore, indeclinab.

Vicerex, barbarè vſurpatum; Lat. Prorex, & Prorege indeclinab. ibi. A.

Victorioſus, vox Latinè probata, exemplo, & auctoritate. L. 2. P. 376.

Vicus, aut extra Vrbem, conſtat ex caſis pluribus, nulla ſeptus munitione. Vnde Vicani: habitatores vici ruſtici: Aut in Vrbe, ſeries eſt aedium continuata. L. 2. P. 323. ✝ Vicis pluribus vna conſtat via. ibi.

Villa, domus eſt extra Vrbem. Alia ruſtica, alia vrbana, quae etiam Lat. Praetorium. L. 2. P. 324. B. Quae verò prope Vrbem, etiam Suburbanum. 325. B.

Viritim, eſt in ſingulos viros, interdum Viri ſinguli. L. 4. P. 503. A.

Virtutis parandae facilitas. L. 5. P. 637. E. CCCXXIV.

Virtuosè, barbara vox. L. 2. P. 76. B. & E. LXX.

Vitilla, diminutiuum Vitae. L. 5. P. 537. A.

Vitae, num. plur. vox bono ſeculo nata. L. 2. P. 356. A.

Vmbra, eſt Anima defuncti translatè. L. 5. P. 642. A. & E. CCCXXXIX.

Vnio hypoſtatica de Deo homine, haud Latinè dicitur. L. 2. P. 224. Pro qua ad omnem expreſſionem Miſterij, eſt Coniunctio, vel Vnitas hypoſtatica, aut perſonalis. Translatè, Satus hypoſtaticus, vel perſonalis. 225. A. vbi varia ex Elogiaſtis locutio.

Vnio animorum, gen. foem. vox barbara (eſt vnio nomẽ maſculini ſolùm generis, pro Margarita. ibi. A. B.) pro qua eſt Concordia, Vnus animus. 226. B. E. CCCV. Vnanimitas, E. CCCVII. Concordia. E. CCCVIII. & CCCIX. &c. Conſenſio. 227. A. Communio. E. CCCXI. Notatur à Voſſio Scaliger, quod vtatur voce Vnio, pro Vnitas. 225. B. ✝ Vnio, is, Verbum, pro Vnitatem facio, impurè vſurpatur ab Apuleio. Pro eo Tertullianus dicit Vno, as; Plinius Aduno, as. Vide L. 3. P. 428. B.

Vniuiratus, vox ritè nouata, de foemina, quae oblatas nuptias ſecũdas neglexit. L. 2. P. 109. B. E. CXI. & P. 110. ✝ Vniuira dicta Tertulliano. ibi, & in antiq. marm. 226. E. CCCVI.

Vocatiuus à recto in ius, nominum Familiae, ſeu

Gentis

Gentis, aliàs Cognominum deſinere debet in ie, ex communi Canone de Appellatiuis. L.2. P. 334.

Voces hybridae, i. e. ex diuerſis linguis formatae damnantur, niſi bono ſeculo probatae. L. 2. P.111. B. & 112. Item L.1. P.15. B

Voces obſoletae totae. L. 2. P. 82. Obſoletae ſecundum literam vnam, aut alteram. 91.

Voti compos, Voti reus, Voti vel Voto damnatus diuerſa ſignificant. Compos rem optatam obtinuit, etſi ſponſione nulla facta Deo: Reus parta re optata, cuius gratia ſpoponderat, perſoluit Deo: Damnatus promiſſa nondum ſoluit; ſeu maturè non praeſtat, quod ſpopondit Deo. L.4. P.494. B. & 495. A. B.

Vox vna ex vndeuiginti vocibus compoſita; ſyllabis autem ſeptem & ſeptuaginta, conficiens carmina tota ſex. L.2. P.111. B.

Vrbs Oppido praecellit, etiam cum pro illa vſurpatur. Graecis ἄστυ pro Athenis, Vrbs Latinis pro Roma. L.2. P.324. A.

Vulua, vox de muliere non modò obſcena, ſed etiam impropria. L. 2. P. 53. A. Notatur hac cenſura marmor ſpurium apud Gruterum. ibi. E. XIII.

Vxoris appellatio Latinis ſubaudiri ſolita (ſicut etiam ſororis), vt Seuera Venuſti, i. e. Vxor Venuſti. L.4. P.515. E. CCCVIII. ✝ Non ita Filij appellatio, & Nepotis. L. 3. P. 104. & 105. A.

Y

Y, Graecis, Latinis eſt, V, vocalis, habens ſonum exilem. L.5. P.622. A. B.

Y, in Latinis marmoribus pro, V, vocali, & conſonante, eſt de corrupto ſeculo. L. 5. P. 622. B. & E. CCLXXVI.

Z

Zelus Dei, vox decoro duntaxat materiae ſacrae tenenda. L.2 P.204. & 205. E. CCLXII. Pro zelo eſt Latinè Religio, Religionis ſtudium, vel ardor. ✝ Commoueri vice Dei, pro zelo Dei. ✝ Latinis zelus deteriorem vſurpabatur in partem. Varij modi Latinè reddendi zelum Dei. ibi. Adi Lib. de Perſpicuit. Elog. P.406. B. & ſeq.

Zeugma figura quid ſit. L.4 P.517. Plinij locus in Panegyrico longè venuſtiſſimus. ibi.

INDEX IV. MEMORIALIS

L. Librum, P. Paginam, E. Elogium. A. Columnam priorem, B. poſteriorem indicat.

A

Abelis luctus, iuſtum parentum ſupplicium. L. 5. P. 590. B.
Abrahami Ortelij Tumulus elegāter inſcriptus. L. 2. P. 284. E. CCCCXLVII.
ACCIAIOLA Gens ex Florentinarum nobiliſſimis. L. 1. P. 31. E. LVI. & L. 2. P. 169. A.
Achillinus (Claudius) Octauij Piccolominei in praelio Lutzenſi contra Suecos victoris, laudator, ſtylo vulgari, Elogio grandiore. L. 1. P. 41. A.
Aconis, & Leonillae fratrum altero carentium oculo, laus formae egregiae. L. 6. P. 716. E. LXXXI.
Acroſtichis Auctorem habuit Ennium, & Sibyllas. L. 2. P. 62. B & P 80. B. Eius cultus reuixit Anno Chriſtiano DLIII. ibi.
Adefonſi Regis Legionis Tumulus. L. 2. P. 66. E. XL.
Aelia, Laelia, Criſpis. Aenigma portento ſimile, Exponitur. L. 3. P 424. E. LXXXVIII.
Aelia, anus edentula, tuſſi laborans. L. 4. P. 471. A.
Aenigmata varia, cum expoſitione. L. 3. P. 422. vſq. ad 425.
Aes, ſimulacrum Diuinitatis. P. 6. A. ✝ Ex aere conflabant priſci Deorum ſimulacra, Sacrorum ſupellectilia, Templorum fores, & trabes. P. 5. B. & 6. A.
Aetas alia loquendi antiquis fuit, alia ſcribendi. L. 5 P. 620. B.
Aetates Latinae linguae quinque ex Giſanio. L. 2. P. 56. A Scriptores, quos ſingulae tulerunt. ibi. Quatuor aetates ex Voſſio, ordine procedentes contrario. Earum Scriptores, ibi, & 57, Linguae lat. Authores ex Scioppio. A. Eos in quatuor tempora diſtribuit Hadrianus Card. ibi.
Aethopeia de Mantuano excidio, Elogium iuſto prolixius. L. 1. P. 40. B.
Agiati (Gaſparis) Piſani de Clericis Regul. S. Pauli, benemeriti Tumulus. L. 2. P. 288. E. CCCCLIX.
Agilulphi Regis Longobardorum inſignis pietas in Diuum Io. Baptiſtam. L. 2. P. 63. A. B.
Agricolae (Nicolai) Brechtani Tumulus. L. 2. P. 217. E. CCXCVIII,
Aiax Auguſti Tragoedia. L. 6. P. 665. A.
Alani (Gulielmi) Lancaſtrienſis, Card. Tumulus. L. 2. P. 242. E. CCCXLV.
Albertus Archidux Auſtriae Arcu triūphali honeſtatus Mediolani. L. 2. P. 165. E. CLXXXVIII. & P. 236. E. CCXCV.
Alberti, & Iſabellae Archiducum memoria in fundamentis Templi. L. 2. P. 165. E. CXC.
Albertus (Io. Andreas) Vitas & Elogia ſcribit Duodecim Patrum. Illas Elogia inſcribit, non item Tumulos appoſitos. quonam id conſilio. L. 1. P. 41. B. 42. A.
Aldeinae Catellae Epitaphium argutulum. L. 5. P. 586. E. CXCIII. & 644. E. CCCXLVI.
ALDOBRANDINA Gens Principalis. L. 2. P. 120. E. CXXIX. & L. 4. P. 440. E. XIII. & L. 1. P. 41. A.
Aldus (Pius) Mannutius Oſtio cubiculi ſui imponit titulum. L. 1. P. 30. E. LV.
ALEXANDER. III. Pont. Max. è Gente Bandinella, Templum Max. Senis dedicat. L. 2. P. 257. E. CCCLXXIV.
ALEXANDRI. VII. Pont. Max. Senen. è Gente Chiſia, inaugurato celebrata Elogio Alexandri Bandinellij. L. 4. P. 461. E. C. & Elogio Hieronymi Tancredi 473. E. CXXXIV. & Elogio Guidinij, ibi. E. CXXXV. ✝ Ei Theſauros Diuinos recludenti ad redimendas Animas in Purgatorio captiuas, Elogium L. 2. P. 200. E. CCLV. & 201. E. CCLVI. Eidem Vaticinium Hebraico Arithmeticum L. 6. P. 694. E. XLVII. ✝ Idem Virginis Paciferae Aedem auget, & ornat Vota repetens publicae pacis. L. 2. P. 226. E. CCCIX. ✝ Eidem encomium ex anagrammate. L. 6. P. 685.
Alexandri Macedonis Epitaphiū Allegoria concinnatum à re horaria. L. 5. P. 552. E. LXIII.
Alexander Bandinellus Senen. in Academia Intronatorum Academicus Docilis nuncupatus. L. 4. P. 461. A.
Alexandria Vrbs apud Inſubres, ſoluta obſidione Gallica, parentat publico apparatu Manibus fortium propugnatorum. L. 3. P. 420. A.
Alexandro Macedoni omen Victoriae de Vrbe Tyro. L. 6. P. 677. A.
Alfonſi Ducis Ferrariae, & Eleonorae Aragoniae Matris &c. Tumulus. L. 4. P. 456. E. LXXXI.
ALIFERORVM familia Mediolani Patricia. L. 2. P. 182, E. CCXXIV.
Aliprandi (Petri Mart.) & Antonia Cribella coniuges nobiles Mediolani. L. 5. P 637. B.
Alphabeti literis deſignabant numeros Hebraei, Chaldei, Graeci, Latini. L. 6. P. 693. A.
ALTAEMPSIA Gens in Germania, & Italia nobiliſſima. L. 5. P. 646 E. CCCL.
Altogradij (Laelij) S. Conſ. laus ex Anagrammate. L 6. P. 685. B.
Amoris Epitaphium. Vide ſupra Aelia Laelia Criſpis.
Amoris in Patriam Exemplum, & Modeſtiae in Equite Rom. Ethnico. L. 5. P. 617. E. CCLXXII.

Amphorae,

Amphorae, & cadi deſignatis nominibus Conſulum, aetatem Vini indicabant. Prograph. P. 4. A.
Anathalonis (Diui) Epitaphium metro barbarum. L. 2. P. 61. A.
Ancyranum fragmentum ſuſpectum de fide curſoris in litera, o, minuſcula immixta maiuſculis. L. 5. P. 603. B.
Andreae Auellini (Beati) Clerici Reg. Theatini Elogium. L. 2. P. 361. E. DCLV. & L. 4. P. 507. E. CCLXXVI. & P. 518. E. CCCXXXIII. Item L. 6. P. 721. E. XCIX.
Andreae Corſini (Sancti) ex ord. ſacro Carmelitanorum, obitus Elogio celebratus. L. 2. P. 194. E. CCXLIII.
Angianus (Iacobus) Eques, Toparcha nobilis. L. 2. P. 169. E. CXCVIII.
Aniciae (Faltoniae Probae) monumentum magnificentiae ſpirantiſſimum. L. 5. P. 572. E. CXXXV.
ANICIANAE. domus culmen, & Conſulum Pater appellatus Sex. Petronius Probus. L. 4. P. 496. B.
Annae (Sanctae) Partus carmine illuſtratus. L. 6. P. 713. A.
Annae Principis, ac Ducis VVirtemberg. Tumulus. L. 4. P. 480. E. CLVIII.
Annibalis Fontanae ſummi Sculptoris Epitaphium. L. 2. P. 299. E. DXIX.
Annus Vrbis Milleſimus dedicatus. L. 1. P. 27. E. XXXIX.
Antiquitati non vbique credendum. L. 2. P. 77. A. poſt Elogium LXXII.
Antonij (Sancti) Abbatis Tumulus. L. 4. P. 474. E. CXXXVII.
Antonij Ab Iſemburgo Iunioris, Comitis Budingen. Tumulus. L. 2. P. 358. E. DCLX.
Antonius Mucinus Auctor Syntaxis Grammaticae, & Sereniſſimorum Etruriae Principum inſtitutor. De quo non ſemel toto hoc Volumine, praeſertim. L. 2. P. 290. A.
Antonij Amabilis Neapolit. Sepulcrum. Prograph. P. 6. B.
Antonij Leyuae exercitus Inſubrici pro Carolo V. Caeſ. Imperatoris Monumentum. L. 2. P. 73. E. LXIV. & LXV.
Antonius Maria Herba laudationem laconicam Caroli Corij mauult Allocutionem, quàm Elogium inſcribere. L. 1. P. 41. B.
Antonini (Diui) Archiep. Florentini Coenotaphium. L. 2. P. 118. E. CXXIV.
Antonini (M. Aurelij) Elogium in Arcu Triumphali. L. 4. P. 514. E. CCCI.
Apomi (Petri) Philoſophi, Medici Aſtrologi Tumulus. L. 2, P. 242. E. CCCXLVII.
Apotheoſis apud Romanos Ethnicos. L. 2. P. 191. B. & 193. A.
Apparatus magnificentia Mediolani in tranſitu Margaritae Auſtriae Sponſae. L. 2. P. 299. E. DXVII.
Apri (T. Statilij Volus.) Epitaphium antiq. L. 6. P. 679. E. XVIIII. (errore Typogr. XVIII.)
Ara in Circo Romano dicata Conſo, Marti, Laribus. L. 4. P. 519. E. CCCXXV.
Ara Nili Neapoli in publica ſupplicatione erecta Diuae Virgini ſine macula conceptae. L. 6. P. 729. Num. XVI.
Ara Neapoli in porticu Capuana excipiendo Capiti, & Sanguini D. Ianuarij. L. 6. P. 729. E. CXXV.
Aragonius (Carolus) Dux Terrinouanus, Gubernator Mediol. L. 2. P. 182. E. CCXXIII.
Arbores inſcriptae. P. 3. A.
Arbitrium non tollit lex Diuina homini indicta. L. 2. P. 154. A.
Arca Dei ſub tentorijs caprinis aequè ſanctè habita, ac ſub tectis auratis Salomonici Templi. L. 2. Proluſ. P. 138.
ARCHINTA familia Mediolani clariſſima. L. 2. P. 318. E. DLXVII. & P. 347. E. DCXL.
ARCHIPRESBYTERI, de PINNA, Peruſini, genere, titulis, ac rebus geſtis illuſtriſſimi. L. 5. P. 548. E. LII.
Archipresbyter Modoëtiae apud Inſubres Mitra & caeteris inſignibus Pontificijs decoratus. L. 2. P. 130. B.
ARCIMBOLDIA Gens Mediolani nobiliſſima. L. 2. P. 316. E. DLXIII.
Arcis extructio in faucibus Vallis Tellinae. L. 2. P. 300. A. & E. DXX.
ARCONATI ex primaria nobilitate Mediolan. L. 4. P. 509. E. CCLXXXIII.
ARDINGHELLI Gentiles, Florentini, inter Patricios illuſtriſſimi. L. 2. P. 119. E. CXXVI.
Area Neapoli Equis alendis deſtinata, in Muſaeum verſa alendis ingenijs. L. 6. P. 729. E. CXXIII.
Areſij (Iulij) Principis Senatus Mediol. Exequiae Elogio & carmine inſtructae à Sigiſmundo Boldonio. L. 3. P. 401.
Aretini (Petri) Tumulus. L. 4. P. 498. E. CCXL.
Areuali (Bernardini) ordinis Franciſcani Viri eximij Tumulus. L. 2. P. 265. E. CCCXCI.
Arguis (Franciſci) Hiſp. Senatoris Mediol. Tumulus. L. 5. P. 581. E. CLXXI.
Argumento Inſcriptionis obſequi debet Architectus in deſcribenda mole. L. 5. P. 629. B. Variae in hanc rem obſeruationes. P. 630. 631. & 632.
Arguti multi Scriptores Argutias neſciunt. L. 6. P. 653. B.
Argutiarum amaſij Polycratem imitentur. L. 6. P. 653. B.
Arigonij (Iacobi) Medici eximij Tumulus. L. 4. P. 518. E. CCCXXII.
Arma Militaria inſcripta. P. 3. A.
Arma Hoſtium cremata in honorem Deorum. ibi. B.
Armigerorum cenſus Romae Claudio Tiberio imperante. L. 4. P. 487. E. CLXXXV.
Arnulphi (Beati) Corniboutij Bruxellenſis Tumulus. L. 2. P. 68. E. XLVII.

Arx Fonteia in faucibus Volturrenae (vulgo Tellinae) Vallis, à Petro Enriquezio Fontiuni Comite excitata. L. 2. P. 105. E. CIII. & P. 106. A. Repete ſup. Arcis &c.
Aſinus albus, vulgo dictus Iunius Baſſus, homo dicax. L. 6. P. 670. B.
Aſpricollis religio, innumeris per Deiparam miraculis editis. L. 2. P. 216. E. CCXCV.
Aſtrologiae deuoti, alterutrum, aut de haereſi ſuſpecti, aut de amentia. L. 2. P. 242. E. CCCXLVII. & ſeq.
Aſtronomia laudatur Elogio, eodem vituperatur Aſtrologia. L. 5. P. 583. E. CLXXIX.
Auarus à Vino abſtinens, cauillo petitur. L. 6. P. 678. A.
Auctores ſummi, aurei etiam ſeculi, alicubi imperfecti, alicubi lapſi. L. 2. P. 78. A.
Auguſtus Caeſar ſecutus eſt genus eloquendi elegans, vitatis ineptijs ſententiarum, ideſt argutiarum. L. 6. P. 661. B. ✝ Eius artes ad Principatum obtinendum. 663. A. ✝ Eius memoria inſignis in Columna nuper eruta in Vrbe Luca. L. 4. P. 462. E. CII.
Auguſtus, ac Tiberius titulum Domini auerſantur. L. 2. P. 277. B.
Auguſtinus Torniellus ſcriptor ſacrorum Annalium ab Orbe condito. L. 2. P. 124.
Auguſtinianorum famam auxerunt B. Lanfrancus Septala Praeſul Generalis. L. 2. P. 132. E. CL ✝ Et Paulus Fontana Theologus, & Concionator eximius. 278. E. CCCCXIX. ✝ & Alexander Oliua, poſt Cardinalis, magnae ſanctimoniae Vir. E. CLII. ✝ & Doctor emeritus Louanij Ioannes ex Antonijs. 343. E. DCXXXIII.
Auguſtini Valerij Card. Exequiae celeberrimae. L. 1. P. 5. E. IX. X. & XI.
Aurati (Ioannis) Poetae encomium ex Anagrammate. L. 6. P. 685. B.
Aures, Deae habitae. L. 1. P. 21. E. XXV.
Auri Elogium morale. L. 6. P. 724. E. CIX.
Aurigarum in Circo Victoriae. L. 1. P. 21. E. XXVI.
Azo, Iuriſconſultorum Numen. L. 5. P. 544. B. Eius Tumulus. L. 2. P. 283. E. CCCCXLV.

B

Baccetij (Nicolai) Elogia in Scriptores decem, qui in Italia centum annorum ſpatio Latina Eloquentia floruerunt. L. 1. P. 40. B.
Bacchus, & Somnus humanae vitae ſuauiſſimi conſeruatores. L. 5. P. 534. E. IV.
Bagnolus (Maurus) Franciſci Biliae Epiſc. laudator Elogio multo grandiore. L. 1. P. 41. A.
Baiazetes Turcarum Rex, lanceam, quae hauſit Chriſti Domini latus, dono mittit Innocentio VIII. Pont. Max. L. 2. P. 316. E. DLXI.
Baldi Catanij ingenio erectum Cenotaphium Regium in translatione cinerum Sixti V. L. 5. P. 631. B.
BANDINELLA Gens Senenſium nobiliſſima, & antiquiſſima. L. 2. P. 68. A.
Barbadicus (Nicolaus) & Triuiſanus (Marcus) par Heroum viuentium Amicorum. L. 4. P. 446. B. & 447. E. XLVIII.
Barbarae locutionis initium. L. 2. P. 60. A. Cauſae. ibi. Progreſſus. B. & 61. ac deinceps. Sub annum Chriſti milleſimum conclamata Latinitas fremente per Europam Marte. 64. Durauit Barbaries ad ſeculum XIV. 69. ✝ Barbararum Inſcriptionum per ſeculorum gradus deducta ſeries à Pag. 60. ad Pag. 70. & vltra.
BARBERINA Gens Florentiae orta vetuſtam nobilitatem mirificè propagauit. L. 2. P. 370. E. DCLXXV. & P. 303. B. & L. 5. P. 579. E. CLXVIII.
Bardae (Caſſandrae) Coſmi Comitis Vernij Filiae Elogium. L. 6. P. 722. E. CIII.
Barlaſſinij (Iohannini) monumentum ſtylo impolito. L. 1. P. 50. E. VII.
Barnabas (Sanctus) Apoſtolus Mediolanenſibus Chriſtianam religionem primus inuexit. L. 2. P. 250. E. CCCLIX.
Barnabitae vnde appellationem ſortiti Clerici Regulares S. Pauli. L. 5. P. 633. A.
Barlottus (Sebaſtianus) Lucenſis, genere, & honoribus clarus. L. 2. P. 181. E. CCXXI.
Bartholomaei (Apoſtoli Chriſti) Martyrium Elogio argutiſſimo deſcriptum. L. 6. P. 704. E. LXI. ✝ Eius inſigne Templum cum Coenobio in Vrbe Genua conceſſum Clericis Regularibus Barnabitis. 728. B.
Bartoli S. Conſ. Clariſſimi Tumulus. L. 4. P. 486. E. CLXXIX. cum ſubiecta nota.
BASILICAPETRIA familia Mediolani Patricia (vulgò Baſcapè) L. 2. P. 102. A.
Bathyllus, ignis, & delicium Moecenatis. L. 6. P. 672. B.
Bauariae Dux, fidei Catholicae columen in Germania. L. 5. P. 567. E. CXVII.
Bauhuſius, Auctor Prothei carminis, ideſt vnius in mille modos mutandi. L. 6. P. 692.
Baxij (Ioannis) Senatoris Antuerp. Tumulus. L. 5. P. 556. E. LXXX.
Belingerius (Octauianus) Feudo clarus. L. 2. P. 169. E. CXCVII.
Bellaria pueruli, luſum in voce depereunt Scioli. L. 5. P. 581. A.
Belli memoriam abolitam volebant Ethnici. Prograph. P. 6. A. & 8. A.
Bellicum Amoris, in Nuptijs Regijs Ducis Parmae, ſolutum numeris, Auctore Marcello Buttilio: Strictum, Auct. Petro Adriano. L. 1. P. 33. & 34.
Belli (Pauli) Flaminei pietas in Arae erectione cum dote. L. 2. P. 197. E. CCXLIX.
Belloni (Bernardi) Proton. Apoſt. monumentum pietatis. L. 2. P. 199. E. CCLIV.
Benedictio Dei à benedictione hominis quomodo differat. L. 2. P. 379. B.
Beneficij exaggeratio arguta. L. 6. P. 707. B.

Bergomi

Bergomi, vrbis apud Inſubres vetuſtiſſima, origo, & Reip. deinceps conuerſio. L.2. P.203. E. CCLXI.

Bernardi (Sancti) Clareuallenſ. Cenotaphium. L. 4. P. 523. E. CCCXLIV.

Bernardini Rotae prudentia in declinanda ſermonis obſcenitate in tumulo Vxoris. L. 2. P. 53. A.

Beroſus de Regibus Babilonijs, & Aſſyrijs, hiſtoricus ſuppoſititius. L.5. P 533. Proluſ. A.

Bertij (Alexandri) Patricij Florentini pudicitia Angelicae ſimilis. L. 2. P. 187. E. CCXXXI. Eiuſdem ſumma religio in Deiparam. L. 6. P. 715. E. LXXVII.

Bertolotus (Lucas) imitandus in genere laudatiuo, materia graui, ad finem ſerium, Elogijs, quae ſcripſit in varios. L. 6. P. 732.

Beſutij (Ioannis) Tumulus. L.5. P.639. (errore typograph.) 396. E. CCCXXXI. & ſeq.

Beſſarion Graeci, Latinique conuentus Pacificator. L. 2. P. 268. E. CCCXCIX.

Beuilaquae (Blancae Mariae) infantis Epitaphiũ perelegans. L.2. P.318. E. DLXVIII.

Beyerlink (Laurentij) Canon. Antuerp. Suburbanum natura, & eruditione amoeniſſimum. L. 5. P. 568. B.

Bibendi ratio, Inſcriptio ridicula, & barbara. L. 3. P. 431. E. CII.

Bibliothecae Laurentianae, in Vrbe Florentia Fundator Clemens VII. Medices Pont. Max. Amplificator Coſmus Med. Magnus Tuſcorum Dux. L. 2. P. 348. E. DCXLV.

Bindi Senenſis Tumulus. L. 2. P. 69. E. LII.

Boamundi Principis Antiocheni Tumulus. L.2. P. 67. E. XLIV.

Bocaccius admiſit in verſibus Italicis ὁμοιοτέλευτον, id eſt Rythmum. L. 2. P. 80. A.

Bocalino (Traiano) decretum ab Aladiſlao Rege Poloniae Epitaphium. L.6. P. 722. E.CII.

Boccellij (Simonis) Patricij Lucenſis Viri inclyti Monumentum. L. 3. P. 436. E. XIX.

Boges (Antonij) nobiliſſimi Perſae pietas monumento teſtata. L. 5. P. 578. E. CLXV.

Boldonij (Nicolai) Tumulus. L. 2. P. 342. E. DCXXXI. Eius Filiorum ac Nepotis reliquiae Mediolano translatae ad Larium Lacum, inſcripto Tumulo. ibi. 124. E. CXXXVIII.

Bomplanus (Ignatius) imitandus in genere laudatiuo, materia leui, Elogijs in Roſam, Exilium, Timorem. L. 6. P. 732.

Bonamici (Lazari) antiquitatis notitia, eruditione, eloquentia cum paucis aequandi, Epitaphium. L. 2. P. 355. E. DCLVII.

Bonamici (Caroli) & Vxoris Tumulus. L. 5. P. 558. E.XC.

Bonanomines Buſſolenghi accipiunt hoſpitio triduano Margaritam Auſtriacam Hiſpano Regi deſponſam. L.2.P.280.E.CCCCXXXII.

Bonauenturae (Sancti) Arbitri Comitiorum in creatione Sũmi Pontificis, & ſe ipsũ omnibus poſt habentis Elogium. L.3.P.387.E.I.& II.

Bonciarius (M.Ant.) perſpicaciſſimus caecus, & Princeps literaturae, Epitaphium ſibi componit. L.4. P. 517. E. CCCXXI. & L.6. P.725. E. CX.

Boncompagnus (Hugo) Pont. Max. aſſumpto nomine Graegorius XIII. L.2.P.156.E.CLXX.

Bonellae (Ioannae) Anglae Samuelis Bonelli Vxoris Tumulus. L. 4. P. 471. E. CXXIX.

Bonelli (Michaelis) Cardinalis, & Legati Tumulus. L. 2. P. 318. E. DLXVI.

Bonis (Hieronymi) Praetoris Elogium. L. 2. P. 99. E. LXXXV.

Bonuiſij (Martini) Elogium. L. 5. P. 550. B.

Bonuiſij (Bonuiſi) Card. Epitaphium. L. 2. P. 100. E. XCI.

Borgardi (Vvenceslai) Tumulus. L.5.P.598.B.

Borremans (Io. Bapt.) pueri Epitaphium. L.4. P. 502. E. CCLVII.

Borromaeus (Federicus) Card. & Archiep. Mediol. inuitatus ad Hoſpitium in Aedibus Boldonijs. L. 2. P. 230. E. CCCXV. Exceptus, cùm Luſtraret Dioeceſim L.4.P.493.E.CCIX.

BOSSIA familia Mediolani clariſſima. L. 2. P. 262. E. CCCLXXXII. & L. 4. P. 474. E. CXXXVI.

BOVIA. Gens apud Inſubres honeſtiſſima. L. 6. P. 681. B.

Boyſiorum Sepulcrum Mediolani. L. 2. P. 205. E. CCLXIII.

Bractea ex puriſſimo auro, inſcripta vocalibus Graecis variè diſpoſitis. L. 3. P.431. E.CI.

Bragadeni (Hieronymi) Elogium nobile, ſed debitum meritis. L. 2. P. 161. E.CLXXXI.

Brambilla (Antonius Maria) Archipresbyter Modoëtienſis. L. 2. P. 117. B.

Braſcha (Sanctes) Eq Aureatus, & Quaeſtor Regius Mediol. L. 2. P. 195. E. CCXLVI.

BRIPPIA. familia Mediol. pluribus clara imaginibus. L. 2. P. 157. E. CLXXIII. & P. 158. E. CLXXIV. & 166. CXCI. & 172. CCI. & 175. CCVIII. & 229. CCCXIV. & 593. CCXIX.

Brugnoli (Bartholomaei) Patricij Ticinen. Senatus Mediolanenſis Praeſidis, Tumulus. L.6. P.731.

Brunellus (Gregorius) Elogio de Numa locum Flori de ipſo ſcitè imitatur. L. 5. P. 587. A.

Brunus (M. Antonius) Poëta Etruſcus, Auctor Trium Gratiarum laudatus ab Elogiaſta Gaſpare de Simaeonibus. L. 3. P. 409. E. XLI.

Bruſchij (Iulij Caeſ.) Eremitae Auguſtiniani Tumulus. L. 5. P. 645. E. CCCXLVIII.

Bunduica armata terror Romanorum. L. 6. P. 724. E. CVII.

Burgij (Alexandri) Mutilianenſis, Burgentium Epiſcopi Tumulus. L. 2. P. 314. E. DLVIII.

Burrae (Thommaſiae) Gaſparis Catanei Valiani Vxoris Tumulus. L. 2. P. 176. E. CCX.

Buſtigalli (Thomae) Foroſempronienſis Encomium ex Anagrammate. L. 6. P. 688. A.

Buttilius (Marcellus) Placentinus, eruditus noſtri temporis Grammaticus, & Elogiaſta, in

compoſitione verborum affectatus. L. 5. P. 597. A. B. & ſeq.

C

Cabaliſtica Elogia. L. 6. P. 694. B.

Caballis (Ant. Franciſci) Emporienſ. ex Ord. Minor. Franciſc. ſummi Theologi, Tumulus. L. 6. P. 719. E. XC.

Caballius (Bonducentura) ex Ord. Minor. Franciſc. Concionatorum Princeps à Valerio Chimentello Elogiaſta Laudatus. L. 1. P. 41. A.

Cabaniglij (Ioannis) Troiae Comitis Tumulus. L. 5. P. 547. E. XLIX.

Caciae (Ginepriae) Camilli Catanei Vx. Tumulus. L. 2. P. 176. E. CCX.

Cadauera humana è ſublimi depoſita. L. 2. P. 108. E. CX. + Hoc ſancitum in Concilio I. Mediolanen. D. Carolo Borromaeo Archiep.

Cademuſta Tornella (Liuia Euphemia) Matrona Laudenſis. L. 2. P. 74. E. LXVI.

Caelum politeuma piorum. L. 3. P. 416. B.

Caeſares in Diuos relati, qua lege. L. 2. P. 192 A.

Caeſaris Auguſti Filij Tumulus. L. 5. P. 538. E. XIII.

Caeſaris Caligulae omen Principatus L. 6. P. 662.

Caeſaris praeclare dictum de Verbis inſolentibus. L. 2. P. 47. A.

Caeſius (Donatus) Epiſcopus Narn. Auctor Monumenti Rauennatis. L. 2. P. 136. E. CLXV.

Caimi (Philippi) Tumulus Mediol. L. 6. P. 716. E. LXXVIII. Caimorum communis Tumulus. L. 2. P. 332. E. DCXV.

Calamitate imminente Ieiunium Populo indicebant Romani Ethnici. L. 2. P. 254. A.

Calcagninus (Caelius) Ferrarien. Bibliothecam publicam dedicat, & in ea Sepulchrum ſibi. L. 5. P. 64. E. CCCXXXVII.

Calcaterrae (Catharinae) Franciſci Ferrarij VX. Tumulus. L. 2. P. 54. E. XVII.

Calcetti (Franciſci) Ferrarienſis Epitaphium. L. 3. P. 395. E. XII.

Caluenrij (Matthaei) Praeſidis laus ex Anagrammate. L. 5. P. 687. A.

Caluino (Ioanni) Haereſium fabro tartareo Epitaphium deſtinatum. L. 5. P. 591. E. CCV.

Campiglia (Camillus) Piſanus, Aedituus Summi Templi, & Praefectus Domus Sereniſs. Magni Ducis Etr., Conditor Villae regiae. L. 5. P. 606. B.

CAMPISAMPERII, Patauij Gens Patricia. L. 2. P. 102. A.

Cantorum Pontificiorum Tumulus communis. L. 6. P. 702. E. LVIII.

Capiciae (Portiae) Tumulus à Rota Viro inſcriptus. L. 5. P. 547. E. XLVIII. & P. 646. E. CCCLII. & P. 648. E. CCCLV. vbi à mendis vindicatur.

Capiciae (Victoriae) Iul. Caeſeris Sconditi Vx. Tumulus. L. 5. P. 599. E. CCXXX.

Capilupi (Laelij) Poëtae Heroici Tumulus. L. 6. P. 731. B.

CAPISVCCA, Gente nobiliſſima, edita duo lumina Paulus Epiſcopus, & Io. Antonius Cardinalis. L. 5. P. 625. A. B. E. CCLXXXIV.

CAPITANEORVM familia apud Inſubres clariſſima. L. 2. P. 177. B.

Capponiae (Mariae) Bernardini Marchionis primariae nobilitatis F. Camilli Balionij Vx. Cenotaphium. L. 6. P. 715. E. LXXVI.

Capranica (Dominicus) Epiſc. & Princeps Firmanus. L. 2. P. 72. E. LIX.

Capuanae Villae ad Larium Lacum delitiae. L. 1. P. 29. E. LII. & LIII.

CARACCIOLAE Gentis ſplendor dignus Elogijs Ioſephi Silos. L. 2. P. 378. B. & L. 5. P. 544. E. XXV. & P. 545. E. XL.

Carafae (innominati) breuis Tumulus, ſed nobilis. L. 5. P. 584. E. CLXXXIII.

Carazenae Marchionis Trophaeum pro excuſſione obſidionis Parmenſis. L. 1. P. 41. A.

Carcani (Io. Petri) Mediolanenſis, pia munificentia. L. 2. P. 365. E. DCLX.

Cardinalis Sacra Dignitas inſtituta circa aetatem D. Gregorij Magni. L. 2. P. 114. A. + Partes optimi Cardinalis perſtringit Pola breui Elogio. ibi. E. CXVIII.

Carmelitarum Generalis Magiſter Beatus Simon Stoch. L. 2. P. 132. E. CLIII. + Prouincialis Florentinus Iulianus Piſtorius. P. 341. E. DCXXIX.

Caroli Magni Sepulcrum, & Inſcriptio. L. 2. P. 242. E. CCCXLVI.

Carolus (Sanctus) Borromaeus fundator Templi S. Fidelis. L. 2. P. 378. E. DCLXXXIV. Eius ſacrum Corpus primùm ſede ſua eductum, & celeberrima pompa per Vrbem circumlatum peſte graſſante. L. 3. P. 398. E. XV.

Carolus V. Regali hoſpitio in Aedes Mediceas Florentiae exceptus. L. 2. P. 309. B. Idem poſt victoriam tranſmarinam rediens ab Alexandro Medice excipitur Hoſpitio. L. 4. P. 447. E. XLIX. + Eius Tumulus. L. 1. P. 28. E. XLVI. Item Cenotaphium. L. 2. P. 235. A. E. CCCXXVI.

Carpenſis (Rudolphi Pij) Cardinalis Tumulus à Pio V. Pont. M. inſcriptus. L. 2 P. CXXII. E. CXXXIII.

Carranza (Bartholomaeus) Archiep. Tolet. & Hiſp. Primas. L. 2. P. 118. E. CXXV. & + Carranza (Petrus) Protonot. Apoſtol. &c. P. 119. E. CXXVI.

Carrocium, Barbaris in Italia Dominis currus Caſtrenſis, defixum tenens Imperatoris vexillum. L. 2. P. 110. B. Eius Inuentor Aribertus Archiep. Mediol. ibi.

Cartuſianae ſacrae familiae nonnulli Praeſules Elogijs illuſtrati. L. 2. P. 230. & 231. E. CCCXVII. & CCCXVIII. & P. 239. E. CCCXLII.

CASAPETRIA (vulgò Caſapieri) Piſanorum familiarum clariſſima inter antiquas, libera Ciuitate. L. 2. P. 102. A.

Caſelius (Timotheus) Epiſcopus Marſicenſis de

de Eccleſia ſua benemeritus. L. 4. P. 529. E. CCCLIV.
Caſſellinus (Melchior) Clarimontio infantulo filio Tumulum inſcribit. L. 5. P. 582. E. CLXXV.
Caſſinenſis Congregationis Praeſes Aloyſius Zuphius religioſae moderationis rarum exemplum. L. 2. P. 138. E. CLXVIII.
Caſti dies Cereri ſacri, ieiunium Sacerdotibus indicebant. L. 2. P. 254. B.
Caſtitas veterum in laudandis defunctis ad ſepulcra. L. 4. P. 444. E. XXXIX. XL. XLI. & XLII.
CASTILIONEA familia Mediolani, & alibi, florentiſſimae nobilitatis. L. 2. P. 161. E. CLXXXIII. & P. 223. E. CCCII. & L. 6. P. 680. E. XXI.
Caſtori, & Polluci Votum ab Ethnica foemina, ſolutum ob filij ſalutem. L. 4. P. 500. E. CCXLV.
Caſtruccij (Vincentij) Lucenſis Card. Viri ſtrenuiſſimi Tumulus. L. 2. P. 318. E. DLXX.
CATANEA Gens Inſubribus antiquitate, & gloria celebris. L. 2. P. 98. B. & E. LXXXIV. & P. 172. E. CCII. & P. 176. E. CCX. & P. 177. B.
Catharinae (Diuae Virginis) Senenſis Cubiculum ex domo priuata ad Diuae Mariae ſupra Mineruam tranſportatum ac dedicatum munifica pietate Cardinalis Antonij Barberini. L. 5. P. 579. E. CLXVIII.
Catharinae Calcaterrae Tumulus. L. 2. P. 54. E. XVII.
Catholici Regis Cognomentum Monarchae Hiſpano ab Innocentio VIII. Cyboo Pont. Max. impoſitum. L. 3. P. 241. B. & P. 316. E. DLXI.
Catiae (Michaelis Angeli) I. C. nomen ex anagrammatiſmo vaticinium eſt Sedis Senatoriae. L. 6. P. 689.
Catonis Victoris trophaeum Diſertiſſimo Elogio illuſtratum. L. 4. P. 455. E. LXXVII.
Ceffinius (Franciſcus Maria) Eq. S. Stephani, Patricius Florentinus, Iuris conſultiſſimus, Commentaria editurus in Marmora bina ſeculi Auguſtaei, nuper eruta Piſis. L. 2. P. 57. B.
Cenotaphij conditio argumentum moeroris. L. 6. P. 721. E. XCVIII.
Centenarij Senis Epitaphium. L. 5. P. 591. E. CCXI.
Centonis inuentum ad Elogia ſoluta translatum à Io. Baptiſta Manzinio. L. 3. P. 401. B. & 402. A.
Cerua Caeſaris cum torque aureo inſcripto. P. 2. A.
Ceſtus dono datus Veneri Genetrici à matronis. L. 4. P. 524. E. CCCXLVI.
Chanut (Antonius) Auctor Vitae & Elogiorum Ludouici XIII. Regis. L. 1. P. 40. B. Item Elogij funebris eiuſdem Regis. P. 41. A.
Charpis (Nicolaus) à Sancta Cruce Auctor Elogij Apologetici de Eminentiſſimo Mazarino. L. 1. P. 41. A.
Choler (Ioannes) Auguſtanus Collector Inſcriptionum Antiq. Inſubriae, & Galliae Ciſalpinae, defenſor vitiorum in vetuſtis marmoribus, impugnatur. L. 2. P. 79. A.
Chimentellus (Valerius) imitandus in genere laudatiuo, & materia graui in Caballium Concionatorem. Item leui in Iberum Equum, & iocoſa in Maſſellium. L. 1. P. 41. & L. 6. P. 732 & L. 4. P. 448.
Chiocca (Io. Paulus) cum Nicolao fratre Sepulcrum ſibi, ſuiſque condit, & inſcribit. L. 5. P. 533. ſed limam deſiderat.
Chriſti Domini Crucifixi (Nicodemo Auctore) Imago in Vrbe Luca ſumma religione habita, diademate aureo gemmis diſtincto à Senatu, Populoque ornata nuper, & Elogio dedicata. L. 3. P. 393. A. & L. 5. P. 588. E. CXCVII.
Chriſtianos ſubdit Nero Reos Vrbis ab ſe incenſae, vt odium declinet Ciuium. L. 2. P. 185. B.
Chriſti, ac Chriſtianorum mentio apud Scriptores veteres ex Ethnicis. L. 2. P. 185. B. & P. 186. E. CCXXVI. & ſeq.
Chriſtiana, Regina Suetiae, lectione SS. Patrum, ac Theologorum admonetur erroris patrij, & amplexa Catholicam religionem abdicat ſe Regno. L. 6. P. 729. B. & E. CXXIV. ✝ Laudatur inſigni Elogio ab Eman. Theſauro. L. 2. P. 48. & Anagrammatis à Petro Angelo Guiniſio. L. 6. P. 689. A. & à Iacobo Motrono 691. A. & Elogio multiplici à Petro Antonio Bonfilio. 722. E. CI. & 727. E. CXVII.
CHRISTO dedicata Imago marmorea, cum baſi inſcripta. L. 2. P. 203. E. CCLX.
Chronographica inſcriptio, Quae, & Quomodo vſurpanda. L. 6. P. 695. A.
Ciaconij (Petri) Presbyt. Toletani Epitaphium. L. 2. P. 213. E. CCLXXV.
Ciantes (Ioſephus) Romanus Epiſcopus Marſicenſis, conſilio Euangelico ſubigit rebelles, quos nequiuerat auctoritate Iudiciaria, & poteſtate Magiſtratuum. L. 4. P. 528. ✝ Aedem Cathedralem amplificat, & ornat. ibi. E. CCCLIV. CCCLVI. & CCCLVII. & CCCLVIII.
Ciceroni Argutias fundenti obijcitur leuitas, à Quintiliano. L. 6. P. 731. A. Eius Epitaphium. L. 4. P. 485. E. CLXXIV. Multa eiuſdem ſcripta interierunt. L. 2. P. 77. B. Poſt Ciceronis aetatem auream imitandi ſunt ſubſequentium aetatum bonarum Scriptores.
Cilo (L. Fabius) Conſul. II. ab Ancyra Metropoli Galatiae adoptatur in Praeſidem. Inſcriptio Graecè. L. 4. P. 515. E. CCCV.
Cimeliarcha, ſacra Dignitas Mediolani in ſummo Templo. L. 2. P. 123. A.
Cionaccius (Franciſcus) Florentinus Principis ſui laudibus ſtupet. L. 6. P. 725. A. B.
Cippus monumentum eſt ex lapide in militaribus vijs, memoriam prodens alicuius facti. P. 11. A.
Ciuis optimi, & Reip. ſtudioſi exemplum in antiquo marmore. L. 5. P. 533. E. I.

Cladis horrendae congredientium exercituum ad Rauennam Memoria in Columna. L. 5. P. 594. E. CCXXI.

Clarae-Eugeniae-Iſebellae Hiſp. Infantis Imago petentis Caelum cum Inſcriptione. L. 4. P. 499. E. CCXLIII.

Claſſis valida Antonij, & Cleopatrae paucis repraeſentata à Floro. L.5. P.540. A.

Claudius, qui mox Caeſar, titulo Deuotiſſimi decoratus à Valeriano Caeſare. L.2.P.233.A.

Claudius Tiberius Nero petitur alliterationis cauillo. L. 6. P. 678. A.

Claui caput faſtigiatum cum incluſis remedijs aduerſus inuidiam, inſigne olim Triumphantis. L. 2. P. 256. A.

Clementis VII. & Caroli V. Foedus Bononiae ictum. L.2. P.226. E. CCCVII. ✝ Clementis Epitaphium. L. 1. P. 22. E. XXIX.

Clemens VIII. P. M. munificus in Xenodochium SS. Trinitatis Romae. L. 2. P. 272. E. CCCCIV. ✝ Oratoria duo vetuſtiſſima inſtaurat, & ornat. L.2. P.254. E. CCCLXIX.

Clypei votiui, Graecè inſcripti. P.3.A. Cum expictis ſymbolis, item Inſignibus Gentilitijs, ibi.

Clytemneſtram quadratariam dixit Caecilius in triclinio coam, in cubiculo nolam. L.3.P.422.

Coena ſecretior Auguſti Δωδεκάθεος appellata. P. 10. A.

Colomi (Eugenij) vortice fluminis abrepti, & extincti Epitaphium. L.6.P.718.E.LXXXVI.

Colonia Iulia Piſana L. Caeſari Auguſti Filio defuncto Inferias anniuerſarias decernit Anno Chriſti nati III. L.2. P.57. E. XIX. Eas quoque C. Caeſari Auguſti Filio, Anno Chriſti V. P. 58. & 59.

Coltellinus (Auguſtinus) I. C. Florentinus, Geminae Academiae Fundator, & Rector intra domeſticos Lares. L. 6. P. 671. A. B. Functus praeterea octo Magiſtratibus maioribus Palatinis. Idem Conſiliarius Sereniſs. Ferdinandi Caroli Archiducis Auſtriae.

Columbae nidificantes in Galea. L.6. P.707. A.

Columbae (Annae) matronae Mutinenſis Epitaphium. L.6. P.679. E. XVIII.

Columbus (Fortunatus) Scriptor Vitae Ludouici Bitoſti, imitator ſtyli Barclaici. L. 2. P. 217. B.

Columna ad Rauennam quadrangularis, Inſcriptionem geminam offerẽs ad vnumquodque latus. L. 5. P. 631. B.

Columna Inſcriptione bimembri, & monſtroſa, in ſummo ſcapo recta forma literarum & verſuum; in imo oppoſitu mutuo, literis ſurſum verſum. L.5. P.626. E. CCLXXXVI.

Columnae erectio per Democratem Architectũ. L. 5. P. 586. E. CLXXXVIII.

Columna aenea inſcripta. P. 1. A.

Columnae argenteae aureis literis perſcriptae. P. 2. A.

Columna Alchayri, cui nomen Niloſcoopium. P.6. B.

Columnae marmoreae in ingreſſu Patriae deſertae à Rom. Impp. poſitae, cum inſcriptis legibus. L. 1. P. 17.

Columnae, i.e. de familia Columna (M. Antonij) pueruli Tumulus. L. 5. P.554. E. LXXII.

Comacina Inſula in Lacu Lario, Cadauer antiquae vrbis. L.2.P.114.A. E.CXVI. & CXVII.

Comnena (Dianira) ex ſtirpe Caeſarum, Macedoniae Principis filia, Georgio Comiti Triuultio nupta. L. 5. P. 553. E. LXVII.

Conducceriatus, ſacra dignitas in Gallia. L. 2. P. 126. E. CXLII.

Coniuges peſſimi, carmine vellicati. L.6.P.717.

Coniugum amborum Mors, eſu fungorum, & Tumulus. L.4. P.521. E CCCXXXIV.

Coniugum iurgantium eodem iacentium in ſepulcro Tumulus. L.5.P.591. E. CCVIII.

Conradi (Q. Marij) de Copia Latini ſermonis vulgato volumine, arguitur futilis opinio de vſu vocum Gratitudo, & Ingratitudo. L. 2. P. 371. praecipuè 372. B.

Conſecrationis apud Rom. Ethnicos quae inſignia. L. 2. P. 221. & 222.

Conſtantino Auguſto omen minax de bello Theſſalonicenſi. L.6. P.677. B. ✝ Vrbem ab ſuo nomine dictam dedicat Chriſto Deo, erecta columna cum illius Statua, & Epigrapha. L. 2. P. 185. A.

Conſultator de rerum ſumma totus in iocis, & luſibus puerilibus, ſtyloque in formam Elogij perpetui vellicatur. L. 6. P. 662.

Contareni (Nicolai) Ducis Veneti creati, Elogium Cabaliſticum. L.6. P.695. E. L.

COPPOLIA familia, Auguſtae Peruſiae Patricia, titulis pluribus ab antiqua origine clariſſima. L.2. P.278. B. &338. A. B. E. DCXIX. & L.6. P. 675. & E. IX.

Copulae (Colutij) Patricij Neapolit. Cauſarum Patroni celeberrimi Tumulus. L. 2. P. 340. E. DCXXIV.

Cor hominis importuoſum, ſcitè dictum, pro Obnoxium perturbationibus. L.5.P.543. A.

Corbaria (Angelina) Peruſina, ſacra Virgo, ex ord. III. Sancti Franciſci, inſignis fama ſanctitatis. L. 2. P. 278. B.

CORIAE Gentis clariſſima lumina in Diuis ſuis Aymone, & Vermundo. L. 2. P. 286. B. & 287. E. CCCCLVII.

CORNELIA Gens Veneta multo clariſſima. L. 2. P. 117. E. CXXIII. & P. 274. E. CCCCVIII. & P. 279. E. CCCCXXIV. & P. 499. E. CCXLI.

Cornelij (Ioannis) Epitaphium Cabaliſticum. L. 6. P. 694. E. XLIX.

Cornu Amalthaeae ex ebore, inſcriptum Graecè, P. 2. A.

Coronae militibus datae aureae, argenteae, nominibus inſcriptis, P. 2. A.

Corpus Collegij, v. g. Fabrorum, Mercatorum &c. quibus coire fas eſt, & leges priuatas condere. L.2.P.112.B. & 113. E.CXIII. & CXIV.

Corradinus

Corradinus (Baſilius) Auctor Epitaphij in Ioſephum Adiacetum. L. 1. P. 41. A.
CORSINIA familia, Florentiae, & alibi nobiliſſima. L. 2. P. 70. & 71. E. LVII. & P. 319. DLXXI. & ſequentibus.
Coſmi II. Magni Etruriae Ducis Victoria in Aphrica. L. 2. P. 301. E. DXXV.
Coſmi, Etr. Princ. Sereniſs. Naſcentis Genethliacum. L. 1. P. 44. + Eiuſdem Imago aerea dedicata Elogio Volumnij Bandinelli A Moribus Principis, ſub Sculptoris perſona. L. 1. P. 23. A. B. + Eiuſdem Laus ex Anagrammatiſmo. L. 6. P. 685. B. & 686. B. & Elogio cum ſubiecta obſeruatione, P. 725. E. CXI.
Coſtaeus (Io. Franciſcus) Laudenſis, nobilitate, ac doctrina clarus, Cenotaphio ornatus, L. 2. P. 165. E. CLXXXIX.
Craſſi (Nicolai) Veneti Tumulus legendus. L. 5. P. 558. E. XCI.
CRIBELLA Gens Mediol. Patricia, titulis illuſtris. L. 2. P. 169. E. CXCIX. & P. 181. E. CCXXII. & L. 5. P. 633. E. CCCIX. Item L. 2. P. 260. E. CCCLXXX.
CRVCEA, ſeu CRVCEIA. Gens ex RHAVDENSI (vulgo Rhò) propagata, Belli ſacri Gothfrido Imperatore. L. 2. P. 101. per totam, & P. 235. E. CCCXXVII.
Cueua (Bartholomaeus) Cardinalis, ex Ducibus Albuquerque. L. 2. P. 164. E. CLXXXVII.
Cuiatij I. C. Laus ex Anagrammate. L. 6. P. 685. B.
Culicis Epitaphium. P. 10. B.
Curtij (Franciſci) Ticinenſis, legum Profeſſoris Tumulus. L. 2. P. 341. E. DCXXVIII.
Cuſani (Auguſtini) Card. Sepulcrum Mediol. in Diui Barnabae. L. 1. P. 36. E. LXIV.
Cuſorum temeritas in diſponendis literis marmorum. L. 6. P. 614. A. & alibi paſſim.
Cybelae Mater Deorum, & Magna Mater vocitata. L. 4. P. 512. B.
CYBOA familia Principalis. L. 2. P. 316. E. DLXI.

D

Damagoras ſugillatur à Poeta per Hiſopſephon. L. 6. P. 693. A. E. XLIV.
Dandinus (Hieronymus) Caeſenas, Card. & Legatus à latere ad Carolum V. & Germanos. L. 2. P. 258. E. CCCLXXV.
Danduli (Ioannis) Praetoris Veronen. Elogium. L. 2. P. 353. E. DCLII.
Danthes Aldigherius Poeta in verbis ſordidus, ac vrbanitatis violator. L. 2. P. 52. A.
Dauides Floritius Riqueborgtrigault, Vir egregius. L. 5. P. 629. E. CCXCVIII.
Decij (Philippi) Mediolanenſis I. C. celeberrimi Tumulus ſibi compoſitus. L. 2. P. 341. E. DCXXVI.
De Cuſa (Nicolai) Cardinalis Tumulus. L. 2. P. 239. E. CCCXL.
Delbenius (Auguſtinus) cum Hieronymo Veritate Legatus Veronenſis Venetias. L. 2. P. 104. E. XCIX.
Delphini (Danielis) Gubernatoris Veronae Elogium. L. 2. P. 159. E. CLXXVII.
Delphorum ciuitas parentem ſe iactat M. Aurelij Cari, magnifico Elogio. L. 4. P. 442. E. XXIX.
Deorum Senatus Conſultum à Pona ſcitè compoſitum pro conſecratione Triuiſani, & Barbadici, Herôum coniunctiſſimorum. L. 4. P. 472. E. CXXXIII.
Deos inter, & Diuos diſcrimen Ethnicis. L. 2. P. 191. & 192.
Deorum immortalium appellatione donauit Diuos noſtros Sadoletus Cardinalis, cui adhaeſit Conradus, ſed poſt ſanior factus receſſit. L. 2. P. 193. B.
Deuotio propria eſt militum. L. 2. P. 232. &c.
Deuouendi formula apud Latinos veteres. L. 2. P. 95. E. LXXXII.
Dezza (Maximilianus) imitandus in laudatiuo genere, materia graui, & ad finem ſerium, Elogijs Theatri ſui in Heroes Lucenſes. L. 6. P. 732.
Diadema aureum à PIO V. dono datum Magno Duci Etruriae. P. 2. B.
Diadema aureũ D. Io: Baptiſtae ab Agilulpho Rege, cũ inſcripto Elogio dedicatum. L. 2. P. 63. B.
Dictiones in marmoribus extremo verſuum imperfectas, initio ſequentium perficiendas abrumpi contra Canonas Grammaticorum ferebant antiqui Romanorum ex genio magnanimitatis. L. 5. P. 609. B.
Didaci de Vardex Epitaphium. L. 2. P. 116. E. CXXII.
Didus aemula, Epitheton foeminae, quo non aliud plenius encomij. L. 4. P. 523. E. CCCXLIII.
Digitorum Argutiae. L. 6. P. 664. B.
Dijs iratis mortem hominum vertebant Ethnici. L. 5. P. 555. E. LXXIII.
Dijs ruborem pudoris tribuebant. L. 6. P. 730. A. B.
Diocletiani Caeſaris in Chriſtianos ſaeuities binis marmoribus temporis illius teſtata. L. 2. P. 186. E. CCXXVI & CCXXVII.
Dioniſij Feuten Abbatis Epitaphium. L. 2. P. 54. E. XVI.
Dionyſij de l'Argentier laudatio ex Anagrammate. L. 6. P. 688. A.
Domini titulus aetate Martialis dari ſolitus obuijs quibuslibet, conſanguineis, Amicis: imò aetate Senecae. L. 2. P. 276. B. & 277. A. B.
Dominici (Sancti) laus ex Anagrammate. L. 6. P. 688. B.
Domitianus Caeſ. titulos Epiſtolis ſic faciebat: Dominus, & Deus noſter ſic fieri iubet. L. 2. P. 235. A.
Donati (Leonardi) in Rep. Veneta ampliſſimi Elogium. L. 2. P. 175. E. CCIX.
Donghij (Io. Stephani) Card. Flaminiae Legati Stemma gentilitium in Rauennae foro expoſitum ac dedicatum. L. 5. P. 546. E. XLIV.
Doſae (Antonij) Patricij Neapolit. Tumulus

in Belgio. L. 3. P. 431. E. CIII.
Doſſenae (Ferrandi) Regij Fiſci Procuratoris Mediol. Tumulus. L. 2. P. 329. E. DCVII.
Doſſenius, vel Doſſena (Coſmus) genere, inſtituto, munere venerabilis. L. 2. P. 217. E. CCXCVII.
Douglaſiae (Margaretae) Matthaei Stuarti Vxoris, Henrici VII. Regis Neptis Tumulus. L. 2. P. 106. E. CV.
Draco, legislator Atheniensium tetricus perſtringitur. L. 6. P. 697. A. B.
Drogonis, Caroli Magni Filij, Tumulus. L. 2. P. 64. E. XXXVI.
Dugnanae (Ludouicae) Matronae Mediolanenſis Tumulus. L. 3. P. 432. E. CIV.
Dureri (Alberti) Tumulus. L. 5. P. 556. E. LXXIX.
Duſſilui (Theodori) Inſtitutoris literarij & moralis, Tumulus. L. 4. P. 451. E. LVI.

E

Ebulae (Lucretiae) Neapolitanae Tumulus. L. 5. P. 547. E. XLVII.
Echo, totum informans Elogium. L. 6. P. 684. E. XXXIII.
Edictum Neronis Caeſ. contra Errabundos Regionis deſertae. L. 1. P. 18. E. VIII.
EI aureum, aereum, ligneum, inſcriptum in fronte Templi Delphici. L. 3. P. 429. A.
Eleonorae Gonzagae Sponſae Auguſtae, Ludi Mantuae celebrati. L. 2. P. 300. B. & E. DXXI. & P. 301. E. DXXII.
Emerentianae (Sanctae Virginis) Laus ex Anagrammate. L. 6. P. 687. B.
Epiſcopij (Nicolaij) Baſilicenſis Tumulus. L. 5. P. 644. E. CCCXLV.
Epiſcopus Athenienſibus olim Magiſtratus, Ius dicens in terris, eorum imperio ſubiectis. L. 2. P. 115. A. Noſtratibus quoque olim Magiſtratus profanus, curam gerens panis & cibariorum communium, ibi. B. ✝ Epiſcopus Sacer Magiſtratus praeeſt Eccleſiae ſuae ſolus. L. 2. P. 148. Caput alterum agnoſcit in terris, nempe Romanum Pontificem, ibi.
Epitaphij Vvenceslai Borgardi luxuries caſtigata. L. 1. P. 43. A.
Equi, cui nomen Iberi, pernicitate celebris Tumulus elegantiſſimus. L. 3. P. 388. E. III.
Equus Troianus qua Inſcriptione dicatur. P. 3. B.
Eſtenſis (Hippolyti) Cardinalis memoria. L. 2. P. 176. E. CCXI.
Euchariſtiae Sacroſanctae Triumphus à Ludouico Rege Victore curatus. L. 6. P. 713. E. LXIX.
Exequiarum indictio qua formula antiquis Latinorum. L. 3. P. 408. E. XXXVII. & L. 4. P. 483. E. CLXVI.
Exequiarum, Regia cum magnificentia, binis duntaxat Elogijs ſcite diſtributis, atque vno Templum, altero Pyrae molem occupantibus, exemplum nobile. L. 5. P. 632. A. B.
Exercitus Romanus Epitaphium indit Sepulcro Gordiani. L. 2. P. 60. E. XX. & Sepulcro Probi. P. 61. E. XXII.

F

FABAGROSSA familia Feudo inſignis. L. 2. P. 163. E. CLXXXV.
Fabij Maximi Dictatoris Eloginm antiquum, magnificum. L. 5. P. 652. E. CCCLXXVII.
FABIVS CHISIVS Senenſis Card. ad ſummum Pontificatum euectus, Fabij Cunctatoris impleuit veſtigia meliore Rei Chriſtianae auſpicio. L. 4. P. 461. E. C.
Fabulae veritas ſub cortice commenti latitans. L. 3. P. 397. A.
Factionis Praſinae & Venetae contentio cruenta Bizantij. L. 2. P. 81. B.
FALCONCINIA Gens Volaterris nobilitatis antiquiſſimae. L. 2. P. 99. E. LXXXVII. & ſeq. cum proſa.
Famae integritas in foemina, laus ſumma. L 5. P 542. E. XXVII.
Fanenſium Ciuitas Fontem publicum dedicat Gregorio XIII. L. 2. P. 237. E. CCCXXXII. & ſeq.
Farneſij (Odoardi) Cardinalis Epitaphium. L 6. P. 718. E. LXXXIX. ✝ Farneſio (Alexandro) Card memoria poſita in Templo Romae fundato. L. 2. P. 191. E. CCXXXVIII.
Febri, Deae habitae Ethnicis, Votum perſolutum. L. 5. P. 571. E. CXXX.
Federici Vrbinatium Ducis Elogium magnificentiſſimum L. 2. A.
Feliciani à Chriſtianis Veronenſibus antiquiſſimi Tumulus. L. 2. P. 251. E. CCCLXI.
Felicis Verduccioli reſponſum per Epiſtolam ſuper terminatione quinti Caſus nominum familiae ſeu Gentis a recto in *ius*. L. 2. P. 337.
Felix Papa Auctor Inſcriptionis Rom. in Baſilica S. Steph. L. 2. P. 62. B.
Feltrij (Iulij) Tumulus preſsè, & argutulè inſcriptus. L 5. P. 552. E. LXIV.
Ferdinandus Auſtrius Infans, Genua tranſiens excipitur erecto Arcu. L. 1. P. 20. E. XV. XVI. XVII. XVIII. ✝ Mediolani adminiſtraturus Prouinciam excipitur in Summo Templo. P. 312. E. DLI. Item P. 190. E. CCXXXVI. ✝ Eiuſdem in Belgio, Hoſte debellato, Triumphus, inſcriptus Arcui, Elogio Caeſariani aemulo. L. 4. P 453. E. LXV.
Ferdinandi Ximenez Pereta Sepulcrum. L. 2. P. 105. E. CI.
Ferdinando Aluareſio à Toleto, Duci Albae Statua poſita cum Inſcriptione. ibi. E. CII.
Ferdinandi II. Magni Ducis Etr. Laus. L. 6. P. 689.
FERRARIORVM familia Mediolani Patricia. L. 2. P. 72. E. LIX. & P. 198. E. CCLII.
Ferrarius (Octauius) Patricius Mediol. Elogiaſtes eximius, à vitio affectationis abſtinentiſſimus. L. 5. P. 598. B. ✝ Imitandus in Genere laudatiuo,

laudatiuo, materia graui & ad finem ſerium, Elog js & Epitaphijs libello editis. L. 6. P. 732. Eius ſtylus Elogiaſticus ex idaea propoſita à Quintiliano. P. 657. B.

Feſtinare Lentè, Virtus Regia. L. 2. P. 280. E. CCCCXXXI.

Fidei, & probitatis exemplar Iulius Cataneus A ſecretis Septem Ducum Mediolani. L. 2. P. 172. E. CCII.

Filij Sacerdotum & Pontificum hodie appellati vèl ex vſu veterum Ethnicorum, initiati ab ijs Baptiſmo &c. L. 2. P. 269. B.

Filiodonus (Daneſius) magnae auctoritatis Vir Mediolani. L. 2. P. 173. E. CCV.

Finalis (Ioannis Baptiſtae) publicis Militiae muneribus clari apud Inſubres, Tumulus. L. 2. P. 329. E. DCVI.

Florentij (Virgilij) Nuceriae Epiſcopi monumentum in Sacrario Summi Templi Peruſiae. L. 2. P. 247. E. CCCLVII.

Florenrini (Sancti) Epitaphium Acroſtichide compoſitum, Auctore S. Hilario. L. 2. P. 62. B.

Florentini Auguſtalis Fons Epigrapha eleganti nobilitatus à Franc. Rondinello. L. 3. P 398. E. XVI.

Florentioli (Io. Baptiſtae) pueri Tumulo florenti ſcalpro cuſus. L. 5. P. 552. E. LXV.

Florus in Epitome imitandus ab Elogiaſta in genere hiſtorico Florido & arguto. L. 6. P. 732.

Floſculos verborum captare indecorum eſt Viro. L. 6. P. 658. A.

Foemina impudentiſſima quo argumento ſuadet puellae, vt ſe dedat Amatori opulento. L. 6. P. 666. B.

Foeminae in coniugio Virtutes praecipuae collectae Epitaphio. L. 4. P. 454. E LXXI.

Foemineus ſexus deuotus, quo ſenſu à Diuo Auguſtino vſurpetur. L. 2. P. 233. A. B.

Folietae (Auguſtini) Epitaphium. L. 2. P. 357. E. DCLVIII.

Fontanae (Pauli) Auguſtiniani Concionatoris celeberrimi Tumulns. L. 2. P. 278. E. CCCCXIX.

Forum Liuij, vnum è quatuor Romanorum foris, eorum legione munitum, vbi ad ius dicundum extructa Baſilica. L. 4. P. 441.

Foſcarini (Sebaſtiani) Veneti Tumulus. L. 5. P. 575. E. CXLVI.

Franciſchini (Caeſaris) Epitaphium preſſum, & elegans. L. 3. P. 400. E. XXII.

Franciſci Eſtenſi Ducis Mutinae Funus Elogio, artificij pleno ad miraculum, celebratur à Ioanne Baptiſta Manzinio. L. 3. P. 401. B.

Franciſci Mariae, Vrbini Ducis Epitaphium. L. 4. P. 479. E. CLVII.

Franciſci de Frientes Palentini Epitaphium elegans. L. 2. P. 257.

Fratres Aruales duodecim, Collegium erat Sacerdotum Rege Romulo, qui in vnius defuncti locum ingeri voluit, & Frater Arualis appellari. L. 2. P. 266. A. Eorum inſigne Spicea corona, & albae infulae. ibi.

Fraus, Sepiae piſci comparata. L. 5. P. 553. A.

Fugger (Iacobi) Auguſtani Tumulus. L. 6. P. 716. E. LXXX.

Fumi pretium, Fumus. L. 1. P. 25. B.

Funeris apud Antiquos Latinos indicendi formula. L. 3. P. 408. E. XXXVII. & L. 4. P. 483. E. CLXVI.

Funeris alieni ſpectator quid ad ſuam eruditionem trahere debeat. L. 4. P. 519. E. CCCXXVI.

Funerum celebritatem augebant Romani Ethnici pompa Imaginum gentilitiarum, Principem eius familiae, omnes deinde ſummos Viros, & Foeminas longo ordine proferendo ſpectandos. L. 2. P. 248. B.

G

Gallae Planci Vxoris impudicitia facetè notata. L. 6. P. 698. A. B.

Gallieni Imp. Arcus inſcriptus. L. 5. P. 544. E. XXXIII.

Gallij (Ptolemei) Card. pulcherrima ditio ad Larium Lacum. L. 2. P. 324 E. DXC.

Gamalielis, Nicodemi, & Abibae ſacras reliquias Piſani Rerum olim potiti translatas in ſummo Templo condiderunt. L. 5. P. 565. E. CX.

Ganuccij (Angeli) Florentini Ciuis Nobilis Epitaphium. L. 2 P. 99. E. LXXXVI.

Garetij (Ioannis) Canonici Regularis S. Auguſt. Eccleſiaſtae celeberrimi Tumulus. L. 2. P. 252. E. CCCLXIII.

Garzinius (Ioannes Iacobus) de ſacris Aedibus & Religioſis locis optime meritus L. 2 P. 198. E. CCLII.

Garzonij (Marcelli) Tumulus Bononiae. L. 2. P. 100. E. LXXXIX. Ibi ſepulcrum, vbi cunae.

Gaſparis Scurerij Viri de fide Catholica meritiſſimi Monumentū. L. 2. P. 261. E. CCCLXXXI.

Gauatij (Iacobi) Elogia illuſtrium Anachoretarum. L. 1. P. 40. B.

Gellius carpitur ab Ant. Auguſtino, quod vtatur voce Vſio impura, pro Vſu: etſi compoſita, Abuſio probetur Ciceroni. L. 2. P. 225. B. Idem citatus à Ian. Mellero Palmerio mendosè, ſi verba attendas; ſyncere, ſi ſenſum. L. 2. P. 362. B. deinde A.

Geminorum infantium Fratris, & Sororis Tumulus lepidus. L 4. P. 520. E. CCCXXIX.

Gentes opponebantur Romanis Ciuibus. L. 2. P. 211. A.

Geraldinus (Alexander) Epiſcopus Ciuit. S. Dominici apud indos occidentales Auctor libri Itinerarij. L. 1. P. 17. B

Gerardi (Ioannis Voſſi) Tumulus. L. 1. P. 28. E. XLV.

Gerbertus e Roberti Regis Francorum Magiſtro Rhemenſis Epiſcopus, tum Archiepiſcopus Rauennatenſis, demum Romanus Pontifex. L. 3. P. 427. E. XCII. &c.

Gethicae

Gethicae cladis luctus Latinitati illatae obtinuit mille amplius annos. L. 2. P. 69.
Geuartius (Caſperius) interpres Aenigmatis Bononienſis. L. 3. P. 425. A.
Ghilinus (Hieronimus) Abbas, & Patricius Alexandrinus apud Inſubres, Scriptor Theatri Virorum literatorum, ſtylo vernaculo. L. 4. P. 465. A.
Gearda (Chriſtophorus) in Sacrum Florentinorum Principis natalitium maluit Elogiaſticum luſum inſcribere *Genethliacum*, quàm Elogium, quia immodicè profuſum. L. 1. P. 43. B.
Gifanius (Obertus) in contrarium allegatus exponitur. L. 2. P. 104. A. & B. Refellitur. P. 117. A. & 159. A. B. & 160. A. B.
Gilinus (Antonius) Patric. Alexandr. apud Inſubres Tumulum inſcribit Vxori. L. 6. P. 682. E. XXVII.
Gillij (Franciſci) Patricij Lucenſis paricidio ſublati Tumulus. L. 2. P. 127. E. CXLIV.
Gloriabundi Militis hyperbolicae in Scena iactationes. L. 6. P. 732. B.
Gnathenae ſcorti facetiae. L. 6. P. 698. A.
Gomeſij (Aluari) Caſtri Tumulus. L. 2. P. 359. E. DCLXIV.
Gondij(Ferdinandus-Alexander, & Carolus-Antonius) germani fratres, alter poſt alterum euecti ad Principatum Academiae Infoecundorum. L. 1. P. 35. A. & L. 5. P. 686 B.
Gonzaga (Heleonora) Princeps Mantuae nupta Ferdinando Caeſari. L. 5. P. 615. E. CCLXIX.
Gonzagae (Flaminiae Columnae) pietas in Templi & Coenobij conſtructione. L. 2. P. 368.
Gonzagae (Franciſci) Herculis Card. fratre geniti Tumulus. L. 5. P. 592. E. CCXII.
Gonzagae Ducis Mantuae reditu poſt expugnationem Vrbis ac direptionem Elogium recreatae Ciuitatis. L. 3. P. 400 E. XXIII.
Gorgonij (Sancti Martyris) Tumulus à D. Damaſo inſcriptus. L. 2. P. 196. E. CCXLVII.
Gotardus Naſellus Iudex illuſus, truncato vtroque nomine. L. 6. P. 674. B.
Goyerae (Amblardi) inſignis Theologi Geneuenſis Tumulus. L. 5. P. 640 B.
Grammatica malè definita, Rectè ſcribendi ars. P. 10. B.
Grauio (Henrico) Theologo Tumulus à Baronio Card. poſitus. L. 4 P. 504. E. CCXII.
Griphi (Ambroſij) de egenis & miſeris optimè meriti Tumulus. L. 2. P. 366. E. DCLXV.
Griſonij (Iacobi) nobilis Florentini Tumulus. L. 2. P. 318. E. DLXIX.
Grimaldi (Petri) Durati nobilis Genuenſis Tumulus. L. 4. P. 457. E. LXXXIII.
Gropperi (Ioannis) Cardinalis Tumulus Romae. L. 4. P. 477. A. B.
Gruterus (Ianus) Antiquarum Inſcriptionum totius Orbis Chriſtiani collector hiſtoricum agit potiùs, quàm Elogiographum. L. 2. P. 74. A. ✝ Latinitatis candor ab eo non petendus, ſed fides Antiquitatis, 75. A. B. & cum delectu cautè imitandus, 77. B. Eius Lector è ſanis modò herbis ſuccum inſtar Apis delibabit. L. 4. P. 513. A. B. Deceptus ab exſcriptoribus Marmorum antiquorum. L. 5. P. 546. A. & P. 604. A. B. & 605. A. & 607. & 609. A.
Guarini (Baptiſtae) Cenſura de Symbolo Academico, cuius Epigrapha ſubobſcura. L. 3. Proluſ. P. 386. B.
Guaſconi (Io. Georgij) & eius Fratris, ac Patris Tumulus. L. 4. P. 457. E. LXXXIII.
Gueuarae (Franciſci) Prouinciae Patrimonij Prolegati Tumulus. L. 2. P. 178. E. CCXIV.
Guicciardinij Patricij Florentini Scriptoris celebris Tumulus temporarius. L. 5 P. 572. B.
GVIDICCIONII in Vrbe Luca nobiliſſimi. L. 2. P. 70. E. LVI. & P. 122. E. CXXXII. & P. 129. E. CXLVI. & P. 562. E. XCVIII.
GVINIGIA Gens inter Lucenſes Patricias clariſſima. L. 2. P. 69. E. LIII. & P. 70. E. LIV. & LV. & L. 4. P. 506. E. CCLXXV. & L. V. P. 561. E. XCVI.
Gurgite rapti, & extincti Infantis Tumulus. L. 5. P. 554. E. LXIX.
Guſtauus Sueciae Rex, ardens fulmen glacialis poli. L. 6. P. 672. A.

H

Hadrianus VI. Pont. Max. Caroli V. Caeſaris olim Praeceptor. Eius Epitaphium elegans. L. 2. P. 328. E. DCIV.
Hadriani Caeſaris moribundi Animam ſuam alloquentis, Verſus extemporales. L. 5. P. 582. E. CLXXIV.
Haereſes obortae, & ſchiſmata, quia non paretur Epiſcopo. L. 2. P. 148 A. & alibi.
Heretici recentes elocutionem Catholicorum vellicant. vbi infringere nequeunt dogmata. L. 2. Proluſ. ad Digreſs. P. 138. A. Calumniantur apud vulgus indoctū phraſim rituum Romanorum bonam ex vſu Latino. 139. A. Primatum denegant Romano Pontifici, vt habenas libidinibus laxent, ſubducti regimini, & correptioni ſummi capitis. Digreſs. II. P. 144. B.
Halderiani Horti à Puteano inſcripti. L. 5. P. 641. B.
Hannibal Adamius prudenter Elogij titulum reiecit, Gratulationis aſſumpſit in diadema aureum Lucenſis Crucifixi Regis, quia Elogij modum excedit. L. 1. P. 41. B.
Haymonis, & Vermundi miranda ad Chriſtum traductio. L. 2. P. 287. E. CCCCLVII.
Helenae de l'Eſpineae coniugis Ioannis Bapt. de Taſſis Equitis &c. Epitaphium. L. 3. P. 419. E LXXII.
Helenae raptus à Guidone Rheno pictus ad viuum, cur ſine motu? L. 6. P. 709. B.
Henricus Comes Razeburgenſis fundator Chriſtianae

ſtianae

ſtianae Religionis in Saxonia. L. 2. P. 369. E. DCLXXII.
Henrici IV. Gallorum Regis Arma Trophaei loco ſeruata Venetijs. L. 5. P. 646. E. CCCLI.
Henrici Lotharingiae Ducis Tumulus. L. 2. P. 69. E. LI.
Heraclitus à Lucretio irriſionis gratia vocatur Clarus ob obſcuram linguam. L. 3. Proluſ. P. 386. A. Idem, quod de induſtria obſcurè loqueretur, σκοτεινὸς è Graecis dictus. ibi.
Herculani II. Peruſini Epiſcopi, & Martyris qua pompa translatae Reliquiae. L. 4. P. 464. Eidem labores Herculis nobilius adſcripti, E. CVII. Agonis illius Inſcriptio. L. 5. P. 643. E. CCCXLII.
Herculi Argiuo Victori Donum. L. 4. P. 514. E. CCCIII. ✠ Herculis Elogium vetus perelegans. L. 5. P. 652. E. CCCLXXVI.
Herculis Statua Lernaeam Hydram necantis Emblema Academicum. L. 1. P. 34. B.
Hermathena de qua Cic. Att. L. 1. Epiſt. III. fuit imago Mineruae pectore tenus, inſtructae galea, clypeo, haſta: Suſtentabatur quadrangulari lapide praelongo. L. 2. P. 352. A.
Hermeracles, de quo Cic. Att. L. 1. Epiſt. VIII. fuit Herculis caput impoſitum quadrangulari lapidi. L. 2. P. 352. A.
Heuae Elogium. L. 1. P. 16. B.
Hiatus profundiſſimus adhuc extans Lucae in Etruria, quo merſus eſt aleator perditus, prodigio memorando in Imagine Deiparae ibi viſo. L. 3. P. 392. E. VIII. & 393. A. B. & E. IX.
Hieronimi (Sancti) Elogium venuſtatis plenum, ac magnificentiae. L. 5. P. 535. E. VII.
Hieronymi ab Heynattea Epitaphium. L. 5. P. 556. E. LXXVII.
Hieronymi Columnae dictum in Vita Ennij caſtigatur. L. 2. P. 317. A. B.
Hilarius Papa (Sanctus) Auctor Inſcriptionis in fontem Baptiſmalem. L. 2. P. 61. B. & 62. A. Epitaphij quoque in S. Florentinum Acroſtichide ſtructi. ibi. B.
Hipponactes aſperae naturae homo, ac virulentus. L. 5. P. 535. A.
Hiſtoriae P. Iouij Elogiorumnè titulum iure ſibi vendicent. L. 1. P. 40. B.
Hiſtrio ex Elogiaſta factus in vaſto ſpatio Scripturae Elogij interruptae. L. 5. P. 627. A. B.
Honores publici defunctis bene meritis de Rep. tributi à veteribus, comprehenſi Epitaphio. L. 4. P. 454. E. LXXVIII.
Humilitas, vox ad mores relata, Latinis veteribus ſonabat obſcuritatem, tenuitatem, ignobilitatem: Chriſtianis tenuitatem, & obſcuritatem, ſed arbitrariam; nec ortam ex puſillitate ſpiritus, ſed ex magnanimitate, quae ſuadet contemptum honoris. L. 2. P. 228. A. ✠ Humilitatis Chriſtianae Symbolicum ſimulacrum Elogio morali ſcitè illuſtratum. L. 2. P. 230. E. CCCXVI.

I

Iacobatij (Tarquinij) Romani, rebus geſtis clariſſimi, fatali caſu extincti Tumulus. L. 5. P. 557. E. CLXIII.
Ianſenij (Cornelij) ex Anagrammatiſmo Cenſura. L. 6. P. 687. B. & 688. B.
Ianuarius Martyr Vrbis Neapolis Tutelaris. L. 6. P. 728. E. CXXI.
Ichnographia Elogij, ſeu Inſcriptionis varia. L. 5. à Pagina 627. ad 632.
Idiomatis ambigui Inſcriptio Italico-Latina. L. 6. P. 699. A.
Ieiunium indicebant Populi Romani Ethnici, imminente calamitate. L. 2. P. 254. A.
Ieroſolimae Vrbis euerſio per Titum Caeſ. Memoria antiquo marmori conſignata. L. 4. P. 445. E. XLIII.
IESVS vox Graecè, expoſita pulcro Anagrammate. L. 6. P. 686. A.
Ignatius (Sanctus) Loyola Anagrammate laudatus. L. 6. P. 687. B. Eius Cenotaphium. L. 4. P. 524. E. CCCXLV. Epitaphium. L. 2. P. 270. E. CCCC.
Ignifer campus Diti, & Proſerpinae conſecratus. L. 4. P. 503. E. CCLX.
Imperatoris fortuna, virtute praetermiſſa commendatur. Prograph. P. 2. B.
Imperitis, quae vitioſa ſunt, placent. L. 6. P. 661. A.
Impuber, tredecennis, inter Poëtas Latinos coronatus. L. 2. P. 340. E. DCXXII.
Infantis Principis in vtero mortui, & Matrem interimentis Tumulus. L. 2. P. 73. E. LXIII.
Innocentij VIII. Pont. verè Max. & inclyti Monumentum. L. 2. P. 316. E. DLXI.
Innocentij X. Pont. Max. magnificentia in ornanda Vaticana Baſilica. L. 2. P. 219. E. CCXCIX. ✠ Encomium, 238. E. CCCXXXVII. Fontis Vatic. inuentum, 251. E. CCCLX. ✠ Ad eum Suaſio Lateranenſis Baſilicae inſtaurandae. L. 2. P. 191. E. CCXXXVII.
Innocentij infantuli Tumulus. L. 6. P. 683. E. XXX.
In Regnum Sponſi ingredienti Sponſae Apprecatio felicitatis. L. 5. P. 570. E. CXXIX.
Inſcriptio, ſi ſpectetur vſus communis, diuturnitati nata eſt: ſecus ſi natura. P. 7. 8. 9. 10. Eſt externa Elogio, quod Natura vocale. 9. B. & 10. A. B. Secundum autem Artis eſſentiam intrinſeca eſt. ✠ Inſcriptionis figura circularis, & ſemicircularis, 12. B. Inſcriptio Trophaei Epigrapha dicta, & Epigramma, ibi. Literis deſignandis quae praecauenda. L. 1. P. 43. A. B. Inſcriptionis cudendae moles iudicium exquirit magis, quàm ingenium. B. ✠ In exequijs Principalibus Inſcriptio vna plurimembris diſtributa per potiora membra Templi, magnificentiam habet maximam. L. 5. P. 632. A. Exemplum Veronenſe, ibi. E. CCCIV. & CCCV. ✠ Inſcriptionum antiqq.

tiqq. apud Gruterum quaedam Soloeciſmo foedatae. L. 2. P. 75. & Barbariſmo, 76. Quaedam vitio Elementariorum corruptae, B. & 77. poſt Elogium LXXII.
Inſignia, & Symbola non quacuis in marmore. P. 3. A. B.
Inuitamenti formula ad funus, primis Latinorum vſitata. L. 2. P. 195. B.
IOANNIS Prodromi Chriſti Cenotaphium. L. 5. P. 536. E. VIII.
Ioannis quondam Papae XXIII. Sepulcrum Florentiae, & Epitaphium. L. 4. P. 487. E. CLXXXIII,
Ioannis Kahl. in ſuo Lexico Iuridico obſeruatio docta in Latinam locutionem (Nepos ex fratre) contra vulgi abuſionem. L. 2. P. 319. B.
Ioannes VVouerius Elogio Lipſi pereleganti commendatus. L. 1. P. 23. A.
Ioannis Epiſcopi Nepeſini Tumulus impurus, L. 2. P. 79. E. LXXIV.
Ioannis Suauij Reumani Card. Tumulus. L. 2. P. 186. E. CCXXVIII.
Io. Iouiani Pontani Memoria. L. 2. P. 192. E. CCXL.
Iobi Patriarchae Tumulus honorarius elegantiae exquiſitae. L. 5. P. 640. E. CCC. & CCCI.
Iodoci Tumulus ridiculus. L. 2. P. 80. E. LXXVIII.
IOSEPHVS, Maritus Diuae Virginis fiduciarius. L. 5. P. 535. A.
Iouio (Paulo) admirationem iniecit lectio antiqui Epitaphij. L. 4. P. 455. B. ſcilicet E. LXXVIII.
Iouij (Benedicti) Tumulus à Paulo F. inſcriptus. L. 6. P. 702. E. LIV.
Iſabellae Reginae Hiſpp. Exequiae Mediolani, L. 4. P. 483. E. CLXIV.
Italiae vmbilicus Reate Vrbs. L. 2. P. 67. A.
Italici iugi excuſſio nulli praeterquàm Gallo, hoc eſt Carolo VIII. Regi tribuenda. L. 2. P. 363. A.
Iudae Iſcariotae exprobratio ex Anagrammate. L. 6. P. 687. B.
Iudicij ferè minimum, vbi plurimum ingenij. L. 6. P. 657. A.
Iudicium extremum Elogio expoſitum ex Euãgelio. L. 6. P. 680. E. XXIII.
Iudiciorum forma apud Romanos immutata. L. 2. P. 377. A. B.
Iuglaris (Aloyſius) imitandus in genere laudatiuo, materia graui, & ad finem ſerium Elogijs in Patres Infulatos. L. 6. P. 732. ✝ Defenditur in appoſitione Scholiorum ad marginem Elogij Lucenſis AMORI. LVCENSIVM. CRVCIFIXO. L. 3. P. 391. & ſeq.
Iuliae Villae Epigrapha expenditur. L. 1. P. 39. E. LXIX.
Iulianus Caeſar deſertor, titulum Domini refugiens efficit, vt aetate ſua vſus illius pene aboleantur. L. 2. P. 277.
Iulij II. Pont. Max. monumentum in Templo Vaticano. L. 2. P. 192. E. CCXXXIX.
Iulio III. Aenea Statua dedicata Peruſiae. L. 2. P. 236. E. CCCXXIX.
Iulius Caeſar Nicomedi à puero Ganimedes. L. 6. P. 663. B. Idem omnium mulierum Vir, Virorum Mulier. ibi.
Iunij (Alexandri) Antuerp. Auditoris Sacri Palatij Tumulus. L. 4. P. 509. E. CCLXXXV.
IVSTIAE Gentis nobilitas Florentiae. L. 2. P. 304. E. DXXXVI.
Iuſtinianus Imp. à Valla arguitur, quòd voluerit appellari Dominus Iuſtinianus. L. 2. P. 281. B.
Iuſtiniani (Vincentij) Graeco-Romani Tumulus. L. 6. P. 696. E. LI.
Iuſtinianus (Michael) Abbas, Scriptor noſtri temporis Italico Stylo plurium voluminum. ibid.

L

Labores Herculis formam & diſpoſitionem ſuggerunt ſacrae pompae in translatione Reliquiarum S. Herculani Ep. & Mart. L. 4. P. 464. Item pompae mortuali in Exequijs Orſinae Principis. ibi 465. & ſeq.
Laconiſmo affectata Elogij forma ſermonibus prolixi Voluminis, nouum hodie, ac foediſſimum ſcribendi monſtrum. L. 1. P. 42. A.
Lafaitati (Antonij) patricij Cremonenſis, de Patria, & Egenis benemeriti Tumulus. L. 2. P. 259. E. CCCLXXVII.
Lamechus Auctor Polygamiae accuſatur, & defenditur. L. 6. P. 676. A. & B. Sed & Accuſator ipſe defenditur, 677. A.
Landi (Antonij) Summi Viri Gente, Militia, Pace Epitaphium. L. 2. P. 159. E. CLXXVI.
Laodiae Publiae voluntaria nece extinctae Tumulus. L. 4. P. 495. E. CCXXIV.
Lapicidae & Elementarij Analphabeti. L. 5. paſſim, praecipuè. P. 610. A.
Lapidaria, pro Arte ſcribendi vocabulum minùs aptum. P. 1. A. & P. 6. B. Aptius Marmoraria, 4. B. & 5. A. B. & 6. B. & 11. B. Tabularia multò aptius. ibi, & 12.
Lapides Milliarij P. 11. A.
Lapidibus inſcriptum olim vaticinium communis cladis Aquarum, Noëmo florente; qui pòſt lapidibus conſignauit rei geſtae memoriam. P. 11. A.
Lapis pro marmore vſurpatus. P. 11. A. & pro Sepulcro, ibi.
Laſaniae (Ioannis Petri) Statuariorum Principis Mediol. Tumulus. L. 6. P. 714. E. LXXI.
Lateranenſium Canonicorum ſummus Praefectus Bartholomaeus Coſtius, religioſae exemplum modeſtiae. L. 2. P. 132. E. CLI.
Latinitatis reparatio quãdo & per quos coepta. L. 2. P. 69. poſt Elog. LII. & 70. poſt Elog. LVI.
Latomi (Ioannis) Poëtae Epitaphium. L. 1. P. 20. E. XXI.
LATVADA Gens Mediolani conſpicuae nobilitatis. L. 2. P. 330. Item P. 55. E. XVIII.

Tumulus

Tumulus Communis gentilium , P. 330. E. DCXI.
Laurentiorum Epitaphium Sentinenſe à Ioanne dedicatum Auo, Patri, Patruo. L. 4. P.486. E. CLXXVI.
Lauretana Aedes Elogio illuſtrata. L.6.P. 728. E. CXVIII.
Lauri (Chriſtophori) Peruſini Eq. Hieroſolim. Tumulus. L. 2. P. 323. E. DLXXXVI.
Ledeſma (Alexius) vtraque linga eruditus ſcriptor non ſemel citatus Hoc opere.
Leganenſis Marchionis laudatio laxior, quàm titulus Elogij patiatur. L.1. P. 40. B.
Leges aereas dixit Plato. P. 12. A.
Legij (Andreae) Praetoris Elogium illuſtre. L. 2. P. 353. E. DCLIII.
Legis Romanae formulam de Nepote herede interpretatur Boxhornius. L. 2. P. 313. A.
Leo X. Pont. Max. cum Archipoëta carmine extemporali argutus. L. 6. P. 655. A.
Leonardi (P. Ioannis) encomium ex Anagrammate. L. 6. P. 688. B.
Leonis X. Pont. Max. è Gente Medicea monumentum apud Indos occidentales. L.2.P.24. E. CCCXLIII. & ſeq. Et P. 253. E. CCCLXV. Ei Statua Elogio dedicatur in Capitolio. L.4. P. 462.
Leonis XI. Pont. Max. Pietas in B. Agnem. L.2. P. 209. E.CCLXVII. Elogium in eundem L.4. P. 460. E. XCVII.
Leontij (Io. Nicolai) pietate ac doctrina celeberrimi Epitaphium. L. 2. P. 337. E. DCXVIII.
Leporis (Nicolai) Romani Laus ex Anagrammate. L. 6. P. 689. A.
Lercarius (Io. Baptiſta) Genuenſium Dux Elogio ornatus cum tota familia à Io.Andrea Alberto. L. 2. P. 325. A. B.
Lerneam Hydram Nercules necans, ex marmore,pro Emblemate cum ſubiecto Elogio. L.1. P. 34. B.
Leucij (Nicolai) Villae Octauius Ferrarius inſcribit titulum. L. 2. P. 325. E. DXCII. & DXCIV.
Libellij (Hiacynti) praeſens conſilium, & diues iudicio ingenium in arctiſſimo marmore laudationem cogentis ampliſſimam. L.4.P.526. B. & 527. E. CCCLII.
Ligurni pueri Epitaphium ſenſu plenum. L. 5. P. 547. E. XLVI.
Liburnum Ciuitas & Portus Etruriae in Terraemotu ſeruatur à Diua Vigilia Tutelari. L. 6. P. 683. E. XXIX.
LILIA, ſeu GILIA Gens Lucae in Etruria primariae claritatis. L. 2. P. 71. E. LVIII.
Lindeſaius (Henricus) Protector inclytus Gymnaſij Patauini. L. 2. P. 230. E. CXLVII.
Lipſius (Martinus) Bruxellenſis caſtigator Operum SS. Auguſtini, Hilarij, & aliorum Patrũ. Item Macrobij cum Symacho. L. 2. P. 126. E. CXLIII.
Lipſius (Iuſtus) à Scioppio accuſatur Auctor corruptae illius locutionis *Nepos ex Fratre* pro *Filius Fratris*. Quod vitium aliunde contraxiſſe Lipſius, non inuexiſſe primus arguitur. L. 2, P. 316. & 322. A. B. ✝ Lypſij Tumulus immortalis. L. 5. P. 556, E. LXXXI.
Literis Romanis inſertae grandiori forma nonnullae. L. 5. P. 635. ✝ Romanae autem maiuſculae ſunt nobis. Nam minuſculas poſteriora ſecula inuenerunt. ibi. P. 599.
Literariae Rei Dictatoribus ſuadetur, vt corruptelam vindicent inuectae laſciuia Typographorum literae *v*, pro V. in Romanis praeſertim Marmoribus referendis. L. 5. P. 603. A.
Literarum Sacrarum vulgata verſio eſt Elocutionis nihil minus tolerandae, quàm Plautina ſit, & aliae, quae ſenium olent. L.2. Proluſ. ad Digreſs. P. 138.
Lithoxoica, vt etiam Lithographica voces impares ſignificando Artem Inſcriptoriã. P.11.B.
Liuiae Auguſtae in Diuas relatae memoria in veteri Numiſmate. L. 2. P. 221. B.
Liuij Hiſtorici Epitaphium. L. 5. P. 548. E. L.
Locus dignior in Inſcriptione ſepulcrali dandus ijs qui viui, aut mortui memorantur: Contrà, qui morituri. L. 5. P. 549. A.
Loffredus (Vincentius) Epitaphium inſcribit Lucraetiae Ebulae Vxori. L.5.P.547.E.XLVII.
Longolij Oratoris eximij Tumulus cum cenſura. L. 6. P. 730. B. & E. CXXVI.
Longobardicum Sceptrum Latinitatem ablegauit ex Italia. L. 2. P. 63. B.
Lothi Vxor in ſtatuam verſa viſitur & hodie integra. L. 3. P. 425. B.
Lucano (Anneo Senecae) fama ſeruata per Neronem. L. 4. P. 514. E. CCC.
Lucillae Gemelliparae Epitaphium Graecolatinum. L. 3. P. 414. E. LVIII.
Lucretiae Romanae Epitaphium à Collatino Tarquinio Coniuge poſitum. L. 2. P. 375. E. DCLXXX. & L. 4. P. 444. E. XXXVI.
Luctus parentum in morte pueri prolixus, & perquàm effuſus. L. 5. P. 554. E. LXVIII. & ſeq.
Ludi publici Piſis celebrati, Eminentiſs. Scipione Pannochieſcho Archiepiſcopo ad Vaticanam Purpuram euecto. L. 6. P. 673.
Ludi pro Principis Hiſpaniarum ortu Mediolani,ab Eman.Theſauro Elogijs illuſtrati. P.9.A.
Ludis popularibus aſſignatum a Senenſi Magiſtratu Aes publicum ob inaugurationem Alexandri VII. Pont. Max. eius nutu impenditur parentalibus omnium defunctorũ. L.2.P.200.
Ludouici Iuſti Galliarum Regis Natiuitas miranda, oculis ac manibus tertio ſublatis in Caelum. L.6. P.710. E. LXIII. Et nata Stella in Cygno caeleſti. P. 711. A. ✝ Eius Triumphus in Benearnia. Vide in T. *Triumphus Ludouici*. ✝ Eius Elogium funebre,quod potiùs dicendum Panegyricus laconicus. L.1. P.41. A.

P.41. A. De eiuſdem vita, Cenſura in ſcriptorem Elogiaſtam. L. 3. P. 388. B.
Ludouicus Sfortia Dux Mediolani de Religione meritus in Aede Ambroſiana, Magni Coenobij iacit fundamenta. L.2.P.271.E.CCCCII. De eodem Duce. P. 72. E. LXII.
Ludouicae Capuae de Comeſtabilibus Epitaphium. L. 2. P. 107. E. CVIII.
Ludouiſius (Ludouicus) Card. Conditor Templi S. Ignatij Romae. L. 2. P. 222. B.
LVMELLINA Gens, & LERCARIA Genuenſes, primariae nobilitatis, ac ſanguine coniunctae. L. 4. P. 465. A.
Lupus Piſcis erat Antiquis, qui nobis Tructa, aut Trutta. L. 2. P. 109. B.
Luſcus carpitur ſcommate, ſed inficeto. L. 6. P. 731. A.
Luſus in nomine, aut cognomine ad laudationem eſt ingenij ſtolidi ac triuialis. L.6.P.677. B. ✝. Perge vſque ad P. 685.
Luthero (Martino) obiecta Caeleſti conſilio Diua Tereſia aequalis illius. L. 4. P. 492. E. CCV.
Luxurioſus decoctor mortem ſibi inferre ſimulans. L. 6. P. 731. A.

M

Machirellius celebris Bibliothecae Fundator. L. 2. P. 345. E. DCXXXVII. & P. 346.
Macrobius natione Graecus, Latinitatis munditiem ſeſtatur ad vſque ſuperſtitionem. L. 2. P. 362. A.
Magiſter Corlominius ſapientiae inſanientis depoſitum. L. 5. P. 550. A.
Maioragij (M. Antonij) eruditiſſimi dicendi Magiſtri Tumulus. L. 2. P. 321. E.DLXXXI.
Maiuſcolis, quas nos vocamus, literis omnia ſcribebant Romani veteres. L. 6. P. 695. B.
Malateſta (Sigiſmundus Pandulphus) Belli Peloponn. aduarſus Turcas Imperator, Cineris Themiſtij Philoſophi Ariminum transfert. L. 5. P. 557. E. LXXXIV.
Malleus inauditus in aedificatione Templi Salomonici monet Praeſules Eccleſiae manſuetè agere cum plebe ſubiecta. L. 4. P. 530. E. CCCLVI.
MANDELLAE familiae Mediolani illuſtriſſimae memorata pietas inſcriptione impuriſsima. L. 2. P. 210. E. CCLXXI.
MANTEGATIAE Gentis Mediolani honeſtiſsimae communis Tumulus. L. 2. P. 330. E. DCX.
Mantineae (Andreae) Pictoris excellentis Tumulus. L. 5. P. 558. E.XCIII.
MANNVTIA Gens Florentiae clara. L. 5. P. 621. B.
Manuelis (Vincentij) Praetoris Monumentum. L. 2. P. 354. E. DCLIV.
Manzinus (Io. Baptiſta) Elogij pangendi nouo inuenro ad formam Centonis coronam meretur inter Elogiaſtas. L. 3. P. 401.
Marcelli (Aloyſij) Prouiſoris Piſcariae Elogium. L. 5. P. 564. E. CVI.
Marchiſius (Sigiſmundus) Foroliuienſis, vetuſtiſsimae, & nobiliſsimae familiae. L. 4. P. 440. B. Studioſus antiquitatis. L.5.P.626.A.
Marci (Sancti) Epitaphium, Diuo Damaſo Auctore. L. 2. P. 61. A. B.
Marciani (Flauij Valerij) Imperatoris Tumulus. L. 5. P. 543. E. XXX.
Margarita Auſtria Caroli V. Imp. Filia, Alexandro Medici Sponſa. L. 1. P. 27. E.XLIII.
Margarita altera Auſtria Regi Hiſp. Sponſa Mediolano tranſit. L. 4. P. 443. E. XXXV. & P. 541. E. XXIV. Eius Tumulus honorarius Mediol. P. 585. E. CLXXXIIII.
Margarita Medicea Princeps Etruriae cum Odoardo Farneſio Duce Parmae nupta, Regali apparatu accipitur. L. 3. P. 421. E. LXXVII. & L. 5. P. 570. E. CXXIX.
Maria Auſtria Auguſta, Vicentina Vrbe tranſiens, in Aedibus Comitis Vulmarani accipitur ſplendidiſsimo apparatu. L. 5. P. 564. E. CII.
MARIA Deipara ſine labe concepta *Electa vt Sol* laudatur Elogio. L. 6. P. 721. E. XCVII. ✝ Vere ineunte concepta ibi. P. 727. E. CXVI. ✝ Diuae MARIAE de Prouenzano celebris Religio, Senis & Antuerpiae. L. 2. P. 216.
Mariae Aragoniae Antonij Piccolominij Vxoris Tumulus. L. 6. P. 715. E. LXXV.
Mariae Bauariae Archiduci Auſtiae tranſeunti Mediolano Statua poſita. L. 2. P. 299. E. DXVIII.
Marini (Io. Baptiſtae) Equitis, & Vatis Tumulus Etruſcè. L. 6. P. 711. E. LXVI.
Marinonae familiae Sepulcrum & Epitaphium. L. 4. P. 486. E. CLXXXII.
Maritus parui temporis. L. 4. P. 515. E.CCCIX.
Marius Ferrus Vrſinus Rom. Templi, ac Coenobij fundator. L.2.P.264.E.CCCLXXXVIII.
Marliani (Roggerij) Comitis illuſtriſsimi Epitaphium. L. 4. P. 460. E. XCVIII.
Marmor Parium intus verſum in cryſtallum ad columnas tres Templi Iulij in foro Rom. L. 2. P. 370. B.
Marmora literata duo, Piſana, aureo Auguſti nata ſeculo. L. 2. P. 60. A.
Marmor antiquum nuper erutum in agro Lumellino Prou. Mediol. L. 2. P. 314. E.DLVII.
Marmorata laus. Prograph. P. 4. B.
Marmoreae molis deſcribendae ſtudium praepoſterum execratur Auctor, cùm de ſpatio perſcribendo poctrema eſt cura, anguſtiore plerumque relicto, quàm exigat memoria conſignanda. L.4.P.526. & 528.
Martialis Cenſura in Coſconium ſuper Breuitate Epigrammatis. L. 1. P. 38. A.
Martini V. Papae Tumulus. L. 4. P. 498. E.CCXXXIX.
Martini, Equi Cenotaphium ridiculum. L. 4. P. 460. E. XCVI.

Martinelli (Antonij) Pictoris Tumulus. L. 4. P. 512. E. CCXCI.
Martinellus (Conſtantius) Elogiaſtes, imitandus genere laudatiuo, materia graui, & ad finem ſerium, Elogijs varijs, praeſertim in S. Thomam à Villa noua. L. 6. P. 732.
Martinellus (Florauantes) Scriptor Romae ſacrae, ſtylo vernaculo. L. 2. P. 254. B. & alibi paſſim.
Marſi, & Pedonis Poetarum Epigrammata paginas binas implentia. L. 1. P. 38. A.
Marſilij (Nannis) pueri Tumulus. L. 5. P. 568. E. CXVIII.
Maſculi (Ioannis Bapt.) Encomia ius habent ad titulum Elogij. L. 1. P. 41. B.
Maſſellij (Franciſci) in Aula Etruſca Paraſiti & Amentis nobiliſſimi Epitaphium. L. 4. P. 448. E. LIII.
Matthias Martinius Auctor Lexici Philologici. L. 2. Proluſ. ad Digreſs. P. 139. B. & Digreſs. II. P. 142. Confutatur, vbi Patriarchae Romani primatum refert in Deciſionem Iuſtiniani. P. 143. 144. 145.
Matildis Magnae Comitiſſae Tumulus. L. 2. P. 168. E. CXCVI.
Matina (Leo) Elogiaſtes imitandus in genere laudatiuo, materia graui, ad finem ſerium, Elogijs maximè in Duces Venetos. L. 6. P. 732.
Matris cum filiolo ſepultae Conſolatio plena ſenſu. L. 5. P. 586. E. CLXXXIX.
Matronae inſignis inſigne Epitaphium Romae. L. 2. P. 120. E. CXXVIII. ✝ Viduae exemplum memorandum pudicitiae. ibi. 109. E. CXI. Matronae laus ſuprema lanam facere. L. 6. P. 681. E. XXVI. Matronae pariendo extinctae Tumulus, ibi. 717. E. LXXXIV.
Maurelius Martyr Chriſti clarus miraculis. L. 2. P. 216. E. CCXCVI.
Mauritij à Sabaudia Cardinalis memoria Romae poſita perhonorifica. L. 2. P. 373. E. DCLXXVIII. ✝ Idem Aloyſiae Mariae fratris filiae nubit. L. 1. P. 27. E. XLIV.
Maximi Epitheton Imperatoribus tributum, quo clariores indicabantur ſuperioribus in eadem Regione debellanda. L. 4. P. 438. A.
Maximiliani Auſtrij Caeſaris Tumulus. L. 5. P. 579. E. CLXVI.
Maximiliani Ducis VVirteeberg Infantis Tumulus. L. 4. P. 498. A.
Maynoldus (Iacobus) Praeſes Senatus Mediolanenſis. L. 4. P. 463. B.
Mazentae (Ludouici) Patricij Mediol. ac I. C. Tumulus. L. 5. P. 566. E. CXV.
Medices (Coſmus) Decreto publico Pater Patriae appellatus. L. 4. P. 509. E. CCXXXIV. Pontem ad Piſas extruit bono publico 516. E. CCCXVII. Arcem Senenſem fundat. L. 5. P. 541. E. XXIII.
Medices (Alexander) Dux Florentiae Carolum V. Caeſ. hoſpitio Regali excipit. L. 4. P. 447. E. XLIX.
Medici (Franciſco) Magno Etr. Duci dedicatum Muſaeum Iouianum à Typographo. L. 2. P. 238. E. CCCXXXVIII.
Medicis (Laurentij) Petro Coſmi filio nati Elogium illuſtriſſimum. L. 2. P. 313. E. DLII.
Medicis (Iulij) Alexandro I. Florentinorum Duce geniti Epitaphium. L. 2. P. 100. E. XC.
Medicis (Silueſtri) de Re Florentina opt. meriti honores publici. L. 4. P. 456. E. LXXIX.
Medicis (Ioannis) Ducis inuictiſſimi Tumulus. L. 5. P. 580. E. CLXIX.
Medicinae Elogium. L. 5. P. 586. E. CXCII.
Melanchthon (Philippus) à Latinitate purus à fide Chriſtiana impurus, ſe ipſo arguitur. L. 2. P. 364. E. DCLVIII.
Melitenſes Equites, Praetoriana Cohors nominis Chriſtiani. L. 2. P. 353. B.
Memmij (M. Antonij) Ducis Reip. Venetae inauguratio, & ludi publici Veronae. L. 5. P. 641. E. CCCXXXVI.
Menochij (Iacobi) Tumulus. L. 6. P. 712. E. LXVII.
Menſam ſepulcro apponebant veteres. L. 4. P. 486. E. CLXXXI.
Meretricis mortuae cubili faceta inſcriptio. L. 6. P. 698. B.
Merzagorae (Deſiderij) Senatoris Mediolanenſis illuſtris memoria. L. 2. P. 354. E. DCLV.
Metij Curtij Sabini Elogium effuſo Romuli exercitu. P. 9. B. & P. 10. A.
Militis fortiſſimi ſumma gloria vnde conflata. L. 1. P. 22. E. XXVII.
Milliarij Lapidis inſcriptio. L. 4. P. 516. E. CCCXII.
Minorbetti (Coſmi) Epiſcopi Cortonenſis Elogium Italicè. L. 6. P. 717. E. LXXXV. ✝ Minorbettae (Mariae) nobiliſs. Florentinae, Michaelis Griffonij Vxoris Tumulus. L. 5. P. 577. E. CLXII.
Miraei (Ioannis) Epiſcopi Antuerp. Tumulus. L. 4. P. 447. E. L.
Miſſa, qua die è Benearnia exulauit, eadem reſtituta eſt, ſubiugatis Haereticis per Ludouicum Regem. L. 2. P. 262. E. CCCLXXXIII.
Mitras Perſis, Sol Latinis, Romae Diuinis honoribus cultus. L. 4. P. 487. E. CLXXXVII.
Modeſtia veternm Romanorum in marmoribus ſaepe obuia, eorum, qui oblata ſibi Statua, honore contenti, impenſam Reip. viui remiſerunt. L. 4. P. 494. B.
Modoetia, corruptè Modicia, Sedes olim Regum Longobardorum. L. 2. P. 63. A. B. & 117. B. & 177. A.
Moeroris omnino ſummi expreſſio in morte filij. L. 5. P. 637. E. CCCXXIV. & 647. E. CCCLIII
Molza (Ioannes Bapt.) Annae Columbae Vxori Tumulum inſcribit. L. 6. P. 679. E. XVIII.
MONALDORVM Familiae clariſſimae Monumentum Peruſiae. L. 2. P. 264. E. CCCLXXXIX.
Monarcha dicitur Epiſcopus in ſua Eccleſia;

quia ſolus regit, non quia non ſubſit Romano Pontifici vti Capiti. L.2. P.145. Membro III.
Monaſterium Vrbs inſaniſſimo elementorum luſu Monſtrum. L. 6. P. 682. B.
Monauiae (Magdalenae) puellae Epitaphium cum Anagrammate. L. 6. P. 689.
Mondragonij (Chriſtophori) militari gloria conſpicui Tumulus. L. 4. P. 512. E.CCXCI.
Monicae Paderanae Capriatae Monumentum. L. 1. P. 53. E. XIV.
Monte (Petri-Pauli, de Monte) Tumulus à Lanimia filia poſitus. L.5. P.647. E.CCCLIII.
Montecatinus (Antonius) Comes, Epiſcopus Fulginiae, Anagrammatum ſerie, numero, 50. inſtar Panegirici laudatus à Ioſepho Neronio. L. 6. P. 692. E. XLII.
Montem Veſpaſianus Caeſar excauauit ad paſſus, 200. in modum Arcus ac Fornicis, quâ itur à Foro Sempronij Eugubium. L.2.P.294. A. & E. CCCCLXXVII.
MONTIORVM familia Mediolanenſis Latoclauo, & ſacra purpura inſignis. L. 2. P. 161. E. CLXXXII.
Montius (Caeſar) anagrammate celebratus. L.6. P.690. E. XXXVII. & 691. E. XL.& XLI.
Mora (Io Iacobus) lethiferis vnguentis Ciues necans, ſupplicio extremo domnatur Mediolani. L. 1. P. 25. E. XXXIII.
Moreti (Ioannis Antuerp. Typographi Tumulus Elegans. L. 5. P. 542. E. XXV.
Morimini (Ioannis) Tumulus ex antiquo ad amuſſim expreſſus. L. 5. P. 551. E. LXI. & 552. LXII.
Morimini (Caroli) Epitaphium Neapoli. L.5. P. 557. E. LXXXVI.
Morituri Ethnici ſenſus in Epitaphio.L.5.P.569. E. CCXXII.
Mors vitae conſentanea. L. 5. P. 533. E. I.
Mors violenta Franciſci Gillij, & cum illo familiae totius extinctio calent[1] ac madenti ſcalpro defletur à Iuglari. L.2. P. 127. E.CXLIV.
Mulieris laudatio tribus nominibus abſoluta. L. 5. P. 613. E. CCLXIV.
Multa marmora (obſeruat Scaliger) barbariſſima fuerunt, innouantibus poſteris in veterum contemptum. L. 2. P. 78. A.
Mundi globus cum lemmate IDEM VNDIQVE, Symbolum COSMO Principi Etruriae attributum. L. 1. P. 23. B.
Muſuri (Marci) Cretenſis Epitaphium. L. 6. P. 679. E. XIX.
Muſſi (Cornelij) Placentini Concionatoris diſertiſſimi Tumulus. L.2.P.252. E.CCCLXII.
Mutina m Vrbem Franciſcus Eſtenſis Dux Sereniſs. Moenibus, Theatris, Aedificijs nobilitat. L. 5. P. 565. E. CIX.
Myſterij in Sacra Euchariſtia exponitur veritas nobili Elogio Brabantino. L. 5. P. 573. E. CXXXVIII.

N

Naccij (Caeſaris) Epiſc. Amelienſis Tumulus cum Cenſura. L. 5. P.640. E. CCCXXXIII.
Naeuij Poetae Tumulus, ſuo Marte inſcriptus. ibi. E. CCCXXXIV.
Nannij (Ioannis) Legati monumentum Cremae honorificum. L. 2. P. 364. E. DCLIX.
Narſetis victoris contra Totilam Monumentum geminum. L. 1. P. 28.
Naſiae (Laurae) Virginis forma, & virtute amabilis Epitaphium. L. 4. P. 448. E. LII.
Natalis dies Caeſaris celebrari ſolitus, diſtributis Populo donis priuatorum. L.1. P.16. E.II.
Nauarri (Martini) ab Azpilcueta Tumults.L.2. P. 287. E. CCCCLVIII.
Neronis (Claudij Caeſ.) ſaeuities in Chriſtianos vetuſto marmore teſtata. L. 4. P. 463. E. CIII.
Nerus de Nigris, nobilis Florentinus. L. 2. P. 108. E. CIX.
Neſtor allegoricus, Vir in Rep. bene adminiſtranda. L. 6. P. 731. E. CXXVII. & P.732.
Nicolai Pizzinini Epitaphium Mediol. in ſummo Templo. L. 2. P. 108. E. CX.
NICOLINORVM Gens Florentiae nobiliſſima. L. 2. P. 316. E. DLXII.
Nigiſolae (Hieronimae) formoſiſſimae foeminae Tumulus. L.5. P. 642. E.CCCXXXIX.
Niloſcopium, nomen Columnae. P. 6. B.
Nilus Fl. appellatione Anni donatus ex hiſopſepho. L. 6. P. 693. B. & E. XLV.
Niobes Statua marmorea ab Auſonio illuſtrata titulo. L. 3. P. 423. E. LXXX III. ✝ Fabula de Niobe ab hiſtoria Vxoris Lothi petita. ibi. A. B.
Nomina indumentorum, & ſupellectilium, Romanis priſcis ex neceſſitate, & modeſtia, vſitata, extitere Latina: quae pòſt luxu & pompa ſuperuacua. Graeca. L.3. P 414. A.
Nomina Montium, Fluminum, Regionum, Vrbium nouata recentibus ſeculis, Latinè retinentur. L.2. P.109. A.
Nominum cognitio principium eruditionis. L.1. P.15. A.
Nominum origo, & ſignificatio iuxta Naturam eſt. ibi.
Norberti (Sancti) memoria. L.2.P.125. E.CLX.
Nores (Claudiae) Ant. Antelmi Vxoris Epitaphium. L.2. P.173. E. CCIV.
Notae numerales maiuſculae, ex veterum Romanorum monumentis. L.3. P.430.
Nouatores Religionis. Vide *Haeretici*.
Numiſma, argenteum cum Ara Fortunae Reducis pro reditu Auguſti. P.1.B. Aliud cum imagine Diui Auguſti. L.2. P.222. A. ✝ Aeneum cum imagine Liuiae in Diuas relatae. 193. A. & 221. B. ✝ Numiſma Auguſto cuſum cum clypeo inſcripto. P. 3. A. Alterum Auguſtae. L.2. P.194. B. & Iuliae Domnae Aug. 278. A. ✝ Numiſma C. Marcij Rutilij Cenſoriani cum

imaginibus

imaginibus Anci, & Numae. L.5. P.623. B.
Numiſmata aurea in Gaza Sereniſs. Magni Ducis Etruriae. P. 2. B.
Numiſma pictura expreſſum in Collegio Rom. cum Imagine S. Ignatij. L.2. P.222. B.

O

Obeliſcus in Mauſolaeo Auguſti dicatus, à Sixto V. erectus in Area D. Mariae Maioris. L. 2. P. 292. E. CCCCLXX. Alter per Auguſtum dicatus Soli, in Circo Max. ab ipſo Sixto erectus ad D. Mariae de Populo. E.CCCCLXXI.
Obſcurior, quò deterior Scriptor. L.3. Proluſ. P. 385. B.
Octauius Aug. permiſit ſibi viuenti extrui Templa & Aras, & offerri Sacrificia. L.2. P.234. B.
Odarum nonnullarum Horatij pretium Scaligero. L.6. P.678. A.
Odeſcalchi (Io: Antonij) Comenſis, Regij Senatoris Tumulus. L.5. P.550. E.LVII.
Oecus, pars domi nobiliſſima (vulgò Sala) in qua fiebant virilia conuiuia, &c. L.2. P.220. B.
Omouſion vocat Diuus Hieronymus Auguſtiſſimam Trinitatem. L.2. P.184. B.
Optimi Maximi Epitheta Iouis, tributa Imperatoribus. L.4. P.440. B.
Oratione rem indicare, non eſt ſermonis quotidiani, & in quemcunque etiam indoctiorem cadentis. L.3. P.389. A.
Orationibus Panegyricis an bene praefixus Elogij titulus. L.1. P.40. B.
Ortellij (Abrahami) Antuerp. Geographi Regij Tumulus. L.5. P.575. E.CXLV.
Orthographia ſeruit conſuetudini, ideo ſæpe mutata. L.5. P.620. A. + ex Quintiliano petenda, non ex Cicerone. ibi. B.
Oſualdi Beri Tumulus Baſileae. L.2. P.270. E. CCCCI.
Othryades victoriam ſignat in Clypea ſanguineis notis. P. 8. B. & P.9. A.

P

Paccij (Bartholomaei) Ciuis Neap. Florentia oriundi Tumulus. L.5. P.544. E.XXXIV.
Pachomij (Sancti) Cenotaphium. L.5. P.642. E.CCCXCI.
Pagani Petraſantae Capitanei Florentinorum Tumulus. L.2. P.176. E.CCXXII.
Palaemonij (Io. Iacobi) Orationes quo pacto iura Elogij obtineant. L.1. P.41. B.
Palladij (Siluij) Tumulus. L.6. P.720. E.XCIII.
Pallauicinij (Io. Bapt.) Card. Genuenſ. Tumulus. L.2. P.317. E. DLXIV.
Pallauicinus (Hortenſius) Elogiaſtes, imitandus in genere laudatiuo, materia graui, & ad finem ſerium, Elogg. in Vitam Magnae Deiparae, & in Caeſares Auſtriacos. L.6. P.732.
Pallottus (Euangeliſta) Card. Corpora transfert SS. Apoſt. Simonis, & Iudae. L.2. P.220. E. CCC. & P.254. E. CCCLXVIII.
Pamphilij (Hieronymi) Card. Tumulus. L. 2. P. 304. E. DXXXVI.
Pandolfinij (Dominici) Caduceatoris gloriam Placentia Vrbs bello crepta celebrat illuſtri Elogio. L.3. P.402. E. XXVIII.
Panlotij (Io. Mariae) Eugubini I. C. celeberrimi Tumulus. L.2. P.303. E. DXXXIV.
Pannij (Gaſparis) Auguſtiniani Eremitae Elogium. L.2. P.252. E. CCCLXIV.
Pannochieſchus (Scipio) Comes Ilcij, Archiep. Piſanus, & S.R.E.Card. L.6.P.673.B. & E. V.
Papafauae (Scipionis) memoria. L.2. P.367. E. DCLXVI.
Paraſiti Tumulus feſtiuus. L.6. P.659. E. II.
Pardo (Diegi) Burgenſis nobilis Tumulus. L.4. P.460. E. XCIX.
Parenſij (Vincentij) Patricij Lucenſis, Sacri Conſiſt. Aduocati Tumulus. L. 2. P. 331. E. DCXIII.
Parentis orbati lachrymae Epitaphio filij profuſae. L.5. P.551. E. LXI.
Parentum moeror, tumulato filio, expreſſus paucis. L.5. P.592. E. CCXIV.
Parma ope Auguſti ſubducta M. Antonij tyrannidi, in ſubleuatorem grata. L. 5. P. 597. E. CCXXVII. + Parmae Romanorum Coloniae ingenuitas. L.5. P.597. E. CCXXVIII. + Eius Elogium Ciui ſuo Diuo Franciſco Xauerio dicatum Panegyrico Laconico. L.1. P.41. A.
Parmenſes obſidionem Federici Caeſ. excutiunt eruptione ſubita. L.2. P.111. E CXII.
Paſſauantes ſcriptor, Etruſca lingua, claſſicus. L.1. P.31. B. & 32. A.
Paſtoris Eccleſiaſtici baculus in fulmen verſus. L.6. P.669. B.
Paulus Aemilius Imp. Macedonia ſubiugata ad Indos vſque circuntulit Victor Romana ſigna per veſtigia Liberi Patris, & Herculis. L. 5. P.611. E. CCLIV.
Paulus V. Pont. Max. Columnam veteris magnificentiae ſtatua B. M. V. impoſita erigit in Area Aedis Liberianae. L.2. P.329.
Peccatorum omnium vindex vocatus Fabius Maximus. L.5. P.612. E. CCLV.
PECCORIA Gens Florentiae nobiliſſima. L. 2. P. 186. B.
Peneranda, Comes, Legatus Philippi Regis Cathol. L.2. P.179. E. CCXVII.
Pellegrinius (P.) Senatus Veneti A ſecretis, Orator apud Gubernat. Mediol. L. 2. P. 182. E. CCXXIII.
Perennotri (Claudij) Burgundi Tumulus. L. 2. P.243. E. CCCXLIX.
Perutij (Balthaſſaris) Pictoris, & Architecti celebris Epitaph. L.4. P.503. E. CCLIX.
Peſtilentiae propulſandae cauſa circumferuntur reliquiae S. Caroli. L. 5. P. 647. A. B. & E. CCCLIV.
Petrarchae (Franciſci) Poetae Epitaph. L. 3. P. 340. E. DCXXV. + Eius Imago dedicata in Arce Ducis Vrbinatis. L.5. P.545. E. XXXIX. + Franciſcae eius filiae Epitaph. L.2. P.340. E. DC-

E. DCXXIII.
Petrazani (Gaſparis) Epitaph. L. 5. P. 566. E. CXIII.
Petri (Sancti) Martyris Corpus arca ex alabaſtrite ſummi artificij incluſum à Vicecomite Archiep. & Principe Mediolani. L. 2. P. 259. E. CCCLXXVIII.
Petrus Enriquez Azeuedius Fontium Comes, Gubern. Mediol. L. 1. P. 17. E. V. & VI. & L. 2. P. 105. E. CIII. & 106. A. & 300. E. DXX.
Petrus Fernandez de Caſtro Prorex Neapolit. L. 6. P.729. E. CXXIII.
Petri Ronſardi laus Gallicè ex Anagrammate, L. 6. P. 687. B.
Petrus Adrianus Van Den BroecKe Flandro-Belga Elogio Eryci Puteani commendatus. L. 1. P. 23. A. Illuſtrator Tabulae Numeralis veterum Romanorum. L. 3. P. 430.
Pfintzing (Seyfridi) adoleſcentis miſero fato ſublati Tumulus. L. 2. P. 358. E. DCLXII. ✝ & P. 357. E. DCLIX.
Pharmacum ad euomendum abſurdam locutionem propinatum Lexiphani laboranti, per Siſipolim Medicum. L. 3. P. 385. A.
Phillppi Caeſares Pater, & Filius vbi interfecti. L. 5. P. 565. E. CXII.
Ppilippus II. Rex Hiſp. Templum, ac Coenobium PP. Capuccinis extruit in Vrbe Antuerpia ad Fidem Catholicam reuocata. L. 2. P. 368. E. DCLXX. Alexandro Magno maior. L. 3. P. 395. E. XI. Eius Imperium ambitu Solis definitum. L. 5. P. 554. E. LXXI.
Philippo Nerio (Sancto) florentiſſimi Caetus Piorum Parenti monumentum poſitum. L. 2. P. 366. E. DCLXIII.
Philippo Imp. & Philippo Caeſ. erecta Pyramis octogona cum Inſcript. L.4. P.499. B. & 500. E. CCXLIV.
Philocaptae, inſatiabili Venere extinctae Tumulus. L. 5. P. 593. E. CCXVIII.
Philomatus (nomen quaeſititium Fabij Chiſij, hodie ALEXANDRI VII. Pont. Max.) Auctor iuuenilium Muſarum. P. 5. A.
Phoenicis vocabulum genere foeminino ſcitè vſurpauit, nedum inculpatè Em. Theſaurus de Regina Suecorum. L.2. P.47.B. & 48. Cenſura in Cenſorem Theſauri. ibi.
Polengus (Theophilus) Mantuanus, nomine fictitio Merlinus Cocaius, Auctor Macharonaeae, Scurrilis Poematis. L.2. P.372. A.
Piccolomineus (Octauius) in praelio Lutzenſi victor Suecorum Elogio celebratus à Claudio Achillino. L. 1. P.41. A.
Picturae excellentis imago Chriſti Crucifixi, metro Italico deſcripta. L.6. P.709. A.
Pierij Valeriani Epitaphium. L.6. P.679. E.XVII.
Pietate ſuperata Virtus bellica in Gallieno Imp. Ethnico. L.5. P.544. E.XXXIII.
Pij V. Pont. Max. Elogium Romae ampliſſimum. L.4. P.462. E.CI.
Pij (Rodulphi) Cardinalis Carpenſis Epitaph. L.2. P.122. E.CXXXIII.
Pij IV. Pont. Max. Inſtitutoris Collegij Iuriſconſultorum Mediol. pietas in Patriam. L.2. P. 170. E.CC. & ſeq.
Pinarolij (Antonij) ex Ord. Minorum Epiſcopi Fanenſis Tumulus. L.6. P.726. E.CXII.
Pinna familia Peruſina. Vide Archipresbyteri.
Pipelingiae (Mariae) honeſtiſſimae aequè, & clariſſimae Matronae Tumulus. L.2. P.320. E.DLXXVII.
Pipini Regis Epitaphium. L.4. P 486. E.CLXXX.
Piſarum Vrbis Templum Maximum Primatiale, Aſſumptae Virgini dicatum. L. 6. P.714. E. LXXIII. & ſeq. B. Fit Theatrum duorum Summorum Pontiff. præſentium; Funeſtum Gregorij VIII. ibi tumulati, & Feſtum Clementis III. ſucceſſoris coronati. L. 2. P. 274. E. CCCCIX.
Piſanus Archiepiſcopus, Primas & Legatus natus Inſularum Sardiniae, & Corſicae. L. 2. P. 118. B.
Piſtorij (Iuliani) Pratenſis, ſacri Ordo Carmel. Praeſulis Prouincialis Tumulus. L.2. P.341. E. DCXXIX.
Piſtorij (Simonis) Legum Doctoris Tumulus Lipſicus. L.4. P.497. E. CCXXXIV.
Placidus Puccinellus Decanus Caſinenſis, Auctor Todiaci Eccleſiae Mediolanenſis. L. 2. P. 110. B. & alibi paſſim.
Placiti (Angeli) Senenſis Tumulus. L.5.P.643. E. CCCXLIV.
Plantanidae (Danielis) monumentum pietatis, in D. Cuſtorgium. L.2. P.348.
Pliniorum Statuae cum Elogijs. L.2. P. 283. E. CCCCXLIV. & 286. CCCCLVI.
Poeſis nititur fabula & imitatione, non ſolo metro. L. 1. P.31. A. Sancta veteribus dicta. L. 6. P.730. B.
Poetae pedeſtres, Scriptores ſoluti numeris in argumento fabuloſo. L. 1. P. 31. A. B. Poetarum choro excluſi, qui ſolo metro arctant hiſtorias, aut diſciplinas. ibi. Poetae antiquis Sancti appellati. L.6. P. 730. B. Poetas Ethnicos male imitantur ex Chriſtianis poetantibus nonnulli, 731. B.
Poggij (Io: Franciſci) Florentini Tumulus. L.2. P.86. E.CCXXIX.
Pola (Franciſcus) imitandus in genere laudatiuo, materia leui, Elogijs ſuis in bruta varia. L.6. P. 732. & in vituperatiuo Elogijs in XII. Caeſares Italico Latinè, ibi. ✝ Vindicatur à Cenſura ſuper diſiiectione vocum in eodem verſu Inſcriptionis. L.5. P.614. B. Arguitur ſuper vſu Accentuum 615. A. ✝ & quod imitetur antiquitatem corruptam locutionis. L.2. P.279. E.CCCCXIV. &c. ✝ Corripitur, vbi Diuos priore loco memorat, poſteriore Deum, ſequutus Ethnicorum formulam, eamque peruersè. 49. E. V. & ſeq. ✝ Confutatur ſe ipſo in vſu interpunctionum. L.5. P.607. B.
Polae (Raymundae) puellae octimeſtris Tumulus

mulus lepidus. L.5. P.580. E.CLXX.
Polae (Attiliae) infantulae Epitaphium bellulum. L.5. P.537. E.X.
Politiani (Angeli) Tumulus. L.5. P.548. E. LI.
Ponae (Io. Baptiſtae) Medici, Philoſ. Tumulus. L.5. P.576. E.CL.
Pontanus (Io. Iouianus) culpatus quòd volumina quaedam Ciceronis reperta in Monte Caſino & nonnihil mutata ediderit vt ab ſe compoſita. L.2. P.189. B.
Pontifici Romano miſit B. Cyprianus confirmandum Concilium cum ſuis Prouincialibus celebratum. L.2. Digreſſ. II. P.149. A.
Pontifici Romano capeſſenti Vrbis imperium, vbi auguratus fuit, propoſita quondam fuit à priuato Ciue Tabella cum aenigmate. L.3. P. 430. B. & E.XCIX.
Portij Catonis filij impudicitia notatur ſcommate. L.6. P.698. A.
Portius latro Oratione in Catilinam habetur Voſſio ſuppoſititius. L.2. P.306. B.
Praedij legati conditiones appoſitae. L.6. P.728. E.CXIX.
Praeguſtatoris in Aula Auguſti mentio facta in antiquo marmore. L.5. P.651. E.CCCLXXI.
Precationis formula fratrum Arualium. L.4. P. 448. E.LI.
Presbyteri ijdem interdum, qui & Epiſcopi, Diuo Paulo. L.2. Digreſſ. II. P.146. B.
Primatus, & Capitis nomen inauditum non fuit in antiqua Eccleſia, contra dogma Caluini, ibi 147. B.
Primatus Eccleſiae Romanae non ex Petro ibi mortuo, ſed ex Diuina ordinatione. ibi, 144. A. + Probatur ex quatuor primis Oecumenicis Concilijs ibi, & 145. A. B.
Primicerius Apoſtolorum Diuus Petrus. L. 2. P.120. A.
Principis, & Principatus nomina haud noua ſunt in Eccleſia. L.2. Digreſſ. II. P.146. B. & 147.
Princeps ſola vincendus pietate. L.1. P.22. B. E. XXVIII.
Principis optimi officium, & virtutes perſtrictae Epitaphio Franciſci Venerij Ducis Venetorum. L.5. P.588. E.CXCVI.
Princeps iuuentutis, titulus filio Auguſti datus. L.4. P.439. E.IV.
Priolus (Franciſcus) Diui Marci Procurator ſuis aedibus accipit hoſpitio Mariam Auſtriacam Auguſtam. L.5. P.572. E.CXXXVII.
Priolo (Hieronymo) Veronenſi Praefecto Enſis publicè dedicatus Elogio. L.3. P.404. E.XXX.
Priſcae Epitaphium vetus, miraculum granditatis in breuitate. L. 1. P. 21. E.XXIII. & L. 5. P.549. E.LV.
Probi Imperatoris Epitaphium. L.2. P.61.
Protaſij (Sancti) laus ex Anagrammate. L.6. P. 690. E.XXXIX.
Protheus verſiculus in mille formas vertendus. L.2. P.276. E.CCCCXIV. Item L.6. P.692. A.B. Item. E.XLIII. Item. P.693. A,
Pruna in penſili poſita quid ſit. L.3. P. 390. B. E. IV. &c.
Ptolemaei nomen Graecè expoſitum anagrammate, & Latinè redditum. L.6. P.686. A.
Puccij (Nicolai) Patricij lucenſis de Re Eccleſiaſtica benemeriti Tumulus. L. 2. P. 332. E. DCXIV.
Pudoris decor diuortium inter mares & foeminas ſuadet vèl intra ſepulcrum. L.4. P. 490. E. CC.
Puellarum infantium communis Tumulus Epitaphio pereleganti illuſtratus. L.5. P. 551. E. LX.
Puncta nulla interijciebant dictionibus primi latinorum. L. 5. P. 612. Poſt diſtinxere punctis ſingulas dictiones, ibi.
Puſterlae (Stephani) familia nobilitatis primariae Mediolani. L.5. P.579. E.CLXVII.
Puteanus (Erycius) affectantior antiquitatis. L.5. P.622. B.
Pyramidi affictum Cenotaphium Iobi Patriarchae ex imitatione vſus orientalium populorum. L.5. P.629. & 630. E.CCC. & CCCI.
Pythagorae de tranſmigratione Animorum indecorè alludens Elogiaſtes neſcio quis. L. 6. P.731. B.

Q

Queſtus de armis Gallicis Italiae infeſtis, vltra metas procurrit Elogij. L.1. P. 40. B.

R

RAINOLDA familia Mediolani clariſſima. L.5 P. 648. E. CCCLVII.
Rainolducci (Arnulphi) Epitaphium. L.2. P.244. E. CCCL.
Ranzouij (Henrici) leges de Bibliotheca ab ſe fundata, & inſtructa. L. 2. P. 379. E. DCL XXXV.
Rapſani (Iulij) Equitis Rauennatis Epitaphium L. 5. P. 561. A.
Raymundi (Pauli) Ciuis nobilis Mediol. Tumulus à Io. Iacobo Balſamo poſitus. L. 2. P. 321. E. DLVXIX.
Rebuffi (Iannotti) patricij Genuenſis mors immatura defleta Elogio ab Iuglare. L. 1. P.32. E. LVII.
RECASOLA Gens Florentina Baronatus titulo illuſtris. L. 2. P. 166. A.
REGES AB ELLO (vulgò Redahelli) apud Inſubres antiquae nobilitatis. L.2. P.107. A.B.
Religionis non eſt cogere Religionem, quae ſponte ſuſcipi debet. L. 5. P. 575. A.
Reliquias Sanctorum primus ad Indos Occidentales miſit Leo X. Pont. Max. L. 2. P.253. E. CCCLXV.
Rhamnus arbor ſpinoſa, Symbolum Regis, non quà armis ſtipati, ſed quà delicijs abdicati, ac difficultatibus regiminis obiecti. L. 1. P. 35. E. LXI.

RHAVDENSIS familia (vulgo Rhò) Mediolani floruit Diuo Ambroſio rem ſacram adminiſtrante. L. 2. P. 101. A. Ex ea propagata eſt Cruceia, ibi. Rhaudenſis (Alexander) Condominus Burgheri, legum profeſſor primae ſedis in Piſano Gymnaſio. L. 2. P. 342. E. DCXXX.

Ricardi (Nicolai) Magiſtri Sacri Palatij Apoſtolici, cognomento Monſtri Cenotaphium. L. 2. P. 309. E. DXL.

RICHARDOTA Gens in Brabantia, nobilitatis eximiae. L. 2. P. 162. E. CLXXXIV.

Richelieui Cardinalis Teſtamentum Chriſtianum: Item Politicum, Elogij in morem ſcripta; extra tamen Elogij definitionem. L. 1. P. 41. A. B.

Rinuccinij (Io. Baptiſtae) Archiep. Firmani Tumulus. L. 5. P. 645. E. CCCXLVII.

Ripae (Polidori) Mediol. I. C. Philoſ. Theol. celebris, Tumulus. L. 2. P. 342. E. DCXXXII.

Robortelli (Franciſci) Vtinenſis, Rhet. & Phil. moral. Profeſſoris Tumulus. L. 2. P. 341. E. DCXXVII.

Roderici vltimi Gothorum Regis epitaphium conſentaneum defuncti barbariae. L. 2. P. 379. E. DCLXXXVI.

Rodulphi (Nicolai) Dominicani Ordinis, Summi Antiſtitis Tumulus aliter à Libellio dictatus, aliter ab Vghellio. L. 4. P. 527. E. CCCLII. & CCCLIII.

Rolandi Delphij Ord. Minorum Tumulus. L. 2. P. 265. E. CCCXC.

Ro ma, vox, Anagrammate reddita *Maro, Amor*, & carmine lepido expoſita. L. 6. P. 685. E. XXXIV.

Romanae Eccleſiae formulas precationum, & rituum ſi quae olent barbariem, excuſabit quiſquis Romanae Rei caſus tenuerit. L. 2. P. 138. B. Prolus ad Digreſs.

Romanae Eccleſiae Sedes Caeleſti beneficio Princeps eſt, nō Imperatoris arbitrio. L. 2. P. 144. A.

Romani Pontificis (Sancti Zephirini) Edictum de recipiendis in Eccleſiam poenitentibus, fuerint licet Fornicarij, & Moechi: Male impugnatum à Tertulliano. L. 2. P. 149. B.

Romanus Pontifex auctoritatem exercet in omnes Orbis Eccleſias. ibi. 150. A. B.

Romani veteres curioſi literatorum marmorū, incurioſi literarum. L. 5. P. 624. A.

Romae exciſae titulus, ſeu magis Tumulus. L. 5. P. 556. E. LXXVI.

Romanzieri Ital qui Lat. Agyrtae circumforanei. L. 1. P. 32. A.

Romulus Vrbis conditor mendacio Caelum acquiſiuit. L. 5. P. 553. A.

Roncionius (Caeſar) Piſanus, Eques Baiuliuus S. Steph. Aeſtimator Antiquitatis. L. 5. P. 600. A. & 601. A. & 633. B. & 635. B.

Rondinelli (Octauij) adoleſcentuli Florentini funus. L. 6. P. 675. B. & 676. E. X. & P. 702. E. LIV.

Roſae Elogium morale. L. 6. P. 723. E. CV.

Rota (Bernardinus) Tumulum inſcribit Portiae Capitiae Vxori. L. 5. P. 547. E. XLVIII. & P. 646. E. CCCLII. & P. 648. E. CCCLV. Eius Villae inſcriptio. L. 3. P. 426. A. B. & L. 4. P. 470. E. CXXVII.

Rouuidij (Ioannis Bapt.) pietas in Diuum Matronianum. L. 2. P. 210. E. CCLXX.

RVBEA Gens antiquae claritudinis in Italia. L. 2. P. 116. E. CXX. & L. 6. P. 675. A.

Ruſpolus (Alexander) Bartholomaei Ruſpoli, & Mariae Ardinghellae Filius. L. 2. P. 119. E. CXXVI.

Ryntius (Hieronymus) Ferrarienſis Tumulum ſibi componit. L. 5. P. 624. E. CCCXXXVIII.

Rythmus inuectus carminibus Anno Chriſtiano DC. L. 2. P. 62. B. Exempla Inſcriptionum. P. 63. A. & 64. E. XXXVI. & 67. E. XLIII. & XLIV. & P. 68. E. XLVII. & XLVIII. & XLIX. & P. 69. E. LII.

S

SABELLIA Gens Romanorum Procerum, Mareſcalcatum auita ſucceſſione habet Romae. L. 2. P. 117.

Sabinis Populis inſignia explicantibus cum literis S. P. Q. R, Romani pòſt ijſdem cum literis obiactant ſua. L. 3. P. 431. A.

Sabino T. Fl. Petronis F. Imagines in Aſia dedicatae. L. 4. P. 488. B.

Sacci, Germani fratres (Ioannes Bapt. & Bonifacius) Ciues elegantiſſimi, & pernobiles Mediol. L. 2. P. 209. E. CCLXVIII. & 211. E. CCLXXII.

Sadoleti (Iulij) Graecè & Latinè doctiſſimi Epitaphium. L. 2. P. 244. E. CCCLII.

Sadoleti (Iacobi) P. 314. E. DLIX.

Salae (Io. Dominici) Medici praeſtantiſſimi Epitaphium. L. 2. P. 383. E. DCLXXXIX. & L. 5. P. 550. A.

Salimbenius (Ioſephus) Ticinenſis Tumulum inſcribit Coniugi, Matri, Sorori. L. 5. P. 542. E. XXVI.

Saltator, & Cantor publicè probatus Puer duodecennis. L. 6. P. 674. E. VI.

Saluatoris appellationem de Chriſto Domino diù impugnauit Auctor cum Auctore Theſauri Lat. Ling. Tandem retractans quaeſtionem adhaeſit pedarius. L. 2. P. 203. Confirmatuſque conſulto Vincentio Gallo, ſuo olim Doctore, qui Rhetoris. Lib. 3. Cap. 3. neceſſitate nouatā eſſe eam vocem decernit: Quamobrem, inquit, niſi vt ſignificaretur Chriſtus Auctor ſalutis dandae nouo modo, neque temporariae ſolum, ſed etiam aeternae?

Sanctacruciae (Portiae Draghiae) Tumulus Romae. L. 2. P. 101. & 102. E. XCIV.

Sanctij (Raphaelis) Vrbinatis, Pictorum Principis Epitaph. L. 5. P. 543. E. XXIX.

Sandalij memoria antiqua, ſuſpecta vel de barbarie ſeculi, vel de fide Auctoris. L. 5. P. 600. E. CCXXXIII.

E. CCXXXIII.
Sandoninij (Nicolai) Patricij Lucenſis Elogium, Auctore Dezza. L. 2. P. 383, E. DCLXXXVIII.
Saphyri catuli Apitaphium. L. 5. P. 643. E. CCCXLIII.
Saponaria Oppidum Epiſcopo Marſicenſi ſe ſubtrahit, longoque pòſt tempore, ac longa Iudicij dimicatione in Romana Curia condemnatum, non auctoritate Iudicum, uec potentia Magiſtratuum, ſed Euangelicae manſuetudinis exemplo ac religione reuocatur ad Epiſcopi obedientiam. L. 4. P. 528. & ſeqq.
Sardoli (Ioſephi) Tudertani nobilis Epitaphium L. 6. P. 718. E. LXXXVII.
Sarrini (Euſebij) Elogium in Nicolaum Baccettium. L. 1. P. 40. B. Eiuſdem Elogia XX. ibi.
Satyra ex Epitaphio laudatiuo. L. 6. P. 681. E. XXIV. & XXV. Et ex peruerſo punctorum interpoſitu. L. 5. P. 634. B.
Sauinae (Sanctae) Matronae Laudenſis memoria conſecrata. L. 2. P. 74. E. LXVI
Sauinius (Vincentius) Imolenſis de literis benemeritus. L. 3. P. 400. A.
SAXATELLAE familiae Imolenſis nobilitas L. 2. P. 245. E. CCCLIII.
SBARRA Gens Lucenſium clariſſima liberatorem dedit Patriae. L. 2. P. 71. & 72. ✝ Pòſt etiam reſciuimus ex publico Tabulario Vrbis, Ab Arunco Sbarra Comite Collis dotatam Aedem D. Mariae de Colle Anno Sal. MCLXIV. Ipſam porrò Aedem inſtauratam pridem à Comite Gualterio Sigifredi Proaui filio, illo nimirum, cui Caſtri Collis poſſeſſionem dederat Otho Imperator. Vt hinc coniectetur Sbarrae gentis vetuſtas originis.
Schachabarozius (Henricus) Archipresbyter Eccleſiae Metropolit. Mediol. de patria opt. meritus, L. 2. P. 68. E. L.
Scalenſium Canonicorum Mediol. Tumulus communis. L. 6. P. 702. E. LVII.
Scaliger (Iul. Caeſ.) confutatur, vbi Epigrammati concedit Soloeciſmos. L. 1. P. 37. B. & 38. A. B. ✝ Eius Tumulus. L. 5. P. 556. E LXXX.
Sceletus muliebris ſubiecta deſeriptione Elogio ſoluto, & ſtricto. L. 3. P. 422. B. & 423. A.
Scioppius Gaſpar immutato nomine Paſcaſius Groſippus inſimulat Lipſium Auctorem corruptae illius locutionis *Nepos ex fratre*, pro Fratris filius. L. 2. P. 316. A. B. ſed Calumniator pòſt deprehenditur, 322. A. B.
Scorelij Canonici Epitaph. Vltraiectinum. L. 5. P. 557. E. LXXXV.
Scribendi forma antiqua, & Latio horrida, Verſibus erectis, lineis deorſum cadentibus hinc inde, literae vnius plantam ſubeunte vertice alterius. L. 5. P. 625. B. & E. CCLXXXV.
Seculum noſtrum Latinitatis rediuiuae Argenteum, ſuperius Aeneum. L. 2. P. 73. poſt Elog. L. XIII.
Sedes Patriarchalis Conſtantinopolitana Primatum poſt Romanam Alexandtinae cur interceperit. L. 2. P. 145. B.
Seiani Gallici infelix exitus. L. 3. P. 395. E. X.
Semperuiui (Iacobi) Epitaphium. L. 6. P. 680 E. XXII.
Senis deſcriptiuncula. L. 6. P. 674. B.
Sententiolis fleri non licet. L. 6. P. 732.
SEPTALIA familia pernobilis Mediolani. L. 2. P. 102. B. Edidit. B. Lanfrantum, 132. & 5. Senatorem. L. 5. P. 634. E. CCCXIV.
Septimij Seueri morte impendente poſtrema verba. L. 5. P. 536. A.
Septuaginta Interpretes Sacrorum Bibliorum in littore Erythraeo diſcreti domicilijs ingegenio, & ſenſu conſpirant in eadem ipſa verba. L. 3. P. 428. B.
Sepulcra Romanis vetita per legem operoſiora, quàm quae decem homines triduo facerent. L. 2. P. 351. B.
Sepulcris Ethnicorum Roſae & Eſcae imponebantur. L. 1. P. 16. E. I.
Sepulcro Ciceronis incluſae Phialae duae vitraae, Cinerum & lacrymarum. L. 4. P. 485. B.
Sepulcrum à viuente deſtinatum cum adiacentibus Hortis, quorum reditu Curatores fruantur & Natalem Defuncti illatis Roſis celebrent. L. 5. P. 574. E. CXLI.
Sepulcrum marmoreum ad vſum fontis accomodatum recentibus, & in ſcriptum. Prograph. P. 5. A.
Sepulcrum in Exequijs in formam conchae marinae praegrandis. L. 6. P. 668. B.
Sepulcrum Teſraceum. P. 4. A.
Seregij (Ludouici) Apoſtolici Nuntij apud Heluetios memoria Veronae. L. 2. P. 247. E. CCCLVI.
Serenij (Vincentij) Statuarij, & Architecti eximij Sepulcrum. L. 5. P. 569. E. CXXI.
Seripandi (Hieronymi) Card. Tumulus. L. 2. P. 132. E. CLIV.
Sertij Polenſis Paraſiti Tumulus feſtiuus. L. 6. P. 659. E. II.
Sertorij à Pompeio ſublati, Turmis voluntaria caede pugnando inuicem extinctis Elogium Sepulcrale poſitum. L. 5. P. 555. E. LXXIV.
Seruius Grammaticus cum Frieſaco comparatus in re grammatica. L. 2. P. 192. B.
Seuerianus (Ioannes) Septempedanus Scriptor Romae ſubterraneae. L. 2. P. 253. B.
Seuir, titulus illorum, qui praeerant vni ex Decurijs Equitum Rom. qui ſex numerabantur. L. 2. P. 111. A.
SFONDRATA domus ſummis Dynaſtis conſpicua. L. 2. P. 369. E. DCLXXIII. & L. 6 P. 690. E. XXXVIII. & L. 2. P. 167. E. CXCIII. & P. 301. E. DXXVI. & P. 325. B.
Sfortia (Franciſcus) Dux Mediolani. L. 2. P. 72. E. LX. & LXI.
Sfortia Comes Sanctae Florae Dux exercitûs Pôtificij, victorijs clarus. L. 2. P. 164. E. CLXXXVI.

Sibylla inſcribit fornici Arcus in Ianiculo minaces Literas ſolitarias. L.3. P.428. E.XCIV. ✝ Vaticinium eius in Delum. L.6. P.674. & in Romam. 675. A.
Sigiſmundi Boldonij Poema Etruſco ſermone, cui titulus CADVTA DE LONGOBARDI, Prograph. P.7. B. Eiuſdem larius, ſeu Diſcriptio hiſtorica Larij lacus Latinè. L.2. P.114. B. E.CXVII.
Siluatici (Benedicti) Villae amoenitas; ſtylo Octauij Ferrarij amoenior facta. L.2. P.325. E. DXCIII. & L.4. P.507. A.
Simon Stoch Generalis Magiſter Carmelitani ordinis, ſanctitate, & miraculis clarus. L.2.P.132. E.CLIII.
Simpliciani (Sancti) res geſtae Elogio perſtrictae. L.2. P.98. E.LXXXIV.
Simplicius (Sanctus) Papa Auctor Iuſcriptionis ſtrictae prope Baſilicā Vaticanam. L.2. P.62. A.
Sirenae (Alexandri) Fulginatis Epitaph. L.6. P. 678. E.XVI.
Siri (Sancti) Epiſcopi I. Ticinenſium, Elogium. L.2. P.306. E.CXXXIX.
Siricij (Sancti) Papae Epitaphium. L.2.P.61.B.
Sirtij (Tobiae) Patricij lucenſis, & Patris Patriae Elogium. L.6. P.684. E.XXXII.
Sixti (Sancti) Pont. & Mart. Tumulus. L.2. P 196. E.CCXLVIII.
Sixti V. Pont. Max. Epitaph. L.2.P.246. E.CCCLV. & 317. E.DLXV. ✝ Eius pietas in egenoſ. 259. CCCLXXVI. Laus ex Anagrammate. L.6. P.686. A. & 687. B. Ornatus Statua aenea ſub auro cum Inſcript. in Capitolio. L.4. P.462. Rurſus in egenos prouidentia. L.5. P. 548. E.LIII. Encomium in dedicatione Theorematum. 550. E.LVIII.
Soldurij apud Ceſarem Comment. vmbram modò feudi praeferebant. L.2. P.163. A.
Soledi (Hieronymi) Epiſcopi Vaſionenſis de ſede Ap. optimè meriti Epitaph. L.4. P.507. E. CCLXXVII.
Soncini (Ioannis Bapt.) Tumulus à Virginio fratre Poſitus. L 6. P.711. E.LXV.
Sonectus, ſpecies poematis Italici. Non conuenit cum Epigrammate. L. 2. P.360. Dantis aetatem non exceſſit.
Sonnij (Franciſci) Brabantini Epiſcopi I. Antuerp. acerrimi haereſum impugnatoris Tumulus. L.2. P.339. E.DCXX.
Soraynae (Toſelli) Srriptoris Veronenſis monumentum. L.5. P.566. E.CXIV.
SORMANNORVM familia Mediolani Patricia. L.2. P.123. E.CXXXV.
Souici (Nicolai) Tumulus. L.2. P. 322. E. DLXXXV.
Spartanae Foeminae filijs ad bellum ituris clypeos praebebant cum monito. P.10. A.
Sphingis ſigillo vtebatur Auguſtus in diplomatibus, libelliſque ſignandis. L.2. P.256. B.
Spinulae (Baptiſtae) Tumulus Brabantinus. L.4. P.518. E.CCCXXIV.
Spinulae (Virginiae) matronae Genuenſis memoranda pietas, ac munificentia. L.2. P.366. E. DCLXIV.
Spinulae (Iſabellae) Tumulus Brabantinus. L.4. P.504. E.CCLXI.
Spinulae (Clarae) Nicolai Siuorij Genuenſis Patricij Vx. Tumulus. L.6. P.683. E.XXXI.
Sportulae viritim diſtribui ſolitae ab antiquis, die Natalis ſui. L.4. P.503. A.
Statij poetae heroici Tumulus. L.4. P. 513. E. CCXCIV.
Statuas Numinum in digitis portare quid ſit, Plinius explicatus. L.2. P 350 B.
Statuae erectio Pontifici viuo vetita Edicto publico. L.1. P.117. E.VII. ✝ Quod tamen Edictum poſt abrogatum fuit.
Statuae Iouis, Sculptore Phidia, Inſcriptio. L.5. P.586. E.CLXXXVII.
Statura hominis Elogio morali propoſita. L. 6. P.726. E.CXIV.
Stephani (Sancti) Protomart. laus ex Anagrammate. L.6. P.688. A.
Strata (Paulus) Altare Paulo Apoſt. dedicat. L.4. P.452. E.LXI.
STROZZAE familiae in Etruria clariſſimae. L.2. P.282. E.CCCCXLIII. & 315. DLX.
Strozzius (Carolus) Senator Florentinus ſtudioſus antiquitatis. L.5.P.118. B. & P.119.A.
Sulimanni (Martini) egregij I. C. Tumulus Boloniae. L.4. P.478. E.CLV.
Suplicatio publica ex voto pro peſte depulſa Neapoli. L.6. P.729 E.CXXII.
Suueertius (Franciſcus) & Rota Bernardinus aequales, ſed diſſiti, in eandem ipſam Inſcriptionem dictandam concurrunt, an cognatione ingenij? L.3. P.426. A. B. Suueertius Epitaphium ſibi inſcribit, Chriſtiano planè ſenſu L.5. P.534. E. V. ✝ Idem collector Selectarum Deliciarum Chriſtiani Orbis, & Monumentorum Brabantinorum legendus, ſed cautè imitandus. L.2. P.78. A.
Syllabis ſingulis imponebant Antiqui Latinorum ſuos accentus, & ſua tēpora. L.5.P.615 A.
Syluaſpinae (Angelicae) ſpecioſiſſimae Virginis Cenotaphium ſpecioſiſſimum. L. 6. P. 680. E.XX.
Symbola & Inſignia non quaeuis in marmore. P.3. A. B.
Symbolum Academicum Burrij Tribuni Max. in exercitu Magni Ducis Etruriae. P.10. A. B.
Symbolum Academicum Gondij Patricij Florentini Principis Academiae Infoecundorum. L.1 P.35. A.
Symbolum Academicorum Apatiſtarum Florentiae in Aedibus Coltellini I. C. *Speculum planum* cum lemmate Ital. ex Dante. *Che la figura impreſſa non traſmuta*.
Symbolum Academiae Florentinae, cui nomen VNIVERSITAS in Aedibus Coltellini I. C. cum lemmate ex Taſſo *Oltre i confini ancor del mondo noſtro*.

Symbolum

Symbolum (in funere Reginae Hiſp.) Solis deficientis ; florum in ſubiecta terra languentium ; cum lemmate , *A languore languor*, ſubiecto Elogio. L. 6. P. 720. B.

Symbolum in Apotheoſi B. Andreae Auellini *Cometes* ; lemma , *Non aliunde* , cum ſubiecto Elogio. L. 6. P. 721. E. XCIX.

T

TABERNAE familiae antiquum monumentum L. 2. P. 331. E. DCXII.

Tabula eſt materia quaedam ſolida , plana , patens P. 12. A. Quandoque alterius figurae A. B.

Tabulae aeneae inſcriptae. P. 1. A. B.

Tabulae inſcribendo deſtinatae ex aere . ibi. & P. 5. B. Ex argento ibidem, & P. 2. A. Ex auro ibi , & B. Ex Ebore , ibi A. ex plumbo , Charta , linteo , papyro , cera , arboribus , folijs , earum corticibus , ibi B. & P. 4. A. B. Ex aere litteris ferreis. P. 3. A. Ex arbore ſectae. P. 3. B. teſtaceae . P. 4. A.

Tabulae appellatio communis metallo , lapidi , teſtae , argillae , ligno &c. P. 12. A.

Tabulae inſcribendae ſpatium anguſtius relictum , Elogiaſtis prudentibus tantundem conflat laudis , quantum execrationis imprudentibus Architectis aut Curatoribus . L. 1. P. 42.

Tabulae binae marmoreae nuper Piſis inuentae Decreta continentes de parentãdo filijs duobus Octauij Auguſti . L. 2. P. 57. 58. 59.

Tabulis notae literarum conſignabantur ſtylo , celte , arundine , calamo , penicillo , ſcalpro , &c. alijſque inſtrumentis . P. 12. A. ✝ Digito Dei , ibi .

Tabulae appellatae facies quadratae pilae. P. 12. B. & L. 2. P. 113. E. CXV.

Tacho (Baldaſſar) vir elegans ſibi ponit monumentum . L. 2. P. 173. E. CCIII.

Taedia Populi ſedata muneribus , hoc eſt ſpectaculis, vel donis . L. 4. P. 498. E. CXCVII.

Tagliacarni (Franciſci) Genuenſis Tumulus . L. 5. P. 585. E. CLXXXVI.

Taraſiae (nobis Thereſiae) Principis Tumulus. L. 2. P. 66. E. XLII.

Taurellae (Hippolytae) Tumulus perelegans . L. 5. P. 540. E. XX.

Tempelij (Caroli) belli, domique clari Tumulus caſtigatus . L. 4. P. 484. E. CLXX.

Templi partes quibus nominibus Latinè donentur . ✝ Vindicatur corruptela vulgaris in vocibus *Nauis*,& *Aula* de Templo . Item *Aula* de parte domus , quae noſtratibus *Sala* . L. 2. P. 218.

Templum D. Petri in Vaticano , illuſtratur Elogio . L. 6. P. 727. E CXV.

Tereſiae (Sanctae) Virginis Elogia . L. 2. P. 211. E. CCLXXIII. & P. 212. E. CCLXXIV. & P. 229. E. CCCXIII. & P. 374. E. DCLXXIX. & P. 539. E. XVI. & P. 561. E. XCVII. & P. 564. E. CIII. & P. 571. E. CXXVIII.

Terraemotus deſcriptio . L. 6. P. 683. E. XXIX.

Tertullianus barbarizans . L. 2. P. 60. B.

Themiſtij Byzantini Philoſophi Epitaphium . L. 5. P. 557. E. LXXXIV.

Theocritus Elogij varia figura ſcribendi exemplum dedit in Alis , Ouo , & Securi . L. 5. P. 629. A.

Theodelindae Longobardorum Reginae pietas ſingularis . L. 2. P. 63. A. B.

Theodemi Subdiaconi Epitaphium barbarum Neapoli. L. 2. P. 63. B.

Theodorae (Sanctae) Elogium ſepulcrale viuaciſſimum , cuius Auctor germanus reſtituitur Ioannes Bapt. Vrſus Soc. Ieſu . L. 3. P. 402. E. XXIV.

Theodoſij (Fl.) Iunioris Imp. Elogium . L. 2. P. 206. E. CCLXIV.

Theſaurus (Emanuel) Elogiaſtes imitandus in Epidictico genere, Elogijs in Patriarchas . L. 6. P. 732.

Thomae (Sancti) A Villa noua quo anno celebranda Apotheoſis , Vaticinij ſpecies Hebraico Arithmetici . L. 6. P 694. E. XLVIII.

Thomae Principis à Sabaudia exequiae Regiae. L. 6. P. 674. & 714. & 717.

Thomae Mori Epitaphium iuſto prolixius. L. 1. P. 40. B.

Thomae Epitaphium rythmicum. L. 2. P. 63. A.

Throni (Nicolai) Ducis Venetorum Tumulus. L. 5. P. 641. B.

THVRINA domus (Piſciae in Etruria Oppido celebri) hoſpitium Pauli III. Pont. Max. & Caroli V. Caeſaris . L. 4. P. 489. & 490 E. CXCVIII. & CXCIX. & L. 2. P. 121. E. CXXX.

Tiberius Claudius Caeſar Inuentor Digammatis Aeolici Ⅎ , pro V conſonante , & Antiſigmatis ƆC , pro PS . L. 5. P. 602. A.

Tibicines Sacris Romanorum publicis operam dabant . L. 4. P. 489. E. CXCVI.

Tiraboſchi (Thadaei) Villa. L. 5. P. 641. E. CCCXXXV.

Titus Caeſar merito appellatus Amor Orbis , & generis humani deſiderium . L 4. P. 496. A. & L. 5. P. 545. E. XXXVII. ✝ Inſcriptio Arcus illius ibi , 516. E. CCCXV.

Toëraſij ad exequias Inuitamentum. L. 1. P. 39. E. LXX.

Toledus (Petrus Prorex Neapol. Arcem in Curiam redigit . L. 2. P. 236. E. CCCXXXI.

Toloſae (Pauli) Clerici Reg. Theatini Cenotaphium. L. 5. P. 557. E. LXXXIII.

Tommaſius (Iugurtha Aedituus ſummi Templi Vrbis Senarũ. L. 2. P. 257. E CCCLXXIV.

Tonſus (Ioannes M.) Vicarius Generalis Archiepiſcopi Mediol. L. 2. P. 245. E. CCCLIV.

Traiani votum à victoria . L. . P. 27. A. E. XL.

Triumphaturus Victor qua formula precandi vteretur . L. 2. P. 55. B.

Triumphus Ludouici XIII. Regis Gall. ſubiugatis haereticis Benearnenſibus poſitus fuit in circumferenda Sacra Euchariſtia per Prouinciam

ciam illam maximo cum apparatu. L. 2. P. 262. E. CCCLXXXIII.

Triumphus Marcelli. P. 9. B.

Triumphi Caeſariani titulus trium verborum. P. 8. A.

TRIVLTIAE Gentis Proceres memorati nonnulli. L. 2. P. 158. E. CLXXV. & P. 168. E. CXCV. & P. 174. E. CCVII. & P. 177. E. CCXIII. & P. 181. E. CCXX. & P. 322. E. DLXXXIV. ✝ L. 3. P. 396. E. XIII. ✝ L. 4. P. 440. E. XII. & XIII. & P. 465. ab E. CVIII. ad CXXII. ✝ L. 5. P. 537. E. XI. & P. 553. E. LXVII. & P. 564. E. CIV. Exequiae Theodori Principis & Card. quo argumento adornatae. L. 5. P. 537. E. XI. Quo item Orſinae nurus ab Herculi Principe. L. 4. P. 465.

Troncius (Paulus) Ciuis Piſanus, Vicarius Generalis Archiep., Rerum Piſanarum Scriptor, ac de Antiquitate meritus. L. 2. P. 57. B. & L. 5. P. 601. A.

Trophaea veterum ex lapide, marmore, arboris trunco, aere &c. P. 3. B. & P. 6. A. & P. 7. A. B.

Trophaea in buſtum deſinentia. P. 3. B.

Trophaeorum antiquorum forma Cruci ſimillima. P. 7. A.

Trophaea, ſpolia hoſtium fugatorum in ſtipitibus fixa. P. 7. A. Et mobilia, ſiue geſtatoria. B.

Trophaeum, Armorum hoſtilium aceruus. ibi.

Trophaei Tiberij Caeſ. victoris inſcriptio. ibi.

Trophaea vetuſtate conſumpta reſtituere, nefas erat P. 8. A.

Trophaeum Othryadae Lacedaemonij, B. Marcelli, P. 9. B.

Trophaeum recens Carazenae, titulo Elogij editum, maius titulo. L. 1. P. 41. A.

Tubetae (Antonij) Athenien. Antiſtitis Tumulus. L. 6. P. 726. E. CXIII.

V

Valerij Cardinalis funus ab Academicis Philarmonicis Veronae celebratum. L. 5. P. 591. E. CCVI. & ſeq. ✝ Eiuſdem in ſummo Templo Franciſci Polae ingenio illuſtratum. P. 632

Valerius (Albertus) Proantiſtes Veronenſis. L. 2. P. 131. E. CXLIX.

Valetudini curandae nullum apud Inſubres Caelum ſalubrius, quàm ad Bellanum oppidum in ora Larij Lacus. L. 4. P. 492. B. & 493. A.

Valla (Laurentius) confutatur in voce Conciuis. L. 2. P. 284. A. & 287. A. B.

Vberi, Equi perniciſſimi Tumulus. L. 3. P. 388. E. III.

Vegij (Ioannis Franciſci) Ticinenſis I.C. clariſſimi Epitaphium. L. 5. P. 538. E. XIV.

Velaſchius (Ioannes Fernandeus) Caſtellae Magnus Comeſtabilis, Gubernator Mediolani. Prograph. P. 5. B. & L. 2. P. 170. E. CC. & P. 299. E. DXVII. & P. 541. E. XXIII.

Velſeri (Marci) Tumulus, tumidus etſi floridus. L. 4. P. 478. E. CLVI.

Vendrameno (Andreae) Elogium à Ferrario poſitum. L. 4. P. 498. A.

Veneris victoria de Dijs multiplex. L. 1. P. 29. E. XLIX.

Venere inſatiabili extinctae foeminae Epitaphiũ. L. 5. P. 593. E. CCXVIII.

Venerij (Franciſci) Principis Venetiarum Tumulus. L. 5. P. 588. E. CXCVI.

Venerius (Hieronimus) Felicianae Arcis Praefectus. L. 2. P. 180. E. CCXIX.

Venturij (Franciſci) Epiſcopi S. Seueri (Vrbis terraemotu ſubuerſae) Elogium in Academia Apatiſtarum. L. 6. P. 671. E. V.

Venuſtas locum ſupplet Argutiae, vt in Epigrammate, ita in Elogio. L. 5. P. 533. Proluſ. A.

Venus amica nocet, inimica iuuat. L. 6. P. 703. B.

Verborum cura, ſolicitudo rerum eſſe debet Scriptori. L. 6. P. 658. A.

Verbornm reconditorum faetores dicit Auguſtus. L. 3. Proluſ. P. 386. A.

Verducciolus (Felix) Elogium panxit funebre in Georgium Boream mole par Iouianis Elogijs. L. 1. P. 4. B. ✝ In Laconicis tamen omnino felix imitanduſque in genere laudatiuo, materia graui, & ad finem ſerium, praeſertim in Reginam Sueriae. L. 6. P. 732.

Veremundus Iunior Rex Legionis. Eius Tumulus. L. 2. P. 66. E. XLI.

Vergarae (Ioannis) Viri in paucis eruditi Epitaphium. L. 2. P. 355. E. DCLVI.

Verona, ſub Veneto imperio & munitione, & aedificijs magnificè inſtructa. L. 5. P. 592. E. CCXIII.

VESPVCCIA Gens Florentina & origine nobilis, & partu Americi, qui Orbis noui inuentor ex ſuo nomine Americam appellauit. P. 12. B.

Vexilla militaria inſcripta. P. 4. A. B.

Vexillum Crucis Conſtantino Caeſari viſae, inſcriptum Graecè. P. 9. A.

Vghellus (Ferdinandus) Florentinus, Abbas Ciſtercienſis, Elegiaſtes, & Scriptor Italiae Sacrae. L. 4. P. 529. B. & ſeq. & E. CCCLVI. & ſeqq. Item. L. 6. P. 726. A. & alibi.

Vgo Marchio, & Gubernator vniuerſae Etruriae, de Sacra Benedictina familia meritiſſimus. L. 2. P. 65. E. XXXIX. Eius tumulus artificio barbaro inſcriptus. 80. E. LXXIX. Statua dedicata, 197. E. CCL.

Vibij (Caij) adoleſcentis mors voluntaria ex amoris intemperantia. L. 4. P. 490. E. CCI.

Vicecomitis (Caroli) iuuenis ex inſidijs interfecti Cenotaphia duo. L. 5. P. 571. E. CXXXII. & CXXXIII.

Vicecomitis Borromaei (Vitaliani) Vtr. Sign. Refer. ac Spoletanorum Gubernatoris Elogium. L. 5. P. 578. E. CLXIV.

Vicecomitis Mapheoli) Viri nobiliſs. cum Gentilium

tilium quorundam memoria. L. 2. P. 176. E. CCXIII.
Vicomercati (Alexandri) Praetoris Piſcariae Elogium. L. 5. P. 564. E. CVI. ✝ Vicomercati (corruptè Vimercati, Horatij) Viri eruditiſſ. Tumulus. L. 2. P. 339. E. DCXXI.
Victorij Amedaei, Ducis Subaudiae Exequiae apparatiſſimae. L. 3. P. 408. A. & E. XXXVII. XXXVIII. XXXIX. & P. 409.
Vidotti (Antonij) Equitis, Senatoris, Praetoris Tumulus. L. 2. P. 365. E. DCLXII.
Vigiliae (Sanctae) Martiris patrocinium in liburnenſes. L. 6. P. 683. E. XXIX.
Virginiae Romanae Epitaphium, nomine poſitum Virginij Patris, & interfectoris. L. 2. P. 374. E. DCLXXIX.
Virginis dedicatio in obſequium Chriſti perpetuum inter Sanctimoniales. L. 3. P. 409. E. XL.
Virgo Maxima dicta antiquis Praefecta Veſtalibus: hodie malè Abbatiſſa. L. 2. P. 125. A.
Vita hominis translatè Annus Dies, Ludus Circenſis, Militia. L. 6. P. 669. & 670.
Vitellij (Ioannis Bapt.) celebris ſanctimoniae Viri Epitaphium. L. 3. P. 228. E. CCCXII.
Vitia antiquorum marmorum non omnia danda antiquitati rudi, aut poſteritati barbarae, ſed multa inſcitiae, multa incuriae Elementariorum. L. 2. P. 76. B. & 77. A. praeſertim poſt Elogium. LXXII.
Viuis (Io. Ludouici) Valentini Tumulus. L. 2. P. 321. E. DLXXXII.
Vlmari (Bernartij) EccKenſis Epitaphium. L. 2. P. 243. E. CCCXLVIII.
Vlyſſes ſtolatus liuia Auguſta Proauia Caligulae Caeſaris. L. 6. P. 670. B.
Vmbilicus Italiae, Vrbs Reate. L. 2. P. 67. A.
Volantij (Ioannis) Epitahp. Pariſijs. L. 2. P. 106. E. CIV.
Voluptarij hominis Tumulus antiquus. L. 4. P. 511. E. CCXXXIX.
Voſſius acriter confutatur, Vocem *Concionator* in malam duntaxat partem Latinè ſumi. L. 2. P. 251. & 252.
Vota Imperatoribus Ethnicis ſolemnia de ludis in honorem Deorum celebrandis, ſi tot aut tot annos imperitaſſent: Pro decennio Decennales, &c. L. 4. P. 495. B. Nota ad Arcum Conſtantini.
Votum Staſicratis de Montio Cardinali, Auctore Alphonſo Rhaudenſe, laxius Elogij finibus. L. 1. P. 41. A.
Vrbani VIII. Pont. Max. gemina munificentia Anno Iubilaeo praeſtita. L. 6. P. 670. E. III.
Vrbs aeterna antiquis dicta Roma vel voto, vel vaticinio. L. 5. P. 534. A.
Vrytae (Caterini) generoſi militis Tumulus. L. 2. P. 358. E. DCLXI.
Vrna ſepulcralis vſui fontis addicta. P. 5. A.
Vrſus (Io. Baptiſta) imitandus in genere laudatiuo, materia leui, Elogijs in Bucephalum, in Calamum ſuum, L. 6. P. 732. Et in Vituperatiuo, materia leui, Elogijs in Cupidinem, in Reſtem Iudae, in Tumulos Iudae, Simonis magi, Martini luderij, Ioannis Caluinij, & Mahometis.
Vſtrinum vetitum applicari monumento, ideſt, ne probe monumentum crementur Cadauera. L. 5. P. 614. E. CCXXXXVI.
VValenſteinij (Alberti) Ferdelandiae Ducis Epitaphium legendum. L. 2. P. 363 E. DCLVII. Et Cenotaphium. L. 6. P. 720. E. XCII.
VValmaranus (Leonardus) Comes Vicentinus Hoſpitio accipit Mariam Auſtriam Auguſtam apparatu ſplendidiſſimo. L. 5. P. 564. E. CII.
VVameſij (Ioannis) I. C. ac primarij Profeſſoris Tumulus. L. 4. P. 484. E. CLXXI.
VVenceslai Borgardi Tumulus. L. 1. P. 42. E. LXXI. Quomodo caſtigandus, ibi. P. 43. A.
VVeſtoniae (Annae) Baſilij Vicecomitis Feildingi Vxoris Tumulus. L. 4. P. 499. E. CCXXXXII.
VVovvvere (Iacobi Vanden) & Katharinae Struyue coniugis Tumulus. L. 2. P. 367. E. DCLXIX.
Vxores veteribus (Latinorum) appellatae Dominae, quia familiae, & domus Dominae. P. 277. A. Aliquando ex immodico virorum affectu, ibi.
Vxori Epitaphium à Viro deſolatiſſimo poſitum. L. 5. P. 571. E. CXXXI.
Vxoris defunctae vetus Epitaphium immenſum paucis encomium continens. L. 5. P. 634. E. CCCX.

Z

Zamoſcij (Ioannis) Tumulus. L. 5. P. 556. E. LXXVIII.
Zazzerinae catellae Epitaphium. L. 6. P. 710. E. LXIV.
Zenobij (Sancti) Florentini Epiſc. Corpus cùm transferretur, inſignem pompam miracula comitantur. L. 2. P. 263. E. CCCLXXXIV.
Zianus (Sebaſtianus) Princeps Venetorum Federico Imperatori arma contra Alexandrum III. Pont. Max. mota excuſſit. L. 4. P. 505. E. CCLXVIII.
Zoili ſtatua carmine Etruſco inſcripta. L. 6. P. 709. B.
Zuniga (Ioannes) Prorex Valetudinarium publicum Neapoli extruit. L. 2. P. 327. E. DXCVIII.
Zuuingeri (Theodori) Philoſ. & Medici pia inſtitutione vitae clari Tumulus. L. 6. P. 720. E. XCVI.

FINIS.

Auctor Lectori candido S.

IN ingenij edendis foetibus nemo prudens non malit ope aliena reiecta ſimul ipſe parentem agere, & obſtetricem. Ita fore ſperat facilius, vt quem mente conceperant, ſcripto formarat ſermonem, quàm integrum, & ſincerum Typus excipiat. Non quidem quaſi nos abſentes poeniteat adhibitae huic Operi curae Amicorum, quibus non ſtudium profectò defuit in nos, non intelligentia materiae, alterum noſtris meritis, altera ingenio & eruditione maior: Verùm quia (vt in humanis) priuatae identidem curae, ac temporum difficultates ineluctabiles interuenere negotio vrgendi hocce Volumen molis (vt vides) non temnendae, nec parui temporis: praeter illa, quae Typographo quantumcunque curioſo, & ſolicito exciderunt imprudenter; & quae Argum ipſum (ſic lubet noſtrum appellare) ſaepe fallant. Ex quo demum irrepſerint neceſſe ſit, menda nonnulla. Horum igitur alia commiſimus Amanuenſi ſuis locis caſtiganda, alia Typographo hac pagina: caetera tuae relinquimus prudentiae, commendamus humanitati.

Praecipuum autem mendum occurrit Lib. V. Pag. 619. A. Verſu 5. Elogio CCLXXIII. quod hic reſtituimus ad amuſsim è Strozzij Senatoris exemplo, penes quem eſt ipſum marmor, videlicet:

V. F
CVLTORES . HERCVLI'S . SOMNI'ALI'S . IN
DIS . MANI'BVS . SI'BI' . ET
POSTERI'SQVE . SVI'S . ii. QVI' INFRA
SCRI'PTI' . SVNT

Q. CAECI'LI'VS Q. GALLVCELLANVS
T. FABI'VS
L. ATTI'LI'VS
SEX. SCVTARI'VS
&c &c

Nimirum ſupra binas vocales ii puncta praefigere omiſit Typographus, contra quae nos quidem vti malè praefixa in marmore cenſuram ſtrinxeramus. Etſi quam notaueramus in voce SOMNI'ALI'S continuationem accentuum acutorum, referre oportuerit infra ad voces SCRI'PTI', & ATTI'LI'VS. Iam alia accipe

	MENDA, &	*EMENDA*
Progr.	Pag. 4. B. verſu 7. [Ἀ'θινᾶ	Ἀ'θηνᾷ
	ibi, ver. 35. [quam fuit	quam fuerit
	Pag. 13. A. ver. 1. [Ἑλλινύων	Ἑλλήνων
	ibi. ver. 10. [praeter quam Trophaeo	Non ſolùm Trophaeo
Lib. 1.	Pag. 19. ad medium [huc ſpectant Triumphalis	Huc ſpectant Triumphales
	Pag. 21. B. ver. antepenult. [Membrum VI.	Membrum II.
	Pag. 25. A ver. 3 [Membrum XIV.	Membrum VIII.
	Pag. 33. A. ver. 9. [Cap. . . . . . A Membro.	Cap. V. Membro I. ad IV.
	Pag. 34. B. ver 8. [Lernam	Lernaeam Hydram
	Pag. 35. B. ver. 20. [his inter	his inter varia
	Pag. 37. B. ver. 39. [minus	mimus
	Pag. 40. A. ver. 40. [*σάυ τομον*	*σύντομον*
Lib. 2.	Pag. 48. Elogio II. ver. 2. [Hic adſie	Huc adſit
	Pag. 60. A. ver. 8. [*Adque* pro *Atque*	dele ea verba
	Pag. 81. B. ver. 3. [*Aram antini ca*	*Aram anti ni ca*
	Pag. 85. ver. 38. [facimus	facinus
	Pag. 86. A. ver. 34. [hic pro haec	haec pro hic
	Pag. 93. A. ver. 31. [K K	AEK
	ibi. B. ver. 24. [*Peaendarum*	Fortunatus, *Pedendarum*
	Pag. 115. B ver. 27. [ſecundo	ſeculo
	Pag. 127. Elogij CXLIV ver. 1. [Heh	Hem
	Pag. 132. ver. 8. [COLLASA	COLLAPSA
	Pag. 140. B. ver. penult. [illi	illis
	Pag. 183. B. ver. 12. [nueralem	numerale
	Pag. 185. ver. 2. [*CONGE*	*CONGESTVS*

Pga. 22

	Pag. 226. B. ver. 8. [Elogij	Elogij Cap. I.
	Pag. 238. B. ver. 19. [ACTVM	AVCTVM
	Pag. 242. B. ver. antepenult. [*magis ſolennibus*	*magnis ſolennibus*
	Pag. 246. in Elogio CCCLV. ver. 7. [MCCCCXXXXIV.	MCCCCLXXXIV.
	Pag. 282. Elogio CCCCXL. ver. 5. [AVO	AVG
	Pag. 287. B. ver. 17. [Membro XII	Membro XXI.
	Pag. 317. ver. 2. [PALLAVICINI	PALLAVICINIO
	Pag. 367. A. ver. 2. [XV.	XVIII.
	Pag. 369. A. ver. 1. [*cucullatus*	*cucullatis*
	Pag. 382. A. ver. vlt. [Hic	Hinc
Lib.3.	Pag. 399. Elogio XVIII. ver. 3. [*inuicti*	*inueniſti*
	Pag. 408. B. ver. 32. [Exigit	Exegit
	Pag. 415. Elogio LX. ver. 2. [PANERATIASTEM	PANCRATIASTEM
	Pag. 417. A. ver. 4. [vlgo	vulgo
	Pag. 426. A. ver. vlt. [ligerat	legerat
	Pag. 430. B. ver. 5. [ſecepit	recepit
	Pag. 435. A. ver. 29. [POSS.	POSSS.
Lib.4.	Pag. 437. A. ver. 10. [notae	natae
	Pag. 439. A. ver. 30. [cui titulo	cum titulo
	Pag. 446. B. Elogio XLVI. ver. 1. [TIBI	TITI
	Pag. 453. B. Elogio LXVIII. ver. 8. [SVPERSTIBVS	SVPERSTITIBVS
	Pag. 456. poſt Elogio LXXXI. ver. 2. [ET MARDHIONI	ET MARCHIONI
	& ver. 5. [ELEONORA	ELEONORAE
	& ver. paginae vltimo [ra	rae
	Pag. 465. in Elogio CVIII. ver. 4. [CIVIS	CIVES
	Pag. 466. A. ver. 3. [in Emblematis	in ſpeciem Emblematis
	Pag. 508. A. Elogio CCXXIX. ver. 6. [S.C	F. C
	Pag. 509. Membro XVII. A. ver. 22. [Princeps	Principis
	& ibi, ver. penult. [DECRETO . PVBLICO	adde PATER, PATRIAE
	Pag. 522. B. ver. 7. [effectum	affectum
	Pag. 525. A. ver. 14. [Caelos	Caelum
Lib.5.	Pag. 546. B. ver. 2. [Denza	Dezza
	Pag. 553. A. ver. 3. [cognititnis	cognitionis
	Pag. 560. A. poſt Elogium XCV. ver. 1. [diſtrafta	diſtracta
	Pag. 566. ſub titulo Membri VI. B. ver. 1. [Atque	Atque quo
	Pag. 570. B. ver. antepenult. [viuo	viuo, doleret mortuo
	Pag. 575. ſub titulo Membri VI. A. ver. 6. [*δηύαμαι*	*δύναμαι*
	Pag. 578. Elogio CLXV. ver. 1. [Petſarum	Perſarum
	Pag. 582. A. ver. 17. [Membro VI.	num. VII.
	Pag. 584. B. ver. 22. [illa cadant	illa, ne cadant
	Pag. 601. A. in Elogio CCXXXV. ver. 2. [[illegible]	[illegible]
	Pag. 602. A. ver. 33. [AVG	AVG
	Pag. 606. titulo Membri III. [De Interpretandi	De Interpungendi
	Pag. 608. B. ver. 15. [in ordine........	in ordine CCCCXXXI.
	& ver. 24. [Memb. XIX.	Membr. XIIX.
	Pag. 612. B. §. *Nos mi Tiberi*, ver. 3. [*caleſe-*	*caleſeci-*
	Pag. 623. A. ver. penult. [NIBVS	NIBIS
Lib.6.	Pag. 676. A. §. Alterum placitum eſt [Aeminata	Geminata

TYPOGRAPHVS

Studioſo Epigraphicae bene precatur.

EN tibi Opus è re tua abſolutum, è mente licet Auctoris inchoatum, qui alterum lucubrabat Volumen paris eruditionis, ac molis. Sed inſperanti obuenit prouincia (vt indicamus in fronte, poſtremo loco à nobis de more impreſſa) quae hominem Animis potiùs Deo lucrandis, quàm Muſis colendis pronum à propoſito vel planè auocet, vel diù multùmque remoretur. Caeterùm à nobis ne expecta, precemur veniam erratorum, quae inter imprimendum inciderun t. Satis Auctor ipſe fecit huic parti. Illud enimuerò condones, deprecamur, omitti hoc ipſo loco Additamenta in partes fere ſingulas huius-Voluminis multo locupletiſſima, quae commoditatis ergo reijciebat Auctor in ſequens Volumen;,pòſt ne perirent, mutato conſilio, tianſmiſit nunc ipſum apponendas poſt Indices. Verùm dolet etiam atque etiam nihil tale nos ante cogitantes occupari paſſos fuiſſe fidem noſtram erga Scriptorem alterum, cuius Opus & ingentis eſt molis,& vrgentis operæ. Tu ſi aues Additamentis his frui (nec te certe poenitebit deſiderij) exemplum facilè impetrabis per nos ab Auctore, cui ſumma votorum eſt ſecundùm Diuinam gloriam vtilitas publica. Vale.

Special
Folio
90-B
34910

THE GETTY CENTER
LIBRARY